CAROLI CLVSII ATREBATIS,

Aulæ Cæsareæ quondam Familiaris,

EXOTICORVM LIBRI DECEM:

Quibus Animalium, Plantarum, Aromatum, aliorumque peregrinorum Fructuum historiæ describuntur:

ITEM

PETRI BELLONII OBSERVATIONES,

eodem Carolo Clusio interprete.

Series totius operis post Præfationem indicabitur.

Ex Officinâ Plantinianâ RAPHELENGII, 1605.

LABORE, ET CONSTANTIA.

ILLVSTRISSIMIS,
NOBILISS. ET AMPLISS.

HOLLANDIÆ ET WESTFRISIAE ORDINIBVS,



CAROLVS CLVSIVS ATREBAS.



QVEMADMODVM, Viri Illustrissimi Nobilissimíque & Amplissimi, ante aliquot annos curæ mihi fuit, ut rariorum Plantarum, quas in juvenili & adulta ætate, varias regiones peragrando, observaveram, Historiam describerem, & publici juris facerem, eámque, aliis observationibus adjunctis, auctiorem facerem: sic in hac mea senectute, quâ per corporis imbecillitatem & alia incommoda, vix mihi usquam progredi licet, ne vitam prorsus in otio transigam, ad earum Plantarum, & rerum Exoticarum quæ peregrè advehuntur observationem animum applicare cœpi. Eam ob caussam omnium rerum Exoticarum quas non multos ante annos adquisiveram, quásque proximè non vulgari curâ adhibitâ nancisci potui, Historiam optimâ fide & summâ diligentiâ conscribere

aggressus sum, ut juventutem ad hoc studium similiter amplectendum pro virili parte non minùs excitare queam, quàm ad aliarum Plantarum cognitionem meis Observationibus in lucem editis, excitasse confido.

PORRÒ non dubium est, istius negotii longè majores progressus futuros, si vestris civibus, qui navigationes in Indiam, AEthiopiam, & Americam Deo favente adeò feliciter nunc instituunt, mandaretis, ut quibuscumque pharmacopœis & cheirurgis quos peregrè navigaturis adjungunt, ad eorum curam gerendam, præciperent, atque etiam ipsos navium Præfectos monerent, peregrinarum arborum ramulos cum suis foliis, floribus, & fructu, si fieri queat, cortices aromaticos, medicamentosas radices, & bulbaceas, earum fructus & semina observare, colligere, adservare, & in reditu adferre ne negligant, diligenter adnotatis singularum rerum nominibus quibus indigenæ illas donant, & etiam ipsarum facultatibus, si quas obtinere intelligant. Nam tametsi adeò progressâ jam sim ætate, ut isto beneficio me fruiturum vix mihi polliceri queam: successuros tamen alios non diffido, qui satis amplam materiam hac ratione nacti, omnium illarum rerum historiam commodiùs & magis perfectè describere poterunt.

INTEREA earum rerum Exoticarum quas hactenus observavi Historiam in sex Libros digessi: iisque

iisque, ut justum corpus efficerent, alios quatuor adjunxi, Aromatum & peregrinarum quarundam Plantarum Historiam continentes, Hispanico quidem sermone descriptos, meâ tamen operâ Latinos factos, & quibusdam Scholiis illustratos.

CETERVM istas meas lucubrationes, quæ non mediocribus vigiliis, nec contemnendis impensis mihi constiterunt, ob tabellas quæ ad eas exornandas fuêre necessariæ, vestro nomini, Illustrissimi, Nobilissimi & Amplissimi Ordines, consecrare volui; mihi persuadens, hanc mei animi erga vos declarationem benignè esse excepturos. Ita Deus opt. max. faxit, à quo summis votis oro, ut generosissimos vestros conatus pro immensa sua clementia omni felicitatis genere prosequi dignetur, ad sui nominis gloriam, & Reipub. conservationem atque salutem. Lugduni Batavorum, Kal. Augusti. Anno reparatæ salutis humanæ CIↃ. IↃ C. V. meæ verò ætatis pænè octogesimo.

AD

CLVSII NOMEN

LVSVS

Omnia Naturæ dum, CLVSI, arcana recludis:
CLVSIVS haud vltrà ſis, ſed *APERTA, mihi.

* quo nomine Apollo priſcis dictus, ab aperiendo.

IVSTI LIPSI.

Viro fama & meritis eximio

CAROLO CLVSIO ATREBATENSI.

Qvis furor ignotos adigit penetrare recessus?
Perq́ immensa maris spatia haud sine crimine gētes
Indagare nouas, belloq́ agitare quietas?
Regnandi rabies, & opum furiata cupido,
Quæ trucibus stimulant mortalia pectora curis,
Nil intentatum sceleris liquere nefandi.
Num satius patrios foret insedisse penates,
Nataliq́ solo placidam fouisse quietem,
Quàm genus humanum fœdis vexare ruinis?
Quod si terrarum longos inuisere tractus
Gestit amor, quando ætherio de semine creta
Stare loco mens nostra nequit, motuq́ valescit
Acrior, & rapidos orbes imitatur Olympi:
Possumus exemplo multum experientis Vlyssei
Diuersos lustrare locos, atque extera regna,
Scilicet ut varios hominum cognoscere mores
Cura sit, aut rerum naturæ euoluere causas.
Hinc sensim occulto veluti viget arbor ab æuo
Nascitur illa hominum vitæ prudentia rectrix,
Munere quo nullum cælestia numina maius
Contulerunt terris. prudentia temperat vrbes,
Consiliisq́ regit populos, vt corpore regnat
Spiritus, & supero quos semine traximus haustus.
Hac fine ô medicæ decus & lux inclyta gentis
Orbe sitas alio peragrasti sedulus oras,
Ne quid inexpertum tua cura relinqueret vsquam
Vnde venire queat non illaudata voluptas
Mentibus ingenuis, aut ægris dulce leuamen
Corporibus. fœlix operum, qui dulcia miscens
Vtilibus punctum omne refers, dum diuite censu
Fœcundas depromis opes telluris amicæ,
Quas effundit humi cultu domefacta benigno,
Non quas interiore sinu secreta recondit
Vt vitiis hominum crudelia subtrahat arma.
Sed quis auaritiam lateat specus? horrida nautæ
Per freta præcipitant animas in aperta pericla,

Ne desint miseris alimenta perennia morbis.
Nec satis hoc, terræ rimatur operta profanum
Iapeti genus, & manes descendit ad imos
Viuens atque videns, vt suppetat vnde perire
Noctes atque dies lento cruciamine possit.
At tibi magnanimum potior sententia pectus
Imbuit, ac mentem generoso arrexit amore,
Scrutari ingenio naturæ arcana potentis,
Æternas leges, adscriptaq; fœdera rebus,
Herbarum genus omne, & quæ natura creatis
Arboribus, varios habitus, geniosq; locorum,
Diuisasq; satis patrias, (non omnia tellus
Omnis alit,) fruticum formas, viresq; medendo
Scire cupido fuit, dubiæ nec fidere famæ,
Sed lustrare oculis, nec parcere sumptibus vllis.
Te duce multiplices volucrum cognoscere vultus,
Insolitasq; datur facies atque ora ferarum
Cernere, sed nullo discrimine. monstra natantum
Multa tuus spectanda labos proponit, at omnis
Terror abest, miseris nec formidanda minantur
Naufragia infames scopuli, atque immania cete.
Nulli hic Sirenum cantus, nec honore carentum
Ossibus albet humus, nec lamentabile visu
Desolata suis lugent cultoribus arua.
Securus secura licet legat æquora Lector.
Has inter curas transacta est optima vitæ
Pars tibi, dum pulcro vernabat flore iuuentas.
Nunc quoque par animus, quanquam inuidiosa senectus
Corporis infregit vires, minuitq; vigorem,
Perstat, idemq; viget studium, seruatq; tenorem
Laudata ambitio seclis prodesse futuris,
Annorumq; fugam victrici sistere charta.
Macte senex animi, decet in statione graduq;
Fungi morte ducem. tali fugit alite terras
Viuida vis animi, & cælum petit ignea virtus.

DOMINICVS BAVDIVS
Insulanus. autor Damnat

FEDERICVS IAMOTIVS
MEDICVS
Viro Clarissimo
CAROLO CLVSIO S. D.



MITTO ad te, Vir Clarissime, carmen δίγλωττον, nocte mihi per insomnia (vide quàm verbis meum exornem munus) animo conceptum: vigilando postea ordine dispositum atque descriptum: testem omnibus hominibus futurum, non solùm egregiæ tuæ virtutis & doctrinæ, verùm etiam perpetuæ meæ in te obseruantiæ, atque propensæ voluntatis. Sed vereor, ne laudibus tuis, quas augere debui, nonnihil ingenij culpa detriuerim; quando & in me deferbuit iuuenilis illa alacritas, qua poëtica studia fouentur: & vena mea penè iam exhausta est, vt propemodum vita. Tu tamen hoc, cuiusque modi est, vt eo animi candore accipias, quo tibi à me donatur, vehementer te rogo, Illustrissimum Virum, omnique egregiæ virtutis & doctrinæ laude cumulatissimum Iosephum Scaligerum, velim meo nomine officiosè resalutes. Vale, & has ad Vulcanium nostrum litteras porrò transmitte. Ex Anesiniano nostro rure, Cal. Mart. Anno 1606.

ΦΕΔΕΡΙΚΟΥ ΙΑΜΩΤΙΟΥ
ΙΑΤΡΟΥ

Ἔπος εἰς τὰ τοῦ σοφωτάτου ἀνδρὸς Καρόλου Κλουσίου

ΕΞΩΤΙΚΑ.

ΤΙΚΤΕΙ μὲν κακότητα, καὶ εἴδεα μυρία νούσων
Ἡ γῆ παμμήτειρα πολυκλαύτοισι βροτοῖσι·
Τίκτει δ' αὖ λύσιν ἠδὲ, καὶ ἄλγεος ἔμπεδον ἀλκήν·
Ἐκ γῆς ἑρπετὰ λυγρὰ, σίνητ' ὀλοφώϊα θηρῶν
Ἰοβόλων ἔβλαστε, καὶ ἔμφυτα φάρμακα ῥίζαις
Οὐλομέναις, ἅτε φῶτας ἐπιχρισθέντα δαμάζει.
Ἐκ γῆς αὖ βοτάναι γυιαλθέες, ᾗσί τε μήτηρ
Πλουτοτρόφος ἐγγυάλιξεν ἀλεξητήρια κήδευς,
Κνωψίτε, καὶ ποσίεσσιν ἐναντία φαρμακοέσσαις·
Δῶρον ἀλεξικάκοιο Θεοῦ, μερόπεσσιν ἀκιδνοῖς
Βουλομένου θνητῶν ζωὴν ἐλεεινὴν ἀέξαι·
Ὄφρα κε πάντες ἔχωσι παρηγόρον ἄλκαρ ἀνίης,
Καὶ στυγεροῦ δεδάωσιν ἀνάβλησιν θανάτοιο,
Ὅσσοις ἄλκιμον ἦτορ ἔφυ, καὶ θυμὸς ἀμύμων
Ἰχνεῦσαι μορφάς τε φυτῶν καὶ ὀνείατα πάντα.

Τῷδ' ἄπω προπάροιθεν ἀγαλλόμενοι ἐπὶ δόξῃ
Φιλλυρίδης Χείρων ἀκεσίμβροτος, ἠδὲ σαόφρων
Υἱὸς ἀμωμήτοιο Κορωνίδος, ἀστεροπητὴν
Οὐρανὸν εἰσανέβησαν, ἐπεὶ κάμον ἀγλαὰ πολλά,
Τῶδ' Ἀσκληπιάδα Ποδαλείριος ἠδὲ Μαχάων,
Ὠτειλαῖς ἐπιθέντε δυσαλθέσι νώδυνον εἶλαρ,
Εὑρέσθην σφετέροισι παρ' ἀνθρώποιν εὐκλέα τιμήν.
Τοῖσι δ' ἐφωμάρτησε μέγα κλέος Ἑλλάδος αἴης
Ἔνθεος Ἱπποκράτης λαοσόος, ἠδὲ Γαληνὸς
Ἱπποκράτη σκοτεινῇ φέρων φαυσίβροτον αἴγλην.
Ἀλλὰ πανάξιός ἐστιν ἐνὶ πρώτοισι λέγεσθαι
Ῥιζοτόμων ὄχ' ἄριστος Ἀναζαρβαῖος Ἰάσων,
Ἀμφήνας μερόπεσσι μεγακλέα δυνέα φύτλης·
Ὃν περίπυστος ὅμιλος ἐῇ φαιδρύνατο δέλτῳ,
Ῥουέλιός τε πατὴρ καὶ Δωδωναῖος ἀγαστός,
Δῖά τε Ματθιόλου, καὶ Λωβελίοιο μέριμνα.
Βελγάων φίλον ὄμμα, φαεσφόρε πατρίδος ἀστήρ,
ΚΛΟΥΣΙΕ πανδίδακτε, σὺ δ' αἰγλήεντα νοήσας
Μνήματα Πηδανίοιο γεραιοῦ, ὅσσα τε φῶτες
Αὔσονες Ἀργεῖοί τε φυτῶν πέρι ποικιλομόρφων
Ἄμμιν ἐσημήναντο κατὰ χέρσον, οὐχ ἅλις εἶχες
Ἀλλ' ἔπι μείζονα πολλὰ κιχὼν πολυχανδέϊ θυμῷ,
Πάντα νομὸν, καὶ πάντα λόφον, καὶ πᾶσαν ἐφοίτας
Ὕλην, ὥς κε φράσαιο τελειοτάτην φύσιν ἔργων
Φυομένων πράσεσσι τετραχιδέεσσιν ἀρούρης.
Ἑβραῖοι μὲν πάντες ἐπισώσαντο παλαιοί,
Δαβιδίδην βασιλῆα, σοφῶν προφερέστατον ἀνδρῶν,
Εἰδυίαις πραπίδεσσι φυτεύματα πάντα δαῆναι,
Ὑψιβάτου Λιβάνοιο μεγασθενέων ἀπὸ κέδρων,
Μέσφ' ἐπὶ γεινομένης ἐκ τείχεος ὑσσωποῖο,
Τὴν ποίης ὑδέουσι πολύτειχον ἴδριες ἄνδρες.
Φυταλιὴν σὺ δὲ πᾶσαν ἑῷ ταχυπειθέϊ θυμῷ
Εὐρώπης Ἀσίης τε χαδὼν Λιβύης τε πείρης,
Ἰνδώην ἐπέρησας ἐς ἄστιβον ἄχρις ἀρούραν,
Ποντοπόρων αὐταῖσιν ὑπ' ἐννεσίῃσι Βαταύων·
Τῶν ἀπὸ χειρὸς ἀείρας ἀνθέα θαύματα φύτλης,
Ὁπλοτέροις ἄγνωστα. τάτ' ἔξοθεν αὐτὰ καλέσσας,
Ἀνδράσιν ἡμετέροισι σοφῇ δημώσαο βίβλῳ,
Μουσοπόλων ὑμνητὰ πολυσπερέεσσιν ἀοιδαῖς.
Ὦ μάκαρ, ὃς καμάτοιο τεοῦ χαρίεντος ἐπαύρῃ
Ζωὸς ἐὼν, μελέτης τε καλῆς καλὸν ἤραο κῦδος.
Οὔτε κεν ὠπήσαιο τεῆς ὠδῖνα μενοινῆς

Λήθῃ τε

Λήθῃ τε, δνοφερῇ τε κατακρυφθεῖσαν ὁμίχλῃ,
Γηραιοῦ Πριάμοιο δίκην, ὃς πενθαλέῃ φωνῇ
Παῖδας ἔπι ζώων τεθνειότας ἐκτερέιξεν.
Οὔτ' ἐπὶ σοῦ μοῦνον ζωοῖς ἐναρίθμιος εἴη,
Ἀλλὰ χρόνου μίμνουσα περιτρεπέοντος ὁμῆλιξ,
Οἴσεται ἔνθα καὶ ἔνθα τεὴν ἐρικύδεα φήμην.

FEDERICI IAMOTII
Medici
CARMEN
in doctissimi viri CAROLI CLVSII
EXOTICA.

MORBORVM *parit omne genus, genus omne malorum*
Fœta parens rerum tellus, mortalibus ægris:
Hæc eadem parit auxilium, morbiq́ leuamen.
Nascitur & terra serpens, morsúsque ferarum
Pestiferi, necnon radicibus insita tetris
Pharmaca, quæ miseros homines impacta trucidant.
Rursus & emergunt herbæ tellure salubres,
Et quibus alma parens dedit amuleta malorum,
Anguibus & diris, potóque aduersa veneno:
Munera rara Dei noxas pellentis, opísque
Mortales bonitate noua miserantis egenos.
Rebus vt afflictis remedî solatia nactus,
Inuisæ mortis properantem proroget horam,
Præsenti quicunque animo, qui pectore forti
Plantarum formas, & commoda cuncta requirit.
Hoc ipso quondam cælesti munere freti
Phillyrides Chiron medica spectabilis arte,
Et catus ac prudens præstante Coronide natus,
Stellantem petiere polum, post ardua facta:
Hinc Asclepiadæ Podalirius atque Machaon,
Tristia mulcentes admotis vulnera succis,
Nomen apud Danaos magnum gessere, decúsque:
His quoque successit Graiæ laus maxima gentis
Entheus Hippocrates, totíque salutifer orbi:
Quíque virum nitida clarauit luce Galenus.

Sed

Sed meruit primo vel Anazarbæus Iason
Ordine censeri, lectis celeberrimus herbis,
Plantarum fruticúmque nouas qui tradidit artes.
Quem varij chartis illustrauere disertis,
Ruelliúsque pater, Dodonæúsque verendus:
Diáque Mathioli solertia, Lobeliíque.
Tu patriæ sidus, Belgî tu dulcis ocelle,
Splendida non sat habes, Clusi doctißime, nosse
Pedanij monimenta senis, nec Græcia quicquid,
Quicquid & omnigenis Latium de stirpibus vnquam
Monstrauit serie nobis atque ordine longo:
Tu quoque concipiens animo maiora capaci,
Et nemora, & colles, & pascua cuncta peragras
Sedulus, vt discas quæ sit natura creatrix
Herbarum, quæ quadrifido nascuntur in orbe.
Hebræi vna voce fidem fecere priores
Dauididem Regem, quo non sapientior alter,
Perspectas habuisse omnes ex ordine plantas,
A celsi Libani cedris immanibus, vsque ad
Hyssopum vilem, veteri quæ pariete surgit,
Quamque Polytrichon herbarum dixere scientes.
Tu rapido ingenij complexus acumine cunctas
Europæ atque Asiæ stirpes, Libyæque feracis,
Inuia nunc penetras Indorum strenuus arua,
Auspicibus Batauis, puppi sulcantibus vndas:
Queis accepta refers fruticum miracula, quæ nec
Nota prius nostris, Externáque nomine dicta,
Egregio vulgas in publica commoda libro,
Multimodis vatum iam decantata Camœnis.
Fortunate, tui frueris qui laude laboris,
Præclaríque refers studij décora ampla superstes.
Tu neque conspicies Lethæo gurgite mersum
Ingenij partum, nec cæca nocte iacentem,
More senis Priami, sua qui viuúsque vidénsque
Mortua composuit lugubri pignora planctu:
Nec tecum tantùm vitales hauriet auras
Ille: sed æqualis vertenti iugiter æuo,
Differet huc illúcque tuum memorabile nomen.

DANIEL HEINSIVS

Jn Nobilißimi & C.V.

CAROLI CLVSII ATREBATIS

Exoticorum libros sex.

NATVRÆ *ludentis opus, suspensaq; mundi*
Inter anhelantes diuerso e carcere ventos
Machina; quam stellis ardentibus aureus ambit
Iupiter, & vastum Nereus molitur in orbem;
Cui tantum de te licuit? quisve incola terræ
Has primum produxit opes? quæ cærula puppis,
Et solis radios, & iam non vltima Thules
Littora, vel nuper positas egressa columnas,
Ditibus his primum patriam mactauit opimis?
Scilicet in priscas series, occultaque rerum
Sæcula, vel notum nec adhuc mortalibus æuum
Voluimur: aut solis pudor est nescire Batauis,
Quicquid mundus habet: vel quicquid filia Nerei
Ventorum dominis, alienis seruat in oris.
At Natura parens, immensi conscia mundi,
Sydereos inter tractus, atque æthera magnum,
Carole, te vastum quondam circumtulit orbem,
Euectum ingenti curru: [a] *quem bellua Gandæ*
Traxit, [b] *& immanis Matutæ e littore serpens,*
Centum orbes, centumque vndosa volumina torquens
Arduus, & lentam tarde demissus in aluum.
Astabant toruæ facies, incognita cete
Oceano patrique, [c] *& quo te nomine dicam*
Ignauum pecus, [d] *& visu deformia Phocæ*
Corpora, [e] *vel tandem populis sic cognitus Histrix?*
Hic fulgentis opes Orientis, & vltima seri
Dona recognoscis populi, Famaq; superbis
Postibus affigis, spectanda nepotibus olim,
Exuuias terræ ingentis, monumentaque mundi
Diuitis, & longum fama diffundis in æuum.
Accurrunt rapidæ puppes, victorque Batauus
Æquoris, ingentes Neptuno immittit habenas,

[a] Animal ita dictum.
[b] Serpens Indicus octo pedum Romanorum.
[c] Ignauus animal, alias Agilis.
[d] Manati, phocæ genus.
[e] Histrix piscis.

Stans alta in puppi, Boreæq; audacibus alis
Imperat, & longas a tergo diuidit vndas.
Nec visas populatur opes, miracula rerum,
Herbasq; plantasque, [a] & quæ se tollit Harundo,
Æmula malorum spatiis, aut arboris altæ.
Transcribitque tibi, nec se cognoscit in illis.
Æquora viderunt alios emergere [b] Coruos,
[c] Et Junonis auem: [d] Stellasque in littore nauta
Horruit, [e] & Quercum mediis inuenit in vndis.
Salue magne pater, quem non rationis inertem
Pallidus obscuro Phlegeton damnabit in antro,
Infamisque Acheron, ignauaque ianua lethi:
Sed sublimis honos, & solui nescia virtus,
Per varias populorum oras & mœnia raptum,
Indigetem magno tandem donabit Olympo.
Miratur rerum facies, stupet obuia turba
Europæq; Asiæq;, & dignos addit honores.
Qualis ab Auroræ populis, & diuitis Hermi,
Indorum spoliis, & capto squallidus auro,
Liber ouans, curru ardentem conscendit Olympum,
Antiquasque Deûm sedes; Berecynthia mater
Astitit, & centum summisit ad oscula turres;
Frondoso occurrens gremio: dextramq; tetendit
Jupiter, & vastum tonitru perterruit orbem.
Scilicet, & quis me, superi, dum pectora sanguis
Pulsat adhuc, ardorque ingens, atque indolis altæ
Conscia mens, nullo curarum obsessa tumultu,
Tabropanes inter saltus, aut littus Jauæ
Sistat, & occultos Naturæ admittat in ausus.
Non ego securus metuam quodcunque pericli est,
Ingentem Batauo de littore soluere puppim,
Votaque Neptuno faciam, magnoque parenti,
Nymbosasque hyemes inter, ventosque furentes,
Plurima lustrato referam tibi munera mundo,
Pars operis nonnulla tui. Sic Orphea quondam
Turbidus in cœtu sociorum aspexit Jason,
Carminis intentum numeris, aut vela legentem.

[a] Harundo Indica, XXVI.
[b] Coruus marinus.
[c] Pauo marinus.
[d] Stella marina.
[e] Quercus marina.

Ad Nobilem & indefeßi laboris virum

DN. CAROLVM CLVSIVM

Atrebatem.



QVID, CLVSI, *emeritæ militiæ senex*
Et ſpectate ſatis, caſtra iterum petis?
Aptas quid manui arma,
Quæ olim deſita oportuit?
Quid pergis calamum porro laceſſere?
Vires quid ſtudiis extenuas tuas?
Scribendo ſatis es iam
Partâ clarus adoreâ.
Nullum Sol patuli deſpicit angulum
Orbis, ſeu nitidum quâ caput exerit,
Seu quâ condit in undas,
Qui famam fugiat tuam.
Feſſa ætas requiem iam tua poſtulat,
Et cani tumulum quærere ſuggerunt:
Nec te præterit vlla
Ductâ lux ſine lineâ.
Sic, ſic Luſciniæ carmine blandulo
Noctes ſollicitant atque dies: ſuo
Sic fato properanti
Cygni dulciter accinunt.
Nempe, hoc, CLVSI, agis: ut cùm fragili manus
Vitæ dura tuæ iniecerit Atropos,
(Hæc Lex omnibus vna)
Viuat pars potior tui.
At vos, quos ſtudium Floræ & Apollinis
Exercet, quibus hoc cuſum opus eſt, ſimul,
Et nunc, dicite, multo
Viuat tempore CLVSIVS.

Ioh. ab Hoghelande.

Agere pro lucrifacere, ne quis impingat.

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.


VDOLPHVS SECVNDVS, diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, &c. Comes Tirolis, &c. Agnoscimus, ac vigore præsentium notum facimus vniuersis: Quòd cùm Doctus noster & sacri Imperii fidelis dilectus Carolus Clusius humillimè nobis exponendum curauerit, præ manibus se habere scripta quædam, quæ in publicam vtilitatem edere statuerit; vereri autem ne cùm magnos sumptus in Pictores & Sculptores fecerit, lucri causa alij, quod fieri solet, sibi in fraudem eadem imprimant, aut imitentur, sicque laboris ipse atque industriæ suæ præmio fraudetur ac destituatur; nos considerantes, quàm præclaram iam antè operam in quibusdam lucubrationibus, quæ iam antè fuerunt editæ, posuerit, & quàm nobis exquisita ipsius ac varia eruditio, præcipuè verò etiam in indaganda stirpium & herbarum natura sedulitas atque industria commendentur, quòd multa peregrinis ac remotis in locis didicerit & obseruauerit, multa secum attulerit, quæ rara & luce digna sint, quòd assiduis adhuc studiis in hoc incumbat, vt quæ in antiquis auctoribus abdita & obscura sunt, eruat atq. illustret, vt præclaram nominis sui memoriam posteritati relinquat, benignè ipsi, quod rogat, Priuilegio nostro aduersus omnem fraudem consulere cupientes, præsentium vigore scienter animoque benè deliberato, pro auctoritate nostra Cæsarea seriò decreuerimus, edixerimus, ac statuerimus, quemadmodum præsentium vigore decernimus, edicimus ac statuimus, ne quisquam Typographorum, Bibliopolarum aut aliorum, qui siue imprimendis siue vendendis libris aliáve quacunque ratione negotiationem exercent librariam, intra viginti annos, à prima editionis die numerandos, Caroli Clusij opera duobus tomis expressa, quorum prior Stirpium, &c. historiam continet, altero plerique libelli, &c. ab ipso Latini facti comprehenduntur, & quæcunque præterea idem Clusius edet opera, ipso inscio aut inuito typis seu quocunque alio modo aut charactere, siue integra, siue aliquam eorum partem imitetur, exprimat vel in publicum edat, néve ab aliis edita vel expressa vel aliunde allata intra Sacri Romani Imperij fines vendat, ac distrahat apertè vel occultè. Si quis autem præsens edictum nostrum transgredi aut violare, & prædicta opera recudere & in fraudem prænominati Caroli Clusij edere aut vendere ausus fuerit, eum non solùm eiusmodi

libri

libri exemplaribus, tanquam quæ in commissum ceciderint, memorato Carolo Clusio eiusque hæredibus, vel mandatum ab iis habentibus, ope Magistratus eius loci, vbi deprehensa fuerint, vendicandis priuari, verumetiam mulcta decem Marcharum auri puri fisco nostro Imperiali fraudum vindici, ac parti læsæ ex æquo soluenda ac petenda puniri volumus, ea tamen lege, ne quid ea opera Orthodoxæ Catholicæ Religioni contrarium habeant, & vt tria cuiuscunque operis aut libri exemplaria, vbi excusa fuerint, ad Imperialem nostram Cancellariam transmittantur. Quod si negligatur, hac nostra gratia ac Priuilegio ipse, ipsiusque hæredes excidisse censeantur. Mandamus proinde vniuersis & singulis nostris & Sacri Romani Imperij subditis & fidelibus dilectis, tam Ecclesiasticis, quàm Secularibus, cuiuscunque status, gradus, Ordinis & Conditionis extiterint, præsertim verò iis, qui in Magistratu constituti sunt, ac vel suo vel superiorum suorum loco ac nomine Iuris vel Iustitiæ administrationem exercent, ne quemquam hoc Priuilegium seu interdictum nostrum impunè violare, spernere aut negligere patiantur. Sed si quos contumaces comperierint, præscripta pœna plecti, & quibuscunque rectè fieri potest modis, coërceri curent. Quatenus & ipsi grauissimam indignationem nostram euitare voluerint. Id quod testamur præsentibus literis manu propria subscriptis & Cæsarei sigilli nostri impressione munitis. Datum in Arce nostra Regia Pragæ, die decima quinta mensis Februarij. Anno Domini millesimo, quingentesimo nonagesimo tertio: Regnorum nostrorum Romani decimo octauo, Hungarici vigesimo primo, & Bohemici itidem decimo octauo.

RVDOLPHVS.

Ad mandatum S. Cæsareæ M[tis] proprium.

Iacobus Curtius à Senfftenaw. Io. Baruitius.

VOBIS, *Raphelengij, qui haud exiguos sumptus pingendis & sculpendis Iconibus mecum pariter impendistis, tum ob eam quæ mihi cum Patre vestro & Auo fuit arcta amicitia, vobis inquam permitto, vt hanc meam* EXOTICORVM *Historiam, & adiunctos huic libellos, typis vestris excudatis ac evulgetis: nec alibi alius quispiam intra viginti annos, cupio, siue iubeo, sub pœnis & mulctis, quæ S. Cæsareæ Maiestatis litteris mihi concessis continentur.*

CAROLVS CLVSIVS A.

CAROLVS CLVSIVS
ATREBAS
Benevolo Lectori S.

PROXIMIS *his annis Rariorum Plantarum quas in variis meis Peregrinationibus obseruaui Historiam publici juris feci, cujus lectionem non inutilem fuisse, sed fructum aliquem rei Herbariæ studiosis attulisse, mihi persuadeo: summopere enim curaui, ut nihil nisi quod verum & legitimum esset, in ea traderem. Nunc autem in hac prouecta, imò peracta quodammodo ætate, ad Exoticarum rerum disquisitionem animum applicare cœpi, ut illarum etiam Historiam describere queam. Eam ob causam & amicorum quorundam diligentiâ, & meâ sedulitate effectum est, ut nonnullas adquisiuerim, quarum descriptionem in suas classes distinctam & sex Libris comprehensam, in lucem profero, confidens aliquam etiam utilitatem studiosæ Juuentuti allaturam: nam in illa pleraque Aromata diligenter descripta, & legitimis iconibus ad viuum expreßis (non modicum, meo judicio, momentum ad eorum cognitionem adipiscendam allaturis) illustrata reperiet.*

LONGE *certè plura me adquisiturum speraueram, Batauorum nauigationibus in exteras Regiones adeò feliciter progredientibus: nam & cheirurgis & pharmacopœis qui iisdem nauibus vehebantur, multarum rerum Exoticarum Jndices dederam, quas in illis regionibus, quas adituri, nasci sciebam: imò etiam nonnullos mercatores ejus Societatis, quæ impensas in istas nauigationes facit, obsecraui, ut suis diligenter præciperent, curam adhiberent, ea quorum Jndices dederam obseruarent, & ad nos adferrent: sed hactenus nihil impetrare potui, tametsi multa essent polliciti. Itaque quum sex illi libri ejus molis non essent, ut justum volumen efficere possent, quatuor alios libros iis adjunxi materiam penè similem continentes, quos, ex Hispanico sermone Latinos aliquando feci, & aliquoties recusos videre potuisti: sed eosdem postremâ hac limâ magis correctos & amplioribus scholiis illustratos habebis.*

QVIA *porrò Nicolaus Monardus, primarius, dum viuebat, Hispalensis Medicus, tres libellos Hispanico sermone scripsit, quos Latinè loquentes nondum extare arbitror: illos quia ad artem Medicam*

cam pertinebant, & arcana quædam continebant, cuilibet forsitan non cognita, Latinos etiam feci in tuam gratiam, eosq́; in lucem nunc profero, existimans eorum lectionem prorsus inutilem non futuram.

CETERVM *Petri Bellonii tres Libros, quos de rebus in sua peregrinatione obseruatis composuit, quosq́; ante aliquot annos è Gallico sermone, quo scripti erant, Latinè loquentes faciebam, cum alio ejusdem Auctoris libello, de Neglecta Stirpium cultura agente, quùm nulla ampliùs primæ editionis exempla extarent, ad limam reuocaui & politiores cultioresq́; reddidi, & auctioribus scholiis illustratos in tuum usum denuo publici juris facio, gratum aliquibus me facturum existimans.*

HABES *igitur, Candide Lector, meæ peractæ ætatis extremum laborem, quem si perinde grato animo exceperis, ac alias meas lucubrationes soles; luculentum meorum laborum præmium me consequutum arbitrabor.*

SI *verò Deus Opt. Max. vitam mihi produxerit, ut Societatis mercatorum beneficio alia quædam Exotica adipiscar, quorum Historiam describi sit operæpretium: illam etiam me in lucem producturum polliceor, si mediocri utar valetudine. Vale, & his interea fruere.*

SE-

SERIES TOTIVS OPERIS.

Sex priores EXOTICORVM Libros variam materiam continentes, CAROLVS CLVSIVS nunc primùm in lucem profert.

Quatuor autem reliquos ejusdem pænè argumenti, videlicet
GARCIÆ AB ORTA Libros II.
CHRISTOPHORI A COSTA Lib. I.
NICOLAI MONARDI Lib. I.
idem CLVSIVS Latinos olim faciebat & aliquoties evulgabat: at nunc quintum recensitos, & locupletioribus Scholiis illustratos publici juris denuò facit.

Iis adjunctæ Clarißimi cujusdam Viri utilißimæ in GARCIAM Notæ.

Accessêre

NICOLAI MONARDI Libri III.
à CAROLO CLVSIO jam recens Latini facti,
De LAPIDE BEZAAR, & HERBA SCORZONERA.
De FERRO, & ejus facultatibus.
De NIVE, & ejus commodis.

Præterea,

PETRI BELLONII OBSERVATIONVM Libri III.
De NEGLECTA STIRPIVM CVLTVRA Lib. I.
è Gallico sermone olim in Latinum conversi à CAROLO CLVSIO: jam verò ab eodem diligentiore curâ recogniti & Scholiis illustrati.
Additæ etiam Clariss. cujusdam Viri in Observationes Notæ.

CARO-

CAROLI CLVSI ATREBATIS EXOTICORVM LIBER PRIMVS.

QVANDOQVIDEM *de Exoticis agere institui, ordinem quendam in eorum historia concinnanda tenendum censui, vt videlicet primùm Arbores & Frutices, deinde Fructus, tum Cortices aromaticos, Succos, ac liquores, Radices, & plantas nonnullas, deinde aues & quadrupedes quasdam, postremò pelagicas aliquot stirpes, piscésque describam; eáque omnia in sex libros distribuam. Horum autem Primum, meritò auspicandum duxi ab admiratione prorsus digna Arbore, de qua mihi Viennæ Austriæ agenti in Cæsaris Maximiliani II. aula, ornatissimus vir, multisque peregrinationibus clarus, Fabricius Mordente, Salernitanus (qui aliquot annis Goæ vixerat, & vicina illi vrbi loca perlustrarat) verba faciebat, quum sermones cum ipso de variis rebus conferrem, atque inter ceteras, in mentionem Arborum istic nascentium incidissemus, de quibus sanè multa scitu digna, mihíque auditu iucundissima disserebat.*

FICVS INDICA.

CAPVT I.

EAM porrò Arborem, de qua nobis sermo, in magnam altitudinem, vnico trunco, eoque admodum crasso, assurgere solere asserebat: ramos deinde in omnia circum latera expandere, qui tenues quasdam, easque singulares fibras, sive filamenta (qualia in Cuscuta vulgo nuncupata conspicimus) cerei sive aurei, dum recentia sunt, coloris, deorsum mitterent, ijsque, vbi terram attigissent, firmarentur, novamque quasi prolem generarent, & veluti in novos arborum caudices transirent, qui rursus summâ sui parte novos ramos in latera spargentes, novis denuo fibris deorsum missis sese propagarent. Sic alij deinceps rami in infinitum, vt interdum vnica arbor suis propaginibus mille passus in ambitu occuparet, essetque difficile, quænam primaria arbor, sive omnium istarum prolium parens, dijudicare, præterquam ex trunci crassitudine, quam nonnunquam in matre tantam esse dicebat, vt trium virorum ulnis vix apprehendi quiret. Ceterum non modo inferiores ramos similes fibras spargere, sed etiam in arbore summos, ideoque unicam arborem densissimam silvam efficere. Sub eas verò arbores aditum sibi paraturos incolas, fibras jam in truncos conversas, tenuiores scilicet, rescindere solere, atque eâ ratione veluti concamerationes & umbracula facere, arcendi æstus gratiâ: adeò enim densis ramulis reliqui majores luxuriant, ut Solis radij nullâ ratione penetrare queant: imò concavos istarum fornicum sinus scindere inæqualiter inde resultantem aërem, quæ causa esset, ut Echo multis in locis ter, atque etiam sæpius, humanas voces reddere affirmaret. Vidisse autem (ita mihi referebat) interdum octingentos aut mille viros, quo in numero ipse fuisset, vnius huiuscemodi arboris umbrâ tegi: sed terna etiam hominum millia sub tali arbore latêre posse. Novellos ramos ferre aiebat folia mali cotoneæ folijs similia, supernè viridia, infernè candicantia, & lanugine, sicut illa, pubescentia, mirum in modum *Indica Fic historia.*

ab elephantis expetita, idcirco in illorum pabulum cedere solere: fructus esse extremi pollicis articuli magnitudine, colore foris & intus sanguineo, granisque plenos uti vulgares ficus, dulces quidem & edules, verùm minus grati saporis quàm illæ: nasci autem inter folia quemadmodum vulgares ficus, hoc est in novellis ramis, quâ parte illis inhærent folia. Provenire autem in insula Goa, locisque vicinis.

Hvivs arboris iconem, quàm concinnè fieri potuit, ex Fabricij narratione, accedente etiam ipsius judicio, adumbrari iussimus, eamque in illorum qui hoc studio delectantur gratiam, hîc subjicimus.



Arbores Indicæ vastæ.

Ceterum dispiciendum est, an hæc arbor veteribus fuerit cognita, ejúsve historia litterarum monumentis mandata; quandoquidem illam Indiæ partem, Alexandri Macedonis victoriæ Europæis hominibus etiam aperuerunt. Q. Cvrtivs lib. IX. Historiæ rerum ab Alexandro gestarum, refert, Alexandrum, Poro rege, & Hydaspe amne superato, ad Indiæ interiora processisse: silvas autem fuisse prope in immensum spatium diffusas, procerisque & in eximiam altitudinem editis arboribus umbrosas: plerosque ramos instar ingentium stipitum flexos in humum, rursus quâ se curvaverant erigi, adeo ut species esset non rami resurgentis, sed arboris ex sua radice generatæ.

Plinivs verò lib XII. Naturalis Historiæ cap. v. de Indicis arboribus agens, hæc scribit:

Ficus Indica Plinij.

Ficus ibi exilia poma habet. Ipsa se semper serens, vastis diffunditur ramis: quorum imi adeo in terram incurvantur, ut annuo spatio infigantur, novámque propaginem faciant, circa parentem, in orbem quodam opere topiario. Intra sepem eam æstivant pastores, opacam pariter & munitam vallo arboris, decorâ specie subter intuenti, procúlve fornicato ambitu. Superiores rami in excelsum emicant silvosa multitudine, vasto matris corpore, ut sexaginta pedes pleræque orbe colligant; umbrâ verò, bina stadia operiant. Foliorum latitudo peltæ Macedonicæ [*hanc Xenophon lib.* v. *de Cyri expeditione, hederæ folio comparat*] effigiem habet: eâ causâ fructum tegens, crescere prohibet: rarusque est, nec fabæ magnitudinem excedens: sed per folia solibus coctus prædulci sapore, dignus miraculo arboris: gignitur circa Acesinem maximè amnem.

Meminit & lib. VII. cap. II. Hæc facit ubertas soli, temperies cæli, aquarum abundantia (si libeat credere) ut sub una ficu turmæ condantur equitum.

Strabo item Geograph. lib. v. similem arborem describit, tametsi nullo nomine insigniat, his verbis:

Arbor Indica admirabilis Strabonis.

India multas quidem admirabiles arbores fert: è quibus est, cujus rami ad terram propendent, foliis non minoribus clypeo. Onesicritus curiosius ea persequens quæ sunt in Musicana terra, Indiæ australissima, refert arbores quasdam ingentes esse, quarum rami cùm ad duodenos cubitos creverint, reliquum incrementum pronum faciant, deflexi quousque terram contingant, deinde terram subeant, ac radices agant veluti traduces, mox rursus in truncum exeant; à quo postquam aucti fuerint, eodem modo flectantur, & aliam propaginem efficiant, rursumque aliam: & sic deinceps, ut ab una arbore longum umbraculum fiat, tabernaculo multis columnis nitenti simile.

Ex quibus descriptionibus facile cuivis colligere licet, eam arborem, de qua nobis sermo institutus, illos Auctores intelligere voluisse.

Sed omnium diligentissimè Theophrastus, Alexandri coætaneus, qui haud dubiè eorum narrationes magnâ curâ excepit, qui sub Alexandro in Indicâ expeditione militarunt.

Is enim

Is enim prorſus ſimili modo (paucis dumtaxat notis variantibus) Ficum Indicam deſcribit, qualis illa arbor eſt, cuius hiſtoriam ex Fabritij narratione dedimus.

Plantarum igitur Hiſtoriæ lib. IV. cap. V. ſic ait: Indica autem regio arborem Ficum appellatam habet, quæ è ramis emittit radices ſingulis annis, ut * primo volumine retulimus: demittit autem non ex novellis, ſed ex anniculis, atque etiam vetuſtioribus. Illæ ſe terræ applicantes, veluti ſepem circum arborem faciunt, tabernaculi inſtar, ſub quo etiam homines commorari ſolent. Radices autem naſcentes dignoſcuntur à ramis: ſunt enim candidiores, denſæ [δασεῖαι] diſtortæ, binaque fronde foliatæ [δίφυλλοι:] ſupernè admodum comoſa eſt [ἔχει δὲ τὴν ἄνω κόμην πολλήν] totaque arbor fornicato ambitu pulchrè orbiculata [εὔκυκλον] & valde inſigni magnitudine: nam ad bina ſtadia umbram ſpargere fertur: craſſitudo autem caudicis plus quam ſexaginta pedum [βημάτων] plerumque verò quadraginta. Folium pelta non minus habet, fructum valde parvum, magnitudine ciceris, ficui ſimilem: quam ob rem Græci ficum appellabant. Paucos verò admodum fructus fert, non modo pro arboris magnitudine, ſed omnibus rebus. Naſcitur arbor hæc circa Aceſinem amnem: hæc Theophraſtus, à quo proculdubio Plinius deſumpſit. Ficus Indica Theophraſti. * cap. XIII.

QVVM itaque tam multis notis Ficus Indica à Veteribus deſcripta, cum admirandæ hujus arboris in India naſcentis (cujus vulgare nomen ſibi excidiſſe ſerio dolebat Fabritius) hiſtoria conveniat: eò audacius illi Ficus Indicæ nomen impoſui, præſertim quum illam ipſam eſſe, certo mihi perſuadeam.

ILLIVS etiam meminit Ioannes Hugo Linſcotius, qui ante paucos annos Goâ, ubi aliquamdiu commoratus, redijt, in ſuo itinerario, illam à Luſitanis iſtic habitantibus *Arbor de rayz*, hoc eſt, Arborem radicum appellari dicens, ejuſque iconem exprimens, ſed longè ab hac noſtra diverſam: etenim non ſingulares radices è ramis dependentes, verùm innumeras, illaſque adeo multifidas, ut vix ullam arborem aut fruticem tam variè multipliciterque ſectas radices habere putem: hanc ob cauſam, valde mihi ſuſpecta ea eſt, & quam ex Fabritij relatione delineari curabam, verior, atque ad veterum deſcriptionem propius accedens videtur. Arbor de rayz.

GARCIAM porrò hujus arboris nullam mentionem facere inter tot exoticas locis Goanæ inſulæ vicinis naſcentes, quarum hiſtoriam in Aromatum Libro aſperſit, ſatis mirari nequeo.

FERDINANDVS Lopez de Caſtagneda cap. III. lib. VII. Hiſtoriæ Orientalis Indiæ, meminit cujuſdam arboris naſcentis in provincia Malaca, quam *Mangiu* appellat, radices caudicum inſtar ſurſum attollentem: an hæc noſtra? Mangiu.

CETERVM cum hac arbore quandam cognationem habere videtur ea, quam Ferdinandus Oviedus Primâ parte Generalis & Naturalis Hiſtoriæ Occidentalis Indiæ cap. VI. lib. IX. his verbis Latino ſermone ex Hiſpanico & Italico expreſſis deſcribit.

Mangle arbor eſt, inter eas quæ in Occidentali India vulgariter naſcuntur, ſelectiſſima, cùm ad ædificiorum fabricas, tum ad reliqua fabrilia. Creſcit uliginoſis locis, littore maris, ſalſuginoſiſque fluminum & torrentium in mare delabentium ripis: folia habet majoribus pyri folijs ſimilia, craſſiora tamen, & paullo longiora: ſiliquas binos palmos longas, aut majores, eaſque craſſas, Caſſiæ ſolutivæ fructui pares, fuſci coloris, pulpam inſtar coaguli, ſive oſſium medullæ ſimilem continentes, quâ Indi aliorum eduliorum penuriâ veſcuntur: etenim licet amara ſit, ſalubrem tamen cibum eſſe ferunt. Ego nihilominus ab ejus eſu in morbum incidi, tametſi adeò delicatulus non ſim, nec ab ijs cibis abſtinere in penuria ſoleam, quibus alios veſci video: quinimo nulla etiam vrgente neceſſitate, deguſtare non piget, ut commodius deſcribere queam: eaque de cauſa hunc fructum deguſtabam: ſed brutorum animantium, & ſilveſtrium hominum potius cibus dicendus videtur. Admiranda autem ejus arboris eſt natura; plurimæ enim ſimul creſcunt, multive ejus rami deorſum vergere, & in radices converti videntur: nam præter multos, quos erectos, folijſque onuſtos, atque ab invicem ſejunctos, reliquarum arborum inſtar, habet, frequentibus etiam alijs craſſioribus & tenuioribus ἀφύλλοις ſeſe ad aquam demittentibus, & ſub terra aut arena radices figentibus, prædita eſt; qui, ubi apprehenderint, alios ramos ſurſum vergentes proferunt: etenim non minus firmiter hærent, quàm primarius arboris truncus, ſic ut ex multis caudicibus ſimul connexis conflata videatur arbor; egregio ſanè ſpectaculo, & ſingulari hujus arboris naturâ. Mangle.

NEC etiam abſimilis ea videtur Arbor, cujus, ex relatione Odoardi Lopez Luſitani, Philippus Pigafetta cap. IV. lib. I. Deſcriptionis regni Congo, meminit his verbis, ex Italico ſermone converſis.


Enzanda. In Loanda insula, ad ostia fluminis Coanza, Regni Congo partem perluentis sita, nascitur arbor, *Enzanda* ab incolis nuncupata, celsa & semper virens, singulari naturâ prædita: nam ex eius ramis in sublime elatis, deorsum demittuntur veluti funiculi sive fidiculæ, quæ terram subeuntes, agunt radices; è quibus deinde aliæ plantæ exurgunt, & hac ratione multiplicantur. Sub harum externo sive primo cortice invenitur quasi tela quædam, quâ contusâ, purgatâ, deinde in longitudinem atque latitudinem expansâ, sese tegunt tenuis fortunæ viri & feminæ.

Palma Saccifera.

CAP. II.

ADMIRABILIS etiam est arbor, quæ à Batavis quibusdam nautis in deserta insula hac ratione reperta fuit. Naucleri Batavi nonnulli navigationem in Americam instituerant: in insulam maris Atlantici delati, ad ostia fluminis quod in mare labebatur anchoras jaciunt, & selectis aliquot nautis negotium dant, ut conscenso lembo adversum flumen subeant, & interiora Insulæ perlustrent: parent illi & altiùs flumen penetrant. Interea bellicas quasdam naves Hispanicas in eandem insulam adventare conspiciunt Batavi naucleri in anchoris stantes, quibus quum sese longè impares & navium numero animadverterent, tum etiam virorum, quorum potiorem partem in lembo ablegarant, sublatis anchoris, statim vela fecerunt, desertis suis in Insulæ pervestigatione. Quâ peractâ, ad mare redeuntes, socios cum navibus abiisse comperiunt: itaque non mirum, si valde turbati & afflicti fuerint, videntes se omni spe destitutos, quâ ad suos redire possent. (Commodè verò illis accidit bellicas Hispanicas naves istic non hæsisse, sed suam navigationem prosequutas fuisse.) Quum igitur aliâ navi carerent, resumptis animis, lembo suo mari sese committere ausi sunt: eosque Divina clementia tam singulari favore prosequuta est, ut salvi Amstelredamum anno Millesimo quingentesimo nonagesimo nono pervenerint, non sine ingenti omnium admiratione, & suorum lætitia, qui illos vel ab Hispanis captos, vel ab insulæ incolis mactatos arbitrabantur.

Hæc necessariò dicenda putavi, ante quàm sacci (cujus icon hîc subjecta) historiam aggrederer.



Palmæ saccifera historia. CETERVM nautæ illi in reditu ad desertam quandam insulam sunt delati; *Coronopez* appellasse, mihi relatum est; in qua integras silvas repererunt, nullâ aliâ arbore constantes, quàm Palmæ quodam inusitato genere, cui, ab involucro saccum sive colum referente in quo fructus reconditus (spata enim commodè dici nequit illud involucrum) sacciferæ nomen indidi, quandoquidem formâ valde simile est illi colo siue sacco, quem nivarium Veteres dicebant, & quali hoc tempore pharmacopolæ vinum aromatites (hipocraticum vulgo appellant) percolare solent: nam crebberrimis quibusdam fibris spadicei coloris transversim & obliquè ab infimo ad supremum excurrentibus magno à Natura artificio contextum est, idque variâ longitudine: quod enim ab ornatissimo viro Theodorico Coornhart accipiebam, viginti duas uncias longum erat, & eâ parte quâ patebat septem latum: Willelmus Parduynus vir honestissimus unum habebat, cujus longitudo meum octo uncijs superabat; etenim binos pedes cum semisse sive triginta unciis longus erat: ejus latitudo par cum meo. plura quàm hæc duo mihi videre nô contigit: utrumque autem sensim gracilescens in mucronem desinebat. Ista porrò involucra (ijs referentibus qui ab arbore resciderant) plena fuerant fructibus nucem juglandem cum

externo

externo suo pulvino sive viridi cortice magnitudine æquantibus, in quibus orbiculares aliæ nuces adeo rotundæ, ut torno elaboratæ viderentur, & globulis illis, quos pueri in lusu pollice impellere solent (vulgus Batavorum *Knickers*, Galli *Martres* appellant) essent persimiles cùm magnitudine tùm colore, atque adeo duræ (unam enim confringebam, ut viderem quid contineret) ut nisi ferreo malleo & cum difficultate confringere quiverim, tametsi non valde crasso putamine sint præditæ: continebat autem ea orbicularem nucleum putamini adhærentem, medio cavum, ut qui siccitate lacunam contraxisset, candidum, sapore initio quali leguminum, deinde instar lupini amaro. An verò saccus ille aliquo cortice aut cute tectus fuerit, me latet; nec mihi facultas data est eos conveniendi qui observaverant, ut diligentius omnia perscrutarer: saccum autem qualem accipiebam, cum orbiculari nuce adpingendum curabam, in illorum gratiam qui exoticarum rerum studio delectantur. Knickers. Martres.


Arbor Farinifera.


CAP. III.

NEC admiratione caret hujus Arboris natura, quam illi qui Generoso viro Francisco Drake equiti (dum totum orbem circumnavigavit) comites fuerunt, observabant.

In Ternate enim insula Æquatori proxima, ad Arcticum polum vergente, arboream quandam plantam nasci mihi referebant anno octogesimo primo supra millesimum & quingentesimum, præcedente anno inde reduces, cujus truncus humani femoris crassitudinem æquaret, decem verò pedum altitudinem attingeret, summo fastigio in orbiculatum caput, brassicæ capitatæ instar extuberantem, in cujus meditullio Natura candidam quandam farinam produceret ad illius insulæ homines tenuioris fortunæ sustentandum: eam etenim diligenter colligere, deinde adfusâ, sive inspersâ verius, modicâ aquâ fermentare, pinsere, & in formulas quasdam coctili latere constantes immitti longâ serie, atque prunis ardentibus circumquaque admotis, & super etiam impositis, coquere. Erant verò illi panes sive liba (aliquot enim retulerant) palmaris interdum magnitudinis, uncialis crassitudinis, quibus illius insulæ incolæ recenter coctis & adhuc calidis vesci solerent: at ubi induruissent, tepidâ aquâ macerantes, pultis modo ederent. Insipidi sanè saporis esse, quum degustarem, hic panis mihi videbatur: verùm injecto piperis aut cinnamomi momento cum saccharo (nam sic apparatum etiam degustare libuit) nonnullis delitiæ esse queant. Arboris farinifera historia. Panis ex arboris farina.

Panis è farina Arboris Farinifera.





Ejusmodi panis bina fragmenta, qualia honestissimi viri Hugonis Morgani, nunc Serenissimæ Reginæ Elisabethæ Anglorum pharmacopœi, curâ accipiebam, hac tabellâ exprimi curabam.

AN hæc porrò *Zagú*, cujus meminit Ferdinandus Lopez de Castagneda Indicæ Historiæ lib. VI. cap. XI. & c? Scribit enim ex ejus medulla panem fieri in hunc modum. Zagú.

Medullam exemtam in fictilia injicientes, aquâ salsâ macerant, post aliquot dies soli exponunt, resiccatam mandunt, vel ex ejus farinâ seu polline panem conficiunt, nostro (vidi enim) qui ex secale fit, colore & sapore persimilem. Antonius Pigafetta, qui primus orbem nave, cui insigne Victoria, circuivit, in suo itinerario *Sagu* per *s.* non per *z.* scribit. Sagu.

Nec incommodè fortassis ea censeri possit, cujus meminit M. Polus Venetus lib. III. sui Itinerarij, de regno Fanfur agens, his verbis, quæ de Italico sermone ita reddebam: etenim Latinus interpres satis negligenter suo munere functus mihi videtur.

Arbor vasta farinifera. In ea, inquit, Provincia, vastarum arborum genus est, quas duorum virorum ulnæ vix amplecti queant: harum ademto cortice, qui tenuis est, succedit ligni materies, tres digitos per totum arboris ambitum crassa, medullam in se continens farinaceam, similem [*vernaculo eius sermone vtar*] * *à quella del caruolo*. Hæc in figulinum vas aquâ plenum injecta, baculo agitatur, ut furfures & reliquæ sordes supernatent, puraque farina subsidat: effusâ deinde aquâ, fit è repurgatâ farinâ massa ad varij generis edulia conficienda, idonea, quæ sæpius edisse, & nonnulla Venetias usque detulisse refert, pani hordeaceo, colore & sapore similia. Illius arboris lignum ferro conferri potest, nam in aquam iniectum, sidit illico & mergitur, directeque, ut harundo donax, finditur. Ex eo incolæ lanceas sibi parant, sed breves (longas enim ob nimiam gravitatem nemo ferre posset) quarum extimam partem in cuspidem exacuunt, & adurunt: his quamlibet armaturam facilius penetrant, quàm si ferreâ cuspide munitæ essent.

** cariei lignorum.*

Papyrifera arbor.

CAP. IV.

Richardi Gart Cancellariæ Londinensis Primicerij, viri eruditissimi & humanissimi, tum Hugonis Morgani amicorum munificâ liberalitate anno salutis M. D. XXCI. Londini accipiebam arboris cujusdam librum tenuissimæ membranæ instar, candidum, quo omnis generis scriptura perinde atque chartâ vulgari excipi posset, periculum enim faciebam. Eum verò in Iava, aliarum rerum permutatione, qui generosum Franciscum Drake in illa longa & difficili navigatione comitati fuerant, redemtum retulerant.

Arboris liber tenuissimus.

Istius autem arboris, ni fallor, meminit Antonius Pigafetta in suo Itinerario, ubi refert insulæ Tidore feminas pudenda tegere panno è libro arboris hac ratione confecto. Delibratur cortex, & aquâ maceratus donec mollescat, ligno tunditur, atque quâ libet longitudine ac latitudine diducitur, adeò tenuiter, ut sericei veli instar, venis transversim discurrentibus contextus videatur.

Pannus è libro arboris.

Sed nec prætermittendus elegantissimus ille arboris liber, quem ab honestissimo viro Willelmo Parduyn anno redemptionis humanæ M. D. XCIX. accipiebam, licet non albi esset coloris, sed sub punicei. Erat autem illius libri fragmentum (à quo plus dimidiâ parte resectum fuisse arbitror) pedalis ferè longitudinis, quatuor uncias latum, adeo lævis ubique & æquabilis superficiei, ut ne charta quidem scriptoria magis æqualis sit: id, tametsi neque densum neque crassum, in sex tamen pagellas nullâ difficultate separare poteram, quæ perbellè scripturam admitterent, perinde ac charta scriptoria, nec atramentum transmitterent. Et si quis majorem curam in separando adhibere voluisset, in plures adhuc pagellas haud dubie dividere potuisset. Similem etiam pagellam, latiorem & longiorem, aliquando accipere memini à Iacobo Gareto viro honestissimo, quâ involuta erant tabaci folia, quemadmodum involvere solent nonnulli Americani, dum, ut ejus fumum hauriant, tubum ab altera extremitate incendunt.

Alius arboris liber.

Nec etiam subticendus candidissimi fili glomus, quem idem Garetus illo ipso anno ad me mittebat cum alijs quibusdam exoticis, de quibus suo loco. Eum autem ex arboris cortice confectum scribebat: cujus sanè tenuissima, valida tamen, erant stamina, filo etiam è lino aut cannabi deducto longè validiora, tres pedes cum semisse longa, ex una parte resecta, ut longiora fuisse verisimile esset: ex quibus vittæ & similia ad muliebrem ornatum pertinentia, commodissimè fieri possent.

Fili tenuissimi glomus ex arboris cortice.

Planta Lavendulæ folio.


CAP. V.

Admirandæ etiam naturæ est arbor sive frutex, cujus ramum ex Orientali India in Angliam anno nonagesimo tertio supra millesimum & quingentesimum, delatum fuisse intelligebam: nam qui ad me mittebat iconem Londino, Iacobus

Garetus

Garetus insequente anno, addebat brevem quandam descriptionem, ab eo concinnatam, qui ipsum ramum conspexerat.

Arbor Lavendulæ folio.




Quo autem nomine apud incolas appellaretur, quáve in provincia Orientalis Indiæ nasceretur, non erat adscriptum: propter raritatem tamen, eius qualemcumque descriptionem simul etiam iconem inter alias peregrinas plantas, locum habere volui.

Is verò ramus trium pedum longitudinem non excedebat, crassitudinis diameter circiter duarum unciarum erat, cujus fastigium in nodosum caput nonnihil extuberans desinebat; è quo sesquipedales quinque minores rami prosiliebant, adeò eleganti serie & ordine dispositi, quasi humanâ industriâ fuissent insiti, inferiori ramo facie quidem similes, sed molliores, magis succulenti, qui proculdubio comprehendere & radices agere potuissent, si quis commodo loco telluri committere in animum induxisset. In horum comosis fastigijs folia adhuc inhærebant virentia, formâ, magnitudine & colore lavendulæ folia valde referentia, sed succi plena, aromaticum quidpiam spirantia, medium inter angelicæ silvestris radicem, gummi quod vocant Elemmi, & Cunigundis herbam, qualibus totum ramum vestitum fuisse, ipsa in ramis vestigia indicium faciebant. Ceterùm, quantum ex ramorum resectione colligere licebat, densâ spissaque medullâ, instar sambuci ramorum, præditi fuisse videbantur. *Arboris lavendulæ folio ramus.*

Lignum Exoticum.

CAP. VI.

ANNO à nato Christo millesimo sexcentesimo primo, mittebat ad me honestissimus vir Petrus Garetus Iacobi frater ligni cujusdam fragmentum pedalis longitudinis, crassum in ambitu uncias pæne tredecim, cujusque diameter unciæ quatuor cum semisse, contortum sive tortuosum, satis crasso, lævi tamen cortice tectum, sed qui totus resinæ cujusdam subflavi coloris grumis quasi tessellatim dispositis esset obsitus, odoris quidem, si igni admoveretur, non injucundi, & qui mastichen redoleret, digitis autem nonnihil attrita, valdè friabilis esset. Ligni materies gravis, dura, firma & candicans. *Ligni anonymi historia.*



Ceterùm à Cheirurgo qui fragmentum attulerat, intelligebat, arborem ex qua resectum fuerat, non esse proceram, sed ad octo circiter pedum altitudinem assurgere, lateque sese in multos ramos spinosos spargere, & folia habere instar foliorum spinæ appendicis dissecta, magis tamen virentia, & ad foliorum rutæ colorem accedentia. Nullius autem usus apud incolas esse hanc arborem arbitrabatur, nisi quòd crassiores illius ramos ad quinque pedum longitudinem

gitudinem resectos, viginti aut plures conjunctim in terram figebant, deinde eos subjectis fictilibus incendebant, ad resinam ignis calore liquescentem & diffluentem excipiendum, quâ picis vice suas cymbas illinerent & stiparent.

Crescebat autem ea arbor, referente cheirurgo, in ea Americæ parte, quæ *Punta el Rey* nuncupatur.

Ettalch arbor. An porrò affinis arbori *Ettalch* in Africa nascenti, cujus meminit Ioannes Leo libro IX. Descriptionis Africæ? Ejus sunt hæc verba Latinè reddita. *Ettalch* grandis & spinosa est arbor, folijs Iuniperi, quæ gummi simile mastichi emittit: eo Afri mastichen adulterant, quia odore, & nonnihil colore mastichen refert. Verùm & arboris magnitudo, & foliorum forma refragari videntur, nisi cheirurgus suæ arboris notas rectè exprimere non quiverit.

Lignum Exoticum alterum.

CAP. VII.

QVVM eodem anno primo supra millesimum & sexcentesimum Amstelredami essem (illuc enim Augusto mense cymba vehebar, ut, an naves ex Iava & Moluccis insulis reduces quædam exotica retulissent, perquirerem) mihi donabatur à prædicto Petro Gareto ligni cujusdam peregrini fragmentum pedalis vel amplioris longitudinis, quod postea e Magellanico freto allatum esse ab alio quopiam intelligebam, qui simile fragmentum à Sebaldo de Weert acceperat, sed paullo crassius, atque alia fragmenta longè adhuc crassiora, ut quæ utraque manu complecti vix potuisset, se vidisse mihi asserebat. *Ligni alterius anonym historia.* Illius porrò fragmentum quo donabar ambitus, sex dumtaxat unciarum erat, materia ipsa solida, gravis, meditullio tamen medullaceum quidpiam continens, à quo, velut à centro venæ rectâ fere lineâ ad circumferentiam excurrebant, contrà quàm in plerisque aliis lignis, quæ per transversum secta, orbes quosdam invicem amplectentes ostendere solent, arborum ætatem plerumque indicantes: gemino autem cortice tegebatur, externo scabro & inæquali, coloris quadam ex parte fusci, quadam etiam cineracei, interno verò molliore, & flavescentis sive pallidi coloris; ipsa ligni etiam substantia flavescens, à venis illis pæne æqualiter à centro ad circumferentiam ductis, magnam gratiam & venustatem accipiens: salsus autem ejus sapor; quam salsuginem an ab aquâ marinâ (quâ forsitan maduisset) contraxisset, me latet. Fragmentum porro illud à Sebaldo acceptum, elegantioris & magis flavi coloris erat quàm meum, quia ex crassiore & magis adulto trunco fortè resectum: nullo autem cortice tectum erat.

Quum primùm istud lignum conspicerem, & flavum in eo colorem, dubitabam an affine esset illi frutici spinoso, aliquando etiam in arborem adolescenti, qui frequentes & longiusculas baccas acidulas de uno longo pediculo dependentes profert, Berberis ab Herbariorum vulgo appellatas: sed cum nulla spinarum vestigia apparerent, hærebam. Brevi post ab ipso Sebaldo hac iter faciente intelligebam arborem esse nullis spinis præditam; fructum proferre nigrum, fructui Ideæ vitis nigro, quæ vulgo myrtillus appellatur, & à Belgis *Crackebesien*, sive Ideæ vitis II. (quam cap. XL. lib. I. historiæ Plantarum describo) similem.

Lignum cotis vicem præbens.

CAP. VIII.

SVPERIORIBVS lignis non incommodè subijci posse arbitror ligni illius bina fragmenta, ab his qui anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo è Iava majore redierant, relata: quorum alterum, eorum virorum qui sumtus in eam navigationem potissimùm fecerant, & naves rebus necessarijs instruxerant, munere accipiebam, cum peregrinis quibusdam fructibus, de quibus suo loco in hoc volumine sum acturus Deo volente.

Ligni cotis vicem præbentis historia. VALDE leve porrò erat hoc ligni fragmentum, ut nihil nisi Sambuci medulla quodammodo videretur, fungosâ materiâ constans & candidâ, cortice admodum tenui & quasi membranaceo tecta, cineracei coloris. Interrogatus à me Abdala Guzaratensis, quem Batavi nautæ Amstelredamum advexerant ex Iavâ, ubi aliquot annis vixerat (aliquâ enim ex parte Lusitanicam linguam callebat) quod esset huic ligno nomen, & quis esset ejus usus: de nomine quidem nihil respondebat, sed educto suo cultello, signis mihi innuebat,

nuebat, ad cultrorum obtusam aciem exacuendam inservire: & sanè periculum postea faciebam, atque ad id præstandum valde commodum esse deprehendebam.


Non immerito huic capiti adiiciendum existimavi lignum aliud levissimum, cujus fragmentum Iacobus Garetus anno sexcentesimo supra millesimum Londino mittebat Cl. V. Bernardo Paludano, ut cum aliis exoticis in suo museo reponeret.

Erat verò illud ligni (si lignum quidem appellandum est, nam tota ejus materia nihil nisi fungus videbatur, aut suberis cortex læuigatus) fragmentum pedalis longitudinis, corticis prorsus expers, ejus diameter duarum vnciarum: atque externâ parte ramulorum, qui innati, manifesta vestigia adhuc retinebat, internâ verò orbes quosdam, aliquo spatio ab invicem discretos, quales in aliis lignis transversim cæsis conspiciuntur, arboris vetustatem fere indicare soliti. Nauta porrò à quo redemerat, se eo ligno usum fuisse asserebat fomitis loco, ad ignem conservandum, non secus ac fungo aut ellychnio: ego ex ejus particula recisa, an ita se res haberet, periculum faciebam, atque verissimum esse deprehendebam: color externæ partis fuscus erat, quia forsitan manibus sæpiuscule tractatus, internæ autem flavescens. Verumenimverò non modò ad ignem fovendum idoneum fore arbitrabar, sed suberis etiam vicem præbere posse omnino mihi persuadebam, si eâ abundantiâ, quâ suber, reperiretur. *Lignum fomitis vicem præbens.*

Arbor peregrina ex Guinea.

Cap. IX.

Arborem, cujus iconem in hac tabella expressam damus ab honestissimo viro Petro Gareto acceptam cum ejusdem fructu anno millesimo sexcentesimo secundo à nato Christo, juglandis arboris celsitudinem æquare, nec dissimili cortice tectam esse ferebant, folia laurinis habere similia, ad quorum exortum fructus in ramis nascere- tur, initio quidem viridis, deinde ubi maturitatem adeptus, ejus coloris quem in ejus historia dicam.



Erat porrò is fructus Magni mali instar, & orbicularis pæne formæ: nam ducta à pediculo per longitudinem fructus mensurâ ad alteram partem pediculo proximam, decem unciarum fuisse reperta est, quam ea, quæ fructum transversim per medium ambibat, vix superabat: levis erat pro sua magnitudine, & crasso satisque firmo cortice præditus, foris lævi & splendente, ex flavo spadicei coloris, interdum etiam nigris maculis consperso, internâ autem parte fuliginosi, & nihil continens præter nigrum quendam pollinem. Certè quum illum initio conspiciebam (mittebatur enim primùm solus nullâ additâ icone) cucurbitæ genus quodpiam peregrinum esse censebam, præsertim ob corticem cucurbitæ cortici non valde dissimilem, tum etiam propter levitatem: sed conspectâ icone suis coloribus expresâ, in qua arboris ramus cum fructu & foliis, opinionem mutare non piguit. *Fructus peregrinæ arboris historia.*

Hæc sunt quæ de ista arbore & ejus fructu intelligere potui post longam disquisitionem; quæ benevolum lectorem boni consulturum arbitror.


Juni-

Iunipappeeywa Brasilianorum.

CAP. X.

Iunipappeeywa.

HVIVS Arboris ramulum foliis nucum cum suo fructu, Francofurti ad Mœnum accipiebam anno restauratæ salutis humanæ nonagesimo primo supra millesimum & quingentesimum, Londino missum à doctissimo eodemque optimo viro Richardo Garth Londinensis Cancellariæ Primicerio, quem illico in tabella exprimendum curabam, ut ejus iconem cum historia Lectoris oculis proponerem.



Genipat.

Iunipappeeywa fructus historia.

Mittebatur autem Iuniperi Brasiliani appellatione, quæ vox statim mihi suspitionem injecit, illius arboris esse posse, quam Brasiliani Iunipappeeywa nominant, teste Iano Stadio Hesso, qui apud Tuppin-Inbatios novem & amplius mensibus captivus fuerat, demumque non sine Dei benignitate anno M. D. LV. liberatus est: Thevetus & eum sequutus Lerius, corruptè *Genipat* nomen indiderunt. Hujus porrò præmansi, deinde expressi, succo, Brasiliani corpus atro colore inficiunt. Is autem quem accipiebam, mediocris mali magnitudine erat, orbicularis pænè formæ, supernâ parte paullo planior, & veluti exiguâ coronâ insignitus, denso cortice, & (quia reficcatus) duro, exterius rugoso, & fusco colore, internè lævi & spadiceo: tota pulpa quasi in massulam contracta erat ob siccitatem, plurimaque grana continebat simul juncta, quemadmodum in stramonia conspiciuntur, plana, nigra, rugosa. Ipsam autem pulpam, licet vetustam & prorsus exsuccam, paullulum tamen præmansam, nigro colore inficere, & valde acidi saporis esse deprehendebam. Summo porrò ramulo terni aut quaterni fructus inhæsisse videbantur. Sed & ipse Thevetus suo *Genipat* plures fructus extremis ramis conjunctim nascentes tribuit, & juglandis folia, quorum Stadius non meminit, ut apparebit ex utriusque descriptione, reponenda in Peregrinarum Plantarum Historia, ex variis neotericis Auctoribus, qui suas peregrinationes descripserunt, à me, Deo vitam concedente, concinnanda & in lucem producenda.

Xagua.

Ceterum, an etiam *Xagua*, cujus Oviedus cap. v. lib. VIII. Primæ partis Generalis & Naturalis Historiæ meminit? Certe easdem facultates suæ *Xagua* tribuit.

Arbor peregrina, fructum Ficui similem gerens.

CAP. XI.

CVIVSNAM arboris sit hic ramulus, quem in Cl. V. Bernardi Paludani medici Enchusiani mihi amicissimi, amplissimo, & omnium peregrinarum exoticarumque rerum varietate & copiâ instructissimo museo, conspiciebam anno nonagesimo quinto supra millesimum & quingentesimum, me latet: atque ipse etiam Paludanus ignorabat: ramulum autem mihi concedebat ut describere possem, & illius etiam figuram in tabella exprimendam curarem, in eorum qui simili studio delectantur gratiam; quorum oculis eam subjicio.


Fructus ficui similis.

Erat autem hic ramulus, cum suo fructu in uvæ modum quasi congesto, reficcatus, durus, crasso cortice tectus, gracilis & digitalis longitudinis, coloris ex fusco cineracei, octo fructus exiguorum ficuum instar, crasso brevique pediculo subnixos summo fastigio

sustinens

sustinens, fuliginosi coloris, cineraceis maculis conspersos, duros, & satis solidos: ut quandam affinitatem habere mihi viderentur cum Sycomori circa Tripolim Syriæ nascentis fructu, descripto à Cl. V. Leonardo Rauwolfio medico Augustano cap. IV. lib. I. sui Itinerarij, nisi ipse Paludanus, qui Sycomoros in Ægypto & Syria viderat, me ab ea sententia submovisset.

Fructus ficui similis.



Ceterùm similem fructum cum aliis peregrinis ab honesto viro Iacobo Gareto missum Londino Francofurti ad Mœnum accipiebam anno M. D. XCI. non tamen tam copiosè ramo inhærentem, sed singularem dumtaxat, vel interdum geminum, suis pediculis simul connexum.

Quum porrò hic fructus ficui vulgari valde sit similis figurâ, & nonnunquam etiam adeo pusillus, ut ciceris magnitudinem non multum excedat: an ad ficus Indicæ circa Acesinem amnem nascentis referri non possit, cujus, ut supra dixi, Theophrastus Histor. Plant. lib. I. cap. XII. & lib. IV. cap. V. tum lib. II. de causis Plant. cap. XIV. mentionem facit? Verùm is negat copiosum fructum ferre; & ex Fabriciana relatione, singulares inter folia, vulgarium ficuum instar, nasci deberent. An verò fructus arboris *Gaguey*, quam describit Ferdinandus Oviedus cap. XV. lib. VIII. Primæ partis Generalis & Naturalis Historiæ? *Gaguey.*

Arbor peregrina Lauro-cerasi folio.

CAP. XII.

APVD eundem C. V. Bernardum Paludanum, eodemque tempore, nempe nonagesimo quinto supra millesimum & quingentesimum, binos alios ramulos peregrinarum Arborum conspiciebam, quos mihi concedebat, ut domi majore cum otio observare & describere possem.

Erat autem is ramulus circiter pedem longus, satis gracilis, foris lævis & nigro colore præditus, intus cavus, summâ parte nodosus, quâ nimirum folia alternis inhærebant, ex adverso semper sita, sena aut octona, mali foliis majora, magnitudine & formâ proximè ad Lauro-cerasi folia accedentia, supernè lævia & splendentia, infernè minimè, sed venis à medio nervo in latera excurrentibus insignita, in ambitu non serrata. An perpetuò vireant, nec ne, mihi incompertum; sed fusca erant quæ videbam, utpote resiccata: sub singulorum autem foliorum exortu ad latera singulares nascebantur appendices, summâ parte orbiculatæ, & deorsum inflexæ, sive quodammodo fornicatæ: summo rami fastigio sena aut plura inhærebant vascula brevi petiolo innixa, nuce ponticâ minora, membranacea, & denis nervis distincta, summaque parte in quinque lacinias sive foliola divisa, exili nigro semine plena, satis fervidi saporis. *Arboris folio Laurocerasi historia.*

Quo nomine apud incolas appelletur, aut quis illius apud eos usus, indicare non poterant, qui præcedente anno ex Guinea attulerant, nautæ.

An verò huic simile folium illud, quod à Batavis naucleris anno M. D. XCVII. ex Iava vel Madagascar relatum, *Bravas* vocari Abdala Guzaratensis mihi dicebat? *Bravas.*


Arbor

Arbor peregrina Aurantio simili fructu.

CAP. XIII.

Arboris fructum aurantio similem gerentis historia.

PALMARIS erat alter ramulus, eodem tempore cum superiore è Nigritarum regione delatus, cujus iconem hîc exhibemus, isque quadrangulus, rugosus, nodis distinctus, fragilibus; bini semper ex adverso innascebantur huic ramulo surculi, sustinentes brevi crassoque petiolo fructus, è calyce veluti quatuor squamis constante prodeuntes, uncialis ut plurimum magnitudinis, orbiculatæ formæ, rugosos, nigros, instar arantii parvi resiccati: intus plenos fungosâ quadam pulpâ (cui commixta parva nonnulla grana pæne ut in ficubus) adstringentis initio saporis. Nulla porrò in eo ramulo foliorum vestigia apparebant, ut dubitari possit an hæc arbor ex illarum sit numero, quæ pediculo sive ramulo ἀφύλλῳ suos flores & fructus proferunt, ut aromatici caryophylli.



Lanifera arbor peregrina.

CAP. XIV.

Arboris laniferæ historia.

CIRCA Bantam Iavæ insulæ urbem celebrem, referente Franciscó Roderiguez à Bengala oriundo, qui anno nonagesimo octavo supra millesimum & quingentesimum Amstelredamo cum Batavis in Bantam profectus, insequente anno cum iisdem inde rediit, nascitur arbor procera, multis ramis prædita, quos sepiunt numerosa folia, ut conspicere est in salice, sed illis longè angustiora, & libanotidis coronariæ foliis similia, longiora tamen. Eam ferre dicebat fructus siliquarum pæne instar (quorum uno, quem retulerat, me donabat) sex uncias longos, quinque in ambitu crassos, à pediculo sensim augescentes, cute verius quàm cortice præditos, cineracei coloris, rugosos, extimâ parte mucronatos, in quinque partes dehiscentes, plenos tenuissimo mollissimoque & candidissimo tomento, in quo latebant multa semina nigra, legitimi xyli semine minora, tomento sive lanæ non adhærentia, ut in xylo, sed libera, & circum quinque veluti assulas longas mediam siliquam occupantes, nascentia. Eâ lanâ negabat Franciscus incolas uti ad stamina ducenda, quemadmodum alio xylo, nimis enim brevis est, sed pulvinaria impleri asserebat; ad quam sanè rem commodissima esse mihi videbatur, ut quæ vulgari tomento, imò vel ipsâ etiam plumâ mollior sit. Fructum porrò qualem accipiebam, hac tabellâ exprimendum curabam.



CETERVM

CETERVM annò millesimo sexcentesimo primo, reducibus septem illis navibus ex Moluccis & Iava insulis, nuce myristica, pipere & alio Aromatum genere onustis, alium fructum huic similem, sed majorem & magis integrum, honestissimi viri Petri Gareti diligentiâ adquirebam, suum pediculum durum & lignosum binas uncias longum adhuc retinentem: eum autem fructum observabam non ab imo mucrone in quinque partes dehiscere, ut putaram, sed à summo, videlicet à pediculo, à quo procedunt quinque illæ, quarum memini, assulæ, circa quas semina nascuntur. Intelligebam præterea ab Isbrando Hieronymi filio, cheirurgo, qui nave, insigne sive symbolum Solem habente, vectus fuerat, incolas eo uti non modò ad implenda cervicalia, sed illud etiam ab ipsis in stamina torqueri (aliâ tamen ratione quàm vulgo linum, lana, aut xylum) iisque staminibus suas vestes sarcire.

Sed etiam Sebaldus de Weert mihi affirmabat, arbores similem fructum gerentes in Guineæ maritimis crescere, quæ tamen ampliora haberent folia, quàm Franciscus Roderiguez illi tribuit. Eam ob causam suspicabar, an illa lanifera arbor esse posset, cujus meminit Petrus Bellonius cap. LX. & LXXVII. lib. II. suarum Observationum, quas nos Latio donavimus ante multos annos, & brevi, Deo volente, longè correctiores & aliquot scholiis illustratas, evulgare habemus in animo. *Arbor lanifera Bellonii.*


An verò ea arbor, ex qua teste Philostrato Byssum nasci ferunt, basi quidem Populo persimilem, foliis autem salici?

PORRO quæ Ferdinandus Oviedus tradit de fructu Ceybæ arboris cap. XI. lib. IX. Primæ partis Historiæ Generalis, plurimum cum hoc fructu convenire videntur: nam suæ Ceybæ fructum tribuit similem siliquæ, sive lobo, digitalis longitudinis, & binorum digitorum crassitudinis, rotundum, plenum tenui quadam lanâ, qui maturus Solis calore aperitur, lanamque effundit quæ à vento in aërem spargitur, relicto semine rotundo, xyli semini non dissimili. *Ceybæ fructus.*

Nux Myristica femina.

CAP. XV.

NVCIS Myristicæ sive Moschatæ vulgo appellatæ, quam feminam censent, & apud nos frequenti in usu, historiam; satis perfunctoriè tradidisse mihi videtur Garcias ab Orta cap. de Maci: nec qui hunc per omnia imitatus, Christophorus à Costa cap. de Nuce moschata, multo plura attulit. Horum commentaria ante multos annos in Epitomen contrahebam & Latina faciebam, additis etiam in ea scholijs, & interdum nonnullis figuris, certè in scholio ad cap. de Maci Garciæ, nucis integræ per medium sectæ iconem, ejusdem insuper suo illo crasso operimento liberatæ, ut macis facilius conspici posset, dabam. Quia verò anno à Christo nato millesimo & sexcentesimo, ex insula Banda, in qua sola nasci perhibent, à Batavis recenter allatas conspiciebam muriâ conditas cum suis tenellis ramulis & foliis, illius descriptionem paullò accuratiorem dare conabar, quæ in hunc Primum Exoticorum librum inferatur, & ipsius nucis integræ cum suo ramulo & foliis expressam figuram adiiciendam existimabam.



REFERENTIBVS porrò iis qui in Banda insula fuerunt, arbor quæ nucem myristicam fert, magnâ copiâ istic sponte nascitur, & excelsa est, Pyro haud minor, perpetuo virens, & frequentibus ramis prædita, *Nucis myristicæ feminæ historia.*

B quos

quos teneriores videlicet & virentes, alternatim, non ex adverso, sed inæquali serie ambiunt folia, laurinis prorsus similia, minùs tamen dura, & paullò interdum latiora, sive, ut veriùs comparem, mali arantij foliis propiora, ademptis appendicibus, brevi pediculo nitentia, in ambitu non serrata, sed venis quibusdam à medio nervo in latera excurrentibus insignita: fructus satis crassus est, mali persici magnitudine, orbicularis, nisi supernâ parte pediculo proximâ aliquantulum turbinatus esset: brevi autem pediculo inter folia ramo non inhæret, ut Matthiolus & plerique alij exhibent, sed ex tenuioribus extremis ramulis oblongiusculo crassiusculoque pediculo subnixus, pendet, singularis ut plurimum, quemadmodum ab ipsis Indis, quos Hollandi ex Iava Amstelredamum anno nonagesimo septimo supra millesimum & quingentesimum advexerant, deinde ab ipsis Hollandis triennio post ex Iava, ut dixi, reducibus intelligebam, tum ex ipsis nucibus, suis ramulis qui folia adhuc retinebant, inhærentibus, muriâ conditis, ab Hollandis eo anno relatis, deprehendebam: interdum tamen binas etiam nuces conjunctim nasci, se observasse mihi asserebat cheirurgus, qui Hollandis in ea profectione comes fuerat. Constat autem is fructus denso operimento, quod veluti sulci cujusdam, illum in binas æquales partes dividentis, formâ præditum est, eaq. etiam parte maturum dehiscit, macim sub ipso latentem & nucis corticem retis instar ambientem ostendens, adeò rubentem & elegantem initio, ut admirationem pariat; sed aëri expositus, paullatim illam elegantiam amittit, & flavescentem colorem tandem contrahit. Ex recenti autem oleum extraxerat D. Lambertus Hortensius Medicus dum in Banda erat, rubens admodum, liquidum, & magni ad pleraque usus, præsertim verò ad roborandum ventriculum.

Nux myristica montana. Audio in ejus insulæ montanis illam arborem etiam nasci, sed fructum vix maturitatem consequi: eam ob causam illius nucem negligi, quum adservari nequeat, sed brevi teredinem sentiat, & dumtaxat legi, ut macis adimatur: quæ verò ad nos advehuntur nuces, earum esse arborum quæ in planis & cultioribus locis nascuntur.

Nux myristica mas.

CAP. XVI.

QVIA nemo hactenus (quod equidem sciam) ejus myristicæ nucis oblongioris, quam marem censent, historiam tradidit (nisi eam designare videatur Christophorus à Costa, quum scribit grandiores nuces majoris esse precii apud incolas, & pluris æstimari, quàm apud nos) non inutilem operam me sumpturum arbitratus sum, si ejus brevem historiam, qualem videlicet ex ramo sicco, sua folia & fructum retinente, donato Cl. V. Petro Paawio primario Medicæ artis Professori in Academia Lugduno-Batava, concinnare potui, hîc subiicerem, atque ipsius etiam effigiem Lectoris oculis proponerem.



Myristicæ nucis maris historia. Erat porrò is ramus sesquipedalis longitudinis, crassitudinem autem habens tubi pennæ anserinæ, quo ad scribendum uti solemus, retinens adhuc aliquam ligni præcedente anno nati partem, cineracei coloris cortice tectam, superna autem quæ illo anno quo ramus abruptus nata erat pars, tenerior erat, & multâ medullâ internâ parte prædita, coloremque habebat ex fusco rufescentem: huic ramo inæquali serie adnata erant septena aut octona folia, longè sanè majora & crassiore pediculo prædita, quàm illius quæ nucem moschatam vulgo notam fert: etenim illi folia sunt mali aurantiæ foliis non absimilia, exceptâ illâ appendice, quâ nucis folia carent, & tenuiore pediculo nituntur, gracilioribusque etiam ramulis adnascuntur: hæc verò folia, licet non multo densiora, interdum pedis Romani longitu-

longitudinem æquabant, trium aut ampliùs unciarum latitudinem, magnâ autem ex parte, eorum longitudo septem aut octo unciarum erat, latitudo duarum cum semisse, color parte pronâ canescens, supinâ viridis & splendens: à medio illo crassoque nervo folium per longitudinem medium secante, exoriebantur alij minores tenuioresque nervi, ad folii latera expansi, utrimque quatuordecim aut quindecim, nonnumquam etiam plures, iique non pro folij amplitudine, sed indifferenter: nam in pedalis longitudinis foliis interdum tredecim aut quatuordecim dumtaxat observabam, in iis verò quæ septem uncias solummodo erant longa, quindecim, sedecim, aut plures: tenues præterea, & vix conspicuæ ob folii spissitudinem, obliquæ venulæ per nervorum lateralium interstitia erant sparsæ: &, licet ante multos menses abruptus fuisset ille ramus, atque inter chartas adservatus, non mediocrem tamen acrimoniam, sed suavem & non valde urentem retinebant folia: summo autem rami fastigio inhærebant binæ nuces crasso breviq. pediculo subnixæ, in quo tamen binæ aut ternæ aliæ conjunctim crevisse videbantur, quia adhuc apparebant vestigia ubi adhæserant, atque etiam in ipso rami fastigio bina alia similium pediculorum loca: ut non sine causa Abdala Guzaratensis, qui primâ illâ Batavorum in Iavam navigatione Amstelredamum advectus fuerat, deinde secundâ revectus, mihi affirmaret nucem myristicam (ab illo enim percontabar an singulæ nuces in foliorum alis nascerentur, quemadmodum pingit Matthiolus) juglandis modò provenire, videlicet singulares interdum, binas, ternas, aut plures nonnumquam, & conjunctim in eodem crasso pediculo natas, de hac nimirum nuce mare ipsum voluisse dicere arbitror, quoniam illam quæ nobis in usu, aliter provenire certum est. Ceterùm hæ nuces binas uncias longæ erant, summoque suo operimento tectæ valde rugoso, nec illo quidem valde crasso (quia ante earum maturitatem ramus abruptus) & villum suum amygdalarum instar retinente, ferruginei, hoc est, ex rufo fusci, coloris, in binas æquales partes fisso & hiante, nucemque ostendente suo maci eam reticulatim amplectente septam, cui similem è suo operimento exemptam, suo tamen maci opertam, ab eodem Cl. V. Paawio acceptam, inferiore tabellæ parte, in qua huius nucis ramus cum suo fructu immaturo expressus, adiici curabam: macis autem illud, etiam resiccatum, elegantioris coloris quidem est eo quod aliam nucem ambit, sed multo infirmioribus viribus præditum esse creditur.

Hæc porrò quæ de myristica nuce mare commentari licuit, boni consulere lector dignabitur.


Caryophylli.

CAPVT XVI.

QVVM Octobri mense anno millesimo sexcentesimo Amstelredami essem, binos arboris Caryophyllos ferentis ramos suo fructu onustos valde recentes adquirebam, ut qui præcedente æstate navibus quæ ex Ternate insula decima nona die Augusti anni millesimi quingentesimi nonagesimi noni discesserant, advecti essent. unum quidem singularem pedalis fere longitudinis, cujus formam in subjecta tabella exprimi curabam: alterum longe majorem, sesquipedalem aut cubitalem, summâ quidem parte in quinos aut plures graciles ramulos suo fructu onustos, atq. alternatim ex adverso nascentes divisum, infimâ autem (à qua tres aut quatuor minores rami resecti erant) scriptorij calami crassitudinem non superantem, cineraceiq. coloris cortice tectum, graciliores tenelliq. ramuli eum candicantem habebant, præter extremas festucas ipsum fructum sustinétes, quæ fusci coloris erant: folia angustifoliæ lauri foliis valde similia habebat, minusq. lata iis quæ in ramo in hac tabella expresso, oblongiusculo pediculo prædita, alternis, sub singulorum ramulorum alis ex adverso nascentia, medio nervo singula folia per longitudinem secante, & multis venis utrimq. in latera excurrentibus: extremi ramuli in eas quas modo dixi festucas desinebant, alternis etiam & contrario inter se situ plures pediculos ferentes, eosque ternos ut plurimum, suis petiolis sustinentes alabastros (qui sunt ipsi caryophylli) summâ parte in quatuor denticulos decussatim divisos, medio florem nondum apertum continentes, sed in quorum nonnullis (qui aperti quatuor constitisse videbantur) multa exilia staminula congesta apparerent: tametsi verò folia & cortex non tantâ odoris gratiâ fragrarent, ut ipsi caryophylli, nó tamen prorsus odore destituebantur, sed caryophyllos nonnihil redolebant, atq. etiam eorum saporem referebant, quemadmodú & ipsorum ramorum lignum. *Caryophyllorum aromatic. historia.*

Minorem ramum, secundum quem hæc tabella expressa, mihi donabat Ioannes Langhe cheirurgus Amstelredamensis, qui aliquando in Brasiliam navigavit: Majorem verò nanciscebar curâ & diligentiâ non vulgari Petri Gareti pharmacopœi Amstelredamensis: qui insequente anno alium æquè magnum mihi procurabat, sed foliis orbum, cujus tamen fructus longè acerrimus.

Caryophyllorum porrò flores, intelligebam post diligentem inquisitionem ab iis qui se vidisse affirmabant, formâ non dissimiles esse floribus cerasiorum, eosque non candidos, sed elegantis cærulei coloris esse, quorum singula foliola tribus candidis radiis seu venis essent distincta, staminula verò medium florem occupantia, purpurei coloris.



CÆTERUM (ut mihi affirmabat Wibrandus à Warwick, navis, cui nomen Amstelredamum, Præfectus, totius verò octo navium, quæ anno M. D. IIC. Kal. Maij ex Texela solvebant, Iavam & Moluccas petituræ, classis Viceadmirallius, earum autem trium quæ deinde ex Iava ad Moluccas navigarent destinatæ erant, Admirallius) celsæ sunt Caryophyllorum arbores, nec malis aut pyris apud nos nascentibus minores: crescunt verò illæ (ipso teste atque aliis qui eum comitati fuerant) in Amboyna, Ternate, Motir, Bacian, Marigeran, Makian, Tidore, potissimum: in aliis tamen quibusdam vicinis insulis similiter, sed perparcè: præstantiores tamen censeri, quæ in Makian & Tidore nascuntur.

Hæc sunt quæ de Caryophyllis dicenda existimavi: qui plura volet, Garciæ ab Orta Aromatum historiam consulat.

Ternate insula sterilis.

TERNATE porrò insula, in qua Batavi negotiati, besse sive quadraginta scrupulis unius gradus ab Æquatore versus Septemtrionem distare creditur: circiter octo milliaria in ambitu continere atque satis sterilem esse, hi testabantur, qui illinc redierant, nec ulla animalia esui apta in ea reperiri, præter paucos hœdos, & nonnullas gallinas: sed neque oryzam ferre aut ullas fruges, è quibus panem conficere queant: eam ob causam, ab arbore materiam illos petere necesse esse, quâ panis loco utantur. Eam itaque arborem recisam in multas partes findunt, quas malleis ex crassa harundine factis contundunt, atque inde eliciunt veluti farinam quandam ipsis *Sagge* appellatam (ea haud dubie *Sagu*, sive *Zagu*, de qua supra cap. III. in Arbore farinifera) scobi lignorum, quæ serrâ resecta sunt, similem, ex qua panis satis albi placentas quadrangulas conficiunt palmi magnitudine, quibus non modò vescuntur, sed magnâ ferè ex parte sua mercimonia exercent, harum permutatione alias res quibus indigent, redimentes. Frequens alioqui istic nascitur Palma illa magnas nuces coccos appellatas proferens, & Musa Arabum. Reperiuntur etiam nonnullæ arbores aurantia mala ferentes atque limones. At magna abundantia arborum Caryophyllos gerentium, in collibus & vallibus, quas incolæ harundinibus flagellant, ut fructum decutiant. Et licet hujus insulæ incolæ assiduum bellum gerant cum Tidore alterius vicinæ insulæ, in qua Lusitani vivunt & arcem tenent, habitatoribus, eo tamen tempore quo caryophylli leguntur, sunt inter illos unius mensis aut sex hebdomadarum induciæ, quibus inter se commercia exercent.

Sagge, farina arboris, è qua panis.

Amomum quorundam, an Garyophyllon Plinij?


CAP. XVII.

CARYOPHYLLORUM Aromaticorum historiæ hujus fructus descriptionem subiicio, cùm propter odoris affinitatem quam cum Caryophyllis habet, tùm ob aliam causam quam declarabimus.

Amomi quorundam historia.

Mittebat ad me Londino Iacobus Garetus anno à nato Christo millesimo sexcentesimo primo, hunc fructum orbicularem, piperis grano plerumque majorem, nonnumquam etiam minorem, rugosum, fusci coloris, satis fragilem, qui apertus semen continere deprehendebatur rotundum, nigrum, in binas partes scissile, non minus aromatici odoris & saporis quàm ipse fructus, atque aromaticos caryophyllos quodammodo referentis: botri autem in modum nascitur, ut ex multis granis quæ petiolos suos adhuc retinebant, & binis ternisque granis uni ramulo inhærentibus coniecturam facere poteram: his adjecta erant

erant folia, unius quidem formæ, sed magnitudine valde differentia: nam quædam septem uncias erant longa, tres lata, nonnulla quinque dumtaxat uncias longa, duas cum semisse lata, alia trium unciarum longitudinem non excedebant, & vix duarum latitudinem attingebant, quædam etiam iis longè minora & angustiora, præsertim quæ cum granis permixta reperta fuerant, pro loci quem in ramis aut ramulis occupauerant ratione: nulla autem inter illa reperi quæ serratas haberent oras, sed æquales, omnia, & multis tenuibus venis, à nervo folia per longitudinem secante, in latera obliquè excurrentibus, prædita, eorum mucrone nunc angustiore, obtuso tamen, nunc latiore & quasi orbiculato, cineracei ex spadiceo coloris, & satis acris saporis: ramuli qui additi fuerant, tenues, quadranguli, cineracei coloris cortice tecti, annotini videlicet, qui verò postea nati, spadiceo, retinentes adhuc vestigia ubi folia inhæserant, quæ, ut plurimum, ex adverso nata esse demonstrabant, & illi etiam acriusculi saporis, perinde ac folia, nec ingrati odoris.



Additum præterea erat radicis cujusdam fragmentum cubitalis longitudinis, à nautis, quos ex India rediisse scribebat, relatum cum prædicto fructu & foliis: intelligebat autem ab aliis, fragmentum illud, ab arbore, sive frutice folia illa & fructum ferente, recisum: ejus materia valde dura & firma erat, internâ parte albâ, externâ & sub cortice latente, fuscâ, ob vetustatem forsitan: erat autem gemino cortice tectum, interno quidem satis denso, fuscique coloris & acris saporis, interno verò tenuiore, ex cineraceo flavescentis coloris (quem ex argillacea terra in quâ planta nata, contraxisse verisimile est) acerrimique saporis. Eam porrò radicem multis tenuibus fibris firmatam fuisse, quædam adhuc inhærentes, & aliarum, quæ abruptæ, vestigia apparentia, satis innuebant. Ipse autem Garetus adscribebat, se, licet omni diligentiâ adhibitâ, ut nautas qui hæc attulerant, convenire posset, ad percontandum in qua provincia legissent, & an nomen atque facultates ab incolis intellexissent, illos numquam invenire potuisse. Similem autem fructum, petiolis tamen carentem, aliquot annis ante accipere memini, additâ ejus qui mittebat, interrogatione, an Amomum? Et certè, huic fructui sunt facultates, Amomi quod Dioscorides nobis proponit facultatibus non valde dissimiles: etenim calfaciendi, adstringendi & exsiccandi vim habet; & reliqua præstare posse arbitror, ad quæ Amomum utile esse Diosc. cap. XIV. lib. I. scribit: aliquot tamen notæ, iis quas Dioscorides suo Amomo tribuit, non respondent, veluti folia quæ Bryoniæ foliis dissimilia, radix crassior, quàm ut fruticis videri queat, tametsi in quibusdam fruticibus nec minores nec minùs crassas, quàm hæc sit, quæ mihi missa, observare meminerim, vt in Cisti plerisque generibus, & quibusdam aliis. Sed iudicio iis relicto qui in his rebus sunt me peritiores, & magis exercitati, satis officio me perfunctum existimabam, si ea quæ de fructu, foliis, ramulis, & radice observabam, benevolo lectori proponerem.

CETERVM, hunc exoticum fructum diligentius consideranti, primarias quasdam notas reperio, quæ me plurimum movent (proferam enim ingenuè quod sentio) ut Plinij Garyophyllon esse censeri possit. Nam is Naturalis Historiæ lib. XII. cap. VII. posteà quàm de Pipere egit, hæc subiicit: Est etiamnum in India piperis grani simile, quod vocatur Garyophyllon, grandius fragiliusque. Tradunt in Indico luco id gigni. Advehitur odoris gratiâ. Tametsi brevis hæc sit & succincta descriptio, nec ullas facultates fructus ipsius contineat, habet tamen insignes notas, quæ cum iis, quas fructus quem Lectoris oculis subiicio possidet, collatæ, valde similes deprehendentur, veluti comparatio cum piperis

Garyophyllon Plinij.

granis, illis tamen esse grandiora fragilioraque, ut plerumque hæc sunt grana, licet etiam parva reperiantur, odor gratus, & ad caryophyllos aromaticos, qui nobis in usu, valde accedens, cujus gratiâ Plinij tempore adferebatur. Et certè hunc fructum manducatum, oris halitum gratiorem reddere comperiebam: ad multos præterea alios usus utilem fore credibile est, si quis periculum faceret.

Harundo Indica.

CAPVT XVIII.

Harundinis ingentis historia.

ADMIRANDÆ magnitudinis fuerat illa Harundo, cujus fragmentum, Octobri, anno nonagesimo quinto supra millesimum & quingentesimum, Iacobus Garetus, ad me Londino usque mittebat, fratris Petri Amstelredami commorantis operâ, ut conspicerem. Nam fragmentum illud sex nodis constabat, quorum singuli pedem Romanum & quatuor uncias inter se distabant; octo igitur Romanos pedes longum. Ejus diameter infimâ parte quinque unciarum, circumferentia decem & sex, internodij longitudini respondens; ipsius verò ligni sive materiæ spissitudo paullò major unciæ triente: supernâ autem parte diameter pænè unciarum quinque, circumferentia quasi æqualis infimæ parti, ligni spissitudo triens unciæ. Ex quibus notis quilibet æstimare potest, quanta fuerit totius harundinis longitudo. Erat porrò totum fragmentum laccâ rubrâ, quâ obsignari epistolæ solent, foris inductum, quemadmodum magnâ ex parte moris est apud Sinenses, vascula, canistra, ligneas lances, atque etiam ipsas hastas inducere, ut ab imbre, alióve humore non corrumpantur. Ceterùm harundinis illud fragmentum inventum fuerat in magna Prætoria navi, quâ vehebatur Prorex Indiæ domum repetens, quum ab Anglis quibusdam naucleris interceptus est anno redemptionis humanæ M. D. X C I I I. & illud quidem (ut qui mittebat, ad me scribebat) plenum Anil sive Indico, quo cæruleo colore inficere solent, cujus indicium interior fragmenti pars adhuc conservabat.

Verumenim verò multo longiora referebant, qui anno sexcentesimo primo supra millesimum à nativitate Christi nostri salvatoris ex Orientali India revertebantur nautæ: quorum bina in Academici horti porticu apud Lugdunum Batavorum suspensa conspiciebam, illaque utrimque mutila: horum minus, viginti sex pedes Romanos longum erat, ac decem & novem internodiis constabat, crassitudo infimâ parte decem & septem uncias ambitu comprehendebat, supernâ, quatuordecim: majus, illud sesquipede longitudine superabat, & tribus unciis crassitudine: singulorum internodiorum longitudo in utroque, circumferentiæ partis inferioris ut plurimum respondebat, nonnumquam longior aut brevior erat: materiæ spissitas ferè par cum ea quæ primò descripta, hoc est, triens unciæ. Eas harundines donabant Societatis mercatorum præfecti Cl. V. Doctori Petro Paawio Professori publico, Academici horti Præfecto, & Academiæ, illo anno, Rectori. Quàm verò proceræ fuerint integræ illæ harundines, ex mutilis licet conjecturam facere.

Hoc porrò caput de Harundine, Piperis historiæ præponendum duxi, quia juxta piperis plantas interdum terræ solent infigere incolæ, ut eas alioqui caducas, sustinere queant.

Mambu.


Ceterùm harundinis istud genus, toto Malabarensi marino tractu nasci, præsertim autem circa *Choromandel*, testis est Hugo Linscotius, qui ab incolis *Mambu* appellari scribit, & adhuc tenellum & viride inflecti solitum, ut magis aptum reddatur ad gestandum pendentes ex eo lectulos, ipsis *Pallankins* dictos, quibus insident cùm viri, tum mulieres, dum aliquò transferri cupiunt.

Piper nigrum.

CAP. XIX.

TAMETSI Garcias ab Orta, & hunc sequutus Christophorus à Costa (quorum Historiam Aromatum ante multos annos Latinam faciebam) de Pipere commentati sint: quia tamen his proximis annis Batavi qui in Iavam navigarunt, & ad Moluccas usque insulas etiam penetraverunt, aliquot ejus sarmenta cum foliis, ipsáque adeò radice, atque qui inter illos magis curiosi, etiam ramulos cum suo fructu immaturo inhærente retulerunt; & horum unum, cui folia & fructus inhærebant, tum etiam sarmenta quædam, amici curâ & diligentiâ nanciscebar: operæpretium me facturum existimavi, si ex illis notis quas in planta & ramis siccis observare potui, ejus histo-

riam concinnarem, & ramuli cum suo fructu & foliis, radicisque parte à perito pictore in tabella expressi figuram hîc subiicerem.



VALDE autem sarmentosa est Piperis nigri planta, & adeo imbecillis atque caduca, ut nisi pedamentis fulciatur, aut juxta arborem aliquam, circa quam sese convolvere possit, pangatur, humi procumbat & spargatur, perinde ac lupus salictarius: lenta verò & flexibilia sunt ea sarmenta, frequentibusq. nodis sive geniculis distincta, &, quæ humi sparsa, multas fibras ad singula internodia agunt, quibus se humi figunt, quemadmodum clematidis aut periclymeni flagella, ut in illorum nonnullis observabam, quæ fibras adhuc retinebant: sic ut in illarum plantarum numero reponendam censeam, quæ facile pangi possunt: sarmenta porrò ad singulos nodos singulare folium proferunt alternatim, hoc est, nunc in hac, modò in altera sarmenti parte nascens, hederaceâ quodammodo formâ, vel ejus cyclaminis quod hederaceo constat folio, cui tamen anguli desint, neque adeo crassum sive spissum, verùm multo tenuius, interdum verò adeo latum, ut quatuor unciarum latitudinem æquet, & quasi orbicularem formam adquirat, nisi in mucronem desineret: maximâ verò ex parte binas dumtaxat uncias latum, quatuor longum, breviter Tambul sive Betle folio adeo simile, ut alterum ab altero vix discerni queat, nisi piperis folium paullò durius, & nervos illos per folij longitudinem excurrentes paullò crassiores habere mihi videretur: nec illud in ambitu serratum est, ut quidam pinxere, sed prorsus æquale, & nihil similitudinis habens cum mali Assyrij folio, ut nonnulli tradunt: omnia verò folia quinque nervis sunt prædita, quorum medius & crassior, medium folium per longitudinem secat, reliqui quatuor minus crassi ab illo oriuntur, utrimq. bini, in latera secundum folij pænè longitudinem expansi, & illi quidem in nonnullis foliis æqualiter ex opposito nascentes (ea Christophorus à Costa feminei sexus ab incolis censeri scribit) in aliis verò inæqualiter oriuntur, neque istam proportionem servant (hæc ab incolis masculini sexus appellatione donantur, asserente eodem à Costa) sint'ne porrò quæ feminini generis censentur, dilutiore viriditate prædita quàm quæ pro masculini generis foliis habentur, nihil pronunciare queo, quum sicca dumtaxat folia viderim: sed quandoquidem in eodem sarmento utriusque formæ nata conspexerim, vix mihi persuadere possum, colore inter se variare: illud autem observabam, utraque, licet resiccata, pronâ parte dilutiora esse quàm supinâ, atque per universum folium venulas obliquas transversim evagari, insuper non mediocrem acrimoniam adhuc retinere. Uvæ porrò ad ramorum internodia nascuntur teretes & oblongæ, multis granis orbicularibus nunc majoribus, modò minoribus ipsi scapo sine petiolo adnexis constantes, & illæ quidem non ex foliorum ala, hoc est, inter sedem pediculi folium sustinentis & ipsum sarmentum, sed ex altera sarmenti parte, folij pediculo videlicet opposita, quemadmodum ex adposita figura ad vivum expressa videre licet.

Ceterùm illam acrimoniam non modo retinent sicca folia, sed etiam ipsa sarmenta, atque (quod magis mirum) ipsa radix quæ sub terra latuit, ut ego experiebar. Qui plura de Piperis nigri planta scire desiderat, Garciam ab Orta & Christophorum à Costa consulat.


De ea autem Planta quæ album Piper profert, nihil à me hîc expectandum, quum illam nondum videre mihi contigerit: sed si Batavorum, qui piperiferas regiones nunc adire solent, operâ nactus umquam fuero (nullis enim sumptibus parcam, ut eam adquirere possim) efficiam, ut benevolus Lector (Deo tam longam vitam concedente) quæ de illa planta didicerim, intelligat. Nunc ad Piperis longi historiam propero.

Piperis nigri historia.

Piper longum.

CAP. XX.

PLANTAM quæ longum Piper profert, ab eâ in qua nigrum naſcitur, longè diſſimilem eſſe ſcribit Garcias ab Orta in ſua Aromatum hiſtoria: ſed (quod eius viri pace dictum volo) plurimum fallitur, meâ quidem ſententiâ. Nam plantæ Longum Piper ferentis ramulum pedalem ternis foliis & binis fructibus præditum anno à nato Chriſto primo & ſexcenteſimo ſupra milleſimum Amſtelredami dono accipiebam ab eruditiſſimo viro Doctore Lamberto Hortenſio, qui eodem anno ex Iava redierat, ibidem ab ipſo decerptum; acceperunt & nonnulli ab aliis illo etiam majores, ſed omnium folia à Piperis nigri foliis non multum differre mihi videbantur, niſi quod paullo teneriora dilutioreque viriditate prædita eſſent, meâ opinione, tùm etiam breviore pediculo ſubnixa, atque etiam pluribus nervis inſignita: nam à medio illo nervo folium à pediculo per longitudinem ſecante, non modò quaterni alii nervi exoriebantur, ſed utrimque quini & ſeni, interdum etiam plures, pro foliorum videlicet amplitudine, illi tamen minùs eminentes quàm in nigri foliis, & inæquali ortu nati, multis etiam obliquis venulis per folium tranſverſim evagantibus: & licet reſiccata eſſent ea folia, ac per multos menſes inter chartas adſervata, non levi tamen acrimoniâ erant adhuc prædita. Fructus, qui iuli quodammodo formam æmulabantur, oriri etiam conſpiciebantur ad ſingula internodia, non in folii alâ: ſed quemadmodum in Pipere nigro, ex ipſius folii oppoſita parte, in altero videlicet ramuli latere, atque etiam alternis, perinde ac in Pipere nigro: erant verò illi fructus modò longiores, modò breviores, quaſi ex multis granulis eleganti ſerie ſecundum pediculi longitudinem congeſtis conſtantes, virides tamen, quia ante maturitatem lecti; in quibuſdam autem ramulis adeo tenellum fructum conſpiciebam, ut jam primùm natus videretur, quum ramuli abrumperentur. Horum etiam ramulorum internodia ſive articuli, breviore ſpatio ab invicem videbantur diſſiti, quàm in nigro. Nulla autem iſtius Piperis ſarmenta vidi, ſed, ut dixi, ramulos dumtaxat ab ipſa planta abruptos, quorum magis integrum in tabella adpoſita à perito pictore exprimi curabam.



CAROLI

CAROLI CLVSI ATREBATIS EXOTICORVM

LIBER SECVNDVS.



BSOLVTA *Primo Libro peregrinarum Arborum, quas quidem nancisci mihi licuit, historia; hoc Secundo de peregrinis Fructibus, quos singulares, nec ullo ramo inhærentes, vel ipse adquirere, vel ab amicis habere potui, mihi concessos ut describerem, sermonem instituere, & illos (quia magna varietas) in classes quasdam distribuere animus est.*

BAOBAB sive ABAVI.

CAP. I.

SECVNDVM Librum exordior ab elegantissimo quodam & magno fructu, quem Londino ad me mittebat Francofurtum anno à nato Christo nonagesimo primo supra millesimum & quingentesimum, vir mihi amicissimus Iacobus Garetus, à nautis qui ex Æthiopia redierant redemptum. Hunc verò, tametsi nullum nomen additum, simulatque conspiciebam, Cl. V. Prosperi Alpini *Baobab* esse iudicabam: per omnia enim ferè respondere comperiebam cum fructu quem eâ appellatione depingi curavit (alteram picturam ramum cum foliis exprimentem, non magnoperè moror) licet hujus fructus historiam satis negligenter describere videatur, exceptis his quæ de ejus facultatibus sunt. Hic autem quem à perito pictore exprimi curabam, major eo quem exhibet videbatur, ut qui pedem Romanum longus esset, decem & sex uncias in ambitu crassus, sulcis quibusdam, sed vix apparentibus, secundum longitudinem distinctus, iuxta pediculum minùs crassus, & in extimo mucronatus, cortice denso & crasso præditus, fragili tamen, si nimium comprimatur, & brevi quadam lanugine seu flore virescente (nisi ubi detersus erat) obsito, triunciali pediculo, interdum tamen (quemadmodum in alio fructu longè meo minore, observabam) cubitali, crassitudine digitali, valde fibroso. Multos habebat hic fructus internâ parte nervos, ab infimo, sive à parte quæ pediculo inhæserat, ad summam fructus partem excurrentes, & fibras in latera sparsas, inter quas pulpa sive substantia satis friabilis, alba, gustu acido, in qua latebant semina exilium renum formam referentia, duro fuscoque putamine tecta, nucleo albo, non ingrati saporis, prædita: sed & tenues quædam fibræ, veluti cincinni per albam illam pulpam sparsæ erant, etiam nonnullæ ipsorum seminum umbilico inhærebant, ut ex eis suspensa viderentur, quemadmodum in binis aut ternis ejusmodi fructibus observabam. An verò substantia illa sive pulpa quam continet, humida sit dum recens est, ut Alpinus suo Baobab tribuit, me latet, quandoquidem nullum recentem fructum conspicere mihi hactenus contigerit: certè rubram esse non arbitror, quum in binis quos habui fructibus candidam & valde friabilem repererim: verum quidem est, in vetustis magis fuscam esse, qualem in eo fructu quem Cl. V. Honorius Bellus *Abavo* nomine ad me postea mittebat, deprehendebam: sed omnium pulpa, ut est friabilis, non lenta, sic etiam acida est. Itaque nihil mirum, si Æthiopes utuntur ad extinguendam sitim, sitque utilis ad ea quæ Alpinus cap. de Baobab, lib. de plantis Ægypti tradit: sed quòd pulpæ saporem, quem ipse acidum fatetur, cum terræ Lemniæ sapore comparat, fallitur, meâ quidem sententiâ: adstringit certè illa habetque omnes eas facultates quas ipse illi tribuit, aciditatem tamen numquam in illa deprehendi, tametsi selectissimam ab aliquot Cæsareis Legatis, quos Turcarum Imperator tali munere atque aliis, finitâ legatione discedentes prosequi solet, dum in Cæsaris aula vivebam, aliquo-


Baobab fructus historia.

Abavo.

aliquoties acceperim, Augerio Busbequio videlicet, Carolo Rymio, Davide Vngnadio, & Sifrido Praynero, Friderici (qui in suæ legationis munere Constantinopoli obiit) fratre, quum ejus sarcinas recepisset: nec etiam ullam adstrictionem in hujus fructus & Abavo pulpa percipiebam. Cujusmodi porro foliis sit prædita illa arbor in qua hic fructus natus, ignoro: diversa tamen esse ab iis arbitror, quæ Alpinus suæ Baobabiferæ arbori tribuit & adpingit, nisi recens semine natam conspexerit. Nam Bellus Abavo plantas habuit semine natas, ut ex quarta epistola ad me data (quam ad calcem meæ rariorum Plantarum historiæ cum aliis ipsius epistolis de variis plantis agentibus adjectam volui) apparet, quarum prima folia mali quidem citrij foliis similia fuisse scribebat, nullo pediculo subnixa; at ubi caudex pedalem altitudinem nactus fuisset, in ramos spargi cœpisse, foliaque adquisivisse

Abavo folia. longiore pediculo prædita; & illa non singularia, sed initio bina, deinde terna, quaterna, & tandem quina ex eodem pediculo prodeuntia, quemadmodum in pentaphylli, lupini, castaneæ equinæ foliis videre licet, quorum medium folium reliquis majus est, deinde illi utrimque proxima: reliquas notas ex prædicta ejus epistola petere ne sit grave. Et sanè, ejus Abavo, ab hoc, quem exhibeo, fructu differre non arbitror, tametsi is quem illâ appellatione ad me mittebat, extimam partem non mucronatam, ut meus, sed obtusam haberet: pulpa tamen præter colorem (quia forte vetustior) similis substantiæ, friabilis, & semina prorsus similia, nec dissimili nucleo prædita: ejus autem longitudo unciæ octo cum semisse, crassitudo unciæ duodecim, hoc est, ejus ambitus pedem Romanum æquabat.

Sed & alium ejusmodi fructum, quadriennio aut quinquennio post à jam dicto Gareto accipiebam, cujus longitudo unciæ decem, crassitudinis ambitus unciæ novem dumtaxat, ut etjam in eadem arbore fructuum magnitudo sæpe dispar est: hic pulpam omnium candidissimam habebat, semina aliis similia, pleraque (pulpâ attritâ & in pollinem comminutâ) ad umbilicum à fibris dependentia.



Calabacera. Similem præterea fructum apud amicum conspiciebam è Gorgadibus anno à Christi nativitate millesimo sexcentesimo allatum, & à Lusitanis istic habitantibus, ut intelligebam, *Calabacera* appellatum, propter similitudinem quam cum Cucurbita habet: sed is minus crassus erat illo quem propono, & graciliore mucrone præditus, non dissimilis illi qui in scholio ad cap. XI. lib. II. Historiæ Aromatum Garciæ ab Orta pro Guanabano Scaligeri fortè positus: pediculi autem longitudo binos pedes Romanos æquabat.

An porrò affinis non est fructui ejus arboris cujus Thevetus cap. X. lib. Singularium Americæ

Americæ meminit his verbis: Tres sunt insulæ ad Æthiopum promontorium, Caput viride vulgo appellant, in quarum una, arbor invenitur folio nostratis fici, (an rectè observarit folij formam nescio) fructu Cypriis cucurbitis haud absimili, duorum fere pedum longitudine, & crasso. Nonnulli eo fructu vescuntur ut nos Melonibus: continet verò semina fabæ magnitudine, leporinis renibus similia. His quidam simias alunt, alii monilia ex iis collo aptanda conficiunt: siccata enim & bene matura, aspectu pulcherrima sunt.

CETERVM *Abavo* folia, qualia in plantis semine adquisitis, sibi nata, Bellus cum fructu ad me mittebat, in adposita tabella exprimenda curabam, singularia, gemina, quina, & illa quidem contractiore formâ quàm nativa quæ accipiebam.


Macocqwer Virginiensium fortè.

CAP. II.

ISTVM peregrinum fructum Londino etiam ad me mittebat Francofurtum eodem anno nonagesimo primo supra millesimum & quingentesimum idem Iacobus Garetus ex *Wingandecaow* Provincia, quam Angli (à quibus primùm observata) *Virginiam* nuncuparunt, relatum.

Erat autem prorsus orbiculari formâ, quatuor unciarum diametro, cortice duro præditus, foris lævi & subfusco, internè nigrâ membranâ inducto, per quam sparsæ quædam fibræ à pediculo ad summum: continebat verò pulpam nigram (quia non recens sed siccus & vetustus) acidique & quodammodo salsi saporis, in qua plurima grana involuta, subfusci coloris, plana, & cordis (ut vulgo pingitur) formam referentia, medullâ albicante prædita. *Macocqwer fortè fructus historia.*

Quum porrò hic fructus ex Virginia relatus esse dicatur, facilè mihi persuaderi sinam illum esse, quem ejus regionis incolæ *Macocqwer* appellant, & (magno aliquo periculo liberati, vel bello defuncti, in lætitiæ signum, structo igni assidentes) pulpâ seminibusque exemtis, implent lapillis aut crassioribus quibusdam granis, ut majorem strepitum agitatus & commotus edat, bacilloque aptantes manu tenent, perinde ac Brasiliani suum *Tamaraca*, sed nullis pennis ornant. Integrum autem fructum, & per medium sectum, in hac tabellâ exprimendum curabam.



Similem deinde anno secundo supra millesimum & sexcentesimum à Christi nativitate, conspiciebam apud eruditissimum juvenem Ioannem de Laet Ioan. F. qui illo anno Amstelrodami redemerat ab iis qui in varias provincias navigant. Orbicularis verò formæ non erat, ut meus, sed paullò oblongior, fusco colore præditus, qui, me præsente, apertus, nigram pulpam superioris pulpæ prorsus similem, quâ grana, alterius granis non dissimilia, erant involuta, continere deprehendebatur.

CETERVM hic fructus non valde dissimilis videtur *Higüero* tetrasyllabo Ferdinandi Ovidi, quem Generalis & Naturalis Historiæ Parte prima lib. VIII. cap. IV. describit his verbis: *Higüero* arbor est prægrandis, instar Mori nigræ: fructum ferens Cucurbitæ rotundæ similem, vel interdum oblongæ. Qui rotundus est, exactâ rotunditate spectatur: ex eo *Higüero Ovidi.*

pateras


pateras & alterius generis vaſa conficiunt. Materie eſt ſolidâ atque aptâ ad ſedilia, ſubſellia, ephippia, aliaque opera fabricanda; mali enim medicæ aut punicæ materiei ſimilis eſt. Cortice facile delibratur: folio eſt oblongo, anguſto, ſummâ cuſpide latiore, à qua ad pediculum uſque paulatim gracileſcit. Indi nonnumquam præ aliorum fructuum penuriâ, ejus pulpâ veſcuntur, quæ cucurbitæ pulpæ, dum adhuc viret, ſimilis eſt. Cortici color cucurbitæ. Maximus ejus fructus libram aquæ continere poteſt, minimus verò pugnum magnitudine non excedit. Hactenus Oviedus. Nos etiam ejus meminimus in ſcholio ad cap. XI. lib. II. Hiſt. Aromat. Garciæ ab Orta: Ejus præterea mentionem faciemus, in Peregrinarum plantarum hiſtoria, quam, Deo vitam conſervante, ex variis Auctoribus concinnare habemus in animo.

Peregrini fructus ſquamoſi.

CAP. III.

PROPTER affinitatem quam aliquot ſequentes fructus cum pineis nucibus & abiegnis ſtrobilis habere videbantur, ſquamoſos appellabam. Illorum tres, quorum hiſtoriam hoc capite ſcribendam ſumpſeram, in ſubjecta tabella exprimendos curabam.

Fructus peregrin. abiegnæ nuci ſimilis.



HORVM Primum, qui abiegnæ nucis erat facie, anno nonageſimo quinto ſupra milleſimum & quingenteſimum conſpiciebam apud Cl. V. Bernardum Paludanum in inſtructiſſimo ipſius muſeo: cui ſimilem eodem anno adquirebam. Cylindroide autem erat formâ, tres uncias longus, binarum unciarum ejus ambitus, multis veluti ſquamis imbricum modo diſpoſitis conſtans, in medio nonnihil compreſſis, oris tenuioribus & quodammodo villoſis, inſtar pænè abiegni ſtrobili, ſed brevior, colore ſpadiceo (qui in meo fuſcus & villis carens, quia forte vetuſtior) gravis, & nucem vel nucleum continens, nam agitatus crepitabat & ſonitum edebat, quemadmodum & ille quem mihi dono dabat ſexennio poſt, nobiliſſimus vir Paullus Choartus Buzenvallius, Chriſtianiſſimi Regis apud Illuſtriſſimos Ordines confœderatarum Provinciarum, Legatus; cui deterſi etiam erant (ſi quos habuerat) villi: brevi fragilique pediculo ſubnixi fuiſſe videbantur omnes: nucleum autem illum, qui in ſimilibus fructibus, oblongæ eſſe formæ obſervabam, durum, ſolidum, quique confractus, crebras venas oſtendebat, quales nux Fauſel & nux moſchata habent: & cui ſimilem olim nuci Fauſel ſive Arecæ adiicere memini, in ſcholio ad cap. XXV. lib. I. Hiſtor. Aromat. Garciæ ab Orta, ſub Avellanæ Indicæ oblongi generis appellatione. Similes etiam nuclei deterſi & lævigati, interdum obtrudi ſolent ab impoſtoribus, pro inſigni aliquo & raro lapide; nam lævigati candicantem contrahunt colorem, cui inſperſæ nigræ venæ, magnam addunt gratiam & elegantiam. Qualis verò eſſet ea arbor quæ ſimiles fructus gignit, me latet. Plurimum tamen
Palma-pinus. accedere videbatur ad Palmam-pinum exhibitam à Cl. V. Matthia Lobelio, præſertim eam quæ ſingulari eſt fructu: ſed ſquamas ad pediculum converſa illa habet, niſi fortè is Palmæ-pini fructus perperam eo ſitu in ramulo delineatus fuerit: quod tamen aſſerere non auſim, quandoquidem anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo, exilem quendam fructum Amſtelredami nanciſcebar ſquamulis præditum ad petiolum converſis, quem propterea ſecundum locum in eadem tabella obtinere volui.

Fructus exilis Canna de Bengala creditus.

ERAT verò parvæ avellanæ nucis magnitudine, valde elegans, orbicularis, niſi extima pars in mucronem deſiiſſet, petiolus cui inhærebat, brevis, tribus appendicibus veluti calice


calice fructum imâ parte apprehendens, qui tamquam squamulis serie quadam in obliquum dispositis constabat, ab extimo versus petiolum vergentibus, contrario prorsus, quàm in præcedente, situ. Flavescebat autem & inanis erat. Si verò Abdalæ Guzaratensi, quem dixi à Batavis naucleris illo ipso anno ex Iava advectum fuisse, cuique eum fructum Amstelredami ostendebam, percontans an agnosceret, fides est adhibenda, Cannæ de Bengala fructus est, sed exilis & immaturus. Franciscus tamen Roderiguez è Bengala ipsa oriundus, sibi notum esse negabat.

AN porrò ejus generis ille fructus, quem, ut describere possem, anno millesimo quingentesimo nonagesimo nono, extremo Octobri, ab honesto viro Ioanne Govertz vander Aer, mercatore Amstelredamensi, mutuo accipiebam? Certè formâ non dissimilis, sed longè major, ut qui juglandem, externum illum viridem corticem adhuc retinentem crassitudine superaret, orbicularis pæne figuræ, magis tamen depressæ, & quasi in umbilicum sidentis supremâ & imâ parte, (inter quas trium ferè unciarum erat interstitium) & pæne sex unciarum ambitu; constabat verò veluti squamis eleganti serie in obliquum dispositis, ab extimo versus petiolum tendentibus, illisque quodammodo sectis & lacunam habentibus per longitudinem: squamulæ autem petiolo proximæ sursum vergere nonnihil videbantur. nucis color splendens & spadiceus; eaque nucleum continebat: nam commota & agitata strepitum edebat, valdè tamen levis erat pro ejus crassitudine. E qua regione esset allata, quóve nomine appellaretur, ignorare se dicebat, qui illam mihi commodabat. Binis tamen superioribus adjungendam in eadem tabella curabam. *Fructus alius peregrinus elegans.*

Peregrini alij squamosi Fructus.

CAP. IV.

IAM descriptis, binos alios peregrinos & elegantes fructus subjungendos & unâ tabellâ exprimendos esse existimaui, licet vasto Oceano dissitis inter se regionibus natos: quia illorum unus squamulis præditus erat, alter verò, tametsi iis carere videretur, corticem tamen habebat, in quo veluti squamarum rudimenta elegantissimâ serie disposita apparebant, cujus historiam primo loco reponendam censui. Londino autem anno à nato Christo millesimo quingentesimo nonagesimo octavo illum accipiebam à Iacobo Gareto sæpius in his Exoticorum libris nominando, ex Guyana Americæ provincia, ab his, qui Generosum Equitem Walterum Raulæum comitati fuerant, allatum.



ORBICVLARIS porrò rotunditatis ferè erat Primus, ab umbilico sive infima parte ad supremam tres uncias utrimque altus, & sex unciarum totus per transversum ejus ambitus, cortice sive corio valde duro tectus spadicei è nigro coloris, sed adeo elegantibus cùm rectis, tum obliquis, transversisque ad amussim, &, proportione quadam servatâ, ductis sulcis insignito, ut summum Naturæ miraculum appareret: ossiculum satis magnum in se continere, ex sonitu quem agitatus edebat, conjecturam facere, & per sedem, quæ nonnihil aperta & hians, videre licebat: quâ tamen formâ, quóve temperamento esset præditum, me latet, quia fructum qui mihi unicus erat, & propter venustatem charus, confringere verebar, ne corrumperem. *Guyanæ fructus elegantissimus.*

Similem anno insequente mihi ostendebat honestissimus vir Willelmus Parduynus Medioburgensis, etiam ex Guyana, ut aiebat, delatum, sed minorem, ut qui binas dumtaxat uncias cum semisse ab infimâ sede ad extremum mucronem, & totidem in ambitu haberet.

Alium huic etiam non dissimilem nanci-

scebatur Christianus Porretus anno M. DC. qui licet vetustus & cariosus, calicem tamen cui pediculus adnexus fuerat, adhuc retinebat: in illo etiam squamæ magis distinctæ apparebant, & à summo ad imum progredi manifestè conspiciebantur, non à pediculo ad summam partem: quod in duobus aliis observare non licuerat, adeo arctè & firmiter cohærebant, vt ipsum corium sive integumentum sulcis dumtaxat distinctum videretur.

ALTER pyri formam propemodum habebat, ex *Baly* insula Iavæ vicina delatus, muriâ, ni fallor, conditus, à naucleris Batavis anno M.D.XCVII. ut conservare possent.

Baly insulæ fructus aspero cortice.

Erat autem tres uncias longus; ejus ambitus, eâ parte quâ pediculo inhæsisse videbatur, sex pænè unciarum, supernâ verò parte angustior, & veluti in metam desinens, ut quodammodo ficus aut pyri formam æmularetur, quo nomine etiam Christiano Porreto missus fuerat Amstelredamo. Aspero tectus erat cortice, & ab infima parte, sursum versus, densis ordinibus veluti squamularum sibi mutuo incumbentium ornato, quæ sejungi nequibant, sed cum integro cortice non valde denso eximi poterant, flavescentis coloris, dum recens ex conditura exemtus, deinde subfusci. Continebat porrò hic fructus pulpam albam, odoratam, instar pyri formatam, substantiâ autem non valde absimilem albo illi condimento quod ex amygdalis repurgatis & contusis, lacte, farinæ flore, aqua stillatitia è rosarum floribus & saccharo fieri solet, solidiorem tamen, nec adeo glutinosam, sapore (quia fructus muriâ conditus fuerat) valde salso & linguam mordicante, continentem in medio ossiculum solidum; pænè uncialem, & in metam assurgentem, formaque ipsum fructum referentem, infernâ parte crassiorem, supernâ angustiorem (quod pictor non observavit, sed formam invertit) pulpæ autem integræ adjunctos observabam binos aut tres grumos, & veluti ex crassiore fructus parte dependentes: etenim corticem secundum longitudinem fissum, facilè integrum à pulpa separare poteram, haud secus ac serpentis exuvium, quia pulpa non adhærebat, nisi paullulum eâ parte quæ à pediculo pependerat.


Hujus porrò fructus meminit, qui Primam partem Historiæ Navigationis Batavorum in Indiam Orientalem anno M. D. XCVIII. evulgavit cap. XXXVII.

Profert, inquit, Baly insula fructum magnitudine nostratium pyrorum, cortice præditum aspero instar squamarum piscium, pulpâ albâ præditum, adstringente, & continente unum ossiculum, sæpenumerò etiam bina. Nascitur in altis arboribus confertim congestus uvarum modo, tantâ abundantiâ, ut mirum sit ramos non confringi. Adservatur melle coctus, aut muriâ conditus.

Peregrinus fructus τετράγωνος.

CAP. V.

HVNC fructum referebant Batavi naucleri, qui ineunte Septembri anno sexcentesimo primo supra millesimum ex Iava & Moluccis insulis reduces Amstelredamum: in quali tamen arbore nasceretur, intelligere nequivi. Si tamen coniecturâ uti licet, prægrandis alicujus Palmæ, cujusmodi illa quæ magnas Indicas nuces, vulgo Coccos appellatas, aut nucem Fausel sive Arecam profert, fructum arbitror, atque plures simul ex crasso uno pediculo instar illarum pendere. Binas autem ejusmodi nuces videre mihi contigit: Vnam magnam, quam Cl. V. D. Petrus Paawius artis Medicæ Professor in Academia Lugduno-Batava à Mercatorum societate cum aliis quibusdam exoticis adquisiverat: Alteram longè minorem, quam mihi donabat Amstelredami honestissimus vir Walichius Syvertz illius urbis pharmacopœus, ab Isbrando Hieronymi F. cheirurgo, qui eam retulerat, redemtam. Vtraque verò quadrangularis erat formæ: & magnam quidem, quia elegantior & magis integra, in adposita tabella exprimendam curabam.



Fructus peregrinus τετράγωνος.

MAIOR porrò, cujus hæc icon, nitidiore & læviore cortice tecta, septem uncias à summo

summo fastigio ad pediculum usque longa, pedem cum semisse crassa erat, sive sesquipedalis ejus ambitus: singuli enim anguli quatuor pæne unciis cum semisse ab invicem distabant: cortex valde densus, ex multis fibris retis quodammodo formâ contextis constans, materiam fungosam intermixtam continebat, corioque, ut dixi, lævi & splendente, spadicei coloris, exteriore parte tectus erat. Tota tamen nux valde levis pro sua magnitudine: quid verò ea contineret, me latebat, quia, quum mea non esset, aperire nolebam. Sed minorem, quæ mihi donata, mediam secabam, ut me omni dubitatione exsolverem: nam quum cheirurgus, qui illam attulerat, affirmaret, se in maris littore nascentem eruisse, media ex parte arenâ mersam, fibrisque in ea firmiter hærentem, & supernâ parte cauliculum promere lignosum, viridi cortice tectum, fastigio quina aut sena folia myrtinis similia sustinentem, eaque adeò ratione bulbaceam esse plantam sibi persuaderet: ego verò multas notas conspicerem, quæ me, ut arboris potiùs fructum esse crederem, impellerent, illam aperiebam.


Superiore longè minor hæc erat, ut quæ tres dumtaxat uncias cum semisse longa, octo autem ambitu contineret, non nitido cortice tecta, ut superior, sed valde rugoso, quia ante maturitatem ademta, & subrufâ cute tecta, quadrangularis, perinde atque superior, formæ, sed angulis magis inæqualibus, neque adeo distinctè ab invicem sejunctis: sub externa cute, multis fibris, retis instar transversim sese intersecantibus, cortex constabat, quemadmodum etiam interiore parte, quæ ossiculum tegebat, & inter illas fibras fungosa materia insipida & valde resiccans, suberini corticis instar; ipsum ossiculum formam habebat ab infima sede latiore in metam assurgentem; & crassiusculum erat, molle tamen (quia fructus immaturus) subrubente cute tectum, acidi saporis, sicut etiam nucleus qui in eo continebatur candidâ membranâ tectus.

Hæc sunt quæ de illo fructu, seu nuce, commentari potui: quia qui retulerant, nihil ad ejus historiam pleniùs & accuratiùs describendam adferebant, præter paucas illas incertas, quas enumeravi, notas.

Peregrini fructus ex Guyana.


CAP. VI.

CVM elegantissimo illo fructu cap. IV. hujus lib. descripto, alios etiam eodem anno M. D. XCVIII. exoticos fructus ex Guyana relatos idem Garetus ad me mittebat, quos in subjecta tabella exprimendos curabam.



Guyanensis amygdala.





Guyanensis fructus II.

HORVM Prior, valde crasso & duro putamine erat præditus, ut non immerito Nux appellari queat, triangulæ quodammodo formæ: infimâ enim parte ferè rectilinia erat, & depressior, binas uncias longa, deinde ab ejus lineæ duobus extremis in orbem ita assurgebat, ut semicirculum formaret quinque pæne unciarum, quâ parte longè densior erat, & magis tumebat, multis tuberculis per universum corpus sparsis, coloris ex rubescente spadicei. Ea in binas partes secta (qualem eam accipiebam) magnum nucleum continere deprehendebatur, ejusdem cum nuce figuræ, pelle sive membranâ opertum rufâ, sed interiore parte candidissimum, atque in binas partes separatum, instar amygdalæ, cui etiam similem saporem habebat: quâ de causa non ineptè forsitan Amygdala Guyanensis sive Guyanica dici possit.

VALDE solidus & gravis erat Alter, ovalis formæ, pænè binas uncias à pediculo ad extimum mucronem longus, tres cum semisse medii corporis ambitu complectens, corio denso, fibroso, cineracei ex fusco coloris tectus, ambiente putamen crassum admodum,

durum, & nigricans, quod nucleum continebat ferè orbicularem, durum, cineracei pænè coloris.


Nucleus ex Guyana. TERTIVS paullò longior erat: nam duarum unciarum longitudinem superabat, non adeo tamen crassus ut superior, & magis inæqualis, ut veriùs dici mereretur nucleus alicujus fructus quàm fructus, spadicei coloris membranâ tectus, qui haud dubiè aliquo fructu aut nuce fuerit inclusus, medullam sive pulpam continens albam, non ingrati saporis, licet vetustate contractior esset, & ejus meditullium in lacunam dehisceret.

Spina ex Guyana. ISTIS fructibus adjuncta erat Spina quædam in Guyana etiam nata, ut scribebat qui ad me mittebat, cui certè similem videre non memini: etenim, tametsi non integra, quinque unciarum longitudinem superabat, lævis, politissima, & præ nigrore splendens, adeo ut mihi primo aspectu imponeret, & dentiscalpium è testudinis marinæ testa confectum (cujusmodi, dum Viennæ Austriæ vivebam, Constantinopoli interdum adferri memini) esse existimarem: paullò tamen angustior erat. Eam autem ex Cardui alicujus in ea Provincia nascentis capite detractam fuisse verisimile est: nam altera brevior & confracta (valdè enim fragilis) addita erat, quæ infimâ parte vestigium adhuc retinebat, quo cardui capiti, aut alteri plantæ, cui innata fuerat, adhæsisse videbatur.

Peregrinus fructus crassus.

CAP. VII.

Fructus crassus peregrinus. VALDE crassus erat hic fructus, quem cum binis aliis hoc capite describendis apud Cl. V. Bernardum Paludanum conspiciebam: nam geminum pugnum magnitudine æquabat, orbiculari pænè figurâ, sed latior sive crassior quàm longior, ut cujus circumferentia esset decem unciarum, longitudo verò à pediculo utrinque ad summum fastigium, dumtaxat novem: crasso rugosoque cortice præditus erat, illoque fusco, cauum orbem umbilici instar circa pediculum habente, supernâ autem parte tuberculis quibusdam obsito: internè magnum continebat nucleum in binas partes sectum, valde rugosum, fusci (quia siccus) coloris externè, ex atro verò rubentis internè, adstringentis initio saporis, deinde subdulcis. Ex Indiâne, an ex America, Guineáve allatus esset his fructus, ipse Paludanus, qui eum ut describerem concedebat, ignorabat. Ejus tamen iconem quam in tabella depingendam curabam, adponere volui.




Brasilianus fructus I. ORBICVLARIS etiam pænè erat figuræ Alter, è Brasilia, ut referebat, allatus: certè forma non valde dissimilis erat *Iunipappeeywa* Brasilianorum; teneriore tamen cortice præditus, & supernâ parte planus, atque quodammodo in tenerum umbilicum desinens: continebat autem internâ parte multa semina rugosa, Staphisagriæ seminibus non dissimilia, nucleum continentia in binas partes divisum: pediculus cui inhærebat, triuncialis longitudinis.

Brasilianus fructus II. HVNC etiam ex Brasilia allatum asserebat. Erat autem pænè ovali figurâ, instar mali citrii sive limonis, supernâ tamen parte magis mucronatus, tres uncias longus; ejus ambitus sex unciarum erat: duro, lento tamen cortice præditus; intùs verò pulpa nigra continebatur, quæ propter vetustatem in pollinem prorsus resoluta erat. Ceterùm hunc fructum lectum fuisse arbitror antè quàm maturitatem adeptus esset, quandoquidem rugoso erat cortice, & plerisque locis veluti in lacunas contracto.

Lagenulæ è fructu peregrino.

CAPVT VIII.

CVIVS arboris esset hic Fructus, quóve nomine diceretur, me latet. Erat autem orbicularis pænè formæ, binas uncias longus, tantundem ferè crassus, duro, lævi, spadicei coloris cortice præditus: an nucleum aut semina continuerit, ignoro; sin autem habuerit, exemta fuisse oportet: quia binos accipiebam à Iacobo Gareto, extimâ parte funiculo trajectos & quodammodo connexos, foraminibus per quæ funiculus, qui eos connectebat, trajectus erat, nigrâ cerâ obturatis, & infimâ similiter parte, quâ videlicet pulvis quidam exalbidus ad cineraceum tendens (quo pleni erant) injectus fuerat: salsus ejus sapor & linguam vellicans, quo verisimile est incolas usos ad sua edulia condienda, propterea secum circumtulisse. Garetus significabat, è mari Australi, quod pacificum appellant, Hispani vulgo *Mar del sur*, allatos esse. Et ille ipse aliquot annis antè, quum adhuc Viennæ viverem, similem miserat, sed singularem, & longè majorem, eumque inanem, summâ parte apertum & funiculo trajectum. Eos verò qui simul colligati, in tabella exprimi curabam, quæ hoc loco insereretur. *Lagenulæ Americanæ è fructu.*




MIHI porrò persuadeo, has lagenulas iis cucurbitulis esse persimiles, quarum Americus Vesputius Navigatione secunda meminit, agens de moribus ejus gentis ad quam appulerat. Ait enim singulos viros ex collo pendentes pusillas siccatásque binas cucurbitas gestasse, unam plenam herbâ quam mandebant, alteram farinâ quadam candicante gypso comminuto simili; & bacillo quodam in ore madefacto, atque in cucurbitam farinâ plenam immisso, farinam exemisse, quâ herbam quam manducabant aspergebant, subinde id repetentes; illudque facere existimasse, ut sitim sedarent, quia aquâ recenti quam bibere possent, penitus erant destituti.

Peregrini fructus orbiculares.

CAP. IX.


.I.







.II.



ANNO nonagesimo septimo supra millesimum & quingentesimum profecto Amstelredamum, ut intelligerem an Batavorum naves è Iava reduces, exoticos & nostro orbi peregrinos fructus aliquos retulissent, ostendebatur mihi ab honesto viro Stephano Ioannis Scharm pharmacopœo Amstelredamensi, orbicularis & sphæricæ prorsus formæ quidam fructus, quem eâ navigatione allatum asserebat: illum tamen ostensum Indis qui ex Iava adducti erant, negarunt apud se natum, sed è *Madagascar* insula delatū. Dimensi autem sive per lōgitudinem lineâ ductâ, sive per transversum, ambitus erat pænè unciarum novem, nonnihil tamen striatus erat circa eam partē quâ pediculus adhæserat, coloris fusci, levis & intùs cavus, aliquid tamen continens, ut ex strepitu, quem agitatus edebat, conjecturam facere licebat. Ex illo postridie pertuso, educta sunt multa grana plana, nucis vomicæ formam perbellè referentia, nisi minora fuissent, & oras minùs crassas habuissent, saporemque minimè ut illa amarum; ossea tamen eorū durities. Eum fructum cum binis seminibus exemtis in apposita tabella exprimendum curabam, addito alio orbiculari fructu, cujus subsequitur descriptio. *Orbicularis fructus peregrinus I.*

Orbicularis fructus peregrin. II.

PRORSVS orbicularis erat etiam hic fructus, quem idem Stephanus mihi donabat, sed minor, ut cujus ambitus quatuor duntaxat unciarum esset: pulvinato aliquo integumento inclusus fuisse videbatur, conjecturâ factâ è fibrarum quibus putamen (quo inclusum fuerat) præditum fuerat, vestigiis ipsi impressis: cineracei coloris erat externa ejus pars, interna cava & nucleum continens, quia agitatus strepitum edebat. Si habuisset ea foraminum vestigia, quæ sunt in magna illa Indica nuce, parvum Coccum (id Indicæ nucis vulgare nomen) quispiam existimare potuisset.

Orbicularis fructus peregrin. III.


HVIC non valde dissimilem, sed longiorem & crassiorem, ovi anserini formâ & magnitudine accipiebam paullo post ab honesto viro Petro Gareto, in quo adservabatur Balsami illius Americani liquor odoratus & ad multos morbos salutaris.

Peregrinus fructus nervis distinctus.

CAP. X.

Orbicularis peregrinus fructus nervis distinctus I.

NON inelegans erat is fructus quem Cl. V. Bernardus Paludanus mutuo dabat, ut describere possem, cujus tamen nomen & ipse ignorabat, & illi à quibus acceperat. Erat verò orbicularis formæ, sex uncias in ambitu crassus, tres longus, ductâ à petiolo cui inhærebat, ad extremum fructum lineâ, hoc est, in toto illo ambitu sex unciarum longitudinem explens, novem nervis à summo ad pediculum semunciam pænè longum ductis, distinctus, fusci vel spadicei quodammodo coloris, levis, prægnans tamen, & nucleum vel pulpam resiccatam cum seminibus continens, quia agitatus strepitum edebat. Eum in apposita tabella exprimendum curabam.



QVIA porrò duo alii peregrini fructus orbiculares nervis similiter distincti mihi eodem tempore conspecti fuerunt; licet exprimendos non curaverim, hoc tamen capite adiiciendos existimavi.

Orbic. peregr. fructus nervis distinct. II.

PRIMVM meo ære cum plerisque aliis exoticis redimebam; eratque orbicularis formæ, novem similiter nervis à summo ad petiolum distinctus, ut jam descriptus, minoribus tamen neque adeo eminentibus, longè etiam minor: nam trium dumtaxat unciarum quaquaversum erat ejus ambitus, nec strepitum ullum edebat agitatus, quia maturitatem forsitan nondum adeptus, & levis ut alter: hunc aperiebam, & in eo multam pulpam cortici adhærentem inveniebam, cum ossiculo valde inæquali, & totidem angulis, quot fructus nervos habebat, ad summum corticem pertingentibus distinctum, cui sane simile ossiculum nullum videre memini: qualem verò nucleum contineret, ignoro, quia confringere nolui.

Orbic. peregr. fructus nervis distinct. III.

ALTER etiam erat prorsus orbicularis formæ, sed senis dumtaxat nervis distinctus ab infimâ sede ad extremum usque per longitudinem rectâ lineâ excurrentibus, sescunciam longus & crassus, fusci coloris, aliqua tamen ex parte cineracei, nucleum vel pulpam à cortice sejunctam & liberam continens: levis tamen erat; & aquâ mersus, innatabat. Hunc ex Guinea acceptum Paludanus etiam concedebat ut describerem; quo nomine appellaretur ignarus.


Fructus reticulato corio constans.

CAPVT XI.

Peregrin. fructus reticulato corio.

DVRO corio, & multis fibris retis in modum quodammodo inter se intertextis & duris contecto præditus erat hic fructus, foris quidem inæquali & rudi, intus verò lævi & splendente, coloreque ad spadiceum tendente, tres uncias cum semisse longus, binas & amplius latus, supernâ in gibbum extuberans, infernâ planus ferè, nucleum continens crassum, plenum, succulentum, & qui in navi, quâ recens ex Guinea advectus fuerat, jam germinare inceperat, ut mihi referebat honestissimus vir Willelmus Parduynus, Medioburgensis in Walachria Zelandiæ insula civis, qui illum anno nonagesimo quinto supra millesimum & quingentesimum adquisierat: quique haud dubiè creuisset, si statim terræ commissus fuisset. Illius autem iconem, licet non adeo scitè ut decuerat, in tabella expressam, hîc adponere voluimus.

Toto



Toto porrò decennio antè similem accipiebam Viennæ Austriæ, à doctissimo eodémq. humanissimo viro Richardo Garth, Londino missum, pro ossiculo magni cujusdam fructus in Wingandecaow sive Virginia nascentis, ut adscriptum erat. Ejus pulpa licet solida, quia tamen vetusta, rugosa foris & fusci pæne coloris, internâ autem parte albicantis, & acris aliquantulum saporis. nullum ejus nomen neque tunc, neque postea intelligere potui.


Similem præterea conspiciebam anno millesimo sexcentesimo tertio, illumque paullo ampliorem & magis planum, villos quibus tectus erat densos adhuc retinentem, partim crassiusculos & rudes, partim valde tenues & molles, omnes cineracei ex albo coloris.

QVI supersunt Fructus Exotici in hoc Secundo Libro describendi, quum in certas classes distribuere difficile mihi videretur, eos discretim tamquam in certos manipulos reponendos censui, adscripto illorum, à quibus acceperim, vel apud quos viderim, nomine: ingenui enim animi esse semper existimavi, agnoscere & profiteri, à quibus beneficium acceperis.

Peregrinus fructus, à Francisco Peninio.

CAP. XII.

REDIMEBAT honestissimus vir Franciscus Peninius, civis & pharmacopœus Amstelredamensis, fructum quendam exoticum anno reparatæ salutis humanæ primo & sexcentesimo supra millesimum, ex India ut aiebant relatum, cujus nec nomen nec in quo arboris genere natus esset, intelligere potuerat: quia tamen ejus formæ erat, qualem antè videre non memineram, pro ea quæ mihi cum illo est vetere amicitia commodato impetrabam, ut brevem illius historiam concinnare possem, quam in hunc Exoticorum librum inferrem, & ejus iconem, in tabella exprimi curarem quæ hîc subiiceretur.



ERAT verò is fructus pænè quinque unciarum longitudinis à pediculo ad summum mucronem; ambitus, quâ parte crassior fructus, novem uncias cum semisse explebat, à pediculo satis crasso sensim tumescens, deinde à medio corpore paulatim in obtusum mucronem desinens (ut ex icone facilius observari potest) fusco duroque cortice constans, & nucleum aut pulpam cum seminibus in globum congestam continens; strepitum enim agitatus edebat: qualis autem inesset nucleus aut pulpa, ignorabam quum hæc scriberem, quandoquidem illum aperire verebar, quòd meus non esset, propterea integrum illi restituebam. Post aliquot tamen dies fructum ad me remittebat in binas partes transversim sectum, ut internam partem etiam describere possem, quam valde levem & exigui ponderis esse comperiebam, cineraceique ex fusco coloris, continentem pulpam spongiosam, nigram, mollem, acidiusculi saporis, in globum compactam, in qua latebant *Peregrin. fructus à Peninio.*

 bant


bant aliquot grana, nigra, pæne orbiculata, compressa tamen, & magis lata quàm longa, in binas partes sectilia, quemadmodum cucurbitarum & similium semina, sic ut cucurbitacei generis alicujus plantæ fructum esse mihi persuadeam.

Peregrini quidam fructus anno M. DC. II. *observati.*

CAP. XIII.

ANNO à Christi redemptoris nostri nativitate secundo supra millesimum & sexcentesimum, ostendebat mihi honestus vir Emanuel Zweert civis Amstelredamensis, exoticos quosdam fructus, quos à nautis peregrè redeuntibus redemerat. Inter illos, quatuor conspiciebam, quos antè videre non memineram: illos ut mihi per aliquot dies relinqueret, ut commodiùs describere possem, & in tabellis exprimi curarem, non difficulter impetrabam: propterea prioris iconem hîc subiicio.

Peregrinus fructus valdè elegans.



PRIMVS sanè admirabilis erat formæ: nam prægrande Papaveris caput, cujus summum fastigium transversim fuisset præcisum, referebat: membranaceâ enim & rugosâ constabat substantiâ, subfusci coloris, levi admodum, licet ejus circumferentia supremâ parte novem esset unciarum, sensim tamen decrescens usque ad pediculum, qui florem, cui fructus successerat, sustinuisse videbatur; apparebant enim quædam, ubi flos inhæsisset, vestigia: superior porrò fructus pars prorsus erat plana, quatuor & viginti lacunis sive cellulis serie quadam dispositis prædita, instar favi vesparum; in quarum singulis, singularia semina sive parvæ nuces instar pumilarum glandium continebantur, pænè unciam longæ, unciam in ambitu crassæ; quarum suprema pars fusca erat, & in mucronem desinebat, illi similem qui extimam glandis partem occupat. infima pars exiguam lacunam habebat, vestigium videlicet, cui pediculus, illam in cellula retinens, inhæsisse videbatur: nucleum autem continebat rancidum & situ obductum.

Similem etiam anno insequente Amstelredami conspiciebam apud ornatissimum virum Henricum ab Os, quem à nautis redemerat.


Sitne fructus alicujus arboris, an alterius plantæ, incertus sum, quia, qui mihi mutuo dabat, & apud quem deinde videbam, nihil affirmare poterant; mea tamen opinio in eam partem inclinat, ut plantæ alicujus esse existimem, & forsitan in aqua nascentis, ut Nymphæa: quæ si vera sit, Dioscoridis Ægyptiam esse fabam asserere non verear, tametsi inter Neotericos magna sit de ea planta controversia: nam papaveris caput habet, nisi quòd summâ parte magis planum, & patens; cellulas insuper vesparum favis similes habet, in quibus fabæ, quas supra tricenas non ferre, Plinius auctor est. Si eos qui legerunt convenire mihi licuisset, magis fortè explorata prodere possem: nihilominus Lectorem boni consulturum arbitror qualemcumque hanc descriptionem.

an Faba Ægyptia Dioscoridis?

ALTER, anserini ovi magnitudinem æquabat, imò etiam superabat, quinque videlicet uncias pænè longus, septem cum semisse crassus, sive totidem ejus ambitus comprehendebat, valde gravis, nucleus sive pulpa verius cujuspiam fructus quàm fructus censendus: nam mollis erat, tenui quadam & rugosâ membranâ ex fusco cineracei coloris tecta, unguibus (si quis premeret) cedens, coloris subflavi, ob vetustatem fortè, & salsi quodammodo saporis; qui an naturâ ipsius pulpæ, an arte adquisitus, ignoro: sed haud dubiè aliquo putamine clausa fuerat; nam membrana eam tegens, vestigia adhuc retinebat impressa à crassioribus ipsius nucis internis nervis, ut facilè observare licet ex subjecta icone.


Peregrini fructus pulpa.

Qualis autem fuerit nux, quâ hæc pulpa inclusa, se ignorare dicebat à quo illam accipiebam, atque etiam quali in arbore, quàve in Provincia nata. Hinc fit ut plenam ejus historiam scribere nequeam, sed eas dumtaxat notas quæ oculis fuere conspicuæ.




TERTIVS, planus erat, tres uncias longus, paullò plus quàm duas latus, femunciam craſſus, totus rugoſus & ater, denſo duroq; putamine conſtans, ſive cortice; & ſemina continens, ut ex ſtrepitu, quem agitatus faciebat, deprehendere poteram: alio integumento haud dubiè tectus fuerat, nam alterius fructus oſſiculum ſive nucem eſſe apparebat. Verumenimverò qui mihi commodabat, nihil certi affirmare poterat, quum ex illorum hominum ſit numero, qui, poſtquam aliquas naves peregrè redeuntes Texelam appuliſſe intellexerunt, illico eô proficiſcuntur, ante quàm naves Amſtelredamum pervenire poſſint, ut, ſi nautæ rarum quidpiam & peregrinum attulerint, vili precio ab eis redimant, & deinde cum lucro aliis vendant, nihil ſoliciti, ut arborum, quæ exoticos iſtos fructus gerunt, aut natales, aut formam, aut appellationem intelligant, quóve apud incolas ſint in uſu. *Peregrina nux I.*

QVARTVS, nux erat orbicularis pænè formæ, paullo tamen longioris: nam illius ambitus, ſumtâ utrimque per longitudinem menſurâ, quinque uncias cum ſemiſſe continebat, vix autem quinque unciarum erat circumferentia: infernâ parte nonnihil mucronatâ, ſupernâ verò obtuſiore, duro & ſatis glabro putamine conſtans, ſpadicei coloris, & nucleum continens, ut ex agitatæ ſtrepitu conjecturam facere poteram: alio verò involucro tectam fuiſſe certum eſt: quale porrò id fuerit, aut quali in arbore nata hæc nux, intelligere nequivi. Ceterùm binos poſtremos hos fructus in eadem ſimul tabella exprimendos curabam, illiſque adiungi (nam tabella capere poterat) alium fructum ſub idem tempus mihi donatum ab honeſtiſſimo viro Petro Gareto: quam hîc oculis ſubiicio. *Peregrina nux II.*



GARETI igitur fructus, qui tertium locum in hac tabella geminatus occupat, orbicularis etiam ferè erat formæ, unciam videlicet longus, tantundem latus, paullò tamen planior, utrimque tumens pulvini inſtar, ater omnino, è tenui curvoque oblongo petiolo pendens, tenui fragiliq́ue cortice præditus, qui preſſus, illico frangebatur, & pulpam continere deprehendebatur fungoſam & friabilem, ſubrubentis coloris, atque valdè acidi ſaporis, tamarindorum pænè inſtar (propterea valde commodam, meo judicio, ad ſedandam & extinguendam ſitim) in cujus meditullio ſemen planum, fuſci coloris, candicante membranâ involutum erat. Vbi natus hic fructus, quæ've arbor ipſum tuliſſet, ipſe Garetus ignorabat. *Peregrinus fructus acidi ſaporis.*





Peregrini alij fructus à Petro Gareto.

CAP. XIV.

HONESTVS vir Petrus Garetus jam memoratus, fructum quendam ad me mittebat anno milleſimo & ſexcenteſimo, quem in Bengala natum eſſe adſcribebat. Is verò, quem in priore tabella primum locum occupare volui, quinque pænè uncias *Fructus ex Bengala.*

uncias

uncias erat longus, totidem ambitu complectens, unâ parte gibberosus, rugoso & inæquali cortice constans satis crasso, duro, & lignoso, cineracei ex fusco coloris, qui binas nuces, sive veriùs nucleos continuisse videbatur, eosque uncialis longitudinis, quadrifariam seu in quatuor partes dividuos, valde duros, coloris ex fusco subrufi, saporis adstringentis & linguam exsiccantis, post aliquod tamen temporis intervallum non ingrati, sed vires reficientis & sitim sedantis; quo in usu apud indigenas esse, facilè mihi persuaserim: certè & substantiâ, & colore, & sapore plurimum accedere videbatur ad fructum Coles, describendum cap. VI. Libri sequentis. Nihil præterea de hoc fructu intelligebam: sed ex notis quas in eo observabam, brevem hanc historiam contexebam, & ejus iconem in hac adposita tabella cum alterius fructus ab eodem Gareto accepti figura, secundum locum in tabella occupante, expressam, Lectoris oculis subiiciendam existimabam.

Coles.

Fructus II.




ERAT verò Alter fructus, seu veriùs nux, cujus figura secundo loco in tabella expressa, orbicularis formæ, variæ tamen magnitudinis (plures enim conspiciebam) quorum nonnulli ternas, aliqui binas dumtaxat uncias ambitu comprehendebant; omnes duro sed non crasso præditi cortice, cineracei foris coloris, & qui alio operimento tecti fuisse viderentur: interna nucis pars fusca & splendens, atque nonnulla ex parte (quâ videlicet nuclei, quem continebat, fastigium tegebat) fungosâ materiâ plena: nucleus autem inferiore parte crassior erat, deinde in metam quodammodo assurgebat, & in nutantem mucronem desinebat, coloris exteriùs subpunicei, substantiâ satis molli & interiore parte flavescente præditus, injucundi odoris & valdè ingrati saporis, ut non mirer, eos qui edissent, malè affectos fuisse, quemadmodum mihi referebant qui observaverant. Ceterùm qualis arbor esset quæ hunc fructum protulisset, cujúsve formæ fuissent ejus folia, intelligere non potui: adeò plerumque negligentes sunt qui similia exotica adferunt, tametsi antea moniti, & quæ observare deberent, instructi.

EODEM anno & illum insequente, alios etiam exoticos fructus ab eodem Gareto accipiebam, quos in duabus subsequentibus tabellis exprimi curabam, numeris ad singulorum effigies additis, qui ad eorum descriptiones, quæ ad unamquamque tabellam attinent, respondeant, ut Lector uno intuitu videre queat, quæ figura suæ descriptioni sit aptanda.

Fructus I. G. tabellæ II.

PRIMVS ergò in hac Secunda tabella expressus fructus, sive nux (nam alio operimento tectus fuisse videbatur) binas uncias cum semisse longus erat, sescunciam latus, aut paullò amplior, amygdalinâ pænè formâ, rugosus, dorso aliquantulum sublevato, supinâ parte planâ, & infimâ latiore, quàm ea quæ à pediculo pependerat, subrufi ex fusco coloris, non valdè gravis, licet densissimo corio constans, ut quod semuncialis ferè esset crassitudinis, multisque fibris obliquè & transversim sese secantibus contextum, & adeò durum, ut aperire nequiverim ad conspicien-




dum

dum quid contineret, nisi cultro magnâ vi cum malleo adacto: geminum autem & oblongum nucleum continere deprehendebam nigrâ membranâ septum, internâ quidem parte albicantem, dulcisque ut amygdala saporis, nisi jam rancidditatem ob vetustatem contraxisset.

ALTER, ejusdem erat longitudinis, minùs tamen crassus, infernâ parte planus, supernâ in gibbum assurgens, infimâ parte quâ pediculo adhæserat, latior quàm extimâ, quæ in obtusum mucronem desiisse videbatur: membrana autem dura & splendens, spadiceique coloris, fuscum corticem tegebat, continentem nucleum sive pulpam quandam cineracei ex albo coloris, quæ ore aliquantulum retenta, in farinaceam materiam resolvebatur quadam acrimoniâ præditam. Fructus II. G. tabel. II.

TERTIUS, Mespilo setanio non erat valde absimilis, ejusdemque pænè magnitudinis, capite tamen non plano, ut illud, sed in angustum contracto; vetustate rugas contraxerat, & satis fragili cortice constabat, fusco, nullius fere saporis, qui tamen ore retentus, nonnihil adstrictionis cum pauca acrimonia conjuncta possidere videbatur: quina introrsum ossicula mespili instar continebat, sed majora, & non rugosa ut illa, verùm valdè lævia & splendentia, spadiceique coloris, & nucleum continentia. Fructus III. G. tabel. II.

QUARTUS, illo minor & ferè orbicularis formæ, uncialis magnitudinis, lævis, fusci coloris, brevi quidem subnixus pediculo, sed cortice satis duro, tametsi non valde crasso præditus, qui apertus (nam in binas partes dividi posse ex signis apparebat) quatuor grana nigra continere deprehendebatur semunciam lata & longa, cordis humani formam quodammodo referentia, sed magis plana, binis duris membranis, ut in nuce juglande, illa separantibus. Fructus IV. G. tabel. II.



PRIMUS in hac tabella à Gareto acceptorum expressus fructus, sive, ut veriùs dicam, fructus ossiculum (terna enim aut quaterna simul conjunctim nata fuisse videbantur alio quodam fructu inclusa) binas uncias longum erat, totidem latum, mediâ parte tumente & sese attollente planis & compressis lateribus; quæ fidem faciebant, bina ad minimum alia adjuncta fuisse, cortice non valdè duro præditum, externâ parte rugosum & scabrum, cineraceique coloris, internâ autem læve & candidum: magnum nucleum continens prorsus implentem corticem, solidum quidem, non tamen durum, tenui membranâ tectum: ipsa autem interna materia sive pulpa, nucis unguentariæ pænè odorem habebat, sed acriusculum saporem, an ob vetustatem, ignoro. Fructus I. P. G. tabell. III.

ALTER, orbicularis propemodum erat, binas uncias longus, quatuor unciarum ejus ambitus, crasso præditus cortice, inæquali, & multis tuberculis obsito, nigri extrinsecus coloris, intrinsecus subrufi, continens nucleum tenui cineracei coloris membranâ tectum, odoris non insuavis, sed violam quasi referentis, & non ingrati saporis; crasso pediculo subnixus fuisse videbatur, ut ex vestigio, cui inhæserat, conjecturam faciebam. Fructus II. P. G. tabel. III.

TERTIUS, nux aliqua, sive ossiculum fructus ex palmarum generibus, cui villi, qui illam vestiebant, ademti fuerant, nam valdè tersa & polita erat, multisque venis nigris à summo ad imum distincta, præsertim iis, quæ à tribus veluti umbilicis æquali propemodum spatio ab invicem discretis originem ducebant, & magnam venustatem nuci adferebant: alioqui nux binas uncias longa erat, ejus ambitus tres cum semisse continebat, umbilici autem pænè unciam ab invicem distabant: duro cortice nux illa erat prædita; & nucleum continere, ex motu strepitum ciente, manifestum erat. Fructus III. P. G. tabell. III.

QUARTUS, valdè exiguus erat, & orbicularis pænè formæ, vix semuncialis longitudinis, lævi cortice præditus, & sex quasi nervis eminentioribus à pediculo ad summum caput æqualiter distante ferè spatio excurrentibus, distinctus, fusci coloris: quid verò contineret, me fugit, quia agitatus & commotus nullum strepitum edebat; & quia unicus, confringere nolebam. Quartus fructus P. G. tabel. III.

Quibus

Quibus in provinciis nati fuerint omnes hi fructus, præter majorem in prima tabella expressum, intelligere non potui.


Exotici aliquot fructus, Batavorum navigatione anno M. D. XCVII. *relati.*


CAP. XV.

ANNO nonagesimo septimo supra millesimum & quingentesimum, liberalitate novem opulentorum mercatorum Amstelredamensium, qui præcipuos sumtus fecerant in instruendis quatuor illis navibus, quæ biennio antè navigationem in Javam instituebant, exoticos quosdam fructus primâ illâ navigatione relatos accipiebam. Eorum autem mercatorum, qui primi societatis illius fuerunt auctores, hæc sunt nomina: Henricus Hudde, Reynerus Paaw, Petrus Hasselaer, Ioannes Ioannis F. Caerl, Ioannes Poppen, Henricus Buyck, Theodoricus ab Os, Syvertus Pietersem, Arnoldus Grotenhuys.

ISTORVM porrò fructuum decem dumtaxat in tribus tabellis exprimendos curabam, licet omnium descriptionem adiiciam.

Fructus I. PRIMVS, binas pænè uncias latus erat, paullò autem longior, pronâ parte in arcum elatus, supinâ planus, denso, crasso, duroque cortice præditus, fusci coloris, &, quando immaturus, quodammodo spadicei, materiâ spongiosâ, firmâ tamen, constans: nucleum verò continebat uncialem, planum, durum, fusci coloris externâ parte, subrubentem internâ, in binas partes divisum, quadam adstrictione initio præditum, deinde salivam cientem, tenui spadiceâ membranâ involutum: nullum nomen erat additum. Hunc cum Secundo, Quarto & Quinto in una tabella (quæ prima est hujus XV. capitis) expressum, hîc adpositum volui.





Fructus II. ALTER, binas ferè uncias longus, unam crassus, in quinque angulos distinctus, instar pænè fructus Bamiæ, sive Alceæ Ægyptiacæ, durus, fusco colore (cui albedo permixta) præditus, solidus, hoc est, nullum strepitum, quamvis agitaretur, edens, levis, & in aqua non subsidens: & hic nullâ appellatione insignitus.

Fructus III. TERTIVM, Apocyni, sive generis alicujus Asclepiadis fructum esse mihi persuadebam: nam illorum siliquis per omnia similis erat, atque internè continebat plana, nigra semina, candidâ lanugine involuta, perinde ac illarum siliquæ; membrana tamen quâ semen includebatur, longè densior & durior erat, ut magnâ ex parte, eorum fructuum, qui illâ navigatione relati, cortices esse observabam.

Fructus IV. QVARTVS, orbicularis erat fructus, sive lobus, planus, uncialis magnitudinis, infimâ parte in mucronem desinente, spinosis subrubentibusque tuberculis undiquaque obsitus, cultelli dorso non crassior, pediculum ad orbis latus habens; & totius lobi color fuscus: omnes autem hujus generis quos conspiciebam, in medio pertusi erant, ut funiculo trajecti, ad commodiùs & faciliùs, ut arbitror, resiccandum, suspenderentur: singuli verò lobi sive fructus, binos phaseolos continebant, seminum Anagyridis formâ & magnitudine, prorsus nigros; ut conjecturam facerem, eos lobos, antè quàm pertunderentur, non adeò planos fuisse, sed aliquatenus tumentes. Indi *Samparantan* appellabant. Quandoquidem


Samparantan autem filo trajecti adservabantur, apud illos aliquo in usu fuisse necesse est, sed quali, intelligere nequivi.

Fructus V. SESCVNCIALIS longitudinis erat Quintus fructus, unciam latus, paullò enim planiore erat formâ, colore ex fusco subrubente, totus tuberculis leviter mucronatis obsitus, perinde fermè atque Stramoniæ fructus: nucleum autem continebat fuscâ quadam membranâ

branâ tectum, oblongiusculum, lævem, spadicei coloris, qui albescentem medullam continebat, sed duram (quia sicca) & quodammodo insipidam.

INTER nuces myristicas repertus fuerat Sextus, quem ab Indis *Camiri* appellari intelligebam, uncialis magnitudinis, nuci juglandi suo illo externo viridi cortice exemtæ non dissimilis, inæqualis, summâ parte latior, infimâ in obtusum mucronem propemodum desinens, putamine satis crasso saxeæ duritiei præditus, nucleum continente album amygdalæ pænè sapore. Alio fructu, sive externo cortice opertus fuisse videbatur, quia depressioribus putaminis locis cineraceam quandam materiam adhuc inhærentem retinebat. Similem nanciscebar, & aliquando describebam inter paucos peregrinos fructus, ante annos plures viginti in tabella expressos cum quibusdam aliis, quos videre licet in eadem tabella reposita secundo loco cap. XXVIII. hujus libri. Sed & alios similes inter aromata non semel repertos habui. Atque anno M. D. C. unum inter plures à Willelmo Parduino accipiebam, tenui, fragilique, & in binas partes sectili putamine inclusum, cujus suprema pars mucronata in unum non coibat aut claudebatur, sed aperta erat, atque supinâ parte plana fidem faciebat, binos fructus conjunctim nasci, vel etiam ternos, è pediculo aliquo dependentes, quemadmodum apud nos Staphylodendri fructus. Fructus VI. Camiri.

IN binarum unciarum longitudinem, vel etiam ampliorem, & uncialem crassitudinem excreverat Septimus fructus: videbam etiam Caryophylli aromatici vetustioris in fructum jam se formantis dumtaxat magnitudine, cui sane valdè similis, ut primo intuitu mihi imponeret. Totus fuscus erat, nec valdè lævis, supernè quatuor alis decussatim crucisque formâ dispositis præditus, instar Caryophyllorum aromaticorum, infernè angustior & pertusus, prodeunte ex foramine veluti caudâ, crassâ, aut tenui, pro fructus magnitudine, quæ nihil aliud est, quàm nuclei extima pars, qui in fructu continetur; in majore, crassior & cava, ac veluti articulis distincta; in minore, angusta & mucronata: fructus ipse denso duroque corice erat præditus, ut cultro vix aperiri posset, & utcumque salsi saporis: ipse verò nucleus oblongior erat secundum fructus formam, durus, & salsi etiam saporis. An verò hic fructus, atque etiam sequens, salsedinem ex aquæ marinæ aspersione contraxissent, ignoro. Eum porrò cum sequente, qui VIII. & XIV. in eadem tabella (hujus videlicet capitis secunda) exprimendum curabam. Fructus VII.



MESPILO valdè similis erat Octavus fructus, uncialis magnitudinis, tersus & politus, fusci coloris, adeò autem fragilis, ut paullulum compressus disrumperetur; valdè levis, materiam continens fragilem & spongiosam, valdè salsi saporis, in qua nulla grana observare poteram: corona autem illa superna summum fructum occupans, alis carebat quibus mespilum est præditum. Fructus VIII.

NONVS, unciam longus erat, minus unciâ latus, cortice denso constans cineracei coloris, duobus angulis distinctus, & extimâ parte mucronatus, levis, & in aqua haud subsidens, tametsi eâ mergeretur; durus tamen erat, & agitatus strepitum non edebat. Fructus IX.

MYROBALANI nigri ossiculo non valdè dissimilis erat Decimus, major tamen, inæqualis, suo externo cortice (si quem habuit) aut pulpâ nudatus, & dumtaxat, ut mihi persuadeo, fructus alicujus ossiculum, quod confractum, satis crasso putamine præditum esse observabam, & nucleum continere subfuscum, atque in binas partes divisum. Fructus X.

CVIVSDAM etiam fructus ossiculum videbatur Vndecimus, uncialis ferè longitudinis, semuncialis crassitudinis, lævi spadiceique coloris putamine tectum, supernè quodammodo cristato & coloris albi, atque paullò infra conum illum ad latus vestigio apparente, quo suo fructui inhæserat. Inter aromata fuerat repertum cum Tamarindorum seminibus & aliis quisquiliis, quæ sæpenumerò iis commisceri solent. Fructus XI.

ORBICVLARIS pænè formæ erat Duodecimus, Chamæriphes fructus ossiculo non Fructus XII.

D dissimilis,

dissimilis, sed major, lævis, cineraceo colore præditus, putamine satis tenui, quod fungosâ quadam materiâ suffultum, internâ, quâ nucleus includebatur, læve & fuscum erat: ipse etiam nucleus ferè orbicularis formæ, infimâ tamen parte in mucronem desinens, qui in binas partes dividuus erat instar glandis & similium; ejus substantia dulcis, ut amygdalæ ferè, subflavi coloris.

Fructus XIII. DECIMVS-TERTIVS, fructus (si fructus appellandus est) prorsus circinatæ erat rotunditatis, planus, nucis vomicæ magnitudine, & pæne formâ, ex rufo cineracei coloris, qui confractus, internâ parte albus, amaritudinis cum aliqua acrimonia particeps. Si fructus erat, externum corticem habuerat quo spoliatus: sed facilè mihi persuaserim non fructum fuisse, verùm pastillum ex arecæ polline & calce aut aliqua re simili confectum: nam statim atque *Abdala* Guzaratensis (quem evocari curaveram, quum exotici illi fructus mihi conspiciendi tradebantur, ut nomina, si quæ ipsi nota essent, percontarer) unum & alterum in os injecit, &, appellatione indicatâ, *Siri gata gamber*, præsentibus binis mercatoribus manducavit: eam ob causam, quum majore diligentiâ hos pastillos considerarem, & cap. XXV. lib. I. Historiæ Aromatum Garciæ examinarem, prorsus similes iis esse videbantur, quos sectione quinta illius capitis scribit: Potentiores videlicet ex fausel sive areca, lycio, caphura, ligno aloës, & ambari momento formulas componere, quas esitent. (Siri gata gamber.)

Similes antè accipere memini Londino missos, quum Francofurti ad Mœnum habitarem, cum hac inscriptione, Apud Indos magno in pretio haberi. Sed & quotquot naves deinde in Indiam profectæ, redierunt, hujusmodi aliquot formulas retulerunt.

Fructus XIV. ELEGANTIS alicujus plantæ fructum fuisse reor *Decimum-quartum*, quæ fortassis crescat Cannæ Indicæ vulgo vocatæ modo: nam caulis suprema pars, capita sive siliquas sustinens, prorsus similis mihi videbatur, lenta ut illius, & fibrosa, multisque foliolis ceu appendicibus septa: quæ folia, quem florem proferat, nemo mihi indicare poterat: nam qui hæc cum multis aliis rebus collegerat pharmacopœus (in reditu extinctus) nullum nomen adscriptum reliquerat, ut nec plerisque aliis, quæ in tribus ligneis capsis (in quas varia, etiam quædam non magni momenti, congesserat) Amstelredamum relatis, sunt reperta: ex quibus mercatorum, qui in eam navigationem impensas fecerant, permissu, hæc desumebam quæ describerem, quæque postea ab iisdem liberaliter (ut antè dicebam) mihi fuere donata.

Erant porrò hæc capita binas uncias longa, infimâ parte crassa, deinde paulatim ad supremam usque partem gracilescentia, quasi triangulari formâ prædita, obtusis tamen angulis, cartilaginosa, externè fusci ex rufo coloris, internè veluti in ternas cameras secundum longitudinem membranaceâ quadam cartilagine divisa, atque plena nigris, splendentibusque seminibus, milio majoribus, densè simul congestis, & tenui membranulâ involutis, intùs albis & quadam acrimoniâ præditis. Nascuntur autem ea capita in summo caule, quaterna aut quina, atque veluti ex eodem ortu prodeunt.


Ceterùm qui anno à Christi nativitate millesimo sexcentesimo primo ex Iava & Sumatra redibant, similes fructus, etiam in Madagascar insula lectos adferebant, quos mihi obtrudere volebant pro Melegueta sive Cardamomo majore vulgo credito. Verum quidem est, similitudinem quandam esse in externa facie: sed qui vel mediocri diligentiâ utrumque fructum conferet, discrimen observabit: nam Meleguetæ fructus magnâ ex parte brevior & crassior est, hic verò gracilior & oblongior; Meleguetæ cortex etiam minùs istius cortice durus, imò satis fragilis: hujus præterea grana non tam numerosa quàm in Melegueta, majora tamen, fusca & splendentia, singulaque peculiari candicante membranâ involuta. Meleguetæ verò grana, licet trifariam quadam cartilagine distincta sint, & singula suâ peculiari membranâ involuta videantur, minora tamen sunt, magis rugosa, & dura istius fructus granis; præterea non ita splendent; & subrufi sunt coloris, acerrimíque saporis. Si quis tamen Meleguetam esse cerebrosiùs contendere velit, mihi cum illo litem esse non cupio; modò non legitimam, sed ejus spurium aliquod genus esse non diffiteatur.

Fructus XV. NON fructus, sed elegantissimi cujusdam Cardui generis caput erat Decimus-quintus, lectum in magno illo sinu Insulæ *Madagascar*, à Lusitanis *Baya d'Anton-Gil* nuncupato, Orienti exposito, elevatione Poli antarctici XVI. grad. in quo Hollandi primâ suâ navigatione, & aquam, & alia ad victum necessaria comparabant, aliquot diebus istìc hærentes, ante quàm in Iavam pergerent.

VNICVM porrò hujus Cardui caput repertum in ligneis illis capsis à Naucleris relatis, quarum antè memini, cui nullum nomen additum, sed scheda dumtaxat, indicans in jam dicto sinu lectum fuisse.

ERAT verò id caput tres uncias cum semisse longum, infernâ parte unciam latum, su-

pernâ magis, ut quod explicatum, ex multis squamis imbricum modo invicem sibi incumbentibus constans, quæ circa mediam & supernam ipsius capitis partem majores, præ siccitate reflexæ erant summo fastigio, & quodammodo in lacinias divisæ, coloris spadicei: inter quas exortæ erant veluti oblongæ membranaceæ ligulæ, planæ, & satis angustæ, cineracei quasi coloris, summâ parte latiores & foris exalbidæ, internè autem spadicei coloris, mollissimo longoque villo saturæ purpuræ elegantissimæ per oras ornatæ, quæ temporis successu in atrum degenerabat. In medio capite densa erat villosorum staminum flavescentis coloris congeries, inter quæ latebant angustæ & pungentes spinæ, binas uncias longæ, quibus infimâ parte villosum semen inhærebat, Nerij semini non dissimile, fusci ex rufo coloris, sed immaturum. Hunc cum XVII. & XVIII. in eadem tabella, quæ est Tertia hujus capitis, expressum proponimus.



SED & flosculi in illis capsis erant, qui an in arbore nati essent, an in aliqua alia planta, me latet: sed charta, in qua involuti erant, *Tianche* inscriptionem habebat: candidúsne verò an flavus fuerit flos, dubium: nam ex resiccato difficilis erat dignotio, præsertim tam brevi momento pereunte nativo colore: calicem autem habebat è quatuor veluti squamis compactum, & brevi petiolo præditum, in quo flos erat quatuor foliis longioribus & calicem superantibus constans, angustioribusque quàm calicis squamæ, decussatim compositis, protuberante in medio umbone, ut in malorum aureorum & citriorum floribus: odor (si quem habuerat) evanidus, quemadmodum & sapor, propter siccitatem: ab incolis tamen in aliquem usum adservatos fuisse, verisimile est. Eos porrò Decimum-sextum locum obtinere voluimus. XVI. Tianche.

ADMIRABILIS formæ erat Decimus-septimus: quatuor enim membranaceis foliis ex adverso inter se oppositis, ex eodem tamen pediculo prodeuntibus, constabat; quæ supernâ & extimâ parte veluti coëuntia, ossiculum, infimâ parte ipsi inhærens & fragile occultabant, in quo nucleus orbicularis formæ nucis moschatæ magnitudine continebatur, foris fuscâ & fungosâ quadam materiâ obsitus, durus, ut qui resiccatus, internè albus & corneæ duritiei: membranacea illa folia, multis venis erant distincta, & rhomboïdis formæ, atque uncialem longitudinem & latitudinem habebant. Nullum ejus nomen indicare poterant Indi ab Hollandis advecti, quemadmodum multarum aliarum rerum: sed quæcumque ignorabant (ignorabant autem plurima, ut qui omnes vilia mancipia fuissent, præter Abdalam, quem in Iava mercede conduxerant) interrogati quî vocarentur, *Madagascar*, respondebant, tamquam innuere volentes, apud ipsos non nata, sed è Madagascar, sive D. Laurentij insula, esse delata, quia naucleros Hollandos in ea aliquot dies hæsisse non ignorabant; imò illorum natu minimus inde advectus fuerat. Fructus XVII.

SVBROTVNDÆ in plano formæ erat *Decimus-octavus* fructus, uncialis ferè, nigro aut subfusco & lævi cortice tectus, in quinque partes diviso, sub quo latebat cartilaginosus alius cortex, inæqualis & asper, extuberans eâ parte quâ superior cortex divisus, continens in singulis loculis tumescentibus quaterna aut quina grana, Alceæ Ægyptiæ granorum magnitudine, longiora tamen, & infimâ parte quâ cortici adhæserant, angustiora, nucleum exalbidâ tunicâ tectum, intus verò subviridem, continentia, nullo manifesto sapore præditum. An Malvæ aliquod genus? nucleus certè manducatus, lentum & viscosum quidpiam præbebat. Fructus XVIII.

ERANT insuper pleraque alia exotica in illis capsis, sed illa vel ab aliis descripta, ut oryza, sesamum, leblab, Abrus Alpini, & quidam alii perpusilli phaseoli, vel adeo confracta & comminuta, ut vel distinguere ad describendum valde esset difficile, vel supervacaneum. Speramus tamen proximis navigationibus, & plura magisque integra & perfecta


nos adquisituros, quorum historiam (si Deus vitam concesserit) scribemus. Interim boni consulent peregrinarum rerum studiosi hæc pauca quæ in ipsorum gratiam proferimus.

Exotici quidam fructus à Jacobo Gareto accepti.


CAP. XVI.

HÆC Exoticorum fructuum miscellanea diversis annis à Iacobo Gareto aliquando accepimus, & tametsi in illis magna varietas conspiciatur, omnes tamen in unum caput colligendos esse existimavimus, & illorum insigniores in tribus tabellis exprimendos, qui, quàm commodè fieri poterit, suis locis inserentur.


Fructus I. I. G. PRIMVS igitur fructus, planus erat & circino ductæ ferè rotunditatis, quem non singularem, sed plures simul connexos alio fructu inclusos fuisse arbitror: nam alij aliis quasi incubuissent, vestigia in nonnullis adhuc apparebant. Erat verò crasso quidem, sed fungoso cortice præditus, subpurpurascentis coloris, levis, sescunciam latus, nucleum continens planum, candicantem, impensè amarum: nullum nomen erat adscriptum, ut nec aliis plerisque quos mittebat. Eum autem cum II. IV. V. VI. & VII. in eadem tabella expressum, quæ est hujus capitis XVI. prima, hîc subiicio.



Fructus II. I. G. DVRO, densoque cortice præditus erat Alter fructus, eoque inæquali & fusci coloris, internè læviore & quodammodo cineraceo, mediâ ejus parte fibrosâ & firmâ: nucleum autem continebat avellanæ suo putamine inclusæ magnitudine, gravem, durum, rugosum (quia resiccatus) in binas partes divisum, solidum, interiore parte albicantem, in quo nullum manifestum saporem deprehendere poteram, quia omnis vis ob vetustatem fortè evanuerat.



Fructus III. I. G. TERTIVS, ossiculum veriùs alicujus fructus, quàm fructus dici poterat, idque valdè duro & crasso putamine præditum, quod externâ parte multis fibris constabat, internâ verò nigrum erat & quodammodo saxeum, nucleum crassum, durum & rugosum continens. Ovali porrò erat illud ossiculum formâ, sescunciam longum, unciam crassum.



Fructus IV. I. G. AMYGDALAM ita referebat *Quartus* fructus, ut primo aspectu amygdala esse videretur: sed longi villi quibus erat obsitus, diversum esse ostendebant. Erat autem unciâ paullò longior, minùs unciâ latus, fuscus, undique villis obsitus (nisi ubi attriti & detersi erant) in dorso autem longioribus, coloris inter fuscum & spadiceum mixti: cortice verò, adeò tenaci, licet tenui, præditus, ut magnâ difficultate aperire possem, nucleum enim continere, ex strepitu quem motus agebat, intelligebam: erat verò amygdalæ suo putamine exemtæ par magnitudine, uno tamen latere sinuosus aliquantulum, ut phaseoli formam veriùs exprimeret, quàm amygdalæ, quique in binas partes separari poterat, tenui candicante membranâ tectus, ob vetustatem cariosus, ut quis esset ejus sapor discernere nequirem.

Cæterùm triennio postquam expressus fuisset in tabella hic fructus, atque etiam descriptus, alios similes, illoque majores, villos integros adhuc retinentes, qui nihil aliud sunt quàm fibræ, ipsi quidem nuci firmiter inhærentes, sed (ut honestus vir Emanuel Swerts civis Amstelredamensis, diligens in hujusmodi exoticis conquirendis, me monebat) per totam alioqui fructus, qui nucem tegit, pulpam sparsæ. Solet verò interdum (eodem

Emanuële

Emanuele teste) is fructus adferri muriâ conditus, formâ pæne exigui cucumeris, sed multo saturatiore viriditate præditus, qui muriâ exemptus, paullatim flaccescit, & pulpâ tandem in pollinem cum cute resolutâ, nucem relinquit ejusmodi villis tectam, ut observabam in ea quam ab ipso accipiebam anno à Christi nativitate millesimo sexcentesimo secundo, binas uncias cum semisse longam, unciam aut paullò amplius latam. Illum autem fructum anno insequente Mangas esse deprehendebam; de quo consulendi Garcias cap. IX. lib. II. Christophorus à Costa cap. XLIII. & meum in illud caput scholium.


QVINTVS fructus, unciâ major erat, circiter unciam latus, totus niger, & satis lævis, anterioré parte binis foraminibus insignitus, posteriore vestigium retinens, quo vel petiolo inhæserat, vel suo lobo, si aliquo lobo inclusus fuerat: an nucleum contineret, ignoro; agitatus enim nullum strepitum edebat, & in aquam conjectus non mergebatur. E Brasilia allatus ferebatur. *Fructus V. Iac. G.*

ELEGANS erat *Sextus* fructus, & veluti ex quatuor avellanis simul connexis constans, lævibus, spadicei coloris, qui alio operimento tectus fuisse videbatur: nam inter interstitia, quibus singulæ nuces ab invicem separatæ, restabant adhuc membranaceæ cujusdam fuscæ cutis partes, quâ tecti fuerant. Constabant porrò singulæ istæ avellanæ putamine spadicei, ut dixi, coloris, firmo quidem, sed non valdè denso, in quo nucleus continebatur crassus, durus, foris subrufus, internâ parte candicans, nec ingrati saporis. *Fructus VI. Iac. G.*

An Avellana purgativa Ferdinandi Oviedi, quam exactissimè describit cap. IV. lib. X. Primæ partis historiæ Generalis & Naturalis? certè multæ notæ me inducunt ut credam. *Avellana purgativa Oviedi.*

LOBO inclusus fuisse videbatur *Septimus* fructus, aut saltem alio operimento: nam vestigium supinâ parte retinebat quâ alteri rei inhæserat; alioqui firmo putamine præditus erat, licet valdè tenui, & præ politura splendente, coloris ex spadiceo flavescentis, nucleum putamini non adhærentem continente, in binas partes dividuum, internè candicantem, subacido sapore. *Fructus VII. Iac. G.*

FORMAM orbicularem habebat *Octavus* fructus, paullò tamen planior erat supernâ & sessili parte, unciam latus, solidus, nec ullum strepitum dum agitaretur, edens; cineracei coloris, tribus canaliculis sive sulcis distinctus à summo usque ad tria foramina quæ in lateribus obtinebat, tribus aliis minoribus summâ parte præditus. Hunc autem cum quinque proximè sequentibus in subjecta tabella exprimi curabam, quæ est secunda hujus cap. XVI. *Fructus VIII Iac. G.*



PRORSVS ater erat *Nonus* fructus, lævisque & splendens, quatuor sulcis supernè distinctus (tamquam in quatuor partes divisus esset) quorum bini ad partis adversæ umbilicum usque ducti: planus alioqui, & orbicularis pæne formæ, unciâ paullò minor, supernâ parte aliquantulum tumescens & quasi pulvinatus, nisi quâ parte sulci deprimebant: adversa pars vestigium retinebat fuscum, quo fructui sive cortici, qui tegebat, firmiter inhæsisse videbatur, quale in castaneâ equinâ conspicere est, verùm non adeò amplum: durum autem & solidum deprehendebam, adeò ut etiam limam quodammodo respueret: eam ob causam, quem nucleum contineat, mihi incompertum. *Fructus IX. Iac. G.*

DECIMVS fructus paullò major erat semunciâ, orbicularis pæne formæ, fusci coloris, qui, an officulum dumtaxat alicujus fructus esset, nec ne, dubius eram; mirabilis enim erat ejus forma: nam supernâ parte, in tres æquales partes linea trigona quodammodo distinguebat, illa videlicet à summo, in quo foramen, ducta: infimâ autem parte, tres illæ lineæ æqualiter latera secantes, ferè ad umbilicum pertingebant, hoc est, ad duplicatas alias lineas quæ triangulum constituebant, in quarum medio erat umbilicus, sive foramen magis amplum quàm in superiore parte, non tamen pervium; & interstitium illud duplicatas lineas triangulum efficientes occupans, paullò candidioris erat coloris quàm reliquus fructus. An *Fructus X. Iac. G.*

verò nucleum contineret, ignoro, quia motus aut agitatus, nullum ſtrepitum edebat: aquâ tamen merſus, ſubſidebat.

Fructus XI. VNCIALIS magnitudinis erat fructus Vndecimus, prorſus fuſcus, pænè orbicularis, ſtriatus, levis admodum, & in aqua ſupernatans, illâ merſus, tametſi nucleum continere, ex agitatione deprehenderetur, anteriore parte veluti coronulam ſtriatam habens, in qua florem ſediſſe veriſimile eſt, poſteriore autem in oblongiuſculum pediculum deſinens.

XII. Oregioella. SITNE cortex ab aliquo fructu detractus, cui Duodecimum locum do, an aliud quidpiam, prorſus hærebam, neç qui ad me mittebat, quidquam de ea re ſcribebat: ſchedæ dumtaxat in quo involutus cum ſequente fructu, adſcriptum erat *Oregioella* nuncupari, atque ex ea, cui admiſceretur fructus *Cacao* ſimilis, potionem fieri incolis uſitatam. Erat verò hic cortex (ſi corticem appellare licet) uncialis magnitudinis, reflexis oris præditus, craſſiuſculus & ſatis durus, aciduli ſaporis & ſalivam cientis, cineraceique ex fuſco coloris.

Fructus Cacao ſimilis. Fructus porrò, quem Oregioellæ adjunctum accipiebam, nec exprimi curabam, *Cacao* fructum, de quo poſtea dicemus, magnitudine pænè æquabat, membranâ fuſcâ tectus, per medium ſecundùm longitudinem diviſibilis, ut amygdalæ, avellanæ, glandes, & ſimiles, non obliquè ut *Cacao*, ejuſdem tamen cum illo ſaporis, & forſitan ejus genus: gemellum ſimilem etiam cum illo accipiebam.

Fructus XIII I. G. DECIMVS-TERTIVS fructus, uncialis erat longitudinis, non tam denſo quàm lento cortice tectus, ſpadicei ex flavo coloris, nucleum continens cineraceo colore præditum, & tenui, nigerrimaque & ſplendente membranâ obvolutum, præterquam infimâ parte, quæ aut candicans, aut (deterſâ membranâ) nuda, quantum quidem mihi obſervare licebat, dimidiatum enim fructum cum integro nucleo dumtaxat accipiebam, ita ut hîc expreſſus: guſtare tamen nolebam, quia, qui mittebat, adſcripſerat, Braſilianos monuiſſe illos, qui hunc fructum legebant, ne manducarent, quoniam pernicioſus eſſet.

Fructus XIV I. G. SPLENDENS præ nigredine erat Decimus-quartus fructus, uncialem fermè longitudinem, & minimi digiti craſſitudinem æquans, vel etiam amplior, paruum quendam lobum formâ referens, mucrone roſtellum aviculæ quodammodo imitante: exalbidam pulpam continebat, in qua latebant bina aut terna ſemina ſpadicei coloris, malorum vulgarium ſeminibus pænè ſimilia: qualis porrò eſſet planta illa quæ hunc fructum protulerat, me latet. Eum autem cum XV. XVI. & XXI. in eadem tabella exprimi curabam, quæ hoc loco adpoſita, atque tertia & poſtrema eſt hujus capitis XVI.


XIIII



XV




XVI





XXI



Fructus XV. I. G. ORBICVLARIS erat Decimus-quintus fructus, & ſemuncialis magnitudinis, duro cortice tectus inſtar fructus Styracis, duplo tamen major, coloriſque minùs illo ſplendentis, & quaſi fuliginoſi, nucleum aliquem continens, quia agitatus ſtrepitum edebat.

Fructus XVI. I. G. IN hoc Decimo-ſexto fructu, qui pruni ſilveſtris in ſpino naſcentis erat magnitudine, quandam differentiam obſervabam initio: nam alij apicem illum ſive criſtam ſummo fructui inhærentem, & à pediculo pendentem, planam habebant: aliis in illo apice bina tubercula inſidebant ab utraque pediculi parte unum; ut eminentes oculi, totuſque apex, aviculæ capitellum ſurſum elato roſtro referre viderentur. Spadicei ex fuſco coloris erat is fructus, atque rugoſum foris corticem habebat, internâ parte ex ſpadiceo flaveſcentem, tenellum, nucleum continens ſive veriùs oſſiculum ſphæricæ prorſus formæ, coloris atri, adeò ſolidum, ut ne limâ quidem offendere, aut abradere quidpiam poſſem, nedum cultello aperire: infima pars nonnihil candicabat, quæ tamen adfricata candorem illum amittebat.

Binos alios ejuſdem generis ſeptennio poſt ab eodem Iacobo Gareto accipiebam, non ſingulari baccâ conſtantes, ſed geminâ eaque majore, ut etiam ceraſum æquarent, abrupto pediculo, cujus veſtigium adhuc appareret, ſic ut magna ex parte geminus fructus ex uno pediculo naſci videatur, quemadmodum in periclymeno recto: longè recentiores autem erant poſtremæ illæ baccæ: nam tenaci admodum & glutinoſo ſucco adhuc abundabant; fuſcæ

fuscæ quidem illæ, sed quæ luci oppositæ, ex rubro flavescentis coloris apparerent: alterâ illarum per medium sectâ, ossiculum reperiebam jam prædicto simile, durum, & adeo nigrum, ut ex ebeno tornatum quispiam existimare potuisset. Quum porrò Garetus adscripsisset ab Anglis ex Guyana relatum, ejusque pulpâ manibus confricatis, deinde aquâ elotis, spumam excitatam, cujus rei causâ *Sope berries*, id est, saponarias baccas ab ipsis esse appellatas; non dubium esse iudicabam, quin essent fructus ille quem Oviedus Parte primâ Generalis & Naturalis histor. lib. IX. cap. V. & Nicolaus Monardes lib. De simplicibus Medicamentis ex Occidentali India delatis, Sphærulæ saponariæ nomine donarunt. Sope berries. *Sphærulæ saponariæ.*

NON valdè dissimilis ossiculo superioris fructus erat Decimus-septimus, qui Nucis purgatricis appellatione mittebatur: etenim orbicularem, ut ille, habebat formam, & eandem magnitudinem; hujus tamen color non adeò niger, sed fuscus potiùs, in quo apparebant subflavescentes quædam venæ. Alio autem fructu comprehensum fuisse, & nucleum dumtaxat fructus alicujus esse, apparebat: nam sectus, versicolore substantiâ constare deprehendebatur, magnis maculis albis fuscæ substantiæ & satis molli (ut quæ cultello sine difficultate incidi posset) permixtis. *Fructus* XVII I. G.

VALDE rugosus, nigrique coloris nucleus erat Decimus-octauus, in binas partes separabilis, exilis, substantiâ, quia resiccatus, durâ, acidiusculi saporis: an aliquo ossiculo aut putamine fuerit tectus, me latet. *Fructus* XVIII. *Iac.* G.

NON fructus, sed alicujus fructus semen videbatur Unde-vigesimus, vel cucurbitacei generis, vel alterius cujuspiam: nam similem quodammodo formam habebat, licet aliquantulum crassior, nec adeo rugoso, verùm lævi, colorisque vel spadicei, vel ex spadiceo flavescentis cortice tegeretur: sed nec hujus generis semina ejusdem erant magnitudinis, verùm quædam latiora, nonnulla angustiora: nucleus qui in illo continebatur, durus ob vetustatem & insipidus. XIX. I. G.

ETIAM hoc semen Vicesimum locum obtinens, cujus fuerit fructus, ignoro, quod quidem Tamarindi semini non valde dissimile erat figurâ, sed magis planum, & oris magis compressis, cortice spadicei coloris tectum, semen continente album, durum, & ob vetustatem rancidum: ipsum semen cum suo cortice ab una extremitate dentatum. XX. *Iac.* G.

MAGNVS erat glandis ille calix, qui ab Anglis ex *Windecaow* relatus, Londino ad me mittebatur, cuique Vicesimum-primum locum in hoc capite tribuebam: etenim sescunciæ latitudinem, & unciæ profunditatem habebat, durus admodùm, & multis squamis hispidis firmisque obsitus, ex cineraceo fuscis, internâ parte, ad glandis usque sedem, brevi mollique & veluti sericeâ lanugine cineracei coloris fultus, cujus glans (quæ mihi non conspecta) ingens fuisse debuit. Schedæ quâ hic calix involutus, adscriptum erat: Hic calix glandis ex *Wingandecaow* allatus fuit: propterea eum esse suspicabar, quem Virginiensis Historiæ scriptor *Mangummenauck* appellari tradit, cujusque glandes ab incolis desiccari, ut facilius conservari possint, deinde aquâ macerari & decoqui, ut in cibum cedant cum piscibus vel carnibus, tam ministris quàm ipsis patribus familias, vel variandi cibi gratiâ, vel ob panis penuriam. XXI. *Iac.* G. *Mangummenauck.*

Exotici fructus à Richardo Garth accepti.

CAP. XVII.

CETERVM *Miscellaneis à Iacobo Gareto acceptis, adjungendam censui descriptionem exoticorum duorum fructuum confractorum, quos ipso curante doctissimus vir Richardus Garth ad me mittebat, & è Brasilia accepisse significabat.*

PRIMVS quem non integrum accipiebam, & ab incolis *Aratacou* appellari adscriptum erat, sescuncialis longitudinis fuisse videbatur, quantum quidem ex fragmento summâ parte abrupto conjecturam facere licebat; de crassitudine nihil pronunciare possum: sed illud fragmentum fungosâ quadam materiâ præditum erat, in qua latebant quaterna aut quina semina fusci coloris, duobus ordinibus à summo ad imum serie quadam disposita, melonum seminibus formâ non valde absimilia, medio tumentia, medullamque continentia fervidi saporis, etiam toto quatuordecim annorum curriculo, postquam accepissem *Fructus* I. *Garth. Aratacou.*

ſem elapſo: ipſe fructus foris inæqualis & fuſci coloris. Cujus porrò fuerit uſus apud indigenas, me latet; & qui mittebat, nullam mentionem faciebat.


Fructus II. R. Garth. ALTER, prorſus erat confractus, ut ejus forma dignoſci nequiret; nullum nomen additum: putaminis fragmenta ſatis fragilia erant, foris cineracei ex fuſco coloris, internè nigri, pulpa rugoſa & in unum coacta, nigra, quæ guſtata, acidi ſaporis deprehendebatur, & nigro colore inficiens, non ſecus, quàm *Iunipappeeywa* Braſilianorum: hujus tamen cortex *Iunipappeeywa* cortice fragilior, & in hujus pulpa nulla ſemina obſervabam, quemadmodum in illius fructu.


Fructus exotici Hiſpali accepti.

CAPVT XVIII.

SED & *paucos exoticos fructus Hiſpali accipiebam anno reparatæ ſalutis humanæ nonageſimo ſexto ſupra milleſimum & quingenteſimum, à doctiſſimo viro Simone de Tovar illius urbis primario medico, cum aliquot phaſeolis.*

Eos porrò fructus in ſubjecta tabella exprimendos curabam.





Fructus I. S. Tovar. Coxco cypote. PRIMO nomen adſcriptum erat *Coxco cypote*, hoc eſt, nux ſive oſſiculum Cypote. Non autem erat valdè abſimilis illi, qui mihi aliquando miſſus pro fructu ejus arboris, quæ liquorem illum Balſami appellatione donatum, in inſula Hayti ſive Hiſpaniola profert, ſed minor, nec ſpadicei, ut ille, coloris, verùm fuſci prorſus, & præ lævore ſplendens; ventre, ſive infernâ parte, cineracei coloris, non lævi ut ſuperna, ſed ſcabrâ; quem pictor valdè negligenter expreſſit. Alio fructu haud dubiè incluſus fuerat, nam oſſiculum dumtaxat erat alterius fructus: qualis autem fuerit arbor quæ fructum protulit, aut quâ in provinciâ nata, nihil erat adſcriptum: tametſi autem nucleum continere hanc nucem certum eſſet, agitata tamen nullum ſtrepitum edebat, nec aquâ merſa ſubſidebat.

Fructus II. S. Tovar. Almendras del Peru. ALTERI nomen inditum *Almendras del Peru*, id eſt, amygdalæ Peruanæ, quia fortè operimentum quo hæc nux tecta fuit, illi ſimile quod amygdalam tegit, aut quia nucleus quem continet, amygdalæ nucleo non eſt diſſimilis: certè hujus quam aperiebam, nucleus, & ſubſtantiâ, & ſapore, amygdalæ nucleum valdè referebat: ſed oſſis ſive lignei corticis qui nucleum continebat, forma diſſimilis: nam triangularis erat, dorſo lato, in bina latera anguloſa deſinente, valdè rugoſo, quemadmodum & utrumque latus: ſupina pars etiam rugoſa, ſed anguſta & cuneiformis. In aquam injecta hæc nux, non mergebatur, licet nucleum adeò integrum haberet, ut totum ligneum corticem expleret.

Fructus III. S. Tovar. TERTIO magna affinitas erat cum Convolvuli aliquo genere: nam tota facies reſpondere mihi videbatur, licet longè major eſſet, quàm ullus ſimilis generis mihi unquam conſpectus. Etenim calix qui florem continuerat, quinque folijs unciam ferè longis & latis invicem amplectentibus conſtabat, ut in cappari; quibus includebatur caput trigonum membranaceum, tria grana inſtar magnorum piſorum continens, coloris ex fuſco cineracei, & pænè fuliginoſi. Tres autem flores ex longis pediculis dependentes craſſiuſculo ramo inhæſiſſe apparebat. Similia porrò grana illo ipſo anno ab eo accipiebam Convolvuli peregrini appellatione, his additis verbis.

Buenas noches. *Buenas noches*, plantæ ex Occidentali India delatæ ſemina, quæ etiam ſtirps apud fortunatas Inſulas reperitur, ubi *Buenas noches* vocatur, voce Hiſpanis (ut noſti) conſuetâ, quâ ſe,

congre-

congredientes vel discedentes, vesperi salutant. Hæc verò primo sui ortu bina profert folia Campanulæ Indicæ primùm nascentis foliis similia, sed maiuscula & crassiora, cui etiam similia edit folia recens natus Mechuacanus, antè quàm innascantur alia folia. Multi porrò ab unica hujus plantæ radice caules prodeunt, qui pedamenta adfixa, vel vicinas plantas multiplici ambiunt spirâ, Smilacis asperæ instar, cui etiam similia habet folia, majora tamen & molliora: in caulibus etiam aliquot hamatas continet spinulas, quales & smilax aspera, sed rariores ac minùs horridas: flores autem pandit candidos & grandes, mediocri disco pares, qui matutino tempore dehiscentes, noctu illico flaccescunt: unde nomen accepisse putamus.


Ceterùm ex seminibus à Tovaro acceptis, quæ amicis communicaveram, unica planta insequente anno nata est ornato viro Honesto Lopez, quæ initio prodibat simili modo quem Tovarus refert, deinde multa longa sarmenta proferebat, perticæ (quam me monente juxta fixerat) multis spiris & nexibus sese circumvolventia, & tenellos veluti spinarum aculeos, præsertim circa articulos, generantia, qui nihil aliud erant quàm radicum rudimenta, ut in plerisque plantis, puta mayzo, harundine, & aliis quibusdam similibus interdum contingere videmus, quæ haud dubiè comprehendissent, si quis terrâ obruisset. folia habuit valde viridia, convolvoli foliis similia, sed longiora, & pleraque hederaceorum foliorum instar angulosa, atque in longum angustum mucronem desinentia, ut smilacis asperæ folia; florum quidem gemmas ferre incipiebat, sed perfici nequiverunt, quia præmaturæ pruinæ totam plantam corruperunt.



Exotici fructus à Iacobo Plateau & aliis accepti.

CAP. XIX.

ALIQVOT *exoticos fructus mittebat ad me Iacobus Plateau, quum intelligeret me Exoticorum Historiam scribere, ut quantum posset meos conatus etiam in hac materia juvaret, sed quos, præter binos, jam antè videram & descripseram.*

Binos igitur illos, quos dixi mihi antè non fuisse conspectos, cum binis aliis aliunde acceptis, in tabella exprimi curabam quam hîc subiicio.

I

II

III

IIII


PRIMVS illorum quos Plateau mutuo dabat, binas uncias cum semisse longus erat, quatuor in ambitu crassus, cineracei coloris, quem aliquo operimento tectum fuisse arbitrabar: in quinque partes dividi posse, venæ per longitudinem ductæ indicabant; alioqui eminentibus aliquot tuberculis instar vesicularum, obsitus erat, quæ aperta, inanes & inæquales lacunas ostendebant spadicei coloris & splendentes, quasi semen aliquod continuissent: valdè durus autem erat is fructus, & adstringente facultate præditus. *Fructus I. Iac. Plateau.*

ALTER, prorsus orbicularis erat formæ, quatuor enim unciarum erat ejus ambitus, sive à pediculo circumferentiam metireris, sive medio corpore; corio sive cute tectus coloris ex aureo flavescentis, ut exiguum aurantium malum reficcatum videretur, octo tamen nervos satis crassos à pediculo ad summum fructum omni ex latere ductos habebat (ut hac ratione inter exoticos fructus nervis distinctos, de quibus cap. x. hujus libri egimus, reponi posset) eorumque nonnullos geminos, alios quaternos simul junctos, alios singulares: valdè autem levis erat, quia reficcatus: breviter omnes notas habebat mali aurantij, præter illam nervorum distinctionem. Vnde habuisset, quóve nomine appellaretur uterque fructus, qui mihi concedebat ut describerem, nihil adscribebat. *Fructus II. Iac. Plateau.*

TERTIVS

Fructus III. TERTIVS, non valdè absimilis erat illi fructui quem immaturæ ficui similem esse scribebam lib. I. cap. XI. cùm formâ, tum magnitudine & colore: etenim durus erat & solidus, levis tamen: ejus color ex fusco cineraceus, albis maculis aspersus; nec aliâ ratione ab illo differre mihi videbatur, nisi quòd hic graciliore pediculo esset præditus: an verò plures in uno ramulo hæserint, ut illi, ignoro, quia singularem accipiebam.

Fructus ab Henric. van Os I. QVARTVM, mihi donabat Amstelredami anno reparatæ salutis humanæ millesimo sexcentesimo, Ornatissimus & perhumanus vir Henricus ab Os, Theodorici frater, Amstelredamensis civis.

Orbicularis autem pænè is erat formæ, quatuor verò unciarum ejus ambitus; cortice, sive veriùs putamine quidem duro, sed non valdè crasso tectus, qui supernâ parte lævis & spadicei coloris, infernâ rugosus & fuscus, nucis Cypote ferè instar; nucleum continens durum, foris fuscum, intùs album, non ingrati saporis, eâ parte quâ levi putamine tectus fuerat, striatum, alterâ prorsus rugosum.

Exotici aliquot minores fructus, quos Cl. V. Bernardus Paludanus vel mihi donabat, vel mihi concedebat ad describendum.

CAP. XX.

IAM *ad eos minores exoticos fructus venio, quos Cl. V. Bernardus Paludanus (præter illos quorum historia jam scripta) aut mihi donabat, aut mutuo concedebat, ut describere possem: eos quia nullâ certâ serie commodè distribui poterant, in unum caput congessimus.*

Fructus minor I. Paludani. PRIMVS, gravis erat, orbiculatæ pænè formæ, planioris tamen & quasi compressæ, rugosus, cineracei ferè coloris, durus & solidus, aquâ tamen mersus non subsidens. Ejus nomen, ut etiam sequentis, Paludano ignotum; nec ex qua Provincia utrumque accepisset, significabat.

Fructus minor II. Palud. ALTER, planus etiam erat, binas uncias longus, totidem latus summâ parte, cordis (ut vulgo pingitur) formam quodammodo referens, multis tuberculis eminentibus inæqualis, fusci coloris, levis, aliquantulum cariosus, quia immaturus collectus fuisse videbatur: an aliquo putamine inclusus fuerit, me latet, quia nullum petioli à quo pependisset, vestigium in eo apparebat.

Fructus minor III. Palud. HIC fructus, ordine *Tertius*, in aquam conjectus, non mergebatur, licet satis gravis, & nucleum contineret, ut ex strepitu quem agitatus edebat, conjecturam faciebam, uncialem superabat magnitudinem, metæ formam quodammodo referens, hoc est ab ampla basi sensim gracilior assurgens, cineracei ferè coloris. Paludanus ad se missum scribebat pro fructu Balsami Perüani: alterius tamen erat formæ, & valdè ab eo differens, quem eo nomine ante multos annos accipiebam, (lector ejus iconem inveniet in prima tabella cap. XXVIII. hujus libri) ut ex utriusque collatione cuilibet manifestum esse poterit. Si porrò uterque conferatur cum fructu à Nicolao Monardes Balsamo Perüano attributo, neuter conveniet.

Balsami Peruani fruct.

Fructus minor IV. Palud. TRIANGVLARIS formæ erat *Quartus*, eminentibus tribus angulis, & scissuras ostendentibus, ex quibus, in ternas partes facilè dividi posse, intelligere licebat: levis erat, & aquæ innatans, nec imum petens, tametsi diuturno tempore in ea hæreret, foris fusci coloris: an quidpiam interiore parte contineret, ignoro, quandoquidem confringere sum veritus, quòd unicum illius generis haberet Paludanus: arbitrabar tamen pulpam continere; licet agitatus, nullum strepitum ederet.

Fructus minor V. Palud. BACCÆ cujusdam prægrandis ossiculum videbatur *Quintus* fructus, ipsi quidem & mihi ignotæ, sed quod formâ Olivæ ossiculum utcumque referret, longè tamen majus, utpote sescuncialis longitudinis, uncialis verò latitudinis, rugosum, solidum; nucleum in se continens, ut ex agitati strepitu conjecturam facere licebat.

Fructus minor VI. Palud. VNCIAM crassus erat *Sextus* fructus, sescunciam ferè longus, formâ etiam olivæ ossiculum quodammodo referens, major tamen, rugosus, & veluti frequentissimis tuberculis obsitus, tribus nervis secundum longitudinem distinctus, extremâ alterâ parte obtusâ, alterâ verò mucronatâ, satis gravis, & nucleum aut tale quidpiam continens, ut ex agitatione coniiciebam; in aquam injectus, non mergebatur. Alterius fructus haud dubiè ossiculum.

SEPTIMVS

SEPTIMVS prorsus orbicularis erat, utrique nostrûm ignotus, parvi mali, sive aurantii formâ, quatuor aut quinque uncias ambitu continens, levis, coloris ferè cineracei, solidus & durus, pulpam aut nucleum jam resiccatum continens, quoniam commotus strepitum edebat. *Fructus Palud. min. VII.*

OCTAVVS fructus, orbicularis ferè etiam formæ erat, quem à nautis ex Guinea redeuntibus se accepisse mihi dicebat. Tenui porrò veluti membranâ constabat, brevi petiolo præditus, pænè cineracei coloris, intùs inanis, nisi quædam rugosa granula continuisset, iis quæ in Solano manico majore, sive Datura conspiciuntur, non valdè absimilia: inhærebat autem sarmentis quibusdam, vitis viniferæ sarmenta referentibus. *Fructus Palud. min. VIII.*

NONVS fructus erat pentagonus, veriùs fructus ossiculum dicendus, uncialis longitudinis, quod ex quinque veluti oblongis tessellis compactum, quibus sublevatis, longus nucleus in singulis apparebat, sed inanis & membranaceus dumtaxat: totum ossiculum tuberibus inanibus erat obsitum. Illud unicum habebat, & quidem vetustate quasi attritum. *Fructus Palud. min. IX.*

OSSICVLO Myrobalani, neque magnitudine, neque etiam formâ dispar erat *Decimus* fructus, cum suo ossiculo ab una parte hexagono, vel heptagono, nervis obliquè per universum dispersis: is autem nigrâ cute veriùs quàm pulpâ tectus erat, acidi saporis: ossiculum autem duro putamine constabat, in quo nucleus ex rubro fulvescens, non insipidi gustus, sed amygdalam dulcem vetustam referentis. *Fructus Palud. min. X.*


IN orbem quodammodo convolutus erat *Vndecimus*, nucleus veriùs quàm fructus, qui putamine aut nuce aliquâ conclusus fuisse videbatur, solidus tamen & fusci exteriùs coloris, internè albus: non ingrati quidem saporis, sed acidiusculi, quem tamen vermiculi albi, iis non dissimiles qui in ponticis sive avellanis nucibus generantur, sed minores, valde appetebant, & brevi tempore totum erodebant. *Fructus Palud. min. XI.*

ISTIS adjuncta erat siliqua tres uncias longa, licet interdum brevior reperiatur, satis gracilis, rugosa & inæqualis, cineraceâ cute constans, quæ secundum longitudinem in binas partes dehiscebat, multa grana continens plana, dura, coluteæ granorum ferè æmula. *Fructus Palud. min. XII.*

Exotici fructus à Walichio Syverts.

CAPVT XXI.

DESCRIPTA *hujus Exoticorum Historiæ aliquâ parte, mittebat ad me ornatissimus vir* Walichius *Syvertz nonnulla quæ anno* M. D. XCIX. *de nautis quibusdam ex America reducibus redemerat, additis etiam appellationibus quas ab Americano quodam ex Waiapock oriundo, & à nautis illâ navigatione advecto intellexerat.*



Baruce.

Hura.

EORVM porrò historiam dividendam esse censui: nam quum inter illa sint succi & liquores, tum etiam quædam plantæ, potissima autem pars fructus, de singulis seorsim agendum existimabam: & primùm de fructibus, quia illorum materiam hoc libro tractamus, quibus dabimus XXI. caput hujus Secundi libri: quatuor verò in subjecta tabella dumtaxat exprimendos curabamus, *Baruce* videlicet, *Arara*, *Orukoria*, & *Cropiot*.

ILLORVM igitur Primus *Baruce* appellatus, admirabilis erat formæ, & in Guyana nasci ferebatur satis celsa arbore, *Hura* nuncupatâ. E multis autem veluti nucibus uncialis magnitudinis mirabili modo simul junctis & connexis

consta-

conſtabat, quæ in bina lignoſa duraque putamina dehiſcebant, & orbicularem planumque nucleum continebant cineraceâ membranâ tectum. Eum verò fructum tot nucibus ſimul junctis, & veluti in unum caput coactis interdum creſcere intelligebam, ut tamquam orbicularem clavam, geminum pugnum craſſitudine æquantem & in multos angulos deſinentem referre videatur. Hujus fructus nucleo, incolas uti dicebant, ad corpus vomitu & alvi dejectione purgandum.

Arara.

ARARA fructum in *Kaiana* creſcere, in arbore-ne an humiliore plantâ, non erat adſcriptum. Erat verò uncialis longitudinis, cute veriùs quàm putamine conſtans, ſatis durâ tamen, nigraque, longiore pediculo & inæquali nitens, ut plures flores inhæſiſſe viderentur. Incolæ ejus confracti & in aqua elixi decocto, maligna ulcera lavant, ad ea curandum: aiebant etiam utilem ad alvum emolliendam; quod de nucleo intelligendum arbitror, quo carebat fructus à Walichio acceptus: ſed alium paullò poſt ad me mittebat Iacobus Garetus magis integrum, continentem nigrum nucleum ſilveſtris olivæ magnitudine.

Orukoria. Iuruwa.

ORVKORIA, fructus arboris in *Wiapock* naſcentis, *Iuruwa* appellatione, quo ad curanda vulnera utuntur, hoſtium telis & jaculis in bello inflicta: fructus enim contuſi vel confracti ſuccum in vulnera inſtillare ferunt, ad ea conſolidandum. Planus autem erat is fructus, pænè unciam latus, & binas longus: ſed contortus inſtar ſiliquæ Cytiſi legitimi, longè tamen major, valdè rugoſus, cineracei coloris, ſemen planum continens.

Cunane.

BINAS uncias longus erat *Cunane* fructus, cujus icon expreſſa eſt in tabella proximo capite ſequente reponenda, unciam ſummo capite latus, deinde paullatim ad infimum uſque gracilior fiebat, dorſo paullò elatiore, lævis, niger & ſplendens, tribus foraminibus ſummo capite præditus, uno ſupernè, binis infernè. Illum in puſilla arbore naſci ferebant,

Morremor.

cui nomen *Morremor*: immaturus autem erat: ſed plenam maturitatem adeptum, duplo majorem aſſerebant; eumque ſupra prunas toſtum, manducari ab incolis adverſus capitis dolores.

Waricoramori.

WARICORAMORI fructum, ſecundum flumen *Arriwari* creſcere adſcriptum erat; ad quam tamen rem utilis eſſet, ignorari. Binos autem ſimiles accipiebam, ejuſdem quidem formæ, ſed magnitudine differentes: nam unus binas ferè uncias longus erat, alter uncialem longitudinem non ſuperabat; uterque tereti & rugoſæ glandi ſimilis, adſtrictoriæ facultatis, qui alio cortice ſive putamine tectus fuiſſe videretur.

Cropiot.

CROPIOT, parvus & rugoſus fructus erat, non valdè diſſimilis ſingularibus ejus fructus articulis, quem Piper Æthiopicum appellant, & Avicennæ eſſe putatur, magnâ acrimoniâ præditus, nigrumque ſemen continens, ut Piper Æthiopicum. Solere autem incolas cum fructum admiſcere Tabaci foliis adſcriptum erat, quum illius fumum haurire vellent ad capitis dolorem leniendum. Erant autem aliquot ejus fructus funiculo trajecti, ut in icone videre eſt; quod incolas feciſſe arbitror ad eos commodiùs reſiccandum, vel, ut in promptu haberent, quando illis utendum.

Daburi.

DABVRI. De hoc fructu prolixiùs agemus cap. XVI. lib. III. ſub Echinati folliculi appellatione, quem ἀνώνυμον antè acceperam, tametſi Walichio referente, ejus uſus ignotus eſſet Americano illi qui nomen indicarat.

Parapar.

PARAPAR Phaſeoli quoddam genus orbiculare, nigrum, ſplendens, quod lobo incluſum fuiſſe videbatur, ut ex hilo, quo præditus, conjecturam faciebam. Plures ſimiles fructus per medium pertuſos funiculo trajecerant incolæ, ut ornatus gratiâ, è collo ſuſpenſos ſub ſiniſtrum brachium admitterent, obliquè torquis inſtar ſupra pectus recumbentes.

Eraway.

ERAWAY, Ricini puſillum genus erat, quale ex Guinea etiam aliquoties advehi memini. Eo porrò nonnullos Empiricos adverſus varios morbos uti, non ſemel obſervabam: etenim quum vehementer purget, ſuccedit illis interdum ex animi ſententia: eam ob cauſam valde commendabant, & tamquam peculiare ſecretum ſibi reſervabant.

Anacok.

ANACOK uſum ignorabat: erat autem phaſeoli genus binis coloribus diſtinctum, rubro & nigro. Ejus mentionem fecimus cap. XLI. lib. VI. noſtræ Rariorum Plantarum Hiſtoriæ, & faciemus adhuc cap. XI. lib. III. hujus Exoticorum Hiſtoriæ.

Tacori.


TACORI, folia erant in *Kayana* & *Wiapock* naſcentia; arboris-ne verò, an alicujus alterius plantæ, non erat adſcriptum: Draconis tamen arboris, cujus hiſtoriam primo Rariorum Plantarum dabam, foliis valdè ſimilia erant, cubitalis, vel etiam bicubitalis longitudinis, uncialis verò latitudinis infimâ parte, deinde paullatim in mucronem graciléſcentia. Incolas aquâ macerare dicebant, contundere, & in tenuia ſtamina diducere lini aut ſerici inſtar; quin & funes ex illis torquere ad tigna in ſuis fabricis colliganda idoneos. An alterius ſit apud illos præterea uſus, ignoro.

Exotici quidam fructus è Walachria accepti.

CAP. XXII.

EXOTICOS *etiam alios quosdam fructus mihi communicabat honestus vir Willelmus Parduynus, quibus, tametsi diversi sint generis, peculiare tamen caput donandum censebam, quia cum prioribus commodè conjungi non poterant.*

Eorum autem tres priores in tabella exprimendos curabam cum fructu *Cunane*, cujus superiore capite facta mentio, & hîc adponendam censebam.



PRIMVS, orbicularis pænè erat figuræ, unâ tamen parte sessilis & quodammodo planior, alterâ in orbem assurgens, creberrimisque sub nigra splendenteque quâ tegebatur cute, sive membrana, quaquaversum velut sulcis distinctus, instar nucis Fausel sive arecæ suo involucro exemtæ, cui etiam substantiâ non videbatur adeò dissimilis: verùm longè major, nec adeò turbinatus. Gravis erat, cortice fusco præditus, eoque quem dixi modo sulcatus; interna pulpa sive substantia, dura, candicans, salsi initio saporis, deinde adstringentis. *Fructus I. Wil. Parduyn.*

Similes etiam accipiebam annis millesimo quingentesimo nonagesimo octavo & eum insequente à Iacobo Gareto; ostendebat similiter Cl. V. Paludanus, quem ex Orientali India advectum dicebat: sed omnes nudi, & cute illâ sive membranâ nigrâ destituti, præter postremum qui à Gareto mittebatur.

ALTER, uncialis erat longitudinis, sed ossiculum fructus veriùs quàm fructus, orbiculari pænè formâ præditum (nisi quâ parte fructus ipse quo continebatur, è pediculo pependerat, & extimâ, quæ aliquantulum mucronata) trium ferè unciarum ambitu, fusci coloris, durum, & perpetuis tuberculis obsitum (quæ pictor non expressit) in quo tamen apparerent veluti triangularis formæ vestigia in utraque extremitate, solidum, grave, aquæ tamen innatans, nec sidens, etiam si eâ mergatur. E Guinea allatum significabat. *Fruct. II. Wil. Parduyn.*

TERTIO, duarum unciarum cum semisse erat longitudo: quâ parte autem latissimus, uncialis aut paullò amplior latitudo, forma nonnihil convexa, dorsum elatum & assurgens, arctius caput, infima pars in mucronem desinens, cineraceus color, crassiores eminentioresque nervi à summo capite ad infimam partem per dorsum excurrentes tantâ arte expressi, ut humanâ industriâ sculptos quis arbitrari potuisset: alio autem cortice tectum fuisse verisimile est, qui assiduâ à fluctibus marinis in littore volutatione attritus fuerit: constabant verò illi nervi ex fibrosa materia, quemadmodum infima pars nonnihil attrita fidem faciebat. Ad nucis porrò *Cunane* (quæ inter fructus à Walichio acceptos superiore cap. descripta) formam valde accedebat, exceptâ illâ nervorum eminentiâ, tum etiam colore, qui in *Cunane* prorsus ater erat. Propter affinitatem tamen quam inter eos fructus videbam, *Cunane* etiam iconem in eadem tabella exprimi curabam. *Fruct. III. Wil. Pard.* *Cunane.*

QVARTVS, exilis erat, semunciam magnitudine non superans, exiguæ & immaturæ nuci *Fausel* non valdè dissimilis, exalbidi coloris, calice præditus quatuor squamis constante, continens aliquot grana fusca, rotunda instar piperis nigri, sed valdè rugosa, quia forsitan immatura, intùs alba, acris saporis. An *Brasma* apud Dioscoridem cap. De Pipere? *Fructus IV. Wil. Parduyn.*

QVINTVS, triangularis erat formæ, semuncialis etiam magnitudinis, exalbidi coloris, tenuique membranâ tectus, Cardamomi Officinarum fructum perbellè referens, continensque multa grana inæqualia & rugosa, cineracei foris coloris, intùs albi, omnia in globum congesta, satis validi & gravis odoris & acris saporis, qui brevissimo & vix apparente petiolo plantæ inhæserat, calice tribus foliolis constante inclusus. Qui mittebat, Consulem *Fruct. V. Wil. Parduyn.*

sulem suæ urbis unum ex his fructibus edisse scribebat, ex cujus esu morbum contraxisset: quæ adeò causa fuit, ut granum leviter duntaxat gustare vellem, nihilo minus (an ex odore, an verò ex degustatione acciderit, ignoro) caput mihi dolere cœpit, & haud dubiè pejus mihi accidisset, si devorassem.

Fructus VI. Wil. Pardyn. NVDVS omnino, & variæ formæ erat *Sextus*, quem lobo inclusum fuisse arbitror: etenim nonnulli plani erant, & quasi quadranguli, alii oblongiores, & alterâ parte obtusi, eâ verò quâ se mutuò contigerant, compressi, omnes tamen foris rugosi, nigricantes, & candicantibus quibusdam venis distincti, in binas partes dividui, ut reliqua legumina: substantia autem interior subfusca & solida, & ejus sapor etiam adstringens, perinde ac fructus Coles, quem cap. VII. lib. III. sequentis describemus.

Fruct. VII. Wil. Pard. SEPTIMVS, ex Guinea allatus, quo se à nauta donatum scribebat ossiculi mespili appellatione: quod sanè ab illius forma non erat valdè absimile, præsertim prægrandium mespilorum (qualia nonnumquam octo vel novem unciarum ambitu videre memini) verùm non scabrum ut illorum, at læve, & spadicei coloris, in medio nonnihil tumens, & paullulum ab uno latere scabrum & subalbidum. Honestissimus vir Franciscus Peninus, similia etiam mittebat anno nonagesimo octavo supra millesimum & quingentesimum, recens allata ex Guineâ ab ipsius filio Petro, asserente mali, esui apti, semina esse. Is autem insequente anno in Guineam denuò profectus, paullò diligentiùs hunc fructum observabat, ut ineunte anno millesimo sexcentesimo intelligebam. Porrò, ipso referente *Lata* (sic illum fructum appellabat) exigui pyri est magnitudine, magis tamen rotundus, coloris ex aureo flavi, interdum etiam rubentis instar pomi, tenui cortice præditus, qui detractus, in tenuia stamina fili modo abit: sapor cum dulcedine adstringẽs, ita ut os valdè refrigeret: eam ob causam Lusitani istìc degentes in febribus ardentibus exhibebant: ipsam pulpam esse dicebat coloris aurei saturi ad rubrum inclinantis, lentam nonnihil & viscidam. Singulos autem fructus, quina ossicula continere surrecta, quemadmodum mespila, eaque separatim tenui involucro tecta, serico crudo candido simili. Nasci in arboribus pyro similibus, humanam tamen altitudinem non superantibus, cujus folia ex atro viridia essent, pyrique foliis magis orbiculata.


Lata.

Exotici fructus à Clutio.

CAP. XXIII.

OSTENDEBAT mihi Theodorus Clutius, dum vivebat, aliquot exoticos fructus, inter quos binos videbam, quos nondum descripseram: illos peculiari capite describere volui, & in tabella expressos lectoris oculis subiicere.

Fructus I. Clutij.



PRIMVS, quem è Guinea allatum dicebat, pruni ferè magnitudine & formâ erat, duas pænè uncias longus, sescunciam latus, infimâ parte mucronatus, cortice, sive ipso corpore satis crasso, & veluti fungosâ materiâ constante, foris aliquantulum rugoso, & subfusco colore, internè cavo & pulpam quandam continente in globum convolutam, albicantem, friabilem, insipidam, in quâ tenella quædam semina.


Fruct. II. Clutij. ALTER sescuncialis erat longitudinis, uncialis crassitudinis, cutaceo putamine præditus, cineracei foris coloris, internè multis fibris constans, pænè instar involucri nucis Fausel, sive Arecæ, infernâ parte veluti gemino & duplicato calice munitus, extimâ sive supremâ mucronatâ: nucleum sive veriùs nucem continebat nigram, valdè rugosam, duram, fausel non dissimilem, ad cujus genus non ineptè referri posse arbitror. Similem deinde aliunde accipiebam, cujus ossiculum erat durum, nigrum, multis villis obsitum, nucleum continens rugosum, durum, insipidum.

Exotici

Exotici fructus anno M. DCI. *relati.*

CAP. XXIV.

INTER *Exoticos fructus qui anno à Christi nativitate millesimo sexcentesimo primo ex Orientali India advecti fuêre, præter eos quos in certas classes distribuere poteram, quatuor videbam, qui antè nondum conspecti mihi fuerant, quos peculiari capite describendos existimavi, & eosdem in peculiari tabella exprimendos, quæ hîc adderetur.*





PRIMVS, turbinatus erat, pyrique formam æmulabatur, binas uncias cum semisse longus, quatuor cum semisse ejus ambitus, levis tamen, rugosus, prorsus niger, adeò duro & tenaci corio tectus, licet non valdè denso, ut difficulter cultro, nisi malleoli vi adacto, aperire possem: apertum binas cellulas habere deprehendebam membrana quadam fusca & splendente distinctas, in quarum singulis nucleus bifariam divisus, mediâ etiam intercurrente membranâ, quemadmodum ferè in nuce juglande: totus nucleus situm vetustate contraxerat, & initio quidem nullo manifesto sapore præditus videbatur, diutiusculè tamen in ore retentum, quandam acrimoniam habere, & tandem fauces quodammodo urere, comperiebam. Fruct. exot. I. mem.





ALTER binas etiam uncias cum semisse longus erat, minùs tamen crassus; nam ejus ambitus trium dumtaxat unciarum, lævis totus, & spadicei cum cineraceo mixti coloris, in longum mucronem desinens, fragili cortice constans, qui an alio operimento tectus fuerit, me latet: pulpam autem continebat nigram, in qua ossiculum latebat unciâ magis longum, durum, cineracei ex fusco coloris, obtuso mucrone præditum, & summâ parte in uno latere veluti exsculptum, in quo haud dubiè nucleus, licet agitatus nullum sonitum ederet. Vtrumque hunc Amstelredami nanciscebar. Fruct. exot. II mem.

TERTIVM verò cum *Quarto* mihi concedebat, ut describere possem Cl. V. Petrus Paauwius, primarius in Academia Lugduno-Batava artis Medicæ, idemque Anatomes & Simplicium medicamentorum professor, atque Academici horti Præfectus. Is porrò fructus paullò longior erat unciâ, trium verò unciarum ambitum (quâ parte crassior) continebat, colore fusco præditus, durus, striatus, in obtusum mucronem desinens, in quo ossiculum vel nucleus inclusus, quia agitatus strepitum edebat. Fructus exot. III. Petri Paauw.

QVARTVS Ricini fructum valdè æmulabatur, nam triangularis erat, & in tres cellulas distinctus, quarum singulæ semen continebant rugosum, ut ante maturitatem lectus fuisse videretur, nigrum: exterior cortex fuscus & glaber erat, pendebatque inter quinque foliola longiuscula & latiuscula (quæ medium fructum tegebant) è pediculo semunciali satis firmo. Fructus exot. IV. P. Paauw.

Quo nomine vocarentur isti fructus, aut quibus in plantis nati essent, intelligere nequivi, & haud scio an qui legerint, quidpiam de istis rebus observaverint.


Miscellanei quidam alij fructus Exotici.


CAP. XXV.

ISTOS *quidem fructus habebam, antè quàm Exoticorum Historiam scribere inciperem: sed quum in classes eorum qui hoc Secundo libro descripti, propter dissimilitudinem commodè distribui nequirent, post eos qui iam descripti, peculiari capite collocandos putabam, quod illorum historiam præcederet, quam ante multos annos evulgabamus.*


Fruct. miscel. I. PRIMVS, sescuncialis erat longitudinis; binas uncias aut amplior ejus ambitus, duro, inæquali, rugosoque cortice constans, fusci coloris, gravidus, hoc est, alium fructum vel ossiculum sive pulpam continens, nam agitatus, strepitum edebat; quid verò contineret, me latebat initio, quia, quum unicus mihi esset, corrumpere nolebam: sed alium similem postea nactus, aperiebam, & nucleum continere deprehendebam, crassum, ejusdem cum ipso fructu formæ, cavum intùs & inanem, substantiâ tamen fuscâ constantem, & sapore quali vetustæ & rancidæ amygdalæ.

Eum porrò cum quatuor proximè sequentibus in una tabella exprimendos curabam, quam hîc additam volui.





.V.



Fruct. miscel. II. ALTER, ejusdem erat cum Primo longitudinis & crassitudinis, non quidem in rotunditate oblongus, ut ille, sed angulosus, cortice inæquali & valdè fibroso, cineracei foris coloris, internè fusci, levis, aquæ dum eâ mergebatur, innatans, nucleum continens prorsus rugosum (quia fortè ante maturitatem lectus) & substantiæ rufescentis, adstringentisque saporis.

Fructus misc. III. TERTIVS, orbicularis erat formæ, uncias pænè tres ambitu comprehendens, lævis & perpolitus, spadicei coloris, supernâ parte exiguo mucrone (veluti glandes) præditus, infernâ, vestigio quodam, cui pediculus inhæsisse videbatur, levis & aquæ innatans, tametsi nucleum aut pulpam continens, ut ex strepitu deprehendebam.

Fructus misc. IV. NEC jam descripto valdè dissimilis erat *Quartus*, paullò tamen minor, & oblongior, tametsi etiam reperiatur ejusdem cum illo magnitudinis: corticem verò habebat durum, pænè instar putaminis nucis ponticæ, fuscâ tectum epidermide, internam autem partem cineracei coloris: aquâ mersus, non subsidebat, sed innatabat, licet nucleum contineret avellanâ non minorem, cineraceum, rugosum ob vetustatem, non adeò solidum ut primo intuitu apparebat, sed qui cultello facilè secaretur, subflavâ carne, sive substantiâ, quæ manducata, satis acris deprehendebatur.

Fruct. misc. V. QVINTVS, æqualis ferè cum *Tertio* erat magnitudinis, & sphæricæ etiam formæ, putamine constans quali nux juglans, firmo, fusci externâ parte coloris, internâ spadicei, qui in tres æquales partes dividebatur, & internâ parte in tres veluti concamerationes vel loculos separabatur, in quibus singularia grana, malorum vulgarium seminibus non valdè dissimilia.

Fruct. miscel. VI. SEXTVS, sescunciam longus, mediâ parte crassior, extremis gracilioribus, qui è multis fibris contextus videbatur, sed adeò firmis, ut frustrà cultello aperire tentarem, coloris fusci; pelle tamen spadiceâ, lævi & splendente tectum fuisse, reliquiæ quas adhuc retinebat, indicium faciebant: atque licet non adeò gravis videretur, aquâ tamen mersus, subsidebat.

Fruct. miscel. VII. INTER Aromatum Tripoli allatorum purgamenta fuerat inventus *Septimus*, cum pluribus quisquiliis nec magni momenti, ut, parvis phaseolis varii generis, exiguis ricini granis,

Lachrimæ

Lachrimæ Iob vulgo appellatæ seminibus, olivarum ossiculis, & similibus. Inerant etiam Xyli capitulum integrum cum suo tomento & seminibus, Abhel fructus, nucis unguentariæ genus à nonnullis *Mehenbethene* nuncupatum: ad quam nucem hæc etiam commodè referri possit meâ sententiâ. Etenim valdè illi similis erat, quam olim Granatæ in Hispania è Pennon de Velex in Africa recenter allatam anno MDLXV. mihi donabat Illustris Vir Dn. Didacus à Stunica, Illustrissimi Ducis de Bejar nepos, & in supremo illius urbis Senatu Regi à consiliis, sed minor, & magis orbiculata, spadicei coloris cortice, eoque lævi constans, atque veluti in binas partes secto. An verò alio cortice, sive involucro tecta fuerit hæc nux (ut verisimile est) me latet: alia tamen addita erat minùs crassa, sed paullò oblongior, neque adeò spadicei coloris, quæ mediâ ex parte tecta erat suo involucro nigro & rugoso, cui petiolus adhuc inhærebat, quo in ramo firmata fuerat.

OCTAVVS, lobi quodammodo formam habebat, & uncialem longitudinem iüli figuram quasi exprimens, gracilis, cineracei coloris, aliquot grana (ut ex involucri rupturâ apparebat) satis crassa continens spadicei coloris, lævia, ab alterâ parte plana, insipida, vieta, & vetustate evanida. *Fruct. misc.* VIII.

NONVM è Brasilia delatum ferebant, sed nullo nomine insignitum, semen veriùs quàm fructus: nam pineæ nucis nucleo, nec formâ nec magnitudine valdè absimilis erat, glaber, coloris ex flavo spadicei, satis lento cortice constans, internâ parte hirsuto, & duram exsuccamque medullam continente, ut de ejus sapore nihil pronunciare possem. *Fruct. misc.* IX.

Huic commixta erant Ricini grana adeò exilia, ut illis minora videre non meminerim: alius præterea nucleus mihi ignotus, & aliæ quædam minutiæ.


DELATVS similiter è Brasilia dicebatur quem pro *Decimo fructu* mittebant: sed arboris excrementum aliquod instar gallæ veriùs nuncupandum censebam, quàm fructum: simili enim materiâ constare videbatur: & gallas similis pænè formæ videre memini. Vnciâ autem minor erat, quinque angulis velut alis constans, supernâ parte aliquantulum protuberans, & à centro ductas habebat quinque lineas ad extremos usque angulos: infernâ longior erat, sensim gracilescens usque ad sedem, quâ ramo inhæsisse videbatur. *Fruct. misc.* X.

ARBORISne an fruticis alicujus fuisset ramulus cum superioribus repertus, cui postremum locum damus, quémve florem tulisset, ex siccato difficile erat judicare: aliquam tamen affinitatem habere videbatur cum illis ramulis, qui in coronario frutice, sive Syringa à vulgo Herbariorum appellata, odoratos albos flores, racemi instar compositos quinos aut septenos ferente, nam ejusmodi ferè capitula habebat, octo exilibus striis notata, quæ in binas partes rostelli aviculæ in modum dividebantur, contrà quàm in coronario frutice, cujus capitula in plures particulas divisa: nullũ autem semen continebant, sed inania erant. *Fruct. misc.* XI.

Κάρυα μανικά. *Insanæ nuces.*

CAP. XXVI.

IACOBVS Cuelenerus, vir ornatissimus, & Commissarius in ea nave cui nomen Amstelredamum, illius classis, quæ in Indiam Orientalem ablegata, quique cum Iacobo van Neck, anno à Christi nativitate millesimo sexcentesimo tertio rediit, quædam exotica referebat; & inter illa fructum quendam, quem nautæ ab effectu *malle pruymkens*, hoc est, fatua sive insana prunula appellârunt, ego nuces dicere maluissem, quia majorem similitudinem cum nucibus habere mihi videbatur, quàm cum prunis, nisi ab ossiculo, quod continet, prunis silvestribus in spinis nascentibus non dissimili, appellationem sumendam esse contendant. Illum autem fructum in subjecta tabella exprimendum curabam cum suo ossiculo, aliâ quadam nuce ipsi additâ.



ERAT porrò hæc Nux prorsus orbicularis formæ: nam ejus ambitus, sive à pediculo per longitudinem, sive per transversum metireris, paullò plus quàm binarum unciarum erat; putamine non valdè denso, satis tamen firmo constans, foris subfusco, & non lævi, internâ autem parte spadicei coloris & lævi, ossiculum membranaceum continens nigrâ quadam pulpâ tectum, pruno silvestri nec formâ, nec magnitudine absimilem, infimâ & sessili parte, quæ petiolo respondebat, albâ maculâ satis amplâ insignitum, sub quo nucleus cineracei coloris duriusculus latebat: ipsa nux brevi crassiusculoque petiolo prædita erat, quam maxima ex parte singu- *Nucis insanæ historia.*

E 3 larem,

larem, interdum autem geminam simul conjunctam nasci intelligebam in arbore cerasi magnitudinem æquante, cui folia essent longa & angusta, mali persicæ foliis non dissimilia.

CETERVM occasionem, cur istum fructum fatuum sive insanum nautæ appellarint, præstat ut Lector intelligat ex ipsius Iacobi Cueleneri narratione scripto comprehensa vernaculo sermone, & ad me missa; quam sic Latinam faciebam.

Duodecimo die Octobris anno à nato Christo millesimo sexcentesimo primo, post longos errores, tandem singulari Dei beneficio in Sinum quendam appulimus, situm undecim gradibus & quadragintaquinque scrupulis ab Æquatore versus polum Arcticum. In eo sinu, prunorum quoddam genus reperiebamus, quo cercopithecos (qui istic valdè frequentes) vesci conspiciebamus: nostri nautæ, qui alioqui alimentis non abundabant, id observantes, hæc pruna etiam legerunt & comederunt, nec eâ re contenti nonnulli, ipsa fructus officula cum nucleis in aqua macerata coquentes, vorârunt: quotquot autem voraverant, capitis vertigine & mentis alienatione correpti sunt, mirasque imaginationes habuerunt, pro naturæ cujusque temperamento: unus enim arbitrabatur in suo cubili seu sponda, ædes fabricari ad coquendam cerevisiam commodas; & quotquot propter stabant cōpellabat, dicens, Videte quid ista vetula in meo cubili agat: alter singulos convocans percontabatur, an pisces emere non cuperent, se enim cepisse omni coloris genere præditos: tertius in sua sponda jacens conquerebatur sibi de toto corpore carnes detrahi: quartus vociferabatur, ingentem navem in suo cubili fabricari: quintus etiam in sua sponda jacens, quatuor aut quina murrhina vasa confringebat, dicens, multos homunculos istic adesse qui ejus spondam occupare conarentur: sextus nauclerum compellans, Vidésne, inquit, diabolum in rostro navis sedentem & pisces captantem? septimus affirmabat se per navis alvum anchoras in imo mari fixas conspicere: nostri Naucleri filiolus ad patrem accedens, Chare pater, inquit, plurimos homunculos per tuum nasum cursitantes video; sic ut ipse pater cum quodam metu admiraretur: quibus porrò somno indulgere licebat, statim istæ rerum imagines evanescebant: nec defuerunt, qui per triginta sex horarum spatium, imò per integrum biduum dormierint: fuerunt etiam qui alvi profluvio correpti sint. Ejusmodi & pleræque aliæ imagines iis contigerunt, qui nave Amstelredamum appellatâ vehebantur, quas nimis longum esset referre: inter reliquos autem nautas, Anglus quidam, in cælum suspiciens, illud apertum se videre affirmabat, altaque voce inclamabat, O Domine te Iubens sequor, variisque suis gestibus, risum omnibus qui circa ipsum erant movebat: nihilominus, semper in cælum suspiciens, progrediebatur, ut parum abesset, quin in mare prolaberetur, nisi qui ipsi adstabant, detinuissent. Hactenus Cuelenerus. Quæ quum ita sint, mirari necesse est, unius ejusdemque fructus manducationem, tot tamque varias imagines in hominum cerebro potuisse parere.

Cur sic appellata.

Nux altera. ALTERAM nucem quæ in tabella expressa, eodem anno Amstelredami paullò antè accipiebam ab ornatissimo humanissimoque viro Henrico van Os, ejus urbis cive: eratque spadicei coloris, Ponticæ nuci non valdè absimilis, unciam longa, ejus ambitus unciâ paullò major, sessili sive infimâ parte angustior, extimâ crassior, & veluti decussatim formata, dura, solida, nec ullo motu strepitum edens: an aliquo calyce excepta fuerit, glandis aut avellanæ instar, me latet, nec is sciebat qui illam mihi donabat: nam inter aromata illo anno advecta fuerat inventa.

Nux tertia. TERTIAM quandam nucem, quùm binas superiores descripsissem, ostendebat mihi ornatissimus vir Christianus Porretus, planam, cineracei coloris, formam cordis, ut pingi solet, referentem, & quibusdam locis tumescentem, eámque adeò lento cortice constantem, ut maxima cum difficultate aperire possem, ad observandum quid contineret: reperiebam autem sub eo alium corticem, non minus lentum superiore, subflavi coloris, tegentem nucleum candicantem, salsi saporis, involutum rufescente membranâ.

Alium præterea fructum, unciam longum, quadrangulum, lateribus aliquantulum depressis, prorsus nigrum, mediâ tamen ex parte tectum tamquam membranâ foris miniatâ, fructui firmiter inhærente. Quo autem nomine appellaretur, cujúsve plantæ esset, aut qua in regione natus, intelligere nequiverat.


IAM *ad eos paucos exoticos fructus veniendum, quorum Historiam ante viginti annos publicam faciebam: & illum ipsum ordinem, qui tunc observatus, sequendum & retinendum censebam, propter tabellas, quibus interdum plures fructus, iiq; dissimiles, expressi fuerunt.*

Beretinus

Beretinus fructus.

CAP. XXVII.

QVI Generosum equitem Franciscum Drake in navigatione illâ quâ totum orbem circuivit, comitati fuerant, reduces anno octogesimo supra millesimum & quingentesimum, fructus quosdam glandibus non valdè dissimiles referebant. Eorum aliquot anno insequente Londini nanciscebar curâ & diligentiâ doctissimi & humanissimi viri Richardi Garth Cancellariæ Londinensis Primicerii, atque perhumani honestissimique viri Hugonis Morgani Serenissimæ Reginæ Angliæ Elizabethæ pharmacopœi, qui à Drake Comitibus impetrabant. Eos autem fructus tum temporis in adposita tabella exprimendos curabam.




DRAKE porrò cum comitibus in desertam quandam, & multis altissimis arboribus consitam insulam appellentes, aquationis & virium corporis fame afflicti reficiendarum causâ; celsissimas quasdam in ea arbores quercu majores inter alias reperiebant foliis laurinis præditas, crassis, splendentibus, in ambitu minimè serratis, oblongiusculum fructum, exiguis iligneis glandibus similem ferentes, nullo tamen calyce (ut affirmabant, nam ipse aliquos eorum percontabar) inclusum, tenui cortice cineracei coloris, interdum etiam atri, tectum, nucleúmque continentem oblongiusculum, candidum, nullo manifesto sapore (quia præ siccitate induruerat) præditum, tenui membranâ involutum. Illum autem tametsi fame valdè premente degustare verebantur, quia ipsis ignotus, ne aliquâ noxâ afficerentur. *Beretini fruct. historia.*

POSTEA verò in Beretinam insulam alteri vicinam pervenientes, similibus arboribus abundare deprehendebant, & illarum fructum minimè perniciosum, sed edulem esse, ab incolis edocebantur. Eo deinde, more leguminum elixo, aut in farinam trito, & pultis instar inspissato atque cocto, alterius cibi penuriâ, cùm istîc, tum in navi famem sublevabant. In Moluccis autem Insulis hanc arborem etiam crescere referebant.

Cacao fructus.

CAPVT XXVIII.

CELEBREM etiam per universam Americam, multique usus fructum *Cacao* appellatum, Peruanæ provinciæ litora legentes, secum sumebant, & aliquot adferebant; atque ab ipsis paucos fructus accipiebam: cujus fructus quum luculenta descriptio extet apud Benzonem, qui miles aliquot annis novi orbis provincias peragravit, ipsius verba, ut ab Vrbano Calvetone Latina facta sunt, hîc subiicere libuit, cum tabella, in qua *Cacao* fructus me curante expressus.



IN Nicaragua novi orbis provincia pomi quoddam genus peculiare est, neq. Hispaniolæ, neq. ulli alteri Indiæ parti concessum. Pyri nostri fermè est specie, ligno interiore rotundo nucis crassitudine, & dimidio amplius, optimi & jucundissimi saporis: arbor procera exiguis foliis vestitur. *Pomp. Nicaragæ.*

Hispani quum primùm eam provinciam subegerunt, propter uberrimam omnium rerum ibi repertam copiam, illam Paradisum Mahumetis nuncupârunt. Duo inter cetera fert hæc tellus, nulli præterea Indiæ regioni concessa, excepta Guatimala Hondurēsis provinciæ, & Mexici finibus, totoque novæ Hispaniæ tractu. Vnum, pavonum quoddam genus est, qui in Europam translati, vulgò Gallinæ Indicæ vocantur. Alterum, id quod *Cacavate* appellant, quod monetæ usum illis præbet. *Paradisus Mahumetis.*

Cacavate, sive Caco hijotia.

ID fert arbor modicæ magnitudinis, quæ nisi calido loco, sed opaco vivit: nam simul ac sole tacta est, contabescit. Itaque ferè in silvis umbroso & humido loco seritur: neque id satis, sed juxta ejus generis arborem, aliam editiorem plantant: quæ simul ac adolescere cœpit, ejus cacumen ita concinnant, aptantque, ut adulta ea arbor Cacavatem inumbret, defendatque ab æstu, ut solis radiis lædi non possit. Fructus amygdalarum specimen referens, siliquis quibusdam, velut cucurbitis includitur, crassitudine & latitudine cucumeris: annuo spatio maturescit. Maturas eas ubi legêre, excussum folliculis fructum, super storeis expassum ad solem exponunt, donec humorem exsudaverit.

Potum ex eo confecturi, in testa fictili ad focum exsiccant, mox lapidibus quibus pinsitur panis, contusum & commolitum, fusumque in pateras (quæ cucurbitæ specie è certis arboribus per omnem Indiam nascuntur) paulatim aquâ temperant, atque interdum paullulo pipere quali vulgò utuntur [Axi *intelligit, quod vulgò Piper Brasilianum appellant,*] condiunt, eoque in potu utuntur. Porcorum ea veriùs colluvies, quàm hominum potio. Quum eam provinciam peragrarem, plus quàm integrum annum, ab tali lora abhorrui: sed quum vini copia mihi non esset, ne semper aquam bibere cogerer, alios imitari didici. Ea cœlia sapore aliquantum amaro, satiat & refrigerat corpus, minimè tamen inebriat. Hæc præcipua & carissima merx earum regionum est: neque quidquam aliud Indi majori in pretio habent, ubi quidem in usu est. Hactenus Benzo.

Amygdalæ porrò suo putamine exemtæ, hic fructus prorsus similis est, tenuique membranâ tegitur, nigrâ, nucleum continente, qui in binas aut ternas partes obliquè dividatur, subfuscum, & cineraceis venis distinctum, adstringentis & ingrati saporis: quare mirum non est, si qui antè non degustârunt, à potione ex eo confectâ abhorreant: ego sanè puram aquam longè prætulerim. Eam tamen claris viris propinant, quemadmodum nos aromatites aut generosius aliquod vinum solemus, referentibus iis qui pauculos fructus retulerant, è quibus tum binos impetrabam: sed diversis deinde temporibus alios nanciscebar.

Peregrini fructus varii alii.

CAPVT XXIX.

PEREGRINATIONE *tertiùm in Angliam institutâ donabar ab amicis anno octogesimo primo supra millesimum & quingentesimum, Londino jam discessurus, aliquot peregrinis fructibus, de quibus tunc quidem agebam, sed etiam nunc denuò agendum existimavi.*




Fig. 1.


MAIOR, qui Primus, ex illo genere est, quod in scholio ad cap. XXVI. lib. I. Hist. Aromatum Garciæ secundo loco olim describebam: sed longè amplior, utpote qui ternas uncias lôgitudine superaret, latitudine unam, altitudine pænè duas æquaret, alioqui formâ & colore eidem planè similis: nempe crasso cortice sive putamine constans, inferiore sive supinâ parte sessili, rugoso, scabróve & cineraceo, supernâ autem sive pronâ & gibbâ, lævi, subrufo, vel potiùs spadiceo, ita ut animalculum duro corio tectum videretur: nucleum continere deprehendebam binas uncias longum, unam latum, gemellum, sed extimâ parte simul cohærêtem, tenui cineraceaq. membranâ tectum, substantiâ firmâ, ut amygdalæ aut castaneæ recentes, subfuscâ, pingui & oleaginosâ, odore satis jucundo præditâ, & sapore non ingrato. Illum damus expressum in subjecta tabella cùm integrum, tum apertum, atque etiam ipsius nucleum nudum & ex suo cortice exemtum, ut faciliùs observari possit ejus geminatio.


HVNC

HVNC porrò fructum mihi donabat Iacobus Garetus, & asserebat Lusitanum quendam mercatorem, cui nomen Petrus de Frias, à provinciæ Periianæ Prorege accepisse pro fructu arboris in novo orbe nascentis, ex qua Balsamum illud ab Hispanis decantatum, elicitur; donabat etiam ipsius Balsami liquorem ab eodem mercatore acceptum, quem sanè, periculo facto, comperiebam insignium esse facultatum ad recentia vulnera brevissimo tempore curanda. Verùm si Nicolai Monardes descriptioni fides est adhibenda, longè minor esse debet Balsami fructus. Consulendum cap. IX. ipsius Historiæ Simplicium ex novo orbe delatorum, quam ante viginti novem annos Latinam faciebamus, & nunc denuò publicamus. Ceterùm anno reparatæ salutis humanæ millesimo quingentesimo nonagesimo nono, extremo Octobri binas alias ejusmodi nuces Londino ad me mittebat idem Garetus, quarum altera huic quam modò descripsi, prorsus similis: altera verò ab uno latere plana, ut geminæ eodem integumento comprehensæ fuisse viderentur, non secus quàm geminæ interdum castaneæ eodem calice continentur. Utramque nucleum inclusum habuisse, crepitatio, dum commovebantur, fidem faciebat. Balsami Peruani fructus.

ALTER, nucis juglandis pænè erat magnitudine, extima parte latiusculus, totus rugosus, atque ut nucis juglandis putamen inæqualis, fusci coloris, sed magnâ ex parte veluti crustâ quadam durissimâ & cineraceâ tectus: levis erat, & exigui ponderis, licet admodùm solidus & saxeâ duritie præditus, nec minùs in aqua subsideret, quàm lapis: confractus, crasso durissimoque cortice constare deprehendebatur, & nucleum candidum, succulentum, grati saporis nec injucundi odoris, oleumque macis ferè referentis, continere (tametsi vetustus) in binas partes dividuum, tenui candidaque membranâ intersecante, alterâ insuper paullò crassiore firmioreq. inclusum. Eum porrò cum III. IV. V. & VI. subsequentibus in eadē tabella, quæ est secunda hujus cap. XXIX. exprimendum curabam ut hîc subiiceretur. II.







Ejusmodi verò fructus ante plurimos annos, sæpiùs inter aromata repertos, dum Antwerpiæ repurgabantur, memini. Sed etiam anno M.D. XCVII. inter aromata quæ Batavi ex Iava referebant, similes multo recentiores conspiciebam, quos Abdala, *Camiri*, adpellari dicebat. Ejus descriptionem inter peregrinos fructus à mercatoribus acceptos Lector cap. XV. hujus lib. II. reperiet. Camiri.

MAGNAM similitudinem habebat *Tertius* cum prima nuce descripta in scholio ad cap. XXVI. lib. I. Historiæ Aromatum à Garcia conscriptæ: sed paullò minor erat, angulosus, niger, crassioribus quibusdam firmisq. villis ipsi incumbentibus & firmiter inhærentibus, obseptus, prædurо putamine constans, & nucleum continens. III.

PONTICÆ nucis magnitudine erat *Quartus*, ejusdem coloris, putamine duro, veluti in duas partes diviso, nucleum continens, ut ex strepitu coniiciebam. Non dissimilis illi quem Granatæ accipiebam ab Ill. Viro Didaco à Stuniga recenter ex arce Peñon de Vélez in Africa ab Hispanis præcedente anno, nempe M.D.LXIV. occupata, delatum, nucleumque continentem album, dulcem, quem ad unguentariæ nucis genus aliquod referendum esse censebam. IV.

QUINTUS, nucleus dumtaxat erat suo putamine exemptus, firmus, tenui membranâ fuscâ & multis venis distinctâ, firmiterque ipsi nucleo inhærente, tectus: ipsa substantia firma erat, candida, pulpæ nucis Indicæ sive cocci, similis, nullo quidem odore prædita, sed satis grato sapore. V.

Hunc nucleum anno M.D.XCVIII deprehendebam ejus nucis esse, quæ Tertio loco, sive pro Tertio hujus capitis fructu descripta est: nam multi similes nuclei, partim sui putaminis fragmentum adhuc retinētes, maxima autem ex parte nudi, & à suo putamine liberi, nonnulli etiam integrum corticem adhuc habentes adferebantur nave quadam ex insula Divi Thomæ advecta, quibus Lusitani quidam eâdem nave vecti, sua mancipia cum radicis cujusdam farina commixtis aluerant in itinere. Est autem fructus Palmæ Adil nuncupatæ. Palma Adil.

SEXTUS,


VI. SEXTVS, orbiculari pænè rotunditate erat, tamquam torno elaboratus fuiſſet, ovo paſſeris minor, prorſus flavus, niſi alteram extremitatem ſubfuſcâ maculâ inſignitam habuiſſet: ſolidus autem erat, lapideaque duritie præditus, & in aqua ſubſidebat.


Peregrini alii fructus.

CAPVT XXX.

VIENNAM *Auſtriæ porrò redux ex illa Anglicana peregrinatione, inter exoticos quoſdam fructus, quos, ut alia pleraque rariora, ſuis capſis incluſos adſervabam: aliquos inveniebam, à nemine tum temporis adhuc deſcriptos: rem itaque ſtudioſis non ingratam me facturum exiſtimabam, ſi illorum deſcriptiones, & icones ſuperioribus adderem.*

I. PRIOR, Alteri qui in Secunda tabella ſuperioris capitis expreſſus, non valdè diſſimilis erat, minor tamen, & ponticæ nucis magnitudinem non excedens (tametſi juglandi ferè æquales videre meminerim) lævis, ſplendens, cineracei coloris, & ſaxeâ duritie præditus, licet in aquam conjectus ſupernataret, aliquantulum inæqualis, & compreſſus, ut piſa interdum quæ in eodem lobo nata, ſeſe mutuo compreſſerunt. Similem autem eſſe mihi perſuadeo, cum illo, qui in lobo ἐχινώδει proximo libro cap. xv. deſcribetur. Illum porrò cum ſex ſequẽtibus in ſubjecta tabella (quæ hujus cap. xxx. prima) expreſſum adponebam.
















II. ALTER ovalis erat formæ, Iudaico lapidi magnitudine par, illiuſque formam, exceptis ſtriis, pulcherrimè exprimens, ex rufo nigricantis coloris, ut nonnullæ majores gallæ, levis, & aquâ merſus non ſidens, licet duro putamine conſtans & nucleum continens.

III. TERTIO, illo minori, & mediocris avellanæ magnitudinem non excedenti, pænè orbicularis erat forma, niſi infima pars paullò anguſtior, in triangularem quaſi mucronem deſiiſſet, color alioqui ſimilis alteri, & tametſi levis, in aqua nihilominus ſubſidens & imum petens, duro craſſoque putamine conſtabat, & nucleum candidum tenui fuſcâ membranâ tectum continebat.

IV. QVARTO, ſphærica ferè erat forma, magnitudo pænè vncialis, putamen admodùm craſſum & durum, perpetuis tuberculis undique obſitum, flaveſcentis coloris, lineâ eminentiore tranſverſum ſecante, quam, ut in juglandibus, putaminis conjunctionem & commiſſuram eſſe arbitrabar.

V. PRORSVS ſphærica erat *Quinto* forma, magnitudo globuli minoris ſclopi, putamen ejuſdem cum præcedente coloris, & perpetuis etiam tuberculis, non adeò tamen craſſis, obſitum, nullaque lineâ cinctum.

Hæc duo poſtrema alicujus fructus dumtaxat erant oſſicula.


VI. SEXTVS, officinarum nuce vomicâ major erat, planus idem, atque ſimilis coloris, nempe cineracei, pronâ parte paullò eminentior & magis tumens, in ambitu quodammodo ſinuoſus, ſupinâ verò, quinque grana, inter ſe ſejuncta & æqualibus ſpatiis ab invicem diſſita, ipſiſque tamquam impreſſa, oſtendens, meſpilorum ſetaniorum oſſiculis non multum abſimilia, quæ exemta, ſatis profunda lacunarum veſtigia relinquebant. Totus ligneâ duritie præditus erat.

VII. FORMA etiam planâ erat *Septimus*, ſed à priore diſcrepans, rugoſus & quibuſdam locis tumeſcens, aliis depreſſus; color ex cineraceo nigricans, qualis in nonnullis *Cajous* nucibus, quorum

quorum historiam & iconem in scholio ad cap. de Anacardio lib. I. Hist. Aromatum Garciæ dabamus. Is per medium sectus, nullam, ut plurimum, pulpam, sed splendentem quendam nigrumque succum concretum & induratum dumtaxat continere deprehendebatur: interdum autem nucleum habere obſervabam rugosum, quem ambiebat inter binos cortices succus concretus, splendens, ut nux *Cajous* immatura censeri indubiè possit.


Hos omnes cum Acaciæ legitimæ lobis confractis & seminibus, parvis quibusdam conchyliis & aliis minutiis, in piperis repurgatione & delectu aliquando inventos memini.

Sequentes verò olim ex novo orbe delatos, curantibus quibusdam amicis, ex Hispaniis accipiebam: & postea in unâ tabellâ exprimendos curabam, quam secundam esse volui hujus capitis XXX.

CETERVM *Octavum*, Pinei cujusdam generis nucis nucleos quispiam æstimare posset, adeò nostratis pineæ nucis, sive strobili nucleos referebant, licet magnâ ex parte nostris essent & longiores & crassiores: durum similiter putamen, & idem color. VIII.


IN *Nono* quædam erat varietas: nam alter altero major & crassior, licet color & forma propemodum eadem. Planus & oblongiusculus, alterâ parte latior, alterâ angustior, glaber & lævis, totus fusci, interdum etiam spadicei coloris, nisi linea quædam candicans, quâ parte suo fructui adhæserat (nam altero inclusus fuisse videbatur) varium fecisset: nucleum autem continere, strepitus quem motus agebat, indicabat. IX.




Hi duo *Pepitas del Peru*, id est, acinorum Peruanorum appellatione insigniti mittebantur. Pepitas del Peru.

DECIMVS, Cassiæ solutivæ, aut Ceratiorum semen magnitudine æquabat, cui etiam formâ satis respondebat, tumidior tamen aliquantulum, & colore differens, qui in hoc egregiè ruber erat, ut in Spinæ appendicis vulgò Herbariorum Oxyacantha creditæ, fructu, solidus, durus, atque in aquâ subsidens & imum petens: siliquâ aut lobo aliquo inclusum fuisse, verisimile est. Eum autem *Mates* appellatione accipiebam. Alios postea similes non semel, sed nullo nomine insignitos, accipere memini. X. Mates.





POSTREMVM locum occupabat phaseolus ille colore Macounæ simili, hoc est, ex spadiceo nigricante, sed planiore longioreque formâ, hilo non admodum magno, cujus, ad epistolam Petri de Osma Nicolao Monardes inscriptam, mentionem faciebam, quique Maximiliano II. Cæsari ex Hispaniis missus fuerat, *Haba de India muy larga*, id est, Fabæ Indicæ prælongæ appellatione. Aquâ mersus, imum petebat. XI. Haba de India.

E T *hæc quidem sunt quæ de exoticis fructibus, singularibus nec aliquo lobo inclusis, quos hactenus mihi videre contigit, commentari poteram.*

CAROLI

CAROLI CLVSI ATREBATIS


EXOTICORVM LIBER TERTIVS.

POTVISSET *etiam horum peregrinorum Fructuum historia, illorum, de quibus Secundo libro egimus, historiæ adjungi: sed quia nascendi ratio diversa, commodius esse ducebam, eos ab invicem sejungere, & peculiari libro describere. Itaque Fructus qui siliquarum sive loborum, aut ceratiorum instar, in arboribus vel aliis plantis nati fuerunt, hoc Tertio libro complectemur, & initium faciemus ab eo lobo, qui omnium longissimus mihi unquam conspectus est.*

LOBVS BRASILIANVS INGENS.

CAPVT I.

INTER Arbores quæ fructum in lobis aut siliquis gerunt, præcelsam quandam in Brasilia nasci intelligebam, juglandis foliis præditam, quæ hunc admirandum lobum profert, cui sanè parem formâ & longitudine videre non memini. Lobi iconem, totius fructus magnitudinem & formam affabrè exprimentem, cum Lobi ipsius extima parte quatuor articulis distincta, Viennam Austriæ ad me mittebat Londino Iacobus Garetus. Illam autem in tabella exprimendam curabam, & hîc proponendam censebam.




Lobus ingens Brasilianus. ERAT porrò hic lobus articulatim distinctus instar siliquarum Acaciæ, singulorum articulorum medio etiam tumente, quo videlicet semen continebatur, binos pedes Romanos cum triente longus, quatuor uncias (ubi latitudo major) latus, atque planus instar prædictarum siliquarum Acaciæ, cineraceo quodammodo colore præditus, qui tamen ante maturitatem lectus fuisse videbatur: nam semina contracta & rugosa erant, orbiculari pænè figurâ, nuci vomicæ non valdè dissimilia, quodam vestigio impresso eâ parte, quâ lobo adhæserant, coloris ex albo rufescentis.

Lobus Brasilianus alius.

Cap. II.

Lobus Brasilianus alter.

ALTER Brasilianus lobus octo unciarum longitudinem habebat, quatuor cum semisse latitudinem; planus, dorso gibbero & alvo crassioribus & magis tumentibus ipso meditullio, quia forte ad plenam maturitatem nondum pervenerat quum legeretur: spissitas tamen dorsi & alvi, à lacunarum, in quibus semen latuerat, cavo, unciæ unius, materiâ adprimè spongiosâ constans, lacunæ binas uncias longæ numero decem, in quibus semen quasi quadrangulare unciam longum, obliquè situm: lobi color externè ex fusco cineraceus.




ALIVM ejusdem generis longè minorem cum eodem accipiebam, colore ex fusco rubescente foris præditum, qui per medium, ut præcedens, sectus, octo dumtaxat lacunas ostendebat, in quibus semen imperfectum, citrij mali semini non valdè dissimile. Qui ad me utrumque hunc fructum Viennam Austriæ, cum eo qui præcedente capite descriptus, mittebat Garetus, anno octogesimo quinto supra millesimum & quingentesimum, è Brasilia allatum, & in præaltâ arbore natum adscribebat: nomen autem quo apud incolas donabatur, non adscribebat, quia ab his qui attulerant, fortassis intelligere nequiverat. Vtrumque autem in tabella huic capiti adjuncta expressum lector reperiet.

Lobus ex Wingandecaow.

Cap. III.

Lobus crassus è Wingandecaow.

MAGNVS & crassus etiam erat hic lobus, quem ab eodem Iacobo Gareto cum superioribus accipiebam, non tamen ex Brasilia, sed ex alia provincia procul ab ea dissita relatum. Bini autem hujus generis lobi mittebantur: Vnus sex uncias lon-



gus, duas cum semisse latus: Alter quinque dumtaxat uncias longus, binas latus: uterque unciam densus, crasso validoque, duro & firmo cortice tectus, binis nervis, sive costis, à

 pediculo,

pediculo, qui crassus & firmus, ad extimum lobum, secundum dorsi longitudinem productis, foris coloris fusci, internè cineracei, & tam exteriore quàm interiore parte scabri, continens fungosam pulpam cineracei coloris, in qua latebant quina aut sena ossicula veriùs quàm phaseoli, uncialis longitudinis, avellanæ, sive nucis ponticæ sativæ magnitudine, dura, nigra, album nucleum continentia, amygdalæ vel avellanæ sapore. Qui mittebat, ex Wingandecaow Americæ versus Septentrionem tendentis Provincia, ad poli arctici elevationem xxxv. gradibus sita, quam Angli duce Waltero Raulæo detectam, *Virginiam*, à sua Regina virgine nuncuparunt, allatum asserebat. Illum porrò & integrum, & apertum (ut videlicet & pulpa & ossicula conspici possent) in tabella exprimi curabam, quam hoc capite proponerem.

Anime gummi. Similem autem, sed minorem ad me denuò mittebat anno nonagesimo octavo supra millesimum & quingentesimum, ex cujus arbore gummi Anime elici scribebat: unde autem advectum, non indicabat, nisi quis putet ex Guyana Provincia allatum: nam Guyanæ fructus illos, quorum cap. VI. libri Secundi memini, simul accipiebam.

SED illis adhuc ampliorem, utpote septem uncias longum, tres ferè cum semisse latum, mihi Amstelredami ostendebat anno millesimo sexcentesimo, honestus vir Stephanus Ioannes Scharm, ejusdem urbis pharmacopœus: minùs tamen crassus erat, & coloris magis spadicei, nec plenam maturitatem adhuc adeptus videbatur, alioqui ejusdem prorsus formæ erat cum superiore. Ex insula, *Hayti* sive Isabellæ vicina, deserta & inculta, ad quam fortè navis delata fuisset, recens allatum hunc fructum dicebat. Qualis autem esset arbor quæ eum tulisset, non potuisse intelligere.

Guama Oviedi. An porrò alteruter istorum loborum, *Guama Oviedi*, cujus mentionem facit cap. VIII. lib. VIII. Primæ partis Historiæ Generalis & Naturalis?

Magnus lobus ex Guinea.

CAPVT IIII.


Lobus ex Guinea. VALDE planus hic lobus, pro amplitudinis ejus ratione: nam quum decem uncias longus esset, & trium unciarum vel ampliorem latitudinem haberet, vix quadrantis unciæ erat ejus crassitudo sive spissitas; sic ut ante maturitaten ab arbore lectum fuisse quispiam existimare potuisset: maturum tamen illum esse, semina in ipso reperta evincebant. Lento autem & veluti cutaceo cortice constabat, ex spadiceo fusci coloris, frequentissimis venis ab infima siliquæ parte ex pediculo dependente sursum & in latera utrimque sparsis, prædito, atque quodammodo ornato: medullam sive pulpam continebat pallescentem, satis gravis odoris & caput etiam ferientis, imò cerebrum offendentis, quâ involvebantur aliquot grana, dura, ex spadiceo fusca, non valdè dissimilia granis, quæ in siliquæ silvestris, vulgo Arboris Iudæ cognominatæ, lobis reperiuntur. Qualis porrò esset & cujusmodi folia proferret arbor similes lobos gestans (arboris etenim fructum esse arbitrabar) mihi incompertum, nec qui hunc lobum ad me mittebat honestus vir Willelmus Parduynus ex Guinea advectum, ullam mentionem faciebat: sed illud dumtaxat addebat, Cheirurgum à quo acceperat, asserere, incolas illius regionis in qua nascitur, grana fructu comprehensa in pollinem comminuere, quo ad vulnera curanda uterentur; intra corpus verò non assumenda, quia perniciosa essent. Eam ob causam, pulpam gustare verebar, ad temperamentum ejus explorandum: præterea, ipsius gravis & teter odor, à gustandi desiderio satis me deterrebat, tametsi non fuissem admonitus.

Lobus peregrinus quadrangularis.

CAP. V.

VNDE allatus esset hic lobus, intelligere non potui; multò adhuc minùs quâ appellatione donatus esset, quibús-ve facultatibus præditus. Sed quum mihi concessus esset ut describerem, eâdem operâ exprimendum curabam in tabellâ hîc adpositâ.

QVADRAN-




QVADRANGVLARIS autem erat formæ, ſeptem uncias longus, pænè binas latus, prominentibus & protuberantibus quodammodo in acumen dorſo & ventre, ac longo utrimque ſulco à capite ad infimum lobum laterales alas ſuperante: ejus color fuſcus & ſplendens. Continebat autem hic lobus in media ſpina aliquot ſemina, ut ex agitatione deprehendere poteram: horum unicum magna cum difficultate, nec eum integrum, ſed per partes dumtaxat educere licuit: verebar enim, ne lobum (qui mihi ſolummodo conceſſus ad deſcribendum) corrumperem: erat verò illud granum nigro & ſplendente cortice tectum, lenticulæ ferè magnitudine, cui ſuberat alba membrana viridem pulpam continens non inſuavem, ſed inſtar nuclei piſtaciorum, fervidiore tamen ſapore: ipſæ lobi alæ intùs inanes, nihilominus (ubi circa ſulcos intumeſcebant) ſucco quodam dulci, qualis pænè ceratiorum, præditæ eſſe deprehendebantur. *Lobus quadrangularis.*

Lobus Fabæ arboreſcentis.

CAP. VI.

VALDE magnus erat Lobus à me Lugduni Batavorum conſpectus apud Henricum Tilmannum mercatorem, qui diu in Luſitania vixerat, eumque ex Guinea delatum aſſerebat. Nam viginti unciarum longitudinem habebat, trium verò latitudinem, duroque & craſſo cortice erat præditus atque rugoſo, coloris externâ parte nigricantis & fuliginoſi, internâ autem ferè ſpadicei (eam enim videre poteram, quia propter nimiam ſiccitatem & calorem in binas partes cum ſtrepitu diſſilierat) continens magnos ſeptem phaſeolos binas uncias cum ſemiſſe longos, ſeſcunciam latos, valdè planos pro magnitudine, & minimè denſos, coloris ex ſpadiceo nigricantis, & ſplendentis. Ipſum quidem lobum libenter in tabella exprimendum curaſſem: verùm quia in binas partes diſſilierat, & illæ inſtar cornuum arietis ſeſe contorſerant, commodè fieri non poterat: ſed ex alio ſimili iconem in tabella expreſſam hîc ſubiiciendam curabam. *Lobus fabæ arboreſcentis.*



Lobus alius fabæ arboreſcentis.

Eam porrò iconem ſuis nativis coloribus in charta eleganter expreſſam, ſervatâ lobi magnitudine & latitudine, mittebat ad me anno milleſimo ſexcenteſimo primo doctiſſimus vir Franciſcus le Clerc Montifaut toparcha & Medicus Tornacenſis, cum uno phaſeolo ex ipſo lobo exemto. Lobus autem unâ unciâ minus longus erat eo quem apud Tilmannum conſpiciebam: nam ejus longitudo novemdecim unciarum dumtaxat erat, latitudo verò eadem cum illo qui Tilmanni, circa pediculum tamen paullò anguſtior: color externus fuſcus, quem craſſiores venæ, ſive ſtriæ nigræ, à pediculo ad extremum uſque lobum ſecundum longitudinem ductæ exornabant, inter-


nus color ex ſpadiceo ad rubedinem tendens:ipſe phaſeolus,planus,niger, & ſplendens,illi pæne ſimilis, qui in lobo Tilmannico : quâ autem parte lobo adhæſerat, paullò anguſtior illo mihi videbatur, deinde in latum ſe expandens. Vnde autem hunc lobum habuiſſet, non adſcribebat.

Faba arboreſcens, cum aliis quibuſdam.

CAPVT VII.

ISTOS peregrinos fructus nudos quidem accipiebam, ſed quum craſſo & duro lobo qualis ſuperior comprehenſos fuiſſe, vel certus eſſem, vel augurarer, peculiari capite deſcribendos exiſtimabam, quod præcedenti capiti ſubjungeretur, quia primus ex ſimili lobo præcedente capite deſcripto exemtus eſſe credebatur. Illorum igitur I. III. IIII. & V. in eadem tabella exprimendos curabam, quæ hîc adderetur.

Faba arboreſcens. Phaſ. I. pereg.




PRIMVM phaſeolum accipiebam à Cl. V. Paludano, Fabæ arboreſcentis appellatione, quæ ex Guinea delata eſſet: erat autem valdè planus, binas uncias longus aut amplior, ſeſcunciam latus, ejuſdem pæne coloris cum eo qui ſuperiore capite deſcriptus, minùs tamen nigricans, quia forſitan minùs maturus, non minùs tamen ſplendens illo.

Similem etiam, ſed majorem, craſſiorem & ſpadicei coloris nanciſcebar anno nonageſimo ſeptimo ſupra milleſimum & quingenteſimum, in Madagaſcar inſulâ natum, ab eis qui illo anno ex Iava Amſtelredamum redierant.

Phaſeolus II. peregrinus.

LOBO haud dubiè incluſus fuerat *Alter* phaſeolus, ſuperiori quidem formâ non valdè diſſimilis, ſed longè minor, ſeſcunciam videlicet tantùm longus, unciam latus, planus, rugoſus, ſpadicei quodammodo coloris, nervo, qui eum ambiebat, eminentiore, & in binas partes dividuum eſſe indicante, ut fabas vulgares. Hunc mihi oſtendebat Paludanus.



Phaſ. III. peregrinus.

HIC etiam phaſeolus lobo incluſus fuiſſe videbatur: diverſa tamen erat ejus forma, nam columbinum ovum ferè exprimebat, longior unciâ, ambitu ſeſcunciam ferè comprehendens, exalbidi coloris, cui flavi quidpiam circa extremam partem, quæ lobo inhæſerat, permixtum, circum verò locum quo lobo adhæſerat, fuliginoſâ maculâ erat inſignitus, lævis alioqui & ſplendens, gravis & ponderoſus.

Phaſeolus IV. peregrinus.

QVARTVM phaſeolum lobo etiam comprehenſum fuiſſe non eſt dubium: illum ad me mittebat anno redemptionis humanæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo, ornatiſſimus vir Iacobus Plateau, rei herbariæ peritiſſimus. Erat porrò craſſiuſculus, ejuſdem pæne magnitudinis cum ſuperiore, totus niger, præter exiguam maculam ſubalbam, quâ proculdubio inhæſerat lobo, durus autem & ſolidus, atque in aquâ ſubſidens.

Phaſ. V. pereg.

VNCIALEM magnitudinem non ſuperabat *Quintus*, Francofortum mihi miſſus anno nonageſimo primo ſupra milleſimum & quingenteſimum à Iacobo Gareto: *Cacao* formam quodammodo referebat, non obliquè tamen in partes diviſus, ſed in binas dumtaxat ſecundum longitudinem, perinde ac faba vulgaris, inæquales tamen, ſolidas & duras, adſtrictionis quidem participes, ſed non ingrati ſaporis: externa pars rugoſa erat & nigra, interdum (plures enim fructus poſtea accipiebam magnitudine etiam inter ſe differentes) ſolummodò fuſca, tribus aut quatuor nervis diſtincta, licet in binas tantùm partes dividua eſſet, gravis, & in aquam injecta, ſubſidens. Lobo autem fuiſſe incluſum hunc fructum, ſemper exiſtimaveram, ex ejus forma conjecturam faciens, quæ noſtræ majori fabæ non valdè abſimilis.

Hanc

Hanc porrò meam opinionem postea magis confirmabat doctissimus vir Tobias Roelsius Medioburgensis medicus, quum binos ejusmodi fructus ad me mitteret, & Coles ab iis apud quos crescebat appellari scriberet: cujus verba, quia Coles historiam satis exactè exprimunt, hîc adponenda esse putabam.

Coles, inquit, fructus arboreus est: huicque arbori folia sunt ferè pyri, sed longiora. Oportet autem ut arbor quæ fructum Coles fert, ex fruticum arborúmve siliquas ferentium sit numero: etenim Bonæ majoris, sive fabæ nostratis similitudinem gerit, nisi quòd siliquæ bonis phaseolisve longiores majoresque sunt, & colore candidæ, in quibus sunt quatuor aut quinque fructus, quales nunc binos ad te do: horum singuli suo putamine albo fuerunt tecti; quo ablato, interior fructus pars, ex rubicundo colore purpurascit, cinnabarisque ac minij colorem habet, quem vernaculo nostro idiomate cheirurgus, à quo habui, *vermillon root*, exprimebat: facilè etiam decorticatus fructus in duas semisses sponte finditur, uti nostrates fabæ, fueruntque uniti quos tibi nunc mitto. Coles fructus resiccatus, valdè durus ac solidus est; ut mirum sit quòd referant stomacho conducere, & quemlibet potum magis sapidum fieri, præmanso Coles fructu. Sumunt autem hos fructus incolæ in Africæ tractu juxta Promontorium viride, semper jejuni; perferuntque (ut perhibent) jejunium toto die, ubi tres aut quatuor ederint. Hæc sunt quæ de isto fructu explorata habui auditione, non usu; & quæ Medioburgi in meo Musæo petebas, ut scriberem. Hactenus Roelsius.

Coles phaseoli historia.

Illud porrò observabam, cùm hos fructus quos à Roelsio, tùm quos à Gareto accipiebam, per medium pertusos & filo trajectos fuisse, ut ex vestigiis conijcere licebat, quo facilius (ita mihi persuadeo) suspensi resiccarentur, & in usum conseruari possent.

CVM Coles quandam affinitatem habere mihi videbatur alius peregrinus fructus; quem adquirebam, sescunciam longum, semunciam latum, dorso tamen latiore, rugosum aliquantulum, & satis levem, solidum tamen, nec cavum, nec in binas partes dividuum, nigrum, splendentem, subrufâ maculâ satis amplâ præditum, eâ parte quâ putamini adhæserat: lobo enim, vel saltem aliquo cortice tectus fuisse videbatur.

Alter Phaseolus Coles similis.

Lobus crassus, ex Insula S. Thomæ.

CAP. VIII.

NON minùs crassus erat hic lobus (ut ex icone, quam suis coloribus expressam, idem eruditissimus vir Franciscus le Clerc medicus Tornacensis ad me mittebat, conjecturam facere poteram) quàm is, qui ex Wingandecaow relatus, cap. III. hujus libri descriptus est: quem quidem lobum videre mihi non contigit; nihilominus ejus iconem, secundum eam quæ ad me missa, in tabella expressam, adpositam hîc volebam.





Lobus ex Insula S. Thomæ.

IS autem lobus non erat valdè longus pro eâ crassitudine quam pictura quæ ad vivum affabrè expressa referebat, sed quinque unciarum longitudinem dumtaxat habebat, binarum verò latitudinem, duro, crassoque cortice constans, coloris ex cineraceo fusci, de crasso pediculo pendens. Binos phaseolos solummodo continuisse videbatur, quorum alterum cum ipsius lobi icone atque alterius, cap. VI. supra descripti, ad me mittebat, binas uncias latum, sescunciam longum, sumptâ à hilo quo lobo adhæserat, ad infimum fructum mensurâ, planum, medio tamen aliquantulum extuberantem, lævem, coloris nigri & splendentis, quia perfectam maturitatem adeptus erat; aliàs ex fusco spadicei: plerique autem omnes quos videre mihi contigit (multi

certè & quidem variæ magnitudinis persæpè mihi sunt conspecti) cordis, ut vulgo pingitur, formam habebant, hoc est, eâ parte quâ lobo adhæserat, paullulum erant cavi: atque propter hanc formam, & quia in Insula S. Thomæ (tametsi in aliis etiam Africæ regionibus inveniri non dubitem) nascitur, & inde plerumque phaseoli illi allati, Cor S. Thomæ à quibusdam appellatur. Hujus autem mentionem olim etiam faciebam in scholio ad cap. de Faba purgatrice libro Nicolai Monardes, De simplicibus medicamentis ex Occidentali India allatis, ubi similiter ejus iconem exhibebam.

Cor S. Thomæ.

QVONIAM *initio hujus libri Tertij de peregrinis fructibus, qui lobis, sive siliquis crassioribus durioribusq; & veluti lignosis includuntur (qui quidem hactenus nobis conspecti sunt) egimus; operæ pretium me facturum arbitrabar, si illis eos adjungerem, qui in tenuioribus, cartilaginosis tamen, tum aliis quodammodo membranaceis lobis, vulgarium dolichorum instar, nascuntur; inter quos non immerito primum locum sibi vindicare videtur, cujus historiam nunc damus.*

Lobus peregrinus cartilagineus.

CAP. IX.

ANNO redemptæ salutis humanæ nonagesimo nono supra millesimum & quingentesimum, peregrinum quendam lobum nanciscebar, cui similem antè videre non memineram: propterea illius historiam peregrè natis lobis adjungendam esse censebam, cum ejus icone in tabella expressa, quæ hîc Lectoris benevoli oculis proponitur.



Lobus I. cartilagineus.

QVATVOR autem uncias cum semisse longus erat hic lobus, binas aut paullo amplius latus, cartilagineo potiùs quàm duro & lignoso cortice constans, dorso insignito duplici veluti cristâ cartilagineâ & sinuosâ ad extremum usque lobum protensâ, cujusmodi etiam alvus habebat: rugosus autem erat cortex, & coloris nigri veriùs quàm fusci: licet porrò eâ longitudine esset præditus, tres tamen phaseolos dumtaxat continebat orbicularis formæ, mediâ parte aliquantulum tumentes, circiter unciam latos, in ambitu ferè undequaque tamquam anulo cinctos, valdè duros, & ex puniceo nigros.


QVÆ arbor sive planta hunc lobum protulisset, quâve in Provincia nasceretur, intelligere non potui, tametsi omnem diligentiam adhibuerim: insequente autem anno binos lobos illi non valdè dissimiles adquirebam, quorum historia proximo capite subsequetur.

Lobus

Lobus cartilagineus ex Insula Mauritij.

CAP. X.

INTER eas plantas quæ in insula quadam deserta, ad quam quinque Batavicæ naves, quarum Præfectus Wibrandus à Warwic, anno reparatæ salutis humanæ millesimo quingentesimo nonagesimo octavo appellebant, cui Cygneæ nomen Lusitanos primùm indidisse audio, Batavi verò à Principe Mauritio, Comite à Nassau, Mauritij cognomen dedêre, nascebantur, una erat lobifera: nam ejus binos lobos inde advectos, ante maturitatem tamen lectos, biennio post, Wibrando reduce, ipsius munere accipiebam. An verò planta quæ similes lobos proferebat, in arborem assurgeret, an leguminis genus dumtaxat esset, quosnámve flores aut folia haberet, intelligere non licuit, quia ab illis acceptis, neminem eorum qui in dicta insula fuissent, convenire potui, nec ipsum quidem Wibrandum, qui lobos per suum famulum ad me mittebat: eam ob causam nullam ipsius plantæ descriptionem dare possum, præterquam loborum, & illorum iconem, quam in adposita tabella exprimi curabam.



ERANT porrò illi lobi diversæ quidem longitudinis, æqualis tamen latitudinis, non valdè crasso sed cartilaginoso potiùs cortice tecti, eoque rugoso, quia immaturi, fusci coloris, brevi rufaque lanugine obducto, quam adhuc retinebat in lacunis ubi attrita & detersa non fuerat, supernâ & infernâ parte veluti duplici cristâ sinuosâ & semunciam ferè latâ, à pediculo ad mucronem usque lobi productâ prædito: phaseolos autem continebant pænè unciam latos, orbicularis formæ, non tumentes tamen in medio, sed depressos, quia plenam maturitatem nondum erant adepti, in ambitu undequaque ferè veluti anulo cinctos, ut plerique similes phaseoli, valdè duros & nigros, nucleo tamen albo præditos, quo recente vesci licuisset, quia ingrati saporis non erat. Istorum autem loborum unus, quaternas uncias longus erat, tresque phaseolos continuerat: alter ternas dumtaxat, & binos phaseolos habuerat: uterque autem binas pænè uncias latus. *Lobus ex Insula Mauritij.*


Nihil ex ea insula præter lobos jam dictos accipiebam: sed si Willelmus Marquisius salvus huc redire potuisset, aliarum plantarum quæ in illa nascuntur, notitiam adquirere licuisset: nam toto illo tempore quo istic hæserunt Batavi, plantas in ea Insulæ parte quam lustraverant, nascentes observaverat, & inter chartas reposuerat, quemadmodum per eos significabat, qui anno millesimo quingentesimo nonagesimo nono ex Iava Amstelredamum redibant. Nec dubito, quin in aliis, quæ postea adiit, locis, idem præstiterit, ut hinc discedens mihi pollicebatur. Verùm aliquot mensibus postquam in insulam Bandam pervenisset, istic à mercatoribus relictus ut eorum negotia curaret, obiit. De ejus autem, quam moriens reliquit, supellectile, tum sportulis in quibus siccas plantas & exoticos fructus adservaverat, nihil intelligere potui, tametsi summâ curâ & diligentiâ, apud mercatores quorum sumptu & impensis eam profectionem susceperat, perquisiverim; & haud scio, an huc relata fuerint.

Phaseolus Nigritarum.

CAP. XI.

Phaseolus I. Nigritarum.

Ex Guinea delatus fuerat Februario mense anno nonagesimo octavo supra millesimum & quingentesimum peregrinus hic phaseolus, cujus lobus, sex, interdum septem, nonnumquam etiam octo, ut mihi referebant, uncias longus, pænè binas latus, planus, sinuosis oris, cortice non valde crasso præditus, externâ parte nigro, valdè rugoso, tumenteque quâ parte phaseoli inclusi, internâ cineraceo, cuspide longâ & mucronatâ, dorso satis elato, in quo terni aut plures fructus, quibusdam veluti cellulis distincti (ut in reliquis lobis cartilagineis vel membranaceis magna ex parte contingit) orbicularis ferè in plano formæ, uncialis magnitudinis, coloris fusci, & tamquam anulo sive circulo totum pænè ambiente. Illius autem iconem in tabella expressam hîc subiicio.



CETERVM hos lobos mihi communicabat ornatissimus vir Christianus Porretus pharmacopœus Leydanus diligentissimus, qui à nautis redemerat. Plures autem hujusmodi phaseolos non semel, sed aliquoties accipere memini, & anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, & aliquot sequentibus accipiebam, eosque non unius coloris, & omnino nudos, nulloque lobo inclusos. Quin & non valdè dissimiles anno à Christi nativitate millesimo quingentesimo sexagesimoquarto Vlysippone nanciscebar recenter ex Pernambuco Americæ allatos, spadicei tamen coloris illos, & *Macouna* appellatione insignitos, è quibus anno insequente in Belgicam redux, aliquot mense Aprili terræ committebam, quorum unus dumtaxat germinabat, & in binorum cubitorum altitudinem excrescebat: sed quum seriùs germinasset, ad frugem pervenire non potuit, & præmatura hiems corrupit, ante quàm ullum floris etiam rudimentum dare posset. Ejus porrò, ut natus erat, iconem in tabella expressam olim dabamus scholio ad caput De faba purgatrice, libro Simplicium medicamentorum ex Occidentali India delatorum edito ab eruditissimo viro Nicolao Monardes Hispalensi medico, quem tum Latio donabamus. An verò lobo huic simili inclusi fuissent, me latet, quoniam omnes nudos accipiebam: ab iis tamen qui attulerant, intelligebam prægrandibus siliquis fuisse obductos.

Macouna.

Phaseolus II. Nigritarum.

ALTERVM porrò lobum ex Guinea etiam allatum, circiter septem uncias longum, sescunciam latum redimebam anno nonagesimo quinto supra millesimum & quingentesimum: durâ cute tectus erat, coloris externâ parte ex fusco cineracei (ejus dorsum tribus nervis secundum longitudinem insignitum, ut in plerisque similibus lobis) internè veluti membranâ suffultus, aliquot phaseolos continens non valdè magnos, pro lobi amplitudine, nigros, longo hilo siliquæ sive lobo inhærentes.

Accipiebam autem illo breviorem eodem anno ab amplo viro Simone Parduyn consule Medioburgensi in Walachria Zelandiæ. Et biennio post his non dissimiles à nautis Batavis ex Madagascar insula allatos, Amstelredami conspiciebam.


Phaseol. III. Nigritarum.

TERTIVM etiam ex Guinea advectum, Secundo non dissimilem, octo uncias cum semisse longum, sed nervis secundum longitudinem in dorso excurrentibus magis eminentibus, internâ autem parte nullâ membranâ (nisi attrita fuisset) præditum, cineracei ex fusco coloris, phaseolos continentem superioribus majores, spadicei coloris, nec hilo adeò longo præditos, ut illi, quos honestus vir Petrus Garetus, Iacobi frater, Amstelredamo ad me mittebat.

Phaseolus Brasilianus cum suo lobo.

CAPVT XII.

HVNC lobum ab iis qui recenter è Brasilia advenerant, redemtum, Viennam Austriæ ad me mittebat eruditissimus idemque humanissimus vir Richardus Garth anno à nato Christo millesimo quingentesimo octogesimo quinto, cum aliis quibusdam exoticis fructibus, quos sciebat me summâ diligentiâ conquirere. Eum autem lobum & integrum, & nudos phaseolos è lobo exemtos in adposita tabella exprimendos curabam.




Phaseolus Brasilianus.

Prælongus verò erat ille lobus: nam decem unciarum longitudinem habebat, unius autem unciæ latitudinem, aut paullò ampliorem: cartilagineâ porrò cute tectus erat, & quaternis in dorso nervis à pediculo ad extremum lobum, secundum longitudinem excurrentibus, insignitus, fusci extrinsecus coloris, intrinsecus ex cineraceo candicantis, tenui quadam membranâ singulas phaseolorum sedes (decem autem continuerat) distinguente præditus: ipsi verò phaseoli unciam longi, semunciam lati, spadicei coloris, & circa hilum fuscum candicantis.

Phaseoli peregrini variorum generum.

CAPVT XIII.

NON minor sanè, ut obiter dicam, est varietas in Phaseolis, ex America, Africa, atque aliis regionibus peregrinis & procul à nostro orbe remotis, quàm in his qui in Europa nascuntur: nam mihi conspecti sunt majusculi, & minores, mirâ colorum varietate inter se discreti; quorum aliquos (omnes enim non est necesse) in tabella expressos lectorum oculis proponendos censebam.



Mira in Phaseolis colorum varietas.

ILLORVM itaque nonnulli aut prorsus candidi erãt, aut flavi, aut cineracei, aut fusci, aut atri, aut rubri, aut ametisthini, aut variis coloribus non uno modo distincti: interdũ albo & nigro dumtaxat, rubro & nigro, flavo & nigro; quorũ nonnullos ab eruditissimo viro Simone de Tovar Hispalẽsi medico accipiebam, tum etiam binos *Havas del Peru*, hoc est Fabarum Perũanarũ appellatione, quorũ alter major circa eam partem quæ lobo adnexa fuerat, candidus erat, reliquâ parte ex flavo & spadiceo simul mixti coloris, alter verò paullò minor, prorsus fuscus, in quo tamen nonnihil rubri eluceret: quosdam ab aliis, quorũ unus coloris ex atro rubẽtis, longioreque, quâ parte lobo adhæserat, vestigio nigro præditus; alter minor, satis crassus, coloris rubri,

corallii

corallii æmuli, cui similis formâ alter, colore tantùm differens, qui magis satur erat, & ad puniceum quodammodo vergens: tertius autem elegantissimus, isque duorum generum, major & minor, & magis orbicularis formæ: color in utroque bifariam divisus, nam media ex parte corallii instar rubebat, altera prorsus ater erat, lævis & splendens. Similem, majoris videlicet generis, multos ante annos Viennæ Austriæ accipiebam, ejusque mentionem faciebam, & iconem etiam exhibebam lib. VI. meæ Rariorum Plantarum Historiæ cap. De Phaseolo. Vtriusque porrò generis anno salutis humanæ nonagesimo septimo supra millesimum & quingentesimum, Londino accipiebam ab honesto viro Ludovico Miræo Cl. V. Matthiæ Lobelii genero, ipsi à nauta quodam ex India reduce donatos, & asserente, inquilinos tribus aut quatuor majoribus in pollinem tritis uti, ad vomitum provocandum: è minoribus autem filo trajectis armillas fieri adversus epilepsiam gestandas, arbitrati forsitan iisdem facultatibus pollere, quibus pæoniæ grana: sed ornatus potiùs causâ gestari existimem. Intelligebam autem, ab incolis appellari *Anacock*.

Anacock.

Phaseoli alii peregrini.

CAP. XIIII.

MITTEBAT ad me anno millesimo sexcentesimo honestissimus vir Willelmus Parduyn binos phaseolos peregrinos, quibus similes nondum videram: illos autem quum in superiorum classem commodè referre non possem, eorum historiam, tametsi brevem admodum, peculiari capite scribendam existimabam, potiùs quàm illos prætermitterem.

Phas. peregrinus I.

ERAT verò *Primus*, qui lobo inclusus fuisse videbatur, planus, uncialis magnitudinis, orbicularis penè formæ, medio tumidus, atque in binas partes dividuus, cineracei coloris, atrâ tenuique membranâ tectus, cui nullum nomen erat inscriptum. Plures notas addere nequeo, quia quum sibi illius generis unicum esse scriberet, illicò remittebam cum aliis quibusdam exoticis fructibus quos adjunxerat: inter quos

Phas. peregrinus II.

ALTER erat etiam Phaseolus, uncialis quidem longitudinis, sed angustus, solidus & durus, nigricans, in binas similiter partes dividuus, tenui quadam membranâ tectus albâ, quæ in latere vestigium retinebat, quo lobo inhæsisse videbatur.

Phaseolus peregrinus III.

Çapotillo del Aldana.

HIS addendum censebam alium quendam phaseolum ab eruditissimo viro Ioanne Castaneda medico Hispalensi ad me missum anno reparatæ salutis humanæ secundo supra millesimum & sexcentesimum, cum hac inscriptione *Çapotillo del Aldana*: semuncialis autem erat magnitudinis, lævis spadiceique prorsus coloris, exceptâ parte supinâ, quâ suo lobo adhæsisse videbatur, durus & solidus.

Lobus ἐχινώδης.

CAPVT XV.

Lobus ἐχινώδης.


MEMBRANACEO cortice constabat hic lobus, tres vncias longus, binas latus, fusco subrubente, & frequentibus spinulis hirsuto: memini etiam videre minores, & uncialem vel sescuncialem longitudinem non excedentes, sed qui singulares fructus dumtaxat continerent, hic verò binos instar magni pisi, coloris ex albo cineracei, parvo hilo fusco præditos, quâ lobo inhæserant, adeò solidos & duro putamine constantes, ut saxei viderentur, & cum difficultate confringi possent, confracti autem, album nucleum continere deprehenderentur, impensè amari saporis, non minùs quàm lupini. Majorem à Richardo Garth accipiebam, cum inscriptione è Brasilia allatum esse: minorem mittebat Iacobus Garetus. Minori similes, sed detersis spinis, referebant ex Iava Batavi anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo. Habui etiam ex Virginia lobum cum suis spinulis: tum pisa nuda loboque exemta, reperta inter Aromata è Tripoli Syriæ advecta: ut variis locis hoc legumen nasci videatur.

Mates de India pardo.

Nam nullæ ferè naves ex Africa, America, aut aliis peregrinis regionibus calidioribus redeunt, quin hæc pisa nuda referant. Sed etiam anno millesimo sexcentesimo secundo mittebat ad me doctissimus vir Ioannes de Castaneda nudum pisum cum hac inscriptione *Mates de India pardo*, hoc est Mates Indicum cineracei coloris: observabam autem illud nomen Mates pluribus leguminibus peregrinis ab Hispanis tribui. Hujus leguminis etiam memini cap. XXX. præcedentis libri, primo numero expressi in prima tabella illius capitis.

EIVSDEM

EIVSDEM porrò magnitudinis, cum priore illo, lobum, tres videlicet uncias longum, & duas latum, eumque valde integrum, & suo oblongo pediculo (qui nonnihil spinosus) adhuc inhærentem, mihi ostendebat anno M. D. XCIX. honestus vir Ioannes Govertz Amstelredamensis civis & mercator; quem, quia valdè integer erat, nec detritis spinis, eo permittente, in adposita tabella cum piso nudo exprimi curabam.



Pisum ochræ colore.

Ex pediculo autem, qui satis firmus & quinque uncias longus, apparebat, instar phaseolorum nasci, & interdum plures lobos eundem pediculum proferre; quandoquidem, præter binos lobos, qui expressi, in eo adhuc restabant quædam, ubi alii inhæsissent, vestigia.


CETERVM huic Piso cùm formâ, tùm magnitudine Aliud non dissimile, paullò tamen rotundius, & flavi coloris, sive Ochræ similis, fuscâ maculâ quâ lobo adhæserat insignitum, anno octogesimo quinto supra millesimum & quingentesimum Viennæ Austriæ accipiebam, Londino missum ab honestissimo viro Hugone Morgano, Serenissimæ Angliæ Reginæ pharmacopœo diligentissimo, & peritissimo: An verò lobus, quo fuerat inclusum, spinas habuerit nec ne, ignoro, quia nudum mittebat, nullâ factâ lobi mentione.

Lobi membranacei nigri, & alij.

CAP. XVI.

BINAS uncias longus, unam latus erat *Prior* lobus, prorsus atri coloris, tumidus instar lobi ciceris, nec formâ valdè illi absimilis, major tamen, membranaceo cortice satis duro constans, qui præ siccitate dehiscebat, & convolvebatur, quemadmodum pænè leguminum lobi; seminaque continebat bina aut terna, nigra, circinatæ ferè rotunditatis, plana tamen (quod mirum in adeò tumido lobo) formâ non multum dissimili articulis lobi Acaciæ, non adeò tamen turgentia in medio, tenui admodum membranâ tecta, eaque etiam nigra. Eum lobum cum aliis quibusdam exoticis, mittebat ad me Amstelredamo Petrus Garetus. Similes postea apud alios etiam videbam.

Lobus niger I. turgidus.



Lobus niger II. planus.

ALTER lobus omnino planus erat, alioqui formâ valdè similis superiori: binarum etenim unciarum longitudinem habebat, unius latitudinem, extremitas paullò latior erat, color ex atro spadiceus. Willelmus Parduyn, ab his qui anno nonagesimo octavo supra millesimum & quingentesimum ex Guinea redierant, accipiebat, & mihi mutuo dabat ut ejus historiam describere possem, quia quum unicus illi esset, ad se redire volebat, quem adservaret: porrò maturúsne esset, an immaturus, nihil pronunciare queo: sed quum lobum esse constaret, nec agitatus strepitum ederet, opinio magis inclinat, eum ante maturitatem fuisse lectum. Illud certè dolendum, eos qui ejusmodi exoticos fructus aliosque peregrinos adferunt, diligentiores non





esse

esse in observandis plantis quæ illos gestant, arboresne sint, frutices, suffrutices, an aliæ plantæ, aut legumina; quove in usu sint, denique quo nomine ab indigenis appellentur. Ceterùm utrumque illum lobum cum duobus sequentibus in eadem tabella exprimendos curabam, quæ huic capiti insereretur.

Tertius lobus paucis abhinc annis ex Guinea inferri cœpit ab Hollandis & Zelandis qui exercendi mercimonii gratiâ illuc commeant: illum autem Ciceris genus esse arbitrabar, eam ob causam Cicer Nigritarum appellabam.

A variis porrò mihi communicabatur; à Cl. V. Bernardo Paludano videlicet, & ab honestissimis viris Willelmo Parduyn & Francisco Penino.

Cicer Nigritarum. Erant autem hi lobi parvi, semuncialem magnitudinem non excedentes, tumidi, mucrone hami pæne instar incurvo, rugosi foris & ex spadiceo fusci coloris, internè candicantis & læves: eos unicum semen continere observabam quasi orbiculare, minoris pisi modo, non unius tamen coloris: nam vel prorsus album, vel omnino nigrum, vel rubens, interdum etiam ποικίλον, ex albo & rubro variè distinctum.

Lobus Æthiopico piperi similis. Quartus non valdè dissimilis erat Æthiopici piperis lobis: nam & illorum instar articulis distinctus, & grana in singulis continebat nigra, crassiuscula, rugosa, acris saporis: alioqui lobus crassior erat piperis Æthiopici lobis, cortice denso constans, foris rugoso, coloris ex rufo nigricantis, supernâ & infernâ parte duplici nervo à pediculo ad extremum lobum excurrente: pluribus aliquot articulis præditum fuisse verisimile; nam post quartum articulum præcisus fuerat.

Quadrangularis lobus.

Cap. XVII.

Lobus quadrangularis. Exoticum, nec vulgare Leguminis hoc genus esse videbatur, semel dumtaxat mihi conspectum, quadrangulari lobo constans, quatuor crassioribus & eminentioribus nervis prædito, quadrantem longus & circiter semunciam crassus, cortice satis denso, pro legumine, præditus, eoque obliquè striato, coloris ex fusco fuliginosi, septena grana continente quadrangula, in binas partes aliorum leguminum instar dividua, quæ vetustate duritiem contraxerant. Hæc pauca de eo legumine ex ejus notis apparentibus & manifestis dicere poteram, quæ lectorem boni consulturum arbitror.

Lobus oblongus aromaticus.

Cap. XVIII.

Londino ad me mittebat Hugo Morganus Serenissimæ Reginæ Angliæ Elizabethæ pharmacopœus, anno à nato Christo sexcentesimo secundo supra millesimum, quinos aut senos lobos peregrinos, quid de illis sentirem, meam opinionem exquirens; quam sanè, quia similes numquam antè mihi conspecti, difficulter admodum me pronunciare potuisse, ingenuè fateor.

Lobus aromaticus. Erant porrò illi lobi variæ magnitudinis: nam nonnulli sex dumtaxat uncias longi, alii septem, quidam etiam octo uncias longitudine superabant, singuli vix semunciam erant lati, omnes teretes & rugosi, subfusci coloris, eâ parte quâ pediculo inhæserant nonnihil recurvi, extimâ parte obtusâ, breviter formâ non valdè dissimiles quibusdam oblongis & teretibus corniculis, quæ in Terebinthi arbusculis olim observare memini; qui aperti (in binas enim partes æquales secundùm longitudinem aliorum loborum instar dividebantur) nihil continere deprehendebantur, quàm tenuem quendam pollinem nigrum & splendentem, tenaciter interiori lobi parti inhærentem, odoris ferè belzuini initio, sed si quis diutiusculè naribus admoveret, capitis gravedinem inducentem. Vnde autem habuisset, & an quidpiam intellexisset, nati ne essent in humili aliquâ plantâ, an in arbore, aut quæ provincia eos produxisset, nihil adscribebat. Itaque nemo mirari debet, si plura de illis scribere nequeo.


Kaye Baka & Daburi.

CAP. XIX.

TERES, infraque minimi digiti crassitudinem erat *Primus* fructus, qui integer, sex unciarum longitudinem superasse videbatur, immaturæ Nerii siliquæ formam quodammodo referens, denso cortice præditus, foris rugoso striatoque, & veluti innumeris tuberculis obsito, instar onagricæ pellis sive corii, è quo vaginas suis cultellis & acinacibus excipiendis tegunt Turcæ, nigro alioqui, nisi eâ parte quæ pediculo proxima, illa enim rufa erat: an semina contineret, mihi incompertum, sed pulpam admodum duram, & quæ vix cultelli mucrone eximi posset, in eo observabam, quæ subacidi saporis erat. *Fructus Nerii siliquæ effigie.*

HVNC fructum mihi ostendebat honestus vir Theodoricus Clutius, horti Academici, dum vivebat, Lugduni Batavorum præfectus. Similem postea à Cl. V. Bernardo Paludano accipiebam, quem dum per longitudinem secare vellem, ut quid contineret observarem, corrumpebam, quum adeò solidus esset, ut frangeretur citiùs & in partes dissiliret, quàm scissuram admitteret: in confracti tamen particulis, lanuginem quandam observabam, illi non valdè dissimilem, quæ in Nerij siliquis conspicitur. Similem etiam Amstelredami videbam, inter reliqua exotica capsis illis comprehensa quarum Secundo libro cap.xv. mentionem faciebam, quasque Batavi ex Iava anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo referebant: eum *Abdala* Guzarate oriundus, illâ navigatione, ut dixi, advectus, *Kaye baka* appellari aiebat, atque, dum recens est, edulem esse affirmabat. Illum porrò cum *Daburi* folliculo in adposita tabella exprimendum curabam. Kaye baka.

ALTER, membranaceus erat folliculus, quem an in arbore nasci dicam, an in frutice, dubius sum: eum enim dumtaxat accipiebam bacillo suo satis tereti adhuc inhærentem, & qui plures folliculos sustinuisse videbatur, anno octogesimo quinto supra millesimum & quingentesimum, Viennæ Austriæ, à Richardo Garth Londino missum. Erat autem is folliculus spadicei ad fuscum tendentis coloris forinsecus, extimâ parte mucronatus, toto corpore hispidus, & mollibus spinulis præditus, sescuncialis aut amplioris longitudinis, & uncialis latitudinis, qui in binas partes dehiscens, internè cavus, & veluti in quatuor loculamenta distinctus, tenellam membranam continebat, in qua veluti exiguarum baccarum uvula pyri formam exprimentium, & pusillis petiolis inhærentium, coloris rubri & quasi miniati, quibus inspersæ tamquam aureæ micæ, præsertim in ipso umbilico. *Folliculus echinatus.*



Similem deinde decimo quarto post anno Amstelredamo missum accipiebam ab honestissimo viro Walichio Syverts *Daburi* appellatione, quum præcedens sine nomine missus esset. *Daburi.*

CETERVM grana illa miniata quæ in priore conspiciebantur, suspicionem mihi faciebant, an fructus esset Arboris finium regundorum, de qua Illustris vir Iulius Scaliger, lib. Exoticorum Exercit. VI.? Certè hujus grana, tametsi vetusta, dentibus attrita, rubro vel miniato colore inficiebant: ejusque rei causâ Anglus quidam in Brasiliâ habitans, Londinum mittebat pro specimine, an ex eo quæstum facere posset. *Arbor finium regundorum.*

An verò *Bixa*? cujus meminit Ferdinandus Oviedus Primâ parte Historiæ Generalis & Naturalis lib.VIII. cap.VI. cujus interiora grana rubro colore tingere scribit? Bixa.

Oviedi Bixa.


Cap. xx.

Meam porrò suspicionem, quam de folliculo præcedente descripto habebam, non prorsus vanam fuisse, anno redemptionis humanæ sexcentesimo secundo supra millesimum, demùm intelligebam. Nam Septembri mense ejusdem anni, inter quædam semina quæ mittebat doctissimus vir Ioannes Castaneda, erat similis folliculus, brevior tamen, vt qui sescunciam longus dumtaxat esset, unciam latus, in binas partes dehiscens, & cujus spinulæ attritæ: externa pars fusci coloris, quemadmodum etiam interna, sed hæc levis & paullulum splendens; in cujus medio aliquantulum cavo, utraque pars quindecim aut sedecim grana saturè rubra, exigui etiam pyri formam referētia, brevissimo tenuissimoque petiolo singula suspensa, habebat, eaque nullis aureis micis aspersa, nisi extimâ parte, quæ splendens & veluti aurea, minimâ nigrâ maculâ tamquam puncto erat insignita: nullam verò observabam in eo folliculo sive capite loculamentorum distinctionem, nam, ut dixi, dimidia utraque folliculi sive capitis pars, grana serie quadam disposita in media concava parte continebat, majora & magis matura, quàm quæ ex Angliâ mittebantur, & salivâ dumtaxat paullulum aspersa, eleganti minii colore inficiebant: chartæ autem, quâ folliculus involutus, inscriptum erat, *con que se untan los Indios*, hoc est, quo se inungunt vel inficiunt Indi.

Bixa Americanorum.

Verùm Octobri insequente elegantem ramum multa hirsuta capita sive folliculos sustinentem accipiebam, quem propter elegantiam in tabella exprimendum curabam, quæ hîc adponeretur.

Bixæ ramus cum suis capitibus.



Erat autem ille ramus pedalis longitudinis, durus & lignosus, fusco cortice tectus, calamo scriptorio tenuior, summo fastigio in aliquot ramulos divisus, sustinentes undecim integra capita (plura fuisse, vestigia unde ea abrupta fuerant, fidem faciebant) quorum nonnulla longiora & angustiora quàm præcedens, (variæ enim erant magnitudinis) aliqua duarum unciarum longitudinem cum semisse habebant, sescunciæ ferè latitudinem, aliorum longitudo binas uncias non excedebat, nec latitudo unciam; singula verò frequentissimis tenuibus spinulis, iisque integris & oblongiusculis, nec attritis obsita, & extimâ parte mucronata, quæ per maturitatem in binas partes findi, commissuræ utrumque latus occupantes satis manifestè declarabant; perfectam autem maturitatem nondum adquisivisse, grana minora minusque rubra & rugosa, indicabant.

Hunc ramum ad me mittebat eo quo dixi anno & mense, honestissimus vir Petrus Garetus, significans Brasilianos uti ad corpus rubro colore inficiendum: addebat Viciæ Africanæ ramulum è quo plures siliquæ dependebant, nonnullæ sua grana rubra adhuc retinentes, & ramum Iunipappeeywa, sustinentem fructum suum, verùm longè minorem eo, quem cap. x. lib. I. hujus Exoticorum Historiæ exhibebam.

Bixa.

Ceterum, non dubium est quin hic fructus illi similis sit, quem Oviedus *Bixa* appellat, cujus fruticem in humanam altitudinem, interdum etiam ampliorem assurgere scribit, & folia xyli foliis similia proferre. De quo, & aliis quam plurimis, peculiari libro aliquando agemus, Deo vitam producente.

CAROLI

CAROLI CLVSI ATREBATIS

EXOTICORVM


LIBER QVARTVS.

PEREGRINORVM & *Exoticorum Fructuum (quos quidem videre nobis licuit) cùm singularium, tùm lobo aut siliquâ inclusorum historiam, superioribus duobus libris Secundo & Tertio, quâ potuimus Fide, descripsimus: hoc autem Quarto, de nonnullis Corticibus, Resinis & Succis, Radicibus, tum etiam de Plantis quibusdam peregrinis Batavorum navigatione intra paucos annos huc relatis, agere est animus: auspicabimur verò ab eo cortice cujus ante viginti annos & historiam & iconem dabamus.*


WINTERANVS CORTEX.

CAPVT I.

WILLELMVS Winter, qui Generosum Franciscum Drake ad Magellanicum usque fretum comitabatur anno redempti generis humani septuagesimo octavo supra millesimum & quingentesimum, ulteriùs non progressus, navim cujus præfectus erat, in Angliam anno insequente reducebat, atque collectum istic corticem referebat, viliori canellæ cùm substantiâ tùm colore non valdè dissimilem, plerumque tamen crassiorem, & cineracei coloris vel fuscum externâ parte, atque ulmei corticis instar scabrum, internâ verò, nonnumquam dissectum, & multis rimulis hiantem, tiliæ corticis modo, aliquando etiam valdè solidum & durum, odore non ingrato, sed perquam acri sapore, linguamque & fauces non leviùs urente, quàm piper. Illius autem fragmentum, quale amicorum operâ Londini illo ipso anno nanciscebar, in tabellâ exprimi curabam, quæ hîc adposita.



Winteranus cortex.



ISTIVS Corticis facultates nullas exploratas habebat, sed eo recente melle condito, ut acrimoniam deponeret, vel resiccato & in pollinem trito, ut in eduliis canellæ aliorúmve aromatum vicem suppleret, utebantur, qui eâ navi vehebantur. Posteà tamen

intelli-

Corticis usus. intelligebam, adversus stomacacis, sive scorbuti morbum, quo illorum nonnulli in ea navi affecti erant, non infeliciter usos fuisse.

Quia porrò Winterus hujus corticis noticiam nostro orbi primus intulit, Winteranum ab ipso cognominabam: tametsi quum recenter allatum acciperem, plurimum accedere mihi videbatur ad ligni Aromatici corticem, cujus meminit Nicolaus Monardes in Simplicium è novo orbe delatorum Historiâ, licet singularem illam odoris gratiam, quam suo cortici tribuit, in hoc deprehendere nequirem, ut revera non habebat. *Lignum Aromaticum.* Sed vicesimo insequente annò, ligni illius aromatici atque insuper ipsius corticis copia facta est: de quibus, ne pigeat lectorem, obsecro, consulere nostrum in illud caput scholium, postremâ editione additum. Quinetiam ad pleniorem ejus cognitionem adipiscendam, tertium hujus libri caput legere non oberit.


CETERVM eorum qui anno millesimo & sexcentesimo à Christi nostri redemptoris nativitate è Magellanico freto redibant relatione, magis certam illius corticis cognitionem adipiscebar, præsertim ex epistola quam Sebaldus de Wert, ejus navis, quæ non superato freto propter assiduas tempestates reverti coacta est, Præfectus, ad ornatissimum virum Ioannem de Laet vicesimo Aprilis insequentis anni scribebat, in gratiam Ioannis ipsius filij, juvenis eruditione & modestiâ valdè præstantis, qui meo rogatu ligni cum suo cortice adhærente fragmentum ab ipso petierat. Illa autem ferè hæc continebat.

QVANDOQVIDEM Dn. Clusius adeò avidè expetit ejus arboris fragmentum, quàm in Magellanico freto observabamus, dolet quòd maturiùs non intellexerim, nam ejus petitioni abundè satisfacere potuissem, quum inter ligna ignis struendi gratiâ in eo freto lecta, magna ex parte illius arboris essent: Verùm ea omnia Roterodamensi cuidam civi divendita fuere: commode tamen in navi adhuc reperti sunt bini aut terni longurij, aliquot pedes longi, quorum unum mitto: hujus fragmentum, si lubet, Dn. Clusio communicare poteris. Arboris folia nulla adservata puto, quia propter abundantiam neglecta: de ligni verò, foliorúmve, aut corticis facultatibus & naturâ, nihil nobis constat, nisi quòd corticem & folia adeò aromatica observantes, iis usi sumus in nostris edulijs, existimantes in tam frigidâ regione noxia esse non posse, præsertim quùm pipere ferè destitueremur, ad musculorum in eo freto repertorum, quibus vesci cogebamur aliorum alimentorum penuriâ, condimentum.

Arboris aromatica Magellanica historia. Ea porrò arbor in insulis Sinus illius, quem à Classis Præfecti nomine, *de Cordes* nuncupabamus, non solummodo crescebat, sed etiam toto illo freto: nec aliquam similitudinem cum lauro habet, ut nonnulli retulerunt, foliorum dumtaxat odor laurinorum foliorum odorem æmulatur, sed illis sunt latiora & magis viridia: arbor tamen perpetuâ comâ viret, (quemadmodum maxima pars aliarum arborum quæ in eo freto nascuntur) atq; in altum assurgit, adeò interdum crassa, ut duorum aut trium humanorum corporum crassitudinem æquet, & meminerim asseres ex unâ sectos fuisse, binos pedes cum semisse latos: valdè autem fragile est lignum. Nullum fert fructum, quantum quidem observare potuimus, licet totis novem & amplius mensibus in eo freto hæserimus, quo sanè temporis spatio, vel flores, vel fructum sive immaturum sive maturum, observare necesse fuisset, nisi sterilis esset. Hæc sunt quæ de illa arbore scribere possum: cuperem certè diligentiùs pleraque observassem Dn. Clusii causâ, cui libenter gratificarer: sed hæc admonitio mihi occasionem præbebit, ut in aliis peregrinationibus diligentior sim futurus. *Ex tenella simili arbore jacula.* His autem exaratis, succurrebat, bina aut terna jacula mihi superesse, quibus illius freti incolæ armorum vice uti solent; ea verò ex integra arbuscula ejus generis de qua agimus, constant: horum unum Dn. Ioanni tuo filio mitto, quod boni consulat velim, tametsi non comparandum cum arcubus aut sagittis Brasilianorum; ex simili tamen arbore, cujus modò memini, illud esse, cortex adhuc inhærens fidem faciet: illis jaculis cuspides aptare solent, nervo aliquo, non firmiter tamen, colligatas, ut corporibus infixæ, in vulnere hæreant: hujusmodi jaculis quorundam ex nostris corpora trajecta fuere, nonnullorum verò brachia. Rariora quædam adservaveram, sed ea partim à *Aranea monstrosa.* muribus erosa, partim meorum negligentiâ perierunt: atque inter illa, aranea quædam, cujus corpus palmum erat latum, & pro magnitudinis proportione crassum, præterea monstrosi quidam pisces: quorum omnium quum nihil retinuerim, plura de iis referre non convenit. Hactenus Sebaldus: quæ etiam posteà hac transiens mihi confirmabat.

Ex illo

Ex illo autem longurio quem Ioannes de Laet accipiebat, ejus filius bina fragmenta pedem longa, corticem etiamnum retinentia mihi donabat, qui ex fuſco cineracei coloris, valdè acris & fervidi ſaporis. Horum alterum in adpoſita tabella exprimi curabam.




Ceterùm apud eundem Ioannem de Laet conſpiciebam jaculum illud ipſius filio donatum, rude & impolitum, octo aut novem pedes longum, cujus cuſpis ex alio ligno duriore & ſolidiore conſtabat, & dentata erat, ut corpori infixa facilè educi nequiret.

Quam autem appellationem ea arbor apud freti illius incolas obtineat, ignoratur: meâ tamen opinione, non incommodè Magellanica aromatica arbor dici queat, quòd in eo freto proveniens, corticem adeò aromaticum habeat.

An Caſsia veterum?

CAP. II.

QVI anno à Chriſti nativitate milleſimo ſexcenteſimo & eum inſequente ex Moluccis & Iavâ reduces, Amſtelredamum aromata inferebant, corticem quendam in longos & enodes tubos convolutum etiam advehebant, cujus uſum incolis valde familiarem eſſe dicebant, ad condienda ſua edulia. Aliquos in tabella exprimi curabam, quæ hîc adponeretur.



Caſsia veterum fortè.

Conſtabant autem illi tubi cortice non valdè denſo, eoque, ut dicebam, enodi, coloris exteriore parte interdum candicantis, nonnumquam cineracei, & illo quidem lævi, aliquando etiam ſcabro aliquantulum, coloris fuſci, ut vilior quædam Canella cenſeri poſſet; interiore verò parte quâ ligno adhæſerat, prorſus fuſci: ſaporis quidem non ingrati, ſed acrioris, non adeò tamen ut legitima Canella, qui nihilominus in illius penuria, non incommodè meâ opinione uſurpari poſſet, aut caſſiæ aromaticæ à Dioſcoride deſcriptæ (ad cujus aliquod genus referri debere non ineptè forſitan quiſpiam exiſtimet) vicem ſupplere. Percontabar porrò ab his à quibus eum corticem accipiebam, an intellexiſſent, quo nomine apud incolas appellaretur, & an arborem, à qua detractus, obſervaſſent; negabant omnes, & illud dumtaxat ſe ſcire profitebantur, incolas, illius polline, ad condienda ſua edulia frequenter uti. Aliquo temporis ſpatio ore retentus & manducatus hic cortex, præter acrimoniam, lentorem quendam habere deprehendebatur.

Similem etiam corticem ex Patane referebant biennio poſt, quo iſtîc utebantur Canellæ loco.

Canella vilior Iavaica. VIR eruditissimus Lambertus Hortensius medicus, qui nave vectus cui symbolum Luna, ex Moluccis & Iava redibat anno à Christi nativitate primo & sexcentesimo supra millesimum, donabat me exiguo Canellæ fragmento quam in Iava nasci asserebat. Erat verò illud fragmentum quatuor uncias longum, semunciam pænè latum, satisque crassum, coloris ad rubedinem quodammodo tendentis, qualis ferè in viliore canella conspici solet: ejus odor exiguus, imò pænè nullus, sapor qui in viliore canella, aut in cortice modò descripto; in quo tamen mandendo observaretur quidam lentor & veluti gummositas, quæ vel summis tantùm digitis admotis inhæreret, & quodammodo glutinis instar distendi posset.

Canella alba quorundam.

CAP. III.


Canella alba duorum generum. ANTE paucos annos inferri cœpit exoticus quidam cortex; cui, quoniam in tubos plerumque convolutus est Canellæ instar, tum etiam propter albedinem, Canellæ albæ nomen indiderunt. Ejus autem duo genera observare mihi videbar. *I.* Vnum majoribus longioribusque tubis, & etiam crassius, quod vilius, meo iudicio, æstimandum. *II.* Alterum tenuius, minoribusque tubis, quod præferendum. Vtrique generi, extimus cortex scaber, ferro, aliόve instrumento, detersus & æquatus videbatur: crassiori, color minùs albus, minorque acrimonia: tenuiori, major acrimonia, & color magis candicans, majorque fragrantia. Essétne verò hic cortex ab aliqua arbore fruticéve ademptus, an à radice aliqua, hærebam initio: nam candidioris tenuiorisque corticis collatione factâ cum cortice fragmenti radicis cujusdam, quod anno nonagesimo primo suprà millesimum & quingentesimum, Londino ad me mittebat doctissimus vir Richardus Garth, ex Wingandecaow, sive Virginia, ut adscriptum erat, acceptum, sed nullo nomine insignitum; reperiebam, neque colore, neque substantiâ, neque acrimoniâ multum inter se differre. In ipsa quidem radicis substantia nullam manifestam qualitatem deprehendebam, sed in *Radix.* ipso cortice tota facultas consistebat. Erat porrò illud radicis fragmentum dodrantalis longitudinis, pollicaris crassitudinis (quia forsitan nondum adulta) in aliquot ramos infernâ parte divisa; cortex ipse rugosus, pallescens, & valdè acris: quam ob causam non est dubium, quin apud incolas aliquo in usu esset: nihil tamen de facultatibus, neque etiam de ipsa planta cujus radix fuerat, Garthus meminerat.


Canella alba è radice. NON absimilium porrò corticum fragmenta pedalis longitudinis vel etiam ampliora referebant anno primo supra millesimum & sexcentesimum nautæ Batavi ex Moluccis & Iava reduces; quibus, quod candore essent eximio, & acrimoniæ non expertia, Canellæ albæ nomen indiderant: apparebat tamen à radicibus detracta fuisse, non abs alicujus arboris ramis aut trunco, nam nimis frequentibus nodis, tum etiam vestigiis ubi fibræ inhæsissent, erant prædita: licet autem crassiuscula essent ea fragmenta, satis tamen fragilia, & interiore parte, nonnullis locis quasdam ipsius radicis particulas adhuc retinebant, albas etiam illas, & ipso cortice longè firmiores fractuque contumaces: imbecillus verò corticis odor, sapor satis acris; ipsius radicis substantia quandam etiam acrimoniam habere deprehendebatur cum pauca adstrictione conjunctam.

Canella alba ex arbore. CETERVM concinnatâ priore hujus corticis historiæ parte, aliud corticis fragmentum honestissimus vir Petrus Garetus Amstelredamo ad me mittebat, quod omnem dubitandi occasionem adimebat: nam rectum, & ut primum illud genus, quod vilius pronunciabam, enode erat, pedalis longitudinis (quanquam longius fuisse videretur) pænè trium unciarum ambitum, infimâ parte, licet non integrum, comprehendens, supernâ duarum. Hujus exterior cortex (gemino enim constabat) tenuior quidem erat, sed valdè asper & rugosus, atque multis rimis hians, insuper multis lacunis, iisque interdum geminis, serie quadam secundum longitudinem, sed obliquâ, dispositis, distinctus, quas esse augurabar veluti vestigia foliorum, quæ ramum (à quo detractus cortex) cinxerant. Erat verò uterque cortex valdè odoratus & aromaticus, acrique sapore præditus, præsertim exterior, qui suam vim & acrimoniam gustu exerebat.

Rem autem non ingratam Medicinæ & Naturalium rerum studiosis me facturum ratus, ligni illius, quod hoc cortice tectum, atque ipsius etiam corticis iconem in tabella adposita expressam, proponebam.

ATTEN-





ATTENTIVS porrò hunc corticem consideranti, mentem subibat, illi non valdè dissimilem videri, cujus memini in scholio ad caput de Ligno aromatico, descripto à Nicolao Monardes lib. de Medicamentis simplicibus ex Occidentali India delatis, postremâ editione addito. Eam ob causam utrumque statim conferebam, & re ipsâ comperiebam, ovum ovo non magis esse simile, quàm hic externus cortex cum illo esset, qui mihi donatus pro cortice illius ligni, quod ante nudum sine cortice & ἀνώνυμον à Petro Gareto acceperam. Arbitror autem interdum externam illam corticis scabram superficiem adimi, ut pro Canella obtrudatur, cui, quòd candidior sit legitimâ canellâ, albæ cognomen adjecerunt. Consule Lector (ni piget) nostrum scholium ad caput de Ligno aromatico, postremâ, ut dixi, editione additum, ne idem hîc repetere cogar. *Lignum aromaticum.*

An Veterum Macer.

CAP. IV.

CORTICIS cujusdam pedalis aut sedecim unciarum longitudinis fragmentum Amstelredami videbam anno à nato Christo sexcentesimo tertio supra millesimum, apud doctissimum virum Doctorem Stephanum Backerum illius urbis Medicum, binas uncias aut paullò ampliùs latum, satis crassum, subrubentis exteriùs coloris & veluti nodosum, internè subfusci, & multis rimis hiantem, adstringentis saporis.

SI meam opinionem de hoc cortice liberè proferre licet, plurimùm ad Veterum Macer accedere videtur, tametsi paucas ejus notas nobis illi reliquerint, è quibus exactam conjecturam facere possimus. Easdem tamen facultates Maceri tribuunt, quibus hunc corticem præditum ferebant ii, à quibus Backerus se accepisse aiebat, ut qui incolas ad alvi profluvia sedanda frequenter eo uti assererent. Nam Dioscorides cap. CXI. lib. I. scribit *Macer* corticem esse ex Barbaria advectum, ὑπόξανθον, crassum, perquam adstringentem, qui contra cruentas excreationes, dysenterias, & alvi fluxiones bibitur. Plinius autem cap. VIII. lib. XII. Naturalis Histor. Et Macir ex India advehitur, cortex rubens, cujus in melle decocti usus in Medicina ad dysentericos præcipuus habetur. *Macer Veterum.* *Macir Plinij.*

An verò is cortex quem Nicolaus Monardes cap. XLII. Simpl. medicamentorum ex Occidentali India allatorum historiæ scribit ad alvi profluvia esse utilem? *Cortex ad alvi profluvia.*

Ceterùm ex qua Provincia hunc corticem nautæ attulissent, ex arborene, an à frutice detractus esset, juxtà ignorabat, qui mihi conspiciendum præbebat.

Cortex Eriophorus.

CAP. V.

ANNO à nato Christo sexcentesimo tertio supra millesimum, mittebat ad me Petrus Garetus, Corticis cujusdam fragmenta, illo ipso anno ex Indiâ allata, eaque veluti in tubos mediâ ex parte convoluta, quæ an à radicibus, an ab arboris alicujus ramis detracta fuerint, ignoro: illi forsitan dicere potuissent, à quibus Garetus accipiebat.

Erant porrò illa fragmenta cineraceo quidem colore, satis verò acri sapore, prædita, valdè fragilia, quæ vel in minutas etiã partes fracta, & protracta, veluti tenuissima stamina, instar *Eriophorus cortex.*

ferè telæ aranearum, ut lana autem candida, ostendebant, quemadmodum Eriophori bulbi folia, & squamæ radicis ipsius. In quem autem usum attulissent, qui illa Gareto donabant, in epistolâ quam unà mittebat, non erat adscriptum; & haud scio an ab iis sit percontatus. Ipsos autem non sine causa retulisse, sed istius corticis facultates compertas habuisse, verisimile est.

RESINÆ ET SVCCI.

CORTICVM, *quos paucos observare licuit, classi, paucas etiam Resinas & Succos peregrinos concretos, mihi concessos ut describerem, peculiari similiter classe comprehensos subiicere, & Radices præcedere volui.*

Resina Ambræ facie.

CAP. VI.

Resina Ambræ facie.

QVI ex India anno à Christo nato millesimo sexcentesimo primo redibant Batavi nautæ, magnum Resinæ cujusdam fragmentum afferebant, quod libram & sex uncias pendebat, coloris ex fusco cineracei, & plerisque partibus Ambræ odoratæ colorem referentis, sic ut qui ab arbore detraxissent, legitimam Ambram esse sibi persuaderent: resinaceus tamen odor, licet non ingratus, ab ea opinione illos dimovere debuerat. In quem autem usum adhiberent, ignorabat honestissimus vir Franciscus Peninus, civis Amstelredamensis, qui ab illis redemerat, & permittebat ut describere possem.

HOC porrò vitio laborant plerique istorum qui peregrinas regiones adeunt, ut neque diligenter observent quales sint arbores è quibus fructus legunt, aut resinas detrahunt; nec earum vulgare nomen percontentur, tametsi liceat; neque an aliquem usum apud incolas obtineant: quod profectò iis qui illarum rerum quas adferunt historiam describendam suscipiunt, magnam difficultatem, & non vulgarem molestiam parit.

Resinæ aliæ, bitumen, succi concreti.

CAP. VII.

ANNO redemptæ salutis humanæ nonagesimo nono supra millesimum & quingentesimum mittebat ad me Amstelredamo honestissimus vir Walichius Syvertz resinas quasdam sive succos concretos ex America à nautis allatos, quos illarum Provinciarum incolis quotidiano in usu esse, intelligebat ab Americano quodam ex *Waiapock* oriundo.

Iraituch, Aiawe.

PRIMVS, *Iraituch* & *Aiawe* appellatus, succus erat non valdè dissimilis Aloës succo, tum colore tum substantiâ, gravis odoris, qui recens & liquidior, Musæ tenerioribus foliis fuerat exceptus: nam iis adhuc involutum accipiebam. Illo naviculas & scaphas induci ab inquilinis, referebat, quemadmodum à nostris pice fieri solet. An verò ex aliqua arbore fluat, aut bituminis instar è terra emanet, nihil erat adscriptum.

Vsus ejus.

Vsuc, Gyp.

VSVC & *Gyp*, nomina adscripta habebat Alter succus, Musæ etiam foliis involutus, ater, splendens; non injucundi tamen odoris, sed qui ad anethinum quodammodo accederet. Hoc uti solere incolas asserebat, ad suffumigia, tetrumque cadaverum fœtorem tollendum, toto illo tempore, quo cadavera domi retinere pro consuetudine solent. Isto etiam inducunt arborum cortices ventri applicandos in ejus doloribus.

Ejus usus.

Vsub Theveti.

AN, VSVB, cujus Thevetus cap. XXXII. Franciæ Antarcticæ meminit, & ad vulnera curanda Brasilianis in usu esse scribit?

HIS succis non incommodè forsitan conjungendum erit Asphalti genus, quod eodem anno honestissimus etiam vir Willelmus Parduynus ad me mittebat, ex insula Trinitate, Orenoque fluminis ostiis vicina, relatum; ubi, referentibus iis qui ex ea insula advecti, abundè invenitur.

Ἀσφάλτου.

Erat verò illud bitumen cùm substantia, tùm colore, & odore, vero ἀσφάλτῳ sive bitumini persimile, quale conspiciebam apud Generosum Heroëm Hieronymum Beck à Leopoldstorff, quum apud illum interdum versarer in ipsius arce Eberstorff ad paludes appellata, quinque milliaribus ab urbe Viennâ Austriacâ distante: etenim ipsemet in Asphaltite lacu

lacu hauserat, & cum plerisque aliis rebus singularibus in sua peregrinatione Ægyptiaca, Syriaca & Palestina observatis domum retulerat: eam ob causam, legitimo bitumini substitui posse existimarem, in illius penuriâ.

ALTERIVS succi concreti magnum fragmentum eodem pænè tempore ad me mittebat Londino Iacobus Garetus, cujus frequens in hac historia mentio.

Erat verò is succus, dum adhuc recens & lentus, circa bacillum pedalis longitudinis multiplici circumvolutione adaptatus, donec in brachialem crassitudinem evaderet: varius erat ejus color, nam ex parte nonnihil candicabat, ex parte cineraceus, & ex parte nigricans erat, durus & firmus, quem tamen igni expositum, liquescere & lentum fieri intelligebam visci instar, quo aucupes ad capiendas aviculas uti solent: atque rem ita se habere experiebar. Unde porrò allatus, & ad quam rem utilis esset, nihil adscriptum. *Succus visci instar.*

CETERVM biennio post, mittebat ad me idem Garetus cum aliis quibusdam rebus exoticis similis succi concreti, multiplici spirâ circa bacillum convoluti fragmentum, quinque unciarum longitudinis, & novem uncias ambitu comprehendens, quippe cujus diameter pænè trium unciarum esset, externâ parte omnino fuscus, ex frequenti, ut puto, manuum contrectatione, internâ verò candicans, siccus admodùm, & fractu adeò contumax, ut lignum veriùs quam succus censeri posset; igni tamen admotus, statim flammam concipiens, in nigrum & lentum liquorem resoluebatur instar visci, valdè lentum & tenacissimum, nullius initio manifesti saporis, sed paullò post, acrimoniæ cujusdam non expertis.

Succi alij concreti.

CAP. VIII.

QVVM Amstelredami anno sexcentesimo supra millesimum à Christi nativitate essem, donabat mihi honestissimus vir Petrus Garetus, Iacobi frater, ejus urbis civis, aliquot succos concretos, ab iis, qui eodem anno ex sua longinqua navigatione redierant, redemtos; ac bimestri elapso, alios insuper mittebat. Ut porrò illi diversi coloris erant, sic ab invicem segregandos esse, & singulorum historiam quâ possem diligentiâ & perspicuitate describendam, & in unum caput congerendam, censebam.

PRIMVS, ater prorsus erat, haud secus ac asphaltum, durus & solidus; illoque (ut apparebat) usi fuerant nautæ ad fili stamina, picis aut ceræ vice, inducenda: manibus enim aliquantisper emollitus lentior fiebat, nec injucundum spirabat odorem, anethinum etenim quidpiam resipiebat, nec ingratum habebat saporem, illum tamen acriusculum: flammæ verò admotus, non secus ac resina quædam liquescebat. Observabam porrò hunc succum, sive quis malit resinam appellare, dentibus cedere & mollescere, ore retentum. *ἀσφάλτῳ similis succus.*

ALTER, Primo non valdè dissimilis erat, substantiâ tamen solidiore constabat, ut quæ in micas potiùs dissiliret, quàm manibus emolliri posset, imò ne longo quidem tempore in ore retentus ullam unguis impressionem admittere volebat: nullum in eo gratum odorem observare poteram, sed quandam dumtaxat in mandendo acrimoniam. *Succus II.*

TERTIVS, etiam ater, quasdam tamen albas micas inspersas habebat: licet autem superiore impurior & magis retorridus videretur, unguis tamen impressionem admittebat, nec ingrati erat odoris, illius etiam sapor nonnullâ acrimoniâ præditus; manducatus, dentibus cedebat; igni etiam admotus, liquescebat, & flammam concipiebat. *Succus III.*

QVARTVS, flavi coloris erat, cui commixti erant per universam ejus substantiam veluti grumi quidam albi satis friabiles, qui digitis attriti odorem spirabant non prorsus quidem injucundum, graviorem tamen, & magis validum quàm Primus; nec illo minùs acrem habebat saporem, imò meâ opinione magis acrem, & minùs jucundum. Dentibus autem cedebat præmansa hæc resina, & mollescebat ore retenta; flammæ verò admota, ardebat & liquescebat. *Succus IV.*

QVINTO, color erat ex albo, flavo, rufo & fusco mixtus, substantiâ molli lentaque præditus, odore ad anethi odorem quodammodo accedente, atque etiam sapore, sed longè acriore, & qui ore retentus, linguam & labra vellicaret, imò etiam quodammodo fauces incenderet, salivâ verò madefactus croceo colore inficeret. Is incensus, flammam quidem concipiebat & liquescebat, sed non ardebat: fuerat porrò quibusdam foliis exceptus, quibus adhuc involutus erat. *Succus V.*

MASTICHINÆ resinæ non valdè absimilis erat *Sextus*, minùs tamen albus, friabilis ut resina, manibus tamen emollitus aut ore retentus aliquantisper, lentescebat, nec ingrati odoris deprehendebatur, ut neque etiam saporis, aliquantulum tamen acris. Igni admotus, *Succus VI.*

motus, flammam etiam concipiebat quæ statim extingueretur, atque instar ceræ liquescebat. Erat etiam hic succus, sive veriùs resina, foliis quibusdam involuta, quibus recenter fluentem exceptam fuisse verisimile est.

Succus VII. Animæ similis. SEPTIMVS, Resina erat Succino non absimilis, transparens & lucida, pænè instar Animæ Americanorum, cujus fortasse genus: color ex albo flavescens, odor non injucundus, sapor amariusculus, deinde acriusculus: in micas potiùs dissiliebat, quàm ut dentibus cederet, aut ore retenta, mollesceret: igni tamen admota, liquescebat, flammamque concipiebat, & ardebat.

Succus VIII. OCTAVVS, densior erat resina nec transparens, foris subrufa, interiore parte alba, & digitis attrita, satis friabilis, odorisque non injucundi, sed fœniculi odorem quodammodo referentis, ut suspicionem mihi moveret, Mollis arboris resinam esse posse; sapor erat amariusculus & acriusculus: nec dentibus cedebat, nec ore retenta mollescebat: igni tamen admota liquescebat instar ceræ, atque splendida fiebat, flammam tamen non concipiebat.

Succus IX. NONVS, Resina erat cineracei ex albo coloris, adeò autem strigosa & retorrida, ut gleba aut lapidis fragmentum potiùs videretur, quàm resina: licet quispiam suspicari posset ejusdem generis esse cum superiore, sed magis impuram, quia simili odore & sapore prædita erat cum præcedente, nec dentibus cedebat, nec ore retenta mollis fiebat, igni tamen admota, perinde atque illa liquescebat, & flammam non modò concipiebat, sed simul etiam ardebat, ut Septimus succus.

Succus X. DECIMVS, siccus erat & durus perinde ac præcedens, ut potiùs in pollinem attereretur, quàm dentibus cederet, aut ore retentus mollesceret: ejus color ex atro rubescens, ut salivâ leviter aspersus non minùs rubro colore inficeret, quàm terra synopica, in quo tamen levis quædam flavedo inspersa videretur, odoris, quemadmodum etiam saporis, expers (meâ quidem opinione) nisi ex præcedentium odoratu & gustatione, odor & sapor naribus & palato adhuc inhærentes, meum judicium depravassent.

Sucúmne concretum hanc massam appellarem, an terram aliquam in globum congestam, hærebam: in eam tamen opinionem magis inclinabat animus, ut terræ genus quodpiam æstimari posset, quàm resina, quia igni admota nigrescebat, & citiùs consumebatur,

Bixa. quàm arderet & liquesceret. Nisi fortè *Bixa* Oviedi censenda sit, cujus in suo Summario meminit cap. X. & lib. VIII. cap. VI. Primæ partis Hist. General. & Natural.

Succus XI. SVCCVM Vndecimum, sic enim appellandus potiùs videtur, quàm Resina, ad me mittebat anno à Christi nativitate sexcentesimo tertio supra millesimum, idem Petrus Garetus, ex Sinarum regno recens, ut scribebat, allatum, cùm à Iacobo van Neck classis Præfecto, tùm ab aliis qui ipsum comitati fuerant. Erat autem valdè purus, nullisque sordibus infectus, fulvi coloris, & paullulum salivâ vel aquâ tinctus, prorsus flavo colore inficiebat. Illo uti incolas intelligebam ad aqueos humores sine molestiâ evacuandum: dosim verò esse à quindecim ad viginti granorum pondus.

Initio, ob coloris affinitatem & facultates, Aloës succum esse existimabam, propterea aliquantulum degustabam: nullam tamen amaritudinem deprehendebam, sed post temporis momentum, magnam acrimoniam in gutture mihi excitabat, ut mihi suspicionem moveret Euphorbii succum esse posse: hunc autem succum *Ghittaiemou* appellari dicebat Iacobus van Neck classis Præfectus.

Succus XII. PAVLLÒ post mittebat idem Garetus cum aliis rebus quas ab iis qui Iacobum van Neck comitati eodem anno redierant, acceperat, gummi cujusdam fragmentum in planam massam redacti semuncialis pænè crassitudinis, quod lucernæ adhibitum liquescebat:

Sanguis Draconis. id, quum eleganti & florido cinnabaris colore inficeret, mihi persuadebam Arboris Draconis purius & defæcatum gummi esse posse, quod Sanguis Draconis appellatur.

RADICES ALIQVOT PEREGRINÆ.


PAVCOS *illos aromaticos Cortices & Resinas, succósve concretos nanciscebar, quorum historiam descriptione dignam censerem: quibus paucarum etiam radicum, quas mihi videre licuit, historiam subiiciendam arbitrabar.*

Pseudo-

Pseudo-china radix

CAP. IX.

ISTAM radicem Londino ad me mittebat anno à Christi nativitate nonagesimo primo supra millesimum & quingẽtesimum Iacobus Garetus, è Wingandecaow, sive Virginia relatam cum hac inscriptione, *Chinæ species*. Illius autem iconem in tabella, me curante, expressam, adponebam.



VALDE nodosa erat hæc radix, & in aliquot tubera formata, subrutilo colore, sarmenti aliquam partem summo fastigio adhuc retinens, quale in Smilace asperâ conspicitur, duri, lignosi, multis venis, ut Smilacis sarmenta præditi: ipsius radicis substantia etiam subrutila, ut in Butomi (vulgo Pseudo-acorus nuncupati, & nostrâ adhuc ætate à nonnullis magno errore pro legitimo Acoro usurpati) radice, salsi initio saporis sive gustus, quùm videlicet vetusta, talem enim accipiebam, deinde desiccantis.

Pseudochinæ historia.

Butomum.


Illam porrò esse arbitror, quam Virginiensis historiæ scriptor, capite De Radicibus, in Angliam esse delatam tradit pro radice Chinæ, tametsi indigenæ illius usum non norint: sed aliâ radice utantur valdè simili, quam ipsi *Tsinaw* appellant, è qua concisa contritaque, & cum aqua expressa, ad succum eliciendum, panem conficiunt.

Tsinaw.

Drakena radix. Hispane contra ierba.

CAPVT X.

ANNO à Christi nativitate octogesimo primo supra millesimum & quingentesimum, Londini mihi donabat Generosus eques Franciscus Drake quasdam radices, cum tribus aut quatuor lapidibus Bezaar Perüanis, quas Autumno præcedente (absolutâ navigatione, quâ totum orbem, superato Magellanico freto, circumiverat) secum retulerat, illas summæ apud Perüanos æstimationis esse asserens: propterea, illius, qui mihi eas donabat, gratiâ, huic radici *Drakena* cognomen indebam, & ipsam in tabella expressam lectoris oculis proponebam.



SEMVNCIALI autem hæc, magnâ ex parte, erat crassitudine, & prælonga, subinde in nodos & inæqualia capita extuberans, atque in summis capitibus, veluti è crassis squamis contexta, Dentariæ ζιζύλλε, sive veriùs ἐντεαφύλλε (quam cap. XXII. lib. V. meæ Rariorum Plantarum historiæ describebam) ferè instar, foris nigricans, rugosa, & dura, quia resiccata, interiore parte alba: tenues fibras hinc inde adnascentes habebat, quasdam crassiusculas & majusculas, duras & lentas, è quibus

Drakenæ radicis historia.

è quibus alii nodi dependebant: nullo manifesto odore præditam esse observabam, sed saporem habere deprehendebam nonnihil adstringentem & linguam exsiccantem initio, diutiùs verò manducatam, tenuem suavemque acrimoniam in ore relinquere.

Radix S. Helenæ. Magnam quidem affinitatem habere videbatur cum radice S. Helenæ, de qua Nicolaus Monardes libro Simplicium medicamentorum ex Occidentali India delatorum. Sed cum N. Eliot, qui Drake in ea navigatione comitatus fuerat, Hispanos in Peru maximo in pretio habere, nec nisi difficulter redimi posse, referret, ab iisque didicisset, folia præsens venenum esse, ipsam autem radicem, non modò illius veneni, sed etiam aliorum antidotum esse, & cor ac vitales facultates roborare, si pollinis in modum trita manè ex pauxillo vino sumeretur, ex aquâ verò febris ardores mitigare: earum facultatum ratione, valdè conveniret cum Radicibus, veneno adversantibus, de quibus eodem libro Monardes: in his tamen aromaticum saporem, & caloris gradum desiderabam, quem illis radicibus tribuit.

Radix veneno adversa.


Radix Drakenæ affinis.

CAPVT XI.

Drakenæ radicis genus. DRAKENÆ radici quodammodo affines videbantur eæ radices, quæ in ingente illa Prætoria navi Proregem ex Orientali India revehente, & ab Anglicis naucleris occupata, repertæ fuerant. Etenim tuberosæ erant, & quantum ex earum forma colligere licebat, summâ terræ superficie repentes, multisque villis & fibris obsitæ, fuliginoso colore præditæ, nonnihil tamen ad flavum tendente, salivam, dum manducabantur, inficientes, & amaræ, foliorum quidem aliquos pediculos adhuc retinentes; qualia verò illa fuerint, nemo facilè dixerit.

Ceterùm magni usus apud Indos fuisse, verisimile erat, quandoquidem Prorex eas referret cum nobilibus aliis medicamentis in Orientali India natis. Iacobus Garetus cum sequente plantula resiccata mittebat: eam ob causam in eadem tabella, quæ hîc subjecta, exprimi curabam.





Plantula peregrina. PORRO, ad cujus plantæ genus hanc pusillam referre possem, prorsus ignorabam: etenim nemo inficias ibit, quàm difficile sit, de plantis nunquam anteà conspectis, eisque mutilis & corruptis, certi quidpiam statuere.

HABEBAT autem ea plantula cauliculum uncialis longitudinis aut ampliorem, valdè gracilem, sustinentem ut plurimum binas oblongas, graciles, quincunciales que veluti spicas, longo pediculo subnixas, adeò obliquè quaquaversum striatas & rugosas, ut exilium lumbricorum exsiccatorum, aut teretium limularum formam quodammodo referrent, coloris fusci & fuliginosi, subacris & calidi saporis, odore autem melilotum pænè referentes. Qui mittebat nudâ chartâ involutam, nullum nomen adscripserat, nec unde habuisset significabat.


PLANTÆ EXOTICÆ.

VT Quartus hic Liber ex quadam Miscellaneorum farragine constat, in diversas classes distribuendum censuimus, quarum jam tres absolutæ: superest quarta, quæ hujus libri ultima, de Plantis exoticis, his proximis navigationibus peregrè advectis, quæ, licet diversi generis, in unam tamen classem referendæ videbantur.

Chamærrhiphe peregrina.

CAP. XII.

SVB extremum annum à Christi nostri redemptoris nativitate millesimum & sexcentesimum tertium, mittebat ad me Petrus Garetus cum Cortice eriophoro & aliquot Succis (de quibus cap. v. & VIII. hujus libri) peregrinæ cujusdam humilis palmæ ramum, multis virgis præditum, è quibus flores aut palmulæ pependerant, ut ex vestigiis in iis virgis adhuc remanentibus apparebat; nudum tamen illum, & sine involucro. Cujus iconem, quia peregrinus, nec similis formæ mihi umquam conspectus, in subjecta tabella exprimendam curabam.



ERAT autem hic ramus pedem Romanum longus, vel major, quadragenis aut pluribus virgis præditus, fusci coloris, inæqualibus, & frequentissima vestigia retinentibus, in quibus hæsissent flores, aut fructus rudimenta, contortis infimâ parte, ut facilè appareret, aliquo involucro sive spathâ fuisse tectas: prodibat verò hic ramus ex denso quodam cortice semunciam alto, quatuor autem vel plures uncias lato, & lunato, subflavi coloris, pronâ quidem & supinâ parte lævi, sed ipsâ corticis materiâ è multis transversis fibris constante, iis pænè similibus quæ in magnarum illarum nucum Indicarum, quas vulgo Coccos appellant, tegumento conspiciuntur, aut quæ humilium palmarum germina, à plerisque in deliciis habita, vestiunt.

Ceterùm sculptoris negligentiâ, cui hanc iconem sculpendam tradideram, magna ex parte corrupta fuit, & multæ notæ quæ in ea expressæ, prætermissæ.

Nautæ, à quibus redemptus fuerat hic ramus, se in altissimo quodam scopulo, è mediis maris aquis caput attollente, nascentem reperisse & rescidisse affirmabant: facilè nihilominus mihi persuaserim, non in scopulo marino, verùm in aliqua insula, ad quam appulissent, reperisse, & ex arbore vel frutice detraxisse (in quo forsitan, aut ei simili, natum folium proximo capite describendum) & tegmen ademisse, ut observare possent quid sub illo lateret.

Camærrhiphes fortè folium.

CAPVT XIII.

CVM Chamærrhiphes superioris surculo mittebat idem Garetus folium, ab amico acceptum commodato, ut illud conspicere, atque etiam, si vellem, describere possem. Admirationem autem mihi pariebat, quod adscriberet, illum, qui ipsi hoc folium mutuo dederat, adfirmare Nymphææ esse in Moluccis insulis natæ, & supra aquam haud secus spargi, quàm nostræ Nymphææ folia; illiusque florem non esse nostratis flori dissimilem, ei præsertim qui candidus est, sed colore dumtaxat differre, hoc est, non album esse, sed cæruleum. Ex illo autem folio concinnatum erat flabellum ad ventulum faciendum, atque ex duplicata pediculi ejus parte manubrium confectum, quod manu teneri posset. Flabelli iconem hìc adponere licuisset, sed minimè necessarium esse duxi, quia mihi valdè suspecta ejus qui Nymphææ folium esse asserebat, fides, quandoquidem nullas reperiebam notas, quibus cum Nymphææ foliis comparari posset, præter amplitudinem.

HVIVS porrò flabelli ambitus erat trium pedum & novem unciarum; longitudo ad manubrium usque, sive ad folii pediculum, duodecim unciarum; latitudo quà maximè

H patebat,

patebat, tredecim unciarum: manubrij ex ipsius folii pediculo duplicato confecti, & vimineo vinculo adstricti, ut commodiùs manu teneri posset, longitudo, quinque unciarum. Istius folii prona pars crassiorem nervum ostendebat, per medium folium secundum longitudinem procurrentem, ex quo oriebantur alii minores in latera expansi, ab uno quidem latere viginti tres, ab altero autem viginti quatuor: supina pars totidem plicaturas; quā adeò de causâ suspicio mihi oriebatur, nō esse Nymphææ sed Chamærrhiphes alicujus generis potiùs folium, quodque non in aquatica planta, sed in terrestri natum esset, qualis fortè illa, quam Batavi in insula Mauritii nascentem observabant, habentem (ut illius Navigationis diarium refert) tam ampla folia, ut unico quispiam sese tegere, & ab imbre præservare posset: pictura similiter quæ in eo diario addita, tametsi rudìter expressa, meam suspicionem confirmare videbatur. Folii autem, ex quo flabellum concinnatum, color, flavus erat, qualis in culmis maturæ segetis conspicitur, parte tamen supinâ splendidior quàm pronâ: in folij verò ambitu, ad illud expansum retinendum, annexus erat vimineus limbus, illi pænè similis quo manubrium adstrictum, rubro tamen colore infectus.

Exotica planta à Wallichio.

CAP. XIV.

CVM exoticis fructibus, quos Wallichius mittebat ut describerem (de iis agebamus cap. XXI. lib. II.) erant etiam binæ plantæ, quas hoc loco reponendas censebam.

Mippi. PRIORI nomen *Mippi* erat adscriptum, quam se ad arbores applicare hederæ instar, referebant, ejusque adhuc viridis & recentis taleas ab incolis tenuiter contundi, & supra fracturas alligari, ossa enim fracta ferruminare. internè multis fibris constabat ea planta, cujus resiccatæ fragmentum mutuo acceperat Walichius à nautis, ut dumtaxat mihi conspiciendum mitteret. Istis fibris incolas uti intelligebat, ad colliganda & connectenda Caiahaba. tigna in suis ædificiis. Nonnullos Indos *Caiahaba* appellare dicebant, nomine apud Hispanos magis noto.


Iuwb. ALTERAM *Iuwb* appellari se intellexisse scribebat, & apud Amazones nasci existimari. Ejus specimen accipiebam, teretes videlicet bacillos, inæquales, angulosos, rufescentes, in quibus inter binas appendices alternis nascebantur alata folia, sive veriùs alæ tenuissimæ & firmissimæ, quinquagenis & pluribus foliolis singula latera occupantibus præditæ, ut avicularum pennas opinari quispiam posset. Magnâ quidem ex parte deciderant illa; Ejus usus. vestigia tamen, ubi hæsissent, satis adhuc manifestè apparebant. Istis alis tamquam penicillo nobiliores incolæ uti dicebantur, ad sua corpora variis coloribus pingenda.

Vicia Africana.

CAP. XV.

SEMINE mihi aliquando nata est hæc planta, sed adeò tenella, ut productis primis foliis, brevi corrumperetur & tabesceret. Quum autem ejus semina à nautis Batavis è Guineâ redeuntibus magnâ copiâ subinde sint allata, & ramulos cum suis siliquis sive lobulis propendentibus etiam videre mihi contigerit, operæpretium me facturum existimabam, si qualemcumque hujus plantæ historiam, adjectâ icone, lectoris oculis proponerem.

SÆPE porrò istius plantæ semina terræ à me sunt credita, sed maximâ ex parte non nata: imò (quod magis mirum) post triennium è terrâ eruta, adeò incorrupta reperta, ac si pridie dumtaxat sata fuissent. Semel tamen contigit, ut quæ recentia à Cl. V. Honorio Belli acceperam è Cretâ missa, terræ in fictili commissa nascerentur quidem: sed plantæ, Vicia Africana. licet omnem diligentiam adhiberem, ut conservare possem, brevi contabescerent. Prodibant autem illæ, viciæ aut lentis modo, duobus dumtaxat crassiusculis foliis initio, ipso videlicet semine bifariam se dividente, & in folia formante, ut in leguminibus accidere solet: inter ista verò folia nascebatur cauliculus sustinens aliorum foliorum alas, quæ ex multis foliolis contrario situ semper nascentibus constabant, denis, duodenis, aut pluribus, nullo impari alam finiente, instar viciæ silvestris aut lenticulæ: valdè caduca est planta, quæ nisi fulciatur, procumbit, pisorum instar: inter foliorum alas, quæ sarmenta aut caules amplectebantur, satis firmi & oblongiusculi exoriebantur pediculi, sustinentes alternis denos aut duodenos flores, viciæ aut lentis floribus (ut arbitror) non dissimiles; mihi enim eos videre non contigit, sed oblongum dumtaxat pediculum resiccatum apud honestissimum



mum virum Christianum Porretum, deinde anno millesimo sexcentesimo secundo alterum similem mihi donatum ab honestissimo viro Petro Gareto. Istis pediculis inhærebant alternis deni, duodeni, aut plures pediculi breviusculi, satis crassi & rugosi, è quorum singulis, graciliore, brevioreque adhuc petiolo dependebat siliqua rugosa spadicei foris coloris, unciam aut paullò amplius longa, semunciam lata, illaque aliquantulum plana, mucrone instar hamuli curvo, interna parte albi, in qua continebantur quaterna aut quina semina durissima, orbicularis ferè, vel ovalis formæ, prorsus rubra & nitentia instar corallij expoliti, quùm probè matura sunt, summâ autem parte, quâ siliquæ inhæserant, omnino atra & præ lævore splendentia.

HVIC plantæ, *Viciæ Africanæ* nomen indebam, quia ex Africâ ejus semina semper delata memini. Cl. V. Prosper Alpinus libro de Plantis Ægypti, cap. XXI. *Abrus* appellat, Abrus. arboremque impropriè (meâ quidem opinione) facit, quandoquidem volubilem, *Lablab* (quod phaseoli genus) modo serpentem, latiusque se expandentem, esse scribit, & ridicæ sese convolventem pingit. Ait porrò Ægyptios ejus granis in jure elixis vesci; esse verò ceteris leguminibus difficiliora, maximè stomacho infesta; ægerrimè concoqui, & pravum succum generare, multos flatus concitare, & hypochondriacis valdè esse noxia.

CETERVM quum diutissimè propter duritiem incorrupta maneant, sericeo filo trajecta è collo monilis instar suspendi, & armillarum loco in brachiis gestari possunt, ad ornatum; quod nonnullas nobiles virgines (quibus similia grana donabam) interjectis parvis unionibus, facere observabam: nam non modò corallinos globulos nativi coloris elegantiâ provocabant, sed etiam vincebant.

An Theophrasti araco ὅμοιον?

CAP. XVI.

NON minùs admirabilis est hujus plantæ natura, quàm ejus, cujus rariorum Plantarum Historiæ lib. IV. cap. LII. Arachidnæ appellatione memini: propterea illam esse suspicabar, quam Theoph. lib. I. Histor. Plantarum cap. XI. Arachidnæ conjungit, & ὅμοιον τῷ ἀράκῳ esse, fructumque supernè inferno minorem ferre scribit, tametsi folia aut quidpiam foliis simile habere neget. Quem sequutus est Plinius.

Istius plantæ semen cum suis siliquis tam supernis quàm sub terra latentibus in Creta lectum, ad me ante aliquot annos Cl. V. Honorium Bellum mittere memini, quod à me satum & quibusdam amicis etiam communicatum, nulli est natum, an ob nimiam vetustatem, ignoro. Eam ob causam ejus historiam, ut avebam, in meum librum evulgatum inferre non potui. Quum verò doctissimus & honestissimus vir Ioannes Pona, pharmacopœus Veronensis anno à Christi nativitate sexcentesimo tertio supra millesimum, semina mitteret in Lugduno-Batavæ Academiæ horto serenda, inter quæ nonnulla à Cl. V. Bello communicata agnoscebam, cùm illis integram hujus plantæ stirpem siccitate prorsus contractam reperiebam; quam, ubi aliquot horis in aqua maceratam explicassem, ut commodiùs describere possem, à pictore in tabella exprimendam curabam, ut huic capiti adiiceretur.

Ὅμοιον τῷ ἀράκῳ ἀμφίκαρπον.



STATIM porrò à radice hæc planta in plures ramulos dividitur, semipedalis aut dodrantalis ad summum longitudinis, tenues, angulosos; quos alternis ambiunt exiguorum foliorum alæ, lenticulæ aut Araci foliorum alis similes: ea folia extimâ parte latiuscula, & quodammodo cordis (ut vulgo pingi solet) formam imitantia, per medium, secundum longitudinem, nervo secta, qui extimam foliorum partem nonnihil superat; nascuntur autem in singulis alis ex vtroque latere quaterna aut quina, vel exadverso sita, vel inæquali serie; ipsa verò extrema ala in capreolum desinit & sese convolvit, ut in lenticula & vicia. Illius florem non conspexi (quem lenticulæ aut araci flori similem esse autumo) sed siliquas dumtaxat in alarum sinu nascentes, latiusculas, unciam longas aut paullò ampliores, fuscas, nonnihil villosas, mucrone incurvo & quasi hamato præditas, continentes bina aut terna semina nigra, rotunda, non angulosa ut araci, quæ maturitate dissiliunt: radicem habebat lenticulæ aut araco similem, è cujus capite summâ quasi tellure plures parvas tenues albas fibras quaquaversum spargebat, è quarum singulis dependebant singulares, interdum geminæ, siliquulæ breves & rotundæ, extimâ parte in curvum mucronem desinentes, tenellæ & candicantes, continentes unicum, ut plurimum, semen, nonnunquam (quæ majores) & alterum, rotundum, illo non minus, quod siliquæ in plantæ ramis nascentes proferunt, sed albicantis aut subfusci coloris.

Benevolus lector boni, ut opinor, consulet quam ex sicca planta concinnare licuit historiam.

Polypodium Indicum.


CAP. XVII.

VALDE elegans Polypodij, sive Filiculæ genus, anno à Christi nativitate sexcentesimo primo supra millesimum, ex Orientali India adferebatur Amstelredamum, quod inventum in sportulis Doctoris Nicolai Colij Medici, qui cum iis quos Mercatorum societas biennio antè in Indiam aromatum comparandorum gratiâ ablegaverant, profectus, in reditu extinctus fuerat.

QVOD porrò hæc planta rara admodùm esset, permissu Cl. V. Petri Paawii, primarii in Academia Lugduno-Batava Medicinæ Professoris, & ejusdem Academiæ illo anno Rectoris, qui à Mercatorum societate plantam cum plerisque aliis Exoticis dono acceperat, illam à perito pictore exprimi curabam in tabella quæ hoc loco adponeretur, & quam subsequeretur ejus qualiscunque historia, à me, quàm integrâ poteram fide, concinnata.

Polypodij Indici historia.

RADICE nitebatur id Polypodium sex uncias longâ, unam pæne crassâ, hirtâ, quemadmodum Europæi polypodii radices, ferruginei coloris, & eodem modo summâ tellure obliquè serpente: è quâ terna prodibant folia, quorum tertium reliquis duobus minus: bina autem majora undecim uncias longa erant, à medio verò nervo satis crasso folii longitudinem secante, utroque latere in quinque pæne unciarum latitudinem expansa, per oras laciniata instar foliorum quercus in novellis surculis natorum, quæ plerumque ampliora, iis quæ in vetustis ramis nascuntur, esse solent: è medio illo nervo alii minores in lateribus oriebantur, usque ad laciniarum extrema protensi, inter quos multiplices venulæ reticuli instar contextæ, & sese invicem secantes excurrebant, quæ magnam venusta-



venustatem folio conciliabant: firma autem erant ea folia, coloris ex spadiceo fusci, qualis in quercus siccis foliis conspicitur, & à Gallis *couleur de fueille morte* appellari solet, infimâ parte brevi pediculo à radice emergentia, etiam aliquâ ex parte illam tegentia, quia statim ab exortu in latera se spargebant: radix manducata polypodij vulgaris saporem quodammodo adhuc retinebat, minùs tamen dulcem, sed levi quadam acrimoniâ præditam, quam ex calidioris regionis, in qua planta nata, intemperie, aut ex vetustate forsitan contraxerat.

Ceterum qua in provincia hanc plantam legisset Colius, quemadmodum & aliquot sequentes, nihil reperiebam adscriptum, sed eas prorsus nudas inter diversas paginas reconditas.

Pentaphyllum Indicum.

Cap. XVIII.

In iisdem sportulis in quibus Polypodium illud præcedente capite descriptum, reperta etiam hæc planta cum duabus aliis ejusdem generis, formâ quidem prorsus similibus, magnitudine verò nonnihil differentibus. Illarum unam, quæ magis integra, in adposita tabella exprimendam curabam.

Singulæ porrò plantæ bina dumtaxat habebant folia, eaque tenella, peracri tamen sapore prædita, ex tuberosa radice prodeuntia, gracili, septem aut octo nihilominus uncias longo, pediculo subnixa, in quinque profundas & ad pediculum usque ferè pertingentes lacinias divisa, nervo singulas lacinias à pediculo ad summum mucronem secundùm longitudinem secante, & venis quibusdam ab eo nervo in latera excurrentibus prædita. Caulémne & flores proferret, mihi incompertum: sed radix, quæ, ut dicebam, tuberosa instar radicis tormentillæ, & solida, parte externâ aliquantulum fusca, internâ verò alba, & cujusdam acrimoniæ particeps, duorum aliorum foliorum, quæ abrupta, vestigia adhuc retinebat, plenaque, & aliquot fibris donata erat.

An autem ea radix apud incolas aliquo



Pentaphyllum Indicum.

in usu esset, me latet, quum medicus qui legerat, & in sportulas intulerat, chartæ, quâ involuta & excepta erat, nihil adscripsisset, imò ne plantæ quidem appellationem signasset. Verisimile tamen est, non contemnendis facultatibus præditam, ut ex ipsius acrimonia conjecturam faciebam.

Solani Indici genus.

CAP. XIX.

Solanum Indicum.

IN illis sportulis erat etiam hic ramulus, qui (ut mihi quidem videbatur) ad Solani genus aliquod referendus.

Quinque autem vncias erat longus, tenellus, gracilis, brevi quadam & canâ lanugine tectus, nullis foliis præditus (quæ verisimile est propter ariditatem excidisse vel abrupta fuisse) summâ parte sustinens veluti botrum aut corymbum constantem ex numeroso fructu rugoso, piperis granis interdum minore, nonnunquam etiam paullò majore, coloris, quia siccus, fusci, in quo tamen appareret in majoribus quibusdam granis aliqua rubedo: pendebant verò ista grana ex brevibus & incanis petiolis, præditis suis caliculis in quinque lacinias divisis fructum amplectentibus: majora grana, continebant numerosa semina instar eorum quæ in Solani vulgaris baccis conspiciuntur, sed inania, quia, ut arbitror ad maturitatem nondum pervenerant.

Elleborines fortè genus.

CAP. XX.

REPERTVS in iisdem sportulis cauliculus pedalis longitudinis, abruptus tamen, atque sine foliis & radice, cum hac dumtaxat inscriptione, *Flos candidus cum croceis paucis filamentis Satyrii majoris eunuchi.* Ex quâ notâ conjecturam faciebam, non habuisse radicem instar orchidum, licet flos aliquam cum earum floribus similitudinem habere videretur; repugnabant etiam aliæ notæ, ut ex sequente historiola apparebit, quam ex resiccata mutila planta sic concinnabam.

Elleborine Indica.

Abruptus erat ille cauliculus, tener, enodis; circa cujus fastigium quaterni vel quini flores παραλλήλως quidem dispositi, sed inter se non oppositi, ex longis tenuibusque pediculis pendebant, quinque foliis constantes, amplis, candidis, quorum bina surrecta, duo ad latera expansa, quintum reliquis majus deorsum propendens; prorsus ut in viola tricolore, floris folia sunt disposita: ex horum umbilico secundus prodibat flosculus brevi pediculo subnixus, tribus dumtaxat foliis præditus (ni quædam abrupta fuerant) quorum bina lateralia tamquam in unum summâ parte coibant & complicabantur, tertium altius assurgens cuculli instar formatum, eminebat, & aliquot tenuia staminula, litui ritu incurva, tegebat: nulla verò crocea stamina observabam, nisi forsitan attrita fuissent.

An Ribes Rauwolfii, aut illi congener planta?

CAP. XXI.


INTER eas plantas quæ etiam in sportulis Doctoris Colii sive Coolmans repertæ, unam etiam conspiciebam, quæ licet mutila, nec integra, mihi in memoriam revocabat ea quæ in Cl. V. Leonardi Rauwolfii Itinerario, Germanico sermone conscripto, ante aliquot annos legeram. Is enim lib. II. cap. XI. mentionem facit ejus plantæ quam Arabes appellant Ribes, ex qua Rob de Ribes conficiunt, cujus magnam copiam è monte Libano delatam in Iudicis Halepani chorte videbat, ad Rob illud conficiendum, quod deinde Constantinopolim esset ablegandum. Et cap. sequente ejusdem libri, Ribes plantam numerat inter eas quæ ab ipso in monte Libano fuerunt observatæ. Libro autem Quarto, qui seorsim postea fuit editus, & Plantarum figuras additis nominibus dumtaxat continet, ejusdem Ribes primùm è terra emergentis iconem exhibet, binis solummodò foliis præditam.

Ribes plantæ congener.

Cogitabam itaque apud me, an illa, quæ inter chartas conspiciebam folia cum suprema caulis parte, ad Ribes Arabum plantam referri possent (verisimile enim est, pluribus quàm in monte Libano locis nasci, quandoquidem apud medicos Arabes frequens ejus mentio) aliquot enim notas habere mihi videbantur non valdè dissimiles iis, quas suo Ribes

Rauwolfius tribuit, veluti foliorum formam, tametsi Petasitis, quibus Ribes folia comparat, foliis longè inferiorum, nec adeò orbiculatorum, ut ille Ribes folia pingit, sed mucronatorum, deinde extimam caulis abrupti partem quibusdam folliculis præditam, iis ferè similibus capreolis, seu veriùs vesiculis quas Ribes plantæ adpingit. Quum verò & folia & caulis illa extima pars valdè sicca essent, nihil mirum, si aciditatem, quam fortè habuerit, in illis deprehendere non potuerim: nihil tamen asserere volo; sed meam opinionem dumtaxat dubius profero.

Quâ porrò in regione eam plantam observasset & legisset Colius, nihil in chartâ quâ folia involuta, erat adscriptum, nec quidem an aliquo in usu apud incolas esse comperisset. Operæ pretium tamen me facturum existimabam, si mutilam plantam qualem conspiciebam, in tabellâ exprimendam curarem, quæ hîc adponeretur.



CETERVM, illorum foliorum quorum picturam hîc damus, nonnulla orbicularis pænè erant formæ, hoc est, quinque uncias longa, totidem lata, præsertim infimâ parte, pediculo cui videlicet inhærebant, proximâ, summâ verò, aliquantulum mucronata; alia, tametsi ejusdem longitudinis & circa pediculum latitudinis, sensim tamen in mucronem desinebant, nec adeò sphæricæ formæ erant, sed hederæ folium angulorum expers, aut convolvuli majoris quodammodo referebant, ejusdemque formæ unum inter reliqua conspiciebam, cujus longitudo & latitudo sex unciarum erat: porrò non valdè densa sive crassa erant ea folia (nescio an siccitate id accidisset) & supinâ parte quendam viridem colorem retinebant, pronâ autem, ex albo pallescebant, & pediculis binas uncias longis nitebantur, à quibus nervus prodiens per medium folium secundùm longitudinem protendebatur, & ab illo deinde alii minùs tumentes nervi inæquali situ oriebantur, ex vtroque latere quini aut seni, qui ad folii oras usque excurrentes, intermixtis multis obliquis venulis, magnam gratiam folio conciliabant: summi caulis abrupta pars, teretes quosdam & oblongos folliculos inter folia proferebat, sed eos, ut mihi quidem videbatur, novellos & recenter natos, eosque inanes & siccos, ut facillimè confringerentur.

Sedum Madagascaricum.

CAP. XXII.

CVM plantis supradictis, reperiebatur etiam in Colii sportulis pagina, cujusdam plantæ qualemcumque historiam Teutonico sermone conscriptam continens, quam quia exoticæ plantæ erat, in hunc modum Latinam faciebam.

MADAGASCARICVM Sedum ad cubitalem altitudinem assurgit, caule recto, rotundo, multis articulis & nodis septo [*foliorum quæ deciderant vestigia dicere velle arbitror*] & crassis, orbicularibus, in ambitu tamen serratis foliis prædito: in cujus fastigio exoriuntur parvi ramuli flores sustinentes, qui initio vesiculæ aut nolæ vel digitalis quandam similitudinem habent [*florum calices haud dubiè intelligit*] deinde rotundis illis vesiculis, quarum color flavus, sese expandentibus, prodeunt carnei sive purpurascentis coloris flores quadripartito divisi, Nicotianæ sive Tabaci floribus non valdè dissimiles; è quorum umbilico exeunt quatuor tenuia staminula, ut in Lilii albi floribus: marcescentibus floribus, succedit semen in vesiculis illis vel nolis ex flavo pallescentibus, aspectu sanè jucundis, inclusum: digitis porrò compressæ illæ vesiculæ, crepando ingentem sonitum edunt, quia concavæ: radix in multas fibras spargitur; quæ deinde, in quosdam nodos hinc inde quodammodo abeuntes, tandem in capillares fibras desinunt. *Sedum Madagascarese.*

Nascitur in ejus insulæ Promontorij, nobis *Carenwater* appellati, scopulis, à littore sursum versus Continentem ascendendo, ubi diversis temporibus legi, annis videlicet à nativitate Christi nonagesimo octavo supra millesimum & quingentesimum, & millesimo sexcentesimo. Iisdem autem facultatibus præditum est, quibus nostrum Sedum.

Hæc quidem in chartaceâ paginâ adnotata reperiebam, sed nullâ plantâ adjunctâ, quæ si addita fuerat, perierat.

CAP. XXIII.

In altera porrò chartacea pagina, cui adjuncta erat alterius generis planta, hæc Latina verba ipsius Doctoris propriâ manu exarata reperiebam.

An Conyza odorata, aut

Helenium alterum Salviæ odorem spirans?

Herba cujus folia Helenii formam referunt, flores parvi flavescentes & in pappos abeuntes conyzâ minores.

Bantamæ comeditur. Hæc ille.


Ego verò ex notis quas in sicca planta observabam, quæ sequuntur addebam.

Planta Bantanica. PLANTÆ illius folia palmum erant longa aut majora, tres fere uncias lata, per oras crenata, aliquot venis à medio nervo folium per longitudinem medium secante inæqualiter nascentibus & in latera excurrentibus prædita, pronaque parte incana: foliorum pediculi paruas appendices adnatas habebant veluti aures; tenelli rami & recenter nata folia albâ lanugine pubescebant, etiam in resiccatâ plantâ, quam dumtaxat conspiciebam, & cujus folia degustata aliquid amaritudinis habere deprehendebantur.

Echinomelocactos.

CAPVT XXIV.

TAMETSI Clarissimi doctissimique viri Pena & Lobelius hanc admirandam plantam ante multos annos non solùm viderint Londini, sed etiam in suis Adversariis luculenter descripserint: quia tamen anno à Christi nativitate primo & sexcentesimo supra millesimum, plures similes à quibusdam naucleris peregrè redeuntibus in Hollandiam sunt illatæ, & illarum aliquot non modò conspexerim, sed unam etiam secuerim, ut interiores partes diligentiore curâ observare possem, quæ circa hanc plantam mihi cognita fuere, litteris prodenda esse existimavi; atque unius, quæ præ reliquis singularis inter illas quas mihi videre contigit, iconem à perito pictore delineatam & in tabellâ expressam, Lectoris oculis propositam volui.



Echinomelocactos. VARIÆ autem erant, quas conspiciebam, plantæ, magnitudinis; prægrandes aliquæ, mediocres nonnullæ, parvæ, & nondum plenam maturitatem consequutæ, aliæ. Mediocrem secabam, quæ duodecim uncias longa erat; infimæ partis terræ insedentis ambitus quinque & viginti unciarum, à qua in metam assurgebat; sedecim profundis sulcis totidemque elatioribus costis prædita, quarum singulæ novem tomentosa tubercula habebant, è quibus decussatim acutissimæ firmissimæque, & tamquam corneæ decem spinæ, unciam, ut plurimum longæ, interdum etiam ampliores, prodibant, inter quas binæ (in majoribus ternæ, in minoribus singulares) surrectæ erant: eæ autem sessili parte plantæ, quâ videlicet supra terram incubuerat, & veluti fornicis instar curva erat, fuscæ & nigri-

cantes,

cantes, mediâ parte, ex ſpadiceo candicantes, ſupernâ cineracei coloris, cuſpides verò purpuraſcentes. Summâ parte plantæ, ſive veriùs fructus (etenim foliorum expers erat, & radice dumtaxat nitebatur) denſiſſimum tomentum emicabat ad unciæ altitudinem, trium verò latitudinem in diametro, cineracei coloris: exterior fructus pars viridis erat, qualis ferè foliorum Tunæ, à nonnullis Ficus Indica & Opuntia appellatæ, parte tamen terræ proximâ ex albo palleſcebat: interna pars ſive pulpa, candida, ſpiſſa, & adeò lenta, ut in tenuiſſimas etiam laminas ſecta & digitis extenſa vix frangi poſſet, (quapropter concoctu valdè difficilem eſſe, conjecturam faciebam) cucurbitæ quodammodo ſaporem referens: pulpæ meditullium & ipſum cor minùs album erat, nullamque cavitatem habebat, quâ ſemen contineretur, ſed ſolidum erat: ſuprema autem pulpæ pars, cui tomentum inhærebat, nonnihil purpuraſcebat; ipſum verò tomentum tenuiſſimum inſtar lapidis amianthi, & candidiſſimum erat, in quo latebant multæ exiles ſpinulæ purpureæ, quæ ſupra tomentum ſeſe exerentes, rigidiuſculæ erant: ab extima pulpa rari quidam prodibant in tomento latentes folliculi membranacei, ſive vaginulæ, coloris ſanguinei elegantiſſimi & floridi, unciam longi, ſupernâ parte craſſiuſculi, infimâ autem, quâ videlicet pulpæ adhæſerant, anguſti & tenues, pleni ſemine exili, nigro & ſplendente, inſtar ſeminis amaranthi purpurei, vel Symphoniæ, alio nomine blitum verſicolore folio appellatæ: ſummo horum folliculorum capiti inhærebat oblongum quidpiam, tamquam floſculi rudimentum, quod ſupra tomentum caput extuliſſe videbatur, ſed prorſus aridum, ut qualis formæ fuiſſet, conjecturâ aſſequi nequirem: radices craſſiuſculas, longas, lentas & fibroſas, inſuper alias in ambitu minores adhuc retinebat ex infima ſede productas.

Aliam porrò plantam inſequente Septembri apud Cl. V. Petrum Paawium conſpiciebam; quæ licet breuior eſſet ſuperiore, & undecim dumtaxat ſulcos, totidemque coſtas haberet, infimâ tamen parte craſſior erat, ejus enim ambitus ſeptem & viginti unciarum: coſtæ ſingulæ à radicibus ad tomentum uſque duodecim tuberculis erant præditæ, è quibus, ut in aliis octo aut novem decuſſatim naſcebantur ſpinæ, treſque aliæ inter illas, ut plurimum ſurrectæ, firmæ, acutiſſimæ, fuſci coloris: tomentum punicantibus ſpinulis undique ſeptum in ſemipedalem conum aſſurgebat, ſic ut integra planta Turcici pilei ſive cidaris, quo primates utuntur, formam quodammodo referret. Itaque, quum reliquis, quas conſpexeram, elegantior eſſet, ad ejus normam, illam quæ in tabella ſupra poſita, exprimendam curabam.

Has plantas in inſula *Maio* appellata & illi vicinis, circa maris litus erutas fuiſſe aſſerebant. *Natales.*

Qvo autem nomine loco natali vocaretur hæc planta, ſive fructum dicere malumus, intelligere non potui. Sed quum ſatis aptum, & ejus naturæ conveniens à C. C. V. V. Pena & Lobelio ſit illi inditum, immutare noluimus. Nihilominus ſi nautæ qui eas eruerant paullò diligentiores fuiſſent, & ejus plantæ nomen, & ſi quo in uſu ſit apud incolas, perquirere potuiſſent.

CAROLI


CAROLI CLVSI ATREBATIS EXOTICORVM LIBER QVINTVS.

VNVM *aut alterum caput præcedenti Quarto libro adiicere adhuc cogitabam, tametsi nullam affinitatem haberent cum iis quæ in illo libro descripta: partim quia plura ejus generis non habebam, è quibus peculiarem librum concinnare possem; tum etiam quia Quartus ille liber ex Miscellaneis dumtaxat constabat. Sed quum alia his similia mihi postea conspicere, & eorum picturas nancisci contigerit; operæpretium esse existimavi, ut Quintum librum ex illis instituerem, & eum in binas classes dividerem: quarum Prima, aliquot Avium icones & historiam; Altera verò paucorum quorundam Animalium quadrupedum, contineret.*

VESPERTILIO INGENS.

CAP. I.

HIS proximis annis Batavi nautæ navigationem in Orientalem Indiam instituentes, vespertilionum genus, à nostro magnitudine & colore prorsus diversum, adferre cœperunt: quod quum vulgo non sit adhuc notum, & aliquot ejusmodi vespertiliones mihi sint conspecti, operæpretium me facturum existimabam, si ejus iconem cum aliqua descriptione, in eorum gratiam, qui exoticarum rerum contemplatione delectantur, hîc subiicerem.



Vespertiliones ingentes. TAMETSI quotquot conspexerim sint ingentes, alii tamen alios superabant magnitudine: etenim nonnullorum longitudo à capite ad crura usque, decem unciarum erat longitudinis, aliorum paullò minor, aliquorum etiam major: nam unum redimebam pedalem longitudinem superantem. Corporis etiam crassitudo inæqualis; mei enim ambitus pedalem æquabat, imo superabat, aliorum minor erat, pro cujusque corporis magnitudine respondens. Omnes densis & longiusculis pilis præditi: color autem eorum diversus: nam

nam quibusdam ex flavo cineraceus, aliorum magis fuscus, nonnullorum spadiceus; mei color à capite ad extremum rictum, sive nares, spadicei erat coloris; caput, collum, pectus, dorsumque ipsum cum ventre, fusci, circa latera verò, ex spadiceo flavescentis: pinnæ membranaceæ, quæ illi pro alis, eâ parte quæ corpori proxima, etiam pilis tectæ, sed rarioribus, earumque supina pars magis quàm prona: illæ porrò sesquipedalis longitudinis in quibusdam, & octo unciarum latitudinis, in aliis vel breviores & magis angustæ, in quibusdam etiam longiores & magis latæ: nam mei singulæ pinnæ unius & viginti unciatum longitudinem habebant, novem latitudinem, vel etiam majorem, color earum ex fusco cineraceus: summa singulorum pars, octo ferè unciis à corpore, officulum binas uncias longum continebat, in acutum curvumque & firmum unguem desinens, quo se ad arborum ramos affigebat, totidem ab extrema pinna unciis alium minusculum unguem & vix eminentem: binæ illi in crasso capite aures, parvæ pro capitis magnitudine, extimâ parte angustæ & in mucronem desinentes; in nonnullis, oris rictus magis obtusus, ad felis rictus formam quodammodo accedens; mei verò rictus magis longus & angustus, vulpeculæ rictui propior: dentes illi in superiore mandibulâ utrimque seni, in inferiore, septeni, quorum anteriores ceteris longiores, omnes valde albi. In hoc animali uterque sexus dignoscebatur: nam eorum aliquot, qui mihi conspecti, satis longum exertumque penem habebant, qualis ferè simiarum est, quo masculinum genus à femineo distinguebatur: crura (ad quorum pænè extremum pinnæ porrectæ) binas uncias aut paullò ampliùs longa: pedes parvi, semunciales, in quinque digitos, binis articulis constantes, divisi; quorum singuli in magnos, firmos, acutos, curvosque nigros ungues desinebant, iis similes qui in pinnis membranaceis, quibusque sese de arboribus suspendunt.

Quem ego Amstelredami, anno à Christo nato millesimo sexcentesimo tertio, recenter advectum redimebam, in incultâ, & à nullis hominibus habitatâ insulâ captum aiebant, quemadmodum & omnes ferè quos conspiciebam. Eam autem insulam ad primum & vicesimum gradum ab æquatore versus Antarcticum sitam esse existimant, & triginta milliaria in ambitu continere, à Lusitanis quidem antè observatam, & ab eis, *Ilha do cirne*, sive Insulam cygnæam, ut antè dixi, appellatam: à Batavis verò, qui anno millesimo quingentesimo nonagesimo octavo navigationem ad Iavam & Moluccas insulas instituentes, tempestate in eam delati fuerant, & à XV. Kal. Octobris usque ad VI. Nonarum ejusdem, reficiendorum corporum causâ istic hærebant, Mauritii Insulam ab Illustrissimo Principe Mauritio Comite à Nassaw, &c. nominatam. In ea porrò insula multos ingentes vespertiliones observabant, partim inter se confligentes, partim uncis quos in membranaceis pinnis habent, ex arboribus pendentes. In multis tamen Orientalis illius Oceani insulis, atque etiam in Guinea magnos reperiri constans fama est: an verò his sint similes, nemo, quod sciam, tradit. Lerius quidem cap. X. Hist. Americanæ, Vespertiliones Brasilianos monedularum magnitudine esse ait, & Franciscus Gomara, cap. LXI Historiæ suæ Generalis, circa Vrabam, turturum magnitudinem adquirere; neuter tamen formam describit: hoc solum addit Gomara, eos valdè mordaces, noxiumque esse illorum morsum, cujus remediũ, vulneris ex aqua marina ablutio, aut adustio: cap. autem LXXX ejusdem libri lepidam narrat historiolam. Accidit, inquit, ut in cœnobio, cui nomen Sanctæ fidei, in provincia Chiribichi, Dominicanorum monachorũ famulus pleuritide laboraret, & venâ, quam ad levandum morbum secarent, à medico sive cheirurgo minimè deprehensâ, æger desertus est, & de ejus salute desperatum: vespertilio nocte insequente ejus jacentis & decumbentis nudum pedem reperiens, circa malleolum momordit, & sanguine jam satur, vulnus apertum reliquit, ex quo tantum adhuc sanguinis profluxit, ut æger à morbo liberaretur, non sine monachorum admiratione, qui pro miraculo illud venditare solebant.

Insula cygnæa.

Mauritij insula.

Lepida Historiola.

De eodem, quo illi, genere, Oviedus cap. XXXVI. sui Summarii agere videtur; magnitudinem tamen non exprimit: sed Europæis similes esse ait, noctuque morsu appetere dormientium præsertim extremum nasum, vel capitis verticem, extremosque manuum & pedum articulos, tantumque sanguinis elicere, ut vix quispiam credere possit, nisi qui viderit: illam etiam peculiarem naturam habere, ut, si quem momorderint, sequente vel tertia nocte, illum ipsum sint denuo morsu appetituri, non alium, licet inter centenos alios commixtus jaceat: remedium adversus hujusmodi morsicationes esse, ut ferventes cineres quantum tolerari possunt, supra vulnus imponantur: aut locus præmorsus aquâ tam fervidâ, quàm ferri possit, abluatur; nam illico sanguinem sisti, & noxam tolli; quin & vulnus, quod exiguum est, statim curari, quia vespertilio non nisi exiguum vulnus rotundum, paucâ carne sublatâ, infligere potest. Illud etiam testari possum, inquit, me, præmorsum aliquando, solâ fervidæ aquæ lotione curatum.

Remedium adversus vespertilionum morsus.

Scribit præterea idem Oviedus alios vespertiliones in insulâ D. Ioannis valde pingues

inveniri,

Vespertiliones edules. inveniri, quibus aquæ ferventi immersis & excoriatis, incolæ vescantur; nam passeribus non minus albos esse, nec minus, ut asserunt, boni saporis; à quorum etiam esu Christiani non abstineant, illi præsertim, qui gustare volunt quidquid ab aliis edi vident.

Cretenses Vespertiliones. Bellonius similiter cap. XXXIX. lib. II. de Avibus, vespertiliones in Creta insula se observasse ait, nostris vulgaribus majores, magnasque aures habentes curvo ungue in singulis membranaceis pinnis, sive, ut ille appellat, alis præditos, quo se de saxis suspendunt: quâ notâ à nostratibus differre existimat: sed fallitur, nam nostri eos ungues etiam habent: Cretenses tamen non conferendos censeo cum iis qui à me hoc capite sunt descripti.

Ourissia sive Tomineio.

CAP. II.

INTER exotica animalia quæ ornatissimus vir Iacobus Plateau, in suo instructissimo museo habet, perpusilla quædam avicula erat, quam Theveti Govambuch esse arbitrabatur. Eam quum Provincialis eorum qui in Brasilia viventes, patres è societate Iesu se profitentur, conspiceret in urbe Tornacensi apud ipsum Iacobum, portentosam illius originem præsentibus quibusdam ex ea societate enarrabat: Brasilienses videlicet huic aviculæ nomen *Ourissia* imposuisse, quod Latinè redditum, Solis radium significat: ex musca procreari: & se conspicatum partim muscam, partim avem, testari posse: primum ejus colorem esse nigrum, deinde cineraceum, postea roseum, denique rubentem, postremò caput ejus Solis radiis expositum, omnem colorem referre. *Ourissia avicula.*

Quæ de aviculæ ortu admirando Pater ille referebat, omnem fidem superare videntur; eam ob causam nihil hîc attinet plura dicere: sed quia ipse Iacobus aviculæ iconem coloribus expressam anno à Christo nato millesimo sexcentesimo tertio ad me mittebat, eam in lignea tabella delineandam & sculpendam curabam; atque ex ipsa icone coloribus expressâ, quâ poteram fide, ejus historiam concinnabam, quam Lectori propono.

ejus historia. ERAT porrò hæc avicula, ut ex picturâ observabam, à rostri mucrone ad pennarum caudæ extremitatem, tres uncias longa: caput videlicet cum integro rostro uncialis cum semisse erant longitudinis; alæ ad extremam pænè caudam porrectæ, parem habebant longitudinem: dorsum vix unciam latum erat; ejus & alarum color ex cineraceo fuscus, ventris cineraceus, pennæ quæ in cauda, obscurè rubescentes; earum extrema pars nigra: capitis, colli, gutturis plumæ elegantissimi coloris ex aureo, rubro, & flavo mixti, quæ Soli expositæ, admirabilem varietatem, prout obvertebatur caput, ostendebant: rostellum nigrum tenuissimum & maximè acutum: pedes valde exiles, nigri, quatuor digitis, ut reliquarum auicularum, præditi; quorum tres in anteriorem partem porrecti, quartus in posteriorem.



Cl. V. Doctor Everardus Vorstius Medicinæ Professor in Academia Lugdunensi apud Batavos, similem aviculam in Italia apud Antonium Gigantem Foro-Semproniensem, Cardinali Palæoto à secretis, se vidisse mihi affirmabat, quam ille *Ginçoni* nominabat, & è Mexico allatam dicebat. *Ginçoni.*

CETERVM, ejus aviculæ, aut certè illi persimilis, mentionem facere videntur, quotquot de Americanis Provinciis aliquid prodiderunt; varia tamen nomina, pro regionum, in quibus reperitur, diversitate, illi tribuentes.

Passer mosquitus. Nam Consalvus Ferdinandus Oviedus cap. XLVIII. sui Summarii, *passerem Mosquitum* appellat. Repeiuntur, inquit, quædam aviculæ adeò exiguæ, ut extremi pollicis articuli magnitudinem non æquent, &, pennis evulsis, ejus dimidiam partem vix excedant. Hujus aviculæ volatus adeò præpes & celer est, ut alarum motus non magis conspici queat, quàm crabronis, neque quispiam prætervolantem videt, quin crabronem esse existimet. Illarum nidi, avicularum magnitudini respondent: ego hujusmodi aviculam conspiciebam, quæ in monetaria trutina, quâ aurum appendi solet, cum suo nido posita, bina pondera Hispanis tominos dicta, dumtaxat penderet, hoc est, grana viginti quatuor; cui si pennæ evulsæ fuissent, minus gravis haut dubiè futura erat: pedum & unguium exilitate cum illarum avicularum pictura, quæ ornatus gratiâ, in librorum marginibus interdum adiici solet, comparari

parari poterat: ejus plumæ elegantibus coloribus præditæ, aureo, viridi, & alterius generis: roſtrum habebat pro corporis proportione, illudque adeò tenue, ut acus quâ veſtes ſarciuntur, magis exilis eſſe nequeat. Nidum è xyli, quod iſtic abundè creſcit, flocco conſtruit.

Meminit etiam cap. IV. lib. XIV. Hiſt. General. & Natural. eique nigerrimum colorem tribuit: quod de dorſi, & alarum pennis intelligendum arbitror, alioqui ſibi ipſi contrarius eſſe videretur, niſi fortè ejus diverſæ ſpecies reperiantur.

Franciſcus autem Lopez de Gomara, in Hiſtoria quam de Mexicanæ urbis expugnatione ſcripſit, *Vicicilin* eam aviculam nominare videtur: Maximè, inquit, admirabilis eſt in Nova Hiſpania avicula incolis dicta *Vicicilin*, corpore non majore quàm crabronis, oblongo & gracili roſtro: melle, rore, & florum ſucco alitur, roſæ tamen non inſidet: ejus pennæ valdè exiles, elegantis mixti coloris, à phrygionibus admodùm expetitæ, ut aureis ſtaminibus intertexant, præſertim illæ quæ in collo & pectore natæ. Expirare, ſive obdormiſcere creditur Octobri menſe, pedibus ex aliquo ramo appenſa aprico loco: renaſci autem ſive expergiſci Aprili, multis floribus jam vigentibus: propterea Renatus vocatur. Meminit etiam cap. CXCIV. Hiſtor. Gener. Indiarum his verbis. Iſtic reperitur admirabilis avicula cicadæ magnitudine, elegantiſſimis pennis verſicoloribus tecta. Vicicilin.

Auguſtinus item Çarate illius mentionem facere videtur cap. VIII. lib. I. Hiſt. Peruanæ. In montibus Peruanis, inquit, inveniuntur aviculæ adeo exiguæ, ut cicadâ ſint minores, oblongis pennis verſicoloribus præditæ.

Ioſephus à Coſta ſimiliter cap. XXXVII. lib. IV. Hiſt. Natural. & Moral. Indiæ occidentalis, Tominejo aviculæ meminit iſtis verbis. Reperiuntur in Peru aviculæ ab incolis *Tominejos* appellatæ, adeò exiguæ, ut illas prætervolantes conſpiciens, crabronéſne eſſent, an cicadæ, ſæpe dubitarem: veræ tamen erant aviculæ. Tominejo.

An verò huic aviculæ nomen impoſitum, Tominejo, quòd adeo levis ſit, ut unum dumtaxat tomino, hoc eſt, duodecim grana pendat?

Nullus porrò iſtorum, quos commemoravi, Auctorum, hujus aviculæ cantus ſuavis & ſonori mentionem facit, quod mirum. Soli duo Galli, qui in Braſilia apud Topoimboutios vixerunt, cantum illi tribuunt, Andreas videlicet Thevetus, & Ioannes Lerius; uterque eam *Gouambuch* vel *Gonambuch* apellat, ut alter ab altero deſumpſiſſe videatur.

Thevetus quidem cap. XLVIII. Singularium Franciæ Antarcticæ, ſic ſcribit. Prætermittere nequeo aliam avem *Gouambuch* appellatam, ſcarabeo Lucano aut grandi muſca non majorem, quæ, licet omnium avium, ut arbitror, minima, tam elegans tamen eſt, ut fidem ſuperet: ejus roſtrum oblongiuſculum, & valdè tenue, color cineraceus; & tametſi adeò exigua, ejus cantus admodùm ſuavis eſt. Gouambuch.

Lerius autem cap. XI. Hiſtoriæ Americanæ his verbis. Sed pro ſingulari miraculo, prætermittenda non eſt ob inſignem exiguitatem, avicula pennis exalbidis & ſplendentibus prædita, quàm Braſilienſes *Gouambuch* appellant: nam licet crabrone aut ſcarabeo Lucano major non ſit, valde tamen canora eſt, & magnâ ex parte prælto illi milio *Avati* ab incolis dicto (*mayzum intelligit*) aut aliis plantis ſimilis magnitudinis inſidens, adeò eſt in cantu aſſidua, ut nemo qui non audiret & conſpiceret, ex tantillo corpuſculo tam ſuavem & ſublimem cantum prodire poſſe ſibi perſuaderet, ſic ut noſtræ luſciniæ cantui non cedat. Gonambuch.

Emeu avis.

CAP. III.

ANNO nonageſimo ſeptimo ſupra milleſimum & quingenteſimum à Chriſti nativitate, Batavi Amſtelredamum reduces è prima Navigatione quam biennio antè in Indiam Orientalem inſtituebant, admirabilem Avem adferebant, in Banda inſula, Moluccarum una, ut aiebant, natam, & ab incolis *Emeu*, ſive *Eme*, appellatam, qualem in tota Europa antè conſpectam non fuiſſe arbitror. Hanc urbis Cydaio in Iava majore Regulus, pro honorario dederat Ioanni Scellinger, navis, cui nomen Amſtelredamum, Nauclero. Ea, poſtquam per multos menſes Amſtelredami certâ pretii pactione publicè ſpectanda fuiſſet propoſita, tandem in Illuſtriſſimi Domini Georgii Everardi Comitis de Solms, &c. beatæ memoriæ, poteſtatem venit, qui illam longo tempore Hagæ educavit, deinde Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Principi Erneſto Electori Colonienſi donavit, & is demum Invictiſſimo Cæſari Rudolpho, hujus nominis Secundo. Quùm verò valdè peregrina eſſet hæc avis, & nemo hactenus (quod equidem ſciam) ejus mentionem fecerit, præter unum, qui Navigationis illius Diarium anno altero à reditu evul- Emeu, Eme.

gavit, eamque valdè brevem: ex pictura quam ad avis ipsius magnitudinem Illustrissimus Comes vivis coloribus exprimendam curaverat, Illustrissima verò Domina Sabina ab Egmonda, defuncti vidua, mihi commodabat, procurante ornatissimo & honestissimo viro Antonio de Flory, ipsius Consiliario, illius exemplar, in angustam formam contractum, in lignea tabella exprimendum (adjectâ ipsius avis gemellâ plumâ, atque ad ejus pedes ovo) curabam, ut Lectoris oculis proponerem.

Emeu avis historia.



Hæc porrò avis, dum surrecto capite incedebat, quatuor pedum & aliquot unciarum altitudinem excedebat: nam collum à summo capite ad dorsi initium, tredecim pænè uncias erat longum, ipsum corpus binos pedes latum, femora cum cruribus usque ad pedum inflexionem, decem & septem uncias longa: corporis autem ipsius longitudo à pectore ad orrhopygiū, trium ferè pedum erat. Pennæ, seu veriùs plumæ, totum avis corpus cum infima colli parte dorso & pectori proxima, atque femoribus, tegentes, perpetuò erant geminæ ex eodem parvo brevique tubulo prodeuntes, & sibi invicem incumbentes, superna quidem paullò crassior, inferna verò tenuior & delicatior, illæque variæ longitudinis, ut in similis avis exuvio, quod ornatissimus vir Christianus Porretus Leydensis pharmacopœus diligentissimus habebat, observabam: quæ enim in infima colli parte, breviores erant: quæ in medio corpore & lateribus, longiores, sex videlicet aut septem unciarum: quæ autem in extremo corpore, circa orrhopygium (nam cauda carebat) novem uncias longæ, & reliquis duriores, quanquam omnes duræ & rigidæ, attamen non latæ, sed angustæ, & rarioribus lateralibus pilis ex adverso sitis præditæ, nigri coloris, quæ tamen circum femora, ad cineraceum ferè tendentis, nigro permanente nervo, ut in reliquis: eam verò formam & situm habebant illæ plumæ, ut à procul aspicientibus, non plumis, sed villis dumtaxat tectum ejus avis corium existimari posset, quale ursinum est, & alis carere, tametsi alas haberet, sed sub plumis, latera tegentibus, latentes, & quatuor majoribus pennis nigris præditas, ut in exuvio observabam, tametsi illæ abruptæ essent, nec de illarum longitudine certi quidpiam pronunciare possim, caules tamen confracti satis crassi, durique & solidi erant, atque in extimam alæ partem altè penetrabant: alæ verò pars superior corpori contigua, pennas sive plumas vestitrices, illis similes quæ in pectore, adhuc retinebat: ad hoc autem datas ejusmodi alas censendum est, ut currentem adjuvent, quia hanc avem non esse volucrem, nec à terra tolli posse, arbitror: crura in ambitu quinque unciarum crassitudinem superabant, crebrisque corticibus ceu squamis latis tecta erant, præsertim supra pedis inflexionem: pedes habebat crassos, duros, tribus crassis digitis præditos, pronâ parte veluti squamis tectos, supinâ prorsus callosos; quorum medius, qui reliquis longior, tribus articulis constabat, interior uno, exterior binis: omnium ungues valdè magni, binas pænè uncias longi, crassi, duri, & cornei: ejus caput exiguum, pro avis magnitudine, & ferè glabrum, coloris ex atro cærulei, cum colli supremâ parte, in quo apparebant rari pili nigri: oculi paullò supra rostri fissuram magni, ardentes & truces, leonis oculis pænè similes; quos cingebant nigri pili, quemadmodum & meatus illos aurium parvos & detectos, quos pone oculos habebat: rostri prona pars quodammodo arcuata erat, paulloque supra mucronem binis foraminibus, narium usum præbentibus, prædita; à cujus medio, ad capitis usque verticem porrectum diadema assurgebat corneæ substantiæ, tres ferè uncias altum, coloris ex flavo fusci, quod cum plumarum defluvio cadere, &, quum plumæ renascuntur, novum crescere intelligebam: supina rostri pars, ab ejus scissura ad extremum mucronem, quinas uncias longa: anterior colli pars, quatuor pænè unciis infra rostrum, bina veluti membranacea palearia, ceu barbulas, propendentia habebat

habebat duas uncias longa, coloris rubri miniati: postica similiter colli pars deplumis, à capite secundùm longitudinem rubri miniati coloris erat: deinde infima ejus pars, aliquot rubris plumulis, quibus nigræ intermixtæ, tecta.

Ceterùm, tametsi hæc avis aliquas notas habere videatur cum Struthiocamelo communes, veluti exiguum caput, naturâ pænè calvum, quodque sine delectu vorat quidquid obiicitur: pedes tamen bisulcos non habet, sed tribus digitis præditos, ut antè diximus, sine calcari, Otidis sive Tardæ pedum modo, illosque adeò firmos & robustos, ut in Illustrissimi Comitis horto (quem cum ipso Comite ingressus eram, ut avem conspicerem) arborem humani femoris crassitudinem æquantem prorsus contusam viderim, & ejus corticem sublatum, ab hujus avis, Comite id asserente, pedibus & unguibus: etenim non rostro antrorsum, sed obliquè se convertens, aversis retrorsum pedibus, eos, cum quibus pugnabat, impetere solebat. Licet verò quæcumque obiiciebantur voraret, ut aurantia mala integra, & similia; ordinarius tamen ejus cibus erat similagineus sive primarius panis, quem in magna crassaque fragmenta divisum & objectum, vorabat: maximè autem recentibus gallinarum ovis delectari intelligebam, quæ integra cum ipsâ testâ glutiebat: si autem parum firmâ erat valetudine, illa ipsa integra per anum reiiciebat, deinde rursus ea vorans, retinebat & concoquebat. Mihi autem affirmabant, hanc avem fuisse marem, & ex postica parte penem, cameli instar, interdum exerere, esse conspectum. *Emeu avis quibus rebus vescebatur.*

Audio porrò illas naves quæ anno à Christi nativitate millesimo sexcentesimo tertio ex Moluccis in Hollandiam redibant, binas similes aves quidem attulisse, sed in itinere mortuas, projecisse, tametsi earum exuvia sive coria, ob raritatem, conservare potuissent; illius avis aliquot ova nihilominus relata: certè terna aut quaterna eodem anno Amstelredami conspiciebam à mercatoribus redempta, & paullò antè etiam unum Leydæ apud Porretum videram, omnium, meâ opinione, maximum & pulcherrimum: dimensi enim per longitudinem ambitus, quindecim unciarum erat, per transversum autem, duodecim, aut paullò amplior, ut propter amplitudinem, pro quodam vase non minùs haberi posset, quàm Struthiocameli ova, quibus, teste Plinio, veteres nonnunquam utebantur, & adhuc nostra ætas ejus rei gratiâ usurpat: nam non semel videre memini Struthiocameli ova argento excepta & inclusa, poculorum vicem præbere: hujus tamen avis ovi testa non erat valde densa, nec alba, veluti ovorum Struthiocameli, sed externâ parte virescentis ex cineraceo coloris, & perpetuis, saltem creberrimis, quasi tuberculis, saturâ viriditate præditis, ornata: illorum autem quæ Amstelredami conspiciebam unum, ejusdem pænè erat cum illo magnitudinis, formæ, & coloris, quædam verò magis orbiculata, aliqua minora, nonnullorum etiam color dilutior & minùs elegans. *Ovi Emeu magnitudo.* *Color.*

Porrò mihi relatum, ejusmodi aves, Moluccarum insularum non esse peculiares, sed etiam in Sumatra sive Taprobana, vicinoque illis insulis Continente reperiri.

CETERVM, quandoquidem in ovorum mentionem incidimus, quia Iacobo Plateau significaveram, Porretum, peregrinum & elegans quoddam ovum recenter è Moluccis allatum Amstelredami redemisse, quale antè non conspexissem, illo ipso anno M. D. C. III. mittebat ad me peregrinorum etiam duorum ovorum, quæ in thesauro suo habebat, picturam, ex qua observabam magnitudine & colore utrumque inter se discrepasse: nam Vnum anserini ovi magnitudine & formâ fuisse videbatur, coloris ex albo cineracei, nigris maculis, & lineis variè distincti: Alterum verò ovi gallinæ magnitudinem non superasse, ejusque colorem fuisse dilutiùs virentem, cui subcæruleum quidpiam admixtum, majusculis etiam & minusculis nigris maculis vario ordine dispositis distinctum: quarum autem avium fuerint ova, non adscribebat, & ipsum ignorasse existimo. *Alia ova peregrina.*

Gallinaceus Gallus peregrinus.

CAP. IV.

EX octo navibus illis quæ anno nonagesimo octavo supra millesimum & quingentesimum à Christi nativitate, Aprili mense ex Hollandia solvebant, ut navigationem in Iavam & Moluccas insulas instituerent, & mense Iulio insequente magnâ tempestate, superato jam Bonæ spei promontorio, affligebantur, tres à reliquis disiectæ, rectum cursum Iavam vsque tenere non desierunt, & negotiatione feliciter peractâ, insequente anno Amstelredamum redierunt: quinque autem reliquæ, diuturnâ malaciâ valde afflictæ, tandem, relictâ ad lævam Madagascar insulâ, XVII. Septembris montosam quandam insulam in conspectu habuerunt, ad quam lætabundi cursum converterunt, quia recen-

tem aquam in ea se reperturos confidebant: postridie igitur aliquot nautas scaphæ impositos ad eam ablegarunt, qui observarent, an commodus aliquis portus istic reperiretur, in quem naves deducere possent, ut ægros, qui jam frequentes in omnibus navibus stomacace laborabant, in insula exponerent, quo faciliùs pristinæ sanitati restituerentur. Qui missi fuerant, sub vesperam redeuntes, non modò portum valdè commodum, & ab omni vento tutum, sed multarum navium capacem, & adeò amplum, ut quinquaginta naves stationem in eo commodè habere possent, se reperisse, præterea limpidæ aquæ vivum è montibus profluentem observasse, retulerunt. Eam ob causam postridie naves solutis anchoris eò profectæ, portum ingressæ sunt, isticque hæserunt usque ad VI. Nonas Octobris, ægros in terram exponentes, ut curarentur, & reliqua ad suam navigationem necessaria peragentes. Interea autem, dum in Insula hærent, varii generis aves observabant; atque inter illas valdè peregrinam, cujus iconem rudi arte delineatam in Diario totam illius navigationis historiam continente, quod reduces cudi curabant, conspiciebam, ad cujus normam est expressa, quam hoc capite propono.

Galli peregrini historia.



ILLA porrò avis peregrina Cygnum quidem magnitudine æquabat aut superabat, sed ejus forma longè diversa: ejus etenim caput magnum, tectum veluti quadam membranâ cucullum referente; rostrum præterea non planum, sed crassum & oblongum, subflavi coloris parte capiti proximâ, cujus extimus mucro niger, superior quidem ejus pars sive prona adunca & curva, in inferiore verò sive supina, subcærulea macula mediam partem inter flavam & nigram occupabat. Raris & brevibus pennis tectam esse aiebant, & alis carere, sed earum loco quaternas aut quinas dumtaxat longiusculas nigras pennas habere: posteriorem autem corporis partem præpinguem & valdè crassam, in qua pro cauda quaternæ aut quinæ crispæ convolutæque pennulæ cineracei coloris: crura illi potiùs crassa esse quàm longa, quorum superna pars genu tenus nigris pennulis tecta, inferior cum pedibus subflavi coloris; pedes verò in quatuor digitos fuisse divisos, ternos longiores antrorsum spectantes, quartum breviorem retrorsum conversum, omnesque nigris unguibus præditos.

Verumenimverò, concinnatâ & descriptâ jam quâ potui fide hujus avis historiâ, illius crus genu tenus rescissum, apud Cl. V. Petrum Pawium, primarium artis Medicæ in Academia Lugduno-Batava Professorem videre contigit recens è Mauritii Insula relatum. Erat autem non valdè longum, sed à genu usque ad pedis inflexionem paullò plus quàm quatuor uncias dumtaxat superabat; ejus verò crassitudo magna, ut cujus ambitus pænè quatuor uncias æquabat, crebrisque corticibus ceu squamis tectum erat, pronâ quidem parte latioribus & flavescentibus, supinâ verò minoribus & fuscis: pedis etiam digitorum prona pars singularibus iisque latis squamis prædita, supina autem tota callosa: digiti satis breves pro tam crasso crure; nam maximi sive medii ad unguem usque longitudo binas uncias non admodùm superabat, aliorum duorum illi proximorum vix binas uncias æquabat, posterioris sescunciam: omnium verò ungues crassi, duri, nigri, minùs unciâ longi, sed posterioris digiti longior reliquis, & unciam superans.

Walgh-voghel.

Nautæ huic avi nomen indebant suo idiomate *Walgh-vogel*, hoc est, nauseam movens avis, partim quòd post diuturnam elixationem, ejus caro non fieret tenerior, sed dura permaneret & difficilis concoctionis (excepto ejus pectore & ventriculo, quæ non contemnendi saporis esse comperiebant) partim quòd multos turtures nancisci poterant, quos delicatiores & ori magis gratos reperiebant: nihil igitur mirum si præ illis hanc avem contemnerent, & eâ se facilè carere posse dicerent. In ejus porrò ventriculo quosdam lapillos inventos aiebant, quorum binos huc perlatos conspiciebam apud ornatissimum virum Christianum Porretum, eosque diversæ formæ, unum planum & orbicularem, alterum inæqualem & angulosum, illum uncialis magnitudinis, quem juxta pedes avis exprimendum curabam, hunc majorem & graviorem, utrumque cineracei coloris; eos ab ave in maris litore lectos, deinde devoratos fuisse verisimile est, non in ejus ventriculo natos.

Ceterùm ea insula, ut in Diario legebam, uno & viginti gradibus ab Æquatore versus antarcticum polum distat, in qua neminem habitare, sed desertam esse opinabantur, quia licet aliquot nautæ diverso tempore emissi fuissent ut observarent, totumque triduum hac, illac,


illac, pervagantes insumpsissent, neminem tamen repererunt; istam etiam opinionem magis confirmabat omnium avium securitas, quæ manu se apprehendi & fustibus cædi sinebant, tamquam nullum hominem antea conspexissent. Licet verò hujus insulæ ambitum circiter quindecim milliarium dumtaxat esse, in Diario sit adscriptum; ex alia tamen navigatione paucos post annos facta ab Hollandis in insulas Moluccas tendentibus, classis Præfecto sive Admirallio Iacobo van Neck, ejus verò Legato sive Vice-Admirallio N. Garnier, qui ad eam insulam fortè appellebat, majorem illius ambitum esse compertum est. Is enim totam insulam circuire jubebat, & triginta milliarium sive leucarum ambitum habere deprehendebat, ut mihi ipsemet asserebat Amstelredami anno à Christi nativitate millesimo sexcentesimo tertio, illo ipso anno è Moluccis & Taprobana redux. Istam autem insulam Batavi appellabant Mauritii insulam à Principe Mauritio, antè à Lusitanis *Ilha do Cirne* vel *Cisne* nuncupatam (ut antè diximus) id est insulam Cygnæam, forsitan ob conspectam in ipsa jam commemoratam avem, quam cygnum esse existimassent. *Mauritij insula deserta & montosa.*

Præter multas porrò varii generis arbores in ea nascentes, Ebenum etiam frequentissimam & nigerrimam reperiri intelligebam. *Ebenus in ea insula frequens.*

Anser Magellanicus.

CAP. V.

QVI anno à Christi nativitate nonagesimo octavo supra millesimum & quingentesimum navigationem ad mare Australe sive Pacificum appellatum instituebant Batavi, & anno demum insequente ad Magellanicum fretum perveniebant, in quibusdam insulis portui desiderato vicinis, quadragesimo octavo gradu supra Æquatorem versus polum Antarcticum, atque aliis parvis insulis in ipso freto sitis, magnam quarundam marinarum avium copiam reperiebant, quæ istuc accesserant, ut ova sua ponerent, deinde iis incubarent: illas autem à pinguedine quâ erant præditæ, *Pinguins* appellarunt: insulis verò, in quibus tantam earum abundantiam observabant, Pinguins insularum nomen indiderunt: ego autem eas aves Anseres Magellanicos non incommodè dici posse arbitror. Illarum, quum nemo hactenus (quod equidem sciam) mentionem fecerit, præter Diaria ab his evulgata qui illo anno in Magellanico freto aliquamdiu hæserant, & prorsus sint peregrinæ, iconem ex Diariis illis petitam hîc subiicere libuit, & pauca ad ejus historiam pertinentia adiicere. *Pinguins aves.* *Anser Magellanicus.*




MARINA porrò est hæc avis, & ex Anserum genere, tametsi rostro dissimilis, in mari victitans, valdè pinguis, prægrandis anseris magnitudine: nam adultiores quasdam ex eo genere observabant, tredecim, quatuordecim, etiam sedecim interdum libras pendentes; iuniores verò, octo, decem, & duodecim: pronâ parte nigris pennis tectæ erant, supinâ & in ventre, albis: collum, quod crassum & breve, habebant nonnullæ albis pennis, tamquam torque, cinctum: earum cutis crassa & densa instar suillæ: alarum erant expertes, sed earum loco binas parvas coriaceas pinnas habebant, in latera, tamquam parva brachia, propendentes, pronâ parte brevibus, angustis & rigidis pennulis confertim tectas, supinâ autem, minoribus adhuc & rigidioribus, iisque albis, quibus nonnullis locis intermixtæ nigræ, minimè quidem aptas ad volandum, sed quarum adminiculo velociter natarent: maxima enim ex parte in aqua versari intelligebam, & terram dumtaxat petere fœtificationis vel pullationis tempore, & plerumque ternas aut quaternas in una scrobe latere: rostrum corvino majus habent, non adeò tamen elatum, & valde brevem caudam, pedes nigros, planos, anserinorum pedum formâ, non adeò tamen latos: erectæ & sublimi capite incedunt, demissis in latera pinnis, tamquam brachiis, sic ut procul intuentibus homunculi aut pygmæi appareant. Piscibus dumtaxat vesci referebant Diaria; non ingrati tamen saporis esse illarum carnem, nec piscem sapere: scrobes porrò valdè profundas in litore fodere cuniculorum instar, totum solum adeò cavum interdum efficientes, ut per illud gradientes nautæ, sæpiusculè genu tenus in eas scrobes inciderent. *Ejus historia.*

Mergus maximus Farrensis sive Arcticus.

CAP. VI.

HVNC Mergum accipiebat anno à nato Christo sexcentesimo tertio supra millesimum, Cl. V. Doctor Petrus Pauwius, primarius artis Medicæ publicus Professor in Academia Lugduno-Batava, missum Bergis, Norwegiæ urbe, ab eruditissimo viro Doctore Henrico Hoiero Medico Bergensi, cui nec magnitudine parem, nec colore similem videre, nec apud aliquem Auctorem ejus historiam legere memini: eam ob caussam, operæ pretium me facturum existimabam, si ejus iconem in tabella expressam, licet non adeò feliciter ut cupivissem, & qualem ex ave resiccatâ concinnare potui, historiam hic subiicerem.

Mergi Farrensis historia.



AVIS autem marina est, & palmipes, Ansere domestico major, aut certè magnitudine illi æqualis: nam à collo quâ parte pectori conjungitur, usque ad orrhopygium, binos pedes longa erat: corporis ambitus binorum pedũ longitudinem superabat; alæ quatuordecim uncias longæ, cauda brevis, vix trium unciarum: collum ferè octo uncias longum, ejus ambitus paullo major; caput breve, tres uncias latum; rostrum nigrum, mucronatum, quatuor unciarum longitudinem superabat: lingua pænè tres uncias longa, nigra, mucronata, cartilaginea, quodammodo carinata, superiore parte qua rostri parti connexa erat, parvis dentibus introrsum recurvis utrimque prædita, mediâ autem parte asperâ: palatum similiter quatuor exiguorum & brevium dentium introrsum spectantium ordinibus constabat, quibus escam retineret & conficeret; nam rostrum dentatum non erat: totum corpus densis pennis tectum habebat; quæ in pectore, toto ventre, & alarum supina parte, breves & candidæ, in dorso autem alarumque prona parte, longiores & nigræ; singulæ tamen circa extremum, geminis maculis albis insignitæ, quæ in dorsi quidem lateribus longiores, majoribus; quæ verò circa collum in medio dorso, alisq. & supra caudam, minoribus; sic ut aliæ aliis incumbentes, invicemque tegentes ad maculas illas usque, eam ferè varietatem repræsentarent, quæ in Meleagride sive Numidica gallina conspicitur: collum veluti torque cinctum erat è nigris pennis constante, caput etiam similibus pennis tectum; quæ tamen oculos & rostrum ambiebant, parvis maculis albis erant distinctæ: sub gutture etiam aliquot parvas pennas albas nigris permixtas habebat: prona similiter colli pars, supra torquem illum nigrarum pennarum, ad unciæ longitudinem parvis pennis nigris latera tamen alba habentibus erat ornata, quemadmodum & ea pars quæ infra torquem in pectoris lateribus: infra podicem transversam nigrarum pennarum lineam habebat, quas albæ subsequebantur, deinde sub cauda aliæ nigræ albis maculis notatæ: crura habebat in extremo corpore sita, paullò longiora tribus unciis, plana, nigra, pedes quatuor uncias longos, plus quàm tres latos, nigros, tribus digitis præditos (quorum interiores tribus articulis constabant, brevioresque erant, medii quatuor, exteriores quinque) nigrâ membranâ simul connexos ad ungues usque, qui plani: singuli etiam pedes in posteriore parte paullò supra inflexionem, parvum articulum instar calcaris habebant.

Circa Farrensem insulam, quæ inter Norwagiam & Islandiam sita, captam hanc avem scribebat Hoierus, fœtum in undis educare, nec nisi procelloso mari ac circa Autumnum, Hiemisve initium, conspici, terram verò nunquam attingere, nec volantem unquam esse conspectam; adeoque nec alarum usum habere ad volandum, nec pedum ad incedendum: quo fit ut non nisi capite extet (eo referente) quando se conspiciendam præbet.


Mergus marinus Gesneri.

Huic non valde dissimilis videretur Mergus ille marinus, cujus meminit Gesnerus in Paralipomenis ad Historiam de Avibus pag. 767. nisi illi in dorso cineraceas plumas nigris maculis conspersas tribueret.

Mergus Americanus.

CAP. VII.

PEREGRINA etiam avis est cujus hîc iconem damus: nam ex Americâ allatam scribebat ornatissimus vir Iacobus Plateau, qui ejus picturam coloribus expressam ad me mittebat, & inter mergos reponendam censebat ex nautarum à quibus acceperat relatu. Quum verò apud neminem illorum qui de Avibus scripserunt (quorum quidem lucubrationes videre mihi contigit) similis conspiciatur, rem ingratam exoticorum studiosis me non facturum putavi, si eam in tabella exprimendam curarem hoc capite reponendam.




Ceterùm aliam ejus historiam proferre nequeo, præter eam quam ex sola pictura concinnare potui, quemadmodum nec aliquot sequêtium, quarum pictura dumtaxat mihi conspecta: idcirco benevolum lectorem boni consulturum confido quæ in medium adferam.

AVEM hanc autem ansere paullò minorem, aut fero anseri magnitudine æqualem esse intelligebam, longo quidem corpore præditam, sed parvis & brevibus alis corporis magnitudini non respondentibus, eam ob causam non valdè, ut arbitror, aptis ad volatum: caput, collum, dorsum, nigris pennis tecta fuisse ex picturâ coniiciebam; pennas etiam in cauda & alis, nigras; in pectore autem totoque ventre, albas: rostrum aquilinum & satis crassum, non planum, in quo nulla dentium vestigia expressa apparerent: ejus autem partem pronam obliquas quasdam strias habuisse, pictura fidem faciebat, & anteriorem capitis paullò supra rostrum partem, albâ maculâ insignitam, si pictor quidem legitimè illam expresserat: brevia nigraque ejus fuisse crura, pedes etiam nigros & planos palmipedum instar, tribus digitis præditos & brevi calcari, ut anates. *Mergus Americanus.*

An Catarrhacte Oppiani?

CAP. VIII.

SVPERIORIS Mergi picturæ, binas alias addebat Iacobus Plateau, mergi etiam marini appellatione insignitas, ipsas aves anseris magnitudine esse scribens, quarum quidem prior nonnullas notas cum mergis communes habere mihi videbatur, aliquas item cum Laris: altera verò ad Lari sive Gaviæ genera, meâ saltem opinione, potiùs referenda, quàm ad mergos. Nos utramque in ligneis tabellis exprimendam curabamus, quarum illam, quæ dubia mihi videbatur, hoc capite reponimus.



Catarrhacta. CAPITE autem, roſtro, & collo, ad Mergi genera magis accedebat hæc avis, quàm ad Laros ſive Gavias: nam collum oblongius atque roſtrum triuncialis longitudinis habuiſſe videbatur, idque valde acuminatum & prorſus nigrum: capitis partem anteriorem, in qua oculi, etiam nigram fuiſſe ex pictura apparebat, pennas quæ in reliquo corpore, albas ad cineraceum colorem nonnihil tendentes, præter eas quæ in cauda, illæ enim ad fuſcum tendebant: alarum porrò longitudine & brevibus cruribus, ad Gaviæ genera magis accedebat, quàm ad Mergos: palmipes erat, hoc eſt, pedis digitos membranâ connexos habebat inſtar anatum & anſerum; crura verò & pedes, perinde ac roſtrum, nigri prorſus erant coloris.


Quùm porrò hæc avis inter mergum & larum ſit dubia, totaque candicans, quantum quidem ex pictura conjecturam facere licet, roſtro & pedibus exceptis, dubitabam an καταῤῥάκτη Oppiani dici poſſet.

Larus ingens marinus.

CAP. IX.

ALTERA, cujus ſuperiore capite mentionem faciebam, haud dubiè ad Lari marini genera eſt referenda: nam totâ formâ Laris ſive Gaviis ſimilem eſſe pictura oſtendebat. Illius etiam iconem, quia illi parem videre non memini, nec apud quempiam eorum, qui de Avibus ſcripſerunt, extare puto, Lectoris oculis proponere non dubitabam.


Larus ingens.



ILLAM autem anſeris ferè magnitudine eſſe, ſuprà dictum eſt: caput ejus, collumque uſque ad alas, pectus inſuper & totum ventrem albis pennis fuiſſe tectum, pictura fidem faciebat; dorſi verò & alarum pennas nigri coloris, roſtrum præterea habuiſſe aquilinum coloris flaveſcentis, cui rubedo quædam admixta in roſtri inferna ſive ſupina parte: crura autem paullò quàm in reliquis Lari generibus, meâ opinione, longiora, ſi pictor juſtam eorum proportionem obſervarit, atque etiam magis tenuia, ſubrubentis coloris, quemadmodum & pedes, qui plani, & eorum digiti membranaceâ cartilagine conjuncti.

Anas arctica.

CAP. X.



HANC avem cum Mergo illo maximo ex Norwagia accipiebat Cl. V. Doctor Petrus Pauwius, ab eruditiſſimo viro D. Henrico Hoiero, mihi ſanè priùs non conſpectam: illam tamen, ſimulatque videbam, eſſe arbitrabar cujus meminit Cl. V. Conradus Geſnerus in Paralipomenis ad calcem Hiſtoriæ de Avibus, à Ioanne Caio Medico Anglo ſibi miſſæ Picæ marinæ appellatione. Quum porrò figura ab eo exhibita, ſatis infeliciter, meâ opinione ſit expreſſa pag. 767. neque deſcriptioni, ſequente paginâ propoſitæ, per omnia reſpondere videatur, non incommodè facturum exiſtimabam, ſi veram iconem ad avis reficcatæ formam expreſſam lectoris oculis ſubiicerem.

MARINA

MARINA autem avis hæc erat & palmipes, ex Anatum genere, tametsi rostro dissimili. Magnitudine Querquedulam imitabatur, ut quæ à summo capite rostro tenus, ad extremam caudam usque, novem unciarum longitudinem non superaret, paullò tamen crassiore videbatur corpore quàm Querquedula: densis & confertis tecta erat pennis, prorsus nigris tam in dorso quàm in pronâ parte alarum, quæ, sex uncias longæ, vix ad caudam usque pertingebant; nigræ similiter erant pennæ caudæ brevis, & vix binas uncias longæ, quæ numero septemdecim: pectoris & ventris usque ad caudam pennæ, & illæ quæ sub caudâ albæ erant: collum, quod satis breve & crassum, nigris pennis erat tectum: caput non valdè magnum, ejus vertex rostro tenus niger, reliqua pars capitis à rostro usque ad occiput, supra & infra oculos, alba, ea tamen quæ infernæ sive supinæ rostri parti proxima, cineracei coloris: rostrum habebat unciam cum semisse longum, quodammodo aquilinum, & mucronatum, tenue tamen & planum: nam quâ parte capiti contiguum, sescunciam latum erat; ejus prona sive superna pars capiti proxima, callosa, pænè ut in Psittaci rostro; subsequens, in qua rimæ pro naribus, ex fusco subcærulea, tam in superna quàm inferna rostri parte usque ad primum sulcum, tribus enim obliquis sulcis prona & supina rostri pars erat insignita; spatium inter primum & secundum sulcum partim candicantis erat coloris, partim subrubri; reliquum etiam rostrum subrubebat, cujus prona pars in mucronem nonnihil aduncum desinebat, ut supina in aliquantulùm simum, quo arctiùs claudi posset: linguam habebat rostri ferè longitudini respondentem, cartilaginosam, subflavam, mucronatam & quasi triangularem instar foliorum cyperi: ejus pedes in extremo ferè corpore siti, plani, tribus dumtaxat digitis membranâ simul connexis constantes, sine calcari, coloris ex flavo rubescentis; unguibus nigris: interior digitus in utroque pede tres habebat articulationes, medius quatuor, tertius qui exterior, quinque. *Anas Arctica.*

Capta fuerat hæc avis circa Farrensem insulam, ut adscribebat Hoierus; eam ob causas Anas Farrensis nuncupari posset: sed quum illi similes ante fuerint observatæ ad fretum Nassovicum vulgo *Weygats* dictum, ab iis qui in Nova Zembla fuerant, non immeritò Anatis Arcticæ appellationem obtinere posset.

Pavo Marinus.

CAP. XI.

CVM aliis avium picturis quas Iacobus Plateau ad me mittebat, hujus etiam accipiebam, sed mutilam; avis videlicet cujuspiam caput cum collo pectore tenus coloribus expressum, quod caput quum cicuris Pavonis capiti valdè simile appareat, huic avi, Pavonis appellatio non incommodè mea quidem opinione dari posset, & quia qui mittebat aquaticam avem fuisse arbitrabatur, eâ ratione Pavo marinus nuncupari. Illius autem picturæ exemplar, quia peregrinæ avis erat, cui similem videre non memini, in adposita tabella exprimendam curabam, cui pauca ad ejus historiam pertinentia adiiciebam.



HVIVS igitur avis collum, pectore tenus, octo uncias erat longum, circa caput, vix binas uncias latum: ipsius capitis & rostri formâ, tum etiam magnitudine pavonem domesticum adeò æmulabatur, ut pro eo capi potuisset, nisi cirrhi diversi fuissent: nam in capitis vertice frequentissimas tenues & angustas pennulas planas, & cornu ramentorum instar crispas & contortas habebat, flavescentis coloris, quarum longissimæ quatuor unciarum erant, nonnullæ trium dumtaxat, quædam etiam breviores, omnes in lateribus raris tenuibusque villis septæ; reliquæ totius capitis plumæ breves, & nigræ, quæ verò oculos cir- *Pavo marinus.*

cumdabant ex rubro fuscæ, ipsum rostrum nigrum: pennæ collum cingentes, pennis gallorum gallinaceorum colla ornantibus non dissimiles, prorsusque nigræ, quarum pleræque quinque unciarum longitudinem habebant; quædam etiam sex uncias superabant, ut ex earum dimensione observabam; picturæ enim addiderat aliquot colli & cristæ pennas, ut faciliùs cujus magnitudinis & formæ essent, agnoscere possem. Magnitudinem porrò vel formam avis, à qua caput illud resectum, nec is qui picturam ad me mittebat, significabat, & haud scio an ipsi nota fuerit: itaque plura non addo.


Κατρία Æliani. Ælianus Historiæ Animalium lib. XVII. cap. XXIV. mentionem facit cujusdam Indicæ avis, quam κατρέα Catreum nuncupari ait, Pavonis magnitudine, cujus capitis plumæ croceis quibusdam guttis sparsis distinctæ sint, & pedibus colorem esse sandaracæ.

An Alcatraz Oviedi? sive veriùs Corvi Marini genus?

CAP. XII.

In earum avium numero, quarum picturas Iacobus Plateau mittebat, cujusdam etiam avis caput erat cum collo pectore tenus, valde ingenti & crasso rostro præditum, cui sanè pauca similia videre memini: Istam picturam, licet integræ avis non esset, quia tamen non minùs forsitan peregrina, quàm quæ superiore capite exhibita, dignam existimabam cujus exemplar in tabella expressum Lectoris oculis proponeretur.

Avis peregrina caput.



MAGNAM porrò fuisse eam avem oportet, quæ simile caput gestaverit, si pictura fideliter est expressa: nam à summo capite ad extremam colli partem, dodrantalem habebat longitudinem, sive novem uncias erat longa; colli latitudo paullò infra rostrum, septem unciarum; rostrũ cum capite pedalem longitudinem superabat, ipsum verò rostrum directum, & minimè curvum in dodrantalem mucronem desinebat, quâ autem parte capiti jungebatur, palmum erat latum: capitis collique prona pars cum rostro nigri erant coloris, supina verò & guttur cineracei, cujus etiam coloris maculâ caput sub oculis ad rostri supinæ partis radicem, insignitum erat: pennas in vertice pænè, nonnihil reflexas cristæ instar habebat: nullam autem ingluviem à rostro propendentem perspiciebam, sed guttur & infimum collum in anteriorem partem valdè prominula & protuberantia. Ejusmodi erant notæ quas in missa pictura observare poteram.

Percontabatur autem, qui eam mittebat, an ejus avis caput esse posset, cujus mentionem facit Ioannes Gonsalez de Mendoça Augustiniani ordinis monachus cap. XXII. lib. III. ejus Historiæ quam de Sinarum regno scripsit, cujus verba ex Hispanico & Italico sermone sic Latino reddebam.

Piscandi ratio apud Sinenses. *Corvorum marin. opera.* Piscandi ratio non minore industriâ in hoc regno peragitur, quàm Anatum educatio; eam ob causam relatu digna. Habet Rex in omnibus urbibus secundum flumina sitis quædam ædificia, in quorum singulis multi marini corvi aluntur, quorum operâ piscatio peragitur iis mensibus, quibus pisces suos fœtus ediderunt. Eductos enim ex illis ædificiis corvos, ad fluminum ripas transferunt, in quibus multas piscatorias scaphas, mediâ ex parte aquâ plenas, habent: quibus in orbem dispositis, singulis singulos corvos adjudicant. Hos deinde sub alis longo funiculo alligant, eorumque guttur sive ingluviem alio funiculo adstringentes, ne pisces captos vorare queant, in aquam proiiciunt, ad pisces capiendum; quod adeò avidè exequuntur, ut admirationem pariat: nam magnâ celeritate sese mergentes, atque sub aquâ tantisper hærentes, donec guttur sive ingluviem à rostro ad pectus usque implere queant, deinde emergentes simili celeritate ad scaphas remeant, captosque

pisces

pisces in aquam (quam ad pisces vivos conservandum in scaphis contineri diximus) reiiciunt, ilico ad piscationem revertentes. In simili exercitio quatuor horarum spatio perseverant tantâ dexteritate, ut nullus alteri sit impedimento, donec aquam, quæ in scaphis, piscibus repleverint: postea soluto vinculo, quo guttur adstrictum fuerat ne pisces in alvum transmitterent, dimittuntur ut pisces venentur quibus ipsimet vescantur; sunt enim famelici, quia die piscationem præcedente, illis cibus solitus non datur, ut ad piscationem tanto fiant alacriores. Vbi verò aliquanto tempore in aqua versati sunt piscibus vescentes, denuò ex aqua retrahuntur, &, in suas caveas illati, domum transferuntur. Tertio quoque die istud exercitium repetitur, totis illis mensibus, quibus piscatio peragenda est: adeò autem ad simile exercitium proni sunt isti corvi, ut toto anno in eo perseverare cuperent.

Ceterùm marinus ille corvus quandam affinitatem habere videtur cum ea ave, cujus meminit Ælianus lib. XVI. de Animalibus cap. IV. his verbis: Avem κήλαν in India nasci accepi magnitudine triplo majorem Otide, ore permagno, & longis cruribus, ingluvie etiam maxima; absonum quiddam sonare, ejusque summas alas pallidas, ceteras verò pennas cineraceas esse. Κήλα avis.

Vel cum illa ave quæ ab Oviedo cap. XXXVIII. Summarij Indiæ Occidentalis & cap. VI. lib. XIV. Historiæ Generalis & Naturalis *Alcatraz* appellatur & describitur. Eam verò Onocrotalum esse censeo, quia illam similem esse dicit ei quam aliquando Bruxellæ conspexerit in Caroli V. Cæsaris aula, vulgari nomine istic *Voghel-hayne* appellatam. Hujus effigies marmorea etiamnum spectatur Bruxellæ ante Principis palatium. Verum quidem est Onocrotali plumas cineracei esse coloris, quum illius, cujus Gonçales de Mendoça mentionem facit, ex ipsa corvi appellatione, nigrum esse debere, conjecturam facere liceat, qualis est cujus iconem damus, præter colli anteriorem sive supinam partem. Alcatraz Oviedi. Onocrotalus. Vogel-hayne.

Lectorem porrò ne pigeat consulere tam Æliani quàm Oviedi loca à me producta, tum etiam quæ Gesnerus lib. III. Histor. de Avibus, de Onocrotalo scribit.

Verumtamen, ut ingenuè proferam quod sentio, mea opinio valdè inclinat, ut eam avem cujus figuram capitis exhibemus, corvum illum esse putem, cujus meminerunt Batavi in suis Diariis, quæ navigationum in Iavam, Taprobanam vel Sumatram, & Moluccas insulas institutarum descriptionem continent; quemque Lusitano vocabulo *Rabo forcado* appellarunt, quòd caudam habeat bifurcam, eam, ut aiunt, interdum explicans, & denuò contrahens sartoriæ forcipis instar: magnum enim longumque rostrum eam avem habere referunt, pennisque maxima ex parte nigris esse præditam, in pectore tamen candicantibus; & quùm ejus alæ expansæ, orgyiæ longitudinem explere; magnâ aviditate pisces marinos, hirundines appellatos, supra aquam nonnunquam sese attollentes & volantes, persequi, atque non modò piscium exenteratorum intestina, quæ nautæ abiiciebant, verùm etiam sui generis avium (quas nautæ interdum capiebant) abjecta intestina vorare. Istorum autem corvorum duram esse carnem, & magnâ cum difficultate percoqui posse comperiebant. Rabo-forcado.

Ejusmodi etiam corvos in deserta illa insula, cui Mauritij nomen indebant, adeò cicures reperisse, ut manu prehenderent, etiam suis nidis insidentes.

Ferdinandus Oviedus cap. XXXI. sui Summarij Milvio majorem esse dicit istam avem, & *rabi horcado* appellari, quia caudam in binas partes divisam gestat. Rabi-horcado.

Rostra ingentia.

CAP. XIII.

AVIVM quædam capita valdè ingentia in suo museo se habere scribebat idem Plateau: maximorum ex istis duas picturas ad me mittebat, addens observatam à pictore justam amborum magnitudinem: illa autem deprehendebam inter se differre, colore, formâ, & calvariæ magnitudine: rostrorum verò longitudinem pænè æqualem.

PRIORIS etenim, cujus calvaria minor, & oculorum cavitas non admodùm ampla, pro tanto rostro, ater prorsus erat color, & ejus longitudo pedalis à calvaria ad extremum mucronem, latitudo autem juxta cranium ferè quatuor unciarum; ejus pars prona sive superna, directa & valdè mucronata; supina verò sive inferna, magis carinata. Rostrum ingens 1.

Istud verò rostrum dubitabat an ejus avis esse posset, cujus meminit Iosephus à Costa Hist. Naturalis & Moralis lib. IV. cap. XXXVII. *Condore* appellatæ, immensæ magnitudinis, atque tanti roboris, ut non modò ovem, sed etiam vitulum rapere & vorare possit. An potiùs illius quam describit Ioannes Leo Africanus sub finem lib. IX. Descriptionis Africæ his verbis. *Nesr*, avis est omnium earum, quæ in Africâ reperiuntur, maxima, grue procerior, Condore avis. Nesr avis.

cerior, crassioreque prædita rostro, collo, & cruribus: adeò sublimis volat, ut oculorum aciem effugiat, & conspecto alicujus animalis cadavere supra terram jacente, ilico in illud irruat. Rarò sola sed gregatim volare solet. Longæva est: nam pleræque conspectæ sunt calvo & deplumi capite, tamquam vulsæ fuissent capitis pennæ. Inde colligere licet, præ nimio senio pennarum defluuium pati: eam ob causam suos nidos velut recenter natæ repetunt, ubi à suis pullis educantur. Hactenus Ioannes Leo: sed avis illa nihil aliud est quàm Aquilæ genus.

Rostrum ingens 1. ALTERIVS porrò, cujus calvaria major, & quinque uncias alta, oculorum cavitas valdè ampla, & longè major quàm superioris: albus erat color; rostri autem longitudo ab extima cuspide ad cranium usque, paullò major quàm prioris, latitudo juxta cranium quatuor unciarum, prona pars crassior & magis elata quàm in priore, supina verò paullò brevior & angustior.

Adscribebat autem qui mittebat, admirabile esse rostrum propter insignem magnitudinem, nec Auctorem vidisse, qui alicujus avis tali rostro præditæ mentionem faceret, nisi quis arbitretur Marcum Paulum Venetum de simili ave agere, in insulæ Madagascar descriptione. Ejus verba ex Italico exemplari adferre libuit & Latina facere; quia vulgare Latinum exemplar multa prætermisisse videtur, quæ Italicum habet. Sunt autem illa ejusmodi, cap. xxxv. libri III.

Avis maxima, Ruch. Narrant incolæ, certo anni tempore advolare mirabile avis genus, *Ruch* ab ipsis appellatum, Aquilæ quidem simile, sed admirandæ magnitudinis, adeoque vasti corporis & tanti roboris, ut elephantem unguibus corripere atque in altum sublevare possit, deinde cadere sinat, ut mortui carne vescatur. Qui autem viderant, ejus alas expansas, ab unius extremitate ad alteram sedecim passuum esse dicebant, earumque pennas octo ferè passus esse longas, earumque crassitudinem pro longitudine respondentem: se autem existimantem Gryphum forsitan esse, quia media ex parte avis, alterâ dimidiâ Leo depingitur, interrogasse eos qui se vidisse dicebant, an similem formam haberet; respondisse, meram avem esse, quemadmodum est Aquila: Quæ quum magnus Cham intellexisset, suum Legatum in eam Insulam misisse, eo quidem prætextu, tamquam de redemptione alicujus è suis, qui istic detinebatur, acturum, sed reverà ut & insulam exploraret, & quæ in ea erant admiratione digna observaret: illum redeuntem, ut intellexi, ejus avis Ruch pennam ad magnum Cham retulisse, quam affirmabant nonaginta palmorum longitudinem habuisse, ejusque calamum binos palmos fuisse crassum: illam verò pennam magno Cham adeò fuisse gratam, ut ingenti munere eum qui attulerat, affecerit. Prætereà apri dentem relatum fuisse, quatuordecim libras pendentem: ingentes enim in ea insula nasci ferunt, bubalorum magnitudine. Hæc M. Paulus.

DESCRIPTA *Exoticarum Avium quas videre mihi contigit, aut quarum picturas nactus sum, historiâ; paucorum Animalium quadrupedum historiam etiam aggrediemur, de admirando tamen quodam cornu prius acturi.*

Cornu admirandum.


CAP. XIV.

ANNO primo & sexcentesimo supra millesimum à nato Christo, Hollandi nautæ ex sua navigatione reduces, admirandum quoddam cornu adferebant: cui sanè simile videre non memini. Verùm quale esset animal quod illud gestasset, ipsi ignorabant, ut qui in quodam tuguriolo reperissent, à quo abesset illius dominus, cum reliquis ejus pagi incolis ad bellum profectus.

Ceterùm quùm ornatissimus & doctissimus vir Ioannes ab Hogelande ob raritatem illud redemisset, pro nostra amicitia mihi concedebat, ut illius iconem in tabella exprimendam curarem, & ipsius cornu qualemcumque historiam ex notis quas observare liceret, concinnare possem.

Cornu mirabile. ILLVD porrò cornu, viginti aut plures uncias longum fuisse arbitror: nam tametsi extima pars recisa fuisset, ut inflari posset, novemdecim unciarum longitudinem adhuc obtinebat: decem verò unciarum erat ambitus infimæ partis quâ capiti insitum fuerat; extimæ autem, quæ recisa, duarum cum semisse. Ipsum certè cornu admirabilis erat formæ:

nam




nam totum ex crassis osseis squamis imbricatim dispositis cõstabat, in posteriorem partem recurvum, infimâ parte quâ capiti innatum, sedecim squamarum ordinibus præditum, quæ obliquè deinde ab infimo ad summum sese torquentes (à sinistra ad dextram earum seriem sequendo) duarum & sexaginta numerum explebant: suprema pars octo dumtaxat ordines habebat: à dextra autem ad sinistram seriem sequendo, duabus & septuaginta squamis singuli ordines constare reperiebantur, quia magis in obliquum torquebantur: squamarum color partim fuscus erat, nonnullarum etiam albus; atque in singulis squamarum interstitiis villi quidam adhuc apparebant. An mobile fuerit cornu, dubitari posset, quum internâ & cavâ parte quasdam membranas etiamnum retineret, quæ fidem facerent, eam partem non solidâ aliquâ materiâ aut osse expletam fuisse, sed carne dumtaxat. An porrò gemino cornu præditum fuerit animal quod illud gestavit, an singulari, nihil affirmare poterant, qui cornu retulerant, quandoquidem ut dixi, animal non viderint, nec quemquam convenerint à quo percontari possent.

Armadillo, sive Tatou genus alterum.

CAP. XV.

In epistolâ quam Iacobus Plateau, cujus in hac Exoticorum historiâ crebra fit mentio, Novembri mense anno millesimo sexcentesimo secundo à Christi nativitate ad me scribebat, inter alia significabat, se tria illius animalis, quod Hispani ab armis quibus tectus est, *Armadillo* appellant, Gallis verò voce Brasilianicâ *Tatou* dicitur, in suo Museo diversa habere genera: unum quidem valdè magnum, ejus formæ cujus illud erat, quod in scholio ad Nicolai Monardes caput de Armadillo, Libro de Medicamentis simplicibus ex



Occidentali India delatis, ante aliquot annos exhibebam, & nunc denuò exhibeo: aliud item illi ferè simile, sed minus: tertium, ab illis formâ diversum, cujus quidem Iconem coloribus expressam illo tempore ad me mittebat, sed ejus magnitudinem non adscribebat:

de quare monitus, illius longitudinem & craſſitudinem inſequente Iunio etiam addebat. Hujus forma, quum ab ejus generis animalibus quæ mihi conſpicere licuit, ſit diverſa, nec à quopiam exhibitam putem, in tabella delineandam & ſculpendam curabam, ut huic capiti adponeretur, additâ brevi ejus, quam ex picturâ concinnare potui, hiſtoriâ, Recentiorum quorumdam teſtimonio confirmatâ.

Tatou III. *genus.* HABEBAT porrò id animal pedis unius & quatuor unciarum longitudinem; corporis verò ambitus erat quatuordecim unciarum, binis videlicet minor longitudine: ejus tegmen durum & teſtaceum, fuliginoſi coloris, quem forte vetuſtate & manuum tractatione contraxerat, quodammodo teſſellatum, à collo ad medium corpus quaſi orbiculatæ figuræ teſſellis variè pictis diſtinctum, medio autem corpore, ternis ordinibus quadrangularum teſſellarum variè etiam pictarum inſignitum, poſtrema tegminis pars ſimilibus orbibus diſtincta erat, qualibus pars anterior: totum etiam caput ad nares uſque ſimilibus teſtis tectum: aures patentiores, nec adeò mucronatas habebat, ut illud quod in ſcholio ad Monardem exhibitum: cauda brevis erat, duobus digiti humani extremis articulis non major, tota etiam orbiculatis teſſellis tecta: ventrem nullâ cruſtâ tectum fuiſſe, ſed villis dumtaxat obſitum, pictura repræſentabat, quemadmodum etiam crurum poſteriorem partem, atque guttur, & nates: poſteriores pedes ternis digitis & calcari præditos fuiſſe pictura fidem faciebat, anteriores verò dumtaxat binis & calcari, niſi à pictore fuerint prætermiſſi: penem ſatis longum & exertum habebat.

Ceterùm iſtam varietatem oriri arbitror è Provinciarum, in quibus hoc animal vivit, diverſitate: è variis enim regionibus adferri certum eſt.

Qui de hoc animali ſcripſerint, Conſalvum Ferdinandum Oviedum primum fuiſſe comperio: reliqui enim qui aliquid de illo tradiderunt, ab ipſo deſumpſiſſe videntur. Is igitur cap. XXII. ſui Summarii *Bardato* appellat, hoc eſt, panopliâ, ſive integrâ armaturâ tectum, & κατάφρακτον, his verbis quæ ex Italico ſermone Latina faciebam.


κατάφρακτος Bardato. Κατάφρακτος, ſive undique armis munitus, vel, ut Italicum exemplar habet, *Bardato*, animal eſt aſpectu admirabile, valdè diverſum ab iis quæ aut in Hiſpania, aut in aliis Europæ regionibus conſpiciuntur. Quadrupes eſt animal, totumque corpus cum cauda corio tectum habet ſimili cortici Lacerti, de quo infrà ſumus dicturi [*Crocodilum Americanum intelligit*] coloris inter album & cineraceum mixti, ad album tamen magis accedentis. Ejuſdem verò eſt formæ cum equo undique armis munito; caniculæ autem vulgaris magnitudine: non eſt animal noxium; domiciliumque habet in terrenis tumulis, pedibuſque, terram egerendo, ſua latibula fodit cuniculorum inſtar. Capiuntur hæc animalia vel retibus, vel baliſtis petita occiduntur, magna autem ex parte ſementis tempore, quando ſtipulæ aduruntur, aut agri coluntur ut gramen producant in boum & animantium pabulum. Aliquoties me hoc animali veſci contigit, ac ſanè melioris ſaporis quàm hœdos, & ſalubrem cibum eſſe comperiebam. Ceterùm ſi hæc animalia in iis Provinciis conſpecta fuiſſent, in quibus equos undique armaturâ muniendi conſuetudo originem ſumpſit, ex hujus animalis aſpectu exemplar deſumptum opinari quis poſſet. Hæc Oviedus.

Licet porrò hujus animalis ſaporem adeò commendet Oviedus, Ioſephus tamen à Coſta Hiſtoriæ Natural. & Moral. Indiæ Occidentalis lib. IV. cap. XXXVIII. non eſt ejus opinionis, longeque Yvanæ carnem præfert, animalis de quo proximè ſequente quarto capite agemus.

Ignauus, ſive per ἀντίφρασιν, Agilis.

CAP. XVI.

VRBIS Amſtelredamenſis quendam civem, cui nomen Rutgero Ioannis F. in ſuo muſeo variis conchyliorum generibus ac aliis peregrinis rebus benè inſtructo, inter alia exotica habere intelligebam reſiccatum quoddam animalculum quadrupes admirabile, quod quum valdè rarum eſſet in hiſce regionibus, locum habere volebam in meis Exoticorum libris. Eam ob cauſam, ornatiſſimum & humaniſſimum virum Theodoricum Clementis F. Coornhart, ejuſdem urbis civem, orabam ut illud vivis coloribus depingendum curaret, atque ejus magnitudinem mihi ſignificaret; quod, pro ea quæ mihi cum illo eſt amicitia, lubens fecit: nam honeſtiſſimus juvenis Volcardus ejus F. exprimebat, & ipſe picturam, additâ magnitudinis animalis partiumque ejus deſignatione, & aliarum quarundam notarum ſignificatione, ad me mittebat; è quibus qualemcumque hujus animalis hiſtoriam concinnare poſſem: iconem autem ad picturæ exemplar in lignea tabella exprimendam curabam, quæ adponeretur.



ERAT porrò hoc animalculum (quantum ex notis ad me missis colligere poteram) pedem & septem uncias longum: ejus ambitus, quia exenteratum, & siccitate contractum erat, longitudinis proportioni non respondebat: nam si, qui mittebat, veram ejus crassitudinem adnotaverat, ea sex uncias non superabat: caput autem ferè binas uncias erat latum, paullò minùs longum, collum non adeò crassum ut pictura refert, quia oblongioribus densisq. pilis, quemadmodum & totum corpus, tectum erat, nullamque caudam habere demonstrabat pictura; atque etiam cauda carere ab iis qui illud viderant, postea intelligebam: pilorum color ex fusco quodammodo spadiceus, sive potiùs qualis ferè in crassiore illa lanugine magnas & crassas Indicas nuces tegente conspicitur: crura habebat brevia, tres uncias dumtaxat longa, hirsuta, pedes tribus longis præacutisque unguibus præditos, iisque contiguis, quorum medius aliis longior, ut ad scandendum quàm ad gradiendum magis apti viderentur. Hæc sunt quæ tum ex pictura, tum ex notis ad me missis observâre mihi licuit, pleniorem & exactiorem historiam daturo, si ipsum animal conspicere & observare potuissem. *Ignavum.*

Ceterùm inter eos qui de Americæ provinciis scripserunt, paucos hujus animalis mentionem facere comperio, uno Consalvo Ferdinando Oviedo excepto, qui sanè cap. XXIII. Summarij Indiæ Occidentalis, luculentam ejus historiam tradit: eam quia hujus animalis naturam & mores graphicè depictos continet, hîc in lectoris gratiam adiicere volui.

Perrillo ligero, inquit (Hispanica enim lingua scripta est ea Historia, ego sic Latina reddebam) sive Canicula agilis, animal est omnium quæ viderim ignavissimum; nam adeò lentè movetur, ut, ad conficiendum iter longum dumtaxat quinquaginta passus, integro die illi opus sit. Primi qui illud conspexerunt Christiani, in memoriam revocantes, Æthiopem in Hispania Ioannem album appellari solitum, per ἀντίφρασιν videlicet, ut oppositum intelligeretur; sic istud animal reperientes, & ejus naturam considerantes, nomen illi indiderunt ejus naturæ prorsus contrarium, agile appellantes, quum adeò tardum & ignavum esset. *Perrillo ligero.*

Est verò hoc animal ex eorum numero quæ in Continente maximè admirabilia sunt, propter dissimilitudinem quam habet cum reliquis animalibus: binos palmos longum est, quum plenam magnitudinem adquisivit, aut paullò majus; crassitudo ferè longitudini respondet. Quatuor exiles pedes habet, eosque quatuor unguibus præditos avium instar, iis tamen simul connexis, & minimè aptis ad corpus sustinendum: nam propter pedum exilitatem & corporis gravitatem, ventrem quasi rependo per terram trahit; collum in sublime elatum & surrectum gestat, prorsus æquale ad supremum usque fastigium, pistilli instar, in quo facies sita, orbiculata, non valdè dissimilis noctuæ, ipsis pilis circulum formantibus, paullò tamen longior quàm lata: parvos habet oculos & rotundos, nares simiæ instar, os valdè exiguum: collum nunc in hanc, modò in illam partem torquet, tamquam attonitum. Summum horum animalium desiderium esse videtur, ut vel arbores, vel palos conscendere queant; ideò magna ex parte in arboribus, vel etiam in altissimis earum ramis conspiciuntur, quas longis unguibus apprehendentes, lentè conscendunt: cauda caret, pilosque habet ex albo cineraceos, ut taxus ferè. Ejus vox à reliquorum animalium voce valdè differt, quia canendo sex voces per intervalla dumtaxat profert, unam altiore tono quàm alteram, semper diminuendo, videlicet, ut prima sit altioris toni quàm reliquæ, deinde aliæ sensim descendendo minuantur: nam quemadmodum si quis canat, la, sol, fa, mi, re, ut, sic hoc animal simili tono pronunciat, ha, ha, ha, ha, ha, ha. Et, sicut capite de *Bardato* dicebam; si id animal conspectum fuisset in illis regionibus, in quibus equos armaturâ muniendi consuetudo originem habuit, ab eo animali exemplum desumptum fuisse videretur: sic primus musices inventor, ejus initia ab hujus animalis cantu formasse dici posset, potiùs quàm ab ulla alia causa: nam hoc animal per sex has voces nos idem docet, quod per la, sol, fa, mi, re, ut, intelligere licet. Sed ut ad ejus historiam revertamur, *Ignavi cantus.*

noctu dumtaxat hoc animal cantat, per modica intervalla ſex illas voces repetendo; interdiu nunquam cantare auditur: eam ob cauſam, & propter illius exiguos oculos, nocturnum animal eſſe arbitror, ac obſcuritate & tenebris delectari. In ædes tranſlatum, naturali ſuâ tarditate movetur, nec acclamatione ullâ, aut impulſione, gradum accelerat. Alui aliquando domi hoc animal, & quantum ego, vel alij qui etiam aluerunt, obſervare potuimus, numquam ullâ re veſci deprehendimus, ſed ex aëre vivere æſtimavimus, quia caput & os ad eam partem ſemper obvertere conſpiciebamus, unde ventus ſpirabat, potiùs quàm ad aliam, ex quo apparebat aërem illi valdè gratum eſſe: noxium animal non eſt, neque mordet, imò nec etiam mordere poteſt, propter oris anguſtiam: verùm adeò fœdum aut ignavum animal videre non memini. Arborem nactus quam conſcendere queat, etiam in altiſſimos ejus, ut dixi, ramos evadit, in quibus octo, decem, vel viginti dies hærebit; nec ſciri poteſt quâ re veſcatur. Hactenus Oviedus.

Ioſephus à Coſta lib. IV. Natural. & Moral. Hiſtor. Ind. Occidental. cap. XXXVIII. hujus animalis etiam mentionem facit, & formicis veſci tradit: tres autem dumtaxat ungues in ſingulis pedibus illi tribuit, ut illud habebat cujus iconem exhibemus, tametſi Oviedi deſcriptioni per omnia non reſpondeat, quod vetuſtati reſiccati animalis tribuo, quæ nativam ejus faciem & formam corruperat.

Hau, Hauthi, Hay. Verumtamen conſiderandum, an hic Ignavus, animal illud ſit, de quo agunt Andreas Thevetus cap. LII. Singularium Franciæ Antarcticæ, & Ioannes Lerius cap. X. Hiſtoriæ Americanæ, quodque ille *Haü* ſive *Hauthi* appellat, Lerius verò *Hay*: uterque enim illi tribuit ſimiæ faciem, cutem hiſpidam & villoſam, crura hirſuta, ternos in ſingulis pedibus oblongos & acutos ungues; plerumque in arboribus verſari, captum autem ſine difficultate cicurari & domeſticum fieri; à nemine conſpectum quidpiam edere, ea de cauſa à pleriſque ex aëre vivere exiſtimari: neuter tamen tantâ ignaviâ præditum eſſe dicit, aut caudâ carere, ſed brevem caudam habere, uterque ſcribit. Lector ea quæ apud dictos Auctores extant, cum his quæ ex Oviedo protuli, conferre poterit.

Γαλῆ Λιβυκὴ, *Muſtela Africana.*

CAP. XVII.

IN ea epiſtola, quam cap. XV. dicebam Iacobum Plateau ad me ſcribere menſe Novembri, fiebat etiam mentio animalculi cujuſdam, quod à nautis Rotomagenſibus è Barbaria, ut ferebant, allatum ab amico dono acceperat: illius, quòd elegans & valdè peregrinum ipſi videretur, nec unquam mihi conſpectum arbitraretur, picturam nativis coloribus expreſſam cum Tatou ſuprà deſcripti effigie ad me mittebat, additis paucis notis quæ ad ejus hiſtoriam facerent: meo tamen rogatu, Iunio ſubſequente, *Ourissa* aviculæ picturam mittens, plures notas addebat, è quibus, & ipſius animalculi picturâ, hanc deſcriptionem concinnabam; iconem verò, qualis hîc adpoſita, delineandam & ſculpendam curabam in benevoli Lectoris gratiam.



Muſtela Africana. ERAT porrò hoc animalculum majoris muris, ſive gliris non prorſus adulti magnitudine, corporis formâ muſtelam & ſciurum quodammodo referens: nam capite & caudâ longis


longis pilis prædità sciurum æmulabatur, illam quidem attollens, minimè tamen supra caput retorquens, ut ille, sed in latum nonnunquam valdè explicans: comedens, clunibus, sciuri instar, insidebat, anterioribus pedibus cibum tenens & versans, in utraque mandibula binis longioribus dentibus in anteriore rictus parte præditum: aures ferè orbiculares habebat, pilorum colorem varium è spadiceo, fusco, & albo, singulis coloribus à capite ad caudam secundùm corporis longitudinem virgatim & radiatim excurrentibus: summa venustas erat in cauda similibus coloribus etiam virgatim distincta, quùm, ut dicebam, illam interdum valdè explicaret, pavonis caudæ pænè instar: pedes in quinque digitos erant divisi, quaternos antrorsum spectantes, eorumque binos medios longiores, quintum autem brevem, calcari non dissimilem, retrorsum spectantem. Omni cibo ipsi objecto indifferenter vesci intelligebam, præsertim verò pane delectari, ferox non esse, sed facilè cicurari & domesticum fieri, ut liberè, nullo vinculo adstrictum, quò vellet vagari permitti posset: nam sua sponte caveam repetere. Ipse Iacobus, sibi relatum scribebat, in navi quâ advecta fuerant hæc animalcula, adeò cicura evasisse, ut nautarum sinum & caligas subirent, nullamque noxam inferrent.

Hujus animalculi meminisse videtur is, qui anno secundo supra millesimum & sexcentesimum, navigationis quam Batavi in Libyam instituerunt descriptionem vernaculo sermone evulgavit: nam tricesimo capite Partis secundæ, in figura decimo numero insignita, ejus iconem, ni fallor, exprimit notatam littera L, tametsi nullam ejus descriptionem faciat, sed dumtaxat notet, Mustelæ genus esse. Quum autem verisimile sit non è Barbaria Mediterraneo mari imminente, sed ex ea Africæ parte quam Oceanus alluit, ad quam plerumque Galli navigant, hæc animalia esse allata, idcirco γαλῆν λιβυκὴν Mustelam Africanam appellavi. γαλῆ λιβυκὴ.

Serpens peregrinus.

CAP. XVIII.

ANTE paucos annos redimebat ornatissimus vir Christianus Porretus, cujus aliquoties in hac Exoticorum historia fit mentio, Serpentis cujusdam elegantissimi pellem, cui similem quum antea non viderim, rem plerisque non ingratam me facturum existimabam, si illius qualemcumque descriptionem hîc subiicerem.



ERAT porrò hæc pellis novem pedes Romanos longa, medio autem corpore fermè pedem lata, sensim deinde versus caput & caudam in angustiorem formam sese contrahens, ut proximè caput, quod recissum fuerat, vix quatuor unciarum latitudinem superaret, uno autem pede supra extimam caudam, sex unciarum latitudinem haberet, extima verò cauda vix duarum. Tota autem pellis squamis erat tecta serie quadam dispositis, pronâ quidem parte minoribus, supinâ verò majoribus, quemadmodum in reliquis serpentibus observare licet, & illis sanè variorum colorum & elegantissimâ serie distinctorum: nam dorsum à capite ad extremam pænè caudam continuo ordine secundum longitudinem nigricantibus veluti clypeiformibus maculis erat ornatum, extrema verò cauda ovalis formæ maculis etiam nigricantibus distincta: latera autem alterius formæ nigricantibus Serpentis peregrini historia.

maculis depicta erant, venustâ sanè specie; subfuscus autem quem contraxerat ex fumo, ut arbitror, color, valdè elegantiam deformabat: ipsa verò pellis satis spissa erat.


Ex quâ autem provinciâ fuerit allata hæc pellis, me latet, & ipse Porretus ignorabat. Sed quùm ante annum à nato Christo millesimum quingentesimum & nonagesimum sextum Batavi naucleri in Orientalem Indiam navigationem non instituerint, ex America aut illi adjacentibus insulis advectam fuisse, facilè mihi persuaserim: nam magnos in insula Cuba gigni, qui viginti quinque, atque etiam triginta pedes sint longi, & humani femoris crassitudinem æquent, testis est Consalvus Ferdinandus Oviedus cap. VI. lib. XVII. Historiæ Generalis & Naturalis, in quorum gutture reperiantur sæpenumerò aliquot animalia ab incolis *Guabiniquinax* appellata, cuniculis etiam majora, eaque etiamnum integra, ut pote quæ paullò antè devorata fuissent: & cap. VIII. lib. XII. ejusdem Historiæ se vidisse refert in Hayti sive Hispaniola insula, unum recenter necatum, qui viginti pedum longitudinem excederet: aliosque in eadem insula gigni affirmat varii generis & diversorum colorum, & aliquot etiam crassos.

Serpentes XXV. & XXX. pedes longi in Cuba insula.
Guabiniquinax animal.
Serpens XX. pedes longus in Hayti.

Serpens Indicus.

CAP. XIX.

SVB extremum annum à Christi nativitate sexcentesimum tertium supra millesimum, quum hæc mea Exoticorum historia jam cuderetur, mittebat ad me sæpè memoratus Iacobus Plateau binas animalium icones vivis coloribus depictas, additâ singulorum mensurâ quæ magnitudinem designaret, ut commodiùs describere possem: qua in re valdè mihi gratificatus est, quia similium animalium icones antè videre non memineram: eam ob causam operæpretium me facturum existimavi, si illorum qualemcumque historiam, qualem videlicet ex pictura & adjuncta mensura concinnare potui, in hunc Quinctum Exoticorum librum insererem.



Serpentis Indici historia.

PRIOR figura, quam in subjecta tabella expressam huic capiti decimo nono adpono, Serpentis etiam erat, ut ipse scribebat, Indici, cujus pellem inter pleraque alia exotica adservaret. Erat verò illa (ut ex mensura ad me missa observabam) octo pedes Romanos longa: de crassitudine nihil pronunciare possum, quia ejus mensura non fuit addita, neque in epistola ullam illius mentionem faciebat: sed quantum ex pictura conjecturam facere licet (si quidem justa proportio à pictore observata fuerat) quatuor unciarum dumtaxat amplum fuisse ejus ambitum arbitror, ubi crassitudo maxima: totum corpus squamis tectum habuit reliquorum serpentum modo, dorsum autem variarum & elegantium formatum nigris maculis consparsum: supina verò pars tota candicans erat: ejus os aliquot hamatis dentibus armatum, lingua tenuis & bisulca.

Cujusnam porrò sit generis, difficile pronunciari posse existimo, quia, teste Æliano, multa variaque Serpentum sunt genera, quorum species omnes persequi velle, infinitum foret: nisi quis fortè censeat hunc ex eorum esse genere, quos idem Ælianus lib. XVII. de Animalibus cap. II. tamquam pigmentis distinctos, sic versicolores spectari ait, magnitudine inferiores iis qui sedecim cubitorum in India gignuntur.

Serpẽtes XVI. cubitorum.

CETERVM

Ceterum qui plura de Serpentibus volet, consulat Cl. V. Conradi Gesneri Historiæ Animalium lib. v. qui est de Serpentium natura: in illa enim quidquid Veteres & Neoterici de Serpentibus scripserunt, congestum reperiet.

Lacertus Indicus.

Cap. XX.

Altera figura erat magni cujusdam & elegantissimi Lacerti, quem etiam ex India allatum scribebat; eam in subjecta tabella exprimi curabam, quæ in hoc capite adponeretur.



Qvatvor verò pedes Romanos cum semisse longus erat ille Lacertus, undecim autem unciarum medio corpore ejus ambitus, quantum ex mensura picturæ adjuncta observare poteram: eâ ratione (si pictor justam partium proportionem imitatus est) capitis & colli longitudo usque ad anteriora crura (quadrupes enim est reliquorum Lacertorum instar) erat circiter decem unciarum, ab anterioribus verò cruribus ad posteriora, decem & sex, reliquarum duodetriginta unciarum longitudinem cauda, in longum & tenuem mucronem sensim desinens, explebat: elegantissimus autem ejus color; nam tota prona pars, licet fusca, albis tamen flavisque maculis quadrangula & rhomboïde formâ distinctis conspersa, quibus etiam nigræ intermixtæ: supina verò pars non adeò fusca, sed albis tamen etiam maculis variè distincta, quemadmodum crura & cauda, cujus prona pars quendam veluti nervum secundùm longitudinem protensum habebat: crura satis crassa erant, pedibusque in quinque longiusculos digitos fissis prædita, quorum ungues nigri, longi & acuti: oris rictus, cujus prona pars longior quàm supina, satis magnus, dentibus firmis & curvis armatus. *Lacerti Indici historia.*

Lacertus peregrinus alius.

Cap. XXI.

Lacerti cujusdam iconem coloribus expressam, ab eodem Plateau etiam accipiebam, cum aliis plerisque quorum in hoc libro facta est, fietque mentio, additâ mensurâ quæ animalis longitudinem indicaret. Quum verò similis coloris lacertum antè videre non meminerim, rem non ingratam me facturum existimabam, si ejus jconem in tabella expressam Lectoris oculis proponerem, & qualem ex pictura concinnare poteram, descriptionem subiicerem.



Lacertus peregrinus. PEREGRINVS erat hic Lacertus, quem exenteratum & suffarcinatum in suo museo repositum cum variis aliis exoticis habebat, qui iconem mittebat. Vnde verò nactus esset, aut qua in Provincia repertus, non adscribebat: filum tamen, quo ejus longitudinem à capite ad extremam caudam dimensus erat, adjunxerat, quod reperiebam trium pedum esse; illud verò quo ejus ambitum, novem unciarum: collum crassum habuisse, ex pictura conjecturam faciebam, caput breve, rostrum longum & angustum, oris rictum non amplum, mandibulam inferiorem longiorem superiore, utramque parvis, acutis tamen dentibus armatam: caudam sensim in longum mucronem desinentem: quatuor crura reliquorum lacertorum instar, quorum singuli pedes tribus digitis antrorsum spectantibus erant præditi; & breve calcar posteriorem pedis partem, sive calcaneum occupabat: anteriorum quidem pedum digitos breviores fuisse & æqualis longitudinis, posteriorum verò longiores, & illorum medium longissimum, omnes autem acutis unguibus munitos; pronam similiter totius corporis, capitisque & caudæ, atque etiam crurum partem habuisse cutem parvis squamis tectam, nigroque colore tinctam, per quem plurimæ dispersæ fuissent albicantes maculæ: supinam verò subalbidi coloris, latioribus majoribusque squamis constantem.

Yvana, lacerti genus.

CAPVT XXII.

TAMETSI Oviedus maximum hujus animalis corpus binorum palmorum cum semisse longitudinem superare neget, majora tamen videre memini, nisi corporis dumtaxat truncum sine capite & cauda (ut puto) intelligat. Variæ autem magnitudinis est animal, pro ætatis ratione: etenim quinque aut sex videre mihi contigit diversæ omnia magnitudinis, è quorum majoribus unum elegans & benè integrum habebat Cl. V. D. Petrus Pawius primarius Artis Medicæ Professor in Academia Lugdunensi apud Batavos, mihique mutuo dabat, ut ejus historiam describere possem, & iconem in tabella exprimendam curarem, quæ hìc adponeretur.



Yvana. HABEBAT porrò ab extimo rostro sive ore ad extremam caudam (quæ tamen non integra, sed mutila) trium pedum cum semisse longitudinem: corporis ambitus tredecim unciarum erat, tota cutis partim cineracei, partim fusci coloris, veluti squamis tecta, in dorso quidem, cruribus & caudæ initio, majoribus, in ventre autem minoribus: caudam ab ejus initio ad dimidiam partem squamæ serie quadam ambiebant, ut quarta quæque series ex majoribus squamis constaret, deinde reliquæ ad ejus extremum æquales essent & majoribus similes: à cervice ad extremam caudam, series planarum sed mucronatarum serræ instar spinarum, secundum dorsi longitudinem porrigebatur: caput tres uncias longum, & quibusdam squamis tectum, oris rictus binas: magnos oculos habebat (qui in icone non fideliter expressi, quemadmodum nec squamarum ordo & series toto corpore) & binas nares pronâ & ferè extremâ capitis parte: singulæ mandibulæ utrimque singularem exiguorum dentium ordinem habebant, numero viginti sex aut viginti septem, paullò acutiorum in superna mandibula: ponè caput in utroque latere foramen habebat instar branchiarum in piscibus: sub mento palearia sive ingluviem ad pectus usque propendentem habebat: quatuor cruribus erat præditum squamosos pedes habentibus, quorum bina anteriora breviora & minùs crassa erant posterioribus, & eorum pedes minores, quinos breviores digitos habentes, interiorem & exteriorem binis articulationibus constantem, duos illis proximos tribus, medium quatuor: omnium ungues breves & nigri erant: posteriora

riora autem crura anterioribus longiora & crassiora, pedes etiam paullò majores, quinos similiter digitos habentes, quorum interior brevior binisque duntaxat articulis præditus, illi proximus tribus, tertius quatuor, quartus, qui longissimus, quinque, postremus exterior, etiam quatuor, paris cum tertio longitudinis, omnium similiter ungues nigri, & longiores quàm in anterioribus pedibus: posteriorum etiam crurum singulæ coxæ, à poplitis parte genu proxima ad inguina usque, serie quadam veluti cotyledonum, numero viginti trium, erant insignitæ, quo facilius, ut arbitror, arbores scandere posset. Verumtamen non omnia hujus generis animalia ejusmodi vestigia habent: nam è binis quæ apud ornatissimum virum Christianum Porretum videbam, majus æqualis cum descripto erat longitudinis, in ejus tamen coxis posterioribus nulla cotyledonum vestigia extabant: at in minore, quod elegantissimi & veluti argentei erat coloris, vestigia quidem illa observabam, sed longè minora & pauciore numero, nempe quatuordecim in singulis interioribus posterioribus coxis: an verò eâ notâ mas à femina distinguatur, ignoro: in majore enim Porreti, cotyledonum vestigiis carente, ingluvies illa in gutture propendens non apparebat, minus autem eam habebat: quemadmodum & illa Yvanæ pictura, quam Iacobus Plateau mittebat, cujus longitudinem & crassitudinem ex filo quo animal à se adservatum dimensus erat, majoris, cujus historiam dedi, longitudini & crassitudini prorsus respondere comperiebam.

Ceterùm inter Recentiores qui hujus animalis meminerunt (veteribus enim ignotum fuisse arbitror) neminem legere memini, qui ejus exactiorem descriptionem dederit quàm Consalvus Ferdinandus Oviedus. Is enim cap. III. libri XIII. Historiæ Generalis & Naturalis Indiæ Occidentalis Yvanam describit his verbis, quæ, Latinè reddita, sic habent.

YVANA animal dubium est, & caróne sit, an piscis, incertum: nam & in fluminibus versatur, & arbores scandit. Eam ob causam dubius sum terrestriáne inter animalia, an inter aquatica reponere debeam. Serpentis autem genus est horribile aspectu, ei qui non agnoscat: pedes lacerti habet, caput etiam ejusdem formæ, majus tamen: caudam quatuor aut quinque palmos longam, vel longiorem, aut breviorem, pro corporis ratione: majoris corpus binos palmos cum semisse longum est, palmum aut paullo ampliùs crassum: pauca ex hoc animalium genere eam magnitudinem superant: eorum autem quæ infra eam magnitudinem, magna est varietas, sic ut parvis lacertis pares quidam reperiantur. Secundum dorsi longitudinem spinam habent dentatam & aculeis præditam: dentes acutissimos, & guttur satis longum & amplum, à mento ad guttur usque propendens. Adeò taciturnum est hoc animal, ut neque strideat, neque gemat, imò quocumque etiam loco alligatum nullum strepitum edat, aut cuipiam noceat, sed istic decem vel etiam viginti dies sine cibo & potu hæreat: si tamen præbeatur, aliquantulum edat vel ex cazabi (placentæ id genus est ex yucæ radice factum) aut herba aliáve re quapiam. Anteriores pedes longi sunt, longis etiam unguibus præditi, quales avium ungues, sed infirmis, ut nihil apprehendere possit. Melioris est saporis, quàm blandi aspectus: ejus enim facies adeò est horrifica, ut nemo, nisi generoso animo præditus, expectare audeat: nemo contrà ab ejus manducatione abstineat, nisi qui ejus mansuetudinem & bonum saporem ignorat. Hæc autem animalia adhuc pusilla tam celeri pedũ motu per summam aquam fluvios & rivos traiiciunt, ut nec aqua impedire illorum natationem, nec ipsa mergi possint: eam autem natandi rationem observare solent, donec palmum sint longa: nam eam magnitudinem excedentia, per terram infra aquam gradiuntur, quia propter gravitatem natare non norunt. Generant in terra secundùm flumina & torrentes, & quasi assiduè in aqua versantur. Est igitur hoc animal, ut dixi, horribile & terrorem initio incutiens, sed boni saporis, præferendum optimis etiam cuniculis Hispanicis: sic ut Christiani, qui hoc animal semel gustarunt, valde æstimare cæperint, nec pecuniis parcant, quandocumque redimere possunt. Vnam tamen noxam adferunt, de qua multorum querimonias audivi, illis videlicet qui lue venerea aliquando laborarint, si hujus animalis carne vescantur, veteres dolores recrudescere, tametsi jam aliquamdiu sanati fuerint. In Americæ continente vivens, sæpiùs ex hoc animali manducavi, & non contemnendum cibum esse comperi. Eos autem quos meam historiam in his locis legere continget, edoctos volo (si Indi desint quos consulere possint) ut Yvanæ ova frigere volentes, oleum aut butyrum non adiiciant, quia numquam percoquere possent, sed eorum loco aquæ momentum addant: certum enim id esse expertus sum. Vnum porrò animal Yvana pariet quadraginta, aut quinquaginta, vel etiam plura ova, quæ boni sunt saporis, vitellumque & albumen continent, perinde ac gallinacea ova, tenuiore autem testâ sunt prædita, & rotunda, nucisque magnitudinem non superant.

Yvana apud Oviedum.

Yvanæ ova, ut frigenda.

Hujus

Hujus animalis similiter meminerunt plerique alij, inter quos Gomara, Cieça, & Iosephus à Costa.

Franciscus Lopez de Gomara quidem in Mexicana historia, de eo multa scribit, atque addit caudam inflectere & convolvere instar venatici canis, quo lepores persequi solent; insuper hæc animalia pinguescere, si illorum alvus in arena fricetur.

Yguana. Petrus verò Cieça cap. IX. Primæ partis Chronici Peruani. Istorum autem uterque Yguana appellat.

Iosephus à Costa Histor. Natural. & Moral. Indiæ Occidentalis cap. XXXVIII. lib. IV. ejusque carnem longè sapidiorem esse dicit Armadillo carne.

Omnia porrò hujus generis animalia quæ mihi videre contigit, prolixam habebant caudam, eamque in longum protensam, non convolutam.

Sed & Gesnerus hoc animal intelligere videtur in prima figura & descriptione quæ est pag. 357. Nomenclatoris aquatilium animantium.

CAROLI

CAROLI CLVSI ATREBATIS

EXOTICORVM

LIBER SEXTVS.

QVINQVE *præcedentibus Libris, exoticas quasdam arbores, ligna, fructus, cortices, succos, radices, plantas, & nonnulla animalia, quâ potuimus fide, & diligentiâ descripsimus: restabant Pelagicæ quædam plantæ, & alia non vulgaris cognitionis, in Mari & Fluminibus nata, mihiq; maximâ ex parte conspecta; quibus non incommodè, meâ quidem opinione, peculiarem librum (qui Sextus erit earum rerum Exoticarum quas hactenus nobis observare licuit) dabimus.*

ARBVSCVLA MARINA CORALLOIDES.

CAP. I.

PLANTAM marinam, illâ, quam honestus perhumanusque vir, & in sua arte peritissimus, Christianus Porretus pharmacopœus, à quodam circumforaneo redimebat anno à Christi nativitate nonagesimo nono supra millesimum & quingentesimum, majorem videre non memineram, quum eam mihi ostenderet: propterea, meritò arbusculam appellari posse censebam. Nam tres pedes alta erat, & in multos ramos laterales, eosque in anteriorem partem nutantes, divisa: caudex infimâ parte septem uncias in ambitu crassus erat; firmusque & solidus quùm videretur, materiâ tamen quodammodo fungosâ constabat, illaque candicante, & zingiber resiccatum referente: totus caudex cum ramis, innumeris tuberculis resperſus erat, ipsique rami in majuscula tubera desinebant, intùs fungosa, & seminum, inanium tamen, speciem, in cavernulis continentia, externè autem orbicularibus notulis, lapidis stellaris instar distincta. Tota planta, sive veriùs arbuscula, tenui quidem, sed grumoso cortice tecta erat, eoque rubri coloris, ut minio inducta videretur, qui an ascititius fuerit, ignoro: adeò autem salsi saporis erat tota arbusculæ cum suo cortice substantia, ut merum sal referret. E quo porrò mari fuerit eruta, me latet, & an scopulo alicui innata esset, an in imo maris fundo crevisset, certi quidpiam proferre non possum: nam ejus truncus integer non erat, sed imâ parte recisus. Ejus tamen, qualem conspiciebam, iconem in tabellâ exprimendam curabam, quæ Lectoris oculis proponeretur.



Arbuscula marina Corallij facie.

VERVM illâ longè majorem, post aliquot menses eodem anno accipiebat è Norwagia


Arbuſcula marina altera.

Cl. V. Petrus Pawius Medicus ac Profeſſor in Academia Lugduno-Batava, miſſam à Doctiſſimo viro Henrico Hoiero Bergenſi Medico. Etenim tametſi integra non eſſet, ſed infimâ parte mutila, ut præcedens; ſex tamen pedum altitudinem habebat, aut ſuperabat, totaque plana erat, & ſemipedem dumtaxat lata, binas verò uncias ſpiſſa: vbi autem in ramos dividebatur, magis craſſa: rami inferiores, cubitales erant, iique in plures alios diviſi, & frequentibus tuberibus obſiti. Tota arbuſcula fungoſâ materiâ conſtabat, eâ tamen firmâ, & veluti candicante cute obductâ; ut mihi ſuſpicionem iniiceret, rubedinem illam in præcedente non fuiſſe nativam: ſalſo guſtu prædita erat, & ferinum quidpiam redolebat. Ea porrò in rectam formam non aſſurgebat, ſed in unam partem nutabat (inſtar omnium arborum marinâ aurâ afflatarum) quaſi undarum fluctibus afflicta fuiſſet: nam in aliquo ſcopulo ſub undis latente natam arbitror; licet qui mittebat, nihil adſcripſiſſet.

Frutex marinus elegantiſſimus.

Cap. II.

Elegantissimo huic Frutici marino ſecundum locum ab Arbuſcula marina in hoc Exoticorum libro Sexto dare, & ei quodammodo congenerem aliam marinam plantam (de qua proximo capite) præcedere volui. Videbam autem Amſtelredami, anno à Chriſti nativitate ſexcenteſimo tertio ſupra milleſimum, quaternos aut quinos ejuſmodi frutices, magnitudine quidem diſpares, ſed omnes illo ipſo anno à Batavis nautis ex India Orientali relatos. Eum porrò qui inter illos omnium minimus, quòd integrâ & magis perfectâ formâ eſſet, & ad delineandum commodior videretur, mutuò mihi concedebat honeſtiſſimus vir Petrus Garetus, ut ejus iconem in lignea tabella exprimendam curare, & fruticis hiſtoriam deſcribere poſſem, quam hîc propono.



Pedem autem & ſeptem uncias longus ſive altus erat hic frutex, & tredecim unciarum amplitudinem habebat, quâ parte latiſſimus: trium verò pedum & decem unciarum erat ejus ambitus; durus prorſus & lignoſus, atque valdè planus flabelli inſtar, in ternos aut quaternos craſſiuſculos ramos diviſus, à quibus innumeri alij tenuiores ramuſculi exoriebantur, in longum & latum ſe ſpargentes, adeò miro ordine, ut ſimul quodammodo coaleſcerent, vacuaque tantùm quædam ſpatia relinquerent, cribri aut reticuli maculas imitantia. Integer frutex purpuraſcente colore obductus fuiſſe videbatur, quem deinde ſalſuginoſa candida materia obduxiſſet, ut ex infima fruticis parte & aliis quibuſdam locis, à quibus ſalſugo deterſa erat, apparebat: illam verò ſalſuginem creberrimis iiſque valdè exiguis foraminulis tamquam acu impreſſis, tam affabrè tantoque artificio elaboratam conſpicere licebat, præſertim in minutioribus ramulis, ut nullum opificem imitari poſſe mihi perſuadeam: ſed quum in adeò exiguo ſpatio, cujus capax eſt lignea tabella, illam elaboratam ſalſuginem pictor exprimere non poſſet, iſtum fruticem nudum & ſine ſalſugine delineare coactus eſt, ut ramulorum tenuitas faciliùs obſervari & conſpici poſſet. Latam autem habebat ſedem, quâ ſcopulo inhæſerat ſub marinis aquis, ex qua binæ aut ternæ aliæ adnatæ plantæ, ſive potiùs rami abrupti fuiſſe videbantur. Ejus materies adeò dura, ut vix cultello ſcindi poſſet. Nautæ corallium appellabant; ſed ad Palmæ marinæ à Theophraſto deſcriptæ genus aliquod, veriùs referendum eſſe arbitror.

Reliqui quos videbam frutices plani etiã & ex ſimili materia cõſtabant, nec minùs dura, ſimiliqúe

similique etiam salsugine tecti erant, minore tamen artificio elaborata. Horum unus adeò amplus, ut viginti octo uncias, sive binos pedes & quatuor uncias longus esset, ejus ambitus plus quàm septem pedum. Alter semisse pedis eo longior erat: ejus ambitus cum illo quidem par; sed illius forma minùs elegans, quia unius lateris magna pars vel recisa, vel abrupta. Tertius utroque illo minor, major tamen eo cujus historiam dedi, sed multis locis corruptus. Quartus prorsus inelegans, & cum aliis nullâ ratione comparandus.

Planta marina retiformis.

Cap. III.

PLANTAM quandam marinam ex America advectam anno à nativitate Christi, nostri redemptoris, nonagesimoseptimo supra millesimum & quingentesimum mittebat ad me ornatissimus idemque humanissimus vir Simon Parduynus, Consul Medioburgensis in Walachria Zelandiæ, valdè raræ formæ. Nam instar virgulti lignosa erat, prorsus tamen plana, in frequentes ramos, eosque etiam planos, sparsa, ex quibus in longitudinem & obliquè exibant multi nervi retis instar ferè contexti, adeò firmi, ut ex æreo filo conflati viderentur, lumini tamen oppositi glutinis substantiam veriùs referrent. Tota planta cubito longior erat, prorsus ut dixi plana, & multis maculis, retis instar, pertusa, subrubescens, quadam tamen salsugine multis locis infecta; extimâ parte fermè pedem lata, infimâ verò palmum: sed ea non integra; nam ex utroque latere plurimum abruptum fuisse apparebat: salsus ejus sapor. Cui rei innata fuerit, mihi non liquet, ut cujus infima pars confracta esset: verisimile tamen scopulo aut lapidi innatam, corallij modo: Nam triennio pòst similes conspiciebam Amstelredami in museo cujusdam civis, quarum infima pars plana erat, ut quæ scopulo adnata fuisset. In Americano autem Oceano natas aiebat. *Planta marina retiformis.*

Quercus marina Theophrasti.

Cap. IV.

MARINÆ Quercus Theophrasti descriptionem ad calcem cap. XIII. lib. I. meæ Rariorum Plantarum Historiæ, ex ipsius Auctoris cap. VII. lib. IV. Historiæ Plantarum desumptam, adiiciebam, innuens me aliquot ejus plantas in meis peregrinationibus observasse, & plurimas, easque variæ magnitudinis & diversi coloris apud Imperatorem Maximilianum ejus nominis Secundum conspexisse, quæ ad Theophrasti descriptionem proximè accederent. Verùm quum illius iconem tum exhibere non licuerit, & nunc unam plantam nactus fuerim à doctissimo & modestissimo juuene Ioanne de Laet, Ioannis F. in Occidentali Oceano erutam, quam mihi mutuo dabat ut describere possem, eâdem operâ illam exprimendam in tabellâ curabam, ut in hoc cap. IV. libri V. Exoticorum locum obtineret.



PEDALIS autem illa erat longitudinis, in multos eosque planos ramos expansa, quemadmodum in pelagicis plantis magnâ ex parte observare memini, & illos deinde in plures alios minores divisos, multisque tuberculis quaquaversum obsitos, ut myricæ sive cupressi veriùs foliorum formam & exactiùs referrent, quàm alterius alicujus plantæ; coloris purpurei saturi, qualis ferè conspicitur in vini rubri fæcibus; salsi prorsus saporis. Ipsa fruticis materia *Quercus marina Theophrasti.*

dura & lignosa erat, imò quasi cornea aut saxea. Confracta porrò infimâ parte hæc planta, ut, saxóne, an ostraceæ testæ innata fuerit, nihil affirmare possem: plurimi etiam rami in inferiore fruticis parte abrupti erant.

Frutex marinus Ericæ facie.

CAP. V.

MARINVM hunc fruticem, quem non incommodè Ericam marinam appellari posse arbitror, mittebat ad me anno à Christi nativitate millesimo quingentesimo nonagesimo septimo Doctissimus vir Henricus Hoierus, Bergensis in Norwagia Medicus: cujus Ericæ effigies in sequente tabella expressa.



Erica marina. ERAT verò is frutex cubitalis aut amplioris altitudinis, statim ab infimo in frequentes ramos assurgens: atque illi denuò in minores alios divisi erant; interdum simul coalescebant, ut in plerisque plantis in mari nascentibus evenire solet: tenui cortice tegebatur, terrestrisque coloris erat. Totus porrò frutex planâ formâ excreverat, & in sesquicubitalem latitudinem expansus erat. Omnes autem rami tamquam quibusdam tuberculis erant obsiti; sed minores longè frequentioribus & majoribus (quod pictor per supinam quandam negligentiam non observavit) ut tamquam flosculorum gemmis ornati viderentur, quæ trita in tenuissimum pollinem resolvebantur. Tota alioqui planta lignosa & dura erat, atque lapidi aut scopulo innata fuisse videbatur, salsi saporis, ut quæ in Oceano natæ plantæ.

Planta marina Resedæ facie.

CAP. VI.

HANC marinam plantam, quam fruticem sive suffruticem appellare licet, nanciscebar Amstelredami anno à Christi nativitate millesimo sexcentesimo primo; quem propter formam diversam ab aliis fruticibus marinis quos antè conspexeram, & describendum, & ejus iconem in tabella exprimendam censebam, quæ adponeretur.




TOTVS lignosus & durus erat hic frutex, non secus ac Erica fruticans, salsâ & albâ materiâ obductus, sesquipedalis altitudinis, non tamen integer, sed infimâ parte fractus, in decem vel plures ramos inæqualiter & nullo ordine nascentes divisus, quorum aliqui abrupti: qui supererant, toti tecti erant exiguis quibusdam vasculis rugosis deorsum propendentibus, coloris ex albo cineracei, Resedæ vasculis, quæ semina jam matura continent, non valdè dissimilibus, longè tamen minoribus, & infimâ parte, ut plurimum connexis ipsis ramulis, quæ vacua & valdè fragilia, ut quæ digitis attrita, facilimè in pulverem resolvebantur, salsi admodùm saporis. *Planta marina Resedæ facie.*

Quo in mari erutus fuisset hic frutex, intelligere non potui, quia nautas qui retulissent, convenire mihi non contigit; & qui redimunt, ista minimè curant.

Planta saxea Ἀβροτονοειδής.

CAP. VII.

ALIAM elegantem plantam marinam, quum Amstelredami anno à Christo nato sexcentesimo primo supra millesimum essem, mihi donabat cum aliis quibusdam rebus exoticis, honestissimus vir Walichius Syvertz ejus urbis pharmacopœus, cujus in his commentariis aliquoties fit mentio, illo ipso anno à Batavis ex Orientalibus regionibus delatam. Illius autem iconem in tabella, me curante, expressam, dignam censebam quæ hîc adponeretur.



Planta saxea ἀβροτονοειδής.

ERAT porrò ea planta tota lapidea, pedalis ferè altitudinis, in multos ramos divisa, qui deinde in frequentes alios minores sese spargebant, elegantissimo spectaculo, & illos quidem Abrotoni feminæ (à nonnullis Chamæcyparissus Plinii existimati) foliorum formam pænè referentes: nam brevibus tubulis instar minutissimorum foliorum constabant, quadam serie, ut illa, dispositis, sed magis multiplici, quia pauci quaternis, plerique quinis, senis & septenis, interdum etiam pluribus ordinibus compacti erant: in crassioribus autem ramis, qui quodammodo candicabant, ferè attrita erant illa folia, ut dumtaxat foramina relicta apparerent tamquam foliorum tubulatorum vestigia: extremi verò ramuli, qui leviter purpurascebant & quasi in mucronem definebant, tubulata illa conservabant integra: ipsa plantæ substantia dura & candida, salsum saporem, utpote in mari nata, retinebat: è saxis enim in imo mari jacentibus abruptam fuisse arbitror. In unam porrò partem inclinabat, eaque parte quâ procumbebat, candidior erat illâ quæ prona sursum spectabat: nonnulli autem ex procumbentibus ramis simul coaluisse deprehendebantur; sursum verò erecti, minimè, ut ex icone in tabella expressa conspicere licet.

Hippuris saxea.

CAP. VIII.

Hippuris saxea.



MIHI ostendebatur hæc venusta planta marina Amstelredami, anno à Christi nativitate primo supra millesimum & sexcentesimum, à perhumano viro Ioanne Langhe Cheirurgo Amstelredamensi, qui etiam illius ramo pedalis ferè longitudinis ab ipsa planta abrupto me donabat: quem in subjectâ tabellâ exprimi curabam, Lectoris oculis proponendâ.

TOTA planta in unam partem inclinabat, ut pleræque pelagicæ plantæ solent, & prorsus saxea apparebat, in imo mari scopulo aliquo, ut videbatur, adnata, cujus fragmentum infimâ parte adhuc retinebat. Ex Orientali Oceano allata ferebatur, eratque viginti uncias longa, & in multos graciles ramos divisa, ac frequentibus nodis & articulis distincta. Candicabat porrò tota, singulíque articuli striati & veluti canaliculati erant, ad singula verò genicula sive nodos, graciliores & fusci, splendentis tamen coloris, ut etiam singuli articuli (qui interdum uncialis longitudinis, magna verò ex parte semunciales aut breviores erant) fusco aliquo glutine connexi viderentur. Interior autem plantæ pars lignosa erat, quemadmodum ex abruptis quibusdam articulis conspicere licebat.

Eschara κοραλλιοειδής.

CAP. IX.

Eschara κοραλλιοειδής.

LAPIDEA hæc plantula, in sex aut plures ramos divisa, Brassicæ Cypriæ cerebro non valdè dissimilem formam habebat, tota solida, candida, & in varios ramulos creberrimis foraminibus distinctos divisa, valdè eleganti aspectu. Christianus Porretus Amstelredami redimebat cum conchyliis & aliis rebus exoticis, ut museum, quod habet instructissimum, tanto locupletius redderet. Videbam postea apud alios similes, vel etiam majores.


Fungi lapidei.

CAP. X.

Fungi saxei marini.

VT in terra, sic etiam in mari fungi nascuntur: at hi non molles, sed lapideâ duritie præditi, quorum tria genera, partim in Indico mari, partim in Nilo eruta, ut mihi referebat civis quidam Amstelredamensis, apud quem eos anno à Christi nativitate millesimo sexcentesimo conspiciebam, in ipsius museo multis similibus rebus exoticis instructo.

E majoribus porrò qui è mari eruti, nullum exprimendum curabam, quia nulla apparebant pediculi, qui eos sustinuisset, vestigia. Sed quem dicebat in flumine Nilo natum, dumtaxat tamen majorem, quia integer, & alium prætereà minorem & magis contractum, in duabus tabellis, ipso permittente, exprimi curabam, & majoris quidem pronam & supinam partem in prima tabella, quæ hîc adposita; minorem, in altera.



In Nilo natus, decem unciarum habebat circumferentiam, ejus diameter tres vnciæ cum semisse: totus autem saxeus erat & candicans, supernâ parte, ab umbilico ad circumferentiam, multis profundis striis, obliquè quodammodo excurrentibus ornatus, infernâ autem, minùs elatis striis, iisque asperis & quodammodo echinatis erat præditus, quæ à circumferentia ad pediculum productæ desinebant, quâ videlicet parte magis fuscus erat: pediculus ejus brevis & crassiusculus, qui à scopulo aut petrâ abruptus videbatur. *Fungus saxeus Nili major.*



MINORIS, qui compressus, floris formam quodammodo exprimebat, circumferentia & ambitus (qui valdè sinuosus) sex unciarum erat; diameter, in longitudine duarum cum semisse, in latitudine autem, unius aut paullò plus, & quia in floris quodammodo formam assurgebat, altitudo pænè duarum unciarum erat, ab extremo orbe descendendo sensim gracilescens: pediculum habebat brevem & crassiusculum: striæ quæ externâ parte à pediculo ad circumferentiam excurrebant, non erant valdè conspicuæ; quæ autem in parte internâ, profundiores & magis conspicuæ, simul etiam in medio coëuntes, quemadmodum ex icone in tabella expressa conspicere licet. *Fungus saxeus minor.*

Spongia elegans.

CAP. XI.



ELEGANS Spongiæ genus apud doctissimum & humanissimum virum Davidem Sinapium Amstelredami conspiciebam anno reparatæ Salutis humanæ millesimo & sexcentesimo: cujus etiam formam meo rogatu ipse delineari curabat, & ad me mittebat. Illius deinde iconem in tabella exprimi jubebam, in eorum qui exoticis rebus delectantur gratiam.

INHÆREBAT porrò spongia adhuc suo saxo, eique durissimo & nigro, quod duodecim libras pendebat. Ipsa autem spongiæ forma quasi infundibulū imitabatur, aut floris imaginem exprimebat: nam tota cava erat, & infimâ parte quâ saxo inhærebat, valdè angusta; deinde sensim sese attollens, expandebatur, inæqualiter tamen, quum uno latere ad novem unciarum altitudinem dumtaxat assurgeret, adverso autem, ad undecim uncias pertingeret: oræ inæquales erant & sinuosæ, in interiorem partem interdum adeò reflexæ, ut *Spongia elegans.*


foliorum formam quodammodo exprimerent: amplitudinis diameter supernâ parte tredecim erat unciarum cum semisse: exteriore parte lobum, quasi foliolum adnatum habebat, interiore verò bina foliola instar calycum formata: totâ autem materiâ vulgares spongias referebat. Longè quidem majores videre memini, sed informes: unam tamen, quum Mompellii viverem, tempestatibus ejectam in maris littus supra Peraul conspiciebam, quæ amplissimi petasi formam exactissimè imitaretur.

Alcyonium.

Cap. XII.

Tria Alcyonii genera non vulgaria, dum hanc Exoticorum Historiam scribere adgrediebar, conspiciebam; quibus locum ut darem in hoc Sexto libro, operæpretium esse judicabam. Prioris autem & Secundi dumtaxat icones, quia singularis formæ, in binis tabellis, quæ hîc adponerentur, exprimendas curabam.





Primvm, quod inter Alcyonii genera referendum arbitror, mittebat ad me Simon Parduynus Consul Medioburgensis supra memoratus, anno à Christi nativitate nonagesimo septimo supra millesimum & quingentesimum, ex America, ut adscriptum erat, relatum. Id autem erat monstrosum & valdè admirabilis formæ, quia cervina cornua cum cranii, cui adhæsissent, parte, quodammodo referebat, in varios ramos sparsa, infernâ parte denso corpore & crasso, spongioso tamen, & retinente scopuli, cui adnatum fuerat, & inhæserat, fragmenta: cornua ipsa sesquicubitalis erant longitudinis, & palmaris aut amplioris crassitudinis, in varios ramos satis crassos sparsa, cavos tamen, & spongiosâ, rudi, crassaque materiâ constantes, ac veluti reticuli instar compositas, ut lumini oppositi, transparentes essent & pervii; color ad spadiceum tendens: ramulorum nonnulli singulares erant, quidam etiam gemelli, & ex parte interdum coalescentes. Sapor valde salsus erat; nam illo ipso anno è mari erutum. Pictor in icone exprimenda, negligenter suo officio functus est.

Alcyonium monstrosum.

Altervm, quod à Iacobo Gareto anno à Christo nato nonagesimo quarto supra millesimum & quingentesimum accipiebam, mirandæ etiam erat formæ. Nam cheirothecam in quatuor lacinias digitalis longitudinis, easq. cavas & inanes, ac veluti tuberibus cineracei coloris exteriore parte obsitas, sectam, valdè referebat: interiore verò parte læviores,

Alcyonium cheirothecæ facie.

viores, & multis exiguis foraminibus prædita. Tota planta (si hac appellatione eam donare convenit) spongiosæ quodammodo naturæ erat, & levis admodùm: ejus sapor non valdè salsus, ut diu adservatam esse, & temporis diuturnitate salsedinem exuisse credendum esset. Scopulo, aut saxo inhæsisse videbatur: nam sedes plana erat. Cum secundo autem Alcyonii genere à Dioscoride descripto, nonnullam affinitatem habere videbatur.

TERTIVM, quod ad Quinti generis à Dioscoride descripti speciem aliquam referri posse existimo (nisi quis ad Tertium genus Spongiarum referre malit, cujus meminit Cl. V. Gulielmus Rondeletius libro de Insectis & Zoophytis cap. xxx. quodque densissimum, spissum, validum, cinereum, Alcyonio tam simile, ut vix discrimen agnoscas. Hoc enim fistulosum non esse ait, sed sæpiùs cavitatem unam & eam amplam habere) Illo majus videre non memini, mihique ostendebatur Amstelredami anno reparatæ salutis humanæ millesimo sexcentesimo, à Davide Sinapio supra dicto, qui illius etiam dimidiam partem per longitudinem sectam mihi liberaliter donabat. Crassitudine porrò longitudinem valdè superabat: nam quum octo dumtaxat uncias & semissem longum esset, crassitudo in medio corpore decem & sex uncias ambitu continebat, in extremis autem partibus pænè duodecim: ipsa enim forma prorsus inæqualis erat, modò in dorsum assurgens, modò in multas lacunas depressa: totum autem Alcyonij corpus cineracei coloris crustâ tectum erat: interna pars, fungosâ, sive spongiosâ quadam materiâ constabat, & frequentibus lacunis erat prædita, salsiq. admodùm saporis, acrimoniæ etiam particeps: nam illius supra candens ferrum resiccatæ pulverem, si cuti adfricaretur, non modò magnum pruritum excitare, sed etiam valdè mordicare & urere experiebar, non secus quàm aliorum Alcyonii generum, quæ multis antè annis in Galliæ Narbonensis maritimis collegeram, dum Mompellii vivebam, pulverem observaveram.

Alcyonium ingens.

Doctissimus vir, & in sua arte peritissimus Ferdinandus Imperatus, in eo opere quod Italico sermone conscripsit, cuique Naturalis Historiæ appellationem dedit, aliquot Fuci, Spongiæ, & Alcyonii genera elegantia atque exotica, cum aliis plerisque rebus peregrinis exhibet: præsertim verò XXVII. liber ejus operis consulendus; continet enim plurima ad hanc materiam pertinentia, ex suo ditissimo Promptuario desumpta.

Cancri gramen depascentes, & quodammodo terrestres.

CAPVT XIII.

IN deserta illa insula, ad quam Generosus Franciscus Drake cum suis comitibus, Tarnate relictâ, aquationis causâ appellebat: quum densas silvas ingressi essent, plurimos majores cancros, tum prægrandes cammaros inveniebant gramen depascentes, & in arborum vento disjectarum cavis, aut sub ipsis arboribus latitantes; quibus coctis & elixis, famem eos jam prementem per multos dies, avidè explebant. Illos autem, præter aliorum cancrorum morem, in sicco perpetim versari existimabant: nam quùm plurimos, eo tempore quo in insula versabantur, aliquoties ad mare deferrent & in aquam abiicerent, subitò effugere, & ad solita pascua regredi observabant.

Cancri terrestres.

Sita autem erat ea insula, ipsis referentibus, sub ipso Æquatore, inter Iavam & Moluccas, nomine quidem ipsis ignota, sed quam à cancrorum istic repertorum maximâ abundantiâ Cancrorum insulam appellârunt.

Cancrorum insula.

An porrò isti cancri, ex illorum sunt genere, quorum meminit Ioannes Lerius cap. XI. Americanæ suæ Historiæ: quosque terrestres esse, & *Oussa* ab indigenis appellari, marinis macilentiores, & minùs grati saporis, atque sua cubilia sive antra sub arborum radicibus habere scribit?


Oussa.

Cancer Molluccanus.

CAP. XIV.

VALDE admiranda ejus Cancri forma, quem, curante Cl. V. D. Everhardo Vorstio, publico in Academia Lugduno-Batava Artis Medicæ Professore, resiccatum conspiciebam anno à nato Christo sexcentesimo tertio supra millesimum, & in adposita tabella exprimi curabam.

Cancer Moluccanus.



PERPOLITAM autem habebat is testam, eamque versicolorem, in qua lumini opposita, observarentur in fusco mixti colores flavescens & rubescens. Constabat verò ea testa duabus partibus, anteriore & posteriore, inter se quadam cartilagine connexis: anteriore quidem breviore & angustiore, ut quæ tres dumtaxat uncias longa, quatuor lata esset, ubi amplissima: posteriore autem longè majore, quatuor videlicet uncias cum semisse longâ, septem cum semisse latâ. Utraque pars in dorsum instar fornicis assurgebat, posterior tamen magis quàm anterior, & veluti in eminentiores tres divisiones brevibus quibusdam aculeis præditas distincta: quâ etiam anteriori parti connexa erat, magis eminens, & brevibus quibusdam aculeis munita, deinde in lunata quædam cornua se spargens, ad longos usque anterioris partis aculeos pertingentia, dentata utrimque & in firmam spinam desinentia, circa verò connexionem asperis quibusdam villis obsita: mediâ quasi parte testæ, in dorsi lateribus orbiculatæ quædam conspiciebantur eminentiæ, oculorum pænè formam referentes, duræ tamen & testaceæ. Anterior porrò testæ pars, quâ posteriori connectebatur, tres uncias lata erat, quatuor autem (ut suprà dicebam) ubi amplissima, extima binas solummodò, eaque in tres breves aculeos, æquali spatio inter se distantes, desinens: ad medium aculeum, adnexum habebat non exteriori testæ adhærens, sed quadam articulatione sub ipsa testa triangulare cornu, septem uncias longum, angustum & mucronatum: supremus in prona aculei parte angulus, brevibus aculeis instar serræ erat obsitus; supina ejus pars lævis & carinata: anterioris partis testæ latera septem aculeis, præter extimum, erant munita, & sex firmis, planis, & acutis spinis unciam longis, spadicei coloris & hirsutis inter extimum & septimum aculeum prodeuntibus donata: mediâ pronâ parte sex angustarum lacunarum, quasi cultri mucrone impressarum, bini ordines apparebant, quibus internâ testæ parte totidem plana ossicula, veluti abruptarum costarum fragmenta, respondebant.

Totum ipsius animalis corpus siccitate contractum & vetustate magna ex parte corruptum erat: decem autem pedes habuisse videbatur; quorum priores, an chelas habuerint, ignoro, nam nulli integri præter postremos, qui sex articulis constabant. Omnes oriebantur ex majore sive posteriore testa; atque adeò arctè conjuncti erant, ut cultelli mucronem non admitterent, sed statim ad primum articulum coaluisse viderentur: anteriores pedes, qui an chelæ, ut dicebam, fuerint, ignoro, statim à sede inferioris articuli, ex ipsa articulatione latam appendicem producebant, fraxini semini non valdè dissimilem; atque ante illos binæ ferè similes appendices exoriebantur: hirtæ, breves, ad primi sive infimi articuli summum vix pertingentes: octo reliqui pedes, superiori infimi articuli parti appendices etiam adnexas habebant, breves, crassas, aculeatas, utrimque in unum quodammodo coëuntes: secundi articuli aliquot similiter aculeis donati: postremos pedes subsequebantur exiguæ chelæ tribus articulis constantes, adeò breves, ut ad tertium posteriorum pedum articulum vix pertingerent. Quâ anterior testæ pars posteriori connectebatur, ex ipsa connexione subhirsuta quædam cartilago oriebatur, unciam cum semisse longa, binas cum semisse lata, deinde aliæ paullò minores ad singula illa plana ossicula, veluti abruptarum costarum fragmenta: sed omnes præter primam commemoratam, & huic proximam, adeò corruptæ, ut ossicula dumtaxat conspicerentur; nullis vel capitis, vel caudæ vestigiis apparentibus. Ea autem anterioris testæ pars, in qua ortum habebat oblongum illud triangulare & mucronatum cornu, concava erat, & quasi fornicata, unciamque longa, binis veluti denticulis planis & in extimo acutis introrsum spectantibus donata, ad quam usque pertigisse videbantur cartilagines suprà memoratæ.

Qui Cancrum istum Doctori Vorstio commodabat, ut mihi ostenderet, Ioannes à Wolfs-

Wolfs-Winckel Canonicus regularis, circa Moluccas insulas captum esse, & ante biennium ab iis qui ex illa navigatione redierant se accepisse asserebat.


Hæc porrò sunt quæ de admirandi hujus cancri forma observare mihi licuit, quæ benevolum lectorem boni consulturum confido. Ad nullum autem genus eorum, quorum historiam Cl. V. Gulielmus Rondeletus lib. XVIII. de Piscibus descripsit, referri posse videtur, nisi quis notas aliquas communes habere censeat cum ejus Paguro. Veteribus tamen prorsus ignotum fuisse arbitror: alioqui propter tam insignes & non vulgares notas quibus præditus est, haud neglexissent.

CETERVM illo ipso anno, apud Cl. V. Doctorem Petrum Pauwium, publicum in eadem Academia Artis Medicæ & Anatomes professorem, admirabilis etiam formæ Cancri testam videbam, eam quidem non integram, sed magna ex parte confractam, duram & solidam, internâ parte albam, externâ dilutè rubentem, & variis locis, albis quibusdam maculis, serie quadam servatâ, conspersam. Quinque autem uncias longum erat fragmentum, ab ipsis oculis ad extremam usque partem; sex latum, & in fornicem elatum; utroque latere ternis firmis spinis sive aculeis præditum, quarum prima paullo longior: supra oculos emergebant aliæ crassæ spinæ, binas uncias longæ, firmæ, perinde ut testa versicolores, ex albo & rubro videlicet coloribus mixtis, nigricante mucrone, quemadmodum & reliquarum, antrorsum spectantes, & ad cornuum similitudinem anteriùs incurvæ, quas quatuor aliæ subsequebantur, ex utroque latere binæ, quarum quæ cornibus proximæ, alias longitudine superabant, deinde infra illas ex utraque parte quatuor tubercula veriùs quàm spinæ, inter quæ, quemadmodum etiam inter spinas, sparsa erant multa vestigia, pilorum, quæ inhæserant, ut verisimile est, sedes: ante cornua, & quasi sub ipsis, prominebant magni crassique & unciam longi oculi testacei, versicolores, ad testæ & cornuum similitudinem, in latera spectantes, extimâ parte, in quâ acies fuerat, nigri: à cornibus sive spinis illis incurvis supra oculos eminentibus, ortum sumebat planum, ternasque uncias longum rostrum, unciam cum semisse latum, anteriore parte magis angustum, quodammodo carinatum, in quo quaternæ eminebant spinæ, utrimque geminæ, æquali spatio ab invicem discretæ, quarum anteriores paullo longiores, & in earum lateribus frequentes confertimque nascentes breves pili candicantes: extimum verò rostrum, quod abruptum, valdè angustum curvumque fuisse videbatur. Et hæc quidem de hujus testæ fragmento; quam si integram, & ipsum Cancri corpus videre licuisset, ejus accuratiorem historiam dare potuissem. Benevolus autem lector boni consulat quæ propono. *Cancri alterius admirabilis testa.*

Mytulus Conchifer.

CAP. XV.

QVANDOQVIDEM Cancrorum mentionem fecimus, præter institutum non erit, si Mytuli genus quoddam non vulgare illis subiiciam. Hanc autem Mytuli concham anno à Christi nativitate nonagesimo nono supra millesimum & quingentesimum, Amstelredamo ad me mittebat ornatissimus & humanissimus vir Theodorus Coornhart Clementis F. cujus iconem in tabella expressam lectoris oculis proponere volui.



MYTVLVS

Mytulus conchifer.

MYTVLVS igitur, de quo mihi sermo, meâ opinione conchifer non incommodè dici poterit. Is porrò septem uncias longus, & tres (ubi maximè) latus, è Mytulorum vulgo cognitorum, quos Græci μύακες appellant, haud dubiè generibus, nec formâ valdè dissimilis Conchæ longæ à Cl. V. Gulielmo Rondeletio (meo olim hospite, apud quem pænè triennium suaviter vixi) lib. I. de Testaceis cap. XXI. descriptæ: testâ enim erat spissâ & rugatâ, quàm δίθυρον fuisse arbitror, hoc est, duabus patulam conchis, ut Ciceroniano verbo utar, vel, ut Gaza vertit, bivalvam: nam internè cava erat & dorso elato, nigro; cui inhærebant, quoddam balani genus, & vermiculorum tubuli, tum etiam veluti parvi frutices, sex vel septem uncias longi, nonnulli crassiusculi, alii graciliores, valdè ramosi; à quibus dependebant parvæ conchæ, musculis non dissimiles, binis testis, iisque cavis, ut illi, præditæ, quæ hirtis veluti capillis obsitæ, proculdubio incrementum sumente conchâ, etiam paruos frutices generassent, conchas prolaturos.

EXOTICI QVIDAM PISCES.

IAM *ad exoticos Pisces venio, quos vel mihi videre contigit, aut eorum icones coloribus expressas, & à quibusdam amicis acceptas, quum hunc Sextum librum adornabam. Auspicabor autem ab admirabili cetacei generis pisce, qui mihi quidem non est conspectus, sed ejus effigies ab amico missa.*

Cete admirabilis forma.

CAP. XVI.

SVB finem Novembris superioris, ab ornatissimo viro Iacobo Plateau diligente rerum Exoticarum conquisitore, & quibus museum habet instructissimum, Cetacei piscis iconem, quam ex F. Ludovici Granatensis Catechismo excepisse scribebat, accipiebam: eam licet satis negligenter, & ab imperito forsitan pictore, expressam, quia tamen meo argumento serviebat, hoc loco insertam volui, additâ etiam ex Latino Fratris Ludovici exemplari ejus descriptione.



LVDOVICVS igitur (ut paullò altiùs repetam ejus verba) in suo Catechismo, ad finem cap. XXI. libri de Creatione mundi, hæc scribit.

Hoc autem capite declarato quàm admirabilis sit in horum animalium fabrica, æquum est, ut quàm admirabilis sit in majorum quoque animalium fabrica ostendamus; ut facilè appareat, idem esse in omnibus operibus suis: utque intelligatur, jure optimo illum Angelum, cuidam interroganti, quod sibi nomen esset, respondisse, Iudic. XIII. Cur meum nomen interrogas, quod admirabile est? In hanc sententiam possem ego huc adducere duas feras, quarum magnitudinem describit idem Creator cap. XL. & XLI. Iobi sub his nominibus *Behemoth* & *Leviathan*: sic & cete, quæ notissima sunt. Attamen his prætermissis, hîc admirabilem cujusdam piscis magnitudinem referam, qui anno M. D. LXXV. X. Kal. Maii ad *Peniche* jam mortuus in littus, è mari fuit projectus [*sinus is est in Lusitania Occidentem spectante, vicinus illi urbi quæ vulgò* Nova Lisbona *appellatur, circiter septem aut octo miliaribus ab* Vlyssipona *distante, pænè ex adverso ejus insulæ quam* las Berlingas *vocant.*] Hoc nihil admira-


admirabilius visum fuit umquam: erat enim ejus longitudo quadraginta cubitorum: ejus corium in dorso nigrum erat, in ventre album: caudæ verò amplitudo ab extremitate unius pinnæ ad alteram quinque cubitorum erat, & ejus latitudo quindecim palmorum. Corporis crassitudo tanta erat, ut duo homines satis grandes in utroque latere collocati vix se conspicerent: uterque oculus unius cubiti erat longitudine: caput in sublime elatum ferebat ad quatuor cubitorum altitudinem. Os in capite non habebat ut alii pisces, sed in ventre: majores illius dentes singuli erant octo cubitorum: in ore præterea sexdecim habebat dentes, & cujuslibet circuitus erat dimidii cubiti, interstitium verò inter singulos erat unius palmi. Cujus figuram hîc addere volui, quæ ab Henrico, qui sempiterno fruitur ævo, allata fuit. *Piscis admirabilis forma.*

In hujus piscis fabrica, Divinæ Providentiæ artificium animadvertendum est; qui altum fert caput, ut pisces prospiciat, quibus nutriendus erat: sed cùm distantia inter caput & aquam magna esset, ei os in ventre accommodavit, ut vicinius & accommodatius ad piscandum esset, quod oculis jam esset assequutus. Illud quoque audivi, hunc piscem in ventre axungiam ad medendum satis accommodatam & magni pretii habuisse. Hactenus Frater Ludovicus.

Aliud Cete admirabile.

CAP. XVII.

NON sine causâ mihi suspecta esse debet admirabilis illius belluæ marinæ apud F. Ludovicum descriptio: nam quum ea quam exhibet pictura, majores illos dentes, quos octo cubitorum longitudinem habuisse ait, expressos non habeat, per illos dentes mandibulas voluisse dicere verisimile est: nec enim ullius elephantis etiam maximi cornua tantæ magnitudinis umquam conspecta fuisse arbitror: huc accedit, quòd alios dentes sexdecim in ore illi tribuit, ut etiam taceam caput adeò tenue in tanta corporis mole, illudque in sublime elatum. Itaque mihi facilè persuaserim, non valdè absimilem fuisse ei beluæ marinæ quæ anno à Christi nativitate nonagesimo octavo supra millesimum & quingentesimum, in littus occiduum Hollandiæ tempestatibus ejecta fuit; senes Batavi maris accolæ *Pot-walvisch* appellabant. quæ quum fuerit portentosæ etiam formæ & magnitudinis, abs re me non facturum existimavi, si illius genuinam iconem hîc adponerem, deinde brevem historiam adiicerem.



CETERVM, ut ad peculiarem hujus Beluæ descriptionem veniamus, quæ illo quo dixi anno, IV. vel III. Non. Februarii, circiter quartam aut quintam pomeridianam in littus fuit ejecta è regione Berchey vici quondam (ut fertur) decem aut duodecim tuguriorum, inter Scevelingam & Catwicum maritimum, cum tantâ tempestate & maris commotione, ut qui istic aderant se in fugam coniicerent, & sese abderent inter colles illos arenosos mari objectos: sedatâ tempestate, decem plus minus horis adhuc spirans fuit conspecta: & mortua istic jacuit septem aut octo dies; ut ad eam conspiciendam è vicinis urbibus & locis ingens hominum multitudo conflueret, partim pedestri itinere, partim equis, rhedis, aut curru vecta.

Ejus porrò longitudo quinquaginta duorum aut trium pedum fuit; crassitudinis ambitum licet nonnulli dicant triginta pedum & unius, fuisse, alij verò longè majorem faciant: exacta tamen mensura sumi non potuit, quia volutatione & agitatione, ante quàm interiret, corporis pars quædam sabulo erat immersa: superior rostri pars ab extimo ad oculos usque, quindecim pedum reperta est: ipsum in ea parte palatum, quadraginta duobus foraminibus *Monstrosa belua marina.*

raminibus sive alveolis præditum erat, hoc est, in utroque latere viginti & uno, ad excipiendos totidem dentes inferiori mandibulæ inhærentes, qui magnitudinem pollicis alicujus viri prægrandis & robusti habebant: in capite versus dorsum erat etiam foramen circiter tres pedes amplum, per quod aquam in altum eiiciebat: inferior mandibula, in quâ illi dentium bini ordines, septem pedum longitudinem non excedebat, & fragmento crassi & ingentis mali navis conferri poterat: linguæ extima pars tam magna & crassa erat ac dolium cervisiarium: oculorum magnitudo pro tam vasto corpore non erat major, quàm spatium quod pollex & digitus index extensi comprehendere poterant: distabant oculi quatuor pedibus à pinnis: pinnæ verò quatuor pedes & totidem pollices erant longæ, ac pedem ferè densæ: umbilicus à mandibulis sexdecim pedum spatio distabat: ab umbilico ad penem interstitium erat triū pedum: penis verò jam mortuæ sex pedum longitudinem habebat: à pene autem ad podicem trium pedum cum semisse erat distantia: & à podice ad caudam, tredecim cum semisse: ipsa verò cauda valdè crassa, tredecim pedes alta sive lata erat. Post paucos deinde dies fuit illa belua vendita quibusdam mercatoribus, eâ tamen conditione, ut majora ejus ossa Hagam Comitis vehi curarent, & istic in Curia conservarentur propter memoriam. Reperisse autem dicebantur mercatores in beluæ capite plus quàm quartam partem dolii in quo adservantur saliti haleces, plenam ejus liquoris quem vulgò Sperma ceti, Hollandi *Walschot* appellant: è tota autem corporis mole in partes secta & deinde ustulata, circiter quadraginta dolia, prædicto similia, plena pinguedine excepisse, præter magnam quantitatem spontè fluentem ab aliis collectam, & eam quæ in undas marinas effluxerat antè quàm mercatores redimerent. Dorsi corium nigrum erat, quemadmodum Delphinorum aut Thynnorum: venter albescebat.

Alia similis monstrosa belua.

ANNO porrò millesimo sexcentesimo primo sub extremum Decembrem, XIII. videlicet Kal. Ian. anni insequentis, ejecta fuit alia similis portentosa belua in littus Batavicum Beverwicanum, versus meridionalem plagam; cujus longitudo prædicti longitudinem excedebat; nam sexaginta pedum erat, altitudo pedum quatuordecim, corporis ambitus triginta sex pedum mensuram æquabat, cauda pedes quatuordecim erat lata, oris rictus duodecim pedes amplus erat; dentes etiam in inferiore mandibulâ dumtaxat habebat, duplici ordine similiter dispositos, in superiore totidem alveolos, qui dentes, quum rictum clauderet belua, exciperent. Masculini sexus etiam erat, & eodem colore prædita quo superior, ut mihi relatum: an verò quæstum fecerint ex illa, ut è priore, me latet.

CETERVM memini quum in Cæsaris aula viverem, similes etiam beluas apud Saftingam non procul Antverpia in littus tempestate fuisse ejectas, & unius ex illis typum in ære incisum ab amico fuisse ad me missum, quem porrò ad Ill. Virum Ioannem Pinellum, qui hujusmodi rebus delectabatur, ob eam quæ mihi cum illo fida & arcta erat amicitia, Patavium ferendum curabam. Corporis autem mensuram oblivioni tradidi.


Manati Phocæ genus.

CAPVT XVIII.

A Batavis nautis, qui anno à Christo nato millesimo sexcentesimo Amstelredamum è sua profectione redierant, ex Occidentali Oceano advectus erat Cetaceus piscis, ad Phocarum genus haud dubiè referendus, sed longè major; ipsi Vaccam marinam appellabant: utriusque autem sexus occiderant, marem & feminam: maris corium integrum stramine suffarcinatum de trabe suspensum, cujus dorso catulum (quem etiam ceperant & advexerant) imposuerant, eodem anno Amstelredami conspiciebam, & præterea aliquot costas feminæ cum carne adhuc adhærente; eâ enim in itinere victitârant tamquam bubulâ. Catulum porrò, ut proportio commodiùs observari posset, in adposita tabella exprimendum curabam, ad ejus normam quem Amstelredami videram, quique posteà in Academici horti porticu suspensus fuit Lugduni Batavorum.

Manati.

VALDE autem fœdum & turpe animal fuisse videbatur: capite vitulino, sed paullò strictiore, oculis ferè caninis; valdè crassâ & durâ, brevibusque & raris pilis ex cineraceo fusci coloris obsitâ cute præditum: exuvii longitudo (nam dimensus sum) pedum decem & sex cum semisse erat, crassitudo autem septem cum semisse; hoc est, septem pedum cum semisse erat corporis ambitus: bina crura ad humeros habebat non longa, latos pedes brevibus unguibus præditos, nullos in posteriore corporis parte, sed caudam quodammodo infor-



do informem & latam, cujus motu, celeriter natasse ferebatur: ab umbilico autem ad caudam sensim gracilescebat, deinde cauda paullò latior fiebat: in ejus capite lapides repertos fuisse intelligebam, quos ad comminuendum calculum utiles esse dicerent.

Cujus adeò rei causâ, tum propter animalis formam, & alias notas, omnino mihi persuadebam illud animal esse, quod *Manati* vocari, Hispani qui Americanam historiam scripserunt, testantur: nam Franciscus Lopez de Gomara cap. XXXI. Historiæ generalis, de eo in hunc modum scribit, ut in scholio ad cap. de Tiburone lib. de Simpl. Medic. ex Occidentali India delatis, auctore Nicolao Monardes, & à me Latino facto, adnotabam, & hîc denuò repeto.

Manati piscis est nostro orbi incognitus, qui in mari & fluminibus reperitur, utri similis, duobus dumtaxat pedibus ad humeros præditus rotundis, & quatuor unguibus instar elephantinorum, quibus natat: ab umbilico ad caudam gracilior fit: teterrimo est aspectu, capite bubalino, macilentiore tamen ore & crassiore mento, oculis admodùm exiguis pro corporis mole, quæ interdum ad viginti pedum longitudinem accedit: corio est denso, quibusdam pilis cineracei coloris obsito. Feminæ pariunt vaccarum modo, binaque ubera habent quibus suos catulos lactant. Ejus caro quadrupedis veriùs quàm piscis æstimari possit: etenim recens, juvencæ carnem sapit; sale macerata, Thynni, sed gratioris est saporis, diutiusque adservari potest. Illius pinguedo sive sevum optimum, nam rancedini non est obnoxium: eò ipsius corium parare solent in calceorum & aliarum rerum usum. Inveniuntur in ejus capite quidam lapides ad calculum & coli dolores utiles. Et hæc quidem de piscis forma: deinde addit. *Manati Gomara.*

Occîdi solent hi pisces dum herbas in fluviorum ripis nascentes depascuntur: sed etiam retibus capiuntur juniores. Istâ ratione parvulum captum, Regulus *Caramatexi*, in Insula Hispaniola XXVI. annorum spacio in lacu Guaynabo dicto aluisse fertur, adeoque mansuetum evasisse, licet jam grandem, ut Veterum Delphino non cederet: nam de manu cibum sumsisse, & inclamato nomine *Mato*, quod Magnificum eorum linguâ sonat, lacum egredi solitum, ad ædes cibi sumendi gratiâ perreptasse, deinde ad lacum remeasse comitibus pueris atque etiam viris, quorum cantu delectari videretur: imò tergo insidere interdum permittentem, denos simul ex una lacus parte in oppositam, sine ulla difficultate transvexisse, nec illos mersisse, sic ut illius loci incolis summam voluptatem adferret. Ceterùm quum Hispanus quidam, periculum facere volens, an adeò durâ cute præditus esset, ut ferebatur, inclamato & repetito nomine *Mato, Mato*, in eum jam ex aqua prodeuntem hastam vibrasset, adeò indignatum, tametsi non fuisset vulneratus, ut ex aqua deinceps emergere nollet, quantumlibet ejus nomen inclamaretur, si viros veste indutos aut barbatos, Christianis similes, conspiceret. Valdè porrò intumescente fluvio Haibonico, & in lacum Guaynabo sese effundente, Mato *Manati* in mare regressus est, Reguloque *Caramatexi* & ejus subditis magnum sui desiderium reliquit.

FERDINANDVS verò Oviedus multis annis ante ipsum de hoc pisce egerat toto cap. X. lib. XIII. suæ Hist. Generalis & Naturalis Indiarum: & cap. LXXXIV. Summarij. Quia porrò caput illud X. lib. XIII. Hist. Gen. longè ampliorem ejus historiam continet, operæ pretium me facturum existimavi, si illam Latinam facerem, atque hîc adiicerem, quandoquidem pleraque alia scitu digna continet, quæ nec Gomara, nec alius quispiam attigit. In hunc autem modum Oviedus scribit.

Manati ingens piscis marinus, tametsi in magnis hujus insulæ (Hispaniolæ videlicet) & aliarum Provinciarum fluminibus assiduè capiatur, majoris est longitudinis & amplitudinis Tiburone. Qui plenam adquisiverunt magnitudinem, fœdissimi sunt aspectus, nec *Manati Oviedi.*

multum absimiles utribus illis in quibus Medinæ del Campo, & vicinis locis vehitur mustum. Caput habet iste piscis bovis instar, vel etiam majus, oculos exiguos pro corporis magnitudine: & binos crassos pedes tamquam alas brachiorum loco, quibus natat, circa caput sitos. Corio integitur, non squamis; valdeque mansuetum est animal, adversa flumina subiens, & secundum ripas quas apprehendere potest herbas depascens, nec aquam egrediens. In Americæ continenti solent sagittarij ex cymba sive monoxylo hujusmodi pisces & alios plerosque occidere, quia in summa aqua natant: hamata itaque jacula conijciunt, in quorum summo tenuis sed validus alligatus est funiculus: ictus piscis fugit, funiculum autem laxat sagittarius, in cujus extremo ligni aut suberis fragmentum est adnexum, ne prorsus mergi queat funiculus, tum etiam ut appareat ejus extremitas: piscis verò jam fessus ob profusum sanguinem, & morti vicinus, ad littus appellit. Tum sagittarius collecto suo funiculo donec supersit dumtaxat decem aut duodecim orgyiarum longitudo, eum ad terram trahit cum capto pisce, vel etiam donec undis propellentibus terram contingat: sagittarius porrò sociorum auxilio ex aqua educit. adeò autem magni sunt isti pisces, ut jugo boum opus sit, ad unum vehendum. Interdum autem quum Manati jam saucius ad terram ab undis propellitur, è cymba illum crassis lanceolis feriunt, ut citiùs moriatur, quia mortuus summâ aquâ fertur. Hujus piscis caro præstantissima est, & quadrupedis carni adeò similis, ut qui integrum piscem non vidisset, sed ejus dumtaxat partem aliquam rescissam, bubulam esse sibi persuaderet: imò omnes mortales fallerentur, quia adhuc recens carnem magis sapit, quàm piscem. Quæ autem concisa & resiccata, singularis est, & multo tempore incorrupta servari potest. Anno M. D. XXXI. ex hac civitate S. Dominici, in Hispaniam, Avilam usque, ubi tunc erat Imperatrix, hanc carnem tuli, & in Castella, ex solo aspectu bubulam Anglicanam optimam esse censebant, coctam verò, non minùs quàm Thynni carnem sapere, imò illâ præstantiorem esse. Capiuntur etiam hi pisces retibus ad id concinnatis. Habent porrò isti pisces quosdam lapides sive potiùs ossa, in cerebro, coli doloribus & nephritidi valdè vtilia, ut ii asserunt qui in hujusmodi morbis periculum fecerunt. Debet autem hic lapis primùm benè aduri, postea conteri & per cribrum transmitti, deinde pulvis ille eâ quantitate quam Hispanicus regalis excipere possit, ex generoso vino albo uno haustu sorberi. Hac enim ratione sumptus manè diebus aliquot continuis, dolor adimi dicitur, calculusque comminui & in arenam resolvi, quæ cum urina eiicitur. Istud à viris fide dignis, qui ejus periculum fecerunt, intellexi, multosque conspexi ejus rei gratiâ diligenter hunc lapidem perquirentes. Solent autem singuli Manati binos ejusmodi lapides in cerebro habere, parvæ pilæ palmariæ magnitudine, aut nucis balistæ (orbiculares enim non sunt) ac interdum majores, pro piscium magnitudine. Eandem verò facultatem hos lapides habere arbitror, qua præditi sunt ij qui in Coracini & Vmbræ capite reperiuntur, si credendum Plinio, qui in cujusdam piscis capite veluti lapides reperiri ait, valdè commendatos ad coli dolores, si ex aqua bibantur. Horum piscium nonnulli adeò magni sunt, ut quatuordecim aut quindecim pedum longitudinem superent, octo verò palmorum crassitudinem, circa caudam strictiores & quasi præcincti; à qua strictura deinceps cauda longior & crassior fit. Habet porrò Manati circa pectus capiti proxima bina brevia brachia sive manus, cujus rei gratia Christiani nomen *Manati* indiderunt [*Hispanis enim consuetudo est omnium quadrupedum anteriores pedes, manus appellare; & cùm iste piscis anteriore dumtaxat parte pedes habeat, illi manus pro pedibus tribuisse*] Auribus caret, sed earum loco exigua foramina habet per quæ audit. Ejus corium simile ustulati porci corio, digitum densum, cineraceo colore rarisque pilis præditum: ex eo parato commoda cingula & calceorum soleæ fiunt, aliæque res similes. Hujus piscis cauda à strictiore illa parte, ad extremum usque, tota nervosa est: ex ea in partes concisa, deinde soli per quinque aut plures dies exposita & resiccata, tandem in patella cocta sive veriùs fricta, multa pinguedo elicitur, tota enim in pinguedinem resolvitur. Est verò illa pinguedo, sive butyrum, ad ova in sartagine frigenda aptissimum, quia, licet vetustum, non fit rancidum, neque mali saporis est; utile etiam ad lucernas; nec desunt qui in medico usu commendent. Manati feminæ duo sunt ubera in pectore; nam binos catulos parit, & lactat: quod de nullo pisce unquam audivi, præterquam de hoc, & vitulo marino.

Ingens est piscis.

Nominis causa.

Ceterùm creditur, in hac insula Hispaniola, antè quàm nativis incolis spoliata esset, aquatica hæc animalia cum pisce Reverso capi solita: quod scribere metuerem, nisi publicum & notum esset, atque à viris fide dignis accepissem. Et quandoquidem Historiæ series eò me cōduxit, ut Manati mentionem facerem, præstat ut in hoc capite, potiùs quàm alibi, de admirabili isto negotio agam. Sciendum est itaque, quendam piscem palmum longum, aspectu fœdum, sed ingenti animo atque intellectu præditum, cum aliis piscibus interdum capi, eumque boni saporis esse, imò etiam ex optimis qui in mari capiuntur: nam siccâ & firmâ

Reversus piscis.

& firmâ carne non viscosâ præditus est; quod assero, quia me illo vesci sæpè contigit. Aliquem autem ex hoc piscis genere in venationis usum adservare volentes, parvum, necdum adultum deligunt, & in aqua marina, esca ejus naturæ conveniente alunt, donec eam quam dixi magnitudinem attingat, & ad venationem quam instituunt aptus sit. Tum hunc piscem, alligato tenui sed valido funiculo, secum in cymba ad mare deferunt, conspectoque aliquo Manati, aliove pisce summâ aquâ natante, illicò Indus sumptum in manus Reversum piscem alterâ demulcet & blanditur vernaculo sermone, admonens, forti & valido sit animo, maximumque quem conspexerit piscem alacriter adgrediatur; atque quum commodum videtur, eum in magnos pisces conspectos emittit. Reversus summâ celeritate in testudinem aliúmve quemlibet magnum piscem impetum faciens, ejus lateri vel ventri sese adfigit & validè stringit. Piscis se ictum & comprehensum sentiens à parvo illo pisce, nunc in hanc, modò in alteram partem se convertens, per mare fugit: interea piscator Indus funiculum multas orgyias longum laxat, & tandem dimittit, quia in extremo vel lignum vel suber adnexum habet, ne subsidat, sed sui indicium præbeat. Post modicum temporis, Manati aut Testudo, quibus Reversus adhæret, defatigati, versus littus feruntur: piscator autem sensim funiculum in suam cymbam colligit, paucarum orgyiarum tenus, quibus paullatim Reversum cum suo captivo trahit, donec terram attigerit, undis etiam ipsum propellentibus. Illicò Indi piscatores in arenam desiliunt, atque, si testudo capta est, eam convertunt, vel etiam in ipsa aqua (nam periti sunt natatores) & in siccum pertrahunt: si verò Manati sit, eum feriunt donec mactent. Prædâ in littus pertractâ, summâ cum animadversione, & sensim amoliendus est piscis Reversus: nam adeò firmiter prædæ adhæret, ut si quis vi adimere vellet, in partes discerperet. Indi blandis verbis id peragunt, magnas gratias agendo pro prædâ adquisitâ. Habet porrò Reversus piscis squamas graduum instar dispositas, ut oris humani aut equini palatum, easque tenuissimis quidem, sed acutissimis & validis spinis præditas (quibus se prædæ affigit) per maximam corporis partem sparsas, præsertim autem toto dorso, à capite ad dimidiam corporis partem, minimè verò in ventre; & quia dorso prædæ sese affigit, Reversum sive In versum propterea appellant. Adeò autem stolidi sunt isti Indi, ut istum piscem eorum sermonem & blanditias intelligere existiment, nec animadvertant hanc esse piscis istius naturalem proprietatem, quum plerumque contingat Tiburones & Testudines in Oceano capi, quibus adfixi & inhærentes reperiuntur Reversi: unde apparet, postea quam sese alicui pisci adfixerunt, sese ab eo liberare non posse, nisi cum temporis intervallo. *Petrus Cieça.*

MANATI meminit etiam Petrus Cieça primâ parte Chronici Peruani sub finem cap. XXXI. In maritimis, inquit, multi reperiuntur crudeles Lacerti & alij magni pisces, atque *Manati*, juvencorum magnitudine & quasi formâ, qui circa littora & insulas versantes, ad gramen pascendum egrediuntur, quando sine periculo id agere possunt: illicò autem ad nativa loca revertuntur. *Gul. Rondeletius.*

Breviter item ejus mentionem facit Cl. V. Gulielmus Rondeletius (Oviedum sequutus) cap. XVIII. lib. XVI. de Piscibus, addens bovem marinum posse videri, quem Aristoteles cap. XII. lib. VI. de Historia Animalium vivos catulos pârere scribit.

Idem etiam Reversi piscis mentionem facit cap. XVII. lib. XV. de Piscibus, atque ex Oviedo desumpsisse videtur.


Sed ante hos Petrus Martyr in Hispaniolæ descriptione Reversi piscis mentionem facit, eumque ab incolis *Guaicano* appellari ait, & aliam cum eo piscandi rationem apud eos usurpari tradit. *Petrus Martyr. Guaicano piscis.*

Pristis sive Serra.

CAP. XIX.

IN hujus piscis nomenclatura, lubens Cl. V. Gulielmi Rondeletii opinionem amplector, qui veteribus πρίστιν dictum censet, & cur sic appellatus, causam adfert: in piscis autem figura exprimenda, quum ipse piscem, rarissimè in Europam adferri solitum, numquam conspexerit, sed ejus dumtaxat, ut ipsemet fatetur, rostrum; nihil mirum, si corporis formam animo concipere non potuit: rostrum quidem subinde adfertur, & illud variæ magnitudinis, pro piscium videlicet ætate. Quum verò ornatissimus vir Iacobus Plateau, qui museum omni rerum exoticarum copiâ instructissimum habet, piscem integrum nactus esset, & pro nostra amicitia ejus genuinam iconem pronam & supinam coloribus ex-

pressam ad me miserit anno à nato Christo millesimo sexcentesimo tertio, facere non potui, quin eam in adpositâ tabellâ Lectoris oculis proponerem, additâ brevi ipsius piscis historiâ.



QVANQVAM autem negare non possim, hunc piscem in ingentem magnitudinem crescere, ut ex plerisque rostris conjecturam facere licet, ipsius tamen formæ ratione, inter Galeorum aut Canicularum potiùs genera referendus esse videtur, quàm inter cetaceos, cum quibus nullam corporis similitudinem habet, quemadmodum non tantùm ex icone accepta, sed ex integro pisce reficcato observabam, quem illo ipso anno Iunio subsequente Amstelredami conspiciebam apud ornatissimum & humanissimum virum Henricum ab Os, sic ut ex illo conjecturam facerem, in ea pictura quæ ad me missa, nimiam corporis crassitudinem fuisse expressam.


Erat porrò hic piscis corporis formâ & colore Galeorum generibus, aut Caniculæ Aristotelis valdè similis; nullis tamen maculis, ut illa, conspersam cutem habens, perinde tamen rudem, & instar Zygænæ cutis asperam, fusci in dorso coloris (quem videbam cineracei erat) in ventre candicantis, & sex pinnas habebat, in lateribus, medio videlicet pænè corpore binas (quibus in illo quidem quem conspiciebam vicinæ erant quinæ utrimque angustæ oblongiusculæq. branchiæ, icon autem accepta nullas expressas habebat) sub podice binas; supra caudæ initium, extremo scilicet dorso, quintam; sextam verò in quam extrema cauda desinebat: caput in longum & angustum, planum, & firmum rostrum porrigebatur, utrimque multis dentibus sive osseis firmisque & rectis spinis ex adverso sitis serræ instar munitum, viginti vel etiam pluribus: certè piscis illius quem conspiciebam rostrum, licet septem uncias dumtaxat longum esset, totus verò piscis binos pedes cum triente, sive octo & viginti uncias non superaret, duodetriginta osseis spinis valdè acutis in utroque latere erat munitum. Quanta autem esset ejus piscis, cujus pictura ad me missa, longitudo, ignoro; sed in rostro numerus spinarum, qui in singulis lateribus erat expressus, vigesimum non superabat: binos verò oculos in prona capitis parte habebat, binas nares in supina, & infra illas oris scissuram, ut Zygæna ferè, transversam, in qua nulli dentes expressi; nec in ejus quem conspiciebam oris scissurâ, tametsi diligenter requirerem, ullos observare poteram.

Reperitur hic piscis, ut plurimum, in Oceano occiduo: certè quotquot mihi videre licuit rostra variæ magnitudinis, ingentia, mediocria, & exigua, inde relata dicebantur.

Galei genus.

CAP. XX.

INTER Galeorum genera, qualia à Cl. V. Gulielmo Rondeletio lib. XIII. Historiæ Piscium describuntur, referendum hunc exoticum piscem arbitror, & forsitan Acanthiæ speciem aliquam censendum: nam spinam sive aculeum habebat, non quidem in dorso, sed pænè in cervice, illamque unicam, ut ex icone, qualis ex reficcato pisce in tabellâ exprimi potuit, conspicere licet.



ERAT autem corpore longo, trium ferè pedum longitudinem explente, coloris (resiccatum enim & exenteratum dumtaxat conspiciebam) ex cineraceo fusci, in quo tamen quidam candor, præsertim in tergore, adhuc elucerer: vivum enim & recenter captum argentei pænè coloris fuisse intelligebam: medij corporis ambitus, pedis, hoc est, duodecim unciarum longitudinem æquabat; cartilagineus verò erat, & lævi cute præditus: rostro lato, sed in obtusum deinde acumen desinente: oculi magni erant; è quorum infimâ parte enata erat membrana, quæ sursum sese attollens, veluti nubes caliginem illis offunderet: oris rictus non valdè latus, in supina capitis parte maxillas in obtusum angulum desinentes habebat, ferè ut simiæ: quaternis autem dentibus os præditum erat, binis in superiore maxilla, totidem in inferiore, iisque firmis, quorum singuli quibusdam sulcis erant distincti, ut pluribus dentibus armatum os esse videretur. Corpus à cervice sensim gracilescebat: spinæ sive aculeo in ea parte quâ dorsum cervici connectebatur, sito, eique sex uncias longo, infimâ parte lato & cavo, supernâ autem valdè acuto, pinna surrecta innitebatur quatuor pænè uncias longa: binas dumtaxat in lateribus branchias valdè apertas observabam, utrinque videlicet unam, quum aliorum Galeorum genera denas habeant, in singulis lateribus quinas: has sequebantur duæ pinnæ ad natandum idoneæ, longiores quàm in ullo Galeorum genere conspexerim, novem videlicet unciarum longitudinem æquantes; binas alias habebat ex utraque podicis parte, quatuor uncias longas, illasque bifidas, hominúmne industriâ sic fissas, an à natura, nihil pronunciare possum: alia deinde pinna in dorso paullò infra eam quæ ad aculeum erat, exoriebatur, ad extremam ferè caudam usque inæqualiter porrecta, hoc est, ad eam usque caudæ partem quæ tenuissima & septem uncias longa, muris caudam quodammodo æmulabatur. Podici, qui in supina parte, ut in reliquis piscibus, situs, vicina apparebant bina foramina, in quem usum, ignoro: capitis porrò cutis, siccitate adeò erat contracta, ut nulla circa oculos, nulla ante os foramina observare potuerim.* Ceterùm quales fuerint hujus piscis partes interiores ut describam, nemo à me expectare debet, ut qui exenteratum & resiccatum (quemadmodum anteà dixi) dumtaxat viderim anno à Christi nativitate millesimo sexcentesimo primo, anno tamen præcedente captum in Septemtrionali Oceano ab his qui halecibus irretiendis operam navârant, quos, si consulere licuisset, exactiorem descriptionem dare potuissem: sed si oblongum caput haberet, non incommodè forsan Dux Cetacei generis, apud Ælianum cap. XIII. lib. II. De Animalibus, censeri posset.


Galeus piscis exoticus.

Dux cetacei generis.

Histrix piscis.

CAP. XXI.

EX Orbis generibus, haud dubiè censendus est hic piscis, quem anno à Christi nativitate millesimo sexcentesimo, Octobri mense, Amstelredami conspiciebam, illo ipso anno captum in Oceano Americam alluente. Quumque esset omnium quos umquam hujus generis viderim, maximus, mercatore, qui illum adservabat, permittente, modestissimus juvenis Volcardus Coornhart Theodorici F. in meam gratiam depingebat; ego verò in tabella delineari, & sculpi curabam, ut hìc adponeretur.



Histrix piscis. ERAT porrò ab extremo ore ad caudæ initium, ſive radicem, viginti uncias longus, medio corporis ambitu viginti novem craſſus, ſquamis carens, & cute ſive corio albeſcente dumtaxat tectus, undiquaque firmis & acutis ſpinis obſitus, quarum baſis in binas alias breves & ſub cute latentes deſinebat: oris aperti diameter trium unciarum erat, & aliquantulum prominebat, labra rugoſa, binaque oſſa pro dentibus habebat, ſupernè unum, infernè alterum, utrumque fornicatum, & anteriore parte nonnihil, ut oris rictus, prominulum, ut prædam faciliùs apprehendere & retinere poſſet: oculos ſatis grandes habebat, ſupercilia elata & quatuor ſpinis horrida: ponè oculos, utrimque in lateribus, pinnâ tres uncias longâ, & quum expanſa, pænè quinque latâ, inæqualiter finiente, præditus erat, binis item aliis ejuſdem propè longitudinis, minùs tamen latis, quarum una in extremo ferè dorſo, ſupra caudam, altera ſub podice: caudæ pinna quatuor uncias longa erat: breviores ſpinæ, vnciam longæ: longiſſimæ, triunciales: mediæ, duarum unciarum: longiſſimæ, latera muniebant; reliquæ, totum corpus, ſervatâ quadam ſerie; frequentiores quidem toto corpore ſparſæ, circa caudam verò rariores, ſed aliis multo craſſiores: ventris cutis alba, dorſi fuſca, multiſque nigris maculis diſtincta, veluti etiam latera à pinnis lateralibus ad caudam vſque: os magis adhuc fuſcum: atque inter illud & oculos, parvum foramen utrimque conſpiciebatur, per quod (ut arbitror) reſpirabat: ſpinæ ſupra caput erectæ; at quæ verſus os vergebant, in anteriorem partem converſæ. De internis partibus nihil pronunciare queo, quandoquidem à recens capto fuerant exemptæ & abjectæ, & corium dumtaxat à nautis funiculorum fragmentis ſuffarcinatum, ut commodiùs reſiccarent & conſervarent, mihi fuit conſpectum.

ORNATISSIMVS vir Iacobus Plateau, biennio poſt, ferè ſimilis piſcis effigiem coloribus expreſſam ad me mittebat, magis tamen fuliginoſi coloris quàm is quem deſcripſi, quem fortè à vetuſtate aut reſiccatione contraxerat: illius verò caput carebat illis ſpinis in anteriorem partem converſis & minacibus: ſed multis nigris maculis erat diſtinctum cum tota cervice, non dorſum & latera uſque ad pinnas, quemadmodum in meo: at omnes pinnas nigris maculis inſignitas habebat.


τξότης. Sagittarius. Vtrumque autem hunc piſcem, non incommodè forſitan τοξότην ſive Sagittarium Æliani eſſe, quis ſuſpicari poſſit. Is enim cap. XXV. lib. XII. De Animalibus, illum firmis & longis armatum aculeis ſcribit.

Orbis ſpinoſus.

CAP. XXII.

HVNC etiam piſcem, quem eodem, cum ſuperiore, anno Amſtelredami in Mercatoris cujuſdam muſeo ſuſpenſum conſpiciebam, inter Orbis genera referendum eſſe, nemo, ut exiſtimo (conſideratâ ejus formâ) ambiget: nam Orbi non muricato haud erat diſſimilis, & corio, non ſquamis tectus, quemadmodum muricatus ille, cujus hiſtoriam ſequente capite tradam. Vt autem faciliùs utriuſque differentia obſervari poſſit, illum, permittente Mercatore, idem Volcardus in meam gratiam delineabat, ego verò in adpoſita tabella deinde exprimi curabam.

Ab




AB extremo ore (quod hians habebat, & binis ossibus dentium loco præditum) ad caudæ pinnam usque, septem uncias cum semisse longus erat, decem verò cum semisse crassus, id est, decem unciarum cum semisse erat totius corporis ambitus; & dorsum, fusci coloris; venter, albi: toto autem corpore brevibus, sed firmis aculeis erat obsitus: latum caput habebat, elata supercilia, quæ tribus aculeis munita, & magnos oculos: quatuor porrò pinnis, præter eam quæ extremam caudam occupabat, erat præditus, utroque videlicet in latere post oculos unâ, tertiâ paullò supra extimam caudam, quartâ inter podicem & caudam: medium corpus utrimque post pinnas nigrâ maculâ erat insignitum, atque pinna supra caudam nigram etiam sedem habebat. Exenteratus autem erat hic piscis, quemadmodum & alij ejusdem generis, quos istic variæ magnitudinis apud diversos mercatores videbam: satis enim diligentes sunt in ea urbe rerum exoticarum conquisitores, quas à nautis ex sua navigatione reducibus redimere solent. *Orbis spinosus.*

Orbis muricatus.

CAPVT XXIII.

INTER peregrinos pisces, quos Cl. V. Gulielmus Rondeletius, meus olim, ut dixi, hospes, describit lib. xv. suæ Historiæ, quorundam meminit, quos ab orbiculari, quâ, præ aliis, præditi sunt, figura, non immeritò Orbes appellavit. Horum primum sæpiùs videre memini, dum apud ipsum vivebam, in ipsius museo pendentem: imò illius historiam scribentem conspiciebam, sicut & multorum aliorum, qui in mari mediterraneo Narbonensem Galliam alluente capiebantur; & fidus testis esse possum, quam diligentiam adhibuerit, in Aquatilium Historia fideliter describenda. Reliquos duos apud eum non vidi, sed post meum ab eo discessum, illos nactum puto.

CETERVM Tertio, quem cap. IV. ejusdem libri describit, valdè similem anno à Christi natiuitate nonagesimo nono supra millesimum & quingentesimum apud honestissimum virum Christianum Porretum conspiciebam, cujus historiam hîc adponere, & figuram in tabella expressam dare volui.



HABEBAT autem hic piscis ab ore ad caudam sex unciarum cum semisse longitudinem, decem pænè unciarum corporis ambitum: squamis prorsus carebat, sed durâ cute tectus erat, aculeis adeò crebris, firmis & muricatis quaquaversum obsitâ, ut vix sine noxâ apprehendi posset: erant verò illi aculei in dorso & lateribus longiores & crassiores, in pectore & ventre breviores & minores: breve & latum caput habebat, dorsum etiam latum, supercilia elata, & muricatis similiter aculeis munita: oris hiatus non magnus, binis albis ossibus, siue osseis labris erat præditus, iisque crassis & firmis, ad præ- *Orbis muricatus 1.*


dam commodiùs retinendam : introrſum verſus palatum, binos craſſos dentes habebat, hominis molaribus non diſſimiles, & totidem, iis pares, infernè verſus gulam. Longè frequentioribus aculeis ſtipatus mihi videbatur eo, quem Rondeletius exhibet, iiſque etiam muricatis, quorum unicus eminebat triangularis & acutus, tres alii in ipſa cute paribus diſtantiis impreſſi, non exerti ut in Rondeletiano. Deinde in eo differebat, quòd illius Orbis nullas habet pinnas præter eam quæ in extrema cauda eſt : hic verò quatuor aliis erat præditus; unâ in ſingulis lateribus ſatis latâ, diſtante ab oculis unciæ unius interſtitio, & ante eam longâ rimulâ pro branchiis : deinde tertiâ in extremo dorſo, paullò ſupra caudam: quartâ in extremo ventre, inter podicem & caudam : quinta oblongiuſcula, extremam caudam occupabat, quæ brevior & contractior reddita videbatur, dum cutem funiculorum fragmentis farciebant nautæ.

IN quo mari captus eſſet hic piſcis, nemo certi quidpiam pronunciare poterat : tametſi quidam in Indico captum putarent. E Septentrioli tamen Oceano allatum fuiſſe conjecturam faciebam, è funiculis pice illitis, quibus cutis farcta erat. Sed in quocunque tandem mari repertus fuerit, valdè peregrinum eſſe cenſebam, quemadmodum & alios ſequentibus capitibus deſcribendos, quos, ut nec ſuperiores, eſui aptos non fuiſſe arbitror.

Orbis muricatus alter.

CAP. XXIV.

HORVM trium ſubſequentium Orbium hiſtoriam adeò exactè deſcribere non licebit, ut ſuperiorum, quia ipſos piſces videre mihi non contigit, ſed eorum icones coloribus expreſſas dumtaxat accipiebam à Iacobo Plateau, nullis adſcriptis notis, è quibus magnitudinis corporis & ejus partium conjecturam facere poſſem : poſt aliquot tamen menſes à me admonitus, hujus & ſequentis menſuram, longitudinem & ambitum deſignantem, mittebat.




Orbis muricatus II. PISCIS igitur, cujus hoc capite iconem damus, ab extremo ore ad extimam caudam, pænè undecim uncias erat longus, ejus verò ambitus multo major, ut qui ſedecim unciarum menſuram expleret, per univerſum corpus muricatis ſpinis munitus, coloris in dorſo fuſci, & multis nigris maculis conſperſi, in ventre autem cineracei : ſupercilia elata erant, os aliquantulum prominulum, & duobus albis oſſibus præditum, ut in præcedente; an verò dentes etiam introrſum habuerit, me latet: binas pinnas in lateribus habebat non valdè magnas, alias item binas, quarum una in extremo dorſo paullò ſupra caudam, altera poſt podicem, fuſci coloris & nigris maculis notati, quemadmodum & illa quæ extremam caudam finiebat.

Orbis Ranæ rictu.

CAP. XXV.

ISTVM orbem exprimere voluiſſe videtur Cl. V. Conradus Geſnerus in Nomenclatore animalium marinorum ordine XI. de orbiculatis piſcibus agens, & orbem Britannicum appellare: quia verò figuræ quas proponit negligentiùs expreſſæ videntur, & ea quæ ad me miſſa feliciter meâ opinione expreſſa, illam in tabella delineari curabam, quæ hîc proponeretur.

HABEBAT




HABEBAT autem hic piscis sedecim penè unciarum longitudinem ab ore ad extremam caudam; corporis verò ambitus viginti unciarum mensuram superabat. Ejus totum corpus fuscum, albicantibus maculis conspersum: caput satis crassum, elataque supercilia, os latiusculum & fissum, ranæ os valdè exprimens, præter aliorum orbiculatorum piscium formam: in dorso unicam pinnam inæqualem à cervice ad extremum ferè dorsum porrectam, fuscam & albis maculis perinde notatam ac reliquum corpus: in singulis lateribus binos tuberum ordines habebat, radicum spinæ rubi æmulorum, à vertice ad caudam usque porrectos, unum videlicet medio ferè corpore, alterum paullo supra ventrem: post oculos binas alias pinnas satis longas & latas; in extremo prætereà dorso unam; & alteram sub podice, utramque fuscam & albicantibus maculis conspersam, qualis etiam ea quæ extremam caudam occupabat. *Orbis rana rictu.*

An porrò hic piscis, Apuleii Lepus marinus dici posse videatur, quemadmodum Gesnerus censet, valdè dubito.

Orbis oblongus testudinis capite.

CAP. XXVI.

TAMETSI Cl. V. Gesnerus Orbis oblongi in libro supra memorato mentionem faciat, atque etiam figuram expressam adiiciat; ea quam hac appellatione à Iacobo Plateau accipiebam, longè diversa erat, nec quidpiam similitudinis cũ illa habebat, ut facilè animadvertent, qui ejus iconem cũ ea, quam hoc capite propono, conferre volent.




AB extremo ore ad pinnam, quæ in extrema cauda, plus quàm pedalem habebat longitudinem, quantum quidem ex pictura coniicere licebat: ejus autem crassitudo, inæqualis; nam medio corpore, à summo dorso ad infimum ventrem, quatuor uncias altus erat; circa collum & binas pinnas quæ in extremo ferè corpore, minùs latus: quamquam ipsius piscis longitudinem majorem fuisse facilè mihi persuaserim, atque etiam crassitudinem, ut è binis præcedentibus conjecturam facio: quandoquidem ex eorum mensura ad me missa comperiebam longiores & crassiores fuisse, quàm ex pictura adnotaveram: itaque suspicor ejus longitudinem minorem non fuisse decem & septem unciarum, corporis verò ambitum, ubi maxima crassitudo, sedecim unciarum aut paullo majorem: corium quo totum ejus corpus tectum, fusci coloris, & tessellis inæqualibus variè distinctum, modò ferè orbicularibus, modò rhomboide figurâ, modò quadrangulâ, iisque omnibus maculas albas variè sparsas habentibus, eleganti spectaculo: collum ipsius, præter aliorum piscium orbiculatorum *Orbis capite Testudinis.*

torum naturam, oblongum, caput etiam magis prominulo rostro præditum, testudinis caput quodammodo referebat, bina ossa alba pro dentibus habens, ut orbes muricati: in singulis lateribus juxta collum pinnam habebat ex fusco rubentis coloris; similes erant binæ illæ, quarum una in extremo dorso supra caudam, altera in supina parte post podicem: similis etiam quæ extremam caudam (non minùs longam quàm in Histrice) occupabat, latiusculaque erat.

Piscis triangularis.

Cap. XXVII.

ORBIBVS, quos modò descripsi, alia tria piscium peregrina genera, mihi numquam antè conspecta, subjungenda existimavi. Horum duo priora vir honestissimus Willelmus Parduynus pro nostra amicitia Middelburgo ad me mittebat, anno à Christi nativitate nonagesimo septimo supra millesimum & quingentesimum. Ut porrò illi pænè orbiculari erant formâ, paullò tamen oblongiore, & quasi ovali; ita hi triangularem eam habebant: nonnihil tamen inter se differebant, ut ex subjecta tabella, in qua utrumque exprimi curabam, observare licebit.



Piscis triangularis major. PRIOR etenim ab ore ad caudæ initium, septem uncias longus erat; à ventre ad summum dorsum, tres cum semisse latus erat; ipse autem venter, tres: cauda unciam longa, pinna illam finiens, binas, & sescunciam extremâ parte lata: parvum os habebat, duodenis dentibus, firmis, serratis & contiguis in superiore maxilla præditum; inferiore autem, octo majoribus, etiam serratis: an plures fuerint, me latet, quandoquidem illum accipiebam vetustate jam aliqua ex parte corruptum: nulla tamen apparebant aliorum qui excussi aut vetustate attriti fuissent vestigia: ab ore, caput statim in gibbum, dorsum verò in arcum inæqualem assurgebant, & hoc nullâ pinnâ præditum, nisi unicâ paullò supra caudam, eaque valde exiguâ, pro piscis corpore, nisi attrita fuerit: sub oculis circa ventris partem anteriorem, utrimque unam habebat satis angustam, unciam tamen longam, & illi adjunctam rimulam pro branchiis: quartam in extremo ventre, inter podicem & caudæ initium: oculorum cavitas (nam illi eruti, tametsi pictor addiderit me inconsulto) magna, & ante singulas parvum foramen. Totus autem piscis non squamis, sed corio tectus, eoque tesseris certo punctorum numero ornatis tam affabrè distincto, ut ne peritum quidem pictorem, eam seriem, elegantiam & venustatem, in exprimendo imitari posse putem; certè meus, licet in sua arte insignis, non expressit: ventris (qui planus) latera, paullò supra podicem, in spinam osseam firmam & acutam desinebant. Valdè levis erat, quia inanis, & per summum dorsi gibbum funiculo trajectus, ut in museo aut cubiculo, ad ornatum, tamquam singulare Naturæ miraculum suspendi posset.

Piscis Çapines. Qui ad me mittebat, in Indico mari captum scribebat, atque à Lusitanis in India habitantibus, *Çapines* appellari, quoniam sandaliorum, ipsis *çapines* dictorum, quibus Lusitanicæ mulieres utuntur, ut proceriores appareant, formam quodammodo æmulatur.

Cæterùm sexto insequente anno apud honestissimũ virum Christianum Porretum, Leydensem Pharmacopœum, alium videbam, quem ab iis, qui anno M.D.CIII. ex Moluccis insulis redierant, redemerat, jam descripto, cute tessellatim distinctâ, aculeis, pinnarum situ & numero, reliquisque notis ac formâ prorsus quidem similem, sed longè majorem; ut qui

ab ore


ab ore ad caudæ pinnam pedis longitudinem superaret, à ventre ad dorsi fastigium quinas uncias altus esset, ventrem quatuor uncias latum haberet, pinna caudam finiens binas cum semisse longa esset, & extrema ejus pars quatuor cum semisse lata, dentium numerus par cum superiore, sed bini anteriores in utraque mandibula reliquis paullò majores.

ALTER longè minor erat, & tametsi formâ non dissimili, nonnihil tamen differente. Triangularis quidem, ut superior, sed binas uncias dumtaxat longus ab ore ad caudam, sescunciam ferè altus, & ventre circiter unciam lato, & ut in superiore plano: nullas etiam in dorso pinnas habens, præter unicam exiguam supra caudam, & utrimque sub oculis, proximè alvum, unam, cum rimula; post podicem autem, quartam caudæ contiguam: cauda semunciam erat longa, in longiorem pinnam desinens: parvum os habebat, exiguis sed firmis dentibus præditum, oculos magnos, infra quos, in fronte parvum utrimque foramen: supercilia anteriùs in singulares osseas & acutas spinas desinebant, tamquam cornua, quibus major carebat: in extremi ventris lateribus, alias duas singulares non minùs acutas & firmas habebat: sed & supra atque infra caudam aculeo munitus esse videbatur. Totum corpus nullis etiam squamis tectum, sed corio dumtaxat, prioris instar, eoque tesserulis, sed alia serie dispositis, distincto, ut rosulas sex foliolis constantes, veriùs exprimere viderentur, quàm tesseras: sed pictor, licet à me seriò antè admonitus, non expressit. *Piscis triangularis minor.*

Μονόκερως pisciculus.

CAP. XXVIII.

ANNO à Christi nativitate millesimo sexcentesimo primo Batavi ex Orientali India reduces, pisciculum adferebant mirandæ & venustæ formæ, quem Unicornem non incommodè posse appellari arbitror. Etenim diversus erat à Scolopace quem Cl. V. Gulielmus Rondeletius cap. v. lib. xv. De Piscibus describit, ut facilè animadvertere poterunt, qui utriusque historiam & iconem conferent: nisi quis fortè ejusdem Capriscum esse censeat, quem cap. xxvi. lib. v. describit, cum quo sanè aliquot notas similes habere non diffiteor: verùm si utriusque historia diligenter conferetur, diversos esse pisces manifestè apparebit: quinetiam icones dissimiles esse comperiet, quisquis eam quam in adposita tabella exprimi curabam, cum Caprisci icone conferet.



AB extimo porrò ore usq. ad caudæ pinnas, paullò longior erat tribus unciis, medio corpore paullò plus unciâ latus; à summo capite, ubi supra oculos cornu eminebat, ad infimam alvi partem, quæ etiam in parvum aculeum desinebat, sescunciam latus: corio fusci coloris, & limulæ instar scabro, totum corpus tectum erat: os præterea habebat prominulum, angustum, semunciam longum, binis osseis denticulis præditum, qui in denos supernè secti videbantur, infernè verò in pauciores, nisi ij fuerint abrupti. Oculos, qui eruti fuerant, satis magnos habuisse videbatur; supra quos in capite corniculum gracile eminebat quadrangulare, pænè unciam longum, decem spinulis instar hamusculorum deorsum spectantibus binis lateribus armatum, à quo, ad pinnam, quæ à medio dorso continua ad caudam usque porrigebatur, interstitium erat uncialis longitudinis: depressum instar sulci cujusdam; in quem corniculum, dum natat, inclinare existimo, ne natationem impediat: à podice ad caudam, aliam pinnam continuam habebat minus semunciâ latam: sub oculis, longiuscula illi utrimque pro branchiis scissura, quam pinnula utrimque sequebatur: cauda semunciam lata: ejus verò pinna, unciâ latior, semunciamque longa, in versicolores fimbrias desinebat. Petrus Garetus mutuo accipiebat, & mihi illum concedebat, ut exprimi curarem: nam mercator cujus erat, tanti æstimabat, ut nisi ingenti pretio redimi non posse putaret. *μονόκερως pisciculus.*


Stella tredecim radiorum.

CAP. XXIX.

Stellarum marinarum varia genera.

STELLARVM marinarum varia sunt genera: quædam enim in ingentem magnitudinem evadunt, nonnullæ mediocrem magnitudinem acquirunt, quædam semper parvæ manent, nec incrementum sumunt: aliæ item sunt aculeatæ, aliæ reticulatæ, aliæ læves, & hæ raræ, quemadmodum & ramosæ, quas nonnulli arborescentes appellant, aliæ sinuosæ; & hæ omnes colore plurimum variant: ut ex clarissimorum virorum Gulielmi Rondeletii & Conradi Gesneri Libris de Piscibus constat, qui amplissimè de Stellis scripserunt. Verumtamen unius Stellæ iconem pronâ & supinâ parte coloribus expressam mittebat ad me Iacobus Plateau anno à Christi nativitate tertio & sexcentesimo supra millesimum, qualis apud neutrum eorum conspicitur: idcircò dignam judicabam quam in tabella delineandam curarem, & in calce hujus Sexti Exoticorum libri adponerem.

Stella tredecim radiorum.



ERAT porrò hæc Stella, quantum ex pictura observare poteram, ex aculeatarum genere, satis amplo corporis orbe, pro ejus magnitudine, non valdè longis tamen radiis constans, qui tredecim numero erant; illique omnes directi, non sinuosi, quum pleræque aliæ magna ex parte quinque dumtaxat habeant, æqualis omnes longitudinis, vel inæqualis, hoc est alios aliis longiores. Hujus verò radii omnes erant æqualiter longi, sescunciā videlicet; ipsius verò orbiculati corporis diameter binarum unciarum: singuli radij pronâ parte quinis aculeorum ordinibus erant præditi, tribus medium occupantibus, duobus aliis latera, sic ut singula latera decem aculei pectinatim munirent, coloris rubescentis: supina pars flavescens erat, & vertebras illas, è quibus singuli radii componebantur, manifestè ostendebat.

Concha peregrina.

CAP. XXX.

TESTACEAM quandam concham mihi ostendebat eodem anno Cl. V. Doctor Everardus Vorstius, jam absoluto & descripto hoc Sexto libro: ejus tamen brevem mentionem, post Stellam illam tredecim radiis constantem facere volui.

Concha peregrina.

Mirabilis autem formæ erat hæc concha, quam, piscísne dicturus sim, an cujuspiam insecti, hæreo, certè huic similem videre non memini: illa enim binas uncias cum semisse erat longa, unciam vel paullò plus lata, septem squamis sive laminellis, quadam subrufâ membranâ per latera simul connexis, constans, quas animalculum, quod ea tectum fuerat, explicare, vel in orbem contrahere pro arbitrio potuisse videbatur: singulæ autem squamæ, tellinarum conchis formâ pænè similes, partim fusco colore, partim albis quibusdam transversis lineis virgatim distincto, erant præditæ. Ex India porrò hanc concham allatam fuisse dicebant.

ET *hæc quidem sunt, quæ istis Sex Exoticorum libris describenda habui, quæque ad extremum annum millesimum sexcentesimum tertium usque à Christi nativitate, ad meam notitiam pervenerunt: ea benevolus Lector boni consulere dignabitur. Ut porrò Batavorum navigatio in exteras regiones satis feliciter procedit, plura me consequuturum confido, quæ satis amplam materiam suppeditabunt, ut alios, præter hos, Exoticorum Libros concinnare queam, si Deus vitam & valetudinem mihi producit. Nam quemadmodum sedulus fui, & nullos labores fugi, aut sumptibus nullis peperci, in adornanda rariorum Plantarum Historia, quas ipse in variis meis peregrinationibus observabam, dum integrâ ætate & vegeto adhuc eram corpore: sic, tametsi ob gravem ætatem & imbecillas corporis vires, aliaque incommoda, jam nusquam prodire mihi liceat, eandem nihilominus sedulitatem spondeo, in describenda eorum Exoticorum Historia, quæ vel meâ pecuniâ redimere, vel amicorum operâ in posterum nancisci potero.*

FINIS LIBRI SEXTI.

CAROLI CLVSI
ATREBATIS
EXOTICORVM
LIBER SEPTIMVS:

SIVE,

AROMATVM,

ET

SIMPLICIVM ALIQVOT MEDICAMENTORVM apud Indos naſcentium HISTORIA:

Primùm quidem Luſitanica lingua διαλογικῶς conſcripta, à D. GARÇIA AB HORTO, Proregis Indiæ Medico;

Deinde Latino ſermone in Epitomen contracta, & iconibus ad vivum expreſſis, locupletioribusque annotatiunculis illuſtrata à CAROLO CLVSIO *Atrebate.*

QVINTA EDITIO,
Caſtigatior & multis locis auctior.

N BENE-

BENEVOLO LECTORI
Carolus Clusius S.

SCRIPSIT *D. Garçias ab Orta, eius, qui in India pro Rege tum erat, medicus, librum de iis plantis & aromatibus, quæ longâ curâ & diligenti studio apud Indos (ubi triginta amplius annis medicinam fecit) observavit: sed Lusitanicâ linguâ, amicorum efflagitationibus victus, tametsi, ut ipse refert, Latinè eum scripsisset. Hunc ego, benevole Lector, in tuam gratiam Latinum faciens, in Epitomen contraxi, paulo forsitan commodiore ordine singula disponens, quàm antè fuerant; atque nonnulla etiam reiiciens, quæ non multum ad rem facere videbantur. Nam cùm singulis ferè simplicibus suum dialogum adscripserit, & ordinem alphabeticum secutus sit noster auctor; multa illum suo loco haud aptè reponere, & pleraque repetere necesse fuit, ut ferè in dialogis contingere solet. Eum verò laborem eo libentiùs suscepi, quòd ab ineunte ferè ætate rei herbariæ studio summopere sim delectatus, tum etiam quòd huius libri lectione excitata præclara ingenia, nostri auctoris exemplum secutura arbitrer.*

CVM *verò variorum auctorum testimonio utatur, locos diligenter contulimus atque adscripsimus, in Avicenna postremam editionem, Venetam scilicet anni* M. D. LXXXII. *secuti. Addidimus insuper ad singula ferè capita adnotatiunculas, sive scholia, eaq; hac postremâ editione multo locupletiora, insuper aliquot aromatum icones ad vivum exprimi curavimus. Hanc porrò nostram operam, istius materiæ studiosis non inutilem futuram arbitror, & quodammodo spondere audeo.*

Ioannes Posthius Germ. Medic.

Gratia magna tibi debetur, Garçia; necnon
Gratia debetur, Carole, magna tibi.
Tu quoniam nobis Latio sermone dedisti,
Ille suis patrio quæ dedit antè sono.
Vestra simul vivent igitur præconia; donec
India fertilibus pharmaca mittet agris.

ARO-

AROMATVM, ET SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM HISTORIÆ

LIBER PRIMVS.

De Ambaro.

CAPVT PRIMVM.



AMBARVM Latinis, Ambar Arabibus dicitur: quo nomine omnibus, quas ſciam, nationibus notum eſt, aut immutato dumtaxat paululum vocabulo. *Ambar.*

VARIA autem circa hujus generationem Scriptorum eſt opinio. Siquidem alii ſperma Balenæ eſſe aſſerunt: alii belluæ cujuſdam marinæ excrementum, aut maris ſpumam (quæ ſanè opiniones ratione carent, quòd nullum Ambarum inveniatur ubi frequentiſſimæ ſunt Balenæ, & ubi fluctuum reciprocatione ſpuma plurima excitatur;) alii Bituminis modo ex maris alveo emanare: quæ opinio melior, & veritati magis conſona pleriſque viſa eſt. *Ambarum Balenarum ſperma non eſſe. Ambarum Bitumen videri.*

AVICENNA lib 11. cap. 67. & Serapio lib. ſimp. cap. 196. ſcriptum reliquerunt, fungorum in rupibus & arboribus more Ambarum in mari generari, & tempeſtatibus unà cum ſaxis interdum in littus eiici: quæ ſententia veriſimilior eſt reliquis ab Avicenna productis. Nam multum flantibus Euris, magna ejus copia Sofalam, & in inſulas Comaro, Demgoxa, Moſambicam, totumque eum tractum eiicitur è Maldivis inſulis, quæ ad Orientem ſpectant. Flantibus verò Favoniis, copioſè invenitur in inſulis quæ vulgò de Maldiva nuncupantur corrupto vocabulo, cùm de Naledìva dicendum ſit: etenim *Nale* lingua Malabarica ſignificat quatuor, & *Diva* inſulam: Naledìva igitur pronunciandum erat; quaſi dicas, Quatuor inſulas, ſimili planè ratione, qua Angedìva vocamus eas inſulas quæ à Goa, Orientalis Indiæ emporio, duodecim leucis diſtant, quòd quinque ſint numero conterminæ; *Ange* enim eorum lingua quinque eſt. Sed hæc præter inſtitutum: non potui tamen horum non meminiſſe, cùm in Maldiva mentionem incidiſſem. *Inſula de Naledìva. Angedìva inſula.*

SCRIBVNT iidem locis ſuprà citatis, Ambarum devorari à piſce quodam Azel nuncupato, ſed qui eo devorato ſtatim extinguatur. Hunc deinde undis fluctuantem regionis illius incolæ uncis in ſiccum trahunt, eoque exenterato Ambarum colligunt: verùm omne improbari, præter id quod ſpinæ adhæſerit, id enim pro temporis diuturnitate purum & legitimum eſſe. Sed hæc eorum opinio erronea mihi videtur. Nam veluti certum eſt animalia quærere alimentum naturæ ſuæ conveniens, & minimè noxium (niſi fortè cibis innoxiis admiſto decipiantur, quemadmodum mures fallere ſolemus) ſic etiam haud quaquam veriſimile videtur, hunc piſcem Ambarum venari, ſi eo devorato ſit periturus. Imò cùm Ambarum ſit ex eorum numero quæ maximè cordis vires reficiunt; dixerim hunc piſcem præſentaneum eſſe venenum, quandoquidem tam eximio medicamento devorato perit. *Azel piſcis. Ambari eſu Azel non interire. Ambarum cor reficit.*

SCRIBIT Avenrois 5. collig. cap. 56. Caphuræ genus inveniri natum in maris alveo, quod deinde aquis ſupernatet: laudatiſſimum verò id cenſeri quod Arabibus *Aſcap* dicitur. Quàm verò ejus opinio à veritate ſit aliena, & tanto viro inſignique Philoſopho indigna; clarius eſt quàm ut multis demonſtrari debeat: primùm quòd Caphuram in mari naſci dicat; deinde quòd eandem quæ frigida eſt & ſicca tertio gradu, Ambari genus faciat, quod calidum & ſiccum conſtituit ſecundo ordine. *Caphuram Aſcap non eſſe Ambari genus.*

SVBIICIEMVS verò nonnulla vocabula quæ apud Serapionem & Avicennam occurrunt. Magnam ejus copiam ex regione Zing Serapio lib. ſimp. cap. 196. adferri aſſerit. Hæc eſt Sofala. Nam *Zingue* aut *Zangue* Perſis & Arabibus idem ſignificat quod niger Latinis: & quoniam totus ille maritimus Æthiopiæ tractus à nigris incolitur; Serapio eam Zingue vocat. Sic Avicenna lib. 2. cap. 63. epitheton illi addit Almendeli, quaſi de Melinda: item Selachiticum,[a] à Zeilan fortè laudatiſſima totius Orientis inſula, quam falsò

urbem esse Lacuna commentario in Dioscorid. lib. 1. cap. 20. existimavit, cùm sit insula multis urbibus exculta.

Hæc sunt quæ ab Arabibus traduntur: nullus autem Græcorum, præter Aëtium, hujus meminit.

Auctoris de Ambaro opinio.

Ceterum hæc mea est opinio. Veluti pro regionum naturâ terra interdum rubra est, ut bolus armenus; interdum candida, ut creta; nonnunquam nigricans: sic verisimile est, aut insulas, aut terras similis cum Ambaro formæ inveniri, quòd terra sit aut fungosa, aut alterius generis. Quod verum esse testatur magna ejus quæ reperitur quantitas. Siquidem inventa sunt interdum fragmenta humanæ magnitudinis, interdum nonaginta palmorum longitudinis, duodeviginti verò latitudinis. Affirmârunt nonnulli se insulam ex puro Ambaro vidisse, quam cùm postea requirerent, nusquam comparuisse.

Insula ex Ambaro.

Promontorium Comorim.

Anno quinquagesimo quinto supra millesimum & quingentesimum, circa promontorium Comorim, quod è regione insularum de Maldiva est, fragmentum trium ferè milium pondo repertum est: sed cùm is qui inuenerat, picem aut bituminis genus esse existimaret; vili admodum vendidit. Maximum verò quod vnquam viderim fragmentum, quindecim libras pendebat. Sed qui in Æthiopiam commercii causa navigant, multo majora fragmenta se vidisse affirmant: totus enim ille Æthiopiæ tractus, à Sofala ad Brava usque, Ambaro abundat.

Ambari fragmentum 15. libras pẽdens.

Invenitur etiam interdum, sed rarò, in Timor, & in Brasil. Et anno M. D. XXX. inventum esse fragmentum audio in Setubal Lusitaniæ portu.

Refertum verò est plerumque avium rostris,[b] quas in eo nidulari credibile est; interdum conchyliis testisque ostreorum permixtum invenitur, quæ contactu Ambaro adhærent.

Ambari delectus.

Porrò optimum Ambarum censetur, quod à sordibus maximè repurgatum est, quodque plurimùm ad candorem accedit, videlicet quod cinerei sit coloris, aut quod ex venis, nunc cinereis, nunc candicantibus constet, leve, quodque acu perfossum multum oleacei liquoris resudet. Nigrum improbatur, præterea candidissimum, teste Serapione, loco suprà citato: quod gypso adulteratum esse existimo.

Nota est Manardi contradictio, qui in Electario de Gemmis dist. 1. in comp. Mes. Ambarum rem novam esse affirmat, eamque non magno æstimat, sed paulo pòst in Electario Diambra ibidem, quasi sui oblitus, hanc compositionem ob Ambarum multis laudibus effert, eoque se in mulierum & senum morbis sæpenumerò uti asserit.

Magna verò in æstimatione est apud opulentiores Indos; eo enim cibis permixto frequenter utuntur medicamenti loco. Ejus autem pretium intenditur pro fragmentorum magnitudine: quanto enim majus est fragmentum, tanto ejus intensius est pretium; non secus atque in Gemmis. Sed nusquam pluris venditur quàm in Sinarum regione. Cùm enim à nostris Lusitanis ejus exigua copia eò delata esset; precium fuit mille quingenti aurei in singula Cate, quod apud eos ponderis genus est pendens viginti uncias. Hujus lucri cupiditate deinde alii mercatores allecti, tantam Ambari detulerunt eò copiam, ut nunc multo vilioris æstimetur.

Ambarũ magna in æstimatione apud Sinenses.

Cate ponderis genus.

[a] *Posteriora exemplaria habent Ase'eheti.*

[b] *Huiusmodi rostella in ambaro reperta, mihi dedit* M. *Hugo Morganus Pharmacopœus diligentissimus: sed ea non avium, ut putat noster Auctor, verùm Septarum esse deprehendi, à Nicolao Rasio Chirurgo Regio edoctus.*

Ceterùm Ferdinandus Lopez de Castagneda, qui rerum à Lusitanis in India Orientali gestarum historiam scripsit, lib. IV. *cap.* XXXV *dicit, selectissimam Ambram in insula Maldiva inveniri, cuius generationem quùm fieri tradat diversam ab ea quam ceteri scribunt, non abs re futurum existimavi, si qua de generatione Ambræ tradit, ex Italico sermone conversa hic subiicerem.*

Maiores insulæ de Maldiva, archipelagi illius interioris, multas odoriferas herbas producunt, quas depastum veniunt magna quædam aves ab incolis Anacangrispasqui *nuncupatæ. Istæ aves in rupibus & scopulis earum insularum secundum maris litus sitis versantes & aggregatæ, stercus egerunt quod Ambra est, cuius tria genera faciunt: unum album, ipsis scopulis, uti egestum est, inhærens, quod probatissimum censent &* Ponahambar, *hoc est, auream ambram appellant, maioris quàm reliqua pretii, quòd paucâ quantitate & maiore difficultate reperiatur, quàm alia duo genera, quæ cineracei & nigri sunt coloris, ac ex albo originem trahunt. Ex istis quos dixi scopulis, tempestatum vehementiâ, temporis successu, magnis fragmentis in mare cadit hæc ambra, & in littus eiicitur: id* coambar *dicitur, id est, aqua ambra, quoniam aquarum fluctibus valdè eluta, magnam suæ probitatis partem perdidit: tertium, quod nigrum,* maniambar *vocant, quod significat piscis ambram; nigredinem enim contraxisse existimant, quòd à Balenis aut aliis piscibus inter istas insulas versantibus devoratum fuerit; qui illud concoquere non valentes, rursus evomuerunt: id autem est omnium vilissimum, quia penè totam facultatem amisit. Hæc Castagneda.*

Qvid *porrò sit legitimum Ambarum, atque quo modo nascatur, dicam quod Francoforti ad Mœnum anno* M. D. XCIII. *paullò ante meum ex ea urbe abitum, mihi referebat vir probatæ fidei mihiq; amicus Dn. Servatius Marel, Burgundus; qui multas regiones peragraverat, Ambarique, Moschi, Gemmarum & similium rerum mercaturam exercuerat. Quum enim de Ambaro inter nos sermo incidisset, ille ad me, Exploratúm-ne habes quidpiam de Ambaro? non inquam,*

quam, præter ea quæ ex Garciæ Aromatum historia, & libello Nic. Monardis De simplicibus medicamentis è novo orbe delatis didici. Legi, inquit, utrumque; illum quidem à te Latinum factum, hunc verò Hispanico sermone evulgatum. Sed quid aliud adferunt, quàm Auctorum dubia testimonia, qui cæcutientes, tamquam in tenebris versantur? Mihi autem crede, Ambarum nihil aliud esse quàm recrementa quædam in ventriculo Balenæ veræ multo tempore collecta, veræ inquam, quia plerique Cetaceos alios pisces, ut Orcadem, Physeterem & similes magnis dentibus præditos Balenæ appellatione donant. Balena autem legitima nullos dentes habet, sed integros pisces vorat, & mollibus inprimis delectatur, ut polypis, sepiis & similibus, quibus in ventriculo non probè confectis, necesse est multam viscidam materiam in eo generari, quam postea simul congestam, & ventriculum nimis gravantem, vel singulis annis, vel breviore temporis spatio reiicit. Ista materia tamdiu in ventriculo adservata, deinde reiecta, & mari innatans, Ambarum est, in quo interdum polyporum devoratorum rostella deprehenduntur. Si Balena, liberato iam recens ab illa materia ventriculo, capiantur, nullum ambarum habere reperientur; si aliquanto post reiectam materiam, aliquid quidem habebunt, sed deterius, nec probè excocti: atque ita paulatim crescens illa materia congesta, probitatem vetustate adquirit, ut si, ante quam ventriculus illâ materiâ liberatus sit, Balena capiatur, plurimum & optimum reperietur. In aliorum verò Cetaceorum, quos antè retuli, ventriculo, frustrà requiras: itaque nihil mirum, si qui captos eos secuerunt, Balenas esse existimantes, nihil ambari in illorum ventriculo repererunt.

Probari autem asserebat Ambarum cineraceo quodammodo colore præditum, illud verò optimæ esse notæ indicium, si eius fragmentum candenti ferro, laminave ferreæ benè calefactæ, aut cultello applicatum, veluti in oleum resolvatur, quod naribus admotum suavem odorem spiret.

Ceterum de Ambra consulendum censeo Nobilissimum & C. Virum Iulium Cæsarem Scaligerum De Subtilitate ad Cardanum, Exercitat. CIII. *Sect.* 10.

ADVEHITVR *porrò Hispalim, totius, non dicam Bæticæ, sed etiam Hispaniæ celeberrimum emporium, olei quoddam genus ex America, subrufi coloris, cuius mirabiles prædicant effectus in omnibus uteri morbis. Id oleum de Liquidambar nuncupant, eius sanè odoris ferè, qui Styracis odorem æmuletur. Id verò ex eo liquore exprimitur, quem* Ocosotl. *de Ocosotl arbore stillare, Mexicana historia tradit in hunc modum: Inter arbores Mexicanas memoratur & Ocosotl arbor prægrandis & venusta, foliis hederæ similibus. Huius liquor quem Liquidambar nuncupant, vulnera curat, atque* Liquidambar. *cum corticis ipsius polline permixtus, elegans odoratumq; suffimentum præbet. De hoc verò Liquidambar consulendus Nicolai Monardi liber de Medicam. simpl. ex novo orbe delatis, quem nos Latinum fecimus, cap. de Liquidambar.*

De Aloë.

CAPVT II.

QVÆ Aloë Latinis, ἀλόη Græcis, hanc Arabes, Persæ, & Turci *Cebar* vocant, (nam *Aloë.* quòd *Laber* à Serapione dicatur, Interpretis errore, aut Librariorum negligentia *ἀλόη.* factum esse existimo; siquidem Arabicum exemplar *Cebar* habet) Guzarate verò *Cebar.* (quos Gedrosios putant) & Decan incolæ *Areaa*; Canarini, qui maritimum hunc tractum *Areaa.* habitant, *Catecomer*; Hispani, *Açibar*; Lusitani, *Azeure* appellant. *Catecomer. Açibar.*

FIT ex Aloës herbæ siccatæ succo, quæ plurima nascitur in Cambaya, Bengala, aliisque *Azeure.* multis locis. Ceterùm laudatissima est in Socotora, quæ inde ad Arabes, Persas, Turcos, *Aloës natales.* denique per universam Europam defertur, eamque ob causam Aloën Socotorinam appellant. Distat autem hæc insula à freto [maris Erythræi] centum viginti octo leucis: quâ *Aloë Socotorina.* de re non minùs Arabica quàm Æthiopica dici potest, quòd alterâ parte freti Arabia terminetur, alterâ Æthiopia. *Socotora insula.*

NEC verò succus hic extrahitur in quadam dumtaxat urbe, ut ait And. Lacuna Com. in Diosc. lib. 3. cap. 23. sed per totam insulam, quæ nullis urbibus exculta est, pagosque *Socotora nullas urbes habet.* dumtaxat habet cum multis gregibus: neque laterculis ad excipiendum succum substernitur pavimentum, ut idem auctor est, quandoquidem in totâ insulâ non est tanta polities.

Nec hi audiendi qui succum ex superiori plantæ parte profluentem, eo qui mediâ aut infimâ parte profluat, præstantiorem faciunt: siquidem omnis succus bonus est, & arenâ caret, si adhibitâ diligentiâ extrahatur.

PRÆTEREA non adulteratur; nimia etenim ejus est quantitas: sed quòd incolæ ne- *Aloën non adulterari.* gligentiores sint in auferendis sordibus quas hic succus secum trahit; alius alio pejor videtur. Hanc ob causam minùs adhibenda fides est Diosc. lib. 3. cap. 23. & Plinio lib. 27. cap. 4. qui eam gummi & acaciâ adulterari scribunt, cùm exigua sit iis in regionibus gummi & acaciæ copia: imò, ut verum dicam, nulla, quemadmodum à viris fide dignis accepi. Illud verò non negaverim, quin translatum, aliis in regionibus adulterari possit.

PORRÒ quòd laudatissima sit quæ in Socotora nascitur, non solùm vulgari famâ, sed *Aloë Socotorina optima.* à celebribus viris accepi, qui compertum se habere aiebant, Aloën quidem plerisque aliis Indiæ locis nasci, quæ cum Socotorina deferretur Adem, & Gida (quam nonnulli corrupto nomine Iudaa vocant) & inde terrestri itinere ' Cairum, postea in Alexandriam, ad ostia Nili; vel Ormus, deinde Baçora, postea Cairum & Alexandriam: facilè tamen dignosci eam quæ in Socotora nascitur, ab hac quæ à Cambaya, Bengala, aliisque locis advehitur: Socotorinæque pretium quadruplo majus esse, illius quæ aliunde adfertur pretio.

Aloës delectus. Inter reliquas autem notas hanc commendabant, quòd Socotorina solida sit & bene compacta; alterius verò partes non possunt perfectè coire, quòd succus ex diversis plantis collectus sit.

Vnicum esse Aloës genus. Nec ejus plura sunt genera, ut volunt Arabes, sed unicum dumtaxat, tametsi varia illi indant nomina.

Qvod verò Dioscorides & Plinius scribunt laudatissimam ex India adferri, alii verò ex Alexandria aut Arabia; non simpliciter id intelligendum est, sed de ea quæ ex Socotora primùm in Indiam delata est. Nam etiam ex Cambaya & Bengala defertur Ormus, Adem, & Gida. Itaque minùs malè Mesue, qui vnum Aloës genus ex Socotora adferri scribit, aliud è Persia, tertium ex Armenia, quartum ex Arabia. Nam quæ in Lusitaniam *Aloë Alexandrina.* defertur (uti his oculis vidi) ea ex Socotora allata est. Alexandrinam autem à quibusdam præferri hinc factum est, quòd superioribus annis pleraque aromata Ormus deferrentur, deinde Basora, Adem, Gida; inde Camelis Suez, quæ in extremo maris Erythræi sita est, & Alexandriam ad Nili ostium, unde Veneti petentes ea reliquæ Europæ communicabant: non autem quòd in Alexandria fiat Aloë.

Aloën plantam non in maritimis dumtaxat nasci. Nascitvr verò non modò in maritimis, sed etiam desertis Indiæ locis, cùm illam ubique viderim, ducentis leucis itinere terrestri per eas solitudines confecto. Nullum ejus inveniri gummi certum est, sed interdum aqua quædam viscida è foliis stillat, neglecta & nullius efficaciæ.

Hvivs usus est non modò apud Arabes Turcosque medicos (qui Avicennam, Abohali apud eos dictum, & ejus libros quinque *Canum* edidicerunt, legeruntque Razen, quem *Mesue Arabicus alius à nostro, Menxus.* Benzacaria vocant, item Hali Rodoam & Mesuen illis Menxus appellatum, tametsi non is sit qui apud nos in usu est; Hippocratis præterea, Galeni, Aristotelis & Platonis omnia opera, minùs tamen integra, quàm Græco sermone conscripta) sed etiam apud Indos, in purgantibus medicamentis & collyriis, tum etiam in vulneribus carne explendis: in quem *Mocebar medicamentum.* usum plerumque in suis officinis medicamentum habent, cui nomen Mocebar, ex Aloë & Myrrha paratum, quo etiam plurimùm utuntur in equis curandis, & vulnerum lumbricis enecandis.

Medicvm vidi Magni Sultani Badur Regis Cambaya, ipsa herba Aloë utentem pro medicamento familiari, in hunc modum. Folia Aloës concisa cum sale coquebat, ejus decocti octo uncias propinabat, quæ alvum sine molestia & nocumento subducebant quater *Aloës plantæ medicus usus.* aut quinquies. In hac urbe Goa Aloën probè tusam & cum lacte mixtam propinant iis qui vlcere renum aut vesicæ laborant, vel qui purulentas excernunt urinas, non sine magno successu & ægrorum commodo; nam illicò curantur. Illius usus etiam Aucupibus notus est, qui confracta avium crura eâ conglutinant. Hìc similiter in India, maturandis phlegmonibus idonea.

Qvamobrem hallucinari mihi videtur Matthiolus in Dioscoridem lib. 3. cap. 2. qui Aloën ad spectaculum potiùs foveri asserit quàm ad medicum usum. Quòd verò Anto- *Aloë planta amara.* nius Musa in Exam. simpl. neget Aloën herbam amaram esse, magis mirum: nam sæpè degustatam admodum amaram inveni; quoque vicinior pars erat radici, eo amarior mihi visa est; extrema autem folia amaritudine carere mihi videbantur. Tota planta viroso odore prædita est.

Cetervm quoniam controversia est inter nonnullos Auctores, debeántne ea medicamenta quæ Aloën accipiunt, ante cibum sumi, an verò secundùm cibum, & an illico à cibo; pauca visum est hìc adiicere, tametsi à doctioribus medicis potiùs hæc erant petenda. Galenus [b] ejus quinque catapotia exhibet, & bene quidem, quoniam hac ratione capitis dolores sedat. Plinius autem lib. 27. cap. 5. efficaciorem esse, si pota ea sumatur cibus, modicus videlicet & boni succi: quæ ratio multum mihi probatur, eamque sequuntur hujus regionis medici. Cùm enim Aloë medicamentum sit debile, non evacuabit, nisi statim vires confirmentur modici cibi ejusque boni succi sumptione, ut eo digesto meliùs evacuare possit. Paulus lib. 7. cap. 4. contrà, [c] manè sumendam præcipit, eosque reprehendit qui eam à cibo exhibent: corrumpit enim, inquit, cibum. Singuli suis nituntur firmis rationibus & Auctoribus; sed conciliari facilè possunt. Cùm verò controversia sit admodum vulgaris, & à multis agitata, an cibus cum medicamento misceatur, supervacaneum esse iudico de his plura agere.

Sed præter institutum facere mihi non videbor, si hìc paucula quædam inseram de *Medicamenta exhibẽdi apud Indos ratio.* vulgari ratione quam Indi medici in exhibendis medicamentis observant. Catapotia & liquidiora medicamenta summo diluculo exhibentur, nostratium more; abstinent deinde quinque horarum spatio à cibo, potu, & somno. Quòd si infra hoc tempus non purgentur, roborando stomacho student ex Avicennæ præcepto, quod fit sumptis duabus

mastiches

mastiches drachmis in stillaticio rosarum liquore dissolutis, alvum bubulo felle inungentes, pannumque lineum felle madentem umbilico imponentes, ad medicamenti operationem juvandam, expultricemque facultatem excitandam, si opus sit. Sin post has quinque horas bene solvetur alvus, propinantur illis tres unciæ jusculi gallinæ, aliud præterea nihil: deinde hausto rosaceæ aquæ pauxillo, parumper somno indulgent. Hæc medicandi ratio suis rationibus & scriptorum testimoniis niti videtur.

TAMETSI Ruellius lib. 3. cap. 19. magnopere commendet potionem illam Rufi quæ Aloën, ammoniacum, myrrham & vinum recipit; ibique occasionem nactus, acriùs in Arabes invehatur, qui rejecto ammoniaco & vino, Catapotia ex Aloë, croco, & myrrha concinnent, eamque compositionem acceptam Rufo referant: facit pro suo recentiorúmque scriptorum more, qui Arabibus plerumque iniquiores sunt, ut Græcos tanto magis extollant. Non negaverim certè Rufi medicamentum singulari remedio pollere adversus pestis contagia: Illud tamen certum est, Catapotia Rasis, quibus utimur, efficax esse medicamentum, ut multi magno successu experti. Additur verò Crocum, quoniam corroborat & aperit, tum ob alias facultates quibus præditum est. *Potio Rufi.* *Catapotia Rasis.*

MANARDUS, lib. 1. epist. 1. aliique nonnulli recentiores acerrimè in Mesuen, Serapionem, & Avicennam invehuntur, quòd affirmaverint Aloën venarum oscula adeò reserare, ut inde postea sanguis facilè fluat, eamque ob causam hæmorrhoïdibus non convenire: deinde quòd scripserint melli admistam minùs purgare minusque stomacho noxiam esse, quàm reliqua purgantia medicamenta. Dicunt enim Manardus & huic similes, Aloën non modò non aperire hæmorrhoïdes, sed eas potiùs obstruere: neque rectè scribere Mesuen, qui illam stomacho minùs noxiam faciat, quandoquidem huic sit admodum utilis, nec nocumentum aliquod adferat, melliqque admista magis evacuet reliquis purgantibus medicamentis. Priora confirmant Galeni auctoritate: postremum verò, quòd mel, cùm sit purgantis facultatis, alteri purganti adjunctum necessariò magis debeat purgare. Rectiùs Antonius Musa, Exam. simpl. qui in nullius magistri verba jurans, Mesue opinionem confirmat, sæpiùs expertum se esse affirmans, Aloën hæmorrhoïdas aperire. Sic & sæpenumero expertus sum summos dolores cum hæmorrhoïdum fluxu excitasse, quod facilè præstare potest Aloë ob amaritudinem, venarum oscula reserando, & expultricem facultatem irritando. Hac ratione purgat fel animantium, umbilico illitum, teste Serapione, lib. simpl. cap. 201. Quòd verò oscula venarum obturare asserant, cum Iacobo de partibus respondeo, foris quidem adhibitam adstringere, intrò autem sumptam aperire. Quam facultatem obtinent pleraque medicamenta, quæ intrò sumpta, diversas & contrarias vires exerunt, quàm si foris adhibeantur; veluti Scilla, quæ comesta enecat, foris illita exulcerat. Ad ea quæ obiiciunt de melle, Mesuen videlicet asserere, Aloën cum melle mixtam minùs purgare, sic responsum volo: Quandoquidem utrumque medicamentum purgatoria facultate præditum est, validioris facultatem, debilioris, mellis scilicet, facultate infringi: Sic etiam stomachum roborat & firmat accidentaliter, evacuando videlicet sine nocumento, aut eo certè perexiguo, humores qui ventriculum infestant. *Aloë hæmorrhoïdibus non convenit.* *Aloë hæmorrhoïdes obstruit.* *Aloës diversi effectus.* *Aloë stomachum roborat per accidens.*

PLINIUM lib. 27. cap. 4. mirari subit, qui Aloën metallicam supra Hierosolymam inveniri tradit[d]. Ego non modò medicos Iudæos, sed etiam Pharmacopolas qui Hierosolymorum incolas se asserebant, diligenter interrogavi de hoc Plinii loco. Sed illi constanter negabant unquam fuisse repertam hujusmodi Aloën tota Palæstina. *Nulla Aloë fossilis.*

[a] *Cairum, antiquitus Memphis, Pyramidum celebrata miraculis; quæ & in hunc diem perdurant. Ibi fuisse Ioseph captivum ferunt, & adhuc horrea quibus frumentum condidit, ostendi. Vocatur autem à Mauritanis Mesera: sed quoniam Regina quædam Alcaire nuncupata eius pomœria auxisse creditur, ab eius Reginæ appellatione nomen Cairo sortita est. Cœpit verò hæc urbs populi frequentia paulatim minui, postquam Turcorum Imperator, Constantinopoli occupata, illic regiam fixit sedem, confluentibus nimirum eò hominibus. Hæc ex Garciæ parergis.* *Cairum. Mesera.*

[b] *Galeno adscriptus ad Paternianum cap. 5. tria grana ciceris magnitudine dat post cœnam.*

[c] *Aloën post cibum etiam exhibet idem Paulus lib. 3. cap. 43. quam controversiam Nicolaus Rorarius in suis contradictionum veterum auctorum libris conciliat.*

[d] *Non affirmat eo loco Plin. talem inveniri; sed, Fuere, inquit, qui traderent in Iudæa super Hierosolymam metallicam eius naturam.*

De Altith.

CAPUT III.

TANTA est in nominibus Altith, Anjuden, Asa fœtida, Asa dulcis sive odorata, & Laserpicium confusio, ut vix explicare me possim: quandoquidem hactenus neminem invenire licuerit, qui plantæ, ex qua hoc gummi profluat, nomen indicare, aut formam describere mihi potuerit.

VOLVNT nonnulli ex Corasone ad Ormuz,& inde in Indiam deferri: alii ex Guzarate, tametsi istic ex regno Deli adferri vulgo asserant, regione admodum frigida, quæ ad Corasone usque & regionem Chiruam ex Avicennæ lib.11.cap.52.testimonio extenditur.

Altiht. Antit. Imgu. Imgara. ILLVD autem certum est, hoc gummi *Altiht* Arabibus dici, nonnullis *Antit*: nam cuicumque Arabi gummi *Imgu* aut *Imgara* ab Indis vocatum ostenderis, statim id *Altiht* sive *Antit* esse pronuntiabit.

Anjuden. Angeidan. PLANTA ex qua hic liquor emanat, incolis *Anjuden*, quibusdam *Angeidan* dicitur. Sed quoniam hoc gummi è longinquis adfertur regionibus, veram plantæ descriptionem habere difficile est.

MVLTIS ab Avicenna lib.11.cap.52. nominibus insignitum est hoc medicamentum, Almharut. veluti est *Altiht Almaharut*, propter linguarum in regionibus, unde advehitur, varietatem.

Asa. QVID autem Interpretem moverit, cùm *Asam* vertit, ignoro, nisi quòd verisimile sit eum non Asam, sed Laser vertisse; idque vocabulum deinde temporis injuria in Asa depravatum esse.

PORRO dicet aliquis *Altiht* non esse nomen plantæ Laseriferæ, sed ipsius potiùs succi concreti & coacti: cujus sententiæ esse videtur Gerardus Cremon. Commentariis in Rasin, cap. de Diminutione coitus, lib. Divis.1. cap.79. Huic sic responsum volo, Gerardum veram linguam Arabicam ignorasse, cùm ex Bætica Hispaniæ oriundus fuerit; lingua verò qua Avicenna scripsit, legitima est Arabica, qua videlicet Syri, Mesopotamii, Persæ, & Tartari utuntur, apud quos Avicenna natus creditur urbe Basora (quæ nonnullis Babylon fuisse putatur, certò tamen rescivi Babylonem eam non esse, sed proximam huic fuisse cujus nulla nunc extent vestigia) in provincia Vzbeque sita. Vzbeque. (Est verò Vzbeque pars Tartariæ, strenuos producens viros, & peritissimos sagittarios, qui tum pedestres, tum equestres peregrinorum Regum stipendiis militant: fortè autem Parthi sunt, Romanis olim adeò infesti & formidabiles.) Eam igitur linguam vocant illi *Araby*, id est, Arabicam, qua videlicet scripta inveniuntur Galeni, reliquorumque Philosophorum, & falsi Prophetæ opera. Nostrorum verò Mauritanorum linguam *Magaraby* nuncupant, quasi dicas, eorum qui ad Occidentem habitant; siquidem *garby* Occidentem Arabicè sonat, & *ma* eorum.

Altiht. CETERVM *Altiht* nihil aliud est quàm ipsa planta Laserifera, veluti plerumque sumitur gummi pro ipsa planta.

Asa dulcis. VERVM obiiciet aliquis: Si *Altiht* non est Asa dulcis, quid est Asa dulcis? Asam dulcem apud nullum probatum Auctorem, sive Arabem, sive Græcum, sive Latinum, legisse memini. Sed cùm Arabes liquorem *çuz* vocent; eum verò qui probè coctus sit & densatus, Robalçuz. *Robalçuz (Rob* enim Arabicè densatum sonat, & *Al* est articulus genitivi apud Arabes) hinc depromptum esse nomen Asæ dulcis verisimile est.

CETERVM *Altiht* Arabum, esse Laserpitium Dioscoridis & Plinii, tametsi nemo legitimorum Arabum (qualis est Rasis & Avenrois) usquam ejus meminerit; satis ostendit Serapio lib. simpl. cap.251. qui de *Altiht* agens, ad verbum ea refert quæ Galenus & Diosc. de Laserpitio scripsere. Infirma ergo eorum opinio qui multis argumentis probare conantur, Asam fœtidam à Laserpitio differre. Asa fœtida eadem cum Laserpitio. Nam quòd Laserpitium veterum in cibos admissum esse aiunt, Asam verò fœtidam medicamentis solùm utilem, idque raro; in cibis verò planè damnari ob tetrum odorem; plurimùm falli mihi videntur. Siquidem nullum medicamentum simplex per totam Indiam majore est in usu, quàm Asa fœtida, cùm in medicamentis, tum condiendis cibis. Asa fœtida magno in usu Indis. Eam enim pro suarum facultatum modo sibi emunt, cujusmodi sunt Baneanes * & omnes gentiles provinciæ Cambayæ, quos Pythagoras imitatus videtur. Asa in condimentis. Solent illi Asam suis jusculis & oleribus commiscere, confricato primùm ex ea lebete; nec alio condimento utuntur omnibus in cibis. Bajuli & hujusmodi tenuis fortunæ homines, quibus dumtaxat panis est & cepe, non nisi summa in necessitate ea utuntur.

COMMENDARVNT mihi multi condimenta istorum Baneanum cùm à saporis tum ab odoris suavitate. Horum oratione persuasus aliquando ejusmodi condimenta degustavi, quæ sanè sic satis palato arridebant, non tamen adeò ut illi prædicabant; quoniam fortè neque jusculis neque condimentis valde delector: odore certè suo non erant molesta, tametsi nullus odor æquè mihi infestus sit atque Asæ fœtidæ.

Asa facultas. SVMVNT verò nonnulli Asam, ut dejecti appetitus fastidia tollant; initio enim aliquantulum amara est Asa, ut sunt olivæ conditæ; deinde devorata mirum in modum illis bene sapit. Solent etiam plerique ea sola ad stomachi corroborationem, flatusque discutiendos, medicamenti loco uti. Quamobrem multùm hallucinantur, qui Sepulvedam secuti nullo esse in usu medico asserunt, nisi aliis medicamentis permistam.

LEPIDAM porrò historiam quæ in Bisnager contigit, prætermittere nequeo. Lusitanus

tanus quispiam istic vivens equum habuit maximi pretii, quem illius Provinciæ Rex libenter emisset, nisi multis flatibus obnoxium comperisset. Lusitanus asam farinæ permixtam equo præbet edendam, & flatuum morbo liberat. Equum jam sanum emit Rex, & quâ ratione curatus sit, percontatur. Respondet Lusitanus, Imgu sive Asam edendam dedisse. Tum Rex: haud sanè mirum si curatus, cùm Deorum cibo illum paveris. Ad hæc Lusitanus, sed mussitans, ne exaudiri posset, & Lusitanico quidem sermone, verius cacodæmonum cibum nuncupasse.

SED non possum non mirari Matthæi Sylvatici cap. 47. de *Anjuden* oscitantiam, qui Galen. citans, venenum esse asserit. Nam neque Galenus, neque Græcorum quispiam id unquam scripsit, cùm omnes uno ore Laser magnopere commendent adversus venena, pestis contagia, lumbricos, & scorpionum plagas.

SOLENT Indi cavernis dentium indere in dolore: quam facultatem etiam illi tribuit Dioscorides lib. 3. cap. 76. tametsi Plinius lib. 22. cap. 23. id non censeat, exemplo cujusdam, qui hac de causa sese ex alto præcipitavit. Sed is forsitan cachexia laboravit, & medicamentum eos humores qui turgebant, nimium commovit. *Asa in dolore dentium.*

MAGNI apud Indos est pretii, quòd eo plurimum utantur etiam in Venere proritanda. Radicis verò aut foliorum apud eos nullus est usus; sunt enim illis incognita. *Asa Venerem stimulat.*

IS autem quem supra dixi Asa sola sæpius uti, referebat sibi narratum esse succum hunc ex planta quadam foliis Coryli extrahi conciso caule, deinde in bubula coria conjici, prius illita sanguine cum tritici farina permisto, conservationis gratia: eamque ob causam si quid in Lasere furfuribus simile conspiciatur, non adulterationis, sed puritatis potius esse indicium. Atque interrogatus doctus quidam Baneanes, cur Asa vesceretur, quandoquidem admixtus esset bubulus sanguis? respondit ejusmodi esse medicamentum, ut hæc regula minimè in illo observanda sit. *Laseris descriptio.*

FREQUENS verò est in Mandou, Chitor, & Deli; præterea ex Ormuz advehitur in Pegu, Malaca, Tanasarim & regiones his vicinas.

PORRO Laseris duo genera ad Indos adferuntur, alterum sincerum & translucens; alterum turbidum & impurum, quod à Baneanibus repurgatur ante quam in cibos admittatur. Sincerum colore est puro, Electro simili, id Guzarate convehitur ex Chitor, ut ajunt, & ex Patane & Dely. Impurum ex Ormuz adfertur. Majoris pretii est sincerum; neque facile Mercatores impurum emunt (solet autem id magna ex parte in tenuiorum cibos & medicamenta cedere) nisi in purioris defectu. Sincerum validioris est odoris, quàm sordidum. utrumque tamen mihi fœtet, sed id magis quod sincerius esse putatur. Qui verò ejus usui assueverunt, sincerius, odoratius esse asserunt; quod quadam consuetudine fit. Multis enim malè olent Styrax liquida & Algalia propter validum odorem, cùm tamen maximâ ex parte sint odorata. Sic neutrum Laser mihi Porrum redolet, sed ad nostram myrrham nonnihil accedere videtur. Hinc factum puto, ut Avicenna Asam diviserit in fœtidam & odoratam, quòd fœtidam porraceo odore esse asserent, cùm non ita sit. Siquidem veteribus odoriferum dicebatur, non quòd suaviter oleret, sed quòd validi esset odoris. Sic vocant calamum odoratum, qui multorum judicio fœtidus potius dicendus erat: eadem ratione Myrrha validi est odoris, Aloë validioris, & hanc adhuc Spica nardi odore superat. Multos enim ægros purgavi qui à Rhabarbaro abhorrebant, quòd illi Spicam admiscerem. *Laseris duo genera.* *Styrax liquida.* *Algalia.*

MIRARI subit Antonium Musam, Exam. simp. adeò credulum fuisse, ut his fidem adhiberet, qui Beniuy (quod veteribus fuit ignotum, ut postea ostendemus) plantam consimilem Silphio esse affirmârunt. Sed de his plura suo loco.

SIC Ruellius vir eruditus & omni laude dignus, lib. de natura stirp. 3. cap. 52. scribit in Gallia nasci crassam magnamque radicem, foris nigricantem, intùs candidam, quæ cum suo liquore & semine mirâ fragret jucunditate. Huic ob insignes virtutes illustria indiderunt nomina: namque modò Imperatoriam, modò Angelicam, modò sancti Spiritus radicem appellant Herbarii; eique calfacientem siccatoriamque vim in tertio signant abscessu. Unicè venenis adversari tradit, pestilentiæ populatim sævientis arcere contagia: corpora ab lue pestiferâ vindicare, si tantùm in ore teneatur, per hiemem ciceris magnitudine cum vino, per æstatem ex stillaticio rosarum liquore sumpta: nec sensurum ea die contagionem ait, quâ quis devorârit; nam urinâ & sudore venenum abigit: sic etiam adversus fascinationes valere, aliosque præterea morbos, quos brevitatis causâ omitto. Hanc igitur esse Laserpitium Gallicum, cujus Veterinarii medici meminerunt. Et si quis nares consulat, inveniri Laser illud idem quod Benjuinum officinis appellatum redolere. Nam & doctos in ea esse opinione, ut quod ab officinis Benjuinum sive Ben Iudæum appellatur, Laseris sit Syriaci genus, dictum quòd Iudæa parens hujus mittat ad nos prolem suam. *Imperatoria, Angelica, ejusque facultates.* *Laserpitium Gallicum.* *Benjuinum.* *Benjudæum.*

SED

SED ejus opinionem cap. de Benjuino, multis & solidis argumentis convellemus. Ejusdem sententiæ fuisse aliquando (ut videlicet Benjuinum Laser esse putaret) ipse Matthiolus Commentariis suis lib. 3. cap. 78. scribit; veritate tamen coactum, sententiam mutasse.

Baneanes. * *Quoniam hoc capite totóque adeò opere de Baneanibus differit noster Auctor, quod genus hominum sit, necesse est scire. Eorum igitur Philosophorum quos Baneanes vocant (tametsi nunc potiùs Negotiatores appellandi veniant, quàm Philosophi) multa sunt genera, in hoc convenientium, ut neque occidant rem aliquam animatam, nedum eâ vescantur. Hoc præceptum adeò strictè observant, ut plerumque aves redimant, deinde eas avolare sinant. Non vescuntur napis, non alliis, non cepis, non pulmentis rubro colore infectis. Vinum non gustant, non acetum, non Nimpa, non Orraqua (potionum apud eos sunt genera) non passum. Plurimum ieiunant, noctu paucissima edentes, veluti saccarum, super quo aut aquam, aut lac bibunt. Nonnulli inter hos superstitiosiores, viginti interdum diebus omni cibo abstinent.*

FORMICIS *aquam saccaro edulcatam bibendam præbent, affirmantes sese eleëmosynam in pauperes conferre: sed & avibus aquam propinant. Morituri, solent nonnulli certam facultatum portionem testamento legare viris quibusdam qui per solitudines vagantes, aquam peregrinis & iter facientibus dent. Refert noster hic Auctor in Cambaiete se vidisse Nosocomium in quo omnis generis aves curarentur, quæ sanitati restitutæ quolibet evagari dimitterentur. Eodem vestium genere quo Gymnosophistæ usi fuisse perhibentur, amiciuntur, & animarum transmigrationem in alia atque alia corpora credere rumor est.*

Bramenes. HANC *similiter opinionem sequi traduntur Bramenes vocati (quæ vox à Brachmanis deducta videtur) in Balagate, Cambaya, & Malavar, qui nisi loti universum corpus, cibum non attingunt, maioriq; sunt in veneratione quàm Baneanes. Ex his etenim deliguntur Regibus Scribæ, Procuratores negotiorum, Quæstores & Legati. Hi tamen omnes, quemadmodum & qui in maritimis* Cuncam *appellatis habitant, vescuntur omni genere carnium, excepta bubula & suilla domestica. Attamen omnes animarum transmigrationem credunt, aliásque plurimas persuasiones ridiculas habent. Atque hæc ex nostro Auctore desumpsi, qui variis capitibus de his agebat.*

De Opio.

CAPVT IV.

Amfiam. *Ofium.* QVOD nos Lusitani corrupto nomine *Amfiam* appellamus, id Mauritani (quos Indi secuti sunt) *Ofium* vocant, deducto à Græcorum Opio nomine. Pleraque enim nomina à lingua Græca (quam *Ihumani*, quasi Ionicam dicas, appellant) mutuati sunt Arabes, P in F, quòd sint litteræ multum affines, mutato. Sic Opium Ofium dixerunt, Pæonia Faunia, & multa similiter.

Opii varia genera. *Meçeri.* *Opium Thebaicum.* VARIA sunt Opii genera pro regionum differentiâ. Quod è Cairo adfertur (*Meçeri* vocant) albicat & magni est pretii: id nostrum Thebaicum esse arbitror. Quod ex Adem advehitur, aliisque locis Erythræo mari vicinis, nigrum & durum est: ejus pretium pro regionum varietate aut intenditur, aut minuitur. Quod in Cambaia, Mandou, & Chitor cogitur, mollius est, & magis flavescit. Magno venditur multis locis, quoniam hujus esui assuescunt: solet enim quod aliqua in regione frequenti est in usu, cariùs semper vendi. *Opium Thymelæâ non adulterari.* Quod dixi ex Cambaia adferri, maxima ex parte in Malui colligitur. Et quoniam id Thymelæam aliquantulum olet, putârunt nonnulli Thymelææ succo adulterari; sed falluntur: nam tota Cambaia, imò tota India Thymelæam provenire non credo. Et certè in Cambaiete rescivi nihil aliud esse quàm gummi, sive lachrymam papaveris. *Caxcax prægrande papaver.* Nascitur istic Papaver (*caxcax* vocant nomine cum Arabibus communi) prægrandi capite, quod interdum binos ferè sextarios[a] (inveniuntur etiam nostris haud majora) capere possit: hæc incisa opium exstillant. Non est autem id papaver nigrum; nam tota Cambaia haud invenias, tametsi Avicenna lib. 2. cap. 519. Opium ex Papavere nigro parari scribat. Sed num aliis in regionibus ex nigro Papavere colligatur ignoro.

Opii magnus usus in Asia & Africa. PLVRIMVS hujus usus est per universam Mauritaniam & Asiam:[b] siquidem ejus esui ita assueverunt, ut eo abstinentes periculum vitæ incurrant: quod sanè admiratione non caret, quandoquidem adeò narcoticum & stupefactivum est. Sed etiam qui eo utuntur, dormitabundi plerumque videntur. Itaque solent qui ejus facultates intelligunt, exigua quantitate sumere. alii verò plerique liberaliùs eo utuntur, ut lassitudinem ex laboribus, animique fastidia tollant, non autem ut proniores in venerem efficiantur, ut stultè quidam credunt. *Opium venerem non stimulat.* quia Opium non modò venerem non stimulat, sed potiùs ejus stimulos infringit suâ frigiditate, & vasorum spermaticorum constrictione. Et nonnullos Lusitanos novi qui hujus esu steriles & impotentes effecti sunt.

ἰπόφαγοι. DOSIS communis apud istos est à viginti ad quinquaginta hordei grana. Novi tamen quendam Corasonem natione à Secretis Nizamoxa, qui singulis diebus tres laminas Opii ederet, quæ penderent decem drachmas & amplius: & licet stupidus & dormitabundus semper videretur, aptissimè tamen & doctè de omnibus disputabat: tantum potest consuetudo.

Auctor

[a] *Auctor habet Canada: est autem apud Lusitanos poculi genus continens quinque & triginta uncias. Cùm verò Sextarium apud Veteres viginti uncias vini, aceti & aquæ continuisse inveniamus, Canada Sextarios binos fermè verti, quòd non haberem aptius vocabulum.*

[b] *Bellonius lib.* III. *cap.* XV. *Observationum (quas nuper Latinas fecimus) auctor est, Opium abundantissimè cogi ex Papavere candido tota Paphlagonia, Cappadocia, & Cilicia, apudque Turcos & Persas summo esse in usu: non tamen ab eis sumi supra drachmæ unius pondus.*

De Benjui.

CAP. V.

DIXIMUS in Laserpitio Asam odoratam non esse Benjuinum, tametsi nonnulli docti viri in ea fuerint sententia. Nunc illud restat, ut nostram sententiam firmis argumentis comprobemus.

NEMINEM Benjui unquam in condimenta recepisse certum est: Asæ verò fœtidæ frequens est usus in condiendis cibis apud Indos, ut antè diximus: ex quo patet Benjui Asam esse non posse. *Benjuinum in condimenta non recipitur. Benjui non est Laser.*

MAXIMA pars Laseris ex India ultra Gangem (incolæ Ganga vocant) advehitur. Benjui verò quod in Indiam adfertur, quodque amygdaloides vocant, nascitur in Samatra & Sian, (non in Armenia aut Syria Africáve, aut Cyrene) ejusque maxima pars huc convehitur; deinde in Arabiam, Persiam, & Asiam minorem defertur, atque etiam (ut ex virorum fide dignorum relatu intellexi) in Palæstinam, Syriam, Armeniam & Africam. Antonio Musæ Exam. simpl. imposuerunt igitur ii Lusitani, qui incolas, apud quos nascatur Benjui, veritate coactos, id gummi etiamnum Laserpitium vocare significârunt: quandoquidem ab indigenis *Cominbam* appellatur. *Laser unde. Ganga flu. Antonii Musæ lapsus.*

AD Ruellii autem lib. de natur. stirp. III. cap. LII. objectionem, quem capite de Lasere, Imperatoriam Laser Gallicum atque officinarum Benjuinum esse, contendere scripsimus; sic respondeo. *Ruellii lapsus.*

CUM is inter reliquas Imperatoriæ facultates hanc illi tribuat ut libidines extinguat; in Lasere verò diximus Indos eo uti ad venerem excitandam, Imperatoria Laseris genus esse non potest.

CETERUM nostrum Benjui veteribus ignotum fuisse omnino puto: siquidem neque Græcorum quempiam, neque quemquam Arabum hoc describere memini. Nam quod Avenrois 5. Collig. cap. 56. dicit, Belenizan, aut Belenzan, sive Petrozan exsiccantem & excalfacientem in secundo excessu habere facultatem, stomachum humidum & languescentem exsiccare, & roborare, oris odorem commendare, partes corporis confirmare, & venerem excitare; ex ejus adeò succincta & brevi historia, persuadere mihi non possum esse Benjui quod describit: quod si quis contrà sentiat, per me licet. *Benjui veteribus ignotum.*

VETERIBUS etiam Iudæis ignotum fuisse ex eo coniicere licet, quòd neque David, neque Solomon ejus meminerunt, tametsi odores & suffimenta summopere commendârint. *Benjui Iudæis veteribus ignotum.*

FIERI autem potest ut Ruellius (in eo quod Benjui Ben-Iudæum vocat) lapsus fuerit nominum affinitate, debueritque potiùs nuncupare Benjaoy, id est, filium de Iaoa, ubi plurimum nascitur. *Benjaoy.*

SCRIBIT Mediolanensis quidam nasci Benjui in monte Paropaniso, & præter Macedones quosdam, qui in monte Caucaso odoratissimum, nostroque multo præstantius se vidisse asserebant, Ludovicum etiam Romanum citat.

EGO verò neque huic Mediolanensi, neque illis Macedonibus facilè crediderim, quandoquidem videre licet huc commeantes tot Thraces (quos illi Rumes vocant) & tot Turcos, qui Benjui mercium gratia hinc transvehunt: quos, si apud eos Benjui nasceretur, alias potiùs merces quæ majoris essent emolumenti & quæstus, transportaturos credibile est. Fieri autem potest, ut illi Macedones Styracem pro Benjui intellexerint: sed tamen nullibi Styracem nasci scimus præterquam in Æthiopia, ubi etiam Myrrha reperitur. *Rumes. Styrax in Æthiopia.*

DE Ludovico Romano à Lusitanis quibusdam audivi, quibus hîc in India cognitus fuit, nunquam eum præteriisse Calecut neque Cochim: necdum enim eo tempore ea maria navigabamus quæ nunc nobis aperta sunt. Ego sanè hunc Ludovicum olim veracem esse credidi; sed lectis ejus Commentariis, multa eum pro arbitrio finxisse deprehendi. Exempli gratia, ubi agit de Ormuz, lib. 3. cap. 2. insulam aut urbem esse potentissimam refert, in qua sint aquæ suavissimæ, cùm tamen nullam istîc aquam præter salsam invenias, omnisque annona & aqua aliunde eò convehatur, nec ista quidem admodum bona. [a] Deinde *Ludovicus Romanus.*

neque

neque aquam, neque ligna in Malaca inveniri ſcribit, lib. 6. cap. 17. cùm tamen iſtîc ſit & aquæ potabilis, ejuſque ſuavis, copia, & egregia lignorum materia. Ex quibus videre licet, non multum fidei tribuendum eſſe hujus Auctoris ſcriptis de rebus Indicis.

Benjui amygdaloides.

PORRO Benjui plura ſunt genera. Id autem maximè à Mercatoribus expetitur, quod Amygdaloides [b] vocant, quodque ungues ſeu maculas candidas admixtas habet amygdalarum inſtar: quo enim pluribus hujuſmodi maculis abundat, tanto præſtantius habetur.

Muſa lapſus.

MAXIME id provenit in Sian & ejus contermina Martaban. [c] Ejus meminiſſe puto Antonium Muſam, idque permixta ejus radicum ſcobe adferri aſſerere: ſed falsò, quandoquidem unum idemque eſt gummi, aliud videlicet craſſiori conſiſtentiâ, aliud liquidiori, & aliud non plenè dura, quæ deinde à Sole exuſta magis albet. Id Benjui ſic exſiccatum nonnumquam in farinam reſolvitur, quam Muſa radicum ſcobem eſſe putavit.

Benjui ſecundum genus. Benjui de Boninas.

ALIVD genus nigrius invenitur in Iaoa & Samatra, quod vilioris eſt pretii. Eſt & genus nigrum in Samatra è novellis arboribus profluens, ab odore grato Benjui de Boninas vocatum: id ſuperiori decuplo carius eſt. Illius fragmentum ſuperioribus diebus mihi dono miſſum eſt, ſuaviſſimi odoris, quod manibus confricatum, eas mira odoris fragrantia commendabat.

Styrax liquida. Roçamalha.

EGO ſæpius exiſtimavi illud Benjui de Boninas nihil aliud eſſe quàm Benjui cum Styrace liquida, quam Sinenſes *Roçamalha* vocant, permixtum, quoniam ejus odor aliquantum ad Benjui de Boninas accederet: eamque ob cauſam aliquando periculum facere volui, mixto Benjui cum Styrace liquida. Sed licet Benjui ſic permixtum vulgari odoratius eſſet, odoris tamen fragrantia & ſuavitate à Benjui de Boninas ſuperabatur.

Benjui de Boninas cum novello permiſcetur.

CETERVM Benjui è novellis plantis profluens Amygdaloide odoratius eſſe, cauſam eſſe puto, quòd gummi multum nativæ ſuæ fragrantiæ vetuſtate amittat, ut ferè reliqua hujuſmodi. Sed quia candidum elegantius eſt, nigrum verò & novellum odoratius, utrumque permiſcere ſolent, ut odoris fragrantiæ etiam elegantiam concilient.

Cominham. Louaniaoy.

Vdo.

BENIVI genera vocantur à Sinenſibus *Cominham*, ab Arabibus *Louanjaoy*, quaſi dicas Thus de Iaoa, quòd hæc regio primùm Arabibus innotuerit; Arabes enim Thus *Louan* dicunt, Guzarate & Decan incolæ, *Vdo*.

Benjuifera arbor.

EST autem Benjuifera arbor procera, vaſta, pulchra, umbram latè diffundens, ob ramorum frequentiam, quos pulcherrimo ordine digeſtos & in altum ſublatos habet. Caudice eſt craſſo, materie prædura & firma. Ejus folia minora ſunt aliquantum Citri ſive Limoneræ foliis, non tamen adeò virentia, ſed parte averſa candicantia: quæ verò in ipſis majoribus ramis enaſcuntur, ad Salicis folia magis accedere videntur; latiora tamen ſunt, ſed minùs longa. Ea tum aceto condita, tum ramis adhuc inhærentia nactus ſum. Naſcitur interdum in ſilvis Malacæ, loco humidiore.

Benjui præſtantiſſ.

VVLNERANTVR arbores, ut Gummi (quod eſt Benjui) majori quantitate effluat. Novellæ, ut dixi, arbores Benjui de Boninas emittunt (quod eſt ex provincia Bayros) præſtantius eo quod in Sian naſcitur, licet id reliquis aliis generibus præferatur.

Hæc omnia non ſine rei nummariæ diſpendio didici: ſiquidem perbellè ſatisfactum eſt ei qui mihi & folia & ramos hujus arboris attulit, ut æquum erat. Nam præter ſummam quæ his adeundis eſt ſilvis difficultatem, maximum ſubeundum eſt periculum, ob Tigridum (quas illi Reimones vocant) in iis ſilvis frequentiam.

Tigris. Reimones.

SI quid verò eis quæ nunc diſceptavi melius intellexero, palinodiam non modò in his, ſed & aliis omnibus canere non pudebit.

[a] *Credibile eſt noſtro huic auctori ab aliquo impoſitum fuiſſe, qui Ludovico Romano parum æquus erat, aut ſanè aliud habuiſſe exemplar, quàm ea quæ Ludovici Romani nomine circumferuntur. Nam lib.* III. *cap.* II. *de Ormuz agens,* Aquarum, *inquit,* potu ſuavium, annonæque mira caritas; invehuntur ferè omnia: *quemadmodum & noſter auctor hoc loco aſſerit. Et lib.* VI. *cap.* XVII. *de Malaca agens:* Mittit tamen triticum, carnes, perpaucaque ligna. *nuſquam verò aquæ meminit. Et ſanè Ludovicum Romanum, cum aliquot aliis, ob egregiè navatam operam Equitem factum à Dn. Franciſco de Almeida primo Indiæ Prorege, profligatis ad Pananem Mauritanis, & eorum navibus incendio corruptis, anno reparatæ ſalutis humanæ* M. D. VII. *non modò ipſemet teſtatur lib. ſuarum Navigationum* VI. *cap.* XLI. *ſive ultimo: ſed etiam Fernandus Lopez de Caſtagneda Indiæ Orientalis Hiſt. lib.* II. *cap.* LXVI. *Quem profectò honorem non eſſet adeptus, niſi Principi probè fuiſſent cognitæ hominis fides & aliæ virtutes.*

[b] *Hoc Benjui amygdalinum Amatus Luſitanus enarratione 71. cap. de myrrha, præſtantiſſimum Myrrhæ genus eſſe cenſet, quam Dioſcorides à loco natali Troglodyticam cognominat.*

[c] *Sunt illæ provinciæ ſupra regnum Malacæ ad fluminum Ava & Menan in Oceanum Indicum influxum, ſupra Gangeticum ſinum.*

De Thure.

CAPUT VI.

CUM Veteres duo Thuris esse genera tradant, alterum Arabicum, alterum Indicum; de eo nobis differendum existimavi.

PER universam Indiam Thus non nasci certissimum est: cùm quicquid Thuris hîc cõsumitur & hinc in Lusitaniam evehitur, ex Arabia deferatur. Non possum ergo non mirari à quo Dioscorides lib. I. cap. 70. (quem tamen & Avicenna lib. II. cap. 525. secutus est) Thus in India nasci acceperit. De Arabibus minùs mirum, qui nigricantem colorem, quo Thus Indicum præditum esse vult Dioscorides, Indum plerumque vocent, ut ex Myrobalano nigro quem Indum appellant, patet. *Thus in India non nascitur.*

CETERUM Thus Arabibus, apud quos solùm provenit, *Louan* vocatur, nomine ex Græco deducto: Avicennæ lib. II. cap. 525. *Conder*, id est Resina (*çamac* enim illis est gummi, veluti *çamac Arabi*, id est, gummi Arabicum) Serapioni lib. simpl. cap. 178 *Ronder* corrupto vocabulo. Nam multos Arabes conveni, sed omnes Thus a quoquam eo nomine appellari negant, paucos verò quosdam *Conder* vocare, & plerosque omnes *Louan*. Idem à quibusdam Lusitanis, qui in Arabia diu vixerunt, intellexi. Addebant & illi arborem quæ Thus producit, ab incolis *Louan* etiam appellari, ejusque duplex esse genus: alteram montanam, alteram in planis nascentem. Montana arbor montibus confragosis provenit, optimumque & laudatissimum Thus profert. In planis verò nascens Thus profert nigrum, improbum, quo cum aliarum arborum resinis permixto naves picant & oblinunt, uti nos pice solemus. Eæ arbores illius Provinciæ Regi cedunt; nec cuiquam Thus colligere licitum est, nisi Regis permissu. Confluere eò Negotiatores ex Adem, Xaël, & aliis Arabiæ locis, & cum Rege de Thuris quantitate quam avecturi sint, & de pretio convenire solere, modò laudatum sit & legitimum, quod nos masculum vocamus, ipsi *Melato* appellant. *Louan. Çamac. Ronder. Conder. Thus montanum. Thus in planitie natum. Thus masculum. Melato.*

LAUDATISSIMI, huc etiam delati, vile est pretium: centenæ enim libræ duobus dumtaxat Lusitanicis aureis emuntur. Improbum interdum cum optimo miscetur, cui nonnunquam & corticum fragmenta inhærent; atque huc defertur; sed vilissimi est pretii. Thus ergo nullam aliam adulterationem novit. Nam quis, quæso, id adulterare vellet, cùm tam vili ematur. *Thuris vilitas. Thus non adulteratur.*

MULTUS est Thuris usus apud Indicos medicos in unguentis & suffimentis. Nonnunquam & in corpus assumitur ad varios capitis affectus & alvi profluvia. Sed maxima Thuris pars hinc in Sinarum regionem exportatur (quoniam istic plurimùm eo utuntur) & in regiones Malacæ vicinas. *Thuris usus.*

PORRO Thuris arbor humilis est, & folia habet Lentisco similia, peculiarisque est Arabiæ. Scribunt tamen Hispani in novo orbe etiam Thus inveniri; sed penes eos sit fides, ego certè de eo nihil pronunciare possum. *Thuris planta.*

De Myrrha.

CAPUT VII.

PLURIMA adfertur etiam ex Arabia ad nos Myrrha, quæ Indis *Bola* dicitur: tum etiam ex regione Abexim, quæ Æthiopia est. Qualis verò sit arbor quæ eam profert, aut qua ratione resina eliciatur, numquam scire potui. Illud dumtaxat adjiciam, quod à quodam Mercatore, qui in Melinde & Mosambique negotiabatur, tum à quodam sacrifico Æthiopiæ, Episcopoque Armenio intellexi: videlicet genus esse quoddam hominum montanum & silvestre (quos Bodoins vocant, linguaque pura Arabica, quæ non nihil ad Chaldaicam aut Syriacam antiquam accedat, uti perhibent) quod Myrrham in Brava & Magadaxo terrestri itinere adfert, & è Chaldæa regione sic illis vocatã se adferre asserit. *Myrrha. Bola. Bodoins.*

* *Qui veterum opiniones de Thure & Myrrha nosse volet, consulat Theophrastum lib.* IX. *cap.* IV. *de Historia plantarum, & Plinii naturalem historiam lib.* XII. *cap.* XIV. *&* XV. *Tum legat quæ aliquando commentati sumus in appendice addita ad Commentarios doctissimi Dodonæi de Historia Stirpium, quos tum temporis Gallicos faciebamus è vernaculo Brabantico sermone.*

De Lacca.

CAPVT VIII.

Lacca. Loc Sumutri. QVAM officinæ Laccam, eam Arabes, Persæ, & Turci *Loc Sumutri*, quasi dicas Laccam è Samatra, nuncupant: non quòd Samatra sit Provinciæ Pegu, ubi plurima Lacca nascitur, finitima, sed quòd Arabes, & alii jam memorati in Samatra gigni putarent. Idem nomen etiam invaluit apud Provinciarum Balaguate, Bengala, & Malavar incolas, quoniam à Mauritanis sic edocti fuerunt. Legitimum tamen earum Provinciarum nomen est *Lac*; in Pegu verò & Martaban, ubi præstantissima est *Trec*; atque istuc è Iamay adferri tradunt. Non vocatur *aec*, aut *ancusal*, ut Pandectarius cap. 13. corrupto nomine appellavit: neque *Sac*, ut apud Serapionem lib. simpl. cap. 181. corruptè legitur. Lac. Trec. Sac.

CETERVM cùm ab ipsis incolis, apud quos plurima nascitur, *Trec* vocetur, mirabitur aliquis, cur nomen *Lac*, *Loc* aut *Luc* invenerit. Sed hanc fuisse causam conjicio: quòd hoc medicamentum in Loc sive mellis crassitiem dissolveretur cùm ad inficiendum, tum ut ejus esset usus in medicina. Præstaret tamen semper nativum provinciarum, in quibus medicamenta nascuntur, nomen servare, quòd hæc immutatio multorum errorum occasionem præbere soleat.

PORRO Pegu & Martaban incolæ eam Samatram exportabant, & inde Piper in suam regionem revehebant.

Varia de Laccæ sententia. QVIDNAM esset Lacca, quomodo pararetur, & ubinam gigneretur, diu dubitavi. Nam adfirmabant nonnulli in Pegu flumina exundare atque alveum suum superare solere; aquâ deinde defluente, in lutum quod remaneret bacillos ab incolis injici, in quibus prægrandes formicæ nascerentur, & eæ quidem alatæ, quæ multam Laccam accumularent. Percontanti autem an eorum quæ narrassent oculati essent testes, tantum sibi fuisse otii negabant, ut hæc adeò diligenter animadverterent, sed famam vulgarem eam esse. Conveni tandem virum apprimè honestum & curiosum diligentemque, qui istic fuerat. Laccæ historia. Dixit is vastam arborem illic inveniri, foliis quodammodo Pruni, in cujus surculis & minutioribus ramis magnæ formicæ, in terræ visceribus aliisque locis enatæ, hanc Laccam elaborent (ut apes mel conficiunt) materiam ex ipsa arbore exsugentes. Hos deinde ramulos, ab arbore revelli atque in umbra siccari, donec iis excidentibus Lacca ipsa veluti in tubulos concreta maneat: interdum tamen ligni fragmenta inhærere. Meliorem tamen censeri, quæ sincera sit, lignique fragmentorum expers: eam verò cui inhæreant fragmenta, deteriorem. Inveniri etiam valdè impuram, quam postea colliquarent & in pollinem reducerent; viliorem tamen censeri, quoniam multam terram admixtam haberet. Deinde negotium dedi quibusdam qui Pegu profecturi erant, ut an ita se res haberet, diligenter perquirerent; & illi sanè sermonem ejus confirmârunt. Idem postea verum esse didici in Balaguate profectus, ubi nonnulla nascitur, & reservatur, quam deinde in proximos portus exportent. Berifera arbor. Huc item mihi allatus est ramulus ab arbore Berifera (cujus in secundo Libro mentionem faciemus) revulsus, cui multa inhærebat Lacca. Sed quoniam exiguâ admodum quantitate provenit, adversante cæli temperie, negligitur. Multi tamen se vidisse in iis arboribus affirmârunt. Formicæ Laccam elaborant. Formicas autem hanc Laccam elaborare inde manifestum est, quòd plerumque alæ formicarum Laccæ permistæ conspiciuntur.

PRÆMANSA autem hæc Lacca, *pulcherrimo rubro colore inficit (quæ est deligendi ratio) & ex ea bacilli illi, quibus in obsignandis epistolis utimur, conficiuntur, admixtis iis coloribus quos maximè expetimus. Iisdem etiam fabri lignarii & qui torno jacula aliamque materiam elaborant, colorem inducunt, ipsis, in tornando, operi admotis. Hac verò Lacca implent etiam cum Aurifabri, tum Argentifabri vasa majora aurea & argentea.

Lacca planta dissimilis Myrto. NON est autem ea arbor in qua Lacca elaboratur, Myrto similis aut facie aut magnitudine, ut aliqui volunt; sed interdum in nucis juglandis magnitudinem excrescit, interdum minor est.

AVICENNA lib. II. cap. 424. Paulum secutus, Laccam, quam ipse *Luc* vocat, Myrrhæ persimilem facit, atque odoratam esse scribit, debereque cum delectu sumi; eosque reprehendit qui illam Carabe similem faciunt: nonnullas tamen facultates Carabe similes habere. Lacca neque Myrrha similis, neque odorata. Existimo autem Avicennam Laccam non novisse: nam neque Myrrhæ similis est, quoniam hæc in extimis ramis elaboratur; Myrrha verò ex ipso arboris trunco extillat: neque item odorata, veluti Myrrha, est, tametsi Avicenna ibidem odoratam esse contendat. Quod Bellunensis Luc verterit, fieri potest, cum ita in veteri exemplari invenisse.

Attamen

Attamen nunc omnibus [a]rabibus *Loc-sumutri* dicitur. Errat similiter, quòd similes illi cum Carabe facultates tribuat. Carabe enim glutinatoria est, & adstrictionis particeps. Lacca verò obstructiones aperit. *Laccæ facultates Carabæ dissimiles.*

CETERUM erroris ansam Avicennæ præbuisse puto, quòd Laccam Cancamum Dioscoridis esse existimârit, cùm tamen planè diversum sit à Lacca, quæ minimè, ut diximus, odorata est: Cancamum verò ad suffimenta usurpatur, quod grati odoris est indicium. Præterea ejus error ex eo manifestus est, quòd duo diversa capita descripserit, in altero ibidem Cancami descriptionē enarrans, in altero de *Cheichem* agens, quasi diversa essent simplicia. *Lacca non est Cancamum.* *Cheichem.*

SERAPIO lib. simpl. cap. 181. de sententia Diosc. & Aathabaric, (quem nonnulli Paulum putant) gummi esse ait arboris in Arabia nascentis, Myrrham quadamtenus referens. Deinde ex sententia Rhasis, in ramos Sorbi, quam ipse Guberam vocat, è cælo delabi dicit. Postremò, Lacca, inquit Isaac, res quædam est rubea, quæ tenuibus lignorum surculis inhæret. Coquitur hæc, & ex ea panni rubeo colore inficiuntur, quam infecturam Chermes appellant. Ceterùm Lacca ex Armenia defertur. Hæc sunt Serapionis verba. *Gubera.*

SED, quod pace tanti viri dictum volo, Serapioni ignota fuit Lacca, quoniam Dioscoridis Cancamum esse putavit. Laccam tamen à Cancamo diversam esse jam diximus, nullique Græcorum cognitam fuisse asserimus. *Lacca veteribus fuit ignota.*

LACCAM autem in Arabia non nasci palàm est, quoniam in Arabiam ex India deportatur: Similiter nec in Sorbi ramos delabi, neque etiam Mespili, ut nonnulli perperam verterunt, cùm nullæ sint per universam Indiam Sorbi aut Mespili. Sed nec in Armenia nascitur. nec etiam est Chermes Arabum, cùm id nihil aliud sit quàm Coccum infectorium Græcorum.

QUANTUM verò hallucinentur Monachi qui in Mesuen scripserunt, dist. 1. cap. 48. Sanguinem Draconis vulgò vocatum Cancami loco substituentes, doctissimè Matthiolus multis argumentis ostendit suis in Diosc. commentariis lib. 1. cap. 25.

EORUM item opinio, qui Dioscoridis Cancamum Benjui esse volunt, magis erronea est, quàm ut refelli debeat: siquidem non nascitur in Arabia, uti de eo commentantes diximus. *Benjui non est Cancamum.*

VERUM, si mihi dicere licet quod sentio, in ea sum opinione, ut nos legitimo Cancamo minimè carere putem, & Laccam etiam legitimam nos habere, quam ex India omnes Mauritani petunt, eâque etiam in suis compositionibus utuntur, veluti in Dialacca, quam ipsi Dallacca vocant. *Dialacca.*

ERIT autem Græcorum Cancamum, mea sententia, id quod nos Anime vocamus,[b] ad suffimenta idoneum, quod in Lusitaniam ex Æthiopia Arabiæ finitima advehitur. Si quis verò aliud proferat quod Cancami descriptioni magis conveniat, sententiam mutare paratus sum. *Cancamum quid sit. Anime.*

HALLUCINANTUR verò qui Anime in Bresiliana regione inveniri contendunt, & genus illud picis sive Bituminis Resinæ've in Sirvam, ut aiunt, non procul à Moluccis repertum, Anime esse credunt. Nam ejus picis multa copia huc ex Samatra aliisque regionibus advehitur; qua picandis navibus utuntur. Sed nec odore præditum est Cancamo simili, & dumtaxat resinam aut quodvis vulgare gummi olet.

Lacca cum suis bacillis.



[a] *Etiamnum ea Lacca quæ ad nos advehitur, circa ramulos elaborata est; & quamvis prædura & exsucca, præmansa tamen sputum efficit sanguineum; quod probitatis est indicium: imò alutas & vervecinas pelles, illâ contusâ, & urinâ veteri maceratâ, rubro colore ex alterâ parte infici quidam volūt. Itaque verisimile est, illam adhuc recentem eas omnes notas obtinere quas noster Auctor Laccæ tribuit.*

Eius iconem, uti ad nos cum suis bacillis adfertur, hîc subiiciendam curavimus.

[b] *Eiusdem est sententiæ Amatus Lusitanus suis in Dioscoridem Commentariis lib. 1. cap. 23. Est verò Anime gummi quoddam Lusitanorum navigationibus in Europam allatum, cuius tria inveniuntur genera. Primum fulvescit, &* *Anime.*

pellucidum est, planéque nobilius illud succinum crudum æmulatur. Amatus hoc genus Cancamum esse, à Brisoto Gallo edoctus, loco iam dicto contendit. Alterum genus nigricat, & ferè simile est taurino glutini, sive illi resinæ quam officinæ Colophoniam vocant. Id Amatus Myrrham aminneam Dioscor. esse vult. Tertium genus pallidum est & resinaceum retorridúmque. Omnia verò iucundum in suffumigiis spirant odorem, idémque videntur temperamentum sortita. Posteriora tamen duo degustata, magis siccare & amarescere deprehenduntur.

Anime. DE *Anime (quod nescio cur Aniimum vocet) in hanc sententiam Amatus Enarrat. 23. cap. de Cancamo: Est igitur Cancamum gummi quoddam, quod ex Guinea, Africáve & insulis illi circumiacentibus Lusitani nostri adferunt Aniimum appellantes. Decidit enim gummi hoc, ut testantur illi, ex proceris arboribus, folia Myrti habentibus, quod album reperitur, & aliud subnigrum Myrrhæ quodammodo persimile, odoratum, quod Dioscorides illis de causis tamquam improbum commemorat, & Mineam,* (Diosc. habet Aminneam, Galenus tamen Minææ meminit) *à terra unde præcipuè nascitur eam appellat, quamquam Serapio Amineam nominet: Vnde Lusitani nostri, corrupta dictione, pro Minia vel Aminea Aniimum vocent, & eo mulieres maximè pro suffumigiis, & medici contra dolores à frigiditate ortos præcipuè utuntur. Hanc verò assertionem primò adstruxit Brisotus Gallus, vir magna eruditione præditus, qui cùm apud Lusitanos ageret, ut inde ad Indos, cupidus cognoscendi rerum novarum, navigaret, gummi hoc vidit, quod Cancamum esse dixit. Proinde cùm Cancamo opus fuerit, Lusitanorum Aniimo deinceps utemur.*

Myrrha. ITEM *Enarratione 71. cap. de Myrrha: Myrrha verò minea vel aminea dicta, hodie quoque in Lusitania & universa Hispania paucis mutatis literis habetur, ut cap. de Cancamo diximus, gummi scilicet aniimum appellantes, cuius duo genera habentur, album & nigrum. Nam album Cancamum esse ex Brisoto didicimus: nigrum verò minea, hæc Dioscoridis Myrrha est, quæ ex proceris arboribus decidit, nullo cogente artifice, aut vulnere in arbore facto. Hæc Lusitanus. Verùm non desunt etiam qui Anime legitimum Bdellium esse putent, ob multas quas habet notas cum Bdellii historia communes, quam apud Dioscor. lib. 1. cap. 69. & Plin. lib. 12. cap. 9. atque alios videre licet; quò lectorem remitto.*

CETERVM *cùm hanc Aromatum historiam in epitomen contrahebam, dono accipiebat à Iacobo Antonio Cortuso, Patricio Patavino, clarissimus vir Rembertus Dodonæus, medicus Mechliniensis (qui aliquot post annos Cæs. Maximiliani II. & Rudolphi II. Medicus fuit) exoticos nonnullos fructus, inter quos nucem Faufel duorum generum, Sycomori & Bdellii existimati fructum, & Fagaram Serapionis; quos mihi pro nostra amicitia liberaliter communicabat. Hanc itaque occasionem nactus exhibendi fructus pro Bdellio missi iconem, nolui committere quin eam hoc loco adiicerem cum brevi quadam descriptione. Cuius sanè, Fagaræque, de qua postea, & Sycomori cognitionem Cortuso acceptam fero.*


EST *verò fructus ille à Cortuso pro Bdellio missus iuglandis nucis magnitudine, aut etiam amplior; triangulari ferè forma, oblongiore tamen, & ad ficum quodammodo accedente, odoratus, colore subcinereo, durissimo putamine, quod prægnans esse & nucleum continere videtur.*

BDELLII *historia apud Avicennam cap. 115. valde mutila & confusa est. Dioscorides aliíque Græci gummi Bdellii dumtaxat meminerunt. Plinius tamen lib. 12. cap. 9. arboris etiam Bdellii meminit in hunc modum: Vicina est Bactriana, in qua Bdellium nominatissimum. Arbor nigra est, magnitudine Oleæ, folio roboris, fructu caprifici naturáque.*

SERAPIONIS *descriptionem prudens omitto. Si quis tamen eam cupit, aut ipsum Serapionem consulat, aut Matthioli commentarios.*

NON *desunt, qui fructum hunc, quem Bdellii nomine à Cortuso missum exhibui, magis referendum censeant ad*
Cuci. *Cuci, cuius Theophrastus sub finem secundi cap. lib. quarti, Plin. lib. XIII. cap. IX. meminerunt.*

CORTVSI FRVCTVS PRO BDELLIO MISSVS,
qui veriùs CVCI *fructus nux interior.*



De Caphura.

CAP. IX.

NON dubium est quin multum Arabibus debeamus quibusdam in medicamentis: etenim aliquando eorum meminerunt, quæ veteribus Græcis neglecta, aut ignota fuêre. Quòd si interdum plenam descriptionem non reliquerunt, id accidit, quia illis hæ regiones ignotæ fuerunt. Nam & ego, qui multo jam tempore in hac regione habitavi, summa cum difficultate veram & genuinam Aromatum notitiam consequi possum: partim

partim quia noſtri Luſitani, tametſi magnam partem orbis navigant, ſolùm ſolliciti ſunt quas merces quibus ex regionibus majori cum quæſtu ſint evecturi, quásve invecturi; ut verò ſciant quæ in ſingulis quas adeunt regionibus, quâque formâ arbores naſcantur, & num fructiferæ ſint nec ne, poſsintne cum noſtratium quibuſdam comparari, minimè curioſi: tum etiam quòd propter ingraveſcentem ætatem ſingulas regiones mihi adire non licet, nec etiam ſi velim, concedatur ab harum Provinciarum Præfectis & Gubernatoribus, qui meâ, propter ſenectutem & rerum experientiam, uti malunt, quàm aliorum Medicorum operâ; tametſi eruditi viri non deſint. Quamobrem culpandus non ſum, ſi interdum nonnulla cum dubitatione profero.

CETERUM ut ad inſtitutum revertamur, *Capur* & *Cafur* omnibus Arabibus dicitur, quoniam apud eos litteræ *f* & *p* magnam inter ſe habent affinitatem. Quòd ſi a quibuſdam alia induntur illi nomina, aut exemplarium depravatorum vitio id accidit, aut ipſos auctores deceptos eſſe credendum eſt. *Capur, Cafur.*

EST verò Caphura nobile medicamentum (cujus nec Galenus, nec quiſquam veterum Græcorum meminit, præter Aëtium è recentioribus, tametſi Serapionis vulgata exemplaria Dioſcoridis auctoritatem citent, falsò tamen) duorum generum, Caphura videlicet de Burneo, & quæ ex Sina advehitur. Caphura de Burneo nunquam uſque ad noſtras regiones penetravit; ſaltem cùm iſtic eſſem, videre non contigit: nec id mirum, quandoquidem hujus libra tanti emitur, quanti centenæ libræ ejus quæ ex Sina adfertur, quæ ſecundum genus eſt, eaque in Europam defertur, in panes orbiculares coacta, quinque digitorum diametri: quæ cùm coacta ſit, compoſitum medicamentum videtur, non ſimplex. *Caphuræ duo genera.* *Caphura de Sina.*

EA Caphura de Burneo quæ magnitudine eſt Milii, aut paulo major, maxima ex parte vilior eſt. Conſtituunt enim Gentiles, Baneanes, & Arabes qui eam emunt, illius genera quatuor. Namque dividunt in caput, in pectus, in crura, & in pedes. Ejus quæ ex capite eſt libra, pardans octoginta æſtimatur: (eſt verò Pardan[a] monetæ aureæ apud Indos genus quod conficit decem regales Caſtellanos) quæ ex pectore, aureis viginti: quæ ex cruribus duodecim: quæ ex pedibus quatuor, aut ad ſummum quinque. Nonnulli magis curioſi quatuor inſtrumenta cuprea ſumunt inæqualibus foraminibus pertuſa (qualia qui uniones vendunt habere ſolent) per quæ Caphuram tranſmittunt. Ea quæ per inſtrumentum majuſcula foramina continens tranſmiſſa eſt, certum habet pretium; quæ per inſtrumentum mediocre, aliud; quæ per inſtrumentum minoribus foraminibus pertuſum tranſmiſſa eſt, aliud etiam peculiare pretium. In ea verò diſcernenda adeò ſunt experti Baneanes iſti, ut Caphuram Caphuræ permixtam dextrè diſtinguere norint, pretiumque juſtum imponere; nec facilè inveniatur qui eos fallere poſſit. *Caphura de Burneo.* *Baneanum induſtria.*

MULTA naſcitur hæc Caphura in Burneo, Bairros, Samatra, & Pacen. Nomina autem locorum in quibus Serapio & Avicenna naſci tradunt, magnâ ex parte ſunt corrupta. Nam quam Serapio lib. ſimpl. cap. 344. de Panſor vocat, eſt de Pacen in Samatra inſula: Quam Avicenna lib. 2. cap. 130 Alçuz[b] appellat, de Sonda eſſe poteſt, quæ inſula eſt Malacæ vicina: Quam verò Serapio ex regione Calca advehi tradit, corruptum eſt vocabulum, debebatque è Malacca dicere, quandoquidem in Bairros loco Malacæ vicino naſcitur. *Caphuræ hiſtoria.*

EST autem Caphura gummi, (non medulla aut cor, ut Avicenna loco ſuprà citato, & alii quidam putàrunt) quod in meditullium ligni cadens, deinde extrahitur, aut per rimas exudat. Id vidi in menſa ex Caphuræ arbore conſtructa apud Pharmacopolam quendam; deinde in ligno quodam femoris craſſitudine donato Gubernatori Domino Ioanni de Craſto; denique in tabella palmum lata apud quendam Mercatorem. Non tamen negaverim, quin interdum in arboris concavum decidat. Principio verò exudat admodum candida ſine ullis rubentibus aut nigricantibus maculis: organis autem non elicitur, veluti quidam ſcripſerunt; neque ad candorem conciliandum decoquitur, ut falsò Avicennæ lib. II. cap. 130. & Serapioni lib. ſimpl cap. 344. perſuaſum eſt.

PRO certo mihi relatum eſt, ſolere quemlibet prodire huius colligendæ gratia; qua ubi cucurbitam impleverit, ſi quis validior hunc cum cucurbita viderit, ilicò eum impunè poſſe occidere & cucurbitam auferre, fortunâ nimirùm id illis (ut aiunt) elargiente. *Caphuræ colligendæ ratio.*

QUÆ ex Burneo adfertur, plerumque admiſta habet minutiſſima lapidum fragmenta aut gummi quoddam, *Chamderros* illis vocatum, Succino crudo perſimile; aut ligni cujuſdam ſcobem. Sed facilè maleficium deprehenditur. Nullam præter hanc adulterandi rationem novi. Nam ſi interdum rubentibus aut nigricantibus maculis conſperſa videtur; id ex ſordidarum & impurarum manuum contrectatione, aut ex madore contrahi affirmant. Sed facilè à Baneanibus id vitium emendatur: Siquidem in panno lineo colligatam, in calidam aquam clàm demittunt, addito ſapone & Limonum ſucco, deinde probè *Caphuræ adulterium.* *Chamderros gummi.* *Caphuræ expurgandæ ratio.*

elotam in umbra siccant; sic multo candidior redditur, pondere non multùm imminuto. Id ab amico quodam Baneane fieri vidi, qui hoc arcanum mihi credidit.

VTRIVSQVE generis meminisse videtur Serapio, loco suprà citato; sed obscurè admodum, cùm ait majorem quantitatem esse de Hariz, minorem tamen esse quàm quæ à Sim adfertur. Quod sic intelligendum puto, majorem quantitatem ex Chinceo adferri, majorique forma esse, quàm quæ ex Burneo advehitur; quandoquidem ejus fragmenta non inveniuntur ampliora quàm drachmæ pondus æquantia: panes verò sive orbiculi ex Chinceo allati, quatuor uncias aut plures pendunt.

Caphuræ arboris historia. A viris fide dignis mihi relatum est, Arborem esse Nuci juglandi similem, foliis tamen candicantibus, salignis similibus, fructum aut florem haudquaquam se vidisse, fieri tamen posse ut utrumque ferat. Illud autem certò scio, materiam esse cinerei coloris, faginæ ferè similem, interdum nigriorem, nec eam quidem levem aut fungosam, ut retulit Avicenna lib.11. cap.130 (nisi fortè ætate jam caducam & emortuam viderit) sed mediocriter solidam. Addunt plerique vastam & præaltam esse arborem, latissimè sese fundentem, & aspectu perpulchram.

FABVLOSVM est quòd ad ejus umbram omne animantium genus confugere aiunt, ut ferociora animalia evitent.

Serapionis aliorumq; lapsus. Samatra insula. Taprobana. NEC minùs fabulosum, quod quidam Serapionem lib. simpl. cap.344. secuti scribunt, hujus largioris proventus augurium esse, cùm frequentibus fulgetris cælum coruscat, aut crebro tonitru perstrepit. Nam cùm insula Samatra (quam nonnulli Taprobanam putant) & circumjacentia loca Lineæ æquinoctiali vicina sint; multis tonitribus subjecta sint necesse est, eamque ob causam singulis diebus imbres aut leves pluvias habent. Singulis itaque annis Caphura abundare debebat. Ex quibus perspicuum est, tonitru largioris Caphuræ proventus causam aut indicium non esse. *Caphura de Sina.* Nonnullis Caphura de Sina composita videtur ex ejus parte quæ ex Burneo advehitur. Affirmârunt præterea mihi, panes illos orbiculares qui ex Sina advehuntur, compositos esse, quoniam Caphura de Burneo in Chinceo deferatur, ideò incolis expetita, ut eam alteri viliori permisceant. Cui opinioni suffragantur Baneanes de Cambaya, qui pro arcano dicunt, deficiente Caphura de Burneo, solere se ejus exiguam quantitatem cum multa Sinensi commiscere, eamque falsò de Burneo, nuncupare. Addunt item isti Baneanes, Sinensem Caphuram compositum esse medicamentum, quod temporis lapsu evaporet & corrumpatur; Caphuram verò de Burneo minimè.

MIHI sanè compositum medicamentum non videtur, tametsi Manardus in comp. Mes. dist. 8. contrà sentire videatur. Sin verò sit, ex duobus Caphuræ generibus conflari necesse est. Nam tametsi evaporet, non est tamen admodum corruptioni obnoxia: quod indicium est minimè compositam aut factitiam esse, quandoquidem composita longè faciliùs corrumpi soleant. Si enim Rhabarbarum vix quadrimestre illud, quo in hac regione pluit, ferre potest, multum sanè est Sinensem Caphuram incorruptam hîc in India manere.

Avenrois lapsus. AVENROIS 5 Colliget, cap. 56. aliud Caphuræ genus facit longè à superioribus diversum, scribitque Ambarum ejus Caphuræ genus esse. Cùm autem ejus opinionem Cap. de Ambaro satis abundè refutaverimus, plura de his agere supervacaneum esse judico.

Bellunensis lapsus. SCRIBIT Andreas Bellunensis in suo Dictionario secundùm Arabes, aquam Caphuratam ex arbore Caphuræ stillare, eamque cum arbore calidam esse tertio ordine. De hac aqua à multis cùm Medicis, tum mercatoribus sciscitatus sum, neminem tamen invenire licuit qui eam se vidisse assereret. Quare facilè adducor, ut credam Bellunensem cùm in hac aqua describenda, tum in ejus temperamento lapsum esse.

Caphura Riachina nulla. SCRIBVNT Ruellius, lib. 1. cap. 21. & hunc per omnia secutus Matthiolus, in lib. 1. Diosc. cap.75. uterque verò ex Serapione, hanc Caphuram ceteris bonitate præstare, quæ à Rege quodam Rihah (qui primus dealbandæ Caphuræ rationem adinvenit) Riachina sit denominata. Ego verò ut id credam, adduci non possum, quandoquidem Indiæ Reges potentiores sunt, quàm ut tali mangonio operam dare opus habeant.

RHASES de re med. lib.3. cap. 22. eam frigidam & humidam, Avicenna verò lib.2. cap.130. quem plerique sequuntur, frigidam & siccam tertio ordine constituit.

Caphura frigida est. IN ea aliquando opinione cum multis recentioribus fui, Caphuram calidam esse, ob illum odorem & partium tenuitatem quibus prædita est. Sed posteaquam experimento didici ophthalmiis & oculorum inflammationibus, tum etiam ambustis impositam, nivis frigiditatem retulisse, ilicò sententiam mutavi. Adde, quòd omnes apud quos nascitur, frigidam asserunt. Neque verò huic sententiæ repugnat quòd odorata sit, quandoquidem ob partium tenuitatem facilè evaporat & exhalat qui in superficie est odor, contrà

quàm

quàm in Santalo & Rosa, quæ ob suam adstrictionem odorem in se retinent.

Caphura vigilias excitat.

REFERT Avicenna lib. 2. cap. 130 vigilias excitare Caphuram. Quî fieri autem id potest, quandoquidem ipsius testimonio frigida est, soleantque frigida somnum conciliare? Somnum quidem inducit foris aut intùs exiguâ quantitate usurpata. Si quis verò sæpiùs odoretur & naribus adhibeat, cerebrum exsiccat, & vigilias creat. Magnus ejus usus est his regionibus, cùm multis in rebus, tum etiam in cibis.

Perdan.

[a] *Perdan monetæ aureæ Indicæ genus Ludovicus Roman. lib. 4. navig. cap 4. describit forma angustiore contractioreq; quàm sint Saraphi Babylonici, sed longè crassiore: cui ab altera parte pro superscriptione bini sint insculpti dæmones, ab altera verò nescio quid literis exaratum cernitur. Mendosus tamen est codex, & Perday pro Perdan legit.*

[b] *Postrema editionis exemplaria non meminerunt Alsuz, sed Alkansuri dumtaxat, & Ariagie, deinde Alczeid, & Alescek.*

[c] *Consulendus in hanc rem Matthiolus commentariis in Diosc. lib. 1. cap. 75.*

De Cate sive Lycio.

CAPUT X.

QVONIAM adgingivarum mollificationem & relaxationem Indi medicamento ex Betre, Areca, & Cate composito plurimùm utuntur, de singulis commentandum aliquid erit. Postulante verò sic ordine, de posteriore, videlicet Cate, medicamento cum amaritudine astringente, hoc loco agemus, de duobus prioribus suo ordine acturi.

Lycii natales.

PLVRIMVM nascitur in Cambaya, præsertim Baçaim, Manora, & Daman, urbibus Lusitaniæ Regi parentibus. Provenit etiam in continenti Goæ, aliisque plurimis locis, sed non tam abundanter ut suprà enumeratis, è quibus mercimonii gratiâ exportatur magnâ quantitate in Sinarum regionem: in Arabiam verò, Persiam, & Coraçone, medicamenti causâ, & paucâ quantitate. Magna autem copia in Sinarum regionem & Malacam deportatur, quia in masticatoriis plurimus illius cum Betre usus.

Cate, Cato.

EIVS nomen apud omnes enumeratas nationes est *Cate*, in Malaca *Cato*.

Vplot. Pucho.

QVOD verò hoc nomen *Cate*, aut paululum immutatum apud Arabes, Persas, reliquasque Asiæ nationes obtinuerit; in causa esse puto, quòd maxima pars illius in Malacæ regno absumitur, ubi idem nomen obtinet: quemadmodum in Costi vocabulo accidit, quod licet *Vplot* in provincia, ubi plurimum gignitur, dicatur; ab omnibus tamen ferè Indis *Pucho* linguâ provinciæ Malacæ vocatur, quòd istic multus ejus sit usus.

Lycii historia. Lignum sempervivum. Hacchic.

CETERVM arbor ex qua hic succus extrahitur, magnitudine est Fraxini, folio minuto Ericæ vel Tamarici [a] simillimo, perpetuò virente: florere aiunt, sed fructum ferre negant: multis spinis horret: materies ligni robusta, dura, densa, ponderosa, nec, ut aiunt, putredini obnoxia, sive solibus exponatur, sive aquis immergatur: quam ob causam ab incolis Lignum sempervivum nuncupatur. Ex eo propter duritiem & pondus pistilla fiunt deglumandæ orizæ idonea in mortariis ligneis sex palmos in ambitu continentibus. Incolæ eam arborem *Hacchic* vocant: cur autem ipsum succum *Cate* nominent, nulla ratione consequi possum.

Lycii extrahendi ratio. Nachani quid sit.

PORRO succi extrahendi hæc est ratio. Ramos hujus arboris minutim concisos in aqua coquunt, deinde contundunt, postmodum cum farina *Nachani* [b] (semen id est nigrum & minutum sapore Secales, conficiendis panibus aptum) & cujusdam nigri ligni, quod istic nascitur, scobe (interdum etiam sine eo) pastilli aut tabellæ formantur, quas in umbra siccant, ne solis ardore earum facultas evaporet.

Lycii vires.

OPTIMVM est medicamentum non modò ad confirmandas gingivas, & desiccandum & constringendum; verùm etiam ad alui profluvia curanda, oculorumque dolores tollendos, in quibus plerumque optimo cum successu usus sum.

NVNC superest, fueritne *Cate* veteribus cognitum, examinemus.

Cate quid sit. Hadbadh.

EGO, si mihi dicere licet quod sentio, omnino existimo nostrum hoc *Cate* nihil aliud esse, quàm Græcorum & Latinorum Lycium. Nam ejus extrahendi ratio ab omnibus eadem describitur, iisdemque facultatibus pollere censetur quibus nostrum *Cate*. Huc adde quòd Indicum Lycium præfertur cùm à Dioscoride, lib. 1. cap. 114. & Plinio, lib. XXIV. cap. XIV. tum à Galeno, lib. 7. simpl. Vocatum autem est à Græcis Lycium, quoniam in Lycia primùm inter Græcos illius usus repertus sit, optimumque istic nasci eo tempore censerent. Præfertur etiam Indicum Avicennæ, lib. 2. cap. 399. & Serapioni, lib. simpl. cap. 7. qui id *Hadbadh* appellant, easdemque illi facultates tribuunt, quas Græci & Latini. Avicenna vult in ejus penuria Arecam & Santalum substitui.

RECENTIORES aliquot è Periclymeni succo succedaneum ejus parant. Sed si Lusitani Pharmacopolæ in conquirendis legitimis medicamentis diligentiores essent, & in ædibus Indicis [c] nuncupatis Olysipone requirerent, posset ejus tum etiam Fausel sive Arecæ magna copia classe regiâ in Lusitaniam deferri.

Fausel.

[a] Dioscoridi Lycium folia buxi habet, & pusilla est arbor. Itaque longè alia censenda est quàm ea quæ nostro auctori describitur. Tametsi non satis sibi constare videtur Dioscorides in Lycii descriptione; si modò postrema capitis de Lycio pars, Dioscoridis sit.

[b] Huius seminis etiam meminit is qui naufragium Navis S. Benedicti nomine, quæ paulo supra promontorium Bonæ spei ad scopulos allisa est, descripsit, aitq; Sinapi similem esse, sed nigriorem, cuius farina in panes orbiculares subacta vescuntur tota illa Æthiopiæ ora maritima, præsertim inter fl. S. Christophori, & eum qui à S. Lucia nomen accepit.

[c] Sunt verò ædes Indicæ, vastæ concamerationes sub Regio palatio, in quibus asservantur non modò Aromata, sed omnis generis merces quæ ex India Vlysiponem onerariis, seu Corbitis regiis advehuntur.

De Manna.

CAP. XI.

AN Manna Græcis cognita fuerit, à recentioribus satis disputatum arbitror. * Ego paucula dumtaxat hîc subiiciam, quæ silentio prætereunda non duxi.

Manna tria genera.

EIVS igitur tria agnoscimus hîc genera, ex provinciâ Vsbeque deportata.

I. Xirquest. Xircast. Siracost.

PRIMVM genus utribus conservatum, sapore favi mellis, *Xirquest*, aut *Xircast* vocatur, id est, Lac ex arbore Quest nuncupata: nam *Xir* lingua Persica Lac sonat; nos corrupto nomine *Siracost* nuncupamus. Est autem ros quidam in eas arbores delabens, aut gummi ex eis destillans.

II. Tiriamiabim. Trungibim.

ALTERVM genus dictum *Tiriamiabim* aut *Trungibim*, ut vertit Bellunensis, in Carduis nasci ferunt, granis quàm Coriandrum majoribus: colore inter rufum & rubentem medio, quæ ex Tribulis decutiuntur. Vulgus Plantæ fructum esse putavit, sed Gummi aut Resinam esse rescitum est. Hujus usus præfertur à Persis ei qua utimur: quoniam nobis usitatam pueris exhibere non audent, nisi decimum & quartum annum excesserint. Ego tamen ab eo tempore quo huc delatus sum, illâ uti non destiti, & sine molestiâ purgare semper deprehendi.

III.

TERTIVM genus magnis glebis advehitur, admistis plerumque foliis. Calabrinæ persimilis est hæc Manna, plurisque æstimatur: defertur autem ex Baçora urbe Persica admodum celebri.

Manna genus aliud.

ADVEHITVR interdum Goam in utribus aliud genus ex Ormuz emporio, melli candido depurato persimile: sed facilè corrumpitur in hac regione, propterea quòd vitreis lagenis non asservetur.

** Consule commentarios Matthioli in lib. 1. caput verò 73. Dioscoridis. Illîc enim tum veterum Græcorum, Latinorum, & Arabum opiniones recenset, tum etiam recentiorum sententias de Manna refellit. Eius verò, auctorisque nostri, atque adeò omnium qui de hac re hactenus scripserant opiniones refutat Donatus ab alto mari tractatu de Manna.*

Meminit etiam Mannæ Bellonius lib. 11. Observationum, sub finem cap. LXV.

De Tabaxir.

CAP. XII.

CVM Spodium tam multas Arabum magni nominis & insignis doctrinæ Auctorum compositiones ingrediatur, quas intrò assumere licet; non mirum est si dubitatio orta sit, an illorum Spodium cum Græcorum Spodio, quod metallicum est, & minimè intrò assumi potest, idem sit. Sed, ut verum fateamur, unicum est in orbe Spodium, sive Pompholyx, ab Arabibus Tutia vocatum, in cujus penuria Græci ἀντίσποδα parabant.

Spodium unicum.

HVIC autem dubitationi & errori ansam præbuit Terentianus ille Davus omnia turbans, Gerardus Cremonensis in Rhas. ad Alm. lib. 3. cap. 36 qui *Tabaxir* Arabum interpretatus est Spodium, cùm non minùs inter se differant, quàm albus & ater color. Ejus errorem omnes Arabum interpretes Latini secuti sunt, *Tabaxir* Spodium vertentes.

PERICVLOSÆ autem sunt vocabulorum versiones & immutationes, præsertim in re medica, debentque medicamentorum nomina potiùs non interpretata relinqui quàm perperam Latina reddi.

Tabaxir.

CETERVM, ut ad rem redeamus, *Tabaxir* vocabulum est Persicum, ab Avicenna

lib. 2.

lib. 2. cap. 609. & aliis Arabibus è lingua Persica desumptum, nihilque aliud sonat quàm lacteus humor, aut succus liquórve alicubi concretus: quo nomine etiam Arabibus & Turcis hoc medicamentum cognitum est.

Sacar Mambu. *Tabaxir.*

VOCATVR autem ab indigenis *Sacar Mambu*, quasi dicas Saccharum de Mambu, quoniam Indi arundines, sive ramos arboris illud proferentes *Mambu* vocant. Attamen nunc etiam *Tabaxir* vocare cœperunt, quoniam eo nomine petitur ab Arabibus, Persis, & Turcis, qui id mercimonii causa ex India in suas regiones exportant.

Tabaxir mirâ caritas.

MAGNO emitur hoc medicamentum pro proventus ejus ratione. Ejus tamen commune pretium in Arabia est, ut pari argenti pondere ematur.

Tabaxir historia.

ARBOR in qua gignitur, interdum magna est, & instar Populi procera: interdum minor; ramos ut plurimum erectos (nisi quòd pulcherrimos quosque interdum incurvant ad pergulas & deambulacra, apud Indos frequentia, conficienda) nodis palmi longitudine ab invicem dissitis, distinctos habens; folium Oleæ longius. Inter singula internodia liquor quidam dulcis generatur, crassus veluti amylum congestum, & simili candore, interdum multus, nonnunquam verò perpaucus. Sed non omnes arundines sive rami eum humorem continent, at ii dumtaxat quos Bisnager, Batecala, & pars Provinciæ Malavar profert.

HIC autem liquor concretus, interdum nigricans & cinereus invenitur, sed non ideò improbatur. Nam aut ob nimiam humiditatem, aut quòd diutius ligno inclusus permanserit, hunc sibi colorem conciliat: non autem ob arborum incendium, veluti nonnulli putàrunt. Siquidem in multis ramis, quos non contigit ignis, niger etiam invenitur.

MEMINIT hujus Rhases, lib. de re med. 3. cap. 36. sed omissa generatione, solas vires recenset. Serapionis autem libr. simpl. cap. 342 exemplar temporis vitio corruptum esse verisimile est, quandoquidem *Saraiscir* pro *Tabaxir* legat.

Avicennæ lapsus.

AVICENNA lib. II. cap. 609. vult ex arundinum radicibus crematis fieri: sed ejus opinionem falsam esse ex supradictis manifestum est.

σποδὸς: Tutia. *Antispoda ex ossibus Elephanti nulla.*

CETERVM σποδὸς, quæ Arabum est Tutia, aliud, uti diximus, est medicamentum, cujus historiam ex Græcis petendam censeo. Hujus penuria antispodium fieri censent nonnulli ex ossibus Elephanti: sed quàm id falsum sit, ego iudicare possum, quippe qui Elephantorum ossa nulla servari, sed ea ab incolis abiici, sciam.

PORRÒ, quoniam perversa Cremonensis interpretatio tot errores nobis peperit, in posterum uti censeo Spodo sive Tutia in medicamentis à Græcis descriptis, quæ nusquam nisi externis remediis hoc medicamentum admovent: *Tabaxir* verò legitimo in Arabum compositionibus, quæ ut plurimùm intùs in corpus sumuntur.

Tabaxir facultates.

CETERVM ex Medicorum tum Indorum, tum Arabum, Persarum & Turcorum testimonio *Tabaxir* internis & externis convenit ardoribus, tum etiam biliosis febribus & dysenteriis: præsertim autem in biliosis fluxionibus utuntur, nostri verò trochiscos ex eo conficiunt, addito semine Oxalidis.

De Tutia.

CAPVT XIII.

AVICENNA lib. II. cap. 695. Tutiam in India inveniri scribit. Huic etiam suffragatus Serapio, lib. simpl. cap. 422. Tutiæ quoddam genus Indicum esse asserit.

Tutia Lusitanorum. *Goan arbor.* *ἀντίσποδος Alexandrina.*

SED, ut verum fatear, nulla per universam Indiam, nobis saltem cognitam, Tutia invenitur, sive Græcorum σποδὸς: aut æs, aliúdve aliquod metallum ex quo conflari Tutia possit. Sed ea Tutia qua nos hîc utimur, quamque in Lusitaniam & Hispanias, reliquasque occidentales regiones exportant, è metallicis conflata non est: sed ex eorum est genere quæ Dioscoridi ἀντίσποδα appellantur. Mihi enim retulit mercator, harum similiumque rerum curiosus indagator, se certò accepisse à Persicis negotiatoribus, hanc Tutiam in Quirmon Persiæ regione & Ormuz finitima (ubi etiam laudatissimum totius Persiæ cuminum nascitur) fieri, atque conflari è cineribus arboris cujusdam istîc nascentis nomine *Goan*, quæ fructum ejusdem nominis profert, cortice & putamine constantem: corticem verò & nucleum, qui putamine clauditur, edules esse. Hanc Tutiam Alexandrinam vocari, non quòd in Alexandria fiat; sed quòd ex Quirmon Ormuz delata, deinde in Alexandriam exportetur, ex qua tandem & Italiæ * & Galliæ communicatur.

** Immò, ut Matthiolus suis in Diosc. commentariis lib. 5. cap. 46. censet, Cadmia potiùs ex ærariis Germaniæ fornacibus petita utuntur, tum Italiæ, tum Germaniæ atque Galliæ officinæ. Attamen si paulo diligentiores magisque curiosi essent Pharmacopolæ, facilè Pompholygem ex iisdem fornacibus accipere possent, & sua antispoda, quæ, ut idem auctor est, plerumque ex boum ossibus concrematis parant, omnino reiicerent.*

De Ebore.

CAPVT XIV.

OSSIVM Elephanti non modò in Medicina nullus est usus (tametsi nonnulli, ut modò retulimus, falsò tradant ex his crematis spodium parari) sed nec instrumentis & operibus faciendis. Dentium dumtaxat materies expetitur. Nam licet Ægineta lib. 7. cap. 3. Elephanti vngulas medicum in usum usurpari tradat, falli arbitror.

Dentes Elephātini dumtaxat expetiti.

Fil. Cenalfil. Ati, Ane. Açete, Ytembo. Baro.

APPELLATVR autem Arabibus Elephantus *Fil:* (ipse verò dens *Cenalfil,* quod dens Elephanti est) in Guzarate & Decan, *Ati:* in Malavar, *Ane:* in Canara, *Açete:* Æthiopibus, *Ytembo:* nullis verò nationibus quod sciam *Baro,* licet Simon Genuensis [a] id affirmet.

Magnus Eboris apud Indos usus.

Superstitio Indicarum mulierum.

NVLLIVS in medicina usus sunt ipsi dentes apud Indos: sed dumtaxat ab Arabibus & Turcis usurpantur ex Avicennæ præscripto in iisdem remediis, quibus nos utimur. Verùm in operibus & instrumentis monilibusque fabricandis tantus eorum est usus, ut ex Æthiopiæ parte quæ est à Sofala, usque ad Melinde, singulis annis in Indiam devehantur millies sexcenta pondo, præter eos dentes qui ex plerisque Indiæ regionibus convehuntur. Hujus Eboris pars in Sinarum regionem defertur: maxima verò & potissima in Cambaya. Dæmonis enim persuasione apud mulieres ejus regionis certum superstitionis genus viget, ut è vita sublato aliquo ex sanguine junctis, ilicò omnia monilia quorum viginti ex ebore confecta singulæ mulieres in brachiis gerunt, (fiunt tamen & ea interdum è testudinum testis) confringant, & posito luctu nova inducant. Ingens verò est apud hos Eboris pretium, pro dentium magnitudine: minores enim dentes non adeò magno æstimantur; magni verò, ingentis sunt pretii.

Elephantini dentes non sunt decidui. Elephanti crudis carnibus Æthiopes vescuntur.

HABENT autem singuli Elephanti binos dentes in maxilla superiore, sed non deciduos & denuò renascentes, ut putârunt nonnulli. Feminæ verò iis magna ex parte carent, tametsi nonnullæ dentibus unius palmi longitudine præditæ sint. Mactantur ab Æthiopibus Elephanti, ut eorum crudâ carne vescantur: dentes verò ad nos mercimonii gratiâ transmittunt, viminibus sive laqueis colligatos, quod facit ut putem majora apud eos Elephantorum armenta inveniri, quàm Boum in Europa.

Naires.

PORRÒ Elephanti naturâ melancholici sunt admodum, noctu pauent, & insomniis metum incutientibus divexantur. Sed præsens remedium est, si eorum rectores (*Naires* lingua vernacula vocantur) illorum tergis insideant, semperque eos alloquantur, ne dormiant. Alvi profluvio plerumque laborant; interdum verò adeò in zelotypiam rapiuntur, ut efferentur, & quodammodo furibundi reddantur, disrumpantque catenas & vincula. Ejus autem mali curandi ratio est, ut rectores illos educant in agros, & graviter objurgent.

Elephantorum utilitas.

CETERVM præter id ministerium quod vehendis oneribus præstant, & tormentis bellicis è loco in locum commutandis, solent bello utiles esse Elephanti; interdum enim capite & pectore armati equorum more in bellum educuntur. Sed qui his in præliis utuntur, id solum emolumenti referunt, quòd adversariorum acies prosternant: aliquando tamen, veluti intellexi, non sine suorum pernicie retrocedunt. Nonnulli Reges etiam interdum mille hujusmodi Elephantos in prælium educunt, alii plures, plerique pauciores.

Elephātorum pugna.

CRVDELE est id spectaculum, quando Elephanti veluti monomachiâ prœliantur: nam non modò dentibus singuli suum adversarium impetere student, sed magno interdum impetu capitibus concurrunt, ut alteruter eorum, capite confracto, in planitiem cadat.

FABVLÆ simile est quod quidam de maris & feminæ congressu tradiderunt; etenim haud aliter congrediuntur quàm reliquæ quadrupedes.

Taprobana Zeilan fortè.

MVLTA Plinius lib. VIII. cap. I. II. III. & seq. de Elephantis scribit, sed pleraque parum probanda, & hactenus non experta. Quòd verò in Taprobana insula majores, dociliores, bellicosioresque Elephantos gigni tradit: verum id est, si Taprobanam intellexerit eam insulam quæ nunc Zeilan vocatur. Nam, ut postea dicemus, hujus insulæ Elephanti reliquis omnibus præcellunt, eorumque imperia reliquos agnoscere scribunt. Hujus etiam cum Rhinocerote inimicitiæ meminit idem Plinius, lib. VIII. cap. XX. eorumque pugnas describit.

Rhinocerotis historia. Ganda.

EST autem Rhinoceros vastum animal cornu in nare gerens, quod difficulter domari potest. Multos in Cambaya, Bengala finitima, & Patane inveniri tradunt, & ab incolis *Gandas* vocari. Mihi hactenus Rhinocerotem [b] videre non contigit: illud tamen scio, Bengalæ incolas ejus cornu adversus venena usurpare, unicornu esse existimantes, tametsi non sit, ut ii referunt qui se probè scire autumant.

CETERVM de Monocerote tam incerta omnia ab Auctoribus referuntur, ut illum haud quaquam vidisse manifestò appareat. Ego hoc loco referam quæ à viris fide dignis accepi. Inter promontorium Bonæ spei, & aliud promontorium vulgò de Currentes nuncupatum, vidisse se affirmabant[c] terrestre quoddam animalis genus, licet mari etiam delectaretur, quod caput & jubam equi haberet (minimè tamen marinum equum esse) cornu præditum duos palmos oblongo, mobili, quodque nunc in dextram, nunc in sinistram obverteret; modò attolleret; modò demitteret. Id animal cum Elephante ferociter præliari, ejusque cornu adversus venena laudari. Ejus experimentum factum propinato duobus canibus veneno: alterum enim canem cui duplâ quantitate propinatum esset venenum, sumpto hujus cornu pulvere ex aqua convaluisse: alium verò cui exiguâ quantitate venenum esset datum, nec exhibitum hoc cornu, statim mortuum corruisse. *Monocerôs.*

CETERVM non modò vernaculam linguam intelligunt, sed etiam peregrinas, si eas edoceantur. Gloriæ sunt cupidi, beneficiorum memores, injuriarum verò haud quaquam obliviscuntur, & vindictæ cupidissimi sunt. In summa, huic animali nihil deesse videtur, ut ratione præditum appareat, præter loquelam: tametsi non desint qui in Cochin publicum instrumentum (attestationem vocant) se vidisse afferant, quod referret Elephantum aliquando istic locutum, petiisseque à suo rectore (quem in Malavar *Naire*, in Decam verò *Piluane* vocant) cibum. At rectorem respondisse, Lebetem in quo illi Orizam coqueret, pertusum esse, tamen ad Cacabarium deferret obturandum, deinde Orizam se cocturum. Lebetem promuscide sumptum Elephantus ad Cacabarium defert. Is lebetem reparat, sed rimam, quam non animadverterat, inobturatam relinquit. Lebetem refert Elephantus. Rector Orizam cum aqua coquendam inicit; sed per rimam effluere conspiciens aquam, rursus Elephanto tradit consarcinandum ut ferat. Defert Elephas. Cacabarius de industria lebetem se reparare simulans, rimam auget. Elephantus ad mare profectus lebete aquam haurit: hanc effluere videns, lebetem intelligit non reparatum; ad Cacabarium redit magno barritu intonans, quasi de ejus perfidia conquereretur. Cacabarius tandem lebetem probè ferruminat, & reparat. Sed ei Elephantus non fidens, denuo è mari aquam haurit: quam non effluere animadvertens, domum redit, & orizam in eo coctam edit. Vivunt etiamnum qui hoc spectaculum se vidisse affirmant, locutum tamen asserere non ausint. *Elephanti docilitas.*

RVMOR est Regem Sian, in cujus regno præstantissimi post Zeilanos inveniuntur Elephanti, candidum Elephantum habere, eumque propterea Regem candidi Elephanti per excellentiam appellari. *Rex Sian. Elephantus candidus.*

RETVLIT mihi amicus fide dignus, se duas Elephantorum venationes vidisse, ad quas profectus esset Rex Pegu cum infinita hominum multitudine; in prima etenim ducenta hominum millia fuisse. [d] Cingebant illi in orbem totum eum locum in quo Elephantos sua pascua habere norant: deinde paulatim ambitum illum sive hominum coronam contrahentes, tandem in medio compr hendeɾunt non modò ingentem Elephantorum multitudinem (nam eâ venatione quatuor millia capta sunt) sed & alia animantia, veluti apros, tigrides, partim viva, partim jaculis confixa. Omnes autem Elephantos dimisit, præter ducentos tum adultos tum juniores, ne suam regionem Elephantis depopularetur. Illos verò domârunt in hunc modum. Magnis trabibus eos sepientes, paulatim circum, quo concludebantur, in angustius contrahebant, donec singulos Elephantos vix locus caperet: deinde funibus è vimine contextis eorum pedes & dentes vinciebant, ut Elephanti se movere loco non possent. Hos binis funibus cinctos subibant rectores, & calcibus impetentes, tum baculo ferientes, perpetuò se verberaturos, & tandem fame enecturos minitabantur, nisi essent morigeri. Sin verò essent morigeri, oleo se peruncturos, & cibum subministraturos pollicebantur. Deinde singulos educebant & lavabant: lotis singulis binos Elephantos domesticos & jam domatos admovebant, inter quos utrimque coërcerentur. Hac ratione domitos fuisse referebat. *Rex Pegu. Elephantorum venatio.*

ALIAM præterea Elephantos capiendi rationem idem mihi narrabat. Intellexerat idem Rex Pegu ingentem Elephantum in silvis oberrare: ut eum caperet, aliquot Elephantos feminas domesticas eò mittit, priùs commonitas ne cum Elephantis congrederentur, sed signis indicarent se primùm congressuras ubi ad sua stabula pervenissent. Posteaquam eò venissent feminæ, statim subsecuti sunt Elephanti cum illis pascentes, donec in urbem Pegu quæ admodum vasta est, deducti essent. Feminæ ad sua stabula remeârunt, subsequentibus Elephantis. Eductis inde feminis; solos Elephantos conclusos, eâdem quâ suprà retulimus ratione domuerunt.

IVNIORES etiam verberibus, objurgationibus, & fame, interdum verò beneficiis domantur: majores verò magnis ædibus concludunt, quæ multas habent januas angustas, è quibus *Elephantos domãdi ratio.*

quibus qui Elephantos domare volunt, jacula & spicula in eos coniiciunt, donec jam fessi, vulneribusque & fame propè sint enecti. His deinde rectores significant, illos se ita exercitasse, ut feritatem deponant: quòd si humi se prostraverint, beneficia collaturos pollicentur. procumbunt Elephanti, lavantur, unguntur oleo, & cibus datur: deinde singulis ferè momentis interrogantur quî valeant, quid petant. His rationibus paulatim edomantur.

Plinii lapsus.

MANIFESTVS autem Plinii error in eo deprehenditur, quòd Elephantos minimo suis stridore terreri & retrocedere scribit lib. VIII. cap. IX. Nam plerumque sues Elephantorum stabula ingrediuntur, nec eis terrentur, aut illarum præsentiâ quidquam commoventur. Sed & in silvis Malavar multas sues cum Elephantis versari certum est. Illud verum est, quòd mures oderint, quemadmodum idem tradit. Nam si mures in suis stabulis versari senserint, nunquam nisi contortâ in se & convolutâ promuscide Elephanti dormient, ne eam mures ingrediantur & mordeant. eadem planè ratione formicas abhorrent.

Elephantus murem odit & formicas.

MIRARI subit, à quo Andreas Lacuna lib. 2. cap. 50. comment. in Dioscor. edoctus, fossile & minerale ebur[e] inveniri scripserit, quandoquidē nihil à veritate magis alienū sit.

Andr. Lacunæ lapsus.

NEC minùs Fuchsium lib. de Compos. med. miror, qui nullibi verum ebur reperiri summo errore scripsit: cùm tot sint Elephanti per universam Indiam & Æthiopiam.

Fuchsii error.

[a] *Vulgaria Simonis Genuensis exemplaria huius meminisse non reperio.*

DE Elephantorum docilitate & industriâ multa apud Auctores leguntur. Sed & recentibus exemplis eorum industria & docilitas est cognita. Nónne Elephantus quem ante aliquot annos hîc in Belgica vidimus, quémque ad Imper. Maximilianum II. cum Cæsarem Rex Catholicus mittebat, summum docilitatis & intellectus propemodum humani specimen nobis præbuit? Attamen adhuc erat iunior; nec nonum annum excessisse ferebatur. Illum ipsum deinde Viennæ Austriæ in Cæsaris Maximiliani II. aulâ vivens sæpe conspexi, qui tandem contabuit feminæ desiderio.

[b] *Rhinoceros visus Straboni lib. 16. Cuius color Elephanti similis non buxo (buxeum tamen illi colorem tribuit Plin. lib. VIII. cap. XX.) magnitudo Tauri, forma Apro proxima, præsertim quod ad rostrum attinet, demto naso, qui cornu quoddam est recurvum, omni osse durius: eo pro armis utitur, quemadmodum Aper dentibus. Habet etiam duo cingula, tanquam draconum volumina, à dorso usque ad uterum circumeuntia, alterum iubam versus, alterum ad lumbum.*

Hoc porrò animal nunc à Lusitanis Abada *appellatur, eiúsque cornu adversus venena maximè celebratur.*

[c] *NON multum ab hoc animali differre videtur Æthiopum Eale, quam describit Plin. lib. VIII. Naturalis historiæ cap. XXI. Apud eosdem [videlicet Æthiopas] & quæ vocatur Eale; magnitudine Equi fluviatilis, caudâ Elephanti, colore nigra vel fulva; maxillas apri, maiora cubitalibus cornua habens, mobilia, quæ alterna in pugnâ sistit, variátque aut infesta aut obliqua, utcunque ratio monstravit.*

[d] *Similem planè venandi rationem describit Pausanias in Bœoticis, sive lib. 9. in hunc modum: Venatores ubi campestres vel montanos saltus ad stadia fermè mille in orbem continenti indagine cinxerint, ita ut constanter omnes, quem quisque ceperit in eo ambitu locum obtineant, ad intimos eadem agminis forma recessus progressi, feras omnes in medio comprehendunt, & inter eas Alcen, &c.*

Ebur fossile.

[e] *Laminulis quibusdam Eboris fossilis, quæ nativum æmulantur, sed crusta quadam candidissima inductæ sunt, biennio ante quam Garciam latinum facerem, à Rasio nostro omnium Naturæ miraculorum diligentissimo observatore, donatus sum. In Italia erui hoc ebur intelligo, & magno in usu istîc esse adversus virulentorum animalium morsus. Habui deinde aliis in Provinciis erutum, & apud quosdam amicos conspexi.*

De Canella.

CAPVT XV.

Herodoti fabulæ, in Thalia.

TAM longâ difficilique viâ petebantur olim hæc aromata, ut perfectam eorum notitiam consequi veteribus haud facile fuerit. Hinc factum, ut innumeræ fingerentur fabulæ, quas Herodotus pro veris refert. Et quoniam ingens eorum erat pretium, maiórque in hominibus lucri cupiditas, adulterabantur aromata; & hac ratione fiebat ut diversa illis inderentur nomina, tametsi plerumque ejusdem essent generis.

Alep Syriæ emporium.

PROPTER locorum igitur distantiam, & minùs frequentatas has regiones à negotiatoribus, probè cognita Cassiæ historia veteribus non fuit. Nam qui eam Ormuz & Arabiam devehebant, Sinenses (ut infrà dicemus) erant; ex Ormuz deinde in Alep emporium totius Syriæ nobilissimum ab aliis negotiatoribus transferebatur. Qui verò inde ad Græcos deportabant, aut apud se nasci, aut in Æthiopia dicebant, multisque cum superstitionibus cædi, dividique à sacerdote in ternas partes, quarum unam Deo poneret, alteram Regi, tertiam Sacerdotibus. *

** Paulo aliter Plin. lib. XII. cap. XIX.*

Cassia neque Cinnamomū apud Æthiopes nascitur.

CETERVM neque Cassiam, neque Cinnamomum apud Æthiopes, aut Arabes nasci, nostrorum Lusitanorum navigatione palàm factum est: qui licet totam illam oram circumlegerint, magnâque ex parte terrestri itinere peragrârint, nullam tamen Cassiam aut Cinnamomum vidisse affirmant. Huc adde, quòd ipsimet Arabes Canellam dictam hinc petunt, ejusque pretium apud illos intenditur quoties hinc non defertur.

DICET

DICET aliquis, Canellam quidem apud eos non nasci, & propterea ab Indis petere; sed legitima Cassia & vero Cinnamomo eos non carere; fortè autem à Barbaris & inconditis populis ignorari. Familiares habeo eruditos viros Medicos Arabes, Turcos, & Coraçones, qui omnes Canellam Crassiorem, Cassiam ligneam appellant. Præterea nonnulli ex nostris totam Æthiopiam sub Ægypto (quam nunc Guineam vocant) non solùm secundùm mare, sed & in mediterraneis peragrârunt; alii ab insula D. Thomæ nuncupata usque ad Sofala & Mosambique, & inde Goam penetrantes, alii plerique à promontorio Bonæ spei (cùm naufragium passi essent) usque ad Mosambique & Melindam, ita ut utramque Æthiopiam supra & infra Ægyptum perlustrârint; nulla tamen his conspecta est Canella vel Cassia. *Guinea.* *Promõtorium Bonæ spei.*

CVM igitur orbis numquam ita fuerit cognitus, ut nunc est, præsertim Lusitanis; verisimile est non defutura hujusmodi aromata & celebria medicamenta, qualia sunt Cinnamomum & Cassia: sed abundantiam ipsam, hanc nobis dubitationem parere.

NEQVE enim (tametsi nostri minimè curiosi fuissent) credendum est ipsos incolas tam nobilia aromata celaturos. Nam quemadmodum Barbarissima gens, quæ insulam D. Laurentii incolit, mercatoribus qui eò interdum devehuntur, fructum quendam Avellanæ magnitudine ostendit, quòd Caryophylla redolet; eâdem ratione credendum est, Æthiopes Cinnamomum & Cassiam adeò odorata medicamenta nostris demonstraturos fuisse. *Insula D. Laurentii.* *Fructus Caryophylla olẽs.*

PORRO Cassia lignea Arabibus, Persis, & Indis *Salibacha* vocatur: à vulgo autem Indorum, eodem nomine dicitur quo Canella: nullum enim inter Canellam & Cassiam discrimen faciunt. Neque, ut verum dicam, quispiam Cassiam à Canellâ differentem vidit. *Salibacha.* *Canella est Cassia.*

CETERVM quòd Canellæ diversa Cinnamomi & Cassiæ nomina indita fuerint, occasionem præbuisse puto mercatores Sinenses (Nam Annales urbis Ormuz produnt olim quadringentas naves è Sina uno eodemque tempore eò appulisse) qui cùm è sua regione aurum, sericum, vasa murrhina (porcellanas vocant) moschum, cuprum, margaritas, aliásque hujusmodi merces eveherent, nonnullas ex eis in Malaca vendebant; sandalum, nucem aromatitem, macerem, Caryophylla, lignum aloës, cõtrà in suas naves inferentes: quæ rursus in Zeilan & Malavar divendebant, indeque sumebant Canellam, ex Zeilan videlicet laudatissimam, & ex Malavar minùs selectam: similiter & ex Iaoa, unde etiam piper, cardamomumq. evehebant; eaque omnia deinde Ormuz, aut in Arabiæ oram maritimam perferebant. Interrogati autem isti Sinenses, quænam essent hæc aromata, & unde ea adveherent, fabulas illas narrabant quas recenset Herodotus, ut his commentis earum mercium precia augerent. *Ormuz nobilis. emporium.*

CVM autem quæ in Zeilan nata esset Canellam, ab ea quam in Iaoa & Malavar sumpserant, differre conspicerent, diversa illis indidere nomina, cùm tamen ejusdem generis essent cortices, pro soli cælique varietate solùm differentes, ut plerumque idem fructus pro regionum & soli varietate suavior fieri, aut à naturali bonitate degenerare solet. *Canella Zeilanica reliquas longè superat.*

EMENTES ergo Ormuz incolæ eam Canellam à Sinensibus, idcirco eam *Darchini*, quod Persis lignum Sinense sonat, appellârunt: deinde Alexandriam vehentes, ut eam Græcis eò confluentibus cariùs venderent, Cinnamomum vocârunt, quod significat lignum odoratum, quasi Amomum ex Sinâ delatum. Deteriori autem Canellæ, quæ scilicet ex Malavar & Iaoa delata esset, idem nomen quo in Iaoa appellatur, indiderunt, scilicet *Cais manis*, quod lingua Malaya dulce lignum sonat (hanc corrupto vocabulo *Cassiam* Græci dixerunt) duo diversa nomina eidem rei imponentes. *Darchini.* *Cinnamomũ.* *Cais manis.* *Cassia.*

VSVS est autem Avicenna lib. II. cap. 151. cum Rhase & reliquis Arabibus, vocabulo Persico *Darsini*, ut plerisque aliis Persicis solet. Nam Canella cujuscumque generis Arabicè *Quersaa* & *Querfe* dicitur. Reliqua verò nomina Arabibus prodita corrupta sunt, ut *Darsibaham* & similia. Vocatur in Zeilan *Cuurdo*: in Malayo, uti dixi, *Cais manis*: in Malavar *Cameaa*. Nam quod Serapio *Darsini* arborem de Sina interpretatur, corrupta est interpretatio & ab Interprete addita. *Quersaa.* *Querfe.* *Cuurdo.* *Cameaa.*

CETERVM rogatos volo omnes cùm Medicos tum Pharmacopœos, ut posthac Cassiæ loco Canellam deteriorem præscribere desinant, & selectissimâ utantur; quandoquidem tanta nunc est ejus copia. Tum etiam ne Cassiam duplici pondere pro Cinnamomo in compositionibus iniiciant, tametsi freti Dioscoridis & Galeni auctoritate.

SCRIBVNT nonnulli, Canellam nostram veterum Cassiam non esse, quòd (ut aiunt) nigricans sit, & inodora: aut, si sit, Pseudocassiam Dioscoridis esse potiùs quàm legitimam. Fit interdum, ut etiam hîc in India Cassiam admodum depravatam cum alia inveniamus, non exigua quantitate (quoniam aut non bene parata fuit, aut non suo tempore cæsa)

 quan-

quandoquidem vix Aroma reperias corruptioni magis obnoxium quàm Canella est, præsertim si diu in navi perstiterit. Est enim hæc regio ad putredinem valde proclivis, maritimis præsertim locis; immò quotidianâ experientiâ videmus Canellam singulis annis multum de sua illa odoris & saporis suavitate deperdere.

Si quis plura de Cassia requiret, legat Manardum lib. Epist. 8. epist. 1. & Commentarios Matthioli, lib. 1. cap. 12. & 13. qui multis argumentis demonstrant nostram Canellam, legitimam Cassiam esse. Sed quòd Cinnamomum inveniri negent, in eo falluntur, cùm Cassia, Cinnamomum, & nostra Canella unum idemque sint medicamentum.

Cinnamomũ, Cassia, & Canella idem sunt.

Annotavit Lacuna lib. 1. cap. 13. in ædibus Indicis Vlyssipone se omnia Cinnamomi genera à veteribus descripta observasse. Sed ego hîc in India plura duobus non observavi, videlicet quod in Zeilan nascitur, & quod in Iaoa & Malabar. Nam quod in Lusitaniam devehi solet, Zeilanicum omnino est. Poterit autē fieri, ut quinq. genera bonitate discreta invenerit, non autē genere diversa. Quod verò deinde addit de Cinnamomo, cũ Maria Stiliconis filia, Honorii Augusti uxore, reperto sub Paulo III. P. M. fabulosum prorsus videtur.

Cinnamomi sive Canellæ duo dumtaxat genera.

Fatentur nonnulli, Cinnamomum quidem nos habere, sed non illud Mosyliticum, quod à Dioscoride lib. 1. cap. 13. cæteris generibus præfertur; quodque Theophrastus lib. 9. cap. 5. multis nodis constare scribit. Sed his abunde satisfactum puto iis argumentis quæ antè protulimus.

Canellæ historia.

Porrò Cinnamomum sive Canellæ arbor magnitudine est Oleæ, interdum minor, multis ramis prædita, non iis quidem contortis, sed rectis fermè: foliis lauri quidem colore, sed formâ ad Citri folia accedente (non foliis Iridis, ut fabulosè quidam scripsere) floribus candidis, fructu nigro & rotundo, avellanæ ferè magnitudine, aut exiguis olivis simili. Est autem Canella nihil aliud nisi secundus & interior arboris cortex[a], nam hæc arbor duplici cortice munita est veluti Suber, non eo tamen adeò crasso & distincto. Exemptus ergo cortex crasso illo & exteriori libro repurgatur: deinde in laminulas quadrangulas sectus, humi abiicitur, atque ita per se convolvitur, ut trunci unius rami integer cortex videatur, cùm tamen partes sint dumtaxat corticis in tubulos digiti crassitie convolutæ, truncus verò interdum femoris crassitudine reperiatur. Roseum autem illum, sive ex cinereo vinosum colorem Solis calore contrahit: qui, non probè paratus, candicans sive cinerei coloris fit; nimiis verò ardoribus Solis adustus, niger. Adempto cortice tribus postea annis ab ea arbore abstinetur.

Frequentes sunt hæ arbores in Zeilan, solebatque vili emi Canella: sed triginta abhinc annis nemo eam emere potuit, præter Procuratorem regiorum negotiorum, Factorem vocant. Zeilanicis minores sunt eæ quæ ignobiliorem Canellam præbent in provincia Malavar, & in Iaoa sive Iava; non tamen adeò pusillæ, ut eas Plinius lib. XII. cap. XIX. & Galenus lib. 1. de Antidotis esse censent. Sunt verò omnes silvestres & sponte nascentes.

Canellæ arbor silvestris.

Nusquam alibi, quod sciam, nascitur Canella, tametsi Franciscus de Tamara scribat in freto maris Erythræi Cinnamomi arbores, & Lauros maris æstu interdum opertas inveniri: quoniam nostri singulis annis per mare Erythræum navigant, nullam tamen hujusmodi arborem viderunt. Nam quod ad Occidentalis quam vocant Indiæ historiam attinet[b], non verisimile videtur Canellam istîc nasci, quandoquidem eam dicit calices glandesque Suberis modo ferre, cùm legitima Canella veluti olivas ferat: sed alia erit sui generis arbor. Nec, uti eadem refert, in Sina nascitur, nam è Malaca Sinam cum aliis mercibus defertur. Intelligo verò plurimam etiam Canellam in insula Mindanao nasci, & vicinis insulis; sed eæ procul à Sina absunt.

Nulla Canella in America.

Nulla item in Sina.

Putarunt etiam nonnulli in Alep nasci Canellam, quòd apud aliquot Scriptores præscriptum invenerint Cinnamomum Alipinum: sed sciant non magis istîc, quam in Hispaniis nasci. Verùm cum ex his regionibus Ormuz & Giden, atque inde Alep devehatur, factum est, ut incorrupta & recens Canella istinc in Europam advecta, ab ipsa urbe Alep denominata sit. Quamvis autem Zeilanica reliquis præferatur, invenitur tamen etiam interdum ignobilis, qualis est quæ crassiori cortice cõstat, minusque in Tubulos convolvitur, quòd non sit ejusdem anni: quo enim vetustior cortex, eo deterior. Quæ verò in Malavar nascitur, tota ferè est ignobilis, tantumque à Zeilanica differt, ut centenæ Zeilanicæ libræ decem aureos pendant; Malavaricæ verò libræ quadringentæ unum dumtaxat aureum.

Cinnamomũ Alipinum.

Canella Zeilanica.

Canella Malavarica.

Exstillat ipsa radix liquorem Caphuram redolentem. Sed rex vetuit radices vulnerari, ne arbores pereant. Elicitur aqua plumbeis aut vitreis instrumentis ex ipsis floribus, sed quæ fragrantiâ & odoris suavitate ei cedat, quæ ex corticibus nondum exsiccatis educitur; tametsi ex solis floribus elici auctor sit Lacuna lib. 1. cap. 12.

Liquor è radice Canellæ. Aqua è corticibus, & è floribus Canellæ.

Vtilis est stillaticius hic liquor ad plurima: nam stomachi imbecillitatem roborat, coli dolores ex causa frigida provenientes illico lenit, ut plerumque sum expertus; facici colorem

Aquæ Canellæ facultates.

colorem commendat, & oris halitum, præterea ad condiendos suavioresque efficiendos cibos perquam idoneus.

Ex Canellæ baccis oleum extrahitur, quemadmodum ex olivis, sebaceum quodammodo, & saponis Gallici modo in panes coactum, inodorum, nisi calefactum sit, tunc enim Cinnamomum aliquantulum olet. Eo utuntur adversus ventriculi & nervorum frigidam intemperiem. *Oleum Canellæ.*


Ceterum ut de nominibus generum Canellæ à veteribus traditis aliquid hîc dicam: fieri posse existimo, ut Zigir vocatus fuerit totus ille Chingalarum tractus, qui est Zeilan. Nam Persæ & Arabes nigros vocant Zangues, omnes verò Zeilan & Malavar incolæ nigro colore præditi sunt. Mosylliticum ab insula Zeilan, quæ montosa est, dici puto. *Zigir.*

Plinius lib. XII. cap. XIX. in Gebanitarum portum Ocila vocatum deferri tradit, qui nihil aliud est, quàm Chingalarum sive Zeilan portus.

Continet autem Zeilan, sive Ceilan, octoginta leucas in circuitu, triginta verò in longitudinem patet. polum elevatum habet à sexto ad nonum gradum, uberrima & laudatissima totius orbis insula (hanc nonnulli veterum Taprobanam esse volunt, quod nomen alii Samatræ tribuere malunt) habens è regione & in conspectu Promontorium de Comorin vulgò nuncupatum. Populosa est admodum, tametsi magnâ ex parte montosa, cujus incolæ Chingalæ appellantur. Multæ istîc nuces myristicæ, Cariophylla, Piper, omnis generis præter adamantem gemmæ; margaritarum, auri, argenti magna copia. Silvæ omnis generis avibus scatent, pavonibus, gallinis, palumbis varii generis, multoque venatu, cervis & apris. Delicatissimi istîc fructus, tametsi sponte nascentes, ficus, uvæ, aurea mala suavitate reliqua totius orbis superantia: ligno & ferro abundat: multa Palmarum genera, optimique Elephantes, summique ingenii; quibus reliquos obedientes esse ferunt. Fabulantur Indi istîc esse Elysios Campos, & in excelso qui istîc est monte (quem rostrum sive acumen Adami vocant) [c] pedum Adami vestigia apparere. *Zeilan insulæ descriptio & ubertas. Taprobana. Chingalæ, Zeilan incolæ. Elephantis Zeilanicis reliqui parent.*

[a] *In nostra sanè Canella interdum invenies fragmenta quæ non videntur interior ille cortex, sed omnino superior, cinerea quodammodo pellicula obductus. Plerique verò tubuli, delibrati & crassiori inæqualique cortice denudati videntur.*

Cinnamomi *verò duos ramulos in Belgio vidi: alterum apud Generosum Dominum Carolum à D. Audomaro, piæ memoriæ, virum non modò rei Herbariæ peritissimum, & qui plantas ipsas, aves, quadrupedésque insigni artificio, vivisque coloribus exprimi curabat, sed omnium etiam Naturæ miraculorum studiosissimum: alterum apud C. V. D. Nicolaum Valdauræ Brugensem medicum: tertium reliquis maiorem & crassiorem paucos ante menses, apud Generosum Dominum Thomam Redigerum in peregrinatione nostra Britannica anno* M. D. LXXI *Bristolii adquisitum. Erant verò ii recti, non enodes; sed nodis quibusdam sive ramulorum vestigiis palmum ab invicem dissitis insigniti. Cortex tenuis, subcinerei quodammodo coloris, iucundi odoris, suavis gustus, sed qui sua acrimonia aliquantulum linguam vellicaret. Lignum certè inodorum erat, & insipidum, non minùs quàm Salicis ramus, cui perquam simile. Retinebat autem cortex suavem illam cum odoris tum saporis iucunditatem (tametsi totis quadraginta aut amplius annis à sua matre revulsi essent ramuli) atque eam etiam maiorem quàm nostra Canella. Deterior illâ Canella à Batavis è Sumatra & Iava adferri solita, quâ incolas in suis eduliis uti asserunt.*



Ludovicus *Roman. lib. 6. cap. 4. similem ferè nostro Auctori Cinnamomi sive Canellæ descriptionem tradit. At Maximil. Transs. epistola de Moluc. insul. Cinnamomi arborem Punicæ mali similem facit; quàm rectè, nescio: Eum secutus videtur Franciscus Gomara in Historia generali, cap. 96.*

[b] *Quotquot Peruanam historiam descripserunt, istius Canellæ, quam in provincia Sumaco nasci tradunt, meminerunt. Est verò, ex eorum descriptione, Canellæ arbor vasta admodum, folio laurino, fructu racematim cohærente, sed qui calice Suberino simili continetur, ampliore tamen & magis cavo, colore nigricante. Huius arboris fructui, foliis, cortici & radicibus (licet Canellæ saporem & odorem habeant) longè calices præferuntur, quorum dumtaxat pulvis in usu est. Nam si Canellæ modo cum cibis decoquantur, tantum abest ut suavitatem eduliis concilient, quin potiùs eorum facultas & saporis gratia decoctione evanescit. Horum pulvere ad plerosque morbos utuntur; sed præsertim adversus coli, intestinorum, & stomachi dolores in potionibus propinant. Quamvis autem multæ sint huius generis arbores silvestres, diligenter tamen & magnâ curâ eas in suis prædiis colunt, (fit enim cultu longè melior) atque in vicinas regiones deferunt, alias merces ad vitam humanam necessarias hoc aromate redempturi. Hæc Franciscus Gomara in Historia generali cap. 143. Augustinus Carate lib. 4. Histor. Peruanæ, cap. 2. & Petrus Cieca, parte prima Chronici Peruani, capite 40.*

[c] *Huius fabulæ meminit etiam Lud. Roman. lib. 6. navig. cap. 4. ubi de insula Zeilan agit. Memorant, inquit, incolæ divum Adam, post lapsum illic fletu ac continentiâ pœnitudine ductum culpam redemisse. Id assequuntur ea coniectura, quòd parentis adhuc visuntur impressa pedum vestigia, longitudine geminum palmum excedentia.*

De Agallocho.

CAP. XVI.

DIOSCORIDES lib. 1. cap. 21. Lignum Aloës, quod ipse Agallochum vocat, ex India atque Arabia deportari, cute verius quàm cortice vestitum, & pro Thure ad suffimenta substitui scribit.

Lignum Aloës ex India dumtaxat.

Agallochum pro thure non substitui.

SED legitimum Lignum Aloës non nisi ex India deportatur. Ex Arabia quidem adferri potuit, priùs tamen ex India eò deportatum, ut pleræque aliæ merces. Nam in Arabia nasci non puto. Cute sanè non vestitur, sed cortice, ut reliqua ligna. Neque verisimile est pro Thure ad suffimenta substitui: sed potiùs è contrà pro Agallocho Thus substitui debuit, utpote cujus semper major copia fuit. Non solemus enim rariora & inventu difficilia vulgaribus substituere; sed contrà. Nam Thuris selecti centum pondo, aureo dumtaxat hîc emuntur, tametsi ex Arabia huc deportetur. Lignum verò Aloës, licet hîc natum, tres aureos pendit in singulas libras.

PVTANT nonnulli Plinio descriptum esse sub Tari nomine, quod Tarum, lib. XII. naturalis historiæ cap. xx. ex confinio Casiæ Cinnamique per Nabathæos Troglodytas invehi scribit.

MEMINIT Agallochi Avicenna duobus diversis capitibus: altero, lib. II. cap. 733. videlicet, de Xyloaloë; & altero lib. II. cap. 14. de Agalugen. Solet enim, de medicamento aliquo dubitans, duo, ut antè diximus, capita facere, posteriori plerumque pleniùs & accuratiùs omnia describens. Priori (lib. II. cap. 733 scilicet) nomina recenset, & provincias enumerat, è quibus deportabatur. Sed in omnibus verum & legitimum Lignum Aloës non nascitur. Nam quod in Promontorio Comorin, Veteribus Cori dicto, & Zeilan invenitur, lignum quidem odoratum est, quod Lignum Aloës silvestre vocârunt; cùm tamen non sit. Legitimum verò in Malaça & Samatra nascitur, unde à Sinensibus petebatur.

Promontorium Cori. Xylaloës.

HALLVCINATVR autem Avicenna[a], cùm ab incolis elixari, ut omnem odorem eliciant, scribit.

EIVS plura genera enumerat Serapio, lib. simplicium cap. 197. Indum, id in quadam Indiæ insula invenitur, quæ Fiuma nominatur. Selectissimum est nigrum, quòd varium ostendat colorem, ponderosum. Mondunum à Mondel Indiæ urbe denominatum. Seificum: postremò Alcumericum, Seifico bonitate cedens; tametsi Alcumeri non longiùs à Seifi, quàm triduano itinere distet. Ceterùm præstare quod sua gravedine in aquam conjectum non innatet, sed statim subsidat, quodque ignium flammis diu resistat.

EGO sanè quid per hæc vocabula sibi velit Serapio, planè ignoro, & nomina admodum depravata esse existimo. Nam quid per Fiuma intelligat, nescio: per Mondel, fortè Melindam intelligit; per Seifi & Alcumeri Zeilan insulam, & Promontorium Comorin; à quo triduano itinere marino Zeilan insula distat. Conjecturis dumtaxat utor. In Comorin certè & Zeilan ligni quoddam genus odoratum provenit, quod Aguila brava, id est, Lignum Aloës silvestre appellant, ut paulò antè diximus. Eo cremantur Baneanum corpora; quos hujus historiæ initio ab omni re animatâ abstinere dixi.

Aguila brava. Baneanes.

IDEM Serapio lib. simpl. cap. 197. ramos ab arbore resectos integro anno sepeliri scribit, ut ita obruti Agallochi marcescat cortex, lignumque purum dumtaxat remaneat, adeò ut è ligno nihil erodatur. Addit collabentes ex Agallochi arboribus ramos, à fluminum inundationibus raptos, per circumstantes regiones deferri. In nonnullis sanè veritati consona refert, sed in quibusdam veritatem assecutus non est. Quòd verò fructum proferre rotundum piperis modo, & rubentem refert, an verum sit ignoro, cùm hactenus videre mihi non contigerit, nec quemquam invenerim qui aliquando viderit: nec reliqui Arabes, Rhases, Avenrois, & Isaac, ejus usquam meminerunt, tametsi Agallochi facultates descripserint.

Agallochi fructus.

MAGIS autem fabulosa sunt illorum somnia, qui Agallochi arborem terrestri tantùm paradiso provenire, ejusque fragmenta fluminibus ferri fabulantur, quàm ut refelli debeant.

NEC minùs absona sunt, quæ Pandectarius cap. 30. de Agallocho scripsit. Nam quòd Chamelæâ adulterari Agallochum scribit, à veritate alienum est omnino, cùm totâ eâ regione Chamelæa non nascatur.

Chamelaa in regno Malaca non nascitur.

RVELLIVS verò lib. 1. cap. 36. tametsi per omnia veritatem non sit assecutus, in plerisque tamen hallucinatus non est. Quatuor quæ recenset Agallochi genera hactenus videre mihi non licuit; sed unicum genus Indicum novi. Fieri potest ut reliqua genera legitimum Agallochum non sint, sed lignum aliquod odoratum.

Agallochi legitimi unicum genus inveniri.

BENE

Bene etiam scribit Musa exam. simpl. de Agallocho: in hoc tamen fallitur, quòd ejus plures silvas inveniri scribat. Nam raræ sunt arbores.

Ceterum Agallochum dicitur Arabibus *Agalugen* & *Haud*, Guzarate & Decan incolis *Vd*, quod vocabulum ex Arabico desumptum videtur: in Malaca *Garro*, selectissimum autem *Calambac*. *Agalugen, Haud, Vd. Garro, Calambac.*

Arbor est Oleæ instar, interdum major: fructum aut florem videre non contigit, ob difficultates & pericula quæ in accuratâ hujus arboris observatione (frequenter istic grassantibus Tigribus) sunt subeunda. Allati verò mihi sunt è Malaca rami cum foliis. Ferunt autem recens dissectum Agallochum nullâ odoris fragrantiâ gratum esse, nec nisi siccatum odoratum esse: imò eum odorem per universam ligni materiem non diffundi, sed in ipso arboris corde sive matrice coacervari. Crassus est enim cortex, & ligni materies odoris expers. Haud negaverim tamen, quin putrescente cortice & ligno, oleosus ille & pinguis humor matrici sese insinuet, illamque odoratiorem reddat; sed ut odor Agallocho concilietur, minimè putredine opus est. Multi enim sunt adeò experti & dextri in Agallocho dignoscendo, ut etiam de recens dissecto judicare possint, sitne odoratum futurum, an nullâ odoris jucunditate spiraturum. Etenim in omni lignorum genere aliud alio præstantius est. Solent autem Malacæ incolæ Agallochum repurgare antè quàm negotiatoribus vendant. *Agallochi historia.*

Præfertur verò multum nigricans, cinereis discurrentibus venis, ponderosum, plurimo humore pingui prægnans[b]. Probatio erit, si igne accensum multum humoris exudet; non si in aquam conjectum, subsidat. Nam selectissimum quandoque innatat, nec subsidit. Guzarate & Decan incolæ, præter supradictas notas, ut magna sint fragmina requirunt, quemadmodum majores gemmas & margaritas ceteris præferunt: persuadent enim sibi, quo majora sunt fragmenta, eo plus facultatis in se continere. *Agallochi delectus.*

[a] *Ego totam Agallochi historiam apud Avicennam legi, sed nusquam eius mentionem fecisse invenio; saltem in nostris exemplaribus. Quare omnino dicendum est, Auctorem à nostris diversa habuisse exemplaria.*

[b] *Eiusmodi ex India Vlysiponem adfertur, sed magno æstimant. Fiunt interdum ex eo sphærulæ, quæ ad preces ad numerum recitandas idoneæ, odoris iucunditate & pretii magnitudine commendabiles. Frequentiores tamen sunt eæ quæ ex Xylaloë ut vocant silvestri, nostro auctori descripto, tum ex alio ligni genere (quod mirum in modum Agallochum æmulatur, inodorum tamen est) torno concinnantur.*

Selectißimi porrò Agallochi fragmenta in κειμηλιαρχίῳ adservo, quæ Britannica mea peregrinatione tertia, annò M.D.XXCI. *munere H. Morgani nunc Regii pharmacopœi, & Iacobi Garetii iunioris aromatarii diligentißimi, nactus sum.*

De Sandalo.

Caput XVII.

Qvia Sandalum usibus humanis valde necessarium est, utpote quod cordis affectibus non parum conveniat, de eo differere non alienum duxi. *Sandalum.*

Appellatur autem in Timor insula omnibusque provinciis Malacæ vicinis *Chandama*: Arabes corrupto nomine *Sandal* vocarunt, quos imitati sunt omnes in genere Mauritani, cujuscumque tandem illi sint provinciæ: in Canara, Decan, & Guzarate *Sercanda* dicitur. *Chandama. Sandal. Sercanda.*

Porrò tria sunt Sandali genera, Rubrum, Album, Pallidum, quod Citrinum officinæ vocant. Hæc autem omnia genera non nascuntur una in provincia; sed locis multum inter se distantibus. Nam rubrum in Timor, ubi plurimum Album & pallidum provenit, non nascitur; sed in India intra Gangem fl. quem incolæ Ganga vocant, videlicet in Tanasarim & maritimis quibusdam Charamandel. Hujus descriptionem non propono, quòd hactenus eam consequi non licuerit. Illud autem certum est, omne Santalum rubrum ex iis quæ jam recitavi locis adferri. Rarus in hac provincia ejus usus est, quòd Indi dumtaxat adversus febres usurpent: reliquum in Lusitaniam & occidentales regiones defertur. Illo etiam interdum hujus provinciæ incolæ sua idola eorumque delubra fabricant: qua de re crassiora ligna magis expetuntur, majorique pretio redimuntur. *Sandali tria genera. Ganges fl. Idola ex Sandalo rubro.*

Differunt autem inter se Santalum rubrum & Brasilium lignum. utrumque inodorum. Nam Santalum rubrum neque dulce est, neque inficit; quæ notæ in Brasilio manifestè deprehenduntur. *Sandali rubri & Brasilii differentia.*

Ceterum Santalum album & pallidum, ut jam dixi, in India ultra Gangem nascitur, plurimum verò in Timor insula, quæ undique portuosa est. Præfertur autem quod ad portum Mena invenitur: est enim id haudquaquam lignosum, sed totum ferè cor. Ad portum Matomea est Santalum etiam pallidum: sed illud multum ligni, parum cordis *Timor insula portuosa.*

 habet:

habet: Lignum autem à corde segrego, quoniam in corde tota odoris gratia consistit. Ad alium portum, Camanase appellatum, improbum Santalum nascitur, utpote quod plurimum lignum, & nihil ferè cordis possideat. Hujusmodi est & illud quod ad portum Serviago nuncupatum invenitur. Sunt autem mercatores in his discernendis adeò exercitati, ut, conspecto ligno, statim indicare possint, unde sit allatum.

INVENITVR etiam Santalum album & pallidum in Verbali, portu Iavæ, vehementer quidem odoratum, sed quod brevi senescat, debeatque post annum multo ligno adempto ejus odor revocari, qui in meditullio consistit.

Santalum pallidum odoratum.

PRIMVM verò locum obtinet pallidum, quod odoratius est, sed minori copiâ invehitur. Etenim inter innumeros Santali truncos vix quinquagesimus quisque pallidus est. Nuper tamen à mercatoribus intellexi, qui diu in ea insula versati sunt, plurimum Santalum pallidum locis apricis nasci; tantamque inter utriusque Santali arbores esse affinitatem, ut pallidum à candido discerni non possit, nisi fortè ab ipsis incolis, qui eas cæsas Mercatoribus vendunt.

Santali historia.

CETERVM Santalum in nucis Iuglandis magnitudinem attollitur; foliis admodum virentibus, Lentisci æmulis: flos ex cæruleo nigricans: fructus Cerasi magnitudine, primùm viridis, deinde niger, insipidus, & admodum caducus. Inodoram ferunt esse arborem, nisi detracto jam cortice exsiccatam.

Magnus Santali usus apud Indos.

MAGNA Santali albi & Citrini quantitas per universam Indiam absumitur, quia omnes ferè ejus incolæ, sive Mauritani, sive Gentiles, illo in mortariis lapideis contuso, & aquâ macerato, sibi universum corpus inungunt; deinde siccari sinunt, ad æstus corporis tollendos, & odoris conciliandi causa. Est enim hæc regio admodùm calida, & incolæ plurimùm odoribus delectantur.

Conchin & Goa Indiæ emporia.

Santalū pallidum rariß. in Lusitaniam exportatur.

VTRVMQVE porrò Santalum ex Malaca Lusitanorum Onerariis in Couchin & Goa maxima totius Indiæ emporia invehitur: periit enim nunc Calecut amplissimum olim emporium. Inde potissimam partem exportant in Malavar, Canara, Bengala, Decan, & Guzarate: minima verò defertur Ormuz, Arabiam, & Lusitaniam. Imò vix in Lusitaniam legitimum Citrinum deferri puto, cùm multo pluris hîc ematur, quàm in Lusitaniam delatum vendi possit.

Machazari.

Mazafrani.

ANTIQVIORES Græci Santalorum non meminerunt, sed Arabes dumtaxat. Quid verò sibi velint *Machazari* & *Mabazari* vocabula, quibus pallidum Santalum nuncupari quidam volunt, prorsus ignoro (tametsi Monachi Commentatores in Mesuen distinct.8. cap. 261 *Machazari* explicent odoriferi) nisi fortè *Machazari* significet è Malaca petitum; aut *Mazafrani* legendum sit, quod pallidum aut croceo colore infectum sonat.

Santali pallidi penuriā candidum explet.

CETERVM in pallidi penuriâ albi & rubri partes æquales præscribendas non censeo, ut vult Sepulveda, sed potiùs solum candidum: magis enim pallido affine est album quàm rubrum.

Andanager urbs.

Nizamoxæ horti.

IN exteras regiones delata Santali arbor etiam crescit. Vidi enim in Andanager totius regni Decan urbe primariâ, ubi regiam suam habet Nizamoxa; attamen non erat odorata. Habet autem Nizamoxa istic hortos amplissimos, omni peregrinarum arborum, etiam nostratium, genere excultissimos, quæ fructiferæ sunt.

Lignum Santalo simile.

SIGNIFICATVM mihi erat, in insula D. Laurentii Santalum etiam inveniri, & ipsos Æthiopes incolas sic asserere. Verùm postea Santalum non esse intellexi, sed ligni dumtaxat genus odoratum, cujusmodi hîc plurima inveniuntur.

Sambarane lignum.

INVENITVR & in Malavar odorati ligni genus Santalo albo persimile, quo se in febribus indigenæ inungunt; lingua Malavarica *Sambarane* appellatum.

** Quantum ex hac Sandali descriptione colligere licet, valde erit dubitandum an legitimum Santalum pallidum habeamus, quandoquidem scribit vix in Lusitaniam deferri, quum eius pretium maius sit apud ipsos Indos, quàm apud Lusitanos. Fieri igitur poterit ut aliquod aliud odoratum lignum nobis pro legitimo Sandalo obtrudatur. Certè candidum nostrum planè inodorum est; & rubrum, tametsi dulce, inficit tamen; quam notam noster Auctor in Santalo rubro non requirit.*

At legitimi pallidi librale fragmentum, è stipite aliquot pedes longo, semipedem crasso recisum, donabat mihi etiam anno M. D. LXXXI. idem Morganus, fragrantis admodum odoris; cuius partem adhuc apud me servo, reliquum amicis communicavi.

De Betre.

CAPUT XVIII.

FREQUENTISSIMO in usu est apud Indos Betre: ab instituto igitur alienum non erit, si hoc loco ejus mentionem fecero.

BETRE masticatum, amarum invenitur: hanc ob causam ei Arecam admiscent, & calcis momentum; sicque præparatum suavissimi esse saporis affirmant. Mihi sane, cùm primùm degustavi, propter amaritudinem ita displicuit, ut ab illo tempore semper abhorruerim, nec umquam degustare potuerim. *Betre.*

SUNT qui addant Lycium: potentiores verò & opulentiores Caphuram de Burneo, nonnulli Lignum aloës & Moschum aut Ambarum. Sic autem paratum adeò suavis est saporis, orisque halitum adeò commendat suâ fragrantiâ, ut perpetuò ferè illud masticent opulentiores, tum etiam alii pro facultatum ratione; tametsi non desint, qui Arecam cum Cardamomo aut Caryophyllis masticent. In solitudinibus autem & remotioribus à mari locis carò venditur. Ideò fertur Nizamoxa singulis annis in id impendere trigesies mille aureos Lusitanicos. Hæc sunt eorum tragemata, hoc abeuntem donant: atque Rex ipse interdum propriâ manu potentioribus elargitur, aliis verò per manus famuli sui quem *Xarabdar* aut *Tambuldar* vocant. Sed quia Betre venas habet aut costas secundùm folii longitudinem excurrentes, ungue pollicis (quem ea de causa in acutum præsecant, non in rotundum nostro more) illas eximunt: deinde admisto calcis momento (quæ ob exiguam quantitatem & materiam unde conflata est, fit enim ex ostreorum testis concrematis, nullum nocumentum adferre potest) & Areca contusa aut confracta, folium Betre complicant, atque in os injectum mandunt, priorem illum succum expuentes (quod tamen nonnulli non faciunt) qui cruentus videtur: deinde alia atque alia folia simili modo præparata subsequenter sumunt. Solent aliquem dimissuri, aut ipsi ab adstantibus discedentes, his foliis præparatis plenâ bursulâ sericeâ abeuntem honorare. Nemo autem discedere sustinet, donec Betre sit donatus; id enim dimissionis est indicium. *Betre cũ aliis mixtura.* *Xarabdar.* *Tambuldar.* *Betre usus.*

CETERUM opulentiores aliquos adituri, hoc Betre masticare pro more habent, ut odore os commendent. Siquidem apud eos summæ incivilitatis est odoratum non habere anhelitum: ita ut si tenuioris fortunæ aliquem cum potentiori sermonem conferre necesse sit, manu ori appositâ loquatur, ne teter aliquis odor alterius nares feriat. Sic etiam mulieres viris congressuræ, Betre mandunt ante quàm colloquantur; existimantque ad lasciviam summam esse illecebram.

OMNES hujus regionis incolæ id, sumpto cibo, mandere solent, alioqui cibos nauseam quodammodo movere aiunt; & masticare assuetis, oris halitum tetrum olere, si quando abstineant.

SOLENT ab ejus usu per aliquot dies abstinere, quibus obierunt sanguine juncti, & in quibusdam iejuniis. Ab hujus etiam esu abstinent, & humi se abiiciunt Arabes & *Moalis*, hoc est, Ali sectatores dicti, decem diebus quibus jejunant. fabulantur autem isti Ali sectatores, siti se morituros conclusos in quadam arce; multasque præterea fabulas addunt. *Quando Betre esu abstinent.* *Moalis ridicula persuasio.*

NASCITUR Betre in omnibus Indiæ regionibus maritimis Lusitanis cognitis: nam in continenti non reperitur, nisi è maritimis allatum. Verum quidem est in Dultabado, urbe opulenta in Decan, & Bisnagua inveniri, sed minori certè quantitate, quàm ut ad Persas & Arabes deferatur. Supra Calaiate, quod octoginta leucis ab Ormus distat, invenire haud erit facile. Nam neque regionem frigidam amat, ut est Sina; neque solibus nimium adustam, ut Mosambique & Sofala. *Betre natales.*

IN Malavar vocatur *Betre*; in Decan, Guzarate, & Canam *Pam*; in Malaio *Siri*. Hallucinantur qui Betre foliũ Indum esse putant: in quo errore etiam versatus sum, cùm primùm in Indiam appuli. Sed sententiam mutare coactus sum postea, à Nizamoxa, quem Nizamaluquo appellant, evocatus: cui medicamentum roborando stomacho jussus componere, ea simplicia quæ medicamentum ingrederentur enumerabam, addens id folium quod masticaret, Folium Indum esse. Ad quam vocem risit ille (siquidem hoc vocabulum intelligebat) & Avicennam mihi ostendit Arabicâ linguâ conscriptum, qui diversis capitibus de Folio & Betre agebat. Ducentesimo enim quinquagesimo tertio capite, lib. II. de Folio Indo, [b] *Cadegi Indi* illi nuncupato, scribit; & sexcentesimo nonagesimo nono capite lib. II. de Betre, quod ille *Tembul* vocat, corrupto, ut mihi videtur aliquantulum vocabulo, quòd ab omnibus *Tambul*, non *Tembul* dicatur. Huc adde, quòd si quem Arabem aut Æthiopem perconteris, quî vocetur Betre, statim *Tambul* dicet. *Betre, Pam, Siri.* *Betre non esse foliũ Indum.* *Cadegi Indi.* *Tambul.*

AVICENNA lib. II. cap. 699. gingivas confirmare est auctor, in quem etiam usum semper ab Indis masticatur: & paulo pòst subiicit, stomachum roborare; ob quam facultatem etiam ab Indis expetitur. Quòd autem frigidam illi facultatem tribuat in primo gradu, & exsiccantem in secundo, putaverim exemplar vitiosum esse, aut (quod eruditi Arabes arbitrantur) Avicennæ, in temperamenti descriptione, impositum esse; fit enim plerumque ut vulgus erret in temperamenti dignotione, utpote cui Piper, Cardamomum, Cepa sint frigida. Calidum autem & siccum esse Betre ad finem secundi excessus, ipse expertus sum, & sic ex sapore & odore coniicio.

Betre temperamentum.

Betre historia.

EST autem Betre folium simile ferè Mali medicæ folio, oblongius tamen & per extremum arctius, venas, sive costas, ut diximus, per longitudinem excurrentes habens. Optimum censetur bene maturum, colore fulvescente, tametsi nonnullæ mulieres præferant immaturum, quia majorem sonum edit in ore dum manditur. Corrumpitur, si recens à planta collectum diutiùs manibus tractetur.

Betre fructus.

FERT Betre in Maluccis fructum quendam contortum, Lacerti caudæ similem, quem istic edunt, quòd bene illis sapiat. Fuit id semen delatum Malacam, atque degustatum optimi saporis inventum est.

SERITVR autem vitis modo, adduntúrque stipites & pedamenta, per quæ repens se sustineat nostratis Hederæ instar. Quidam majoris quæstus gratiâ Piperis aut Arecæ arboribus id maritant, atque ita pulcherrima umbracula conficiunt. Multam verò curam, & assiduam rigationem desiderat.

[a] *Betre sive Betle meminit etiam Alois. Cadamust. cap. 75. Viri, inquit, & feminæ incedunt per urbem Calecut estantes folium quoddam, cui nomen est Betle. Hoc igitur inficit ora & dentes colore subruso. Hoc more abstinent tantum obscuro loco nati. Vbi verò ob funera pullam induunt vestem, in speciem mæstitiæ, temperant à folio huiusmodi, ut & dentes præ se ferant mærorem; & subruso colori succedit nigricans.*

LVDOVICVS *item Roman. lib. navig. 5. cap. 7. Rex Calecut quandoque adductus superstitione, ad annum abre venerea abstinet, & item animo destinat vesci nolle Betolis. Hæc sunt folia quæ Assyrii mali frondis similitudinem exprimunt: has enim frondes in cibatu habent gratissimas, &c.*

[b] *Meum exemplar Venetiis anno* M. D. LXXII. *expressum, ea medicamenta descripta habet, cap. 253. & 699. lib. 11. Tract. 11.*


[c] *Betre iconem ante multos annos in Belgium ad me mittebat C. V. Alphonsus Pantius Ser^mi^ Ducis Ferrariæ tum Medicus. Sed quum illam suspectam haberem, ut & Arecæ, atque Indicas nuces seu coccos ferentis arborum quas simul mittebat, prioribus huius Aromatum historiæ editionibus non fuere additæ. Verùm quùm aliquot post annis Viennæ Austriæ sermones conferrem cum ornatissimo viro, multisque peregrinationibus claro, Fabricio Mordente Salernitano, qui aliquanto tempore Goæ, vicinísque in India locis vixerat, in mentionem earum arborum quæ istic nascuntur, incidimus: de quibus sanè multa admiranda, & auditu mihi iucundissima disserebat. Protuli itaque quas à Pantio habebam icones, ut illius iudicium intelligerem. Eas porrò, quùm genuinas esse affirmaret, exceptis paucis notis, quas ex ipsius admonitione emendari curabam, exprimendas esse censui in tabellis, ut suis locis inseri possent.*

Ceterùm arboribus sese implicat & circumvolvit Betre, eásque scandit volubilis modo, cui non dissimilia habet folia, teste Fabricio & picturâ: fructum ex foliorum ortu promere contortum, Garcias refert, & pictura ostendit. Cui quum simillimus videatur fructus longitudinis duarum ferè unciarum, quinq. teretibus siliquulis constans mutuo implicatis & funiculi in modum contortis, gustu aromatico, odoratus atque longo pediculo innitens, à Nicolao Rassio Galliæ Regis cheirurgo, olim mihi Lutetiæ communicatus, illius etiam iconem additam voluimus.

Huius autem convolvuli (sic enim nuncupari posse existimo) folia Amstelredami accipiebam anno nonagesimo septimo supra millesimum & quingentesimum, & aliquot deinde subsequentibus annis, ab iis qui ex Iava vicinisque insulis redierant, convolvuli foliorum formam referentia, vel piperis, valdè tenella, non mali Medicæ, Bethle nomine.

QVOTQVOT *Peruanam historiam scripserunt, referunt earum regionum incolas admodum delectari quarundam radicum, ramusculorũ, aut herbarum gestatione*

BETRE seu BETLE.



in ore,

in ore, ut Orientales suo Betre delectantur: præsertim verò familiarem esse (Petri Ciecæ testimonio) quandam herbam Coca illis dictam, quam à summo mane ad noctem usque perpetuò in ore retinent, tametsi neque eam mandant, neque deglutiant. Percontati cur eam assiduè in ore habeant, respondent eius usu nec famem nec sitim sibi molestam, & vires robúrque sibi confirmari. Cap. 96. Coca.

Est autem hæc pumila arbor, folio (quod Coca vocant) Myrti, vel, ut alii volunt, Rhoïs coriariorum; Sumac vulgus Medicorum appellat. Eius arbusculæ folia sole desiccatā oblongis angustisque canistris circiter libras 25. continentibus reponuntur in usum quotidianum.

Seritur hæc arbuscula magnâ curâ plerisque locis in convallibus montium, quos incolæ Andes dicunt, à Civitate Guamanga, usque ad eam quæ ab argento, Plata, *Hispanis nomen mutuata est.*

Cæterùm tanto in pretio apud eos est hæc Coca, ut illam auro, argento, paníque præferant, & anno Domini M. D. XLVIII. *& aliquot subsequentibus, singularum hæreditatum, in quibus seritur, pretia, alia octoginta, alia sexaginta, alia quadraginta, alia viginti ducatorum millibus, singulis annis æstimata sint. Postea verò adeò eius culturæ studuerunt, ut nunc vilior sit; numquam tamen desinet summo in pretio esse: imò plerique iam in Hispaniis vivunt, qui solius Coca mercimonio ditissimi evasere.*

De Folio.

CAPUT XIX.

FOLIUM Indum à Betre differre, diversísque capitibus ab Avicenna describi, superiori capite satis declaravimus: qua de re supervacaneum duco eadem hîc repetere.

APPELLANT autem Indi Folium *Tamalapatra*, quam vocem Græci & Latini imitantes corruptè Malabatrum nuncuparunt. Arabes *Cadegi Indi*, id est, Folium Indum dicunt: nam interpres Avicennam verbum verbo reddidit. Itaque non dicitur Folium per excellentiam, sed quoniam Avicenna lib. II. cap. 253. ita vocavit. Nam quod Actuarius Mauritanos id *Tembul* appellare scribit, in eo fallitur, ut alii plerique. *Tamalapatra. Malabatrum. Cadegi Indi.*

EST verò Folium Indum *Mali medicæ folio simile, angustius tamen per extremum, colore viridi, tribus per longitudinem excurrentibus costis (quâ notâ facilè dignoscitur) odoratum, Caryophylla quodammodo redolens, non tam vehementis odoris ut Nardus aut Macis; neque tam subtilis aut acuti ut est Canella. *Folii historia.*

AQUIS non innatat hoc Folium lentis palustris modo, ut scripsit Diosc. lib. I. cap. II. & hunc secutus Plin. lib. XII. cap. XXVI. quibus impositum est in huius descriptione: sed nascitur in procerâ arbore procul ab aquis, cùm multis aliis locis, tum in Cambaya. Et si ab aliquo Pharmacopola (quem ipsi *Gandis* vocant) *Tamalapatra* petieris, statim te intelliget, quoniam vernacula est eorum lingua. *Dioscoridis & Plinii lapsus. Gandis.*

NON sunt verò hæc folia tam validi odoris atque Spica Nardi, sed suavioris: neque eo modo colliguntur ut Dioscorides lib. I. cap. II. perhibet; sed collecta in fasciculos colligantur, atque ita væneunt. Dilutiore viridi colore nitent, non ex candido nigricant, & præferuntur integra; quòd facultas in istis meliùs conservari credatur. Odore nequaquam caput feriunt, ut reliqua odorata.

AUCTOR est Plinius lib. XII. cap. XXVI. arborem esse in Syria folio convoluto, ex quo exprimitur oleum ad unguenta: fertiliorem quidem eius esse Ægyptum, laudatius tamen ex India venire: in paludibus ibi gigni lentis modo, odoratius croco, salis gustu, minùs probari candidum, saporem eius Nardo similem esse debere, & cujus odor in vino suffervefacti antecedat alios, &c.

AN in Syria & Ægypto nascatur ignoro. Perquisivi tamen à Medicis Memphiticis, Damascenis, & Alepitinis: sed omnes uno ore negârunt aut in Syria aut in Ægypto gigni. At illud scio, neque tam validi odoris esse ut Crocum, neque Nardi esse sapore. Quòd verò hujus in vino suffervefacti odorem alios antecedere scribit, eâ tempestate verum id esse potuit, cùm ignota adhuc essent Benjui de Boninas, Ambarum, Moschus, Calambac (quod Agallochum præstantissimum est) aromata odoratissima. *Malabatrum neque in Syria, neque in Ægypto nascitur.*

SCRIBIT Avicenna lib. II. cap. 253. iisdem facultatibus præditum esse cum Nardo, foliaque esse *Saissiram* *, in paludibus generari, lentis palustris modo aquis innatare sine radice, nonnullosque putasse foliis Nymphææ[b] esse simile; ejusque oleum Laserpitii & olei crocini facultatem habere, valentius tamen esse. * *Sahesefram vulg. exemp.*

SED cùm certum sit, Arabes in hoc medicamento Græcos per omnia secutos esse, & abundè satis Græcorum opinionem falsam esse demonstraverimus, plura in medium esse proferenda non duximus. In hoc autem omnes conveniunt, urinam ciere, oris halitum commendare, vestes ab erosione tueri; easdemque cum Nardo vires sortiri. *Græci Malabatri historiâ ignorârunt. Folii Indum*

SUNT ex recentioribus nonnulli, qui Malabatrum sibi ignotum esse scribant. Illi meâ sententiâ cordatè loquuntur. At ii falli videntur, qui folium Caryophyllorum esse asserunt; *Caryophyllorum folium non est.*

runt; quandoquidem regio, ubi Caryophylli naſcuntur, biennii ferè itinere abeſt ab ea in qua Malabatrum provenit.

SCRIBIT Franciſcanus quidam in Æthiopia gigni; ſibique datum eſſe, cum inſcriptione foliorum Canellæ. Sed valdè hallucinatur. Nam in Æthiopiâ nulla eſt Canellæ arbor, neque Folium ſimiliter. Fieri autem poteſt, ut ad eum miſſa ſint Canellæ folia cum ipſa Canella: ea enim non multum à folio differunt Indo, niſi quòd Canellæ folium anguſtius & minùs acutum eſt, tribusque illis coſtis ſive nervis caret, quos Folium Indum habere diximus.

Folium in Æthiopia non naſcitur.

Canellæ foliū.

NON opus erat ἀντιβαλλομένῳ, ſi diligentiores eſſent pharmacopolæ & medici Luſitani: ſiquidem tanta ejus copia hinc exportari poterat, quæ universæ Europæ ſufficeret. Ejus autem pænuriâ, Canellæ foliis utantur, ſi ea nanciſcentur: ſin minùs, Spica Nardi, non autem Maci, ut voluerunt nonnulli. Iubet etiam Avicenna, lib. 2. cap. 259. interprete Bellunenſi, *Thaliſafar* [c] ſubſtitui; ſed quid ſibi velit Thaliſafar, planè ignoro.

Folii ſuccedaneum.

Thaliſafar.

[a] *Folium Indum quale hîc Auctor deſcribit, ad nos etiamnum adfertur, ipſis tenuioribus ramis interdum adhuc inhærens, & integrum, quale nos hîc expreſſimus; guſtu laurini ferè folii. Longè verò illud differt à Caryophyllorum folio, quod poſtea deſcribetur: ipſorum etiam tenuiorum ramuſculorum cortex aromaticum quiddam ſapit. Huius hiſtoriam cum Betre confundit Amatus enarratione* XI. *&* LXVIII. *Cap. de Malabathro, & Malabathrino. & plurimum hallucinatur C. V. Marcus Odo Medicus Patavinus, qui in Theriacæ examine Bethle & Folium eandem rem eſſe cenſet: prorſus enim inter ſe differunt.*


CETERVM *cùm nunc ſub prælo eſſet noſtra hæc Epitome, accepi ab Ampliſſimo viro Domino Iacobo Antonio Cortuſo fructum quendam exiguum glandis formâ, cum hac inſcriptione,* Fructus Canellæ ex quorundam ſententia; ex aliorum verò ſententia Tembul convoluoli in India. *Eum quoniam intellexeram interdum unà cum folio Indo vulgari ad nos adferri, atque id legitimum eſſe folium ex Garçiæ noſtri deſcriptione coniiciam, (quandoquidem Tembul fructus longè ſit diverſus, ut ex Betre deſcriptione colligere licet) adpingendum hîc curabam eâ magnitudine quâ ad me miſſus eſt.*

[b] *Legit hîc noſter Auctor foliis Golfam ſimile, quod ego Nymphææ reddidi, ſiquidem aliam interpretationem habere non potui. At noſtra exemplaria nuſquam Golfam meminerunt, ſed* Nercidem Indæ, *id eſt Nardi Indicæ: quod ſatis evidens eſt argumentum, Avicennæ Interpretem in plurimis lapſum eſſe, aut alium inveniri Avicennam Arabicum.*

Golfam.

[c] *Ego per Thaliſaphar Avicennam intelligere puto id quod lib. 2. cap. 694. Taliſiſar deſcribit, quódque noſter hic Auctor Macerem Græcorum ſignificare ſequenti capite dicet.*

TAMALAPATRA *ramulus cum fructu.*



De Maci.

CAPVT XX.

NON dubium eſt, quin Macis, de quo nunc acturi ſumus, plurimùm à Macere Græcorum diſcrepet, ſi utriuſque deſcriptionem & facultates conſideremus. Cùm igitur recentiorum quidam [a] ſatis manifeſtè id demonſtrârint, non opus eſſe exiſtimaui eorum argumenta hîc recenſere. Sed operæ precium me facturum putavi, ſi Macis & Aromatitis nucis hiſtoriam hîc breviter contexerem; quandoquidem Græcorum Macerem hoc tempore ignorari puto.

EST igitur arbor quæ Aromatitin nucem & Macim profert, Pyri magnitudine, foliis ejuſdem, ſed brevioribus & ſubrotundis; ſive, ut veriùs dicam, arbor eſt Perſicæ malo haud abſimilis, brevioribus tamen foliis. Fructum fert denſo operimento munitum, quod per maturitatem dehiſcit, atque tenuiorem corticem ſive membranam, quæ nucem cum ſuo putamine ambit, oſtendit. Tenuis illa membrana Macis eſt. De externo illo operimento ſive pulvinato calice nullam mentionem facimus, tametſi ſaccharo conditus [b] plurimum

Nucis Aromatitis hiſtoria.

rimum hîc commendetur (cùm sit odoratus & grati saporis) in morbis cerebri, uteri, & nervorum. Maturo fructu, & dehiscente, ut dixi, primo illo operimento calicum echinatorum, qui castaneas amplectuntur, (*calicum qui iuglandes nostras vestiunt, dicere malim*) modo: Macis Cocci instar rubescens conspicitur, pulcherrimo aspectu, bene onustis præsertim arboribus. Exsiccata nuce, dehiscit etiam Macis; & flaccescente rubore, aureum quodammodo colorem acquirit. Ejus pretium triplo majus quàm Nucis Myristicæ.

Ex Banda etiam advehitur Nux aromatites aceto condita in fictilibus, qua nonnulli in acetariis vescuntur: sed major est ejus copia quæ saccharo excepta adfertur.

Nucis aromatitis natales.

NASCITVR autem hæc arbor in insula Banda. Inveniri etiam tradunt in Maluccis; sed non est fructifera, quemadmodum nec ea quæ in Zeilan provenit.

Nux aromatites veteribus ignota.

FVIT autem hæc nux cum suo Maci veteribus Græcis incognita, quemadmodum Auenrois [c] etiam testatur, qui hoc medicamentum ex eorum numero recenset, quæ Græcis incognita fuerunt: quamvis Serapio lib. simpl. cap. 2. in hujus medicamenti descriptione, Græcorum auctoritate nitatur.

Talisifar.

HVIVS meminit Avicenna lib. II. cap. 448. Nam quam sub nomine Talisifar lib. II. cap. 687. describit, Græcorum Macer est.

Chrysobalanus Galeni.

EOS qui nostram Aromatitem nucem Chrysobalanum Galeni esse volunt, hallucinari, cùm ipsa forma, tum color, & temperamentum, satis arguunt.

Palla, Bunapalla; Iapatri, Iaifol. Iausiband. Besbase.


CETERVM hæc nux ab incolis ejus regionis ubi nascitur, *Palla*; Macis verò *Bunapalla* vocatur: in Decan nux ipsa *japatri*, Macis verò, *jaifol*. Avicenna lib. II. cap. 503. lingua Arabica nucem vocari scribit *jausiband*, id est, Nux Bandensis, Macim verò *Besbase*, cujus nominis derivationem numquam scire potui.

HÆC sunt vera & legitima nomina Arabica, tametsi plerique Mauritani & Arabes & Turci aliis nominibus utantur, quæ temporum injuriâ depravata sunt, ut etiam in Serapione pleraque invenire licet.

Macis à Macere nomen sumpsit.

MACIS autem appellatur ea membrana quæ nucem amplectitur, à Maceris similitudine, quem Græci rubentem depingunt.

NVX AROMATITES CVM EXTERNO OPERIMENTO MACI OBVOLVTA, ET PVTAMINE EXEMTA.



Ex Maci fit oleum in nervorum morbis utilissimum.

[a] *Consule Matthioli Commentarios in lib. 1. Dioscoridis de materia medica, cap. de Macere. Ludovic. porrò Roman. lib 6. cap. 24. & Maximilianus Transil. de Moluccis insulis Nucis Aromatitis historiam tradunt.*

[b] *Advehuntur etiam ad nos integræ nuces aromaticæ saccharo conditæ, quarum summum operimentum crassum & densum est, ut in iuglandibus; mox sequitur Macis ligneum putamen ambiens, quo nux ipsa includitur, rotunda ferè: tametsi interdum inveniatur oblongum quoddam genus, mas vulgò appellatum, & mulieribus alia nuce longè vilius æstimatum. Nos & nucem integram summo operimento per medium secto, ut ligneum putamen suo maci involutum ostendat, & nucem putamine fracto, oblongámque illam seu marem eadem tabella exprimi curavimus.*

[c] *Aut alia habuit noster hic Auctor Auenrois exemplaria, aut nostra mendosa sunt. Nam secundùm nostra exemplaria Auenrois 5. Collig. cap. 42. suam sententiam Galeni auctoritate stabilit.*

De Caryophyllis.

CAP. XXI.

Caryophyllon Diosc. & Gal. ignotum.

NVSQVAM Dioscoridem, aut Galenum Caryophyllorum mentionem fecisse invenio: tametsi Serapio ex Galeni auctoritate de Caryophyllis tradiderit. Quamobrem crediderim aut Galeni librum, in quo de Caryophyllis disseruit, periisse (nam liber de Dynamidiis falsò Galeno adscribitur) aut Pauli potiùs quàm Galeni testimonio de his Serapionem scripsisse.

CARYO-

CARYOPHYLLI meminit Plin. lib. XII. cap. VII. in hanc sententiam: Est, inquit, etiamnum in India Piperis grani simile, quod vocant Garyophyllon, grandius fragiliusque.

Calafur. Chanque. Arumfel. Carrumfel.

CETERVM Caryophyllon, sive Garyophyllon vocatur Arabibus, Persis, Turcis, & plerisque omnibus ferè Indis *Calafur:* in Maluccis verò, ubi solùm gignitur, tum etiam in his regionibus dicitur *Chanque.* Nomina autem quæ in Pandectario sunt *Arumfel* & *Carrumfel*, aut imperitiâ librarii Arabici corrupta sunt, aut ætatis vitio. Sed de nominibus minimè est altercandum, quandoquidem res ipsa omnibus perspicua est.

Caryophylli natales. Malucca insulæ. Caryophyllon in Maluccis dumtaxat frugiferum.

NASCITVR, ut dixi, dumtaxat Caryophyllon in Maluccis insulis, quæ sunt quinque numero (quarum primaria est Giloulo) nec procul nimium à mari, nec etiam locis mari nimis vicinis. Nascitur etiam in Zeilan, nonnullisque aliis locis; sed nullibi frugifera est arbor, quàm in Maluccis.

Caryophylli historia.

PORRÒ arbor est Lauri formâ & magnitudine, foliis etiam laurinis, sed angustioribus, multis prædita ramis, copioso flore, primùm candido, deinde virescente, postremùm rufescente, qui induratus, [a] est Caryophyllum ipsum: clauum vocant, quòd capitatus sit in modum clavi, exertis in adversum quatuor denticulis sese stellatim decussantibus. Provenit in extremis ramulis Myrti modo. Est autem flos hic viridis (ut à fide dignis viris accepi) adeò odoratus, ut reliquos flores odoris suavitate superet. Cultores flagellant altiores ramos arboris, emundato prius circa arborem solo; siquidem nullum genus graminis sub ea nascitur, omnem succum sive humorem ad se attrahente arbore. Decussa Caryophylla biduum aut triduum siccantur, deinde asservantur, & Malacam aliasque provincias mittuntur. Quæ in arbore hærent, crassiora fiunt, nec ab aliis nisi vetustate differunt. Quare non rectè Avicenna lib. II. cap. 3 II crassiorem hunc fructum, marem facit. Magni proventus augurium est, si arbor plures flores produxerit quàm folia: idcirco non debent nimium flagellari arbores, quia vehemens & nimia flagellatio steriliores efficit. Pediculi oblongi, è quibus dependent flores, vulgò Fusti vocantur. Folia tantâ odoris suavitate non fragrant, ut ipsum Caryophyllum: sed neque ipsi rami odori sunt, nisi aliquantulum siccati.

Fusti.

Caryophylli arbor non colitur.

NASCITVR autem ipsa arbor sponte ex Caryophyllis decidentibus. Nam cùm nunquam huic desit pluvia quæ fructui alimentum præbeat, qui in terram decidit; enascuntur arbusculæ quæ intra octennium quidem adolescunt, in centesimum verò annum perdurant, quemadmodum ipsi incolæ testantur.

Caryophyllegium.

COLLIGITVR Caryophyllum à decimo quinto Septembris usque in Ianuarium & Februarium, non manu, ut nonnulli volunt, sed violentâ flagellatione, ut jam dixi.

ERRANT qui Caryophylli & Moschatæ nucis arborem eandem esse putant. Nam Nux rotunda ferè folia [b] habet, Pyri foliis similia; Caryophyllum verò folio est Lauri. Præterea Caryophyllum defertur in Bandam insulam procul inde dissitam, quæ Nucem profert.

Caryophyllorum Gummi.

SCRIBIT Avicenna lib. II. cap. 5II. gummi Caryophyllorum simili facultate præditum esse cum Terebinthina resina. Hanc ob causam percontatus sum ab iis qui ex Maluccis Caryophyllum advehunt, sed negant se hujusmodi gummi vidisse. [c] Non negaverim tamen omnes ferè arbores gummiferas esse, præsertim si vulnerentur. Sed hactenus nemo, quod sciam, expertus est.

Caryophylla olim apud Maluccanos neglecta.

NVLLIVS autem pretii fuisse Caryophylla intelligo apud Maluccanos, donec eò delati navibus Sinenses, inde magnam eorum copiam in suam regionem exportârunt, & inde in Indiam, Persiam, & Arabiam. Conservari autem in sua bonitate audio Caryophylla, si marina aqua inspergantur, alioqui teredinem sentire.

Caryophyllorum usus. Caryophylla condita. Aqua stillatitia è Caryophyl.

MVLTIPLICIS usus sunt Caryophylla tum ad obsonia, tum ad medicamenta: magis tamen expetuntur in Iava crassiora illa & annotina Caryophylla; à nobis verò tenuiora, quæ adhuc viridia aceto & sale apud Maluccanos condiuntur; sed his teneriora sacchato asservantur, mirum in modum palato grata. Lusitanicæ mulieres quæ istic habitant, è Caryophyllis viridibus aquam stillatitiam organis eliciunt, mirâ odoris suavitate fragrantem, & cordis affectibus utilem. Nonnulli sudores movent iis qui lue venerea divexantur, Caryophyllis, nuce Moschata, maci, pipere longo & nigro. Alii Caryophyllorum pulverem capiti admovent adversus capitis dolores à frigida causa provenientes. Mulieres Indicæ tum etiam Lusitanicæ illa mandunt commendandi halitus gratiâ.

Caryophyllati flores.

NASCVNTVR flores, qui à Caryophyllorum odore Caryophyllati nuncupantur [d], etjam in Sinarum regione, sed nequaquam odoris suavitate ita commendati, ut qui apud nos asservantur.

Fructus Caryophylla olens.


EST etiam in insula cui D. Laurentio nomen, fructus quidam Avellanæ magnitudine cum suo putamine, aut eo amplior, qui Caryophylla redolet, sed incomperti adhuc usus.

[a] *Caryophyllum ipsum nihil aliud est, quàm rudimentum fructus, quemadmodum in malis, pyris, Punicis atque plerisque aliis videre est. Nam flos ipse, qui quaternis foliolis constat, huic fructus rudimento insidet, multis fibris plenus, veluti Myrti flos ferè. Caryophyllum etiam describunt Ludovicus Romanus, lib. 6. cap. 25. & Maximilian. Transil. de Maluccis insulis. At quem M. Paulus Venetus lib. 2. cap. 38. exhibet, planè alia est planta.*

[b] *Imò nec rotunda, neque pyri foliis similia, sed lauri foliis potius, tam eius quæ latiore est folio interdum, quàm eius quæ est paullo angustiore: quapropter mihi fuit impositum, quando folium illud laurino multo angustius, & salicis persicáve mali folio simillimum, oblongiore tamen pediculo præditum, cum Caryophyllorum ramulo muriâ condito, pro legitimo eius folio obtrudebatur; quale cum eodem ramulo exprimi curabamus, in prima Historiæ Aromatum editione. Eam ob causam nunc illud ademtum.*

Legitimam porrò exactámque Caryophyllorum historiam, cui adiunctus est ramulus suis foliis & fructu onustus ad vivum expressus, in primo nostro Exoticorum libro damus; eámque denuò cum eâ quæ foliorum expers hîc subiicimus.

Caryophylli, cum suo fructu, viva imago.



[c] *Inter Caryophylla quæ Antverpiam adferuntur, invenitur interdum gummi ex atro rufescens, odorum sanè, & quod prunis iniectum Caryophyllorum odorem refert. Id fortè erit gummi ab Avicenna commemoratum; quod tamen affirmare non ausim, cùm eius vires nondum sint exploratæ.*

De Pipere.

CAPVT XXII.

MAXIMA Piperis quantitas provenit in Malavar, totâ eâ maritimâ regione quæ à Promontorio Comorim ad Cananor usque pertingit. Nascitur etiam in Malacæ maritimis, sed bonitate superiori cedens, & magnâ ex parte inane. Provenit similiter & in insulis Iavæ vicinis, & Sunda, & Cuda, aliisque locis. Sed id totum in Sinarum regionem deportatur, & loco natali consumitur, præter id quod in Pegu & Martaban exportatur. Potissima etiam ejus pars quod in Malavar gignitur, in usum incolarum cedit, tametsi regio admodum ampla non sit; nonnihil etiam à maritimis ejus regionis populis absumitur: Pars defertur in Balagate bubulis coriis: & magna copia (tametsi regio mandato sit vetitum) à Mauritanis per mare Erythræum exportatur, id suffurantibus ipsis incolis. *Piperis natales.*

EÆ sunt regiones quæ Piper gignunt, quamquam & invenitur supra Cananor, quà Septentrionem spectat: sed adeò exiguâ quantitate, ut ipsis incolis non sufficiat, & externo importato opus habeant. Etenim non gaudet hæc planta locis desertis & mediterraneis.

Piper juxta Caucasum non nasci.

Quàm verò procul à Caucaso monte dissitæ sint hæ regiones, ex topographicis chartis satis patet.

Molanga. Lada. Filfil. Fulful. Darfulful. Meriche. Morois. Pimpilim.

NOMEN est Malavarica lingua *Molanga*, Malacitana verò *Lada*, Arabibus medicis tum vulgo *Filfil*; tametsi Avicenna lib. II. cap. 549. & 550. secundùm Bellunensis tralationem *Fulful*, & Piper longum *Darfulful* appellet, & *Fulfel*, quem secutus est Serapio, lib. simpl. cap. 367. uterque Arabs. In Guzarate & Decan *Meriche*, & in Bengala *Morois*: longum verò, quod solummodo istic provenit, *Pimpilim*.

MIRVM non est, si Theophrastus, lib. 9. cap. 22. Diosc. lib. 2. cap. 153. & hos secutus in plerisque Plinius, lib. XII. cap. VII. Piperis plantæ formam ac notas ignoraverint, & indigenam in ea describenda fidem secuti sint, ob regionum distantiam. Quòd verò Arabes in eodem errore versati sint, & nonnulli etiam ex recentioribus, illud mirum.

Piperis historia.

SERITVR autem Piperis planta ad radices alterius arboris (magna certè ex parte juxta *Faufel* arborem aut Palmam plantatam vidi) ad cujus usque fastigium sese convolvendo scandere solet: foliis raris, mali Assyrii effigie, sed minoribus, & per extremum acutis, virentibus, gustu calidis aliquantulum, & folium Betre sive Betle, cujus antè memini, sapientibus. Fructus vuarum modo racematim cohæret, minores tamen sunt Piperis racemi, & ipse fructus minor, semperque virens, donec siccetur, & plenam maturitatem consequatur, quæ incidit circiter medium Ianuarium. Radix pusilla, non Costo similis, ut voluit Dioscorides lib. 2. cap. 150. quandoquidem Costus radix non est, sed lignum, ut peculiari capite dicemus.

Dioscoridis lapsus.

Exigua inter plantam Piperis nigri & albi differentia.

INTER plantam quæ Piper nigrum fert, & eam quæ candidum, tam exigua est differentia, ut à solis incolis discerni possint: quemadmodum vitem quæ uvam fert nigram, ab ea quæ candidam fert, non dignoscimus, nisi cùm uvas habent, & illas quidem maturas.

Piper longum.

QVÆ autem longum Piper profert, longè alia est planta: etenim non plus habet similitudinis cum superioribus, quàm faba cum ovo. Præterea Piper longum in Bengala nascitur, quæ regio quingentarum leucarum spatio à Malavar distat, ubi Candidum & Nigrum gignuntur.

PRETIVM longi Piperis in Bengala est unius Lusitanici aurei cum semisse in singulas centenas libras. In Couchin verò, ubi plurimum Nigrum nascitur, quinque aureis emi solebant centenæ libræ: sed ab hinc quadriennium aut quinquennium, quòd in alias etiam regiones importari cœperit, quindecim aut viginti aureis emendæ sunt. Piperis autem nigri pretium in centenas libras est duorum Lusitanicorum cum semisse natali loco: at in Bengala duodecim Lusitanicis emuntur totidem libræ.

Piper album rarum.

CANDIDI plantæ rariores sunt, nec nisi certis Malavar & Malacæ locis raræ nascuntur. Solet Magnatum mensis inferri: eo enim utuntur quemadmodum nos sale. Veneni resistere & ocularibus medicamentis utile esse asserunt: quod & Dioscorides lib. II. cap. 150. annotavit, atque utinam totam hujus plantæ historiam tam verè descripsisset.

Brasma. Brechmasin.

SED nec Brasma vocabulum, quod apud eundem Dioscoridem ibidem legitur, nec Brechmasin, quod apud Plinium, lib XII. cap. VII. unquam his in regionibus audivi, aut auditum puto.

CONDIVNTVR aceto aut sale virentes adhuc & immaturi Piperis nigri racemi, & usui asservantur.

Piperis temperamentum.

ARABES & Persæ medici Piper calidum tertio ordine constituunt. Sed Empirici, cujusmodi sunt maxima pars Indicorum medicorum, frigidum Piper faciunt, ut & pleraque alia aromata quæ excalfaciunt.

ORATOS autem omnes Medicos volo, ut Piperis candidi loco (quod calidius est & odoratius) Nigrum non præscribant, nisi candidi sit penuria. Similiter ne longum Piper candidi aut nigri loco substituant, cùm prorsus diversæ sint plantæ, & nigrum cum candido magis conveniat.

Piper Canarinum.

CETERVM ne quod Piperis genus desit, mentionem hîc subiicere libuit ejus Piperis quod lingua Malavarica à Canara nomen sumpsit. Est autem inane, illoque utuntur ad pituitam à capite evacuandam, dentiumque dolores: nonnulli & in Cholerico quem vocant affectu. Ejus autem formam describere supervacaneum existimo, quoniam in Lusitaniam non deportatur.

* *Piperis historiam etiam describit Ludovicus Roman. lib. 5. cap. 14. & lib. 6. cap. 19. sed paululum à nostro Auctore variat.*


* *Piperis folium, quale in Bantam Iavæ emporio nascitur, ab his qui ex ea insula redibant M. D. XCIX. accipiebam: id verò nullam similitudinem habebat cum mali Assyrii foliis, sed Betle folium potiùs æmulari mihi videbatur, non adeò tamen tenellum, sed magis firmum, duabus crassis venis ex utroque nervi medii latere versus oras excurrentibus, oblongiusculóque mucrone præditum, quinque uncias longum, tres latum, in ambitu minimè serratum, tametsi posteà am-*

pliora


pliora conspexerim. Sed de hoc & Pipere longo, Lectorem, consulere ne pigeat primum nostrum Exoticorum librum.

[b] *Piperis longi apud Aromatarios multi culei pleni conspiciuntur: sed & Batavi naucleri magnam eius quantitatem cum aliis aromatibus anno* M. D. XCVII. *ex Iava advexerunt; & singulis annis adhuc advehunt. Quod quum differat ab eo cuius Nicolaus Monardus meminit libro de Simplicibus medicamentis ex Novo orbe delatis, eius iconem ad vivum expressam, ex lib.* I. *Exoticorum petitam, post Piperis nigri iconem, hîc adiiciendam putavi. Botrorum maxima pars duarum unciarum longitudinem rarò excedit, tametsi inter recens allatos repererim ad trium unciarum longitudinem productos, nullum verò minimi digiti craßitudinem æquantem, sed graciliorem, & æqualis penè ubique craßitudinis, plurimis granis milii repurgati granorum instar, obliquè secundum longitudinem dispositis, constantem, cineracei quodammodo externâ parte coloris, internâ albi, fervidi saporis.*

PIPER NIGRVM.




PIPER LONGVM.



[c] *Vidimus Vlyßipone candidum Piper; & inde nobiscum attulimus grano non rugoso, sed pleno, acriore & odoratiore quàm nigrum, Vlyßipone tamen neglectum. Ex Indiis verò copiosum, saltem quod medicamentis sufficeret, habere possemus, si Lusitani Pharmacopolæ paulo diligentiores essent. Invenitur tamen interdum Antverpiæ apud myropolas nigro permistum.*

Eiusmodi racemos interdum cum Gingiberis radicibus muria conditis Antverpiæ reperire licet, oblongos quidem illos & graciles, neque ita farctos ut sunt vuarum racemi. Eius iconem ad viuum expressam hîc adieccimus.


Piperis albi uva ad vivum expressa.



Me porrò monebat N. V. Fabricius Mordente, cuius antè memini, in Mathematicis egregiè versatus, Indos solere, Piperis botros adhuc virides & immaturos, in os indere; deinde ramulum cui grana inhærent, digitis prahensum sensim extrahendo leviter dentibus premere, ut grana in ore maneant; illa postea mandere non sine voluptate. Idem etiam ipsum factitasse, & gustu suaves deprehendisse, quia levem quandam acrimoniam cum pauxillâ acerbitate coniunctam in illis deprehendebat.

OLIM *Antverpiam invehi solebat aliud Piperis genus, quod Lusitani Pimenta del rabo, id est, caudatum Piper appellabant: sed metuens Rex Lusitanus ne legitimum Piper alterius invectione vilesceret, id ampliùs invehi edicto vetuit. Erat id Cubebis ferè simile, pediculo subnixum exiguo, rotundum, plenum, aliquantulum rugosum, nigricans, eâdem acrimoniâ quâ Piper præditum, aromaticum, racematim (ut ab iis qui racemos habuerunt, didicimus) cohærens. Amomum, nonnulli periti perperam existimârunt. Eius autem iconem, qualem ab optimo viro Iacobo Gareto iuniore accepimus Londino, M. D. XC. hîc exprimi curabam.*

CAUDATI PIPERIS UVA, EX IAC. GARETI ICONE, *quam cum ipsius uvæ fragmentis ad me mittebat, expressa.*



Ceterùm similes uvas septennio post ex Guinea recens allatas, accipiebam ab honestissimis iisdemque humanissimis viris, Willelmo Parduyn & Petro Gareto, Piperis ex Guinea appellatione. Erant autem illarum quædam breves & unciales tantùm, nonnullæ verò tres uncias ferè longè, tenui stilo inhærentia longiusculo petiolo grana rotunda vel minora vel crassiuscula continentes, vicena, tricena, interdum plura, legitimo quidem pipere minora, non minùs tamen fervidi saporis, duráve & solida, eiusdem etiam penè coloris. An porrò ipsa planta perinde arbores & perticas scandat, ut eius quod ex Orientali India adfertur, hactenus intelligere non licuit.

De Cubebis.

CAPUT XXIII.

TAMETSI Cubebis rarò in Europa utamur, nisi in Compositionibus: attamen apud Indos magnus earum in vino maceratarum est usus ad excitandam venerem; tum etiam in Iaoa ad excalfaciendum ventriculum.

Cubebe, Quabeb, Quabebechini, Cumuc, Cubabsini. APPELLATUR hic fructus ab Arabibus medicis *Cubebe* & *Quabeb*; à vulgò *Quabebechini*: in Iaoa, ubi frequens nascitur *Cumuc*; à reliquis Indis, præterquam in Malayo, *Cubabsini*. Id autem nomen huic fructui non est inditum, quòd in Sina nascatur, quandoquidem ex Sunda & Iaoa, ubi plurimus est, in Sinam perferatur: sed quoniam Sinenses, qui Oceanum Indicum navigabant, hunc fructum, quem in jam enumeratis insulis emerant, cum aliis mercibus in alios maris Indici portus & emporia transvehebant, *Cumuc* appellantes: illi autem hanc vocem corrumpentes, quia à Sinensibus accipiebant, *Cubab Sini* nuncupârunt.

Cubebe historia. CETERUM hæc planta Malo vulgari, minor est; foliis Piperis, sed angustioribus, per arbores, Hederæ, aut, ut veriùs dicam, Piperis modo repens, non Myrti effigie, aut foliis Myrto similibus. Fructus racematim cohæret, non quidem ut in uva conjunctim, sed singulis granis ex suis pediculis dependentibus. Flos est odoratus.

Monachorum lapsus. SILVESTRIS est hæc planta, & sponte nascens, non domestica, neque multorum generum, uti falsò Monachi Commentatores in Mesuen sub finem primæ partis distinct. 1. cap. 36. putârunt.

TANTA autem in existimatione est fructus hic etiam ubi nascitur, ut eum incolæ decoquant, antè quàm efferri sinant, metuentes ne alibi satus enascatur. Hinc fieri puto, ut corruptioni magis sit obnoxius, cùm hîc, tum in Europa. *Cubebæ decoctæ ad nos perferuntur.*

HÆC à Lusitanis fide dignis accepi, qui longo tempore in insula Iaoa habitaverunt.

NON est Piperis genus (ut putant nonnulli) quoniam plurimum Piper ex Cunda advehitur, quod nihil differt à Malavarico. Hæc verò planta cum fructu diversi generis est, minimaque quantitate istîc nascitur. *Cubebæ non sunt Piper.*

PVTAT Matthæus Silvat. cap. 381. ex Serapionis & Arabum auctoritate Cubebas nihil aliud esse quàm Dioscoridis Myrtum silvestrem, quem Ruscum vocant; aut Carpesium Galeni. Sed fallitur. Nam cùm Serapio, aliique Arabes qui in lingua Græca multum versati non erant, à Dioscoride & Galeno nihil esse prætermissum existimarent, si quas facultates in simplicibus à Græcis descriptis, invenirent convenientes cum iis quibus prædita erant Indica medicamenta auditu tantùm illis cognita, idem medicamentum esse ilicò crediderunt. Non esse autem myrtum silvestrem, clarius est quàm ut demonstrari debeat. Carpesium verò aliud esse à Cubebis, argumentis evincere possem, si opus esset. *Matth. silvatici error.*

LAVDATVR Carpesium Ponticum, plurimumque in Syria nasci tradunt. Sed si Cubebæ sunt Carpesium, cur Cubebas ex India petunt Turci & Syri, magnoque redimunt; cùm non invecto uti possent, & sine magno sumptu? Carpesium item Galenus lib. 1. de Antidot. describit festucarum tenuium modo: quàm verò festucis dissimiles sint Cubebæ, quis non videt? *Carpesium non esse Cubebas.*

NON defuerunt, qui Cubebas asserere sint ausi Viticis esse semen: cùm verò utriusque historia & facultates planè dissimiles, talium sententiam omnino convellant, plura de his agere supervacaneum esse duco. *Cubebæ Viticis fructus non est.*

FAGARA AVICENNÆ.



**Cubebarum facultates in memoriam mihi revocârunt Fagaræ historiam apud Avicennam, quæ ferè iisdem cum Cubebis viribus prædita est. Cùm igitur commodiorem in hac Epitome locum non haberem, cui eius iconem & historiam insererem; operæpretium me facturum existimavi, si eam hîc darem.*

EST itaque Fagara fructus Ciceris arietini magnitudine, cortice tenui constans ex cinereo nigricante, cui subest tenue putamen nucleum continens satis solidum, & tenui nigráque membranâ obductum. Integer fructus cum magnitudine tum formâ & colore adeò similis est ei quem nostræ officinæ Cuculum Indum, Itali Coccole di levante appellant, ut primo aspectu fallere, & pro eo sumi possit.

MEMINIT *huius Avicenna cap. 266. in hunc modum. Fagara quid est? granum simile Ciceri habens granum Mahaleb, & in concavitate eius est granum nigrum sicut Scebedenegi, & asportatur de Sofale. Collocat verò eam in tertio calefacientium & siccantium ordine, atque stomachi & hepatis frigiditati utilem esse, concoctionémque iuvare, & alvum constringere scribit.*

De Cardamomo.

CAPVT XXIV.

QVOD Cardamomum vocant, Aroma est illis in regionibus probè cognitum, in quibus magnus eius usus est. Hujus etiam magna pars in Europam, Africam, & Asiam evehitur. Quàm verò rectè sit illi inditum Cardamomi nomen, aliis disceptandum relinquo. Avicenna lib. 2. cap. 155. sanè peculiare caput instituit de Caculaa, quod duûm esse generum tradit, alterum *Caculaa quebir*, id est, magnum; alterum verò *Caculaa ceguer*, id est, minus. His nominibus cognitum est utrumque Cardamomum, cùm Medicis Arabibus, tum Mercatoribus. *Cardamomi. Caculaa quebir. Caculaa ceguer.*

IN Malavar vocatur *Etremelli*, in Zeilan *Ençal*, in Bengala verò, Guzarate, & Decan, interdum *Hil*, interdum *Elachi*, idque inter Mauritanos; nam à Gentilibus indigenis omnium provinciarum enarratarum *Dore* nuncupatur. Quæ diversitas summam illam nominum confusionem inter Arabes scriptores peperit (etenim nonnulli Indicis vocabulis usi sunt, alii verò Arabicis) & multis errandi occasionem præbuit. Nam quòd alterum Serapio *Cacolaa*, alterum *Hilbane* vocat, mendosum est exemplar, & *Hil* dumtaxat scribendum erat. Etenim si *Bane* omnino adiiciendum volumus, potiùs *Bara* dicendum erat, quod lingua Canarina magnum significat. *Etremelli. Ençal, Hil. Elachi. Dore. Hilbane.*

NIHIL igitur aliud est *Cacolaa* omnibus Arabibus nuncupatum, aut *Cacule* Avicennæ,

Cardamomū hoc veteribus ignotum fuit.

aut *Elachi*, quàm quòd Cardamomum vulgò appellant, veteribus cum Græcis tum Latinis planè ignotum, ut ex eorum monumentis colligere licet. Siquidem Galenus lib. 7. simpl. med. Cardamomum scribit non esse tam calidæ facultatis quam Nasturtium, sed suavius & magis fragrans, cum quadam amaritudine: quæ omnes notæ nostro Cardamomo non conveniunt, ut experientia docet. Dioscorides verò, lib. 1. cap. 5. commendat quod ex Comagene, Armenia, Bosphoroque devehitur (tametsi in India quoque & Arabia provenire dicat) eligendumque scribit plenum, frangenti contumax, gustu acre, subamarum, odore caput tentans. Nostrum contrà Cardamomum in illas regiones defertur, è quibus Dioscorides suum advehi scribit. Sed neque id frangenti contumax est, neque caput tentat, neque amarum, neque gustu adeò acri, ut Caryophylla.

Cardamomi genera quatuor Plinio.

PLINIVS lib. XII. cap. XIII quadruplex esse Cardamomi genus scribit, sic inquiens: Simile his & nomine, & frutice Cardamomum, semine oblongo. Metitur & eodem modo in Arabia. Quatuor ejus genera. Viridissimum ac pingue, acutis angulis, contumax fricanti; quod maximè laudatur. Proximum è rufo candicans. Tertium brevius atque nigrius. Pejus tamen varium & facile tritu, odorisque parvi; qui verus, Costo vicinus esse debet. Hoc & apud Medos nascitur. Hæc Plinius, tametsi tam Dioscoridi, quàm ceteris Græcis unicum tantùm extet Cardamomi genus.

SED nullum ex prædictis cum nostro quidquam commune habet; quod fragile esse debet, siliquâ candicante, granis intùs nigris.

Caculaa historia.

SERITVR verò id leguminum modo, altitudine, quando summa, cubiti, in quo dependent siliquulæ granula interdum usque ad viginti continentes, non, ut Cordus in lib. 1. Diosc. scripsit, Glandis aut Avellanæ magnitudine [a].

Dauus Terentianus.

HVIC autem errori occasionem præbuit Dauus ille Terentianus, omnia perturbans, Gerardum Cremonensem [b] interpretem intelligo, qui cùm hoc medicamentum ignoraret, nomen illi ex Græcis pro arbitrio indidit, tametsi legitimum Arabicum nomen integrum & non mutatum relinquere præstitisset.

Ruellii error.

QVAM Ruellii lib. 11. cap. 5. opinio sit erronea, qui nobis Capsicon, aut Siliquastrum pro Cardamomo Mauritanorum proponit, omnibus notissimum est.

Lacunæ error.

AD ea verò quæ Lacuna lib. 1. cap. 5. commentariis suis in Dioscoridem scribit, satis protervè in Arabes invectus, sic responsum volo: Neque ejus Meleghetam Cardamomum esse Dioscoridis, etenim ignota fuit Dioscoridi: neque Cardamomum maius coloris est cinerei: neque Nigella tertium id genus quod in officinis haberi asserit; quandoquidem Nigella totis his provinciis non nascatur.

Meleghetæ.

Nigella.

Cordumeni.

CETERVM non multum fortè refragabor iis qui *Cordumeni* Arabum, Cardamomum Græcorum esse putant: quandoquidem Serapionis & Avicennæ *Cacolaa* Græcis est ignota, uti suprà diximus. Quod verò *Cacolaa* utendum negent, quoniam Græci de ipso nihil scripsere, non concedo; multis enim experimentis comprobatum est plerisque morbis perutile esse: eoque utendum censeo in omnibus compositionibus Arabum, & recentiorum qui Arabes secuti sunt.

Malagueta Cardamomū non est.

MALAGVETAM porrò, sive Meleguetam, à nonnullis Paradisi grana nuncupatam, cujusque in Europa usus Cardamomi minoris loco, non esse Cardamomum didici, quoniam sæpiùs cùm in Hispania, tum hîc in India percontatus eos qui è Lusitania in Malaguetam profecti fuerant, an istîc *Cacolaa* sive *Sacolaa* (quod Cardamomum appellamus) nasceretur, negârunt omnes; rursus Indi interrogati an *Malagueta* apud eos cresceret, negârunt & ipsi. Deprehendebam tamen *Malaguetam* ab Avicenna *Combazbague* dici, cumque scribere ex Çofala, cui Malagueta provincia contermina est, deferri: verisimile autem mihi non videri Avicennam, virum adeò peritum, bina capita de eadem re scripsisse. His cogitationibus occupato animo, Turcam mercatorem professione Iudæum, in Cochim commodum reperio, qui diceret sibi mandatum, ut præter cetera aromata *Cacollaa quebir*, hoc est, Cardamomum majus, emeret: quod me movit, ut sciscitarer an in aliis etiam regionibus nasceretur. Tandem Regiarum mercium in Ceilan Curator, Factorem vocant, mihi retulit, istîc inveniri nostro quidem multo majus, sed minùs odoratum: remque ita se habere comperi, illius specimine (me curante) ex Ceilan delato. Accersitus præterea in Balagate ad curandum Illustrem *Hamjam*, cujusdam Regis in Balagate, nomine *Verido*, fratrem, de industria medicamentum, in quo Cardamomum majus & minus, Arabica lingua præscripsi, ut conspicere possem: utrumque mihi exhibitum ad medicamenti compositionem; eadem quidem utriusque forma, sed magnitudo diversa, nulla tamen cum Malagueta similitudo.

Cobzbague habet meus codex lib. 11. cap. 199. margine autem adscriptū chayrbua.

Sacolaa delectus.

OPTIMVM autem censetur minus, quod odoratius est altero, & facultate majus dici potest meo judicio.

PROVENIT


PROVENIT utrumque in India, præsertim verò ab Emporio Calecut usque ad Cananor, tametsi aliis etiam locis Malavar, & in Iaoa nascatur, non tamen adeò copiosum, neque cortice adeò candido.

Cardamomum maius vulg.





Cardamomum minus vulg.



MULTUS ejus usus est in his provinciis, siquidem unà cum Betre (veluti suprà diximus) manditur, pituitaque caput & stomachum expurgat, & Serapiis admiscetur. *Sacolaa usus.*

FALSUM autem est quod Matth. Silvaticus cap. 117. scripsit, Indos eius radice adversus febris circuitus uti [c], nascique in tuberibus quarundam arborum. Nam exili est admodum radice, nec nisi satum provenit, solo antè ignibus perusto, ut faciliùs enascatur. *Matth. Silvatici error.*

[a] *Cordus in lib. 1. Diosc. Cardamomum maius ficus propemodum magnitudine facit: minus verò Avellana minus. Sed lib. 4. de plantis Cardamomum medium Avellanæ grandi æquale facit. Matthiolus similiter Cardamomi iconem ficus forma & magnitudine exhibet: cùm tamen nihil aliud sit quàm Meleguetа suo involucro tecta, quæ sanè inter Cardamomi vulgaris sive Cacolaa Arabum genera, ex nostri auctoris sententia recipienda non est. Nos ea genera quæ apud Aromatarios observabamus, in subiecta tabella exprimi curabamus.*

[b] *Pandectarius eius meminisse invenietur cap. 117. in nostris autem exemplaribus apud Rhasin haud facilè invenies.*

[c] *Nullam huic similem facultatem nostra Pandectarii, qui Matthæus Silvaticus est, exemplaria tribuunt.*

De Faufel.

CAPUT XXV.

IMPROBE faciunt, qui pro *Faufel* Santalum rubrum substituunt, quod plerumque alio ligno rubro persimili adulteratur: est enim utrumque inodorum, ut in Santalo diximus. Faufel verò & minoris emitur, nec adulteratum est, poteratque facilè in Lusitaniam deferri cum aliis Aromatibus, si aut Pharmacopolæ, aut Medici curiosi magis essent, idque adferendum curarent. *Faufel vulgare est.*

DICITUR autem Arabibus *Faufel* (tametsi corruptè Avicenna *Filfel* & *Fufel*) tum etiam in Dofar & Xaël portubus Arabicis: in Malavar *Pac* à vulgo, à Nobilioribus verò *Areca*, quo nomine utuntur Lusitani qui in Indiis habitant, quoniam primùm ea regio fuit illis cognita: in Guzarate & Decan, *çupari*: in Zeilan, *Poaz*: in Malaca, *Pinan*: in Couchin, *Chacani*. *Faufel. Filfel, Fufel. Pac. Areca. çupari. Poaz. Pinan. Chacani.*

NASCITUR plurimum in Malavar, in Guzarate & Decan pauca quantitate, idque dumtaxat in maritimis, sed laudatum, præsertim in Chaul, quod defertur Ormuz. Optimum item provenit in Mombaim insula, quam mihi Rex Lusitaniæ dono dedit, excepta emphyteusi. Laudatur etiam quod in regione Baçaim provenit, atque id defertur in Decan cum hoc quod in Gauchin nascitur nigrum & pusillum, durum admodum, postquam siccatum fuerit. Nascitur etiam in Malaca, sed tam parvâ quantitate, ut vix incolis sufficiat. Item in Zeilan magna copia, sed candidum, quod in eam partem regionis Decan defertur quæ Cotamaluco paret, tum etiam in Bisnaga. Defertur etiam ex Zeilan in Ormuz, Cambaya, & in insulas Maldivas, sive Naledivas. Et tametsi scribat Serapio lib. simp. cap. 345. Arabiam non alere Arecam (de mediterraneis locis & magna ex parte intelligendum id est) nascitur tamen laudata, sed exigua in Dofar & Xaël locis maritimis. Amat enim hæc arbor maritima loca, & mediterranea respuit, alioqui magna cum diligentia sereretur, quoniam singulis diebus eam edunt cùm Mauritani, tum Moalis (genus hominum id est, qui Ali, ut dixi, generum Machometi sectantur) etiam in suis ieiuniis cùm à Betre abstinent. Masticant enim Arecam cum Cardamomo, purgandi ventriculi & cerebri gratia. *Faufel natales. Mombaim insula. Moalis.*

Faufel mixtura. ADMISCENTVR *Faufel*, sive Arecæ, eadem quæ suprà Betre admisceri diximus: tametsi Betre calidum sit, Areca verò frigida & sicca. Sed & admiscetur Lycium, quoniam utrumque gingivas confirmat, & dentes stabilit, stomachum roborat, & utile est adversus sanguinis reiectiones, vomitus, & alvi profluvia.


Faufel historia. EST autem ipsa arbor recta, fungosa materie, foliis Palmæ, fructu nucis Moschatæ, minore tamen, aut juglandibus exiguis simili, intùs duro, & candidis rubentibusque venis respersо, non plane rotundo, sed altera parte sessili: quæ tamen notæ non omnibus Arecæ generibus conveniunt. Integitur hic fructus involucro admodum lanuginoso, & foris subflavo, perquam simili Dactilis, cùm maturuit, & antè quàm siccatus sit. Immaturus verò, stupefacit & inebriat. editur autem immaturus à nonnullis, ut, veluti temulenti, dolorum cruciatus non sentiant.

Faufel præparatio & usus. SICCATVM verò fructum sic parant. Contusam nucem Faufel in tenuissimas partes cum Lycio, & folio Betre, cui exemptus sit nervus, masticant, veluti in Betre diximus, & priorem salivam, quæ cruenta est, expuunt, eaque ratione cerebrum & ventriculum expurgant, gingivas, & dentes stabiliunt. Potentiores ex Faufel, Lycio, Caphura, Ligno aloës, & Ambari momento, formas orbiculares sive pastillos componunt, quos masticant.

SCRIBIT Serapio lib. simplic. cap. 345. excalfacere, & amaritudinis particeps esse. Sed cùm degustavissem, nullum calorem deprehendi; verùm cum insipiditate adstrictoria facultate præditum esse comperi. Itaque puto aut Serapionem hanc Arecam non novisse, aut, si noverit, illam nunquam degustasse.

Aqua ex Faufel. EX ea viridi aquam stillatitiam vitreis organis elici iubeo, quâ maximo cum successu in biliosis alui profluuiis utor. Sed arcanum id mihi hactenus fuit.

ARECA sive FAVFEL.



*ARECÆ *porrò arboris iconem hic subiecimus ex Panciana expressam. Ea autem arbor, teste Fabricio, in magnam altitudinem assurgit, trunco æquali propemodum ubique crassitudine, cortice tecto adeò lævi, ut nullum ascensum præbeat, nisi aptatis ad pedes laqueis aut vinculis, vel cinctо per intervalla caudice fune ex sparto aliáve materia confecto, quemadmodum Garcias in arbore Indicas nuces ferente (de qua proximè sequente capite) refert. Huius autem rami deorsum, teste Fabricio, non inflectuntur, ut illius, sed sursum vergunt & inflectuntur, ut procul intuentibus orbem quodammodo conficere videantur: folia pectinatim ramos utrimque vestiunt, alioqui palmæ foliis similia: fructus deni aut duodeni suis involucris villosis tecti dependent ex crassis & oblongis pediculis, qui in inferiorum ramorum alis nascuntur.*


Arboris iconi adiecimus ipsius nucem Faufel *dictam, cum suo integumento, qualem olim à Petro Coudebergo Pharmacopola, viro erudito, & herbariæ rei perito accipiebam (cui similes postea ab aliis ex sua navigatione reducibus redemi) & ipsam nucem suo integumento exemptam, insuper alium fructum oblongum, faufel nucem cum suo involucro magnitudine penè æquantem, prædurum, foris nigricantem, qui per medium transversim sectus, myristicæ nucis nucleum non secus quam faufel mirificè referebat. Faufel genus forsitan erit, aut simile quidpiam: sed quum vetustate exsuccum videre tantùm licuerit, de sapore & temperamento nihil pronunciare possum: talem etiam ad me, post aliquod temporis intervallum, mittebat Marganus pharmacopœus diligentissimus. Similes mihi adhuc postea ostendebantur, sed lævigati & expoliti, quos lapides quosdam raros, magnique pretii esse mihi persuadere conabantur.*

MEMINIT *etiam Arecæ Lud. Roman. lib. navig. 5 cap. 7. in hunc modum: Edere sueverunt (de rege & magnatibus urbis Calecut loquitur) fructum quendam cui* Chofolo *(Faufel intelligit) nomen est. Hunc mittit arbor* Arecha *nomine, Palmæ non absimilis, quæ caryotas gignit, & consimiles producens fructus. Miscent insuper contritas ostrearum conchas calcis instar. Hæc ille. At ridiculum esset quod idem lib. 4. cap. 2. scribit (quoniam quæ sanitatis tuendæ causa eduntur, præsentissimum esse venenum ait) nisi causam postea subiiceret. At Sultanus, inquit, letho traditurus è Satrapis quempiam, ad se accersitum cui mors imminet, nudum sibi assistere compellit, móxque edit nonnullos fructus,* chofolos *vocitant, instar nucis aromatitis: mandit etiam quædam herbarum folia, modo mali Assyrii,* tambul *nominant, addit etiam attritarum concharum ostreæ calcem, simúlque cuncta mandendo conterit.*

Tandem

Tandem in eum, quem cupit occidi, expuit, aspersóque eo, continuò mors subsequitur, præsentaneo veneno vitam perimente: nam ubi in hominem, ut præmisimus, expuerit contrita venena, intra media hora spatium perfusus veneno in terram corruens efflat animam. Hæc ille de Sultano Cambaiæ, quem pater ab incunabulis veneno aluerat, quique singulis diebus veneno vesci solebat, non tamen ad satietatem, sed ad certam quandam quantitatem.

Cæterum hæc est tabella in qua Nux Fausel cum suo involucro & sine eo expressa, cui addita alia eiusdem quidem facultatis sed diversæ formæ; cuius antè mentio facta.



De Nuce Indica.

CAP. XXVI.

NVLLAM arborem usibus humanis aptiorem inveniri puto, quàm sit Palma Indica, veteribus Græcis, quantum coniicio, incognita, & Arabibus ferè neglecta, qui pauca admodum de ea descripserunt. *Palma Indica.*

AVICENNA lib.11. cap.498. eam vocat *Giausi albend*, quod Nucem Indicam sonat: Serapio lib. simp. cap.228. & Rhases lib.3. de re med. cap.20. arborem ipsam *Iaralnare*[a], id est, Arborem nuciferam. *Iaralnare.* Vocatur autem vulgo ipsa arbor *Maro*, & fructus *Narel*, quod *Maro, Narel.* vocabulum Narel commune est Persis & Arabibus: in Malavar arbor ipsa *Tengamaran*, fru- *Tengamaran.* ctus verò maturus *Tenga*, sed viridis adhuc & immaturus *Eleni*, & Goæ *Lanha*: in Malaio, *Tenga. Eleni, Lanha.* arbor *Trican*, ipsa nux *Nihor*, cui nos Lusitani nomen Coquo indidimus, ob tria illa foraminum vestigia, quibus Cercopitheci, aut alterius similis animalis caput repræsentat. *Trican, Nihor, Coquo.*

ARBOR est vastæ magnitudinis, foliis Palmæ aut Arundini similibus, aliquantulum tamen latioribus, materie fungosa & ferulacea, flore Castaneæ. *Nucis Indicæ historia.* Gaudet arenoso solo & mari vicino, ut in mediterraneis haud facile sit reperire. Seruntur ipsæ nuces, ex quibus enatæ plantæ transplantantur; & paucis annis adolescunt & fructiferæ fiunt, præsertim si diligenter colantur. Nam hieme, cinere aut stercore conspergi volunt, æstate aquâ rigari: lætiores tamen evadunt, si secus ædificia pangantur, quia videntur sordibus & luto gaudere.

MATERIES ligni, cùm sit procera, ad plurima perquam utilis est, ita ut interdum in Nalediva insula (Maldivam vulgò, ut diximus, vocant) ex hac arbore naves fabricentur, atque clavis, malis, velis & rudentibus armentur. Ex ramis qui in Malavar *Olla*[b] appellantur, fiunt ædium tecta, & navium tabulata & opercula. *Olla.*

PORRO has arbores in duo genera distinguunt. Alterum enim fructus ferendi causa servant: alterum *çura* cogendæ gratia, quæ est vinum mustum: hæc autem decocta, ab incolis *Orraqua* vocatur. *Cocci duo genera. çura. Orraqua.* *çura* verò in hunc modum cogitur. Præcisis ramis, vascula alligantur, ad liquorem, çuram vocant, excipiendum: quem ut ex altioribus ramis colligant, arborem conscendunt aptatis ad pedes compedibus & laqueis, aut fasciis vinculisque quibusdam arbores per intervalla colligantes. Hæc Sura destillatur aquæ ardentis modo, vinumque extrahitur aquæ ardenti per omnia simile, ut etiam pannus lineus eo madefactus non secus ardeat, quàm si aquæ ardenti intinctus foret. Vocatur autem stillatitius hic liquor *Fula*, id est, flos: quod reliquum est, *Orraqua* appellatur, admisto stillatitii liquoris momento. *Fula.* E *çura* vel *Sura* (ita enim pronunciandum est) antequam exstilletur insolata, fit acetum satis interdum acre. Sublato priore vasculo, si vulnus in arbore factum adhuc Suram exstillet, servatur ea, & solis æstu vel igne densata, sacchari modo coit; id *jagra* vocant. *jagra.* Optima censetur quæ in Nalediva insula nascitur: etenim non nigricat veluti quæ in aliis regionibus gignitur.

TEGITVR nux adhuc recens tenero admodum cortice, Cinaræ, dum gustatur, saporem referente. Constat tenerâ valdè & dulci medullâ, quæ in se conclusam aquam suavem & dulcem habet, & fastidium non parientem, multoque tempore durantem. Quantò autem recentior est nux, tantò ejus liquor suavior, tum etiam medius cortex qui amygdalis suavitate non cedit, editurque à nonnullis cum *jagra*, cujus paulo ante meminimus, aut cum saccharo: aut ex eo trito lac exprimitur, cum quo coquitur Oriza non minùs

suavis

suavis quàm si cum lacte caprino decocta esset: aut ex hoc & avium quadrupedúmve carnibus edulia parantur *Caril* illis nuncupata. Maturior verò facta nux, continet quidem etjam liquorem, sed non adeò suavem ut prior, quique interdum acescat.

Caril.

Copra. Nvces istæ recentes siccatæ, atque superiori cortice delibratæ & confractæ, ab indigenis *Copra* vocantur, devehunturque in Ormuz, Balaguate, aliasque regiones, quibus minore copia nascuntur, quàm ut exsiccari possint: aut in eas provincias quæ his omnino carent. Suaves sunt, iisque utimur tamquam castaneis siccis. Gratiores multo sunt palato, quàm quæ integræ in Lusitaniam perferuntur.

Oleum ex Copra. Ex iisdem fragmentis, sive Copra, limpidissimum oleum magna copia torculari exprimitur, non modò ad lucernas utile, sed etiam Orizæ coquendæ aptum. Duplex verò exprimitur ex his nucibus olei genus.

Oleū ex Cocco recenti. Vnvm ex nucibus recentibus contusis calida affusa aqua, quibus expressis oleum aquæ supernatat. Hoc utimur ad purgandum excrementis ventriculum & intestina: purgat enim leniter & sine noxa: multi Tamarindorum expressionem addunt, quod & utile medicamentum esse sæpius sum expertus. Si hoc oleum intelligunt Avicenna lib. 11. cap. 498. & Serapio lib. simpl. cap. 228. cùm id butyro præferunt, rectè sentiunt meâ sententiâ. in eo verò falluntur, quòd ventrem minùs lenire dicant, quàm butyrum.

Olei ex Copra facultates. Altervm genus olei id est, quod superiùs ex Copra exprimi diximus. Id præter jam dictas facultates, nervis admodum est utile. Siquidem magnam hujus utilitatem quotidie experimur in nervorum contractionibus & articulorum doloribus antiquis: hoc enim inunctum ægrum cupæ grandi, quæ hominem capere possit, imponimus, ibique dormire & quiescere concalefactum sinimus, magno cum adminiculo. An verò lumbricos enecet, ut scribunt Avicenna locis jam citatis & Serapio, nondum expertus sum. Quòd verò ipsam nucem eâdem facultate præditam scribant, non modò rationi consonum non est; sed ipsa quotidianâ experientiâ manifestissimum est, ejus esu lumbricos generari. in Serapionis autem libr. simplic. cap. 228. sententiam facilè concessero, qui *Mansarunge* (quem antiquum Mesuen esse ait) auctoritate fretus, nucis hujus sive Cocci esu alui profluvia sisti auctor est. Alienum enim à ratione non est, ut ipsa nuce, quæ terrestrium est partium, alvum sisti: oleum verò, quod tenuium & aërearum est partium, ventrem subducere.

Mansarunge.

Lacunæ error. Nvllvm autem oleum exstillat ipsa arbor, sed dumtaxat ex ipso Cocco exprimitur: tametsi Lacuna Com. in Diosc. lib. 1. cap. 29. scribat in ea opinione quosdam esse, ut credant dulce id oleum, quod ex hac Palma stillat, Dioscoridis esse Elæomeli.

Elæomeli.

Cairo. Cetervm duplici cortice integitur hæc nux. Extimus villosa materie compactus est, ex qua fit *Cairo* Malavaribus dictus, hac in provincia magni usus. Nam & ex eo rudentes & funes navibus necessarii fiunt, qui incorrupti manent in aqua marina. Ex eodem stupæ loco naves obturantur ac stipantur; ipsisque adeò stupis præstat, quòd putredini minùs sit obnoxius, & aqua marina imbutum infletur denseturque. Nulla certe ex hac villosa materie fiunt aulæa, ut persuadere nobis nititur Lacuna Comm. in Diosc. lib. 1. cap. 141. Ex putamine illo interno & præduro vasa in tenuiorum usum tornantur, & etiam carbones fiunt aurifabris perquam utiles. Sed ea vasa paralyticos, si inde bibant, minimè juvant, ut putavit Sepulveda, & vulgo Lusitanorum creditum est. Nam nihil hujus fructus nervis salutare est, præter oleum, de quo paulo antè: sed nec ipsi incolæ hujusmodi facultates talibus vasculis tribuunt, nec quisquam probatus auctor meminit.

Vasa ex Cocco.

Vascula ex Cocco paralyticos non juvant.

Palmæ Indicæ germen. Sed minimè prætermittendum putavi, quòd harum regionum incolæ istarum palmarum germinibus vescantur: gratiora enim sunt palato, quàm aut Castaneæ molles, aut humiles Palmæ, quas vulgò Palmitos, Itali Cefaglioni vocant. Quo autem vetustior est Palma, eo tenerius & delicatius germen producit. At eo sublato perit Palma: hinc fit, ut qui hujusmodi germen edit, non immeritò Palmam vorare dicatur.

Palmitos.

Coccus de Maldiva. Nvnc *superest ut de Cocco, quem de Maldiva[a] appellant, aliquid subiiciamus.*

Lavdatvr hic Coccus, aut hæc nux (sed præsertim ejus medulla) adversus venena ab ipsis earum insularum incolis. Et à viris fide dignis accepi, ad coli dolores, paralysim, epilepsiam, aliosque nervorum affectus se utilem sensisse: à coli quidem doloribus, quòd vomitum excitaret; ab aliis verò ægritudinibus immunes reddi ægros, si aquam in iis nucibus (adjecto medullæ momento) aliquandiu conservatam ebiberent.

Sed cùm non sim id expertus, minus fidei his tribuo. Nullam autem, periculum faciendi, occasionem habui, quòd uti malim medicamentis quorum facultates jam mihi perspectæ, & multâ experientiâ comprobatæ sunt, qualia Lapis Bezar, Theriaca, Smaragdi, terra sigillata, & alia pleraque medicamenta (de quibus suo loco) quàm recentibus minúsque certis. Nam quod nonnulli dicant, se hujus usu commodum sensisse, an id persuasione


ſione & imaginatione factum ſit ignoro; hinc fit ut nihil affirmare poſſim. Sed ſi quid certius cum tempore exquiſivero, ſententiam revocare non pudebit.

Niger eſt autem hujus Cocci cortex, & nitidior vulgari Cocco, figura ovali magna ex parte, nec ita rotunda ut vulgaris: medulla ſive pulpa interior, quæ ſiccata dura eſt admodum & candida, nonnihil tamen ad pallorem inclinans, in ſuperficie rimoſa eſt & valdè poroſa, nullo ſapore excellens. Doſis verò eſt hujus medullæ ad grana decem, cum vino aut aqua, pro morbi ratione & natura. *Cocci de Maldiva hiſtoria.*

Inveniuntur interdum iſti Cocci prægrandes admodum, interdum etiam exigui: omnes autem in littus ejecti.


Vulgari porrò famâ accepimus, inſulas Maldivas aliquando continentem fuiſſe, ſed inundatione maris ſubmerſum, has inſulas effeciſſe; in quibus obrutæ Palmæ fuerint, quæ hos Coccos protuliſſent, qui terrâ indurati in hunc modum conſpiciuntur. Sintne verò ejuſdem generis cum noſtris, facilè judicari non poteſt, cùm hactenus nemo folia aut arboris truncum videre potuerit; ſed ſoli Cocci in littus eiiciantur, nunc bini conjunctim, nonnunquam verò ſinguli ſeparatim. Sed hos nemini colligere licet, niſi cum capitis periculo; quoniam Regis eſſe aſſerunt quidquid è mari in littus eiicitur: quæ res majorem auctoritatem huic nuci conciliavit. Eximitur autem ex his Coccis pulpa ſive medulla, deinde exſiccatur eâdem ratione quâ Copra, atque indureſcit eo quo venditur modo: diceres eſſe caſeum ovillum.

Coccvs.



* Hvivs *arboris hiſtoriam plerique Recentiorum dederunt. Sed & Strabo Geographia lib.* xvi. *eius Palmæ meminit: quare ſatis mirari nequeo noſtrum Auctorem, aſſerentem, veteribus incognitam fuiſſe hanc arborem. Nam ſic Strabo: Cetera verò ex Palma præbet: ex ea enim panis, mel, acetum, & oleum fit & textilia vaſa: nucleis pro carbonibus fabri ferrarii utuntur, qui in aqua macerati, bobus & ovibus in pabulum cedunt.*

Coccos *porrò ferentem arborem, Palmæ modo creſcere, & in altum extolli, cùm ex Pancii icone liquet; tùm ex Fabricii aliorúmque relatu, qui eam naſcentem conſpexerunt, intelligebam: eius autem caudicem minimè ſcabro, ut Palmæ dactyliferæ, ſed lævi cortice eſſe præditum. Eam ob cauſſam, vinculis ligaturíſque ex ſparto aut alia ſimili materia conſtantibus, per intervalla ſubinde cingi ſolere, eáque vincula ferreis clavis trunco interdum adfigi, ut firmiùs hæreant, faciliorémque aſcenſum præbeant: alioqui difficulter ſcandi poſſe, niſi laqueis pedibus aptatis: eius ramos ut in Palma, deorſum arcus inſtar inflecti, dorſóque eſſe eminentiore, oris utrimque in anteriorem ſive ſupernam partem vergentibus, unde folia naſcuntur Palmæ dactyliferæ foliis haud abſimilia. Ex inferiorum ramorum quâ caudici inhærent, alis, ramos alios enaſci, nudos, qui quinas aut ſenas proferant craſſas nuces (imò etiam multo plures, interdum uſque ad vicenas, quemadmodum mihi Amſtelredami anno* M. D. XCVII. *referebant Indi, eodem anno è Iava maiore advecti) ſuo multiplici, denſiſq́ue villis conſtante velamine tectas. Hanc autem arborem ſingulari tabellâ expreſſam, deinde ipſam nucem alterâ tabellâ, hoc loco ſubiiciebamus.*



Adeò autem vicinas solere interdum crescere Arecæ & Coccisferæ Palmæ arbores aiebat Fabricius, ut illarum rami mutuò sese implicantes, pulcherrima umbracula præberent, ad Solis radios æstúmque arcendum. In his præterea Simias & Cercopithecos plerumque commorari, atque per ramos ex una arbore in alteram transilire, venatorum, qui eas persequuntur, conatus eâ ratione subinde eludentes.

Harum autem arborum materies non est fungosa ut illius Palmæ quæ dactylos fert, neque ferulacea ut Garcias asserit, sed solida & ad fabricas idonea: neque minùs elegans est & splendens quàm iuglandis materia: & ipsemet paullò post eius materiem ad plurima utilem esse fatetur.

[a] *Nusquam in nostris exemplaribus, Auctores quorum adducit testimonia,* Iaralnare *meminisse comperio, at* Neregil *quidem, quemadmodum etiam Pandectarius cap.* 565.

[b] FERDINANDVS *Lopez lib.* I. *Hist. Indicæ cap.* XXIII Olla *vocat, non Palmæ ramos, sed ipsa folia, quibus Indi res memorabiles, & publica instrumenta inscribere solent. Refert idem, simili folio inscriptam fuisse Arabicis characteribus epistolam, quam Rex Calecut ad Lusitaniæ Regem Emanuelem dedit, quùm eò primùm appulerunt Lusitani.*

Similia folia cùm integra, tum per medium secundum longitudinem secta, Malacensibúsque characteribus inscripta ab Hollandis ex Iava sunt relata, anno nonagesimo septimo supra millesimum & quingentesimum, quorum bina humanissimi viri Petri Gareti operâ, nanciscebar, cubitalis longitudinis, extremitatibus tamen recisis (nam integra bicubitalia aut longiora sunt,) secundum medium nervum per longitudinem excurrentem complicata, & binas ferè uncias lata, utroque latere exteriore secundum longitudinem tribus versibus inscripta: videbam & quæ quatuor versus inscriptos haberent; præterea librum sex & septuaginta foliis constantem, non integris quidem, sed quæ extremitatibus recisis, per medium folium secundum nervi longitudinem secta, utrimque quatuor versibus stilo ferreo exarata essent, ut apud illos moris est, tribus locis pertusa, in medio videlicet, & duabus extremitatibus, funiculo traiecta, aptatis utrimque binis asserculis, quibus contracto funiculo tegerentur. Sed & ea folia quæ nanciscebar, & aliquot alia quæ apud diversos conspiciebam, ab una extremitate pertusa erant, & charactere quopiam in capite notata, ut funiculo connexorum series dignosci posset. Intelligebam porrò ab ipsis Indis, hos characteres nostro more exarari, hoc est à sinistra ad dextram ducto stilo, non Hebræorum aut Arabum, qui à dextra ad sinistram scribendo calamum ducunt: sed (quod dolebam) nullus istorum Indarum, qui in diversis Provinciis, ut Guzarate, Malabar, Iava, & Madagascar erant nati, legere, aut scribere norat, ut characterum aliquam notitiam adsequi possem, præter unum Sinensem, ex Cantan oriundum, quem, meo rogatu, pingentem quosdam Sinenses characteres integram dictionem denotantes conspiciebam, à summa pagina ad infimam, sumpto initio à dextro latere paginæ, deinde servato eodem ordine in singulis versibus, ad sinistram procedendo, Sinensium usitato more: illorum enim scribendi rationem intelligere volebam. Ea autem folia illius Palmæ non erant, quæ Coccos sive prægrandes illas nuces fert, sed peculiaris alterius generis Palmæ, quæ à Iava incolis Lantor *appellatur.*

Invectæ porrò sunt Antverpiam ante aliquot annos ex India merces, magnis Indicæ nucis (ut asserebant) foliorum fragmentis involutæ, quæ cubitalia erant aut ampliora, crassiora tamen, quàm ut quidpiam commodè his inscribi posset, nam bubalini corii crassitudinem penè æquabant, læuia utrimque & perpolita, ac, quantum ex fragmentorum magnitudine colligere licebat, quaternorum aut quinorum cubitorum longitudinem, binorum latitudinem superaverant; ita ut non incommodè ædes & naves his tegere, & vela concinnare earum regionum, in quibus illa arbor nascitur, incolæ, ut noster Auctor asserit, possint. Tale fragmentum habui aliquando ab integerrimo viro Gulielmo Andrea, pharmacopœo Antverpiensi peritissimo, quod cum plerisque aliis rebus exoticis, quas in Belgio adservabam, me in aula Cæsaris commorante, periit.

Ceterùm simile, minus tamen, anno M. D. XCVII. *curante Petro Gareto accipiebam Amstelredami, binos dumtaxat palmos latum, sesquipedem longum, non læve quidem illud, sed frequentibus striis secundum longitudinem ductis distinctum, quia forsitan adhuc novellum, & nondum adultum, spadicei externâ parte ferè coloris, internâ exalbidi; illud autem ad ramorum folia producentium, sive alatorum foliorum exortum nasci, eóque (quemadmodum dactylorum virgæ sive ramuli spathâ) crassum illum pediculum cum suis nucibus adhuc tenellis dependentibus includi intelligebam, ab iis qui crescentes nuces viderant, donec nucibus augescentibus dehiscat, & disrumpatur.*


[c] OMNES *rudentes & funes nauticos Corbitarum Regiarum, præsertim earum quæ in Indiam navigant, ex villis coccos sive nuces Indicas tegentibus confectos, observabam Vlyssipone, tametsi etiam ex sparto fiant. Sed ex iisdem villis fiunt nodosa cingula, magni usus inter omnes ferè tenuioris fortunæ mulierculas Vlyssiponenses; memini etiam videre ex similibus villis ducta stamina valdè tenuia & candida, è quibus nobiles matronæ vittas reticuli instar contexebant ad capillos coërcendum.*

[d] VIDIMVS *cùm Vlyssipone, tum aliis locis, vascula ex hoc Cocco de Maldiva confecta, oblongiora plerumque iis quæ ex vulgari Cocco parantur, magisque nigra & nitida. Quinimò ipsam medullam nucis siccatam Vlyssipone venalem reperire licet, cuius facultates mirificè extollunt, atque omnibus ferè alexipharmacis præferunt; ob quam causam ingens eius pretium. Quàm verò parum fidei sit adhibendum huiusmodi fabulosis & commentitiis facultatibus, ex nostro Auctore satis liquet.*

Longè autem reliqua vascula ex simili Cocco confecta, magnitudine superabat illud, quod argento inclusum in prætoria illa navi M. D. XCII. *ab Anglis occupata, repertum est: longum enim erat uncias quatuor & decem, latum septem, ovalis infernâ parte figura, supernâ paullo planioris, latere dextro magis rotundum & tumens, externâ parti calcei pedi inducti penè instar, color qualis in Cocco vulgari lævigato & expolito. Illius iconem, qualem Iacobus Garetus, ad ipsius vasculi normam expressam, ad me mittebat, huc intulimus.*

COCCVS


COCCVS DE MALDIVA argento inclusus.



NON *abs re forsan his subiicienda erunt aliquot fructuum icones cum ipsorum historia, quoniam in priorum editionum huius libri scholiis etiam fuerunt adiecta, præsertim quùm primus aliquam affinitatem habere videatur cum fructu arboris* Coccos *ferentis, licet bini reliqui adiuncti aliorsum pertineant: quia verò in eâdem tabellâ erant expressi, seiungi nequiverunt.*

Prior exiguus erat, tribus lateribus eminentioribus, tribus similiter foraminum vestigiis insignitus, ut Nux Indica *sive* Coccus, *villoso quodam involucro penè nucis* Fausel *instar tectus, nucleum continens dulcem, tenui candicante membranâ inclusum, quem esse arbitror eum, aut illi certè persimilem, qui in arbore crescit, cuius formam* Franciscus Peninus *vetere amicitia mihi coniunctus, his verbis describebat in epistola extremo Octobri anni* M. D. XCVI. *ad me exarata Amstelredami.*

In Guinea, circa metallicas auri venas (Castel de minas *nuncupant) abunde crescunt arbores ab inquilinis* Palmæ *appellatæ, altitudine & crassitudine navalis mali, summo fastigio gestantes folia [foliorum alas intelligit] deorsum inflexa, duodecim aut quindecim pedes longa, harundinum ritu incisa: sub his foliis [ramos aut foliorum alas veriùs appellârit] nascuntur brevibus pediculis inhærentes uvæ humani capitis magnitudine, in quibus congesti fructus prunis maiores, coloris aurei, quorum nucleos incolæ eximentes contundunt; ex his exit liquor olei limpidi instar (cuius pauxillum cum nuce ad te mitto speciminis gratiâ) oleum de Palmâ ab ipsis appellatus, quem eduliis miscent, ad odoris colorisque gratiam conciliandam. Is liquor huc delatus, frigore concrevit butyri instar, colorémque aureum contraxit. Eum liquorem sive oleum qui retulerunt, recentibus vulneribus, & artubus contorsione læsis vel afflictis, illitu levamen attulisse deprehenderunt. Incolæ, terebrâ perfossis arboribus, ligneum paxillum indunt; ex eo foramine profluit liquor dulcis seri lactis instar, quo cum melle silvestri commixto, potionem conficiunt vini de palma appellatione, quo liberaliùs hausto, etiam temulenti fiunt. Arboris materia rubescens, flavis venis distincta, ad fabricas inutilis; quia fissa, tenuibus & gracilibus segmentis dissilit.*



Alter, tres uncias longus erat, duas ferè crassus, inferiore parte sessilis, rugosus, scaberve, & ciceracei coloris, supernâ autem & eminentiore sive protuberante parte, lævis, subrufiq; coloris, ut animalculum duro corio tectum videri possit, nucleum in se continet. Huic ferè simile genus invenitur, minus, nigricantéque colore, quod à Matthiolo *inter Indicas avellanas reponi existimo.*

Tertius, ab amplissimo viro Cortuso *ad me Patavio ante multos annos* Mehenbethene *appellatione mittebatur, quamvis eius descriptioni non valdè quadret, & eorum sententiam potiùs amplectendam censeam, qui inter unguentarias nuces referunt: unciam longus erat, formâ triangulari, duro & ligneo putamine constans, qui confractus, tres cellulas habere deprehendebatur, in quarum singulis, nucleus oblongus, albus, dulcísque inveniebatur.*

De Myrobalanis.

CAPVT XXVII.

Myrobalana Græcis & Latinis incognita. Myrobalanus Græcorum.

MANIFESTVM est, neque Dioscoridem, neque Galenum, neque Plinium, nostra Myrobalana cognovisse, sed eorum Myrobalanum planè aliud esse, ex quo videlicet oleum ad pretiosa unguenta exprimerent. *μυρεβάλανος* enim idem sonat Græcis, quod Nux vel Glans unguentaria Latinis.

ET quoniam Avicennæ & Serapionis interpres vidit hæc nostra quodammodo ad glandis formam accedere, nullo judicio Myrobalana vertit, cùm meâ sententiâ Pruna (quibus similia sunt) meliùs vertisset.

Delegi, Halilig, Azfar, Asuat, Quebulgi, Beleregi, Embelgi.

VOCAT ea Avicenna lib. II. cap. 449. *Delegi*: Sic etiam Serapio, lib. simpl. cap. 107. tametsi librariorum vitio *Halilig* corruptè legatur. Omnes enim Medici Arabes mihi affirmârunt, omnia Myrobalana *Delegi* vocari. Peculiariter verò flava *azfar*, Indica sive nigra *asuat*, quebula *quebulgi*, bellerica *beleregi*, & emblica *embelgi*, quæ intelligit Avicenna sub Sinii nomine lib. II. cap. 449. (quia Bellericorum non meminit) & Mesue, de simpl. medicam. purg. cap. 3. ut patet ex Serapione, qui *Sinios* tenuissimo cortice præditos esse scribit, quæ nota Emblicis convenit.

Myrobal. quinque genera.

SVNT igitur in universum quinque eorum genera, quorum nomina magnâ ex parte mutuati sumus. Nam quòd genus quoddam Serapio Damascenum appellat, melancholicis

licis morbis perutile: id facit, non quòd in Damasco proveniat hic fructus, sed quòd hinc ex Indiâ Myrobalana Inda eò deferrentur.

ET quamvis idem Serapio lib. simp. cap. 107. scribat Seni cognominata genus esse Olivarum, tamen errat (quod pace ejus dictum volo) atque ei erroris occasionem præbuisse credo, quòd emblica sale aut aceto condîta edantur. *Serapionis error.*

FALLVNTVR autem tam ii qui omnia Myrobalanorum genera in eâdem arbore nasci putant, quàm qui flava & quebula tantùm. Nam quinque sunt diversa arborum genera: &, quod magis mireris, in regionibus sexaginta aut centum leucis inter se distantibus nascuntur. Proveniunt enim nonnulla in Goa & Batecala, alia in Malavar & Dabul. In toto regno Cambaiæ quatuor eorum genera inveniuntur: quebula verò in Bisnager, Decan, Guzarate, & Bengala. *Myrobalanorum arbores diversæ.*


CETERVM quæ in Lusitaniam sicca deportantur, magnâ ex parte sumpta sunt in regione quæ est inter Dabul & Cambaya. Nam experientiâ compertum habemus, hos fructus, quos regio septentrioni vicinior producit, minùs putredini obnoxios esse. Invenio autem apud eos tria Myrobalanorum genera (ipsi vocant tres species) quorum usus est in purgationibus levibus & sine molestia. horum primum genus, quod rotundum est, & bilem purgat, indigenæ *arare*, medici *aritiqui* vocant, nobis sunt flava: alterum genus, incolis *rezanuale* dictum, nostra sunt Indica sive nigra: tertium genus, *Gotim* incolis nuncupatum, rotundum, nobis bellerica sunt. Chepula verò nostra, quæ pituitam purgant, illis *aretca* appellantur. Hæc sunt quatuor Myrobalanorum genera, quæ illis sunt in usu medico. Nam quinto genere, *amuale* iis nuncupato, nobis verò emblica dicto (tametsi apud eos reperiatur) non utuntur, nisi densandis coriis, Rhois coriariorum loco, & atramento conficiendo. Sunt tamen etiam nonnulli qui iis viridibus vescuntur excitandæ appetentiæ causa. *Arare, Aritiqui. Rezanuale. Gotim. Amuale.*

PORRÒ *Arare* rotundum est, & Sorbi folia profert, *Amuale* foliis est minutim incisis, palmum longis. *Rezanuale* octogonum est, & folia Salici similia habet. *Guti* foliis est Lauri, sed pallidioribus & subcinericiis. *Aretca* magna sunt & rotunda, oblongiora tamen dum ad perfectam maturitatem pervenerunt, & angulosa: folia ejus Persicis[a] similia. Sunt autem singulæ arbores Pruni magnitudine, omnesque silvestres & spontè nascentes, non domesticæ. *Myrobalanorum historia.*

CVM autem gustu sint adstringente & acido, Sorborum immaturorum modo, ex frigidorum & siccantium classe esse dixerim.

PRÆPARATIONIS modus apud Indos non invaluit, utpote qui iis non utantur purgationis, sed adstrictionis dumtaxat gratiâ. Nam si purgare velint, eorum decocto utuntur, & majore dosi quàm nos in Europa. Solent autem iis saccharo condîtis uti magno cum successu; nec quisquam medicorum usu istorũ famam unquam est periclitatus. Chepulorum[b] autem major est gloria: condiuntur hæc in Bisnager, Bengala & Cambaya: flava & Indica, in Batecala & Bengala.






IVBEO ego ex his immaturis stillaticium liquorem organis elici, quem post sumptam aliquam conservam adstringentem propino, & syrupis admisceo, si quando opus est. Flava & Bellerica præscribere soleo initio mensæ, iis qui aut alvi profluvio, aut stomachi relaxatione laborant: talibus enim convenit hujusmodi cibus propter adstrictionem cum paucâ aciditate coniunctam. Præterea immaturorum Myrobalanorum succum, in alvi profluviis apprimè efficacem esse expertus sum. *Aqua stillaticia Myrobalan.*









[a] *Quum primâ Historia Aromatum evulgatione scholium in hoc caput scriberem, Chepulorum arborem apud Bituriges Gallorum inveniri intelligebam à C. V. mihique amicissimo Ioanne Posthio Germ. Medico & Poëta venusto, qui etiam eius (quod inde attulerat) arboris resiccatum folium mihi donabat: verum id Persicæ mali folio simile non erat, sed Pruni aut Cerasi folium potiùs æmulari videbatur: atque nihil aliud quàm Pruni folium esse postea comperiebam.*

Viennam Austriæ à Cæsare Maximiliano II. evocatus, ubi in eius arcis horto eiusmodi arbores nascentes conspiciebam. Horum autem prunorum descriptionem in primo meæ Rariorum Plantarum Historiæ libro Lector reperiet.

Omnium porrò Myrobalanorum genera quæ in Aromatariorum tabernis reperiuntur, in tabellâ præcedente paginâ positâ exprimi curabamus.

[b] *Chepula rariùs ad nos adferuntur, & non nisi dura & malè condita. Emblica verò copiosè recentissima & optimè condita invehuntur Antverpiam.*

Refert Fragosus, in nova Hispania fructum Dactylorum modo nasci Houos *nomine, Myrobalanis flavis adeò similem, ut plerique eundem esse contendant: præaltâ nascitur arbore, ut vix colligi possit, nisi præmaturus spontè decidat.*

Sed quandoquidem in Houos mentionem incidimus, meminit etiam arboris Houo Franciscus Gomara, in Generali Indiarum historia, cap. 67. quæ an eadem sit cum superiore, aliis disceptandum relinquo. Houo, inquit, arbor est præalta & patula, sanam umbram præbens (qua de causa, cùm Indi, tum Hispani potiùs sub ea, quàm sub alia quavis arbore recubant) ex cuius cacuminibus & cortice, odorata fit aqua ad crura roboranda, & fucandam faciem, utilis: etenim cutem constringit & densat. in quem usum balnea fiunt ex ea, etiam itinere defessis salutaria. Eius radice vulneratâ multa aqua manat potui apta, fructu flavo, parvo, & pulpæ parum habente, sed osiculum in se continente satis magnum. salubris est is fructus, & facilis digestionis, sed dentibus molestus & noxius, ob fibrarum copiam.

De Tamarindis.

CAP. XXVIII.

MEDICAMENTVM omnibus cognitum sunt Tamarindi, quamobrem nullum adulterium norunt.

NASCVNTVR multis Indiæ locis, sed qui montosis & ad Septemtrionem obversis proveniunt, præferuntur, & diutiùs incorrupti manent: quales Cambaiete & Guzarate gignit.

Puli, Ambili. Tamarindi. VOCANTVR in Malavar *Puli*, in Guzarate *Ambili*, quo nomine reliquis Indiæ provinciis noti sunt. Arabes *Tamarindi* appellant, quasi dicas Palmulas Indicas. Nam *Tamar* (quod omnibus notum est) eorum linguâ Dactylum significat. Palmulas autem vocârunt Arabes hunc fructum, non quòd eius arbor Palmæ similis sit; sed quia aliud nomen magis aptum non invenerint, officula etiam in se continere conspicientes.

Tamarindorũ historia. ARBOR est Fraxini, aut Iuglandis, Castaneæ've amplitudine, materie firma, non fungosa sive spongiosa: rami foliis ornati multis minutimque incisis, palmi magnitudine: fructus in arcus aut digiti incurvi figuram efformatur. Hujus immaturi cortex viret, siccatus verò, cinereus est, & facilè avellitur: nucleos intùs continet sativorum Lupinorum magnitudine, quodammodo rotundos, sed planos, colore furvos, sed læves; quibus abjectis, pulpæ usus est, quæ lenta & viscida est. Sed illud observatione dignum, quòd hic fructus in arbore adhuc pendens noctu foliis sese involvat vitandi frigoris causa, interdiu verò sese expediat, & è medio foliorum emergat. *Tamarindorũ facultates.* Acidus est dum viret, sed tamen ea aciditas suavitate non caret. Plurimùm illis expurgatis utor cum sacharo, atque id maiori cum successu, quàm si Syrupo acetoso uterer. Soleo etiam plerumque ægros Tamarindorum infusione purgare. Tamarindorum quatuor vnciæ aqua frigida aut stillatitio intubi liquore macerentur per tres horas, deinde factâ expressione eximantur Tamarindi, quos modico sacharo inspersos utiliter exhibeo; evacuant enim ex parte biliosum humorem, atque pituitosum incidunt & attenuant. Huius regionis incolæ sine molestia sese purgant Tamarindis cum oleo Nucis Indicæ sumptis. Medici verò Indici, folia Tamarindorum trita partibus corporis erysipelate infectis imponunt. Nos hìc Tamarindis aceti loco utimur; gratior enim palato est eorum aciditas, præsertim maturorum. Deferuntur in Arabiam, Persiam, Asiam minorem, & Lusitaniam sale conditi, ut temporis injuriam meliùs ferre possint. *Tamarindorũ conserva.* Ego verò sine sale domi asservare cum suo cortice soleo. Fit ex iis recentibus cum sacharo conserva, præclarum proculdubio medicamentũ ad digerendos & expurgandos humores, nec minùs palato gratum. *Aqua stillatitia Tamarind.* Tamarindorum stillatitio liquore pro digestivo aliquando usus sum: verùm cùm nimis dulcem & insipidum ferè invenerim, eo uti desii.

NVNC superest, ut ex Auctorum Arabum scriptis hoc medicamentum examinemus, cùm veteribus Græcis fuerit incognitum.

AVICENNA lib. II. cap. 691. hoc medicamentum non describit, sed ejus delectum dumtaxat profert; aitque recentiores Tamarindos præferri.

Mesue lapsus. MESVE lib. de simp. med. cap. 8. facit illos Palmæ silvestris Indicæ fructum: sed ejus error inde manifestus est, quòd totâ Indiâ palmas non reperias: sed palmulæ adferuntur ex Arabia in Indiam, ubi magnâ quantitate eduntur siccæ, similiter & in massam compressæ, abjectis nucleis. *Palma silvestris.* Memini tamen videre quoddam genus silvestre palmarum in Cambaya & Guzarate, sed sterile & longè diversum à Tamarindifera arbore.

SERAPIO lib. simpl. cap. 348. ex auctoritate Bonifaa, in Cæsarea Aman provenire asserit. Sed pace ejus dictum sit: nullos Tamarindos in Cæsarea Aman, quæ est Syriæ, provenire certum est, cùm à negotiatoribus mercimonii gratia eò ex India deportentur.

NONNULLI Tamarindos à saporis aciditate Oxyphœnicem faciunt, quorum sententiam ut nec improbare, ita nec approbare possum. Sed quòd Lacuna Com. in Diosc. lib. 1. cap. 126. à Thebaicis palmulis non differre scribit, non probo: quemadmodum nec quòd ejus arborem Palmæ silvestris genus facit foliis oblongis, & per extremum acutis, quoniam hujusmodi profert folia ut antè dixi. *Oxyphœnix. Lacunæ error.*

CETERUM Tamarindi ex Arabum testimonio refrigerant & exsiccant tertio ordine, tametsi aliquot exemplaria Mesuæ, sed mendosa, secundo ordine refrigerantium & siccantium collocent. *Tamarind. temperament.*

EIS semper utor in febribus admodum biliosis, non cassia solutiva aut Manna, quoniam ob suam dulcedinem, bilem generant. Hinc fit ut hujus regionis medici sacchari usu in febribus ardentibus abstineant.

De Cassia solutiva.

CAP. XXIX.

SUPERVACANEUM videbatur de ea arbore hîc disserere quam vulgò Cassiam fistulam appellant, quandoquidem medicamentum est omnibus notissimum, nisi controversia esset de nomine malè illi indito à Gerardo Cremonensi, *quem (ut suprà diximus) Arabica nomina intacta relinquere præstitisset, quàm perversè ita Arabes interpretari, & ansam præbere eos calumniandi; cùm omni potiùs laude quàm vituperio sint digni, qui nobis hujus tam nobilis, tam præstantis, tamque humanæ saluti necessarii medicamenti cognitionem protulerunt. ** Rhases ad Alm. lib. 3. de re med. c. 51.*

PORRÒ vulgariter Arabibus dicitur *Hiarxamber*, vocabulo tetrasyllabo, tametsi Avicenna lib. II. cap. 193. *Chiarsamdar* corrupto nomine vocet: in Malavar *Comdaca:* in Canara, cujus provinciæ est Goa, *Bavasimga*: in Decan & à Bramenis *Bavasimgua:* in Guzarate & à Mauritanis regnum Decan incolentibus *Gramalla*: arbor ipsa in Canara *Bahoo.* *Hiarxamber. Comdaca. Bavasimga, Bavasimgua. Gramalla. Bahoo.*

EST autem hæc arbor Pyri magnitudine, foliis mali Persicæ, angustioribus tamen aliquantum, & virentibus: floribus Genistæ perquam similibus, luteis, Garyophyllum odore æmulantibus; quibus decidentibus, exiliunt oblongæ siliquæ, virentes admodum ante maturitatem (non autem rubentes, ut scripsit Lacuna) quæ per maturitatem nigrescunt, longitudine interdum quinque palmorum, numquam verò infra binos palmos. *Cassiæ sol. historia.*

NASCITUR per universas has provincias, præstantissima tamen & durabilior locis ad Septemtrionem magis vergentibus, ut in Cambaya. Invenitur & in Cayro, tum in Malaca, Sofala, Sian, totoque eo tractu.

HANC non nisi silvestribus sponte satam vidi; in Americâ tamen (quam falsò Indiam occidentalem appellant, quandoquidem unica sit India ab Indo flumine denominata, veteribus cognita) intelligo è silvestribus locis tralatam esse in hortos & agros, ita ut nunc istic frequentissima sit. Fortunatiores tamen nostros Lusitanos puto, apud quos sine satione tantâ copiâ nascitur, ut unius Candil, hoc est, quingentarum & viginti duarum librarum pretium non excedat decem regales Castellanos, qui constituunt aureum Indicum Pardaon nuncupatum. *Cassia sponte nascitur. Candil quid sit. Pardaon.*

AVICENNA lib. II. cap. 193. scribit eam medio esse inter calidum & frigidum temperamento, nonnihil verò humectare. Serapio lib. simp. cap. 12. temperatum constituit. Mesue de simpl. med. cap. 6. nonnihil ad calorem accedere scribit. Antonius Musa exam. simpl. excalfacere & humectare ordine primo aut secundi initio.

SÆPIUS sum miratus Manardum in lib. simpl. Mesuæ scripsisse grana sive semina hujus Cassiæ purgatoriâ facultate prædita esse, cùm tamen potiùs adstringentem facultatem obtinere videantur quàm solutivam. *Manardi lapsus.*

ILLUD verò omni reprehensione dignum est quod ait Sepulveda, nimirum ad movendos menses, difficilesque partus, remorantesque secundas, decoctum corticum harum siliquarum cum Artemisia propinari, aut ex ovo sorbili cum unciis quatuor mellis exhiberi. Nam etsi demus magno, ut ipse ait, successu propinatum esse hujusmodi medicamentum, Artemisiæ potiùs facultatem hos effectus præbuisse censebimus, quàm harum siliquarum cortices tale quid præstitisse, qui frigidi & sicci sunt temperamenti. Huc adde secundas sæpiùs etiam sine medicamento reiici, naturæ propriâ vi. Nam quòd Avicenna lib. 2. cap. 197. præscribit ad partus difficultatem, multi non abs re suspectum habent hunc *Sepulvedæ error.*

locum: censetque Bellunensis in contextu cucumerem siccum reponi debere. Hanc ob causam statuerunt doctiores, Cassiam solutivam intelligendam esse, quotiescumque Cassiæ meminisset in purgante medicamento, reliquis locis Cassiam ligneam denotari.

Stulta de Cassiâ sol. persuasio.

RIDICVLVM verò est, quod de Lusitanis quibusdam nunc proferam, qui crediderunt plerosque hujus regionis homines continuâ alvi solutione laborare, quòd boves, quarum carnibus vescerentur, Cassiam solutivam depascerent. Nam arbores altiores sunt quàm ut à bobus depasci possint; neque tanta copia est arborum, ut numerum infinitum vaccarum (siquidem multas isti alunt, nullius verò carnibus indigenæ vescuntur) alere possint. Deinde cùm duro cortice prædita sit siliqua, verisimile est (etiam si pertingere possent) vaccas graminis pabulum, quod semper ferè hîc viret, istarum siliquarum aviditate non relicturas. Quod cùm ab incolis percontarer, non mediocrem illis risum movi.

De Anacardio.

CAP. XXX.

Anacardium veteribus ignotum. Balador. Bybo. Faua de Malaqua.

ANACARDIO nomen indiderunt recentiores Græci (nam veteribus ignotum fuit) à cordis tum similitudine tum colore, Arabum vestigia secuti, quibus *Balador*, Indis *Bybo* dicitur, Lusitanis *Faua de Malaqua*, quòd viridis & in arbore pendens, similis sit nostrati majori Fabæ, major tamen.

MAGNA ejus est in Cananor copia, tum in Calecut & reliquis Indiæ provinciis mihi cognitis, veluti in Cambaya & Decan.

Serapionis lapsus.

SERAPIO lib. simpl. cap. 356. Galenum citat, tamquam hujus fructus meminerit (cùm tamen illi planè sit incognitus) & deleteriam facultatem habere ait, cui tamen experientia refragatur. Siquidem his in regionibus è lactis sero maceratum asthmaticis datur, & adversus lumbricos: præterea iis viridibus & sale conditis utimur in cibariis, olivarum conditarum modo. Fructu verò siccato, caustici vice utuntur in strumis: totâque Indiâ hujus cum calce misti usus est ad pannos obsignandos.

AVICENNA lib II. cap. 40. id facit fructus Tamarindi ossi simile, ejusque nucleum Amygdalæ effigie, sine nocumento esse affirmans: & paulo pòst subiicit, inter venena referri quæ deleteriæ sint facultatis.

NVLLA autem præditum esse venenosâ facultate, exemplis suprà demonstravimus: Causticam verò vim obtinere, jam exsiccatum, diximus.


Anacardii temperamentum.

NONNVLLI Anacardium calidum & siccum constituunt in quarto gradu: alii in tertio. Nemo tamen mihi satisfacit; quandoquidem in virente clarum est deesse hunc excalfacientem & exsiccantem excessum: neque rationi consentaneum videtur in eo caliditatis & siccitatis gradu constituere quo est Piper. Nisi fortè, quod in Sicilia nascitur, sit tali facultate præditum.

Cajous.

* *Adsertur interdum nucis genus Vlyssiponem è Brasilianorum regione, quod* Cajous *vocant. Arbor est magna, foliis pyri (in recèns nata Lauri potiùs) fructu ovi anserini formâ & magnitudine, qui succo plenus est, veluti id Citriorũ genus quod Limam vocant, quo quidem vescuntur Brasiliani, (licet Thevetus cap. 61. Descriptionis Americæ, contrà asserat,) ut à Fernambuco incolis intellexi. In extremo fructu prominet nux quædam renis leporini formâ, colore cinereo, interdum ex cinereo rubescente. Duplici verò hæc nux constat cortice, inter quos spongiosa quædã est materia olei asperrimi & calidißimi plena: intùs verò nucleum candidũ continet esui aptum, & Pistacii gustus suavitate non cedentem, pellicula cinericia obductum, quam adimere oportet. Eo leviter tosto vescuntur incolæ; gratior enim est, & venerem stimulare fertur. Acri illo oleo nihil præstantius esse ferunt ad lichenes & impetigines tollendas. Incolæ certè adversus scabiem utuntur. Sed illud mirum, primarium fructum nulla semina continere: & extremâ illâ nuce earum arborum genus conservari debere. Nonnulli Anacardiorum genus esse autumant, ob similitudinem acris illius humoris, quem corticibus conclusum habent. Nos & officinarum Anacardium, & hanc nucem integram, & per medium sectam, exprimi curabamus: accipiebamus enim Vlyssipone sub finem anni* M. D. LXIV. *recentem & ante trimestre primùm ab arbore lectam.*

ANACARDIVM OFFICINARVM. CAIOVS per medium sectus nucleo integro. integer.



De

De Amomo.

CAPVT XXXI.

MAGNA inter recentiores dubitatio est, quid sit Amomum. Hinc fit ut nonnulli ejus loco Acorum ex præcepto Galeni lib. simpl. med. 6. substituant; de quo haud secus atque de ipso Amomo dubitatur. *Amomum.*

EX recentioribus nonnulli in ea opinione fuerunt, ut Rosam Hiericuntinam, legitimum Amomum esse contenderint, quorum opinionem doctè Matthiolus comment. in Diosc. lib. 1. cap. 14. multis argumentis refellit. Alii Pedem columbinum esse aiunt; quos idem Matthiolus erroris convincere nititur. *Rosa Hiericuntina.*

EGO, tametsi hîc non viderim eas stirpes quas Europa gignit, subiiciam tamen liberè quæ in India de Amomo didici. Percontatus sum aliquando à quodam Pharmacopœo natione quidem Hispano, sed religione Iudæo, qui Hierosolymis se habitare aiebat, quid esset Amomum. Respondit ille, lingua Arabica *Hamama* nuncupari, quod interpretatum Pedem columbinum significat. Hanc stirpem sibi cognitam esse affirmabat, quam tamen apud Indos non vidisset. Evocatus postea à Nizamoxa (quem vulgò Nizamalucco nuncupant) Rege in Decan potentissimo, qui præter mediocrem doctrinam quam habet, semper apud se eruditos medicos alit cùm Persas, tum Turcos, magnis stipendiis. Ejus medicos interrogavi, num Amomum haberent; dixerunt illi, istîc quidem non nasci, sed inter alia aromata quæ ad Regem ex Asia, Persia, & Arabia conficiendis alexipharmacis perferrentur, Amomum etiam advehi, cujus ramulo me donârunt. Hunc cum Dioscoridis descriptione contuli, ad quam venustissimè quadrabat, & licet jam siccus, pedem tamen columbinum referebat. *Hamama. Pes columbinus. Nizamoxa Rex.*


NAM omnia plantarum & morborum ferè nomina apud Avicennam, aut ad verbum redduntur, aut ab ipsa re nomen sortiuntur: exempli gratia, Lingua bovis, Lingua canis, Capillus veneris, Lingua avis: sic & in morbis ἐλεφαντίασις dicitur illis *Daulalfil*, quod est, Pes Elephantis; ὑδροφοβία *marazalquelbe*, quod est Dolor canis. Hinc sciendum est, Amomum apud Avicennam nihil aliud esse quàm pedem Columbinum [a]. *Daulalfil. Marazalquelbe.*

CVM apud Nizamoxa essem, aliquot plantas observavi, quibus Goæ caremus, veluti Eupatorium, Mexquetera, Mexir, [b] melissophyllon, buglossum, fumum terræ, tamaricem, asparagos, & violas purpureas in Regio horto satas. Hæ forsitan omnes etiam in mediterraneis nascuntur: sed tanta est nostrorum Phamacopolarum avaritia, ut potiùs mercibus convehendis studeant, quàm officinæ suæ excolendæ. Hinc fit, ut violarum loco utantur floribus cujusdam arboris diversæ planè facultatis à nostris violis: quorum tamen usum non admitto, nisi in iis medicamentis quæ foris applicantur: atque Syrupum violaceum confici jubeo è violis conditis ex Ormuz aut Lusitania delatis. *Mexquetera, Mexir. Arboris flores violarũ loco.*

[a] Vtinam noster hic Auctor Amomi descriptionem pleniorem dedisset, quandoquidem plantam legitimam se vidisse affirmat. Nam multis altercationibus ansam præcidisset. Certè pes eius columbinus, noster esse non potest, quem nonnulli Amomi legitimi loco usurpare non verentur, cùm sit potiùs Geranii genus. Sed horum turpem errorem eruditè detegit in commentariis suis Matthiolus.

Ceterùm accepit nuper ex Ormuz, celebri sinus Arabici emporio, Walerandus Donræus Pharmacopœus Lugdunensis, vir diligens & eruditus, exigui fruticis fragmenta Amomi nomine, & item alia Amomidis; neutra tamen cum Amomo Dioscor. & Plinio descripto conveniunt, nisi id fortè sit, quo se noster auctor donatum, quódque pedem columbinum referre asserit. Nam hæc fragmenta aliquot ramulis constant, foliolis quibusdam adeò frequentibus onusti, ut ex solis foliis constare videantur (quemadmodum in Tithymalo paralio conspicere est (quæ in extremo tali ordine sunt disposita ut flosculum aut rosulam efforment. Ramuli isti simul compacti non ineptè pedem columbinum (qualis earum est quæ plumipedes sunt) referre videntur, nullo tamen singulari odore aut sapore præditi. Eius Amomi & alterius Amomidis icones hîc subiunximus.

Amomum quorundam.



Pro Amomide data.



His etiam similes ramulos, Amomi nomine M. D. LXXXII, Constantinopoli missos Viennæ Austriæ accipiebam, quum Amomum quo istic uterentur inde expetiissem: sed, ut dixi, nullam similitudinem habet cum Dioscoridis vel Plinii Amomo, quemadmodum nec ea planta quam R. P. Quatramius in examine Theriacæ scribit sibi donatam pro Amomo in pratis uliginosis agro Parisiensi erutam, quam Galli Piment appellant & inter vestes recondunt ad eas à tineis præservandum, Brabantis verò

& Flandris Gagel *dicitur, & in coquenda cervisia utuntur, ad robur & acrimoniam conciliandum.*

[b] *Quænam nobis sint plantæ Mexquetera & Mexir, planè ignoro: nec quid hæc vocabula significent, quisquam indicare potuit.*

De Calamo Aromatico.

CAPVT XXXII.

Disputatio de Acoro & Calamo.

NON minor est controversia inter recentiores medicos de Calamo & Acoro. Volunt enim nonnulli Calamum officinarum esse Acorum veterum: Alii malunt Galangam esse Acorum. Eam ob causam difficile est in tanta opinionum varietate aliquid certi statuere. Ego tamen nullius opinioni addictus, liberè dicam quod sentio.

Calamus aromat.

CALAMVS aromaticus quo officinæ in Lusitania utuntur (aromaticum voco non odoratum, ut plerique alii, quandoquidem aroma odorem non significat, sed quod vulgo droguam vocant; neque etiam Calamum odoratum scio, sed Iuncum dumtaxat) idem est cum eo qui hîc in India magno est in usu cum viris tum mulieribus & jumentis. Vocatur is in Guzarate, *Vaz*: in Decan, *Bache*: in Malabar, *Vazabu*: in Malayo, *Dirimguo*: in Persia, *Heger*: in Cuncam, quæ est regio maritima, *Vaticam*: Arabibus *Cassab* & *Aldirira*. Serapio lib. simp. cap. 205. eum vocat *Assabeldiriri*, sed corrupto vocabulo: omnes enim Arabes medici cum Avicenna lib. II. cap. 157. & 207. *Cassab* & *Darirhe* appellant. Idem autem sonat Cassab quod Calamus, & Aldirira ex Aromatibus: nam *Dirire* idem quod nobis aroma est. Quoniam verò Malayo incolæ ejus usum ab Arabibus qui ex Coraçone erant, didicerunt, idcirco corrupto nomine *Dirimguo* vocârunt.

Vaz, Bache, Vazabu, Dirimguo, Heger, Vaticam, Cassab, Aldirira, Assabeldiriri. Dirire.

SERITVR per universam Indiam: plurimus verò in Guzarate & Balaguate. Hîc etjam Goæ (ubi multus ejus est usus) in hortis satus provenit, sed perpaucus.

CETERVM non est odoratus, nisi è terra avulsus: quantoque virentior est, tanto mihi validioris tetriorisque odoris videtur; tametsi aliud sentiat Ruellius lib. 1. cap. 18. Convehitur ad maritima, quoniam qui istic nascitur, non sufficit. Qui ex Balaguate adfertur, ad Occidentem mittitur.

Calami vires. Cuminum rusticum.

FAMILIARIS ejus usus est mulieribus in uteri affectibus, & nervorum doloribus. Sed maximè expetitur hieme à mulomedicis: contusum enim, additis alliis, ammi (quod est Cuminum rusticum) salis momento, butyro, & saccharo, jumentis adversus frigora manè exhibent, vocantque id medicamentum *Arata*.

Arata.

CETERVM quoniam Hippocrates & Galenus lib. 1. simpl. med. Indicum hunc Calamum unguentarium appellant, Plutarchus verò Calamum Arabicum, & Cornelius Celsus Calamum Alexandrinum: videtur etiam extra Indiam nasci.

Calamus unguentarius. Calamus Arabicus. Calamus Alexandrinus.

EGO, ut veritatem elicerem, sciscitatus sum à multis Coraçone incolis & Arabibus, qui huc venales equos adducunt, si apud eos nasceretur Calamus; item an esset eis cognitus, eoque uterentur: Negârunt omnes apud se inveniri, nisi ab Indis advectum mercimonii gratiâ; probeque sibi cognitum, utpote cujus plurimus apud eos esset usus. Non falluntur tamen, qui Arabicum vocant, nam ex India in Arabiam defertur, & inde in alias regiones: neque qui Alexandrinum appellant, quoniam hinc Alexandriam, deinde Barut & Tripolim Syriæ defertur.

QVOD autem Manardus lib. 8. epist. 1. dicit in Pannonia se vidisse adeò recentem, ut non longè petitus videretur, fieri potest ut fallatur: aut, si viderit, satum fortè in sporta aut fictili vidit, ut plerumque satum Gingiber nascitur. Sed illud certissimum est, hinc avehi Calamum in eas regiones.

IS verò quo utimur, radix non est (pusilla etenim est radix) sed ipsius Calami cum aliquantulâ interdum radicis parte fragmentum. Hallucinantur ergo qui nihil nisi radicem* esse scribunt, confirmandæ suæ sententiæ causâ, qua contendunt hunc Calamum Acorum esse. Neque quod in Calamo est spongiosum & flavescente colore, aliqua in re simile est Aranearum telis, ut falsò putârunt Avicenna lib. II. cap. 157. & Serapio lib. simpl. cap. 205. quos Græcis & Latinis hæc meliùs nosse oportebat.

CETERVM quòd Calamus Acorum non sit, nec etiam Galanga, satis ex Avicenna & Serapione probari potest, qui tria distincta capita de Calamo, Acoro, & Galanga scribunt. Præterea qui calamum describunt, aiunt eum in India nasci, quod verum est: nec enim in alia regione nascitur. Acorum verò non nisi in Europa nasci tradunt. Itaque nobis ignotum est Acorum, aut imaginari non potuimus quod Manardus, Leonicenus, & alii animadverterunt. Omnibus sanè Arabibus, Turcis, Corasonibus, & Indis medicis ignotum est. Nam à Nizamoxa vocatus ut eum tremoris affectu liberarem, magna mihi cum illis

Calamus non nisi in India.

Acorũ dumtaxat in Europa.


contentio

contentio fuit de Acoro: quid tamen esset Acorum (etiam illis indicato nomine Arabico) indicare non potuerunt, nisi quòd apud Turcos nasceretur.

PRÆTEREA Calamus pallet; acris, calidus, & siccus est in secundo ordine: Acorum albet, amarum, calidumque & siccum est ordine tertio: Galanga autem utroque calidior & odoratior. Deinde Calamus & Acorum cerebri & nervorum morbis conveniunt: Galanga verò ventriculum roborat, flatus discutit, & oris halitum commendat. Galanga item & Calamus medicamenta sunt in hac regione ab initio cognita, & in Occidentem vehi solita.

SOLEO tamen perpetuò Acori loco Calamum substituere, sed majori quantitate, quòd non adeò excalfaciat & exsiccet, veluti Acorum. *Acori succedaneum.*

** Nostrarum officinarum Calamus longè alius est ab eo quem hoc capite satis obscurè describit noster Auctor, quippe cuius Calamus legitimus videatur à veteribus descriptus. Noster verò nihil nisi radix est, cum aliquantula interdum foliorum particula. Cui cùm omnes notæ Acoro à veteribus adscriptæ pulcherrimè conveniant, Manardi & aliorum sententiam improbare non possum, qui Acorum legitimum esse volunt. Eo & Germani, & Itali, & Galli utuntur, aliúmque Calamum non norunt. Solebat enim Antverpiam Vlyssipone advehi Calami genus usuali nostro simillimum, sed tetri odoris, & saporis horridi; quæ nota illi communis erat cum Calamo nostro Auctori descripto: Solam tamen hanc ob causam in usu apud nos esse desiit; licet omnes aromatarii multo efficacius eo, quo nunc utimur, fuisse affirment. Legitimi porrò Acori descriptionem luculentam in nostra rariorum plantarum Historia studiosi invenient.*



Ceterùm cùm tertiò recudenda esset hæc Historia, commodè nobis innotuit legitimus Calamus aromaticus, quem doctiss. vir Bernardus Paludanus Frisius, ex Syria & Ægypto redux, cum Habbel fructu, multisque aliis raris & variis seminibus, pro nostra amicitia, sub anni M. D.LXXIX. *initium liberaliter communicavit. Eius autem (quoniam exactissimè ad Dioscor. descriptionem quadrare videtur) iconem ex fragmentis exprimi curavimus. Vmbellifera verò potiùs planta quàm harundinacea meo iudicio censenda est: etenim rectum habet caulem, multis nodis seu geniculis cinctum, lævem alioqui, intùs concavum; & membranulâ, uti harundines, praditum, qui assulosè, quemadmodum Dioscor. scriptum reliquit, frangitur, estq; satis odoratus gratique saporis, amari tamen, & nonnullæ adstrictionis particeps: folia (uti ex vestigiis colligere licet) bina ex adverso singulis geniculis sita caulem amplecti videntur: radix summo capite nonnihil extuberat, deinde in fibras desinit.*

Vicesimo quinto porrò anno post quàm nobis communicasset C. V. *Paludanus Calamum illum, mittebat ad me Lugduno Allobrogum doctissimus vir Antonius Colinus Pharmacopœus, qui nuper hos Commentarios anno Christi* M. D. XCIII. *quartùm evulgatos, Gallicos faciebat, similis calami fragmenta, significans se eo usum in Theriacæ compositione: ea autem, licet simili prorsus formâ essent cum illo quod à Paludano accipiebam, magis tamen amari saporis, quàm à Paludano acceptum deprehendebam, nec ullius adstrictionis participem; quod forsitan alterutrius ætati adscribendum.*

De Nardo.

CAP. XXXIII.

ILLVD affirmare possum, multo plura aromata, majorique quantitate, & minùs adulterata ad nos adferri, viliorique pretio emi, quàm antiquitus fiebat: quòd nunc Lusitanorum navigationibus Indiæ nobis apertæ sint, ipsæq. regiones, quæ aromata gignunt, longè cultiores, quàm Veterum tempore fuerunt.

IN eorum numero Nardum repono, quæ legitima & sine mangonio ad nos importatur, licet interdum aut maris humore sibi ascito situm contrahat, aut senio suaveolentiam illam amittat, quâ initiò prædita erat. *Nardus.*

VOCATVR autem Nardus incolis (nam Græcum & Latinum nomen notum est) *Cabzçara*: Avicennæ, lib. II. cap. 640. & omnibus hujus tempestatis Arabibus *çembul*, quod est Spica; & *çembul indi*, id est, Spica Indica: eâdem ratione, quam nos Spicam Celticam vocamus, illi *çembul rumim* appellant. Quod autem corruptè Matthæus Silvaticus cap. 640. *Simbel* & *Sumbel* protulerit, mirum non est, cùm is linguam Arabicam ignorârit: nisi malimus tempore paulatim corrupta fuisse vocabula. *Cabzçara. Çembul. Sumbel.*

CETERVM nascitur Nardus in Mandou & Chitor provinciis, Regnis Delli, Bengala, & Decan vicinis, juxta flu. Gangem, quem incolæ *Ganga* appellant, & sacrosanctum existimant, ita ut morituri regni Bengala incolæ hoc flumine mergi se jubeant, sed pedibus dumtaxat. Sunt in eo flumine certa idolorum delubra, ad quorum cultum catervatim confluunt mercatores è Guzarate & regno Decan, magnaque donaria in hæc idola conferunt, *Ganges flu.*

runt, inde redeuntes ſanctificati, ut ipſi ſibi perſuadent, imò potiùs à cacodæmone obſeſſi.

Nardi uni-cum genus. PORRÒ non ſunt diverſa Nardi genera: ſed unicum duntaxat mihi notum eſt genus, id ſcilicet quod ex jam memoratis locis adferri diximus. Provenit quidem in monte quodam, qui altera parte Orientem ſpectat, altera Occidentem, ad quem ſcilicet occidentem *Nardus ſpontè non provenit.* ſita eſt Syria multis regionibus ab India diſcreta: ſed tamen multis aliis ejus regionis locis ſata provenit; non facilè enim ſponte naſcitur. Neque una præſtantior eſt alterâ: Spicámve habet alia alterâ multo longiorem.

Nardi deſcriptio. CERTE radix eſt, ſpargens ſupra ſolum brevem virgulam ſeu caulem circiter tres palmos longum; cùm longiſſimus, atque alias inſuper virgulas multo breviores: in ſumma radice ſpicæ producuntur, item aliæ per virgulas. Tali enim modo venditur in Cambayete, Aſurate, & Gogua, aliiſque portubus marinis, unde mercatores Arabes & Perſæ petunt: potiſſimam tamen partem ab indigenis abſumi ferunt.

Nardus ſordida. INVENITVR interdum ſordida & pulverulenta, villis ipſius plantæ in pollinem redactis. Emitur tamen ab iis quos dixi mercatoribus, & eo pulvere manus eluere intelligo.

HAC unicâ Nardo quæ juxta Gangem oritur, quamque in Occidentem exportant, utuntur medici cùm Indici, tum Turci, Perſæ, & Arabes. Nam quod ex ingenti pretio quo antiquitus teſte Plinio lib. XII. cap. XII emebatur, inferre volunt, noſtram Nardum non eſſe legitimam, objectioni me ſatis reſpondiſſe arbitror, cùm dixi Indias nunc magis apertas & cognitas eſſe, quàm tempore Plinii fuerint, & ipſa aromata majori copiâ ad nos adferri.


Lacunæ oſcitantia. CETERVM meram fabulam iudico, quod Andreas Lacuna ſuis in Dioſc. lib. I. cap. 6. commentariis ſcribit, Nardi uſum apud Indos eſſe periculoſum, quoniam ex ea fiat veneni quoddam genus mortiferum, quod non modò hauſtum, ſed etiam cuti in ſudoribus in- *Piſum.* ſperſum, hominem illico jugulet; idque toxicum *Piſum* vocari. Nam cùm multis in India annis Medicinam exercuerim, & non modò verſatus ſim cum omnis generis medicis Aſiaticis, ſed etiam Regibus & Principibus familiaris fuerim; numquam tamen hoc Piſum videre mihi contigit, aut ejus nomen audire.

Satiech. Satiach. ID genus quod Sepulveda *Satiech* & *Satiach* appellat, id eſſe puto, quod ex Satiguam adfertur, celeberrimo regni Bengala portu & emporio ad fluvii Gangis oſtia.


Adieci & Nardi iconem ad integerrimæ & ſelectiſſimæ, quam apud aromatarios invenire potui, ſtirpem expreſſam. Nardi porrò Celticæ legitimam iconem & deſcriptionem dedi in mea Plantarum Hiſtoria.

** Cùm anno* LXVI. *ſupra* M. *&* D. *menſe Aprili Antverpiæ eſſem, inter aliquod Nardi Celticæ faſciculos plantulas quaſdam inveni, quæ ad amuſſim quadrabant cum Dioſcoridis Hirculo, quem libro primo de re medica cap. 7. deſcribit, eoque Nardum Celticam adulterari refert. Nam plantula eſt Nardo Celticæ ſimilis, candidior tamen, & veluti ex viridi cinerea, ſine cauliculo, minoribus brevioribúsque foliis, villoſa admodum ſecundùm radicem, & nigricans, nullâ odo-*

NARDVS.



HIRCVLVS VETERVM.



ris iucun-

ris iucunditate. Folia præmansa nullum aromaticum saporem reddunt, sed lenta & viscida sunt; cùm Nardi Celticæ folia & calida sint, cum aliqua tamen adstrictione, & odore saporéque iucunda. Cùm igitur hoc capite noster Auctor de Nardo ex professo agat, facere non potui, quin Hirculi meminissem, eiúsque hîc iconem subiicerem, quam nemo hactenus, nisi tum à me exhibitam agnoverat.

De Junco odorato.

CAPUT XXXIV.

IUNCUS odoratus in Mazcate & Calaiate Arabiæ provinciis maximâ frequentiâ & abundantiâ nascitur, non secus ac in Hispania gramen vulgare quo vescuntur animalia.

HUIUS graminis nomina Græca & Latina nota sunt. Ab incolis autem *Sachbar* vocatur: à nonnullis verò *haxis cachule*, id est, herba lotoria, aut lotionibus idonea: tametsi non negem aliis etiam nominibus apud Arabes insigniri. Nam Avicenna lib. 11. cap. 591. eum *adhar*, Serapio cap. 19 *adher* appellant: quos sequuntur omnes Arabici & Persici medici hîc agentes: florem verò vocant *Foca.* Nam quod Silvaticus, cap. 12. *adcher* & *adhecarum* vocari scribit, corrupta sunt vocabula. Persis, qui ad jam dictas vsque provincias pertingunt, *Alaf*, quod herbam significat, vocatur; quo nomine per excellentiam appellari potest. Apud Indos peculiare nomen non est sortitus, sed herba Mazcatensis appellatur. Sunt qui Paleam de Mecha nuncupent. Nec desunt qui Pastum Camelorum vocent, nec immeritò: sed tamen Cameli non sunt istic adeò frequentes, ut hoc gramen cum floribus omnino depascere possint. Sed sunt ibidem multi asini, muli, equi, quos Arabicos vocamus, boves, capræ & oves, quæ nullum aliud pabulum norunt quàm hanc herbam sive gramen. *Sachbar.* *Haxis cachule.* *Adhar.* *Foca.* *Alaf.* *Herba Mazcatensis.* *Palea de Mecha.* *Pastus Camelorum.*

DEFERTUR quidem in Indiam, in usum medicum usurpandus. Maximâ tamen copiâ per fasciculos colligatum in navibus adsumunt equarii mercatores seu mangones, ut equis substernant, ne stercoris & urinæ pædore offendantur. Nam simul atque maduerit, recentem substernunt, & madidum in mare abiiciunt. Sed & nautæ fasciculos aliquot secum advehere solent, quos deinde in India vendunt. Memini in insula Diu[a], vili emisse multos Iunci fasciculos, quos in Lusitaniam cum aliis aromatibus mitterem: nullum tamen florem videre contigit. Sed nec aliquo in pretio ab incolis habetur, cùm gens sit rudis & silvestris. *Insula Diu.*

NULLUS est hujus usus apud istius regionis incolas: sed nos dumtaxat, & Medici Arabes & Persæ, eo utimur. Ipsi indigenæ eo se & sua jumenta lavant.

NUNC ad Auctorum, qui ejus meminerunt, descriptiones veniamus.

DIOSCORIDES lib. I. cap. 16. laudatissimum ex Nabathæa, proximum Arabicum, quem aliqui Babylonium vocant, pessimum ex Africa adferri scribit. Floris, culmorum, radicisque esse usum. Eligendum eum qui manibus confricatus rosæ odorem emittit.

SCIO in iis quas suprà enumeravi provinciis, quæ Arabiæ nomine comprehenduntur, provenire. An verò in Nabathæa gignatur (quæ à Nabatoch Ismaëlis nepote denominata, provincia est Arabiæ Iudææ conterminæ) diligenter percontatus sum à medicis qui in Hierusalem, Galilæa, aliisque vicinis provinciis versati erant: Sed illi responderunt, eum, quo istîc uterentur, ex Cairo advehi. Interrogati verò an in Cairo nasceretur, an autem ex Mazcate adferretur; ignorare se dixerunt, quoniam medicamenta interdum ignota manerent ob indigenarum negligentiam. Quæ cùm audirem, inquirere non volui num Babylone nasceretur, tametsi id fieri posse putem. *Nabathæa.*

CUM verò Dioscorides Africanum improbet, non oportet nos admodum solicitos esse in eo investigando, præsertim cùm non adscripserit quâ Africæ regione proveniat. De floribus autem, cùm meam, tum reliquorum medicorum negligentiam agnosco, qui non jubeamus eum advehi. Nostrâ etenim culpâ factum est, ut ejus usus desierit. *Iunci flos.*

IN medicamentis odoratis, Dioscoridem incertis comparationibus plerumque uti video, quemadmodum & in hoc Iunco. Nam tritus, jucundum quidem spirat odorem, sed Rosæ haudquaquam.

IUNCUS odoratus, Cornelio Celso Iuncus rotundus vocatur, & ad Iunci vulgaris, & Cyperi sive Iunci triangularis differentiam: sed minimè in eam altitudinem excrescit quâ Iuncus. *Iuncus rotundus.*

AVICENNA lib. II. cap. 591. duo ejus genera constituit. Alterum enim Arabicum vocat, qui est odoratus: Alterum in Agiami natum, per quod vocabulum Damascum intelligit. Sed quòd Dioscoridis testimonio, Iuncum fructum proferre nigrum probet, manifestus error est, cùm Dioscorides nusquam fructus meminerit. *Avicenna lapsus.*


Iunci historia. SERAPIO lib. simpl. cap. 19. ex auctoritate Bonifaa scribit Iuncum habere radicem *Chulem* similem, latiorem tamen, & minoribus nodis cinctam, multos calamulos prædu̇ros proferentem, qui fructum proferat similem floribus Arundinis, graciliorem tamen & minorem: simulque & in uno cespite multas plantas nasci. Hujus radix adeò similis est Chulem [b], ut sub eo nomine à nonnullis appelletur, quemadmodum initiò dixi.

MATTHÆVS Silvaticus cap. 12. decem annis conservari asserit. Credo in siccis & mediterraneis regionibus multo tempore conservari posse, cùm humiditate non abundet. Sed in hujus provinciæ maritimis, paucis annis in suâ odoris fragrantiâ conservari potest.

QVOD ad Brasavolum & Monachos in Mesuen commentatores attinet, doctè illorum argumenta refellit Matthiolus, Com. in Diosc. lib. 1. cap. 16. quare supervacaneum esse iudico quidquam iis addere. Satis tamen Monachorum in Mes. dist. 1. cap. 47. oscitantiam mirari non possum, qui Galangam Iunci odorati radicem esse contendunt, cùm Galanga in Sina nascatur, quæ bis mille ferè leucis ab Arabia abest, & plurimum ab Iunco odorato differat tum foliis, tum radice: nec nisi sata proveniat Galanga, quemadmodum & Calamus: Iuncus verò sponte nascatur, nec seratur.

Monachorum oscitantia.

IVNCVS ODORATVS.



Natæ sunt nobis anno M D.LXVIII. aliquot Iunci odorati plantæ, è semine Italia misso. Est verò Iuncus planta multis culmis assurgens, tenerioribus foliis quàm gramen seu ποα *(quam pulcerrimè refert) linguam mordicantibus iucunda & aromatica quadam acrimonia, quæ trita gratum quidem spirant odorem, sed in quo rosæ odor non eluceat: nam manducata potiùs rosæ, præsertim saccharo conditæ, odorem æmulari videntur. Nullum protulit florem, quòd seriùs provenerit: imò primis frigoribus periit, ita ut annua planta censenda sit. Radix est numerosa & capillaris, non nodosa, ut ait Serapio, gustu fervido & aromatico. Eius iconem ad vivum expressam inserere hic libuit.*

[a] Diu vel Dio insula Oceani Indici adversus ostia fluminis Indi (quem incolæ Diul appellant) sita est, eámque Patalen Plinio dici putant. Continet verò ea urbem mercurialem, potentémque admodum, & celeberrimum quendam portum, quo confluunt negotiatores Veneti, Græci, Thraces (quos Rumes vulgò vocant) Persæ, Turci, & Arabes.

Πατταληνὴ verò Straboni Geograph. lib. XV. insula est quam Indus facit in duas partes divisus, figura triangula: in qua urbs est insignis nomine Pattala, à qua insula nominatur.

Chulem. *[b] Quid per Chulem intelligat noster Auctor, hactenus scire non potui, tametsi diligentissimè perquisiverim: nisi fortè intelligat gramen sive herbam vulgarem quam Græci* πόαν *vocant. Nam à quibusdam Haxis cachule nuncupari ait, id est, lotoriam herbam. Et Pandectario cap. 158. Chulem herba capillaris est.*

De Costo.

CAPVT XXXV.

MAGNOPERE commendatus à veteribus fuit Costus: at nec nunc sua laude caret. Sed cùm Græci omnes & Latini, tum Arabes, plura ejus genera constituerint, factum, ut magna sit orta disputatio, an legitimum Costum habeamus. Plerique negant, & radices vel in Hispania, vel in Italia natas pro legitimo Costo in Myropoliis ostendi aiunt. Ego verò sum in ea opinione, ut unum dumtaxat Costi genus esse credam; cujus nomina primùm proferam, deinde delineationem, postremò usum medicum indicabo.

Costus. Cost, Cast, Vplot, Pucho. EST ergo Costus dictus Arabibus *Cost* aut *Cast*: in Guzarate, *Vplot*: in Malaca, ubi ejus plurimus est usus, *Pucho*, & inde vehitur in Sinarum regionem. Græci & Latini ab Arabibus nomen mutuati sunt. Nam quod Serapio lib. simpl. cap. 318. *Chost* appellat, corruptum est exemplar, legendumque *Cast*: & quotquot conveni Arabes, eum nunc *Cast*, nunc *Cost*, nunc *Costi* vocant.

Cast, Costi.

NASCITVR circa Guzarate, inter Bengala, Delli, & Cambaya, in Mandou & Chitor: Inde multi currus Vplot, Spicâ, Chrysocollâ, aliisque mercibus onusti advehuntur, in urbem primariam regni dictam Amadabar, quæ in desertis sita est, & in Cambayete non procul à mari sitam urbem: unde postea per majorem Asiæ, nonnullam Africæ partem, & universam Europam devehuntur prædictæ merces.

QVONIAM verò in Chrysocollæ mentionem incidimus, sciendum est, eam vulgo *Borrax* nuncupari, Arabibus atque Guzarate incolis *Tincar*, seu *Tincal*: metallicam autem hîc ejus esse naturam, utpote quæ è monte quodam Lusitanicis leucis centum à Cambayete distante, eruitur. Magnus ejus ubique usus in ferruminando auro, reliquisque metallis: ab Indis verò medicis rarò usurpatur, præterquam ad scabiem. Sed neque nos eâ frequenter utimur: iniicitur dumtaxat in unguentum citrinum, fucos muliebres, & unguenta ad profligandam scabiem parata. Ex earum mercium est numero, quas regio edicto vetitum est in Lusitaniam asportari. *Borrax. Tincal. Tincar.*


DESCRIBITVR autem Costus [a] ab iis qui viderunt, Sambuci effigie, & Arbuti aut Azimbri [b] magnitudine, florem odoratum proferens. Præcellit qui intùs candidus est, cortice cinereo: invenitur tamen etiam colore buxi, cortice pallescente. Tanta est odoris fragrantiâ præditus, ut plerisque nares feriat, & capitis dolorem excitet: gustu nec amaro, nec etiam dulci, tametsi jam senescens interdum amarescat. Nam recens acri gustu est, ut reliqua aromata. *Costi historia.*

HOC utuntur in multis medicamentis Indici medici. Hunc in Ormuz mercatores exportant, quò Corasones & Persæ confluunt: inde in Adem, quò hujus emendi cum aliis mercibus gratiâ Arabes & Turci conveniunt. Nec mirum est, si ejus loco, alio medicamento officinæ utantur in regionibus procul à Lusitaniâ dissitis; quandoquidem exigua admodum quantitas in Lusitaniam defertur.

QVONIAM verò Veteres tria Costi genera constituunt, [c] videlicet Arabicum, qui sit candidus, levis, eximiâ odoris suavitate; Indicum levem, amarum, & nigrum; & Syriacum gravem, colore buxeo: perquisivi à negotiatoribus Arabibus, Persicis, & Turcis, ubinam tanta Costi copia consumeretur, quæ ad eos hinc exportaretur. Responderunt illi maximam partem in Asia minori & Syria consumi, sed & etiam apud Arabes & Persas. Interrogati verò an alius quispiam Costus apud eos nasceretur, negârunt nasci. Idem percontatus sum à Nizamaluci medicis; sed negârunt illi alium se Costum vidisse unquam, quàm qui ex India ad eos perferretur. Vnus tamen illorum olim Xatamas medicus fuerat, diuturnoque tempore in Cairo & Constantinopoli medicinam fecerat. Vt autem tam diversa nomina sortiretur, occasionem præbuisse negotiatores puto, qui ex variis regionibus oriundi erant. *Costi tria genera apud Veteres.*

QVOD Arabes ejus duo genera faciant, amarum & dulce; factum esse puto, quòd hoc medicamentum cùm recens est & incorruptum, nullius amaritudinis sit particeps, candidiusque persistat: ubi autem vetustate corrumpi incipit, amaritudinem contrahit, fitque nigricans. *Costus amarus & dulcis Arabibus.*

COSTVS INDICVS.



[a] *Non videtur huius Costi descriptio cum Veterum Costo convenire. Nam ex Dioscoride satis manifestum est, illorum Costum radicem fuisse; cùm ait: Sunt qui admistis Helenii Comageni præduris radicibus adulterent. Verisimile enim non est, fruticis ramum tantam habere cum radice affinitatem, ut radice adulterari possit. At nostri Auctoris Costus minimum radicis habet, & ferè nihil nisi lignum est suo cortice contectum. Quare aut veterum Costum ignorasse dicendum est, aut Arabum Costum (si is quem describit illorum Costus est) à veterum Græcorum Costo diversam esse plantam.*

COSTI *genus Antverpiam è Lusitania invehi memini, solidum, cortice cinereo, intùs candicans, interdum verò cinerei coloris; odoratâ admodum radice, violaceum siue irinum spirante odorem, præsertim dum manditur: ei caulis fragmentum quod è terra extat, plerumque inhærere adhuc conspiciebatur, ferulaceum quiddam referens, & fungosam medullam continens, ut facilè appareret cum Costo nostri Auctoris plurimùm convenire. Eius iconem, qualis videlicet ex siccâ radice exprimi potuit, hîc adiiciendam curabam.*

S [b] Nisi

ᵇ Nisi per Azimbro Iuniperum noster Auctor intelligat (Zimbro enim Lusitanis Iuniperus est) quid sit, ignorare me fateor.

ᶜ Venetiis interdum adfertur Costi quoddam genus Gingiberis radicibus adeò simile, ut nihil suprà, intùs etiam fibrosum, sed pallescens, & eximiæ amaritudinis.

NON *desunt, qui Zedoariam usualem inter Costi genera referant, & primum apud Dioscor. descriptum Costum esse autument, quòd multas notas habeat, quæ Arabico illius Costo pulchrè quadrent.*

De Turbith.

CAPVT XXXVI.

DE Turbith Arabum magna est inter recentiores Medicos controversia. Nam nonnulli, Tripolium Græcorum esse volunt: alii Pityusæ radicem esse contendunt: alii Alypi. Sed errant omnes meâ sententiâ. Siquidem Turbith plantam & virentem vidi, & floribus exornatam, quæ planè diversa est ab iis quas in medium proferunt.

Turbith. QVOD igitur nos Turbith vocamus, eodem nomine & Arabibus, & Persis, & Turcis appellatur: tametsi Andreas Bellunensis in suis emendationibus *Terbet* vocet. In Guzarate, ubi plurimum nascitur, *Barcaman*: in Canara, cujus prouincia est Goa, *Tiguar*. *Barcaman. Tiguar.*

Turbith historia. EST autem Turbith planta, radice neque magnâ, neque longâ, caule hederæ modo per solum extenso, digiti crassitudine, interdum crassiore, duos palmos longo, interdum verò multo longiore. Folia Althææ profert; flores etiam similes, è candido rubentes, nonnunquam omnino candidos, non (ut quidam volunt) colorem ter die mutantes. Est verò dumtaxat utilis & gummosa caulis pars inferior juxta radicem: reliqua pars gracilior est, & comosior, quàm ut utilis esse possit. Nonnunquam radix cauli adhæret, sed inutilis, cùm caulis dumtaxat in medicum usum recipiatur. Tota autem planta insipida est cùm colligitur.

Turbith natales. PROVENIT in maritimis, verùm non adeò mari vicinis, ut undâ allui possit: sed duabus, interdum tribus à mari leucis seu miliaribus. Plurimum nascitur in Cambayete, Surrate, Dio insula, & Baçaim, ᵃlocisque vicinis. Invenitur & in Goa: sed à medicis improbatur, nec eo utuntur. Intellexeram etiam in Bisnager provenire, quod centum quinquaginta & ampliùs leucis à Guzarate distat: sed posteà rescitum est, eò ex Guzarate deportari, unde etiam magna copia in Persiam, Arabiam, Asiam minorem, & Lusitaniam exportatur: Nam si aliquod in Bisnager nascitur, viribus adeò infirmis est, ut medici recipiendum non censeant.

FIERI potest, ut aliis etiam per Indiam locis gignatur (non enim seritur, sed spontè provenit) incertum tamen est, ob indigenarum negligentiam.

Turbith delectus, & qua ratione gummosum fiat. CETERVM in Turbith delectu, duo solent à Medicis requiri, ut gummosum sit & album. Non omne verò gummosum est naturâ: Sed quia viderunt Indi, à gummi abundantiâ, optimi Turbith notas nos petere, solent ejus plantam, ante collectionem, aut contorquere, aut leviter vulnerare, quo liquor exiliat & densetur. Deinde post aliquot dies redeunt, & gummi sive concreto liquore plenos caules repetientes, colligunt. Id mihi retulit affinis meus medicus in Baçaim, qui aliquoties cum ipsis Indis colligendi gratiâ profectus est, & hanc eliciendi succi rationem observavit. Nam cùm jussisset aliquot plantas intactas relinqui, eas minimè gummosas invenit, aut nonnullas tantùm pauco cum gummi. Ex eo igitur deprehendere licet, gummi nihil ad præstantiam agere; sed id plerumque præstantius censendum esse, cujus gummi non appareat, quippe quod in ipsâ plantâ reconditum sit. Non negaverim, quin etiam Turbith gummosum sine contorsione reperiatur: sed ut faciliùs liquorem suum aut gummi exerat, contorqueri & vulnerari plantam certum est.

Alter Turbith delectus. ALTERA probationis nota est, ut sit candidum. Siccatum ad solem, candidum est: in umbrâ verò resiccatum, tametsi nigrescat, non minùs fortè bonum est, quàm album in sole paratum.

Turbith facultates. EST verò Turbith Indicis medicis medicamentum pituitam deiiciens, cui interdum, si absit febris, Gingiber adiicere (ut etiam aliis purgantibus medicamentis) solent: alioqui plerumque sine Gingibere ex decocto pulli gallinacei, aut ex aquâ exhibent. Præfertur autem quod in Cambaya natum est. Memini me in insula Dio emere singulas, quas vocant, manus, una tanga.ᵇ (Pendunt autem singulæ manus viginti septem libras.) Sed posteà intelligebam eum à quo redemissem, duplo minoris emisse. *Tanga. Manus.*

Turbith Arabum. CETERVM longè nobis aliud Turbithᶜ describunt Arabes, quàm id quod modò exhibui. Siquidem Mesue lib. 2. de simpl. med. cap. 2. ait radicem esse herbæ folia Ferulæ minora ferentis, & ex earum plantarum genere quæ lacteo succo turgent: varia ejus inveniri

genera

genera, videlicet domeſticum, ſilveſtre; magnum, parvum; album, nigrum, & flavum: & in locis ſiccioribus gigni; quod ex ſucci denſitate deprehenditur. Septem verò in ejus delectu obſervanda: ut ſit candidum, intùs cavum ſive vacuum & arundinoſum, & gummoſum, cortice cinereo, planum, fragile, & recens: craſſum autem ſive denſum improbari. Sed, quod ejus pace dixerim, ex aliorum relatu ſuum Turbith deſcripſiſſe potiùs videtur, quàm legitimum vidiſſe. Nam neque forma convenit, nec è lacte madentium plantarum eſt numero, nec ejus domeſticum genus invenitur: cùm univerſum ſponte in incultis proveniat. Alterum genus interdum altero eſſe majus verum eſt. Color autem aut albus, aut flavus, aut niger naturalis ejus plantæ non eſt: ſed pro præparationis ratione contrahitur. Nam quod probè præparatum, ſuóve tempore collectum non eſt, album eſſe non poteſt. Naſcitur verò potiùs locis humentibus quàm ſiccis. Neque albedo & gummoſitas probitatis ſunt indicia, ut jam dixi. Neque arundinaceum aut ferulaceum eſt, aut planum, aut fragile, niſi nimiâ ſiccitate exſuccum. Denſum autem potiùs mihi videtur probandum, quàm improbandum, quippe quod plus ſubſtantiæ contineat, mòdò carioſum non ſit.

Turbith Arabum delectus.

Turbith è Lactariarum numero non eſt.

SERAPIO lib. ſimpl. cap. 330. Tripolii Dioſcoridis hiſtoriam ad ſuum Turbith tranſtulit. Sed ſi cum legitimi quam exhibemus Turbith deſcriptione conferatur; manifeſtè ejus error deprehendetur. Nam neque folia Iſatidis habet, neque ejus caules in ſummo dividuntur, ſed in mucronem deſinunt largo foliorum proventu ornatum. Flos non mutat ter die colorem, neque ejus radix odorata eſt, aut venena arcere adhuc deprehenſa eſt.

Tripolii non eſt Turbith.

DENIQUE non eſt Alypum Dioſcoridis, ut recentiorum quidam exiſtimant, cùm ejus hiſtoria Alypi deſcriptioni planè repugnet, & facultates ſint diverſæ: Turbith enim pituitam dumtaxat purgat, Alypum atram bilem deiicit. Neque, ut jam diximus, cuiquam è lactariis comparari poteſt, quæ non ſine noxâ in corpus admittuntur: cùm Turbith legitimum nullam acrimoniam habeat, & ſine moleſtiâ pituitam deiiciat.

Alypum non eſt Turbith.

PORRÒ huic errori anſam præbuiſſe puto Arabes, qui conſpicientes apud ſuos in uſu eſſe Turbith ab India petitum, id ad Græcorum aliquam deſcriptionem ilicò referre voluerunt, Græcis omne plantarum genus fuiſſe cognitum exiſtimantes. Sed præſtitiſſet, omnia ſimili ratione non confundere, & ſimplicem aliquam eorum medicamentorum, quæ illis non erant probè nota, deſcriptionem contexere.

Arabes erroris auctores.

[a] *Baçaim urbs eſt vaſta, multas alias urbes & pagos ſub ſuo dominio habens: quinquaginta leucis ab inſula Diu abeſt, & Regi Luſitaniæ paret.*

[b] *Monetæ genus Indicum Tanga eſt, quod ſexaginta Luſitanicis regalibus æſtimatur, hoc eſt, duobus ferè Caſtellanis regalibus, aut ſeptem aſſibus Gallicis. Regale enim Caſtellanum triginta & ſex Luſitanica conficit.* *Tanga.*

[c] *Turbith à noſtro Auctore deſcriptum longè aliud eſt ab eo quo vulgò in officinis utuntur. De quo qui plura volet, conſulat eruditos Matthioli commentarios in capita 30. 51. & 78. libri quarti Dioſcoridis. Per univerſam Hiſpaniam Thapſia abunde naſcitur, eius radice pleræque Hiſpaniæ officinæ pro Turpeto legitimo utuntur. Non deſunt etiam multis per Europam locis, qui Scammonii radicem conciſam pro legitimo Turpeto oſtendant, atque in ſua medicamenta recipiant, ut his manifeſtum eſſe poteſt qui ſcammoneæ radices ſiccas cum illorum Turpeto diligentiùs contulerunt.*

De Rhabarbarò.

CAP. XXXVII.

NON eſt operæpretium multa de Rhabarbaro recenſere, cùm omnibus notiſſimum ſit medicamentum. Silentio tamen prætermittendum non duxi, quod hîc in India didici: videlicet, omne id Rhabarbarum quod in Indiam, Perſiam, & Europam importatur, eſſe in Sinarum regione natum. Nam ex Sinarum regione per Tartariam Ormuz & Alepum defertur; inde in Alexandriam, & tandem Venetias, unde reliqua Europæ regna petunt. Nos, præter id quod navigiis ex Sina infertur, eò etiam utimur quod Perſæ ex Ormuz advehunt, quod minùs teredinem & cariem ſentit, quàm quod ex Sina navigiis infertur. Siquidem plus corrumpuntur aromata per mare invecta, menſtruo ſpatio, quàm terreſtri itinere importata, unius anni tempore. Præterea India, præſertim maritimis locis, maximè humida eſt, & ejuſmodi aromata diu incorrupta permanere non ſinit. Nam Rhabarbarum ſub menſem Maium in Indiæ maritima illatum, niſi ante Septembrem abſumatur, planè inutile eſt, & in mare abiiciendum: corrumpitur enim, ut pleraque alia aromata, hibernis illis menſibus [*ii noſtro auctori ſunt, alio quodam loco, Iunius, Iulius, Auguſtus*] interea aliud præſtantius & recentius ex Ormuz importatur, cujus uſus. In montanis verò hieme adſervati alia eſt ratio; putredini enim non eſt adeò obnoxium. Eam ob cauſam, qui illud in India conſervare volet, in Biſnaguer aut Balagate perferri curet.

Rhabarbarum omne in Sinarum provincia naſci.

Rhabarbarum Samarcandanum.

REFERVNT genus quoddam nasci in certâ Tartariæ urbe nomine Samarcandar: sed quod improbum sit, nec nisi jumentorum purgationibus utile.

Ravam Sini. Ravam.

NVLLVM autem est Rhabarbaricum, aut Indicum: sed solummodo Sinense, quod *Ravam Sini* Persæ appellant, Mauritani tamen plerique solummodo *Ravam.*

ALIQVANDO in Couchin intellexi Rhabarbarum ab indigenis interdum decoqui aut distillari, & ejus decocto aut stillatitia aqua sese purgare; eamque esse causam, cur interdum tam facilè teredinem sentiat & corrumpatur. Sed cùm neminem audiverim, qui, an hæc ita sese haberent, se vidisse diceret, affirmare non ausim.

De Radice China.

CAPVT XXXVIII.

Radix Sinæ.

NASCITVR hæc radix in Sinarum vastissima regione, quæ Moscoviam usque extendi creditur. Quoniam verò per totam hanc provinciam, & etiam in Iapan sævit lues Venerea, quam alii Neapolitanum morbum, alii Gallicum vocant, nostri

Bade-frangi.

scabiem Hispanicam, Persæ *Bade-Frangi* (tametsi etiam simpliciter *Fringui*) quod morbum Gallicum sonat; aperuit benignus & misericors Deus hujus regionis incolis usum radicis cujusdam, quæ apud eos nascitur, ut huic malo succurrerent. Quemadmodum in novo orbe Guajaci usum ostendit, quoniam ea pars orbis etiam hoc morbo ab omni hominum

Lues venerea primùm in Europa MCCCCXCIII. anno.

memoriâ vexata fuit. Ibi contractum morbum in Europam adferentes Hispani anno Redemptionis humanæ MCCCCXCIII reliquis nationibus communicarunt. Nobis verò primùm innotescere cœpit hujus radicis usus post annum quingentesimum trigesimũ quintum supra millesimum, adferentibus illam huc Sinensibus quibusdam eâ lue infectis, quâ se interea dum hîc negotiarentur, curarent.

CETERVM anno antè quàm hujus radicis usus in India innotesceret, huc è Lusitania delatus sum, nonnullas facultates mecum adferens, atque inter eas, Ligni Guajaci libras quingentas. Ex eo, tametsi multum sublatum esset, dum in navem inferretur, & efferretur, mille tamen aureos contraxi Lusitanicos, quoniam magna aviditate è Lusitania exspectabatur hoc lignum, quòd multi malè perirent inunctionibus: & fortè evenit, ut tum temporis nemo præter me adveheret. Curati ergo fuerunt plurimi meo ligno. Sed illo absumpto, cùm novum è Lusitania non importaretur, ejus, quod jam decoctum fuerat, libra quinque Lusitanicis aureis væniit.

Qua ratione primùm Radix Chinæ Lusitanis innotuerit.

FACTVM est, ut eo tempore mercator quidam in Diu insulâ narraret inclyto viro Domino Martino Alfonso de Sousa, meo Mæcenati, quâ ratione à Gallicâ scabie curatus fuisset quadam radice è Sinarum regione allatâ, cujus vires magnis laudibus evehebat, quoniam qui eâ uterentur, extremâ illâ victus ratione non egerent, qualis in Guajaci usu observabatur, sed tantùm abstinerent à bubulis & suillis carnibus, pisce, & crudis fructibus: tametsi ne in Sina quidem piscibus abstinerent, nam magni sunt helluones. Cùm invaluisset is de radice rumor apud vulgus, mirum in modum hanc radicem videre, atque illâ uti avebant, quia molestè ferebant extremam illam victus rationem, quam in Guaiaci usu observare cogebantur. Adde quòd hujus regionis incolæ ob otiosam vitam naturâ sint magni epulones. Sub id tempus appellunt Malacam Sinenses naves, paululum hujus radicis in suum usum adferentes. Sed id paululum tantâ aviditate requisitum fuit, ut sin-

Ganta.

gulas hujus radicis gantas (pondus est apud eos viginti quatuor uncias pendens) decem Lusitanicis redimere oportuerit. Postea verò advehentibus majorem copiam Sinensibus navibus, minui cœpit pretium, ita ut nunc ganta ematur duntaxat regali Castellano.

AB eo tempore vilescere cœpit Guajaci usus, atque ex India relegari, tamquam Hispanus quispiam, qui indigenas fame enecare vellet.

Radicis Chinæ mirabiles effectus.

CETERVM, ut ad institutum revertamur, non sine causa tantis laudibus effertur Chinæ radix. Nam observatis quæ in hoc morbo observanda veniunt, naturâ morbi, anni tempore, regione, sexu, ætate, & temperamento ægri, mirabiles ejus sunt effectus: tametsi non desint ex recentioribus, qui eam acriter, sed immeritò damnent.

Præparationis modus.

IN magnis doloribus & inveteratis, hujus radicis uncia in septem aquæ sextariis* coquitur, ad dimidii usque humoris consumptionem. Servatur id decoctum usui, vase aliquo vitreo aut figulino vitrato. Spuma verò inter bulliendum colligitur, & utiliter ulceribus tumoribusque imponitur. Salutaris est etiam densus ille vapor inter coquendum exhalans ipsis doloribus. Interdum calido decocto tumores fovemus: nonnumquam lineos pannos decocto madidos ulceribus imponimus, eaque mundamus.

Sinarum regio frigida.

SOLENT Sinenses majori quantitate in sua regione assumere, cùm frigida admodum sit.

sit. Quos cùm imitari vellent hujus regionis nonnulli, radicis duas uncias, additâ interdum semisse, in præcedenti aquæ quantitate decoquentes, ob nimium medicamenti calorem in gravia inciderunt symptomata. Sed & quod mihi accidit, prætereundum non duco. Sciaticâ laborans, hujus radicis decocto usus sum, provocandi sudoris causa. Sed cùm calidum haurirem, ut initio ferebat consuetudo; in tantos hepatis ardores incidi, ut universum corpus erysipelate & phlegmone laborare cœperit, necesseque fuerit statim venam secare, decoctum hordei cum saccharo rosato sumere, & aëri me exponere, ut sanitatem pristinam recuperarem. Itaque meo periculo facti sapientiores reliqui, calido decocti potu, & tantâ radicis copiâ in posterum uti desierunt.

ANTE omnia deligenda est radix ponderosa, recens, firma, quæ neque teredinem, neque cariem senserit, & quæ candida sit: melior enim talis est, quàm rubescens. Hujus unciam in septem aquæ sextariis decoquimus ad medias, aut ad tertiam partem, pro morbi & ægri naturâ, subinde ea medicamenta iniicientes, quæ hujus radicis facultates corrigant. Exempli gratiâ: Si dolor capitis aut nervorum adsit, rorem marinum, aut rosas iniicio: si obstructionibus hepar laboret, apium: si ardor adsit cum obstructione, intubum: si ulcus vesicæ aut renum infestet, additur glycyrrhizæ succus: interdum radici admisceo æquale pondus hordei. *Radicis Chinæ delectus. Eius utendæ ratio.*

SOLENT autem hujus radicis decoctum sumpturi, priùs syrupis convenientibus purgari, quibus (quoniam plerumque materia quæ peccat pituitosa est) Turbith aut Agaricum majusculâ quantitate indimus, aut nonnumquam syrupos Chinæ decocto diluimus. Bene purgato corpore, radicis decoctum propinare incipimus; post decimum quintum diem, minorativo, si opus sit, exhibito: item alio interdum post trigesimum diem, quod ex manna constet, aut cassia solutiva aut Rhabarbaro macerato ipsius radicis Chinæ, aut hordei, prunorúmve, vel glycyrrhizæ, aut intybi decocto. Toto hoc tempore, si alvus singulis diebus libera non erit, clysteres ex radicis decocto, melle rosato, oleo violaceo, & cassia solutiva paratos iniicimus, habitâ necessitatis ratione.

QVOD si nimium incalescat æger, radicem minùs decoquimus, aut ejus decocto aquam intybi, vel fumi terræ, si adsit, aut buglossi, iniicimus. Quòd si nec hoc sufficit, decoctum subtrahimus, curationemque in aliud tempus magis opportunum differimus.

HOC decoctum interdum intra vigesimum diem curat, interdum seriùs, interdum verò citiùs. Vulgariter tamen ad decimum quintum usque diem dolores augentur & intenduntur, deinde paulatim mitigantur. Nonnullos vidi, qui, licet aliquoties hoc decoctum sumpsissent, postremâ tantùm diætâ curati sunt. Alios item, qui nullo modo curati sunt, quòd forsitan frigidiores essent humores. Itaque consulo, ut qui in Europa hac radice utentur, ejus quantitatem augeant, cùm frigidior sit regio.

IN singulas verò curas, radicis usus esse solet ad uncias triginta, unciis totidem dierum numero, quibus cura perficitur, respondentibus. Raró calidum decoctum exhibeo, nisi in vehementibus & inveteratis doloribus, quando sudoribus materiam evacuari oportet: tunc enim bis singulis diebus exhibetur, manè scilicet & vesperi. Hæc autem vulgaris est victus ratio. Datur caro gallinarum, pullorum gallinaceorum, & vervecina elixa cum salis momento (id enim modicè sumptum noxium esse non puto) & croco, & coriandro sicco. Interdum eadem assa exhibetur, habitâ morbi ratione. Vinum omnino adimo, nisi ad stomachi ex multa pituita contractam debilitatem, appetentiæque dejectionem tollendam, decoctum sumatur: tum enim radicis decocto dilutum ægris propinatur; appetentiam enim ciet, & concoctionem plurimùm juvat. Pane mellito utuntur Sinenses. *Medicamenti dosis.* *Victus ratio.*

EFFICACIOR est hæc radix in inveteratis, ubi videlicet magni tumores, & ulcera maligna adsunt, quàm in recentibus morbis. *Radix Chinæ præstantior in inveterato quàm recenti morbo.*

SVNT & aliæ hac radice utendi rationes. Nam quosdam in Balagate vidi, qui calido radicis decocto ejusdem radicis tritæ drachmam cum semisse iniicerent, quotiescumque manè & vesperi sumerent.

SVNT qui manè laminam conservæ ex hujus radicis pulvere & melle (sive saccharo, si magnus adsit calor) paratæ edant, deinde radicis decoctum bibant. Augetur autem, aut minuitur pulveris quantitas in hac conserva, & quandoque corrigitur, pro Medici arbitrio. *Conserva è radice Chinæ.*

VARIANDA sunt interdum remedia. Memini solo decocto binos curasse, quibus testiculi intumuerant.

HAC radice adhuc tenera, Sinenses cum carne elixa vescuntur, veluti apud nos napis aut rapis cum carnibus elixis vesci solemus.

HVIVS radicis aquam stillatitiam utilem fore credo, si quis eam nancisci posset. Ego sanè destillatoria organa in Sinarum regionem misi, ut ex ea radice liquorem mihi eliciant. Nescio an impetrabo. *Aqua stillatitia è radice Chinæ.*

Radicis Chinæ facultates.

VTILE est etiam hujus radicis decoctum, præter eos morbos qui cum contagio luis venereæ commune aliquid habent, ad paralyses, tremores, articulorum dolores, sciaticam, podagram, tumores schirrodes & œdematodes; tum etiam strumas extirpat. Succurrit ventriculi imbecillitati, inveterato capitis dolori, calculo, & vesicæ ulceribus. Hujus enim decocti usu plerique liberati sunt, cùm nullis antè medicamentis juvamen sensissent.

Lampatam. Radicis Chinæ descriptio.

CETERVM indigenæ hanc plantam *Lampatam* vocant. Trium aut quatuor palmorum altitudine assurgit, cauliculis tenuibus, quos rara folia cingunt, mali Assyrii junioris similitudine: radix palmi longitudine, interdum crassa, nonnumquam tenuis; quæ recens eruta, admodum tenella est, & cruda aut elixa mandi potest. Ego unicam dumtaxat plantam hîc in Goa vidi, eamq. perpusillam, quæ siccitate periit, antè quàm excrevisset. Si seretur ea radix, juxta arbores serendã esse perhibent, quoniam suo cõplexu hederæ modo eas scandit.

Mulieres ad ægros non admittendæ.

INTELLIGO illos qui hoc decocto utuntur, mulierum conspectu vehementer ad libidinem accendi. Quare consultum videtur, ut per curæ tempus nullæ ad ægros mulieres admittantur.

SED quia in Sinensium mentionem his commentariis plerumque incidimus, præsertim verò hoc capite, non alienum ab instituto erit, si ex his quæ de illis à fide dignis viris accepi, paucula hîc proferam.

Sinenses Scythæ sunt.

SVNT ergo Sinenses Asiatici Scythæ; qui licet gens Barbara esse æstimentur, in negotiatione tamen & manuariis operibus censentur admodum industrii. Sed neque in litterarum cognitione cuiquam regioni cedere æstimantur. Habent enim leges scriptas Iuri imperatorio simillimas, ut ex libro, quem eorum legibus inscriptum apud Indos asservari audio, videri potest. Vnam ex his legibus exempli gratiâ proferam, quæ est, Non esse integrum viro, mulierem, cum qua vivente marito adulterium commiserit, post mariti mortem, matrimonio sibi jungere.

Doctrinæ gradus apud Sinenses. Typographica apud Sinenses vetustissima.

INTELLIGO etiam apud eos doctrinæ gradus & præmia esse: Eruditis etiam viris, Regis totiusque regni moderationem committi. Sed & in eorum picturis, viros è suggestu legentes, & auditores circùm adstantes conspicere licet. Huc adde artem typographicam tam vetustam apud illos esse, ut omnem hominum memoriam superet, & semper usurpatam apud eos censeant.

** Hoc loco etiam noster Auctor vocabulo Canada utitur, cuius interpretationem cap. de Opio dedi. Cùm itaque radicis Chinæ unciam in quatuor aqua Canadis decoqui dicat; ob rationes eo capite adductas, quatuor Canadas in septem Sextarios verti, qui ad amussim respondent.*

çarça parilla.

Nunc per universam Europam radicis cuiusdam usus invaluit, quam Hispanico nomine (illi enim eius usum primi ex America in Europam invexerunt) çarça parilla vocant, quasi dicas Rubum viticulam. Cuius sanè magni sunt effectus, & Radici Chinæ suam laudem adimit, quæ non nisi cariosa & longâ vecturâ emarcida ad nos pervenire solet. Qui de çarça parilla plura requiret, Matthioli Epistolas, & eius in Dioscoridem commentarios legat.

De Croco Indico.

CAPVT XXXIX.

Alad. Manjale. Cunbet. Darzard. Habet.

APPELLATVR hæc radix in Canara *Alad:* sic etiam in Malavar, sed propriè *manjale:* in Malayo, *cunbet*: à Persis, *darzard*, quod lignum luteum sonat: ab Arabibus *habet.*

NASCITVR plurima in regionis Malavar parte, videlicet in Cananor, & Calecut. Provenit etiam hîc Goæ, sed exiguâ quantitate.

MAGNA ejus copia ad Arabes, Persas, & Turcos defertur; qui omnes apud se non nasci, sed ex India adferri fatentur.

Chaledsium. Chalidunium.

HVIVS Croci, quod indigenum duco, mentionem facere videtur Avicenna lib. II. capite 195.* & *Chaledsium* sive *Chalidunium* appellare. Sed cùm dubitanter hæc scribat, aliorumque auctoritates citet, tamquam de re non multum sibi perspecta, nihil affirmare possum. Fieri autem potest, ut corruptum sit vocabulum, vocataque sit hæc radix initio Arabibus *aled*, quemadmodum & Indis, postea verò corruptè *Chaledsium.* Vt autem hoc facilius credam, me impulit, quòd eum, caput de *carcuma* sive *carcumani* lib. II. cap. 162. (quod etiam huic radici simile est,) scripsisse videam. Solet enim Avicenna de simplici aliquo medicamento dubitans, diversa (uti diximus) scribere capita. Neque eorum auctoritas me movet, qui per Carcuma Chelidonium intelligi dicunt, quoniam croceâ sit radice, scribatque oculis perutile esse, quæ notæ etiam Chelidonio conveniunt. Nam tametsi vulgo hac ratione, croco scilicet indigeno, utantur ad tingendos condiendosque cibos, cùm hîc, tum apud Arabes & Persas, ob eam nimirum causam, quòd viliori ematur, quàm noster

Aled. Carcuma. Chelidonium. Croci Indici usus.

noſter crocus, qui apud eos etiam provenit: hujus tamen etiam in medicina uſus eſt, præſertim autem in ocularibus medicamentis: tùm etiam ad pſoram, ſi cum mali aureæ ſucco, & Cocci, ſive nucis Indicæ oleo miſceatur. Quibus affectibus Avicenna utroque illo capite *chaledſium* & *carcuma* utilia eſſe ſcribit.

Est autem hæc radix recens, intùs crocea, foris verò Gingiberi perſimilis, foliis Milii majoribus, cauleque foliaceo. Vehementi amaritudine & acrimoniâ, dum recens eſt, caret, ob multam humiditatem: ſiccata verò acris eſt, ſed non adeò ut Gingiber: putoque ſine noxâ poſſe ſumi. *Croci Indici hiſtoria.*

[a] *In noſtris exemplaribus Avicenna lib. II. cap. 195. Chelidonium utrumque haud dubiè deſcribit. Capite autem 162. de Chorcumani, ſive Chorchumma agit, cum hac interpretatione: Et eſt fex olei de Croco. Ceterùm de Officinarum Curcuma, quod Dioſcoridis Cyperum Indicum volunt recentiores, lege Matthioli, tum aliorum commentarios.*

De Galanga.

Cap. XL.

Est Galanga medicamentum uſibus humanis valdè neceſſarium, ſed veteribus Græcis ignotum, & Arabibus non ſatis perſpectum.


Dicitur autem *Caluegiam* Arabibus: & licet omnes Mauritani, ut Serapio lib. ſimpl. cap. 332. corruptè legit, *Culungem* aut *Galungem* ſcribant, fides eis adhibenda non eſt, quoniam omnes Arabes *Caluegiam* nuncupant. *Calvegiam. Culungem. Galungem.*

Est verò Galanga duplex. Altera minor, odorata, quæ ex Sinarum regione huc, inde in Luſitaniam defertur: eam incolæ *Lauandon* appellant. Altera major, quæ craſſior eſt priore, ignavior tamen & viribus infirmior. Naſcitur hæc in Iava, & incolis *Lancuaz* dicitur. Nos tamen hîc in India utramque *Lancuaz* appellamus. *Galanga duplex. Minor Galanga. Lauandon.*

Porrò minor duorum palmorum altitudine fruticat, foliis Myrti, radice nodoſa, ſponte naſcens. Major in Iava nata binûm ferè cubitorum altitudine attollitur, foliis mucronatis in modum cuſpidis lanceæ, radice craſſa, nodoſa arundinis modo: flore candido, ſeminifera eſt. Seritur tamen hæc major radice dumtaxat ut Gingiber, non ſemine; licet apud Auctores aliud reperias. Sed tamen & ex ſemine ſata hîc provenit in hortis, ſed exiguâ quantitate, quanta videlicet acetariis & hujus gentis uſui medico ſufficit. *Maior Galanga. Lancuaz. Galangæ hiſtoria. Galanga receus in acetariis.*

Avicenna & Serapio exactam hujus plantæ notitiam non habuerunt. Nam cùm ejus, ut diximus, duo ſint genera; & prior, Sinenſis ſcilicet, præferatur; dubitanter tamen de ea ſcripſerunt: hincque factum puto, ut Avicenna duo diverſa capita de ea ſcripſerit, alterum lib. II. cap. 314. ſub nomine *Calungiam*, alterum verò lib. II. cap. 192. ſub *Caſerhendar* nomine. Sed ſub quo nomine Sinenſis, cujus primarius eſt uſus, aut ſub quo Iavanenſis, quæ ignobilior eſt, deſcribatur, ignoro: quoniam utriuſque non niſi ſummâ cum dubitatione meminerunt.

Inter recentiores Medicos controverſia eſt de Galanga, Calamo, & Acoro. Volunt enim nonnulli, inter quos eſt Antonius Muſa Exam. ſimpl. ex Leoniceni teſtimonio, Galangam Acorum eſſe veterum. Alii, inter quos eſt Manardus lib. 6. epiſt. 3. & Matthiolus, Com. in Dioſc. lib. 1. cap. 2. Calamum officinarum, legitimum eſſe Acorum malunt. Sed capite de Calamo, neutrum ex his eſſe Acorum ſatis oſtendi.* Calamum tamen odoratum, ut eodem loco dixi, in Acori locum ſemper ſubſtituere ſoleo.


Galanga major.
Galanga minor.

Ceterum omnino explodenda eſt Monachorum diſt. 1. cap. 47. qui in Meſuen commentati ſunt, opinio (ut rectè Matthiolus) qui Galangam Schœnanthi radicem eſſe volunt. Nam inutilis eſt Schœnanthi radix: præterea Schœnanthus in Arabia & Caliate naſcitur: Galanga verò in Sina & Iava ſive Iaoa provinciis ab Arabia procul diſſitis provenit. *Monachorum inſcitia.*

* *Vide caput de Calamo, ubi noſtrum uſualem Calamum cùm noſtri Auctoris Calamo non convenire, ſed legitimi Acori radicem eſſe diximus. Galangæ porrò maioris & minoris radices, quales in Aromatariorum tabernis venales reperiuntur, in ſubiecta tabella exprimi curabamus.*

De Gingibere.

CAP. XLI.

Gengibil.

Adrac, Sucte, Imgi, Aliaa.

GINGIBER appellatur Arabibus, Persis, & Turcis *Gengibil*, non *Lengibel* (ut corruptè legunt Serapionis lib. simpl. cap. 336. exemplaria) in Guzarate, Decan, Bengala, cùm adhuc recens & viride est, *adrac*; siccatum verò, *sucte*: in Malavar, tam viride quàm siccum, *imgi*: in Malayo, *aliaa*.

Gingiberis historia.

EST autem Gingiber similibus Iridi aquaticæ, aut Gladiolo (non Arundini) foliis, magis tamen nigricantibus: caule cum foliis duorum aut trium palmorum altitudine, radice etiam Iridis, non serpente, ut voluit Ant. Musa exam. simp. At nec admodum acris est, præsertim ejus quod in Baçaim natum est, ob nimiam, quæ dominatur, humiditatem.

Gingiberis radix recens in acetariis.

HÆC radix minutim concisa, & aliis herbis admixta in acetariis editur cum aceto, oleo, & sale: at etiam cum piscibus & carnibus cocta.

Gingiberis delectus.

NASCITVR Gingiber in omnibus Indiæ* provinciis nobis cognitis, semine aut radice satum. Nam quod sponte provenit, exigui est momenti. Optimum & frequentissimum est Malavaricum, Arabibus & Persis maximè expetitum. Secundum locum obtinet quod in Bengala invenitur. Tertium quod in Dabul, & Baçaim, totâque eâ orâ maritimâ nascitur. In solitudinibus & mediterraneis vix crescit, neque inde ad nos adfertur. Invenitur etiam in insulis divi Laurentii & Comaro, quæ Æthiopiæ sunt conterminæ. Inde sumpserunt occasionem nonnulli, ut scriberent apud Troglodytas & Arabes nasci.

Troglodytæ.

Gingiberis messis.

COLLIGITVR & eruitur Decembri & Ianuario, deinde aliquantulum siccatum limo obducitur, non quo majoris sit ponderis, sed ut foraminibus obturatis, diutiùs sine corruptione in sua humiditate naturali conservetur. Nam non probè obductum, teredini obnoxium est.

GALENVS lib. 6. simpl. è Barbaria convehi scribit. Si per Barbariam Indiam intelligit, bene quidem; at si eam Africæ partem, quæ nunc Barbaria dicitur, malè.

Nullum Gingiber in Arabia.

DIOSCORIDES autem lib. 2. cap. 151. in Troglodytica Arabia nasci tradit. Nascitur quidem apud Troglodytas & Æthiopes, sed adeò exiguâ quantitate, ut ipsis incolis vix sufficiat. In Arabia verò non nascitur, quandoquidem ad Arabes exportatur. Illud autem verum est, quod primis eduliis admiscere scribit: idem enim adhuc hodie apud Indos observatur. Quod verò dicit hujus radices Cyperi modo parvas esse, fallitur: nam multo majores sunt Cypero. Alvum leniter emollit, concoctionem juvans. Alvum contrà, ut alii volunt, etiam adstringit, quoniam factâ probâ concoctione, sistuntur alvi profluvia à crudis humoribus nata.

Gingiberis vires.

SCRIBIT Musa Exam. simpl. saccharo conditum dum manditur, in fine veluti filamentum in ore relinquere. Sed, quemadmodum ipse ait, id dumtaxat in eo contingit, quod adulteratum aut teredinosum acri lixivio priùs maceratum, deinde saccharo conditur, ut maleficium non deprehendatur. Nam bene maturum, & plenum, non cariosum, multis aquis elotum, & per multos dies maceratum, deinde saccharo conditum, gratissimum est, nec ullâ vehementi acrimoniâ molestum, neque filamenta in ore relinquit. Tale fit in Bengala, quod laudatissimum est, deinde in Chaul, Baçaim, & Dabul. Improbatur, quod ex Batecala advehitur.

Gingiber improbum.

* *Meminit Zingiberis Lud. Roman. lib. 5. cap. 14. Producit, inquit, Calecut ager Zingiber, quæ radix est, eruitúrque nonnumquam pondo unciarum duodecim: sed non omnibus est eadem amplitudo. Plus non agitur in profundum radix, quàm ad ternos vel quaternos palmos harundinum modo. Cùm eruitur Zingiber, relinquunt internodium radicis in scrobe, terrámque radici aggerunt, ceu semen eius radicis, proximo anno eruturi fructum, id est, Zingiber. Maximilianus item Transil. de Moluccis insulis Gingiber hoc modo descripsit. Gingiber verò passim in singulis insulis huius Archipelagi nascitur: aliud seminatim, aliud spontè provenit; sed quod seminatur nobilius est. Herba similis illi quæ Crocum (Indicum intellige, sive Curcuma) fert, & eo modo eius radix ferè nascitur, quâ Gingiber est.*

De Zedoaria.

CAPVT XLII.

MAGNA est dubitatio de Medicamentis Zedoaria & Zerumbet; quoniam Avicenna lib. II. diversa duo capita de eis scripsit, videlicet 734. & 736. Rhases lib. 3. de re med. cap. 34. utrumque sub uno capite comprehendit. Serapio verò lib. simp. cap. 172. unicum caput de Zerumbet scripsit.

Ego

EGO diu in eâdem dubitatione versatus sum,& existimavi Zedoariam, quæ celebrior est, eam esse quæ nobis hîc Zerumba dicitur, & medicamentum est Persis expetitum, quod hinc Ormuz defertur, inde in Asiam minorem & Venetias. Zerumbet verò id esse quod nos hîc vocamus Crocum indigenum,cujus in Croco Indico mentionem feci. Postea tamen, errare me, deprehendi ex diversis, quibus prædita sunt, facultatibus Crocum Indicum & Zerumbet. *Zedoaria. Zerumba. Zerumbet. Crocum Indicum.*

QVOD nos hîc Zedoariam appellamus,Avicennæ lib.II.cap.734.(tametsi non noverit) *Geiduar* dicitur.aliud nomen ignoro, quia nascitur regionibus, Sinensium provinciæ vicinis. Magno verò emitur *Geiduar*; nec facilè invenias, nisi apud Circumforaneos quosdam & circulatores, quos Indi *jogues*, Mauritani *Calandares* appellant, hominum genus quod peregrinationibus & stipem emendicando vitam sustentat. Ab his enim & Reges & Magnates Geiduar emunt. *Geiduar rarum admodum. Jogues, Calandares.*

EST verò *Geiduar*[a] magnitudine glandis, ejusdemque ferè formæ, colore sublucido. Vnicum hujus Geiduar fragmentum,quod circiter dimidiam unciam pendebat, à Nizamoxa semel impetravi: sed id in Lusitaniam cum insigni lapide Armenio missum, unà cum navi periit. Ostenderam id priùs Pharmacopolis in Chaul & Goa: sed nemo illorum noverat quid esset. Aliud pauxillum apud istos circulatores vidi; sed non emi, quòd fraudem metuerem. *Geiduar historia.*

VTILE est autem istud Geiduar ad plurima, sed præsertim adversùs venena, & virulentorum animalium ictus, morsusque. *Geiduar facultates.*

PORRÒ hoc medicamentum Dioscoridi incognitum fuit, tum etiam Avicennæ, lib. II. cap.743. quoniam se existimare ait *Geiduar* esse: quod subolfecisse videtur Bellunensis, in Arabicorum nominum expositione. Zedoariæ verò vocabulum corruptum est; & *Geiduar* dicendum. *Geiduar veteribus ignotum.*

[a] *Incognitum Europa esse puto Geiduar hîc descriptum; & difficulter cognitum iri credendum est, ob eas rationes quas noster Auctor in medium profert. Nam quam Zedoariam vocamus, nihil minùs est quàm Geiduar; sed ex Zerumba forsitan erit generibus, quam sequenti capite noster Auctor describit. Tametsi non desint, veluti in Costo diximus, qui eam inter Costi genera Dioscoridi descripta referendam censeant.*

De Zerumbet.

CAP. XLIII.

ZERVMBET appellatur Arabibus, Persis, & Turcis *Zeruba*[a]: in Guzarate, Decan, & Canara,*cachoraa*: in Malavar *çua*. *Zeruba. Cachoraa. Çua.*

COPIOSE provenit in Malavar, Calecut videlicet & Cananor silvis spontè. Si autem pangatur aut seratur, plurimis etiam locis: inde à multis Gingiber silvestre appellatur, nec id sine ratione, quoniam ejus folia Gingiberis foliis similia sunt,longiora tamen & magis aperta: ejus item radix Gingibere major. *Gingiber silvestre.*

RADIX eruta, conciditur & siccatur; deinde in Ormuz, Arabiam, Persiamque defertur,tum in Gida & Alexandriam ; unde postea Venetias & alias regiones transfertur. Conditur etiam sacchairo, & Gingibere præstantior est.

NVNC eos Auctores, qui de hac scripserunt, percurramus.

AVICENNA lib.II.cap.734. Zedoariam radicem esse ait Aristolochiæ similem ; atque eam præferri, quæ ad radices Napelli gignitur : præstantissimum autem esse antidotum adversus venena, serpentum præsertim & Napelli. Capite verò 747. ait Zerumbet Cypero similem esse, minùs tamen odoriferam. Alio loco arborem esse vult similibus præditam facultatibus, quales Serapio Zedoariæ tribuit. *Zedoaria. Zerumbet.*

SERAPIO lib. simp.cap. 172. Zerumbet esse Zedoariam scribit: deinde ex auctoritate Isaac Zerumbet[b] radices rotundas esse instar Aristolochiæ, colore verò & sapore Gingiberi similes, easque è Sinarum regione convehi.

AVICENNA lib. II. cap.754. dumtaxat Zerumba aut Zerumbet novit. Sed quoniam eam vidit in frusta rotunda, interdum verò in oblonga concisam, ad sinum Persicum vehi, duo genera esse existimavit Zerumba & Zerumbet. Hac etiam de causa folia, quæ non viderat, prætermisit: sed dumtaxat quod ipsa radix ex India in alias regiones transferatur, ut zingiber expressit. Et certè etiam hodierno die diversum est pretium eius quæ in rotunda frusta resecta est, ab illius quæ in oblonga concisa est, ut minores Gingiberis radices vilioris æstimantur quàm prægrandes.

QVOD verò juxta Napellum nasci optimam scribit, planè fabulosum est ; quandoquidem Napellus vix hîc reperitur (non sunt enim hujus regionis silvæ procreando Napello aptæ) *Avicennæ opinio explosa.*

aptæ) & Zerumba plurima, ut diximus, naſcitur ſilvoſis Malavar locis: tum etiam aliis multis ſata provenit: nec quemquam (tametſi diligentiſſimè perquiſiverim) hanc radicem juxta Napellum vidiſſe intellexi. Præterea ex reliquis Avicennæ jam adductis locis manifeſtum eſt, quàm ſibi parum conſtet; ut facilè hinc judicari poſſit, eum Zurumbet hiſtoriam prorſus ignoraſſe.

SERAPIONIS autem legitimi codices non habent additam expoſitionem Zerumbet, id eſt, Zedoaria, ſed ab interprete inſertam veriſimile eſt, qui differentiam inter Zedoaria & Zerumba ignorabat. Id ex ſequentibus facilè deprehenditur, cùm ait, è Sinarum regione convehi. Certum enim eſt, Zedoariam non naſci apud Indos, ſed è Sinarum regione advehi, raramque apud Indos inveniri. Zerumba verò abunde in Indiâ naſcitur.

Geiduar apud Sinenſes. Zerũba apud Indos. Arnabo.

NON defuerunt, qui crediderint, Arnabo,[c] de quo Paulus lib. 7. cap. 3. ſcribit, idem eſſe cum Zerumbet. Verùm ex utriuſque hiſtoriâ, ſatis manifeſtum eſt, diverſas eſſe plantas. Siquidem Arnabo Pauli, arbor eſt procera, ſuavi odore fragrans: Zerumba verò graminea eſt planta, ut modò diximus.

Zerumbet Serapionis.



Ben album & rubrum. Carpeſium.

CETERVM minùs ſunt audiendi, qui aut Ben album & rubrum, aut Carpeſium eſſe volunt: quoniam hoc utrumque medicamentum huc non ſine quæſtu convehitur. Zerumba verò hinc in exteras regiones exportatur. Præterea longè diverſa eſt utriuſque facies à Zerumba.





[a] *Zeruba ſive Zerumba forſitan erit ea radix, quam capite de Coſto Venetiis adferri dixi, Zingiberi adeò ſimilem, ut nihil ſuprà; plerumque tamen maiorem, & intùs palleſcentem.*

[b] *Invenitur Antverpiæ apud quoſdam aromatarios Zedoariæ quoddam genus illis Bloczewal, id eſt, tuberoſa Zedoaria nuncupatum, rotundum inſtar Ariſtolochiæ rotundæ, foris nigricans, interdum cinerei coloris, intùs candicans, guſtu uſualis Zedoariæ. Eam radicem, quoniam multum cum Serapionis Zerumbet convenire videtur, hîc exprimi curavimus.*

[c] *Qui plura de horum opinione requiret, legat doctiſſimi Matthioli commentarios in Dioſcoridem, & aliorum recentiorum de re herbaria lucubrationes.*

De ligno Colubrino.

CAPVT XLIV.

Ligni colubrini facultates. Cholera morbus. Mordexi.

NON modò adverſus animalium virus ejaculantium morſus ictúsve efficax eſt hoc lignum, ſive potiùs radix; ſed etiam ejus pulvis lumbricos necare, papulas, exanthemata, & impetigines tollere creditur, & cholericam quam vocant paſſionem (incolæ *Mordexi* dicunt) ſanare. Similiter utile eſſe medicamentum ferunt adverſus febrium circuitus, unciæ pondere propinatum, priùs tamen tritum, & aquâ maceratum, per vomitus expurgatâ multâ bile.

HANC verò radicem Serpentium morſibus prodeſſe, hoc modo deprehenſum eſt.

Regulus ſerpens. Cobras de capelo. Quil, Quirpele. Reguli & Quil pugna.

IN Zeilan inſula, Serpentis genus eſt coronatum, ſeu diademate inſignitum,[a] (Luſitani *Cobras de Capelo*, nos Regulum dicere poſſumus) maximè noxium. Eſt item animalis genus magnitudine viverræ huic ſerpenti inimiciſſimum, *Quil*, vel *Quirpele* vocant. Quotieſcumque cum ſerpente congreſſurum eſt hoc animalculum, iſtam radicem (quæ multa iſtic naſcitur) eâ parte præmordet quâ denudata eſt: etenim pars aliqua extra ſolum prominet. Præmorſâ radice, pedibus anterioribus ſalivâ conſperſis, caput primùm, deinde reliquum corpus ſibi demulcet: poſtea ſerpentem aggreditur, nec eum dimittit, donec occiderit. Quòd ſi illo congreſſu ſerpentem vincere non poteſt, denuò ad radicem confugit, ad quam ſe fricat, deinde in prœlium redit, atque ita morſu ſerpentem necat. Hoc ſpectaculo edocti Chingalæ (ii ſunt Zeilan incolæ) iſtam radicem venenis reſiſtere cognoverunt.

Chingalæ.

Iogues.

HVIVSMODI pugnarum ſpectatores plerique fuerunt Luſitani. Nam ſolent domi alere ſimilia animalcula tum ad mures extirpandos, quos acerrimè perſequuntur, tum ut cum ſerpentibus regulis prælientur, quos circumferre ſolent Circumforanei quidam, *Iogues* appellant, ſtipem emendicantes, & cineribus ſe aſpergentes, ut hac ratione venerandos ſeſe ſanctimoniæ titulo vulgo præbeant. Circumeunt iſti omnes regiones, & nonnulli ex iis Circulatorum munere funguntur, geſtantque ſerpentes regulos, quos demulcere ſolent, & collo aptare (priùs tamen exeptis dentibus) vulgo perſuadentes eos ſe incantaſſe, ne nocere

possint. Interdum verò serpentes, quos etiam habent integros, quibusque non sunt exempti dentes, accepto præmio, cum iis quas dixi, viverris, sive alio simili animalculo, committere solent.

TRIA sunt hujus ligni genera in insulâ Zeilan.

PRIMVM & laudatissimum illud est à quo subsidium quærit viverra, vocaturque ab incolis *Rametul*, Lusitanis *Pao da cobra*, id est, Lignum Colubrinum, quòd serpentum morsibus sit salutare. *Tria ligni Colubrini genera.* Duorum aut trium palmorum magnitudine assurgit, paucis virgulis, quatuor aut quinque dumtaxat tenuibus: radix quæ maximè in usum venit, veluti tenuiorum *Rametul descriptio.* nostrarum vitium radices, multis capitibus aut nodis se propagans, ita ut semper radix aliqua extra solum se exerat, & radice unâ exemptâ, aliæ in ejus locum succedant. Radix hæc ex candido cinerea est, solida admodum, amaro gustu: folia Persicæ mali, magis tamen virentia: flos longè à foliis racematim cohæret, pulcherrimo colore rubens. Fructus sambuci, sed rubens & durus, racematim cohærens, veluti in Periclymeno. Teritur primùm hæc radix, & ex vino aut aquâ cordiali propinatur à serpente percussis: teritur etiam ad cotem Santali modo, & vulneribus inspergitur. Hanc multis aliis regionibus, & in Goæ continenti nasci tradunt.

SECVNDVM genus veluti primum adversus venena commendatur, eodemque modo quo superius usurpatur. *Alterius generis descriptio.* Arbor est (cùm sola provenit nullis vicinis arboribus) Malo punicæ similis, spinis brevibus & firmis horrida, cortice candido, denso, rimoso, & solido, & amaro, non tamen veluti prioris cortex: foliis est luteis, aspectu pulcherrimis. Hanc autem, si juxta aliam quampiam arborem proveniat, per summos ejus ramos serpere, atque Cucurbitæ modo amplecti ferunt. Solent ipsum lignum cum radice & cortice permixtum exhibere. Præfertur tamen radix. Hoc etiam in insula Goa nasci ferunt: sed numquam id videre mihi contigit.

CVM Prorex in Iafanapatan insulâ, Zeilan conterminâ, esset; dono dati sunt illi aliquot fasciculi ligni cum suis radicibus, quæ tenues erant, duræ, nigræ, & odoratæ. *Tertium genus.* Eam radicem mirificè prædicabant, & adversus venena pollere aiebant. Similem in continenti Goæ nasci ferunt. *Eius descriptio.* Ramos habet paucos, tenues, quatuor aut quinque cubitorum longitudine, qui, nisi alligati, sustentare se nequeant, sed per solum sese diffundant: folia rara, Lentiscinorum effigie, oblonga, non viridia, sed maculosa, sive nigricantibus ex candido maculis respersa.


RADICEM quandam in Malaca inveniri rumor est, quæ adversus vulnera sagittis toxico illitis facta præsentaneum sint remedium.

[a] *Meminit etiam huius generis serpentum Ferdinandus Lopez lib. I. Historiæ Indicæ, & valdè perniciosum esse asserit, solereque incolas, navali prœlio cum hostibus congressuros, interdum fictilibus includere, quæ, dum prœlium fervet, in hostium naves coniiciant, eo stratagemate quandoque victoriam reportantes. Hoc genus serpentis* Murchat *ab indigenis appellari dicit Odoardus Barbosa, & aliud illo adhuc nocentius* Mandali.

Primi generis fragmentum, trium digitorum transversorum longitudine anno salutis M.D.LXIV. *ostendit mihi Salmanticæ ornatissimus vir Augustinus Vasæus, dono olim è Lusitania missum D. Ioanni Vasæo viro doctissimo, eius parenti, cum vasculo è Cocco de Maldiva confecto, lapide Bezar insigni, & vasculis testudineis: quæ omnia mirificè adversari venenis creduntur.*

Secundi autem generis (nisi fallor) fragmentum quinque unciarum longitudinis, quodque, ut coniicere licebat, duarum unciarum crassitudinem æquârat, mihi non modò ostendebat Londini anno M.D.XXCI. *C. V. D. Hector Nunez Medicus Lusitanus, sed etiam dimidiâ eius parte liberaliter donabat. Eius porrò materies firma erat, candida, venis quibusdam distincta, non dissimilis fraxini ligno; cortex autem, qui eam integebat, candicans, & quasi cinereus. Vtraque verò degustata, amaro sapore prædita esse deprehendebantur. Eius, quale accipiebam, fragmenti iconem lectoris oculis subiecimus.*

LIGNVM COLVBRINVM.



De

De Lapide Bezar.

CAPVT XLV.

Bezardica medicamenta.

A LAPIDE Bezar nomen invenerunt medicamenta venenis resistentia, quæ per excellentiam Bezardica dicuntur. Est enim hic lapis eximiæ adversus venena facultatis: nasciturque hoc modo.

Lapidis Bezar historia.

EST in Corasone & Persiâ Hirci quoddam genus; quod *Pazam* linguâ Persicâ vocant, rufi aut alterius coloris (ego rufum & prægrandem Goæ vidi) mediocri altitudine, in cujus ventriculo fit hic lapis Bezar, circum tenuissimam quandam paleam semper augescens, & veluti multis è tunicis contextus; columellæ aut glandis plerumque, interdum aliâ & aliâ formâ, lævis magnâ ex parte, colore veluti ex viridi nigricante. Inveniuntur exigui, & magni. Magni, qui rariores sunt, ab earum regionum illustribus viris expetuntur: quo enim majores sunt, eo valentioris esse facultatis sibi persuadent. Memini unum habuisse, qui ferè quinque drachmas penderet. Is in Lusitaniam delatus, vix sexaginta quatuor Lusitanicis aureis [*ii Hungaricis æquipollent*] vênit, cùm tamen aliquanto pluris hîc emptus fuisset.

HVNC verò lapidem eâ ratione generari quam modò retulimus, tum his oculis observavi (lapidem enim contritum hujusmodi tenuem paleam in meditullio continere inveni) tum à viris fide dignis accepi, omnes in Persia natos simili modo circum paleolam * efformatos inveniri.

Lapis Bezar multis locis invenitur.

CETERVM non solùm generatur hic lapis in Persia, sed etiam nonnullis Malacæ locis, & in insula quæ à Vaccis nomen sumpsit, haud procul à promontorio Comorim. Nam cùm in exercitus annonam mactarentur istîc multi prægrandes hirci, in eorum ventriculis magnâ ex parte hi lapides reperti sunt. Hinc factum est, ut quotquot ab eo tempore in hanc insulam appellunt, hircos obtruncent, lapidesque ex iis tollant.

Lapis Bezar Persicus reliquos antecellit.
Delectus ratio.

VERVM nulli Persicis bonitate comparari possunt. Dextri autem adeò sunt Mauritani, ut facilè, quâ in regione nati sint singuli lapides, discernere & dijudicare possint. Vt verò adulterinos à legitimis dignoscant, manibus comprimunt, deinde spiritu inflant. Nam si aër aliquis permeat, adulterini indicium est.

Pazar, Pazan.
Bazar.

VOCATVR autem hic lapis *Pazar*, à *Pazan*, id est, hirco, cum Arabibus, tum Persis & Corasone incolis: nos corrupto nomine *Bezar*, atque Indi magis corruptè *Bazar* appellant, quasi dicas lapidem forensem: nam *Bazar* eorum linguâ forum est.

Lapidis Bezar facultates.

ILLO utuntur Indi, nos secuti, adversus deleteriæ facultatis medicamenta. Ormuz verò & Corasone incolæ non modò adversus virulentorum animalium morsus usurpant, sed etiam adversus omnes melancholicos morbos. Opulentiores bis se purgant singulis annis, Martio videlicet & Septembri. A purgatione, quinque subsequentibus diebus continuis hauriunt in singulas doses, decem hujus lapidis grana macerata in stillatitio rosarum liquore. Hoc remedio juventam & membrorum robur sibi conservari dicunt. Solent interdum nonnulli ad triginta usque grana sumere, nimis sanè magnâ quantitate. Nam tametsi nullas noxias facultates in se contineat hic lapis; tutior tamen est ejus exigua quantitas. Atque etiam parvâ quantitate exhibere solent in Ormuz: nec sine periculo liberalius sumi dicunt.

EO utor in inveteratis morbis melancholicis, veluti in malâ scabie, leprâ, pruriginibus, impetiginibusque. Hac etiam ratione quartanis convenire posse arbitror. Viros sanè planè deploratos, atque à medicis derelictos, hujus lapidis usu, pristinæ sanitati restitutos fuisse intelligo.

QVOD scribit Matthiolus, lib. 5. cap. 73. Comment. in Diosc. adalligatum, ita ut nudam sinistri lateris carnem contingat, omnia venena superare, experiri nunquam vidi, nec hîc simili modo utuntur. Illud autem verum scimus, quòd ejus pulvis vulneri impositus, à mortiferis animalibus ictos liberet. Iisdem viribus pollet, apertis carbunculis in peste impositus: etenim venenum exugit.

Boam Plinius vocat rubentes papulas, lib. 24. cap. 8. & lib. 26. cap. 11.

QVONIAM verò exanthemata sive pustulæ, & herpetes, in hac regione admodum noxia sunt, & subinde ægros necant, solemus ægris per singulos dies pulverem lapidis Bezar ex aqua rosacea propinare ad unum aut alterum granum, magno cum successu.

COEPIT autem successu temporis hic Lapis majori in pretio haberi. Nam necesse est nunc omnes ad ejus regionis, in quâ generantur, Regem perferri: nec sine difficultate inde haberi possunt.

Invenitur interdum Vlysipone venalis hic lapis aliâ atque aliâ formâ; quem licet magno admodùm æstiment mercatores, eâ tamen conditione vendere nolunt, ut periculum, an legitimus sit, faciat emptor. Id autem fit in hunc modum: Ducitur cum acu filum per toxicum (herba balestera vocant) deinde per canis aut alterius animalculi pedem trans-

transmittitur acus, atque filum relinquitur in vulnere. Canis ilicò ea symptomata incipit habere quæ comitari solent eos qui toxicum biberunt. Cùm planè concidit canis, atque desperatus videtur, tum pulverem ab hoc lapide abrasum & aquâ dilutum cani in os iniiciunt. si auxilium senserit canis, legitimi probatio est: sin minùs, adulterinum censent.

* Meminit etiam huius lapidis clarissimus Medicus Hispalensis Nicolaus de Monardis, in eo libello quem de eo & Scurzonera peculiarem fecit; sed legitimos & minimè adulteratos in meditullio concavos esse vult. Monardus.

Lapis, inquit, Bezaar multis nominibus donatur: nam Arabibus Hager, Persis Bozaar, Indis Bezar, Hebræis Belzaar, dicitur, quasi Dominus veneni, à Bel Dominus, & Zaar venenum. Hager. Bezaar.


Est verò eius forma varia: nam alii rotundi sunt, alii oblongi dactylorum ossiculis similes, alii palumbi ovis, alii capreolorum renibus, alii castaneas æmulantur; omnes tamen obtusi, non in cuspidem desinentes: nec minùs colore variant, siquidem nunc spadicei coloris, nunc melini, magnâ verò ex parte ex viridi nigrescentis, ut mala insana conspiciuntur; plurimi etiam cinerei obscurioris, ut qui in felibus Civettam egerentibus est. Bezar. Belzaar.

Constant autem singuli ex laminulis miro artificio alia aliam, ut ceparum tunicæ, amplectentibus, splendentibúsque quasi polità essent: immò priore laminâ demptâ, subsequens multo splendidior invenitur, quod legitimi est indicium: suntq; hæ laminæ aliæ aliis densiores, pro lapidum magnitudine. Lævis est & blandus, ut facilè alabastri modo abradi possit: immò diutiùs in aquâ hærens liquescit. Nullum cor aut matricem habet, sed in meditullio cavus est, & pulveris eiusdem cum lapide substantiæ plenus, qui maximè commendatur, atque etiam ipsi lapidi præfertur: sed is pulvis legitimi etiam indicium est: etenim qui adulterati sunt, neque laminas splendentes habent, neque pulverem illum in meditullio continent, sed granulum aliquod aut semen, supra quod Indi illum efformârunt.

Porrò eximitur hic lapis ex animali cervi ferè magnitudine & agilitate, sed cornibus in dorsum reflexis, & corporis formâ, capreis ferè simili; quam ob causam ab incolis Capra montana vocatur, tametsi meo iudicio Cervi-capra potiùs dici debeat. Invenitur verò hoc animal in India supra Gangem, montibus Chinarum regioni finitimis, pilo brevi, & colore ut plurimum cinereo & rufo.

CETERVM mihi persuadeo, non futurum ingratum, si huic scholio, eius animalis, in cuius ventriculo celebratus ille lapis Bezar in Orientali India generatur, cornu & ungulæ icones adiicerem, expressas quidem, curante Iacobo Gareto, aromatario Londinensi, viro humanissimo mihique amicissimo, qui eas ad me Francofurtum usque mittebat, permittente verò Generoso viro Waltero Raulæo, cui obtigerant in parte prædæ earum rerum, quæ in prætoriâ illâ navi ex Orientali India revertente, & à naucleris Anglis occupatâ, advehebantur.

CORNV & VNGVLA animalis in quo lapis Bezaar generatur.



Erat verò illud cornu (cuius longitudinem non significabat) nigri coloris, incurvum, infernâ & crassiore parte, quâ capiti adhæserat, cavum (quâ notâ, singulis annis non decidere, coniecturam faciebam) foris inæquale & multis tuberculis obsitum, instar ferè cornu cervini, supernâ parte lævius, & in obtusum mucronem desinens. Cornu.

Vngula autem nigra etiam erat, & brevi fissurâ discreta, pilisque magnâ ex parte tecta; sed cuius coloris, non erat additum. Vngula.

De Lapide Malacensi.

CAPVT XLVI.

CETERVM Lapis Bezar alium lapidem mihi in memoriam revocavit, quem unicè venenis resistentem in Malaca inveniri tradunt: saltem in Pam Regni Malacensis provinciâ. Invenitur autem istic in felle Histricis: sed tantâ est in æstimatione apud ipsos indigenas ob raritatem, ut è duobus, qui simul reperti meo tempore fuerunt, alter pro ingenti munere missus sit ei qui pro Rege Lusitaniæ Indiam gubernat. Et licet istic frequens lapis Bezar inveniatur, hunc tamen longè præferunt incolæ. Vnum dumtaxat vidisse memini, cujus color dilutioris videbatur purpuræ, gustu amaro, tangenti lævis & lubricus, quemadmodum Gallicus sapo. Lapis Malacensis. Lapidis Malacensis descriptio.

Lap. Malac. facultates.

HACTENVS ejus facultates experiri mihi non licuit. Sed clarissimus vir & insignis Medicus Dimas Bosque Valentinus illas experimento comprobasse in duobus viris, qui venenum hauserant, mihi affirmavit. Vulgari autem aquâ (cùm cordialis deesset, & periculum esset in morâ) hunc lapidem aliquamdiu maceravit: quam deinde ægris propinavit, qui illam gustu amaram invenerunt; attamen eorum stomachus roboratus est, & venenum nihil obfuit.

MVLTVM certè huic viro debent omnes Indici medici, quòd hujus lapidis facultates nobis aperuerit. Nam necessaria admodum sunt hac in regione medicamenta, quæ venenis resistunt, Alexipharmaca Græci appellant.

* *Anno à Christo nato sexcentesimo tertio supra millesimum, ostendebatur mihi lapillus planus, unguis humani digiti magnitudinem non superans, lævis, coloris ex cineraceo candicantis. sed parvis quibusdam rubiginosis maculis aspersi, quem valdè commendabant adversus venena, imò etiam lapidi Bezahari præferebant. Illum ex Orientali Indiâ recenter allatum ferebant, &* Mastica de Soho, *appellari dicebant, Lapidem porcinum interpretantes: ex quibus notis conjecturam faciebam, Malacensem lapidem à nostro Auctore commemoratum esse posse, quem in Histricis felle reperiri scribit: certè glaber & lubricus erat Gallici saponis instar.*

* *Ferdinandus Lopez, lib. 1. Historiæ Indicæ, meminit lapidis cuiusdam, quem non minore facultate præditum esse asserit, quàm sit lapis Bezar, aut Malacensis, quippe qui mirificè omnibus venenis resistat. Est verò is lapis magnitudine avellanæ, raris admodum, ut qui è capite animalis quod Indi* Bulgoldalf *appellant, eximatur.*

DE GEMMIS.

ABSOLVTA *Aromatum historia, non inutile fore duxi, si nonnulla de Gemmis subiicerem, præsertim cùm in lapidum mentionem iam inciderimus. Initium igitur faciemus ab Adamante, qui reliquas omnes excellere, & quodammodo rex Gemmarum esse, ob substantiæ duritiem, creditur. Nam omnium Gemmariorum iudicio, si omnibus quæ requiruntur suis dotibus, nativóque colore ac æquali magnitudine præditæ sint hæ tres gemmæ, primarium locum obtinebit Smaragdus, deinde Carbunculus, tertium Adamas.*

S ED *Gemmarum pretium, aut ex earum raritate, aut ex hominum affectibus & cupiditate, intenditur. Maioribus enim facultatibus, iisq; longo experimento comprobatis, præditus est Magnes, tum etiam lapis qui sanguinem undecumque fluentem sistit. Venduntur tamen hi per manus,*

Manus. *(ponderis genus est in Cambaya, unde petuntur, quod viginti sex* libras*

Ratis. *pendit) Smaragdi verò per ratis (pondus est tria tritici grana pendens)*

Carate. *reliquæ gemmæ, in Europâ quidem per Carates (pondus quatuor gra-*

Mangelis. *na constituens) in India verò per Mangelis, pondus quinque pendens grana.*

* *Suprà capite de* Turbith, *manus illi est auctior unâ librâ: siquidem viginti septem libras pendit.*

De Adamante.

CAPVT XLVII.

Almaz.

ARABES, quos plerique omnes Mauritani secuti sunt, Adamantem appellant *Almaz*, tametsi Serapio lib. simpl cap. 391. alio vocet nomine. Ab indigenis, ubi

Iraa, Itam.

nascitur, *iraa:* in Malaio, ubi etiam invenitur, *itam.*

Adamas in Bisnager.

**hoc est, 150 grana, vel drachmas duas, grana sex.*

CETERVM tribus aut quatuor locis inveniuntur Adamantes; videlicet in Bisnager provinciâ, duabus vel tribus rupibus. Magnum quæstum adferunt hæ fodinæ illius provinciæ Regi, magnaque sunt ejus jura. Nam quemadmodum in Hispaniis Rex in Thynnorum capturâ sua habet jura, ita ut si unicus Thynnus capiatur, Regi cedat oportet: sic in his fodinis magni sunt Regis reditus. Nam quotquot Adamantes inveniuntur triginta * Mangelis excedentes, Regi cedunt. Præterea diligentissimè observantur operæ: nam si

quis

quis unicum Adamantem sustulisse deprehendatur, ilicò ipse cum omnibus facultatibus Regis fisco addicitur.

ALIA est rupes in Decan, non procul à ditione Imadixa, quem nos Madre-Maluco nuncupamus. Alia quædam rupes est in dominio cujusdam Reguli indigenæ, in qua præstantissimi Adamantes inveniuntur, sed minores. Isti à vulgo de Rupe veteri cognomen sortiuntur: & venum exportantur in urbem quandam regionis Decan, Lispor nuncupatam, ubi celebris est mercatus. Istic emptos Guzaratenses huc nobis adferunt emendos. Sed etiam in Bisnager deferunt, magnitudine pretii eos invitante. Nam magno apud illos habentur in pretio Adamantes de Rupe veteri cognominati, præsertim quos natura ipsa elaboravit. *Naifes* ab incolis appellantur. Nam quemadmodum, inquiunt, virgo præferenda est jam corruptæ mulieri: sic etiam Adamas à natura elaboratus, præferendus est ei quem hominum industria expolivit: contrà sentientibus Lusitanis, qui industriâ hominum expolitos longè pluris æstimare solent.

Adamas in Decan. *Adamas de rupe veteri.* *Lispor emporium.* *Naifes.*

ALIA est rupes ad fretum Tanjam in Malacæ tractu, quæ etiam de Rupe veteri cognominatos profert. Exigui quidem sunt, sed laudati: unum tamen habent vitium, quòd ponderosi sint, quo nomine gratiores sunt venditoribus quàm emptoribus.

Adamas in Tanjam.

NULLO autem ex prædictis loco Crystallus invenitur, quemadmodum nec per universam Indiam. Amat enim Crystallus loca frigida, qualia sunt Alpes Germaniam ab Italia separantes.

Nulla Crystallus in India.

NON negaverim in India Beryllum inveniri, qui Crystallo similis est, & quidem magnis fragmentis, ex quibus & vitra & vasa fabricari solent pretiosa. Sed in Bisnager non invenitur, nisi locis procul ab Adamantum fodinis dissitis. Plurimus autem est Beryllus in Cambaya, Martavan, & Pegu regionibus, ubi nullus Adamas, nisi qui importatus fuerit. Invenitur & in Zeilan insulâ, ubi nullus Adamas.

Beryllus Crystallo similis. *Berylli natales.*

REFERT Plin. lib. XXXVII. cap. IV. & in Arabia nasci. Verùm id nec videre, nec audire mihi licuit: quemadmodum nec in Cypro, nec in Macedonia. Nam si istic nascerentur Adamantes, ii qui hîc nascuntur adeò non expeterentur à Turcis, qui potissimam Adamantum partem ad suos evehunt.

SCRIBIT Franciscus de Tamara, in Peru Adamantes reperiri. Sed huic auctori exiguam fidem adhibeo, quòd videam in Indicorum Adamantum extractione tam ineptas commentum esse fabulas: veluti quòd pervigiles sint serpentes, quæ Adamantes tuentur: eosque non posse inde auferri nisi priùs objectis carnibus certâ quadam ratione præparatis, quibus vorandis dum serpentes[a] occupantur, tutò interea Adamantes auferri possunt.

Franciscus de Tamara.

NON desunt qui in Hispaniis inveniri putent: quorum opinioni subscribere non possum, quoniam nullis probatæ auctoritatis scriptoribus fulciatur.

Adamas nullus in Hispania.

REFERT etiam Plin. loco jam citato, haud facilè inveniri Adamantem Avellanæ nucleo majorem. In quo sanè non est reprehendendus: nam sibi comperta scribit. Sed inveniuntur hîc interdum majores quatuor Avellanis. Maximus tamen quem vidi, centum quadraginta mangelis[b] pendebat. Proximus huic centum & viginti pendebat. Intellexi apud quendam negotiatorem esse unum, qui ducentos quinquaginta mangelis pondere æquet, tametsi is strenuè neget talem apud se esse. Accepi item à viro fide digno, qui affirmaret se Adamantem vidisse in Bisnager magnitudine exigui ovi gallinacei.

Magnus Adamas.

SED miraculi instar id mihi videtur, hujusmodi gemmas, quæ altissimè in terræ visceribus, multisque annis perfici debebant, in summo ferè solo generari, & duorum aut trium annorum spatio perfici. Nam si in ipsa fodina hoc anno ad cubiti altitudinem fodias, Adamantes reperies. Post biennium, rursus illîc excavato, ibidem invenies Adamantes. Sed certum est grandes non nisi sub infimâ rupe nasci.

Adamantum mira generatio.

EST verò Adamantis nitor vivax & robustus, Crystalli verò non nisi elanguidus: quâ notâ, tum etiam duritie, à Gemmariis dignoscitur.

CETERUM tantum abest ut mallei ictum respuat Adamas, ut etiam in scobem malleolo redigatur. Facillimè verò pistillo ferreo in mortario confringi & atteri solet, ut ejus scobe alii Adamantes expoliantur.

Adamas mallei ictu frangitur.

FALSO igitur creditum est à Veteribus, Adamantem Crystallo innasci, & mallei ictu non frangi, sed hircino dumtaxat sanguine maceratum rumpi: præsertim si (ex quorundam sententiâ) hircus priùs apium aliasque diureticas plantas depascatur, vinumque bibat. Sed nec Magnetem impedit quin ferrum trahat. Nam sæpiùs id experiri volui, sed figmentum esse deprehendi. quemadmodum & illud, quod de Adamante capiti mulieris ipsâ insciâ supposito ferunt: videlicet in amplexus viri dormientem ruere, si fidelis sit: sin labes ejus pudicitiei sit illata, maritum aversari.

Adamas Crystallo non innascitur. *Adamas magnetem non impedit.*

FABULOSUM etiam est, quòd Adamantis aciem plumbo obtundi putant, propter argenti

Plumbû Adamãtis aciem non obtundit.

argenti vivi cum plumbo commixtionem. Nam quemadmodum & ferrum vincit & reliqua metalla; sic etiam plumbum eâdem facilitate penetrat, quâ napum.

ILLVD verò sæpiùs expertus sum, Adamantes exquisitos, mutuo attritu sic glutinari, ut facilè separari non possint. Sic etiam Adamantem vidi, ubi incaluisset, festucas trahere non secus ac electrum.

Adamas nullius in medicina usus. *Adamas deleteriæ facultatis non est.*

NVLLIVS autem est in medicinâ usus; tametsi invenerim medicos indigenas, qui eum per syringam in vesicam iniiciebanr ad confringendum calculum. Per os verò ampliùs non exhibent, quoniam erronea quædam persuasio in vulgus pervasit, deleteriæ facultatis esse, si intrò sumatur Adamas, ob suam tenuitatem & penetrandi vim, quâ intestina perforaret scilicet: cujus opinionis etiam video esse aliquot è recentioribus medicis..

SED, ut dixi, vana est persuasio. Nam Æthiopes Gemmariorum servos novi, qui Adamantes deglutierint; quos cùm requirerent domini, tandem verberibus egregiè cæsi, se deglutivisse fassi sunt: eosque deinde cum recrementis ejecerunt, sine aliquo nocumento. Id ego testari possum.

Adamantis scobes deleteriæ facultatis non est.

AT in scobem tritus, inquies, venenum est, quia & stomachum & intestina perforat. Immò nequaquam scobem attrahet ad se stomachus, quæ sua gravitate celeriter ad inferiora descendet. Et mulierem quandam scio, quæ marito antiquâ dysenteriâ laboranti, Adamantis scobem per multos dies propinavit sine ulla noxa, donec medicamento toties reiterato lassus abstinuit, præsertim cùm ejus uxor à medicis intellexisset frustrà se laborare: non posse enim maritum hoc morbo liberari. Is igitur multo pòst tempore sublatus est, cùm scobe uti multis jam diebus desiisset.

[a] *Similem ferè nec minùs absurdam perquirendi Adamantes rationem describit M. Paul. Venetus lib. 3. cap. 29.*

[b] 140 *Mangelis, id est, septingenta grana, sive unciam unam, drachmam unam, scriptula duo, grana quatuor. Nam Mangelis, ut antè dixit noster Auctor, quinque grana pendit, & septuaginta duobus granis dragma constat.*

Maiorem verò Adamantem in Belgio conspectum haud puto, quàm quem Philippus Hispaniarum Rex, ducturus Elizabetham Henrici II. Galliarum regis maiorem natu filiam, emit de Carolo Affetati Antverpiæ, anno M. D. LIX. *octogies millenis coronatis: pendebat autem caratos septem & quadraginta cum semisse, hoc est, 190. grana.*

Adamas Anglicus.

Tribus supra Bristolium milliaribus, Ducatu Somersetensi, ad Sabrinam flumen, solo rubro & tenaci eruitur Adamantis genus naturâ expolitum, formâ nunc planâ, nunc trigonâ pentagonâve aut polygonâ. Horum aliquot nobis dono dedit generosus Eques Dn. Georgius Northum. cuius in ditione eruuntur. Sunt verò ii paulo obscuriores, & matrice suâ velut ovo concluduntur tenaci & durâ, nunc innumeri, iiq; exigui & plerumque informes; nunc pauci, sed maiores & elaborati: interdum matrici adhærentes, nonnunquam soluti, & in matrice (si moveatur) crepitantes, ut Aëtitem lapidem censeas. Si artificum industriâ perpoliantur, orientales ita æmulantur, ut exiguum discrimen sit; sed duritie ab orientalibus superantur.

De Smaragdo.

CAPVT XLVIII.

RARIOR & pretiosior est Smaragdus, ejusque locus natalis vix agnoscitur; nullis remanentibus fragmentis, sed propter raritatem, etiam ea auferentibus negotiatoribus.

Pachee, Zamarrut, Zabarget. Tabarget.

PORRÒ Smaragdus appellatur Persis & Indis *Pachee*, Arabibus verò *Zamarrut*, non *Zabarget*, ut vulgatus Serapionis lib. simpl. cap. 384. codex, aut *Tabarget*, ut Pandectarius in litteris T & Z. vult. Nam corruptus est ille locus cap. de Smaragdo: & *Zamarrut* legendū est.

Smaragdus adulterinus.

VVLGARE autem est in Balagate & Bisnager, ut fictitias Smaragdos ex vitrearum lagenarum crassioribus fragmentis conflent.

SED & Smaragdi quæ ex Peru novi orbis provinciâ advehuntur, adulterationis suspicione non carent.

Feruzegi. *Peruzegi.*

CETERVM plurimum hallucinantur, qui in Electuario de Gemmis Smaragdum præscribi putant, existimantes per *Feruzegi* Smaragdum intelligendam: ignorant enim illi linguæ Arabicæ proprietatem, & ipsius Mesuæ mentem non intelligunt. Præterea Mesuæ codex Arabicus legit *Peruzegi* de Elect. dist. 1. Et quoniam magna est, ut aliquando diximus, apud Arabes inter P & F literas cognatio, facilis fuit lapsus Librarii, ut F pro P reponeret.

Peruzaa, est Turchesa.

EST verò *Peruzaa** Arabibus Turchesa nostra, quæ plurima totâ Persiâ nascitur. Non fuit igitur Mesuæ mens ut Smaragdus illam compositionem ingrederetur, tametsi contrà sentiat Christophorus de Honestis, ejus interpres: sed Turchesam voluit, quam omnibus Arabum compositionibus iniici oportet, quæ habent Feruzegi. Nam apud Mauritanos illius est in medicinâ usus, sed apud Indos minimè.

* *Idem suboluisse videtur Bellunensis in eâdem compositione Electuarii de Gemmis.*

De Rubino.

CAPUT XLIX.

MVLTA sunt Rubinorum genera. Nobilior Græcis ἀνθραξ, Latinis Carbunculus vocatur: non quòd in tenebris splendeat (fabulosa est enim ista persuasio) sed quòd ejus nitor vivacior sit ceteris. Dicam tamen quod à Gemmario quodam audiui. Emerat ille aliquot nobiliores Rubinos ex Zeilan insulâ delatos, sed minutiores, quales ii sunt quos vulgo Rubinos de Corja vocamus, id est, qui viceni simul emuntur. Hos cùm è mensa sustulisset, latuit unus in plicis straguli quo mensa strata erat. Noctu in tenebris animadvertit quasi ignis scintillam quandam in mensâ. Accedit ad mensam, accensâ priùs candelâ; invenit exiguum Rubinum; quo sublato, nullam postea in mensâ scintillam vidit. Non me latet, negotiatores plerumque hujusmodi fabulas suis dictis admiscere solere; sed penes eos fides esto. *Ἄνθραξ. Carbunculus. Rubini de Corja.*

CARBVNCVLVM igitur appellabimus, cujus rubor fuerit splendens & elegans, & qui erit viginti quatuor quilatum sive caratum, ut vulgo vocant. Ejusmodi ego vidi apud Magnatem quendam in Decan; qui cùm mihi familiaris esset, ostendere tamen noluit, nisi priùs datâ fide id clàm fore, nec ejus regionis Regi me indicaturum. Censebatur vicies mille Lusitanicos aureos valere. Ipse tamen dominus affirmabat à se emptum sex auri manus, quæ quinque Lusitanicas arrobas * efficiunt. *Carbunculus. Manus auri. Arroba.*

SECVNDVM genus est quem Balasium vocant, aliquantulum rubens. Vilior hic est. *Balasius.*

TERTIVM genus est, Spinellus appellatus: magis hic rubet; sed tamen vilior est, quia non habet splendorem illum legitimi Rubini. *Spinellus.*

INVENIVNTVR & candicantes. Sunt alii ex purpurâ candicantes, vel, ut veriùs dicam, colore cerasum maturescens referentes. Sunt & qui mediâ parte rubent, alterâ candicant. Alii media ex parte Sapphiri, altera Rubini.

HVIVS varietatis causam fieri puto ab ipsa Rubini origine. Cùm enim Rubinus in sua rupe aut fodina recens generatus est, candicat; deinde maturescens ruborem adquirit: qui rubor cùm temporis diuturnitate concilietur, fit, ut qui ante maturitatem eruti sunt, nunc candicantes, modò ex rubro languescentes conspiciantur.

QVONIAM verò Rubinus & Sapphirus in eadem fodina nasci creduntur, fit interdum ut altera parte Sapphirum repræsentet, altera Rubinum: qui, cùm elegans est, & cæruleum colorem cum rubro æqualiter permixtum habet, vocatur à quibusdam incolis *Nilacandi*, quasi dicas, Sapphiro-Rubinum. *Rubinus & Sapphirus, in eadem fodina generantur. Nilacandi, Sapphiro-rubinus.*

PORRÒ Arabibus & Persis Rubinus nuncupatur *Yacut*: hujus regionis incolæ *manica* appellant. *Yacut. Manica.*

* *Rubinum ingentis pretii cum Adamante illo suprà memorato redimebat Philippus II. Hispaniarum Rex Elizabetham Henrici II. Galliarum Regis filiam in uxorem ducturus: nam vicenis millibus coronatorum æstimatus fuit.*

* *Lusitanica Arroba constat triginta duabus libris: hoc est ferè modiis quinque Italicis: ingens sanè gemmæ pretium.*

De Sapphiro.

CAP. L.

GEMMA est Sapphirus vilis precii: cùm tamen ob ejus elegantem cæruleum colorem, cujus aspectu oculi mirum in modum recreantur, magno æstimari deberet. Vocatur ab incolis *Nilaa*. *Nilaa.*

EIVS autem duo sunt genera. Vnum obscurius: Alterum splendens; quod vulgò Sapphirum aqueum vocant. Vilior hic est, & interdum coloris cujusdam admixtione Adamantem ita æmulatur, ut nonnullos plerumque fefellerit. *Sapphirus aqueus.*

INVENITVR utrumque genus in Calecut, Cananor, & variis regni Bisnagua locis. Præstantiores ex Zeilan adferuntur: omnium verò laudatissimi ex Pegu. *Sapphirus ex Pegu.*

TAMETSI verò adeò oculis sit grata hæc gemma, nullius tamen, quantumvis magnæ, & vividi coloris, pretium mille Lusitanicos aureos superasse invenietur.

De Hyacintho & Granato.

CAPVT LI.

Hyacinthus. Granatus.

VILISSIMI sunt hîc pretii cùm Hyacinthus tum Granatus, quos volunt nonnulli ex Rubinorum esse generibus, Hyacinthum flavescentem Rubinum appellantes; Granatum verò, nigricantem Rubinum.

NASCVNTVR autem & in Calecut, & Cananor: Granati etiam toto regno Cambaya & Balaguate: Hyacinthi verò & quibusdam Lusitaniæ locis provenire feruntur, ut in Belas non procul Olysipone, & multis Hispaniæ locis.

De Iaspide.

CAP. LII.

Iaspis viridis. Porcellana.

INVENITVR Iaspidis genus viride, ex quo vasa Murrhina fiunt (Porcellanas vocant) adeò virentia, ut ex Smaragdo conflata videantur.

Ex hoc fortè genere erit id quod Genuæ ostenditur, quodque ex Smaragdo esse contendunt, rariùs videndum proponentes, quo majorem auctoritatem lapidi concilient.

Vasa Murrhina ex Iaspide viridi.

HVIVSMODI vas Murrhinum aliquando mihi propositum fuit venale ducentis pardaons sive aureis Hispanicis: cujus, si ex Smaragdo conflatum fuisset, millesimam partem eo pretio vix nancisci potuissem.

De Alaqueca.

CAPVT LIII.

Alaqueca. Quequi.

INVENITVR in Balagate lapidis quoddam genus quod *Alaqueca*, Arabes *Quequi* vocant, cujus libra minutis fragmentis expoliti, regali Castellano emi potest; tanta est vilitas. Hujus tamen virtus reliquarum gemmarum facultates exuperat, quippe qui sanguinem undequaque fluentem ilicò sistat.

Solent plerumque ex hoc lapides efformari sphærulæ precariæ.

De Oculo Catti.

CAP. LIV.

Oculus Catti magno æstimatur apud Indos.

LAVDATISSIMI inveniuntur in Zeilan. Nonnulli etiam ex Pegu advehuntur, quos eò deferri rumor est ex regione Bramaa.

MVLTO majoris is est apud Indos pretii, quàm in Lusitaniâ. Memini enim quendam eò mittere sexcentis Lusitanicis aureis hîc æstimatum: cujus in Lusitania pretium dumtaxat nonaginta aurei censeretur, at huc relatus sexcentis venditus est.

Oculi Catti facultates.

PERSVADENT sibi Indi, ejus, qui hanc gemmam possidet, facultates non posse imminui, sed semper incrementum facere & augeri.

EGO verò quod expertus sum referam. Lineus pannus ita compressus, ut ipsius Gemmæ meditullium sive oculum tangat, nullo igne uri potest.

Pseudoopalus.

* *Cardanus lib 7. de Subtilitate, Pseudoopalum vocat: de quo, tum etiam de aliis gemmis, ille ibi multa.*

De Lapide Armeno.

CAP. LV.

Hager armini. Lapis Armenus.

MIXTVS est hic Lapis ex cæruleo & diluto viridi. Appellatur Arabibus *Hager armini*, id est, Lapis Armenus. Interrogati tamen Armeni, an apud eos nasceretur hic lapis, affirmare non potuerunt. Sed Turci & Persæ medici dixerunt, exiguâ quidem quantitate apud se vidisse, verùm ignorare, num ex Armeniâ adferretur, nec ne. Aiunt multos inveniri in Vltabado urbe celebri regni Balaguate.

HOC lapide melancholiam purgant Mauritani medici. Sed tamen experimento didici, segniter admodùm purgare.

De

De Magnete.

CAP. LVI.

FABVLOSVM est quod nonnulli de Magnete scribunt, videlicet eas naves quæ Calecut commeant, clavis ferreis non compingi, ob scopulorum è Magnete lapide frequentiam, à quo scilicet attraherentur & raperentur naves, si ferreis clavis fabricatæ essent. Nam & in Calecut, & toto eo tractu plures inveniuntur naves clavis confixæ ferreis, quàm ligneis. Verum quidem est in Maldivis insulis naves ligneis clavis esse exstructas; id autem ob ferri pænuriam potiùs, & quòd minori constent, fieri puto, quàm quòd à Magnete sibi metuant. *Fabulæ de Magnete.*

CETERVM Magnes ideò ferrum ad se haudquaquam trahit, quòd in eâdem fodinâ nascantur, aut eorum fodinæ sint contiguæ, veluti quidam existimant: quandoquidem Magnes invenitur iis locis ubi nullum ferrum est. *Falsæ de Magnete persuasiones.*

SVNT qui putent Magnetem ad se ferrum trahere, ob eam facultatem quam ferro communicavit, qua ad Magnetem feratur: eamque ob causam Magnetem non majoris esse ponderis, etiam si multum ferrum illi addatur, quàm cum exiguâ ferri quantitate in bilance positum. At nos contrarium plerumque experti sumus.

SED nec deleterius est hic lapis, quod nonnulli voluerunt. Nam tradunt hujus regionis incolæ, Magnetem paucâ quantitate sumptum adolescentiam conservare. Qua de re fertur senior Rex Zeilan, patinas ex Magnete jussisse confici, in quibus cibus ejus coquatur. Hoc ipse, cui mandatum erat negotium, mihi affirmavit. *Magnes non est deleteriæ facultatis. Patinæ è Magnete.*

De Margarita.

CAP. LVII.

NVNC superest, ut de Margaritis scribamus, quæ non modò ad decorem; sed etiam ad medicamenta expetuntur.

PRÆGRANDES igitur Margaritæ, Vniones Latinis dicuntur, quoniam vix duæ reperientur magnitudine, figurâ & nitore similes. Minores appellantur Latinis Margaritæ simpliciter. Arabibus & Persis *Lulu*, Indis *Moti*, in Malavar *Mutu*, Lusitanis *Aliofar*, quod Arabicè sonat de *Iulfar*, is est portus in mari Persico, ubi laudatissimæ generantur. Nam tametsi Barem, Catifa, Camaran, aliique hujus maris portus laudatas mittant: quia tamen nostris notior fuit initiò hic portus, ab illo nomen Margaritæ indiderunt linguâ Arabicâ *Aliofar*. *Vnio. Margarita. Lulu, Moti, Mutu, Aliofar, Iulfar, portus.*

HINC etiam fit ut illæ Orientales appellentur, quoniam hic sinus Persicus Orientalis sit, si cum nostra Europa conferatur. *Margaritæ Orientales.*

GENERANTVR etiam Margaritæ à promontorio Comorim, ad insulam usque Zeilan (quæ captura & piscatio Regis Lusitaniæ est) sed minutiores maximâ ex parte, nec cum superioribus conferendæ (quæ magnæ sunt & omni dote absolutissimæ) ideoque etiam viliori emuntur. *Margaritarum captura.*

GENERANTVR & in insula Burneo, quæ tametsi sint grandes, formæ tamen elegantiâ à superioribus vincuntur. Sic & nonnullas Sinarum regio mittit, sed viles.

CERTVM est etiam in novo orbe inveniri; verùm nullâ ratione cum Orientalibus sunt conferendæ. Nam aut obscuræ sunt, & nubili coloris, aut nullo orbe lævoreque commendantur.

ORIGO atque genitura est è conchis, haud multum ab ostrearum conchis dissimilibus. Conchæ autem quæ superiori maris parte natant, grandiores Margaritas generant: quæ verò in alto mari degunt, minutiores proferunt. *Margaritarum origo.*

HÆ conchæ aëri expositæ siccantur, & sese pandunt, in quarum carne inveniuntur Margaritæ nunc multæ, nunc paucæ, pro concharum magnitudine.

INVENIVNTVR & in nostratibus conchyliis ostreisve, sed minùs nobiles.

OMNIVM autem præstantissimæ ad generandas Margaritas censentur eæ conchæ læves & candidæ, quas ejus regionis incolæ *Cheripo* appellant, ex quibus cochlearia poculaque conficiuntur. *Cheripo.*

VERVM *Cheripo* non est id conchylium quod vulgò Matrem perlarum vocamus. Nam id *Chanquo* incolæ vocant, ex quo videlicet mensæ, cistulæ, sphærulæ precariæ fabricantur: quod licet parte externâ scabrum sit & impolitum, internâ tamen lævissimum est, & aspectu pulcherrimum. *Chanquo.*

DEVEHI-

DEVEHITVR id conchylium Bengala mercimonii gratiâ, ubi expolitur & poculi vices supplet: maximâ tamen ex parte conficiuntur ex eo armillæ & alia opera. Fuit enim olim istîc consuetudo, ut nullæ nobiliores virgines corrumpi possent, nisi hujus generis armillis brachia exornata haberent. Nunc verò desiit ista consuetudo: eamque ob causam viliori emuntur hæc conchylia.

Consuetudo de virginibus.

HABENT mercatores hujus regionis cuprea quædam instrumenta multis foraminibus pertusa, quibus pretia Margaritis imponere solent. Nam quæ per instrumentum minoribus foraminibus pertusum transeunt Margaritæ, unius sunt pretii, venduntúrque per drachmas: quæ per instrumentum majora paulum foramina habens, majoris sunt pretii: & ita deinceps pro foraminum, quibus instrumenta prædita sunt, quibusque Margaritæ transmittuntur, magnitudine, pretia intenduntur. At quæ adeò sunt minutæ, ut perforari non possint (arte enim perforantur, non naturâ, ut fabulantur quidam) cedunt officinis; qua de causa in Europam exportantur. Harum uncia duobus fortè assibus Gallicis venit.

Instrumenta discernendis Margaritis idonea.

MAXIMÆ quæ ad promontorium Comorim generantur Margaritæ, pendebant centum frumenti grana. Talium pretium, mille quingentorum aureorum in singulas esse solet. Multo majores ego vidi, quas in insulâ Burneo captas asserebant: sed non erant ejus elegantiæ cujus superiores. Vidi aliam hîc captam, quæ centum sexaginta grana tritici penderet.

Vnionum magnitudo.

SENECTVTE pondus earum minui, & coloris elegantia immutari creditur. Diu autem orizâ leviter confractâ & sale versatas, pristinum vigorem & fulgorem recuperare, expertus sum.

Margaritis nitor restituitur.

CERTVM est, Margaritas post plenilunium captas, cum tempore minui & decrescere. Quæ verò ante plenilunium capiuntur, huic vitio haudquaquam sunt obnoxiæ.

CETERVM rarò in medicum usum venit Margarita apud Indos. Mauritani verò frequenter, nostro more, Margaritas cordialibus medicamentis iniiciunt.

Indis nullus margaritarum in medicinâ usus.

INDI-

INDICARVM ALIQVOT PLANTARVM HISTORIÆ

LIBER SECVNDVS.

De Arbore tristi.

CAPVT I.



IN medicamentis & stirpibus Indicis nobis incognitis non abs re fore duxi, initium facere ab arbore quadam, quæ non nisi à solis occasu usque ad ejus ortum floret, interdiu minimè.

Arboris tristis descriptio.

ARBOR est Oleæ magnitudine, foliis Pruno similibus, flore noctu (dum expansus est scilicet) odoratissimo, nullius, quod sciam, usus propter teneritatem: nisi quòd florum pediculis, qui lutei sunt, hujus urbis incolæ utuntur cibis tingendis, siquidem Croci modo inficiunt. Et volunt etiam nonnulli aquam stillatitiam florum, oculis utilem esse admoto lineo panno hac intinctо.

Aqua è floribus Arboris tristis.

Parizataco. Singadi. Arbor tristis.

PECVLIARIS est hæc arbor Goæ, quam è Malaca allatam asserunt. Eam sanè nusquam alibi per Indiam vidi. Hanc Goæ *Parizataco*, in Malayo *Singadi* vocant. Arboris tristis nomen illi inditum, quòd dumtaxat noctu floreat.

Fabula de Parizataci filia.

FABVLANTVR autem indigenæ, Satrapæ cuidam nomine *Parizataco* elegantem fuisse filiam, quæ Solem deperiens, ab illo compressa fuerit. Cùm verò postea illam relinqueret alterius amore irretitus, Parizataci filia præ amoris impatientiâ sibiipsi mortem consciverit. Ex cujus crematæ cineribus (nam adhuc uruntur in hac regione cadavera) hæc nata est arbor, cujus flores adeò Solem abhorrent, ut eum videre non sustineant.

CETERVM horum florum fragrans odor, duorum aliorum odoratissimorum florum memoriam revocavit.

Mogori.

PRIORES sunt dicti *Mogori*, mali aureæ floribus multò odoratiores, quorum stillatitius liquor eundem apud istos usum obtinuit, quem apud Hispanos florũ mali aureæ aqua.

Champe.

ALII flores (quorum hîc magnus est usus) dicuntur *Champe*, odore graviori quàm Lilium album.

Indi odoramentis deditissimi.

PORRÒ (quandoquidem in odoramentorum mentionem incidimus) odoribus adeò dediti sunt hujus regionis incolæ, ut plerumque cibo abstineant, quo habeant unde odores sibi comparare possint: ideoque non immeritò proniores in venerem esse censentur.

MVNERA quæ à tenuioribus offerri solent Regibus, prædicti sunt flores, & rosæ nostrates, quibus solent cubicula Regis insternere, & coriis floribus variis depictis ornare.

NARRARVNT mihi quidam, tantam esse hujus gentis in odores amentiam, ut tributa ex odoribus & floribus in singulos annos Regi Bisnaguer soluta, ad quinque milliũ Hispanicorum aureorũ summam ferè accedant.

ARBOR TRISTIS.



* QVIA *Viennæ Austriæ honestus vir Fabricius Mordente Salernitanus multa de Arbore tristi mihi referebat, cuius naturam (dum Goa viveret) summoperè esset admiratus, quæ de illâ arbore ab ipso intelligebam, hîc adscribere non piguit.*

Arboris tristis historia.

Assvrgere *porrò eam arborem ad trium interdum hominum altitudinem, iustámque crassitudinem adquirere dicebat, & ramos ferre multis alis concavos, quos folia myrti foliis non dissimilia ambirent: in tenerioribus autem ramis nasci flores, oblongis pediculis ex internâ foliorum sede prodeuntibus, inhærentes, copiosos, hoc est, ternos, quaternos, aut plures simul ferè congestos, candidos, Iasmini floribus formâ magnitudinéque pænè pares, foliis mucronatis, ut illi, sed magis plenis, & multiplici foliorum texturâ constantibus, præditos, odoris suavissimi, & haud multum à Iasmini florum odore dissimilis: noctu autem solere eos flores explicari, oriente verò Sole, simul atque ab ipsius radiis illustrari incipiunt, ilicò decidere, vel* ἀντιπαθείᾳ *quadam, vel præ nimiâ succi tenuitate, quem solares radii absumant: nam quos Sol non attingit, diutiùs in arbore hærere. Studiosè autem colligi eos flores, propter odoris fragrantiam, & vitreis organis*

Mogli.

odoratissimam ex illis aquam elici, quæ (asserente Fabricio) aqua de Mogli *dicitur, quoniam Malabarico sermone arbor* Mogli *appellatur, cuius flores idem nomen retinent. Fructum observasse negabat.*

Ceterùm anno millesimo sexcentesimo primo, mihi mittebat amicus Amstelredamo fructum eius arboris suo pediculo adhuc inhærentem, quem ab illis qui ex India Orientali redierant, acceperat: erant verò plures fructus sive lobi in binarum unciarum longo ramulo sive crasso pediculo nati, satis contigui, similes pænè iis lobis, quos Spartium II. Hispanicum cap. LXX. Lib. I. meæ Plantarum historiæ descriptum habet, sive fabæ vulgari minori, quæ apud Belgas in iumentorum pabulum cedit, magnitudine pares, satis crasso cortice constantes, coloris cineracei; qui aperti, sex semina continere deprehendebantur, utroque latere terna, Stramoniæ seminibus quodammodo similia, sed immatura. Qualem autem accipiebam, in eadem tabella cum ramulo suis floribus onusto, exprimi curabam, in illorum gratiam qui hoc studio delectantur.

Altero autem post acceptum & descriptum illud semen anno, multi eius arboris flores C. V. D. Petro Pauwio mittebantur, iique oblongo & tenui arboris alicuius aut herbæ folio traiecti corollarum instar, è quibus, licet prorsus aridis, eam tamen formam agnoscere poteram, quam Fabricius mihi descripserat, quámque ex eius præscripto in icone suprà positâ exprimi curabam; quæ sanè longè dissimilis est iis floribus, qui à nonnullis proponuntur leucoio similes quatuor dumtaxat foliis constantes.

De Nimbo.

Capvt II.

Nimbo historia.

Ab omnibus hujus Indiæ incolis *Nimbo* vocatur, arbor quædam Fraxini magnitudine, folio Oleæ, acutiore tamen, per ambitum serrato, utraque parte viridi, non cinereo aut villoso. Multis luxuriat foliis, flos candidus est, & fructus exiguis olivis similis.

Nimbo facultates.

Vtilis est hæc arbor in usu medico. Nam folia trita & vulneribus cùm hominum, tum jumentorum cum succo Limonum (mali Assyrii genus est) imposita, miraculosè ea sanant. Foliorum succum utilem esse ferunt lumbricis necandis, cùm Balaguate incolæ, tum Malavarenses: quod rationi consonum est, cùm nonnihil amaritudinis possideant.

Oleum ex Nimbo.

Exprimitvr in Bisnager & Malavar oleum ex ejus arboris fructu, quod huc mercimonii gratiâ deportatur. Vtilissimum id est adversus nervorum dolores, si eo calido inungantur.

De Negundo.

Cap. III.

Negundo historia.

Provenit in Balaguate & Malavar arbuscula quædam Persicæ magnitudine, frequentibus ramis: qui recisi frequentiores lætioresque renascuntur, foliis Sambuci, simili modo per ambitum serratis & aliquantulum hispidis: flos ex cinereo candidus: fructus niger, Piperis magnitudine, aut paulo major. Malavar incolæ eum suis eduliis Caril nuncupatis inspergunt.

Negundo. Sambali. Noche.

Vvlgare nomen est *Negundo*: nonnulli in Balagate *Sambali* appellant: in Malavar *Noche*.

Negundo facultates.

Mvltis facultatibus prædita est hæc arbor. Teneriorum ramulorum cum foliis decocto, aut ipsis elixis & contritis, utilissimè contusa foventur, modò non adsit vulnus. Friguntur interdum iidem rami cum foliis in oleo, & contusionibus applicantur; resolvunt enim tumores & curant. Frequens adeò est hujus usus, ut in omnibus doloribus, frictum cum oleo, aut elixum, exhibendum censeant. Non desunt qui supra vulnera admoverint, unaque nocte dolorem sustulisse, materiamq. digessisse affirment: deinde foliis contusis, ipsis vulneribus impositis ita emundasse vulnera, ut brevi ad cicatricem perducta sint.

Vtilem perhibent esse mulieres ad juvandum conceptum: ejus enim succo aut decocto epoto, uteros ad conceptionem præparari. Ego malim præmandi; valentius enim futurum existimo medicamentum. Masticata folia, oris halitum commendant. Acrimoniæ verò cujusdam participant, veluti Nasturtium: unde manifestum est calidam esse hanc

Negundo vitex non est.

plantam. Experti sunt nonnulli Veneris stimulos & impetus cohibere, eamque ob causam Viticem esse contenderunt: sed valdè errant. Nam Vitex multum ab hac arbore differt.

De

De Jaca.

CAPUT IIII.

ARBOR est in India prægrandis, fructum in summo caudice, non in ramis, ferens, prægrandem, magni Melonis effigie, interdum majorem, foris virentem, intus verò fulvescentem, multis spinulis instar erinacei, sed mollibus, obseptum. Continet autem hic fructus in se magnas quasdam nuces duro putamine tectas. Cortex fructus gustu Melonis, sed difficillimæ concoctionis, nempe qui plerumque soleat, ita ut assumitur, excerni. Nuces verò intus natæ, torrentur aut elixantur, abjectoque putamine (qui nullius est usus) castanearum modo, quibus sunt persimiles, eduntur. *Iaca historia.*

VOCATUR hic fructus in Malavar *Iaca*; in Canara & Guzarate *Panaz*. Nascitur autem dumtaxat in maritimis. *Iaca. Panaz.*

EXPERTUS sum cùm in me, tùm in plerisque aliis, hasce castaneas sive nuces alvi profluvia mirum in modum sistere.

* *Hanc arborem describit Lud. Roman. lib. 5. cap. 15. suarum navigationum, his verbis: In Calecut reperiuntur nonnulli fructus, quos cultores* Iaceros *appellant. Caudici eius arboris amplitudo Pyri est: fructui magnitudo bini ac medii palmi, crassitudinis verò humanæ coxæ. Gignitur fructus in caudice arboris subtus frondes, alii circiter medium caudicem. Colos est viridis, cetera nuci Pineæ haud absimilis, vinaceis tamen minutioribus. Cùm maturescere incipit, obducit nigricantem colorem, marcereque videtur. Legitur is fructus mense Decembri: saporis sicut fermè Peponis moschum redolentis; parúmque, si saporem quæras, abest à cotoneo Persico, eodémque mitiore. Variam in cibatu voluptatem parit. Videberis modò edere favum mellis, modò suave medicum malum comedere. Intrà, membranas habet ut malum punicum, inq; eis delitescunt fructus nescio qui, mollibus non dissimiles castaneis. Si enim igne torrentur, saporem castaneæ repræsentant. Propterea fateri licet, non esse excellentiorem digniorémve illo fructu quempiam.* *Iaceros.*

De Jamgomas.

CAPUT V.

ARBOR Pruni magnitudine sponte nascitur in agris & etiam in hortis Baçaim, Chaul, & Batequala, multis spinis horrens, foliis itidem Pruni: floribus candidis, fructu Sorbo simili, gustu Prunorum adstringente & acerbo. Cùm primùm emergit, Strobilo persimilis est. Vocatur incolis *Iamgomas*. *Iamgomas descriptio. Iamgomas.*

ACCEPI à fide dignis viris, optimam serendi rationem esse, si fructus, postquam eum ederit certa quædam avis, excretus, unà cum excremento seratur. Facilius enim hac ratione satus emergit, citiusque fructifera fit arbor. *Iamgomas serendi ratio.*

De Carandas.

CAP. VI.

ARBUSCULA est arbuti magnitudine, foliis similibus, copioso flore, odore Periclymeni: fructu exiguis malis persimili, nigricante per maturitatem, gratissimoque uvarum sapore, ex quo à nonnullis vinosus succus exprimitur. Fructus autem virens magnitudine est nucis ponticæ cum suo putamine, interdum major; succum nonnumquam exstillans viscidum & lacteum. Editur à nonnullis fructus maturus cum sale. Solet tamen, cùm viridis est, muriâ aut aceto condîri, & ita asservari, ad excitandam elanguescentem appetentiam. *Carandas historia.*

NASCITUR tum in continenti, tum in Balagate, vocaturque *Carandas*. *Carandas.*

* *Huic ferè similem describit Oviedus lib. 8. suæ historiæ cap. 12. in hunc modum: In Hispaniolâ insulâ, vasta est arbor pulchráque, materie firmâ & utili,* Auzuba *nomine; fructu quidem longè suavissimo, ut sunt pyra apiana, muscatellina vocant, sed qui lacteo succo eóque viscido & glutinoso abundet, qualis est qui in ficubus immaturis: idcircò molestus his qui eo vescuntur, nisi priùs fructum in aquam iniiciant, & lacteum succum digitis exprimant, qui in aquâ sidit.* *Auzuba.*

De Coru.

CAPUT VII.

CORU linguâ Canaricâ dictus, frutex est in Arbuti altitudinem assurgens, aut paulo minor, foliis mali Persicæ, floribus candidis, Periclymeni odorem æmulantibus. Hunc Lusitani Indiam incolentes Herbam Malavaricam nominant, quia Malavarenses *Coru historia. Herba Malavarica.*

renses ejus usum primi docuerunt. Hac etenim plantâ cujuscumque generis dysenterias præsentissimè curant, evacuatâ primùm magnâ ex parte peccante materiâ; alioqui facilè in eundem morbum rursus incidunt.

VSVS est corticis radicum primùm exsiccati, nam recens lacteum liquorem exstillat, quem initio calidum putavi; sed deguſtatum, insipidum & frigidum inveni. Quamobrem ob ejus effectus, frigidum & siccum constitui, plus tamen siccitatis quàm frigiditatis obtinentem: in quo ordine etiam hujus regionis medici constituunt.

Corn facultates. PVLVEREM hujus radicis contusæ in ollulam distillatoriam imponimus, ac sero lactis maceramus: deinde additis Ammeos, apii, coriandri sicci, & cumini nigri seminibus tritis & torrefactis, unciaque unâ butyri non saliti, ignis calore elicimus aquam stillatitiam, cujus quatuor uncias cum aquæ stillatitiæ rosarum, aut aquæ è pediculis rosarum, aut plantaginis duabus unciis ægro propinamus. Quòd si opus est, adiicimus pulverem pastillorum ex herba Malavarica confectorum. Formantur autem ex iisdem rebus è quibus fit aqua, dempto butyro. Iniiciuntur etiam clysteres ex hac aqua confecti magno cum successu: sed frigidi, quoniam regio calida est. Quòd si necesse sit, eam aquam bis singulis diebus propinamus, manè videlicet hora sexta, & à meridie hora secunda. Cibus est oriza sero lactis permixta, & pulli gallinacei in aqua ejus orizæ (quam *Canje* vocant) macerati, pro uirium ægri robore cibum subministrantes. Certè vino omnino abstinemus, nisi urgente admodum necessitate in inveteratis dysenteriis ejus necessarius fit usus. *Canje.*

SED tametsi mihi semper bene successerit hujus aquæ usus; cogor tamen fateri Malavaricam herbam ab ipsis Malavarensibus præparatam, magis præsentaneam opem adferre. Ea verò paratur ex iisdem, è quibus nostra aqua, rebus tenuissimè tritis, & sero, aut jusculo orizæ probè coctæ maceratis. Sunt qui succum ex planta virente exprimant, cujus septem uncias mane exhibent, & totidem sub vesperam, si necessitas urgeat. Sed quia amarus est succus & ingratus, ab ejus potu serum propinare ad os eluendum solent. Quod si Malavarenses fortiori adhuc remedio opus esse vident, opium admiscere solent, tametsi id semper strenuè negent.

SALVTARE est item hoc medicamentum stomachi debilitati: tum etiam vomitus compescit, cum aqua Menthæ & Mastiches pulvere sumptum.

De Avacari.

CAPVT VIII.

Avacari historia. EST etiam in hac provincia pusilla arbor, major tamen superiore, quæ foliis, floribus, & fructu Myrto perquam similibus constat. Fructus ejusdem etiam est cum Myrto saporis, multo tamen adstringentior. Hanc plantam *Avacari* nominant incolæ. Nascitur in montibus. *Avacari.*

Avacari facultates. AIVNT miræ esse efficaciæ adversus inveteratas dysenterias è causa frigida provenientes. Ejus experimentum se fecisse asseruit Lusitanus quidam senex in filia sua; quæ cùm integro anno dysenteriâ laborasset, nec ei quidquam reliqua medicamenta profuissent, sumpto hujus plantæ cortice trito & in aqua orizæ macerato in ptisanæ modum, sanata est. Hanc arbusculam trifolium olere ferunt.

De Mangas.

CAP. IX.

TAMETSI ii fructus qui apud Indos nascuntur, longè sint excellentiores his qui in Europa proveniunt, veluti aurea mala, citria, ficus, uvæ, persica, punica, & similes; omnibus tamen præstat fructus quidam apud illos nascens quem ipsi *Mangas* vocant. Tanta est enim ejus suavitas, ut, cùm in foro prostat, Ormuz incolæ, apud quos frequens est cum aliis fructibus jam enumeratis, reliquis neglectis, hunc sibi émant. *Mangas.*

Mangas autumnus. Rodolho. COLLIGENDI tempus est in regionibus calidioribus mensis Aprilis: aliis regionibus serotinis, Maius & Iunius: interdum tamen October (quem ipsi *Rodolho* vocant) & November.

CETERVM pro regionum natura & diversitate variat etiam saporis bonitate hic fructus.

Mangas delectum. PRIMAS igitur tenet is qui in Ormuz nascitur. Secundum locum obtinet qui in Guzarate provenit, præsertim is qui per excellentiam Guzarateus nuncupatur, magnitudine quidem

quidem reliquis cedens, saporis tamen & odoris gratiâ superior, exiguo intus osse sive nucleo. Tertium bonitatis gradum obtinet quem Balagate gignit, major in universum supradictis. Memini enim duos vidisse, qui quatuor libras cum dimidia penderent. Sed inter eos suavior mihi visus est quem proferunt Chacanna, Quindor, Madanager, & Dultabado, primariæ urbes Regis Nizamoxa. Boni sunt item ii fructus qui in Bengala, Pegu, & Malaca proveniunt.

HABEO in meo prædio quod est in Bombaim (cujus in priori hujus historiæ parte memini) arborem hujusmodi fructus proferentem, quæ bifera est. Nam Maio mense fructum fert saporis quidem & odoris gratiâ excellentiorem; Autumni verò sub finem, alium superiori tanto magis commendabilem, quòd præter tempus solitum nascatur.

Mangas arbor bifera.

COLORE est is fructus ex viridi rubescente, & odore gratissimo. Exempto cortice, editur aut sine vino, aut generoso aliquo vino maceratus, veluti persica duracina. Conditur etiam saccharo, interdum verò & aceto, & oleo, & sale, inspersis in ejus meditullio gingibere & alliis. Interdum editur cum sale, & nonnunquam elixus. Frigidus verò est & humidus, quemadmodum persica. Hujus ossiculis assatis, alvi profluvia sisti aiunt; quod verum esse deprehendi: nam degustata, suberinas glandes sapiebant. Nuclei verò recentes, lumbricos & ventris tineas necare dicuntur: quod rationi consonum esse puto, ob amaritudinem.

Mangas facultates.

** Hic fructus in memoriam mihi revocat Iaiama Oviedi, quem septimo suæ Historiæ lib. cap. 13. describit, tametsi plus similitudinis habere videatur cum eius* Anon, *de quo lib. 8. cap. 18. Vtriusque igitur historiam hic adscribam, ut utra huic fructui magis quadret, lectori diiudicandum relinquamus.*

ANON *igitur arbor est cuius fructus magnam cum Guanabano similitudinem habet, cùm forma, tum carne & semine. Sed & ipsa Anonis arbor Guanabani arbori simillima est, & magnitudine, & formâ & folio. Duabus verò in rebus differunt; primùm, quòd huius fructus minor sit Guanabano, corticique color luteus, qui in Guanabano viridis est; deinde, quòd meo quidem iudicio gratior sit palato Anon quàm Guanabanus, utpote firmiore carne. Vtrumque magno in pretio habent Indi Americi, & diligenter in suis prædiis colunt. Hæc Oviedus de Anone: Nunc ad Iaiama historiam accedamus.*

Anon. Iaiama.

NASCITVR *in Hispaniola, reliquisque vicinis insulis fructus quidam, quem nostri à Strobili sive Pineæ nucis similitudine Piñas appellant, non quòd eiusmodi lignosas squamas habeat, sed quòd eius cortex simili modo distinctus videatur, tametsi non squamatim, sed peponis modo cultello integer auferatur. Vt autem succi bonitate & suavitate reliquos fructus hic antecellit; ita color illi pulcherrimus ex luteo virescens, paulatim per maturitatem viriditate evanescente. Odor iucundissimus, qualis ferè in eo Persicorum genere quod à malis & cotoneis nomen apud Italos & Hispanos invenit; magnitudo illi vulgaris Melonis. Nascuntur verò singuli fructus ex Cardui genere aspero & spinoso, oblongis prædito foliis, è quorum medio prosilit caulis rotundus unicum ferens fructum, qui post 10. aut 12. mensem demum maturescit. Eo sublato, nullus præterea in plantâ nascitur fructus; ideóque ea velut inutilis abiicitur. In extremo fructu, interdum verò etiam in extremo caule sub fructu enascuntur veluti germina & turiones quidam qui fructui magnum addunt ornamentum. Hi sunt tamquam semen: panguntur enim tribus sub terra digitis, sic ut media turionum pars extra solum extet; atque radices agunt, fructúmque suo tempore perficiunt. Varia sunt eius genera, quæ pro linguarum varietate diversis nominibus nuncupantur: tres verò distinctæ species notantur, prior* Iaiama *ab incolis appellata; altera* Boniama, *tertia* Iaiagua. *Posterior hæc carne est candidâ, gustu vinoso, sed acido & acerbo.* Boniama *carne est candidâ, gustu dulci & quodammodo fatuo.* Iaiama *reliquis oblongior est, & bonitate illis præstat, carne fulvescente, dulci & suavi gustu. Per omnium tamen carnem sparsæ sunt veluti fibræ quædam tenuissimæ, quæ tametsi palatum inter edendum non offendant; gingivas tamen lædunt, si crebriùs quis eis vescatur. Quibusdam locis nascuntur etiam hæc genera sponte in agris abundanter: at quibus cultura accessit, longè sunt illis suaviores, & cultoris beneficium abundè compensant. Huius fructus abundantia auctoritatem eius minuit: Sed tamen & his insularibus cùm bonitate, tum magnitudine præstant qui in continenti nascuntur. Maturus fructus quindecim tantùm aut viginti diebus conservari potest. Hactenus Oviedus.*

HVNC *Thevetus lib. Singularium Americ. cap. 46.* Nana *à Brasilianis vocari tradit, eóque plurimum in suis ægritudinibus vesci. Alium item huic similem describit nomine* Hoyriti *cap. 33. eiusdem libri.*

Nana.

De Musa.

CAPVT X.

HÆC planta non nisi semel seritur. Nam semel sata, ex trunci pede multos stolones producit, qui in arbusculas evadunt. Truncus ex squamoso foliorum cortice constat: foliis amplissimis, binorum cubitorum vel ampliùs longitudine, cubiti latitudine, excurrente per medium latâ crassaque costâ. Nullis constat ramis, sed è germine flores quosdam conjunctim profert, subrufos, ovi effigie, & palmi longitudine, è quibus circumeminent pediculi, centum, interdum ducentos aut plures ficus sustinentes.

Musæ historia.

NASCITVR in Canara, Decan, Guzarate, & Bengala: vocaturque illis *Quelli*. Nascitur etiam in Malavar, ubi *Palan*[a]; & in Malayo, ubi *Piçan* dicitur. Provenit etiam plerisque aliis locis, & in eâ Africæ parte quam Guineam appellant, ubi Bananas[b] nuncupantur.

Quelli, Palan, Piçan. Guinea. Bananas.

 Arabes

Musa, Amusa. Arabes eum fructum *Musa*, aut *Amusa* vocant. Sic & Avicenna, & Serapio, & Rhases, qui de hoc fructu peculiari capite scripserunt. Scripserunt forte & alii, quos mihi videre non contigit.

COMMENDANTVR ii fructus qui in Martaban proveniunt: primùm enim è Bengala eò delati sunt, deinde sati ut gratiores evaderent: vocantur nunc, ficus *Martabanis*. *Ficus Martabanis.* Alii adhuc inveniuntur meo palato gratiores & odorati; *Cenorins* appellant: sunt læves, flavi, & pleni. *Chincapalones.* In Malavar sunt *Chincapalones* dicti, suaves & palato grati, pleni, colore virescentes. *Iminga.* Laudantur etiam in Sofala nati, Æthiopibus *Iminga* dicti. Invenitur etiam in Baçaim aliisque provinciis genus quoddam amplum, plenum, palmi longitudine. Id assatum & vino deinde maceratum inspersâ Canellâ, multo melius sapit quàm malum cydonium assatum. Idem fructus per medium sectus, & in sartagine cum sacharo probè frictus, insperso posteà cinnamomo, gratissimus est cibus.

Musæ facultates. SCRIBIT Avicenna lib. 11. cap. 484. paucum præbere alimentum, bilem generare & pituitam: prodesse tamen adversus pectoris & pulmonum incendia, stomachum autem offendere. Idcirco biliosis, ab hujus esu, oxymel cum seminibus propinandum esse; pituitosis verò mel. Vtilis est renibus, & urinam ciet.

SCRIBIT Rhases lib. de re med. 3. ad Almans. cap. 20. noxium esse stomacho, appetentiam deiicere; subducere tamen alvum, & gutturis exasperationes lenire.

SERAPIO autem lib. simp. cap. 84. ex aliorum auctoritate Musam in fine primi calfacientium & humectantium ordinis esse asserit, & utilem esse adversus pectoris & pulmonum ardores; eisque qui liberaliùs hac vescuntur, stomachum prægravari: augere tamen fœtum in utero, renibus opitulari, urinas ciere, & venerem exstimulare.

PRÆSCRIBVNT medici Indi hunc fructum in febribus aliisque morbis.

Ridiculum Musæ etymon. RIDICVLVM autem est quod scripsit quidam Franciscanus. Appellatur, inquit, hic laudabilis fructus Musa, quòd dignus sit Musis, aut quòd earum sit cibus. Addit præterea eum esse fructum quem degustaverit Adam in Paradiso terrestri.

[a] *Iam aliquot annis in ea opinione fui, ut existimarem Musam Arabum eam esse plantam cuius Plinius lib.* XII. *cap.* VI. *meminit his verbis: Maior alia pomo, & suavitate præcellentior, quo sapientes Indorum viuunt. Folium alas avium imitatur, longitudine trium cubitorum, latitudine duûm. Fructum cortice [caudice legendum fortasse, nam summo stipite fructum profert] emittit, admirabilem succi dulcedine, ut uno quaternos satiet. Arbori nomen Palæ, pomo Arienæ. Plurima est in Sydracis, expeditionum Alexandri termino, &c. Nam ferè omnia pulcherrimè ad Musæ descriptionem quadrant. Huc accedit, quòd in provinciâ Malavar, quæ supra Indum flumen est, intra verò Gangem, Palan nomen adhuc retineat, à quo Latini suum Pala mutuati videntur.*

Figuera Banana. [b] *Vlysipone, ubi aliquot plantas vidi, minimè tamen fructiferas, nomen hoc retinet; vocant enim etiamnum Figuera Banana, id est, ficum Bananas ferentem. Eius iconem satis affabrè pictam invenies apud Matthiolum commentariis in lib.* 1. *Dioscoridis cap. de Palma.*

CETERVM *meminit huius fructus Lud. Rom. lib. navigationum suarum* 5. *cap.* 15. *ac tria eius genera constituit.* *Poma Paradisi.* *Meminit item F. Brocardus qui Terram sanctam descripsit, sub nomine Pomorum paradisi, quem per omnia secutus est Cardan. lib. de subtilitatibus. Sed & Thevetus lib. Singularium Americæ cap.* 33. *eundem describit, atque* *Pacona.* Pacona, *arborem verò* *Paquovere.* Paquovere *Americis vocari tradit. Lerius verò cap.* 13. *suæ Historiæ fructum* Paco, *arborem* Paco-aire *nominat. Oviedus verò nomine improprio Platanum appellat lib. Historiæ Indicæ* 8. *cap.* 1. *cuius descriptionem tamquam pleniorem omissis ceteris (ne toties repetita lectori fastidium pariant) hic subiungemus.*

Platanus. INVENITVR, *inquit, hic fructus Platani nomine, tametsi neque arbor dici possit, neque vera sit Platanus: sed planta quædam huic Indiæ haudquaquam peculiaris, & aliunde translata sub Platani nomine. Interdum autem hæc impropriè dicta Platanus in arboris celsitudinem excrescit, & hominis crassitudinem adquirit: aliquando verò coxæ humanæ crassitie conspicitur, pro soli naturâ & ubertate augescens. Ab infimo ad summum folia fert amplissima, interdum duodecim palmos longa, ternos aut quaternos lata, plerumque minora. Hæc ventorum flatibus facilè multifariam dissecantur, & ex costâ illâ per folii longitudinem excurrente pendere spectantur eum in modum dissecta. Tota planta veluti germen est aut surculus, in cuius summo enascitur pediculus aut malleolus brachiali crassitudine, qui vuam producit, vicenos, tricenos, interdum centenos & plures fructus palmari longitudine brachialique crassitudine sustinentem, nonnumquam minores, quandoque etiam ampliores, pro plantæ ipsius & soli fertilitate. Cortex huic satis crassus, sed qui facilè eximatur, continens pulpam sive carnem bubulæ medullæ persimilem. Integra uva ante maturitatem colligenda est, cùm videlicet aliquis fructus flavescere incipit; deinde in ædibus suspendenda, illîc enim plenam maturitatem consequitur. Hic fructus in duas partes per longitudinem apertus & utrimque incisus, deinde insolatus, gratissimi est saporis, & caricas succi bonitate superat. Tegulæ item impositus, & in clibano coctus, cor reficit, & suavissimus est. Sunt qui cum carnibus elixent, cortice exempto ollæ imponentes cùm carnes ferè coctæ sunt; diutinam enim coctionem non fert: sed neque maturus nimium, neque omnino acerbus deligendus est. Sunt qui crudum edant, at maturum, sine pane alióve aliquo condimento: gratissimi etenim est saporis, nec minùs salubris, & facilis concoctionis. Caudex qui uvam profert, annuus est, & semel dumtaxat in vitâ fructus gignit: verùm ad radices consurgunt quinque, sex, aut plures surculi, qui parentem renovant, & subsequente anno fructum perficiunt. Exemptâ vuâ abiicitur planta, utpote inutilis. Adeò verò fecunda est hæc planta, ut numquam intercidat, sed subinde novas proles gignat, ut fructus toto anno uberrimè legere liceat. Formicæ huic plantæ admodum infestæ sunt: ideóque plurimæ hîc initiò perierunt, antequam adversus eas inventa essent remedia. Peregrina enim, ut initiò diximus, est hæc planta, & huc ex magna Canaria anno Domini 1516. primum translata. Hæc ex prolixâ Oviedi descriptione desumpta.*

* *Quid si Palmæ genus illud sit quod Theoph. lib. 2. Histor. cap. 8. in Cypro nasci prodidit, folio ceteris ampliore, & fructu longè maiore, magnitudine mali punici & figurâ oblongo? An verò ea arbor, quam idem lib. 4. Hist. cap. 5 folium prælongum habere ait simile pennis Struthionum quæ galeis imponuntur, longitudine duorum cubitorum? Sed & arboris præcedentis fructus satis convenit.*

De Dorione.


CAPUT XI.

INTER celeberrimos Indiæ fructus recensentur à plerisque *Doriones* in Malaca vocitati, fructus Melopeponis magnitudine, denso cortice rostratisque tuberculis plurimis obductus, veluti is quem *Iaca* Goæ vocant, de quo cap. IV. diximus, foris virescens, intus verò concameratus, seminaque exigui ovi gallinacei magnitudine in singulis cameris continens, coloris & saporis eius condimenti quod ex amygdalis contusis, lacte, farina, aqua rosacea, & saccharo fit, *Manger blanc* Galli vocant; non tamen ita mollescentia aut glutinosa: in nonnullis verò non candida sunt, sed pallidi coloris. Officulum hæc in se continent mali persici officulis persimile, sed rotundum. Folia hujus plantæ medium palmum oblonga, acuta, salso gustu, colore viridi dilutiore parte aversâ, internâ verò parte admodum virescentia: flos è candido flavescens. Arborem Iuglandis modo prægrandem esse aiunt, foliis laurinis. *Doriones descriptio.*

SUNT alii qui hunc in modum describunt: Fructus est Strobili sive nucis pineæ magnitudine, interdum multo major, & ejusdem ferè formæ, nisi tubercula illa sive aculeos multo tenuiores acutioresque haberet, Erinacei spinis ferè similes. Intus quatuor concamerationibus sive cavitatibus constat, medullamque sive pulpam continet cremori lactis, quem Hispani *Nata*, Galli *Crême*, Itali *Capo di latte* vocant, similem. Folio est virente, cuspidis lanceæ effigie, ducto per longitudinem duplici nervo, è quo deinde aliæ venulæ per folii latitudinem evagantur. Arborem ipsam ingentem ferunt, nec nisi post quadragesimum annum fructum edere; alii verò post quartum annum fructiferam esse. Fructus maturus viridis est quidem coloris, sed diluti & elanguescentis. *Alia Doriones descriptio.*

* *Cum hoc fructu planè convenit Guanabanus Oviedi, quem lib. 8. suæ historiæ cap. 17. describit, quémque per universam ferè Americam sive novum orbem nasci tradunt.*

GUANABANUS SCALIGERI FORTE; Baobab Alpini veriùs.



GUANABANUS igitur procera arbor est, & formosa, folio eius Medici mali, quam Limoneram appellant, virente: fructu pulcherrimo, mediocris Melonis magnitudine, qui tamen interdum in capitis pueri crassitudinem excrescat. Cortex huic fructui viridis, & qui certis quibusdam squammis distinctus videatur, ut Strobilus, lenioribus tamen, neque ita tumentibus, quandoquidem totus cortex tenuis sit, neque crassior quàm in pyris. Caro candidissima, saporisque delicatissimi; quæ facilè, cremoris lactis instar, in ore dissolvitur. Per eius carnem sparsa sunt semina magna, Cucurbitarum seminibus aliquanto maiora & nigricantia. Frigidus est hic fructus, & per æstus utilis. Nam tametsi quis integrum Guanabanum devoret, nullum inde sentiet nocumentum. Infirma est ligni materies. Hæc Oviedus. *Guanabanus.*

CETERUM hic Guanabanus diversus est ab eo cuius Cæsar Scaliger, lib. de Subtilitate adversus Cardanum exercitatione 281. parte 6. meminit hunc modum:

GUANABANUS arbor est Pini stipite, procera, folio magno oblongóque, fructus Melonis magnitudine: cortici color viridis, splendor Cydonii, digitalis crassitudo. Caro intùs candida, dulcedine lactis coacti, semina continet phasiolacea. *Guanabanus.*

CUM Scaligeri Guanabano magnam affinitatem habere videbatur qui olim ex Æthiopia Mozambique Antverpiam adferebatur fructus crassus, sesquipedali longitudine, cui densus durúsque cortex tenui mollique, ut in cydoniis, sed viridi lanugine obductus, aliquot per longitudinem excurrentibus venis, sive potiùs sulcis, ut in Melonibus. Extrema parte in mucronem desinit: superiori verò, qua videlicet è ramis dependet, pediculo inhæret firmo, duro, & fibroso. Continet hic fructus pulpam candicantem, qua Æthiopes in febrium ardoribus utuntur sitis sedandæ gratiâ; iucundâ etenim aciditate prædita est. Hæc siccata friabilis est, sic ut digitis trita in pollinem resolvatur, remanente tamen perpetuò aciditate. Per hanc sparsa sunt semina renibus, aut Anagyridis legitimæ fructui simillima, nigro tamen colore nitentia, ac ex umbilico fibris quibusdam

busdam suspensa, ut in eius icone conspicere est. Hæc terræ commissa, plantulas folio Laurinis simili protulerunt; sed quæ subsequente hieme perierint. An Baobab Alpini?

HVIC etiam simillimum, foliis tamen ab hoc diversis, describit Thevetus cap. 10. lib. Singularium Americæ, his verbis: Tres sunt Hesperidum insulæ ad Æthiopum promontorium, Caput viride vulgo appellant. In harum unâ arbor invenitur, folio nostratis fici, fructu duorum ferè pedum longitudine, crasso, magnis oblongisque Cypriis cucurbitis haud absimili. Nonnulli eo fructu vescuntur ut nos Melonibus: continet verò semina fabæ magnitudine, leporinis renibus similia. His quidam simias alunt. Alii monilia ex his collo aptanda conficiunt: siccata enim & bene matura, aspectu pulcherrima sunt.

SED & alium fructum apud Canibales Thevetus & alii tradunt, cuius historia non malè nostro fructui quadrare videtur; præsertim si interiora, quæ à nemine describuntur, demas: idcircò num semina contineat phasiolacea, incertum. Talis autem est descriptio. Inter reliquas arbores quas apud Canibales invenire est, Cohyne est folio lauri, fructu Citrulli mediocris magnitudine, ovi Strutho-cameli forma, qui edulis non est, aspectu tamen pulcher, præsertim onustâ arbore. Canibales ex eo vascula conficiunt: præterea ad arcanum quoddam, & planè stupendum mysterium utuntur. Nam excavatum mayzo aliisve seminibus aut lapillis implent, variisq. plumarũ generibus supernè exornant: deinde inferiori parte pertusum bacillo adaptantes terræ infigunt. Huiusmodi fructus binos aut ternos in singulis tuguriis servare magnâ cum veneratione apud eos moris est. Existimant enim, cùm hunc fructum (Maraka, & Tamaraka ab ipsis nuncupatum) manibus pertractant, crepitantémque ob Mayzi grana iniecta audiunt, cum suo se Toupan, id est, Deo sermones conferre, atque ab eo quædam responsa accipere, sic à suis Paygi (Divinatorum genus est, qui suffitu herbæ Petun, de qua nos alias, & quibusdam obmurmurationibus illorum Tamaraka divinam facultatem tribuere perhibent) persuasi.

Maraka.

Higuëro.


OVIEDVS lib. Indicæ historiæ 8. cap. 4. suum Higuëro tetrasyllabum describit in hunc modum: Higuëro arbor est prægrandis, veluti Morus nigra: Fructum fert Cucurbitæ rotundæ, interdum verò oblongæ similem. Sed qui rotundus est, summâ rotunditate spectatur. Ex eo pateras & alterius generis vasa conficiunt. Materie est robustâ, atque aptâ sedibus, subselliis, ephippiis, aliisque operibus fabricandis; mali etenim medicæ aut punicæ materiam esse diceres. Cortice facile delibratur. Folio est oblongo, angusto, per extremum latiore; à quo ad pediculum usque paulatim angustius fit. Indi nonnumquam præ aliorum fructuum penuriâ hoc vescuntur, hoc est, eius carne, quæ cucurbitæ carni, cùm adhuc viret, similis est. Cortici color & forma Cucurbitæ. Maximus eius fructus libram aquæ continere potest: minimus verò pugnum magnitudine non excedit. Vulgaris est hæc arbor in Hispaniola, reliquisque insulis, & huius Indiæ continente.


CETERVM hunc fructum, quocumque tandem nomine appelletur, quòd rarus esset & peregrinus, non negligendum, sed huic nostræ Epitomæ adiiciendum putavi in gratiam studiosorum rei herbariæ.


PORRO apud me servo ex huius fructus aut huic similis seminibus, quibus excempta est medulla, lora duo filo xylino contexta: alia item bina è fructu quodam anguloso. Constant verò singula lora duplici aut triplici filorum xylinorum ordine reticuli modo contextorum, è quibus dependent vacui fructus eo quem exprimi iussimus modo. His Canibales ad crura alligatis in suis saltationibus uti solent, quemadmodum apud Mauritanos atque etiam Hispanos nolarum & tintinnabulorum usus est: mirum etenim quantum hi fructus ex mutuâ collisione sonitum edant. Posterioris meminit Thevetus cap. 36. Singular. Americæ in hunc modum:


AHOVAI nomen est arboris fructu venenoso & lethali, magnitudine mediocris castaneæ, candido, formâ literam Græcam Δ referente. Huius nucleus præsentissimum est venenum, quod alter alteri in mutuii odiis & dissidiis, præser-

AHOVAI THEVETI.









tim verò viri levissimâ occasione uxoribus infensi; aut contrà, uxores viris indignatæ, dare solent. Peregrinis sanè nullo modo eum fructum recens collectum communicant; atque ab eius etiam contactu liberos suos arcent, nisi cui exemptus sit nucleus.

sit nucleus. Eo etenim excempto, fructu pro nolis utuntur, quas è cruribus suspendunt; tantum enim sonitum edunt; quantum tintinnabula aut nolæ nostrates. Arbor ipsa Pyri magnitudine, folium ternos aut quaternos digitos longum, duos latum, toto anno virens: cortex ligno candicans. Abscissi rami succum emittunt album & quasi lacteum. Arbor præcisa teterrimum spirat odorem: quam ob causam nullius est usus, imò ne igni quidem struendo idonea.

De Mangostans.

CAP. XII.

SED & inter celeberrimos huius Indiæ fructus recensent quendam *Mangostans* incolis nuncupatum, gustus suavitate commendabilem. Eum exigui mali aurei magnitudine esse ferunt, cortice cineteo (alii è viridi nigricante) pulpâ quæ malorum aureorum pulpæ similis sit, sed quæ cortici non adhæreat. *Mangostans. Mangostans descriptio.*

NASCITVR hic fructus in pusilla arbore, Malo vulgari simili. Foliis est laurinis,* floribus luteis. Hunc fructum dulcissimum esse perhibent, non tamen adeò, ut suâ dulcedine nauseam moveat.

* *Huius arboris, in Bantam Iavæ emporio natæ, folia accipiebam anno* M. D. XCIX. *à Francisco Rodrigez Bengalâ regno oriundo, ex Iava reduce, qui cum Hollandis naucleris præcedente anno illuc profectus fuerat. Sunt autem ea folia laurinis maiora & latiora, amplissimorum foliorum mali formam magis referentia, sex aut septem crassioribus venis ex utroque nervi medii latere procedentibus prædita, intercursantibus creberrimis subtilissimisq; venulis, ut quâ parte attrita erant folia, tenuissimis filis contexto rete constare viderentur, sapore atriusculo: quædam porrò folia, quatuor, quinque, sex unciarum longitudinem habebant, trium latitudinem, aut ampliorem, pro foliorum magnitudine; eáque in ambitu non dentata aut crenata.*

De Iambos.

CAPVT XIII.

MAGNA apud Indos in æstimatione est is fructus, cuius nunc mentionem facturi sumus, primùm è Malaca (ubi plurimus nascitur) paucos ante annos huc tralatus.

EST autem is fructus ovi anserini magnitudine, aut paulo major, colore ex candido purpurascente, pulcherrimo, odore rosaceo. Vel, ut veriùs dicam, similis est hic fructus magnis Gallis* recentibus (quas poma de Cuquo nuncupamus) cùm in odore, tum in colore: gustu suavissimo, sed humido. Vocatur in Malaca & hac regione *Iambos*. *Iambos historia. Iambos.*

ARBVSCVLA ipsa in Pruni magnitudinem assurgit, folia ferens magnam similitudinem habentia cum cuspide ferreâ majoris alicujus lanceæ, viridia, aspectu pulcherrima: flos ruber, odoratissimus, gustu acido. Firmis nititur radicibus hæc arbor, quia admodum fertilis est. Post quartum enim annum fructifera, nec semel dumtaxat fert in anno, ut pleræque omnes ferè arbores, sed pluries singulis annis novos edit fructus. *Iambos post quartum annum fructifera.*

CONDIVNTVR tum fructus, tum flores, atque asservantur.

* *Nisi noster auctor Gallas illas maiores, quæ in Robore passim per Hispaniam & Lusitaniam nascuntur, intelligat per Bugualhas grandes, quid sibi velit, ignorare me fateor. Ceterùm eas exiguâ pilâ palmariâ maiores numquam vidi, colore pulcherrimo rubicantes dum recentes sunt, & odoratas. Vel fortè prægrandes illas iuglandes vult, quæ vulgaribus duplo maiores sunt: quandoquidem vulgares suo operimento nudatas* Bugalho *appellare videatur cap. 20. de Maci, lib. 1.*

De Cydoniis Bengalensibus.

CAPVT XIV.

APPELLAVIMVS hunc fructum Lusitanicâ linguâ *Marmelos de Bengala*, id est, Malacydonia è Bengala; quoniam sacchara condita primùm ad me perlata sunt è Bengala, cum hac inscriptione, *utilia sunt adversus alvi profluvia*. Intellexi autem ab amico, qui frequenter in proximas silvas venationis causâ excurrit, hunc fructum non modò in Bengala nasci, sed eius multas arbores in continenti hujus provinciæ inveniri. *Marmelos de Bengala.*

CETERVM legitimum hujus fructus nomen tum in Bengala, tum in reliquis ubi provenit regionibus, est *Sirifole* & *Beli*: Sirifole quidem nomine vulgo cognitus est, Beli verò appellatione medicis dumtaxat, qui in suis scriptis hoc vocabulum sese invenire aiunt. *Sirifole, Beli.*

EST verò ipsa arbor Oleæ magnitudine, aut amplior, foliis Persicæ mali, ejusdemque odoris, floribus paucis & statim deciduis: fructu per initia tenero, colore ex viridi nigricante, cortice tenui, magnitudine exigui mali aurei: sensim verò maturescens fructus auctior *Beli historia.*

fit, do-

fit, donec, jam plenam maturitatem consecutus, in Cydonii mali magnitudinem evadat; cortex autem densatur, exsiccatur, & indurescit veluti putamen nucis Indicæ, quam Coccum vocant.

FRVCTV maturo pulpa sive medulla eximitur, quam in laminas sectam saccharo condiunt. Aut tener adhuc & immaturus muriâ asservatur in usum.

Beli facultates. SOLENT Guzaratenses medici uti hoc fructu tenero adhuc & immaturo, aceto vel saccharo condito, in inveteratis alvi profluviis sistendis: adstrictionem enim illam semper conservant, tametsi matura, cydonia.

Dimas Bosque Medicus. RETVLIT mihi clarissimus vir Dymas Bosque, Valentinus medicus, rei herbariæ peritus, & nunc hîc medicinam faciens, se, cùm castra Illustrissimi Principis Domini Constantini in India pro Rege sequeretur in Iafanapatan, magno & admirabili successu usum esse in profliganda dysenteria, quæ universum ejus exercitum affligebat, cùm ad manum non essent usitata remedia. Etenim nunc ex hujus fructus succo & sacchаro mivam parabat, quam ægris daret: nunc pulpam ejus emplastri modo ventriculo & alvo applicabat; modò pulpam saccharo exceptam, ut in cydoniis solet, ægris exhibebat: interdum fructum assum insperso saccharo: nonnumquam cortices exemptâ pulpâ decoquebat, atque id decoctum per clysteres iniiciebat; similem verò effectum præbebant, qualem balaustiorum aliorumque adstringentium medicamentorum, quibus uti solemus, decocta præstare solent.

AT silentio prætereundum non est, quod eadem castra sequenti contigisse refert. Dederat servo Æthiopi bina hujusmodi mala assanda, ut cuidam militi dysenteriâ laboranti edenda præberet: verùm dum assantur, crepuerunt, ipsaque pulpa Æthiopis faciem, pectus & brachia sic adussit, ut pulvere tormentario ustulatus videretur: quod contigisse puto ob pulpæ lentorem & visciditatem simul & adstrictionem, quæ semel accensa vehementiùs urit, quàm sicca aliqua materia; quemadmodum ferrum incensum magis quàm lignum aut stupam urere videmus.

Scribit Fragosus in sua Rhapsodia (& alii ante eum) in Guatimala fructum nasci Guayavas ab incolis nuncupatum, non minùs adstringentem quàm Cydonia ista Bengalensia, eumq; ad similem morbum (qui incolis eius regionis admodum familiaris est) propinare solere, sed priùs tostum.

De Carambolas.

CAP. XV.

Carambolas. Camariz. Balimba. FRVCTVS est in Goa magnitudine minoris ovi gallinacei, in quatuor, ut videtur, partes distinctus, flavescens, qui in Malavar *Carambolas* vocatur, in Canara & Decan *Camariz*, in Malayo *Balimba*.

Carambolas facultates. NVLLVS ejus in medicina usus, præterquam quòd in febribus quotidianis exhibetur, & ex ejus succo, cum aliis idoneis, fiunt collyria ad oculorum lippitudines utilia.

PLERISQVE bene sapit hic fructus, præsertim qui vinosus est. Saccharo conditur, gratissimusque est palato. Eo verò utor syrupi acetosi loco.

De Ber.

CAPVT XVI.

Bor. Ber. Vidaras. VOCATVR hic fructus in Canara *Bor*, in Decan *Ber*, in Malayo *Vidaras*, præstantior quidem nostrate, sed ei qui in Balaguate nascitur bonitate cedens.

ALIVS alio suavior est, sed tamen aliquid adstrictoriæ facultatis retinet, quoniam numquam ita maturescit, ut commodè exsiccari possit, quemadmodum is qui in Anafegua provenit. Hanc ob causam, expectorantem facultatem obtinere non potest ut Zizipha, è quibus syrupum conficimus. Sed cùm aliis esui aptis malis careamus, uti sunt Camuesæ Hispanis dictæ, commendantur hi apud nos.

DIFFERT arbor à Ziziphis, magnitudine Mali, ejusdemque foliis, minùs tamen rotundis: verùm nonnihil spinosa est.

De

De Ambare.

Cap. XVII.

FRVCTVS est hîc in India, *Ambare* vocant, nucis magnitudine, nullius in medicina usûs. Sed eo solent cibos condire, ut palato gratiores reddantur: maturus enim, odoratus est, gratamque aciditatem retinet. Cartilagineo quodam integitur cortice, virescente, dum immaturus est; at in maturo fulvus color.

* *Lud. Roman. lib. navigat. 5. cap. 15. hunc fructum*, Amba *nominat. Est item, inquit, alius fructus* Amba *nomine. Eius caudex* Magna *dicitur: simillima est arbori; frequentésque, ut Pyro, fructus. Is iuglandem nucem è nostris effingit, cùm iam sunt absoluti. Cùm maturescit, fulvi, eiusdémque splendentis coloris est. Intra corticem occultatur fructus, ut amygdala arida. Damasceno, gustu suavior est fructus: conduntur in cadis, ut apud nos olivæ; sed sunt longè meliores.* *Amba. Magna.*

De Jambolones.

Cap. XVIII.

NASCITVR sponte frutex quidam in agris, Myrti effigie, sed foliis Arbuti. Fert is fructum maioribus olivis persimilem, sed gustu admodum adstringentem; incolæ *Iambolones* vocant. Muriâ condîtur olivarum modo. *Iambolones.*

CETERVM neque hic fructus, neque *Iaca* admodum salubres ab hujus regionis incolis æstimantur.

De Brindones.

Cap. XIX.

IN hac regione est fructus quidam *Brindones* vocatus. Is foris aliquantulum rubicat, intùs verò sanguinis modo rubet: gustu admodum acido. *Brindones.*

INVENITVR interdum foris nigricans (qui color maturitate conciliatur) nec adeò acidus uti superior, qui tamen non minùs quam ille intùs rubeat.

MVLTORVM palato sapidus est hic fructus; meo verò minimè, ob nimiam aciditatem. Eo tinctores utuntur. Cortex verò asservatur, atque mari aliò transvehitur, aceti conficiendi gratiâ: quod à Lusitanis quibusdam etiam in Lusitania factum est. *Acetum è Brindones.*

De Indico Melone.

Cap. XX.

EST apud Indos Melonis genus prægrande & rotundum, oblongius tamen aliquantulum, formaque quodammodo ovali, quod Lusitanis Indiam incolentibus *Pateca* (corrupto ab Indorum *Batiec* vocabulo) dicitur. Hunc Melonem per longitudinem non aperiunt, ut melopepones nostrates comesturi aperimus: sed per transversum secant. Et licet dulcedine à nostris superetur hic Melo, attamen suavis est, refrigeratque mirum in modum & humectat, totâ carne sese in quendam liquorem resolvente. *Melo Indicus. Pateca, Batiec.*

VTILIS est in biliosis febribus, & ardentibus, adversus iecoris & renum ardores, ut experientiâ didicimus. Vrinas ciet: solentque sani eum fructum edere, quatuor horis à ientaculo, quoniam tum maximè fit infestus calor. Meliùs tamen mihi facere viderentur si ab eis suas mensas auspicarentur. *Melonis Indici facultates.*

HVIVS semina (quæ ante maturitatem candida sunt, per maturitatem verò nigra) somnum provocant; eaque reliquis seminibus frigidis, tametsi eis non careamus, præstantiora æstimamus.

REFERVNT Arabes & Persæ primùm ex India hunc fructum ad se delatum, eamque ob causam *Batiec Indi* appellant, id est, Melonem Indicum; quo nomine etiam Avicennæ appellatur multis locis. *Batiec* enim eorum linguâ Melonem sonat. In India verò ab ipsis incolis *Calangari* dicitur. *Batiec-Indi. Calangari.*

MEMINIT hujus Avicenna lib. IV. fen. I. Tract. II. cap. 39. cap. de Tertiana pura, ac eum multis laudibus commendat.

Budiecas.

PVTARVNT nonnulli id Melonis genus quod in Hispaniæ Castellâ nascitur, quodque *Budiecas* vocant, esse hunc Melonem Indicum, & depravato à *Batiec* nomine *Budiecas* appellatum. Sed valdè falluntur. Nam plurimum ab hoc differt cùm foliis, tum plantâ totâ, quæ Melonum Indicorum modo per solum non extenditur & serpit, sed sese in altum attollit.

AIVNT etiam in Africa Indicis similem nasci: sed cùm non viderim, affirmare non ausim.

IGNORABANT eruditi hujus regionis medici, istius Melonis in Medicina usum: (non solent enim ad hujusmodi minutias sese abiicere; & in suis curationibus experientiâ & consuetudine dumtaxat nituntur) sed à me edocti, eis uti cœperunt.

* *Cum hoc fructu similitudinem quandam habere videtur, quam Lodou. Roman. lib. 5. navigat. cap. 15. describit in hunc modum: Habent in Calecut fructus quosdam Cucurbitis similes, sed conditura aptiores. Res est non indigna memoratu. huic nomen est* Comolange. *Oritur incultâ tellure Peponum modo.*

Comolange.

An autem is cuius succum Turcæ & Vngari in delitiis habent exstinguendæ sitis gratiâ? vel Napeca Bellonii lib. 11. Obser. cap. VI. quam vulgari Arabicâ appellatione Copqus *nominari scribit?*

De Mungo.

CAPVT XXI.

Mungo.


EST verò *Mungo* semen viride, quod per maturitatem fit nigrum, Coriandri sicci magnitudine. Pabulum est equorum; interdum tamen etiam ab hominibus editur. Guzarate & Decan incolæ in febribus hoc modo utuntur.

Mungo usus.

FEBRICITANS cibo abstinet per decem, nonnumquam per quindecim dies: post quos hujus fructus decoctum illi propinatur, in quo nonnihil pulpæ remanserit: deinde cortice delibratum *Mungo* & instar Orizæ coctum febricitanti exhibent: Panem verò triticeum non nisi post multos dies: non quòd frumento careant hæ provinciæ; nam etsi non stercorentur & colantur agri, quemadmodum apud nos, sed superficie tenus dumtaxat arentur, nativâ suâ pinguedine & ubertate etiam interdum sine pluviâ, frumentum Novembri mense sibi commissum, medio Ianuario colligendum & maturum exhibet.

* *Meisce habent nostra exemplaria, & additum margini Mes. Mex.*

NASCI etiam ferunt in Palæstinâ hoc Mungo. Ejus meminit Avicenna, lib. 11. cap. 481. vocatque *Messe**, Bellunensis ejus interpres *Mens*: (*Mex* autem debere dici ab eruditis medicis Arabibus edoctus sum.) Item alio loco lib. 1. Fen 111. doct. 11. cap. 7. ubi prohibet aviculas cum Mex* edi, quoniam cùm facilioris sint concoctionis quàm mex, periculum sit ne crudum adhuc mex cùm earum chylo ad hepar rapiatur.



* *Missus est Walerando Donrao ex Ormuz, fructus quidam exiguus Piperis magnitudine, rotundus, striatus, qui Coriandri grana ita æmulatur, ut primùm intuentibus Coriandrum videatur, maius tamen & nigrum: membrana superior granum continet nigricans calidi gustus. Non ineptè quadrare videtur Negundo, tertio huius libri cap. descripto; sed neque etiam huic Mungo: cui exactissimè conveniret, nisi calidus esset, Mungo verò frigidus, quantum ex eius facultatibus colligere licet. Ne tamen locum non haberet, eius iconem cum brevi descriptione hîc inserimus: atque alterius cuiusdam pusilli fructus, quem ad me superiore ætate clariss. vir D. Alphonsus Pancius Medicus, ac publicus in Academia Ferrariensi Professor, misit, quémque* Buna *nonnullis, aliis verò* Elkane *nuncupari tradit.*

BVNA *igitur Fagaræ est magnitudine, aut paulo amplior, oblongior plerumque, colore ex cinereo nigricante, cortice tenui, & veluti sulcum quendam per longitudinem utrimque habente, per quem facilè in duas æquales partes dividitur, quæ singula grana continent, oblonga, alterâ parte plana, fulvescentia, gustu acido. Aiunt in Alexandria potionem quandam ex ea fieri, vim refrigerandi non mediocrem obtinentem. Hunc fructum describere videtur* Rauwolfius *in suo Hodœporico, nomine* Bunnu, *quod ex appellatione, formâ & facultatibus,* Buncho *Avicennæ, &* Bunca *Rasis ad Almansorem simillimum esse censet.*

* *Codices Latini non habent* Mex, *sed* Mest, *cuius interpretatio in margine adposita. Lac coagulatum acetosum, sed minoris acetositatis, quàm lac coagulatum.*

De Curcas.

CAP. XXII.

NASCITVR in Malavar fructus quidam magnitudine Avellanæ cum suo putamine, non tamen adeò rotundus: candidus est, gustu quali sunt tubera cocta: hunc *Chiviquilenga* vocant, id est, exiguum Inhame[a]: in Cairo, ubi frequens est, & quibusdam Malavar locis, *Curcas*; in Cambaya *Carpata*. Dependet ex ramis cujusdam plantæ, quæ seritur: nullius, quod sciam, in medicina usus.

Curcas descriptio. Chiviquilenga. Curcas. Carpata.

QVANTVM conjecturâ consequi possum, videtur Serapio libr. simpl. cap. 225. hujus meminisse, vocasseque *Habelculcul*[b] corrupto vocabulo, cùm *Hab-alculcul* dixisse deberet, quod *Curcas* significat (nisi nos ipsi fortè *Curcas* corruptè vocemus) *Hab* enim magnum semen sonat, *al* articulus est genitivi, quemadmodum aliquando diximus. Scribit autem Serapio ejus frequentem usum seminis quidem copiam facere, sed cholericam quam vocant passionem excitare: quæ omnia Malavares huic fructui tribuunt.

Habelculcul.

EIVS meminit Rhases, de re med. lib. 5. cap. 20. vocatque *Kilkil*, sed forsitan corruptè.

Kilkil.

SED quoniam in Cholericæ passionis mentionem incidimus, ejus caussas, signa, & curandi rationem hìc subiiciemus.

Χολέρα Græcis, Cholera Latinis (vulgus medicorum Cholericam passionem nominat) Indis Morxi, id est, malum ob nimiam cibi ingurgitationem contractum, Lusitanis vocabulum corrumpentibus Mordexi, Arabibus Hachaiza, tametsi corruptè legatur apud Rhazen Saida, morbus est acutissimus, his præsertim regionibus, præsentibusque eget remediis. Nam plerumque intra viginti quatuor, interdum verò decem horarum spatium hominem necat; & quando tardissimè, quarto die.

Χολέρα. Morxi. Mordexi. Hachaiza.

SOLET accidere ob multam cruditatem, aut alimentorum pravitatem, interdum etiam ob immodicum veneris usum; idque magnâ ex parte Iunio & Iulio, qui sunt Indis menses hiberni.

Causa.

PVLSVS languidus est & concisus, difficilis respiratio: sequitur frigidus sudor foris, intus verò incendium & sitis; oculi connivent, vigiliæ torquent, frequens vomitus, & per inferna excretio, ut tandem virtus expultrix planè concidat, & subsequatur musculorum contractio & tensio.

Signa.

DANDA est opera, ut confestim & sine morâ succurratur: ventriculus vitiosis humoribus primùm evacuetur medicamento vomitum ciente, quale est quod hordei & cumini decocto (quod in hoc morbo efficax remedium esse comperi) constat: alvus verò clystere ex hordei & furfuris decocto, oleo rosarum & melle rosaceo colato eluatur: corpus universum pannis asperis & calefactis fricetur, collum, dorsum, & crura calidis oleis inungantur, quale est castorinum & rutaceum.

Curatio.

VBI exacta apparuerit concoctio, datur ægro stillatitius liquor perdicis, aut gallinæ pinguis, è qua pinguedo exempta sit; deinde cum pauxilla aqua Canellæ & rosacea, momentoque coralli & auri, injecta cydonia frustulatim concisa; quæ si recentia non inveniantur, muriâ condita, priùs tamen albo vino diluta. Aqua nulla propinetur, aut, si omnino opus est, pauxillum detur, in qua aurum ignitum exstinctum fit: interdum vinum cum Canella, tametsi in victus ratione hujusmodi calida rarò præscribam, sed foris dumtaxat admoveam (roborando videlicet ventriculo) inunctione ex oleo mastichino & nardino, deinde Canellæ factâ.

PECVLIARIA verò sunt remedia Theriaca vino aut aquâ rosaceâ, aut stillatitio Canellæ liquore macerata, pro necessitatis ratione, unicornu, lignum colubrinum, radix Malacensis, de quibus libro primo. Præsentius verò remedium non inveni tribus granis lapidis Bezar, cuius suprà memini: mirum enim in modum cordis vires reficit.

PORRÒ eum morbum Indici medici hac ratione curant. Propinant ægris aquam decoctionis orizæ cum pipere & cumino: pedibus cauteria admovent, piper longum in oculos iniiciunt: adversus autem musculorum contractiones & tensiones, validis ligaturis brachia, cruraque ad genua, deinde ad pedes usque constringunt, & suum Betre edendum exhibent.

[a] *Exiguum istud* Inhame *quid sit, me ignorare, candidè profiteor; nisi* Trasi, *quod Hispani* Iuncia avellanada *appellant, intelligat. Scio equidem grandem quandam solidâmque radicem inveniri,* Inhame *seu* Igname *nomine insignitam, brachiali aut ampliore craßitudine, pedali verò longitudine, scabro cortice tectam, quâ novi orbis insulani elixâ aut aßâ vescuntur; & similes radices habui munere honestissimi viri, diligentissimique & peritissimi pharmacopœi Wilhelmi Parduyn Middelburgensis civis, in Walachria Zelandiæ insula, tum etiam doctißimi viri Thobiæ Roelsii,*

Inhame seu Igname.

eiusdem urbis Medici, diversas tamen ab ea planta, quam, dum in Lusitania versabar, quidam isto nomine mihi demonstrabant, amplissimis foliis, iuxta aquas, atque in ipsis etiam aquis nascentem, non sponte quidem istic provenientem, sed seri solitam; at quæ semel sata, multis adnatis tuberibus sese propagare soleat. Eam, tametsi nonnulli Arum Ægyptium esse censeant, Colocasiam tamen potiùs videri, in nostra Rariorum Plantarum Historia lib. IV. cap. L. iam demonstravimus. Sed & C. V. Prosper Alpinus, satis disertè Colocasiam describit Libro de Plantis Ægypti.

Colocasia.

[b] *Videtur Serapio eo loco (quod pace nostri Auctoris dictum volo) non Curcas intelligere, sed suum potiùs Secacul.*

De Caceras.

CAPVT XXIII.

Caceras descriptio.

INVENITVR hîc radix Trasium modo in ipsis terræ visceribus nascens, quæ deinde per siccitates cauliculum emittit dodrantalem, folia simul implicata, virentia, Iridi luteæ aquaticæ, sive Gladiolo similia. Dehiscente per siccitates terrâ, exilit tuberum modo: deinde siccata, castanearum saporem refert: non siccata autem, ingrati saporis est. *Caceras* hîc vocant.

* *An μαλιναθάλλη, quam Theophrastus cap. X. lib. IV. sive Anthalium, quod Plin. cap. XV. lib. XXI. describunt, vulgo Trasi nuncupatum, folio Cyperi?*

De Datura.

CAPVT XXIV.

Datura descriptio.

PLANTA quam hujus regionis incolæ *Datura* appellant, caule est crasso & alto, foliis Acanthi similibus, minoribus tamen, per extrema & in ambitu acuminatis seu angulosis, multosque secundùm longitudinem nervos habentibus, insipidis ferè, nisi quòd admodum sint humida, & gustu nonnihil amara, odoremque foliorum Raphani aliquantulum æmulentur. Flos in extremis ramis provenit colore * Rorismarini, magnâ ex parte rotundus. Nascitur in Malavar. Ex odore judicare licet hanc stirpem insalubrem esse.

Datura mentem offendit.

INIICITVR à furibus hic flos, aut ejus semen, in cibos eorum quos deprædari volunt: mente enim quodammodo alienantur, quotquot id medicamentum sumunt, & in risum solvuntur, magnâ cum libertate sinentes quod lubitum est deprædari. Durat verò hæc mentis alienatio viginti quatuor horarum spatio.

Curatio.

PRIMA cura esto, vomitum cientia exhibere, ut quidquid in stomacho remansit, unà cum cibo eiiciatur: deinde evacuare & divertere oportet validis clysteribus, & forti brachiorum crurumq. paulo supra pedem confricatione, ac fortibus ligaturis; interdum etiam cucurbitulas applicare: quæ si non iuvent, venam secare in majore pedis articulo necesse est.

HORVM remediorum usu, nemo ex meis unquam periclitatus est: sed omnes Dei beneficio intra viginti quatuor horarum spatium curati.

PROPINATVR à plerisque hoc medicamentum ridendi & relaxandi animi gratiâ, cùm vident eos, qui id sumpserunt, velut amentes & ebrios ferri. Attamen non placet hic ludus; & ne in servis quidem experiri velim.

* *Inepta prorsus floris comparatio, quandoquidem tum formâ, tum colore, cum Stramonia aut convolvoli flore veriùs conferendus fuisset.*

De Bangue.

CAP. XXV.

Bangue. Osium.

QVIA nonnulli in ea opinione fuerunt, ut putarent *Bangue* Indis dictum ab Opio, quod illis corruptè *Osium* vocari dixi, non differre; non abs re fore duxi, pauca de *Bangue* disserere.

Bangue descriptio.

EST igitur Bangue planta Cannabi haud absimilis, at hujus semen Cannabino minus est, nec ita candicans: deinde stolones lignosi nullo ferè cortice vestiuntur, contrà quàm in Cannabi. Postremò Indi hujus semen & folia edunt ut fiant in venerem prócliviores, [a] cùm Auctores contrarias facultates Cannabino semini tribuant, videlicet, quòd genitale semen exsiccet.

Bangue succus.

COGITVR autem hic succus è foliis contusis, interdum ex semine, cui nonnulli admiscent faufel virentem (nam inebriant, & quodammodo sensus cerebri lædunt) aut nucem

cem moſchatam, & macim, interdum garyophyllos, interdum caphuram de Burneo cognominatam, alii ambarum & moſchum, plerique opium, ut potentiores Mauritani. Nullam verò ex eo aliam utilitatem capiunt, niſi quòd in extaſin quodammodo rapiantur, atque omni ſolicitudine liberentur, tenue quiddam ridentes.

CETERVM ejus uſus primùm excogitatus eſſe dicitur, ut Imperatores exercituum & militares homines, qui perpetuis vigiliis torquerentur, hoc Bangue, aut vino, aut opio epoto, veluti ebrii ferrentur, & omni velut ſolicitudine & labore ſoluti, altiùs dormirent.

SOLEBAT enim dicere magnus Sultanus Badur Martino Alfonſo de Souſa regio conſiliario, quem plurimum diligebat, & cui ſecretiora conſilia credebat, quòd cùm in ſomnis adire vellet Luſitaniam, Braſiliam, Aſiam minorem, Arabiam, vel Perſiam, pauxillum Bangue dumtaxat ſumebat, quod ſaccharo conditum, & ſuprà recitatis ſimplicibus permiſtum, *Maju* vocant. *Sultanus Badur.* *Majú.*

[a] *Huius rei causâ dubitat Fragoſus, an herba illa ſit ab Indo allata, cuius meminit Theophraſtus lib. IX. cap. XX. Plant. Hiſt. ſed neſcio quàm aptè. Ego potiùs cum ea planta convenire exiſtimarem, ex qua Turcæ ſuum* Maſlac *componunt, quámque Cannabi congenerem eſſe, mihi relatum ab iis qui apud Turcas diu verſati.*

De Anil.

CAPVT XXVI.

ANIL Arabibus, Turcis, omnibusque iis nationibus dictum, vocatur in Guzarate, ubi fit, *Gali*, nunc verò pleriſque *Nil*. *Anil.* *Gali.* *Nil.*

HERBA eſt quæ ſeritur ſingulis annis, Ocymo [*] ſimilis: eodem enim modo colligitur, & ſiccata maceratur. Hanc deinde probè contuſam, & in panes coactam, per aliquot dies ſiccandam exponunt; & ſiccata, viridi colore prædita videtur: quoque magis exſiccatur, eo magis ad cæruleum tendit; donec tandem in cæruleum exſaturatum ſive venetum colorem evadat.

ID Anil probatur, quod maximè purum eſt, quodque uſtum arenæ modo non remanet, ſed in tenuiſſimam farinam diffunditur. Alii id præferunt, quod in aquam conjectum fluitat. Leve igitur eſſe debet, & bene coloratum. *Anil delectus.*

[*] *Mangiriquam habet Auctor: quod vocabulum, quotquot Luſitanos conſului, Baſilicum ſeu Ocymum interpretati ſunt. At mihi iniqua admodum iſta comparatio videtur. Siquidem non ſolemus ex Ocymo paſtillos conficere, ſed potiùs ex Iſatide, quæ cum huius plantæ deſcriptione multo elegantiùs quadrat.* Mangiriquam.

Sed hîc Fragoſi inſcitiam mirari licet, qui in Rhapſodia ſua (quam ex Orta, meiſq; in illum ſcholiis, tum etiam ex Monardis Simplicium in India Occidentali naſcentium hiſtoriâ maximâ ex parte contexuit; malignè tamen ſuppreſſo omnium nomine, ſed cui ſi alienæ plumæ detrahantur, cornix Æſopica fiet furtivis nudata coloribus) nugatur me velle Mangiriquam eandem plantam eſſe cum Iſatide, quam exiſtimo pluribus notis cum Anil noſtro Auctori deſcripto potiùs convenire, quàm Ocymum, cuius foliis ſuum Anil depingit. Sed an, quæſo, Anil quod meus hic calumniator poſtea deſcribit, quódque in Occidentali India coli aſſerit, cum Ocymo peculiare quidquam habet? Imò ipſum nil niſi Iſatidem deſcribere, vel mediocriter in re herbaria verſatus facilè iudicabit. Memini ante aliquot annos ex Anil ſemine Alexandria miſſo, cuius planta iſtîc magno in uſu eſt, natas mihi ſtirpes, quæ Lentis ſeu Coluteæ minoris foliis conſpicerentur, floréſque luteolos ſparti Græcorum (quod Hiſpani Retama vocant) omnino ſimiles proferrent, quas ſubſequentis hiemis aſperitas ſuſtulit. At poſtquam C. V. Proſperi Alpini Librum de Plantis Ægypti videre contigit, animadverti illud ſemen Alexandriâ miſſum Anil appellatione, Sesban ipſius fuiſſe (eius fortè qui mittebat errore, cui, quum varia ſemina diſtribuenda eſſent, Sesban ſchedæ, Anil nomen adſcripſerit) nam pulcherrimè, quam exhibet Sesban effigies, cum plantâ ſemine mihi natâ conveniebat. Sesban autem frutice Ægyptios uti ſcribit Alpinus, ad texendas ſepes diſtinguendorum hortorum gratiâ, eiúsque ſemen in medicum uſum uſurpari: utile enim æſtimari ad humentem ſtomachum ſiccandum & roborandum; illius decoctum aut pulverem, cohibere quemcumque alvi fluxum, nec minùs immoderata menſtruorum profluvia.

De Anonymo.

CAPVT XXVII.

NASCITVR in Malavar planta miræ naturæ: nam ſi quis manum admoueat, ilicò contrahitur. Folia Polypodii, flores verò luteos habet. Nullus veterum huius, [a] quod ſciam, mentionem fecit. Eam verò intelligere videtur, qui Americam deſcripſit [b], quoniam in Peru provinciâ plantam naſci aſſerit, cuius folia ſolo contactu ſiccantur. *Planta peregrina.* *Planta in Peru naſcens.*

[a] *Huic tamen non admodum abſimilis videtur Æſchynomene, cuius Theoph. Hiſt. plant. lib. IV. cap. III. meminit. Naſcitur, inquit, peculiaris quædam arbor circa Memphim, non foliis, vel ramis, vel totâ formâ peculiare quid ſortita, ſed eventu: facies enim eius ſpinoſa, folium filici ſimile, ut Gaza vertit; vel pennis, ut Plinius: ſed cùm ramulos quiſ-*

piam contigerit, folia veluti areſcentia ac langueſcentia contrahi aiunt, deinde paulo pòſt ad vitam redire.

[b] Franciſcus Lopez de Gomara in Hiſtoria generali cap. 194 & 205. Eam autem arborem cenſebat eſſe Doctiſſimus vir Simon de Tovar, Hiſpalenſis Medicus, Acaciæ veræ arborem, quam ex Occidentali India accepiſſe ſcribebat, miſſis ad me ramulis eius, ſua folia retinentibus, pro ſpecimine, qui ſanè perſimiles erant ramulis & foliorum aliis, quæ in plantulâ Ægyptiacæ Acaciæ ſemine anno Chriſti M. D. XCVI. *mihi natâ conſpiciebantur,*

De quibuſdam Indiæ Regibus.

CAPVT XXVIII.

CETERVM, quoniam plerumque Nizamoxa & quorundam Indiæ Regum in his noſtris commentariis mentionem fecimus: non alienum à noſtro inſtituto fore iudicavi, ſi quid de his aliiſque nonnullis Orientis Regibus commemorarem.

ELAPSI ſunt igitur circiter trecenti anni, quòd potens quidam Rex in regno Dely, magnam illius Indiæ, quæ intra Gangem eſt, partem occupavit, & regnum Balaguate ſive Balagate, quibuſdam Regulis Gentilibus ademit.

Reisbutos. EODEM tempore tyrannidem in Cambaya occupârunt quidam Mauritani, expulſis legitimis dominis Gentilibus, quos *Reisbutos* vocant.

Venezaras. Colles. A REGVLIS Balaguate originem ducere creduntur, quos nunc *Venezaras* appellant; tum alii hanc regionem incolentes, *Colles* nuncupati. Sed tum hi, tum quos Reisbutos vocant, prædâ & latrociniis vitam in hunc uſque diem ſuſtentant. Illis totum regnum Decan; his Reisbutis ſcilicet, Cambaya regnum tributum pendunt, ut ab eorum incurſionibus ſe redimant. Nec hactenus à vicinis Regibus domari potuerunt: nam ſtrenui ſunt & militares viri. Sed etiam ipſi Reges, pecuniarum avidi, illos impunè graſſari ſinunt, modò prædæ partem auferant.

Regnum Dely. EST verò hoc regnum Dely procul in continenti ſitum Septemtrionem verſus, & Coraſone uſque extenditur. Frigida admodum eſt regio, nivibus & gelu per hiemem non minùs divexata, quàm noſtra Europa.

Mogores, Tartari. HOC regnum occupârunt, elapſi ſunt triginta amplius anni, *Mogores*, quos *Tartaros* nuncupamus (ejus verò Regis Dely fratrem in aula Sultani *Bhadur* Regis Cambaya, magno honore affectum vidi) ſed aliquanto pòſt tempore Tartaris ademptum eſt idem Regnum ab uno Equite, qui infenſus Regi Bengala, quòd ipſius fratrem occidiſſet, ſeditionem adverſus Regem movit, eoque trucidato regnum Dely aliaque multa regna occupavit, ita ut omnium ſui temporis potentiſſimus Rex fuerit exiſtimatus. Nam à viris fide dignis accepi, ejus ditionem octingentas leucas ambitu occupaſſe.

Xabolam. ERAT hic eques initiò dominus montium quorundam vicinorum regno Bengala, vocatuſque fuit *Xabolam*, id eſt, Rex mundi.

Tamirhan. Tamberlanes. Tamir-langue. DE hujus geſtis major hiſtoria conſcribi poſſet, quàm de magno *Tamirhan*, quem nos corrupto nomine *Tamberlanem* vocamus, nonnulli *Tamir-langue*, idque melius, quòd *Tamir* proprium ejus nomen fuerit, & *Langue* *claudum ſignificet, quemadmodum ipſe erat.

Xa-holam. CETERVM cùm hic Rex *Xa-holam* occupaſſet Decan & Cuncam, nec poſſet tantum imperium continere, rediit ad ſua: & his poſtremò occupatis regnis ſuum conſobrinum præfecit.

DELECTATVS eſt ſemper ejus conſobrinus peregrinis nationibus, quales Turci, Aſiæ minoris, quam nunc Natoliam appellant, incolæ: Rumes, qui Thraces ſunt: Coraſones, quos nonnulli Arios putant, & Arabes.

Adelham. Idalcam. DIVISIT autem regnum in provincias, quibus præfectos dedit. Maritimam eam regionem quæ ab Angediva uſque ad Ciſardam per ſexaginta leucas extenditur, deinde interiori regione cum aliis terminatur provinciis, gubernandam dedit *Adelham*, quem nos *Idalcam* appellamus. Ei provinciæ quæ à Ciſardam uſque ad Negatona extenditur per viginti leucas, interiori verò regione aliis provinciis, & Cambaya jungitur, præfecit *Nizamaluco*. *Nizamalnco.*

Guate mons. Bala, faſtigiũ. HI ſolùm duo præfecturam obtinuerunt in Cuncam, qui tractus eſt maritimus uſque ad montem *Guate* appellatum. Latè patet hic mons, & multis locis præaltus eſt: illud autem mirum, ejus faſtigium in pulcherrimam planitiem deſinere. Et quoniam linguâ Perſicâ *Bala* faſtigium ſignificat, *Guate* verò montem, vaſta illa ultra eum montem provincia, nomen *Balaguate* invenit, quaſi dicas, ſupramontanam vel ultramontanam.

Imadmaluco, Madremaluco. BALAGVATE igitur provinciæ præfecti ſunt *Imadmaluco*, quem nos *Madremaluco* appellamus, & *Cotalmaluco*, & *Verido*.

Cotalmaluco, Verido. ERANT verò omnes iſti Præfecti, peregrini natione, præter *Nizamaluco*, quem ex

Decan

Decan oriundum prædicant, & filium esse unius Tochà Regis *Daquem*, cum cujus uxore stupri consuetudinem habuerit Rex *Daquem*. Hinc fit ut *Nizamaluco* ex regia stirpe se prognatum prædicet: reliquos verò Præfectos, Regis esse servos & regiâ pecuniâ emptos. Rex Daquem.

SVCCESSV verò temporis factum est, ut hos omnes Præfectos tæderet obsequii regii. Conjuratione itaque inter se factâ, provincias, quibus præfecti erant, singuli sibi occupârunt, & captum Regem *Daquem*, in Beder primariâ regni Decan urbe, *Verido* uni ex Præfectis custodiendum dederunt.

De istis Præfectis qui Regnum Daquem occupârunt, consulendum censeo cap. XXXV. *lib.* II. *Historiæ Indicæ Ferdinandi Lopez de Castaneda.*

HVIVS conjurationis etiam participes fuerunt Gentiles quidam, veluti *Mohadum coja*, & *Veriche*; quibus cesserunt regiones amplæ cum aliquot opulentis urbibus: videlicet *Mohadum*, urbs Visapor, quæ nunc est regia *Idalcam*, & Solapor & Paranda, quas postea illi ademit *Nizamaluco*. *Veriche* suam provinciam retinuit, quæ Cambaya & Nizamaluco provinciæ contermina est. Mohadum coja. Veriche.

PROAVVS ejus *Adelham* qui nunc vivit, unus è coniuratoribus fuit natione Turcus: mortuus est anno quingentesimo trigesimo quinto supra millesimum. Valde potens is semper fuit: at ei bis ademerunt Lusitani civitatem Goa, quæ ducentis leucis ab ostiis fluminis Indi, quem incolæ *Diul* vocant, abest. Adelham.

AVVS ejus *Nizamaluco* qui nunc rerum potitur, pater illius mei amici, quem aliquoties curavi (à quo plus duodecies mille pardaons accepi; & si aliquot mensibus singulis annis apud eum hærere vellem, in stipendium annuum offerebat quadraginta millia, [a] quod accipere nolui) obiit anno nono supra millesimum & quingentesimum. Hic erat, ut suprà dixi, ex Decan. Nizamaluco.

IMADMALVCO, vel *Madremaluco*, natione Circassius fuit, initiò Christianus: mortuus is est anno millesimo quingentesimo quadragesimo sexto. Imadmaluco.

COTALMALVCO, natione Corasone, mortuus est anno quadragesimo octavo supra millesimum & quingentesimum. Cotalmaluco.

VERIDO, natione Hungarus, & initiò Christianus, anno millesimo quingentesimo & decimo mortuus est. Verido.

CETERVM antè quàm ad horum nominum interpretationem accedamus, quædam præmittere lubet huic nostro proposito deservientia.

RAO linguâ indigenâ Regem significat: *Naique* verò Tribunum militum, aut Capitaneum vulgò vocatum. Admissuri ergo hi Reges aliquem Gentilem indigenam in suum famulitium & ministerium, si exiguo honore dignum illum censent, proprio ejus nomini vocabulum *Naique* adnectere solent, ut, *Salua-naique*, *Acem-naique*: Si verò multo honore, *Rao* vocabulum adiiciunt, ut *Chita-rao*, quem ego novi: magnificum verò est nomen, nam *Chita* Lyncem sonat: igitur *Chita-rao*, Rex Lyncis fortitudine. Sed *Rao* simpliciter & sine additione prolatum, Regem Bisnager per excellentiam significat, qui olim certè ab *Adelham* multum divexatus est: nunc verò, reliquis totius Decan regulis potentior est, & ab eis fidelitatem accipit, ut omnium rerum est vicissitudo. Rao. Naique. Rex Bisnager.

SED ut ad rem redeamus. *Adel* lingua Persica *Iustitiam* significat: *Ham* verò apud Tartaros Regem sonat: & quia eos, quibus favent, Ham vocant; hinc factum est, ut *Adel-ham*, quasi Rex iustus dictus sit, cùm ipse & ejus similes justitiam minimè coluerint. Hunc Hispani *Sabayo* appellant; nam, ut intelligo, Arabica & Persica lingua *Saibo* Dominum sonat, quo nomine per excellentiam vocatur. Adel-ham. Sabayo. Saibo.

MALVCO regnum sonat, & *Neza* lanceam linguâ Persicâ: hinc dictus est *Nizamaluco*, quasi lancea regni. Maluco. Neza.

SIC *Cota* idem est Arabibus quod Arx Latinis: inde *Cotalmaluco*, id est, arx regni. Cota.

IMAD eâdem linguâ Solium sonat: hinc *Imadmaluco*, id est, Solium regni. Imad.

VERIDO conservationem significat: inde *Melique verido*, tanquam Rex conservationis dictus. Vocati sunt autem à nonnullis hi Præfecti, non *Maluci*, sed *Meliques*, quasi Reguli. At nec *Maluco* propriè regnum significat, sed regionem aut provinciam. Verido. Melique.

PORRÒ quoniam *Nizamaluco* interdum à me *Nizamoxa* appellatur, hujus vocabuli significationem minimè prætermittendam esse duco. Nizamoxa.

XA-ISMAEL pater ejus *Xa-tamas*, qui nunc rerum in Persia potitur, ex humili genere evectus est in summum Imperatorem: & controversiam cum Turcorum Imperatore habuit super sua religione. Is omnibus vicinis regionibus, quæ ejus religionem excipere non vellent, cruentum intulit bellum. Huic succedens filius *Xa-tamas*, idem mandatum dedit Regulis regionis Decan: & eos titulo *Xa*, quod Regem Persicâ linguâ sonat, decoravit. Hinc factum est, ut nunc *Adel-xa*, *Nizamo-xa*, *Cotumi-xa* appellentur, nomenque regium Xa-Ismael. Xa-tamas. Xa. Adel-xa. Cotumi-xa.

ſaltem retineant: tametſi monetam cudendi facultatem non habeant, niſi æream. Huius religionem amplexus eſt *Nixamo-xa* : at reliqui Reguli, poſt Legati ejus abitum, eam rejecerunt.

Sofi. *Sufy.* Hᴠɴᴄ *Xa Iſmaël* appellârunt etiam Turci *Sofy:* quoniam ſui exercitus Imperatorem virum ſtrenuum habuit nomine Sufy.

Xeque. Sᴠɴᴛ qui *Xeque* non *xa* dicendum putent: ſed errant. Nam tametſi *Xeque* dignitatis ſit nomen, quippe *Xeque* ſenem ſignificat (unde dicuntur *Xeques* Arabes) tamen *Xa-Iſmaël* dicendum, id eſt, Rex Iſmaël.

Xᴀ vocabulum me invitat, ut aliquid de ludo latrunculorum hîc addam, qui admodum familiaris eſt Perſis, & Mauritanis, tametſi apud eos alia ſit ludendi ratio.

Goazir. *Fil.* *Guora.* *Rochba.* *Piada.* Rᴇɢᴇᴍ *Xa* nuncupant; quoties verò eum impetunt, minimè *Xaque* dicunt, ſed *xa*; quaſi dicerent, Moneo te Rex, ut loco te moveas. Reginam appellant *Goazir*, id eſt, Præfectum regni, ſeu quem Coneſtabilem vocant: Delphinum ſive Sagittarium, *Fil*, id eſt, Elephantum: Equitem, *Guora*, id eſt, Equum: Turrim autem, ſeu quem Elephantum dicimus, *Rochba*, id eſt, Tigridem : peditem, *Piada*, hoc eſt, virum qui pedes prœliatur.

Temir cutlu. *Acſac cutlu.* * *Matthias à Michou, lib. 1. de Sarmatia Aſiana, cap. 10. paulo aliter, ubi de Tartarorum imperatoribus agit: Quartus, inquit, Imperator ex Bathi genitus fuit.* Temir cutlu, *& interpretatur ex Tartarico felix ferrum*, temir *felix, &* cutlu *ferrum: erat ſiquidem felix & bellicoſus. Iſte eſt Tamerlanes in Hiſtoriis celebratus, qui totam Aſiam vaſtavit, & uſque ad Ægyptum pertranſiit, &c. Et paulo pòſt: Fuit & alius princeps Tartarorum eo tempore* Acſac cutlu, *quod in Latino ſonat claudus, vel claudum ferrum: quoniam claudus erat, ſed ferox. Is multa bella feliciter geßit, &c.*

[a] *Ingens ſanè ſtipendium, quódque meam fidem ſuperat, quandoquidem Ferdinandus Lopez de Caſtagneda, qui earum rerum, quas Luſitani in Orientali India geſſerunt, hiſtoriam ſcripſit, dicat cap.* XCVIII. *lib.* II. *Proregem Indiæ Franciſcum de Almeida, anno milleſimo quingenteſimo nono, ipſi Nizamaluco annuum tributum decem millium aureorum cruciatorum imponere voluiſſe, quod Emanueli Regi Luſitaniæ penderet; Nizamalucum autem reſpondiſſe, ſe ægrè bis mille dare poſſe, niſi totam ſuam provinciam ſummo detrimento afficere vellet: itaque in numero errorem commiſſum eſſe arbitror; & quatuor pro quadraginta reponendum, vel etiam minor numerus.*

Fɪɴɪs.

PERVTILES QVAEDAM IN AROMATVM GARCIÆ Hiſtoriam

NOTÆ.

CAROLVS CLVSIVS Candido Lectori.

QVONIAM *Arabicæ linguæ ſum ignarus, factum eſt, ut Arabica vocabula, quibus Garcias in ſua Aromatum Hiſtoria uſus eſt, non immutârim quum eam è Luſitanico ſermone Latinam faciebam, ſed reliquerim ut deſcripta reperiebam: eadem de cauſa, quoties illa Hiſtoria recuſa, nihil in iiſdem vocabulis immutatum. Verùm quum me poſtea moneret V. C. idemque doctiſſimus, & Arabicæ linguæ peritus, multa Arabica vocabula in ea Hiſtoria corrupta reperiri: ipſum pro noſtra amicitia rogabam, ut illa correcta mihi communicare vellet; quod ſanè libenter fecit: idq; non modò præſtitit, ſed perutiles præterea Notas in totam illam Hiſtoriam addidit, quas tibi, Candide Lector, etiam communes eſſe volui. Viri nomen, ut ſcires cui acceptas eas ferre debeas, libenter protuliſſem, ſi ille paſſus eſſet. Nihilominus tamen, iis interim fruere.*

CAPVT PRIMVM.

Ambar Arabibus dicitur.] عنبر Arabibus quidem dicitur. Sed Æthiopica lingua ita quoque vocat Balenam: quo magis accedo ad eorum ſententiam, qui ita dictum volunt, quod vulgo perſuaſum ſit Balenæ ſemen eſſe: non ſane, quod verum ſit; ſed quia id falſo vulgus putavit, ideo a Balena, quæ dicitur *Ambar*, ita ſuccinum vocarunt. Neque vero ullus dubitabit verum eſſe, qui ſcit, etiam teſte ipſo Garcia, totum Æthiopiæ tractum Ambaro abundare, quod in litore maris legitur. Quod autem a fluctibus maris in litus ejectari ſoleat Ambar, præclare oſtenderat Aviſenna. Sed ea non leguntur in Latino Aviſenna. Ideo nos illa
,, ex codice Arabico converſa retulimus. Quod autem
,, quidam aiunt illud eſſe ſpumam maris, aut ſtercus
,, animalis, valde alienum eſt. Ego vero audivi ex
,, quodam fide digno, quum ipſe narraret mihi, ſe,
,, quum eſſet juvenis, fuiſſe in mari & navigaſſe.
,, Quum ego, inquit, ingreſſus eſſem regionem quan-
,, dam maritimam, quæ ab indigenis vocatur *Bachach*,
,, & ſudus dies eſſet, eram cum quibuſdam in litore,
,, & ab agitatione maris inveniebamus diverſorum
,, fragmentorum & colorum Ambar: & quicumque
noſtrum occupavit ſumere, id illius fiebat. Sciſci- ,,
tante autem me ex incolis illarum regionum, de ea ,,
re, ejusque cauſſa, reſponderunt, eam eſſe conſue- ,,
tudinem maris, idque contingere perpetuo in mul- ,,
tis temporum intervallis. ,,

Maximum vero quod unquam viderim fragmentum, quindecim libras pendebat.] Longe majora fragmenta in tractu Sofalæ expui a tempeſtatibus ſcribit auctor Geographiæ Arabicæ in fine partis ſeptimæ Climatis primi. Ex hoc mari ,,
educitur Ambar plurimum optime fragrans: & qui- ,,
dem ex eo eſt, quod ſit centum librarum, plus ,,
minus. Eſt autem id quiddam, quod evomunt fon- ,,
tes in imo maris, cujuſmodi ſunt fontes Naphta. & ,,
quando invaluit tempeſtas, ventus eiicit illud in ,,
litus.

CAP. II.

Planta, de qua hoc capite agitur, item illa, cujus mentio Proverbiorum Solomonis VII, 17: & Cantic. IV, 14, uno nomine ambæ vocantur ἀλόη. Sed quam diverſæ eæ ſunt, tam diverſa nominum origo. Nam ea de qua hoc caput agit, a Syris עלוי, ab

Æthiopibus עלץ dicitur: unde sine ulla pronunciationis immutatione nomen Græcum profectum est. Alterius autē plantæ nomen & ipsum quoq. ab Hebræo deductū אלחית vel אלהות. Vnde colligimus vocem unam diversa significantem a diversa origine proficisci. Sed Arabes proprium nomen & a Syriaco sejunctum habent, quo planta, de qua hic sermo est, vocatur. Dicitur enim صبر *Cebar*. item cum articulo الصبر *Acibar*, quod lingua Toletana retinuit, sed Lusitana depravavit *Aceure*.

medicamentum habent, cui nomen Mocebar.] Arab. مُصَبَّر

Scholio d.] Recte Plinius, si quidem ejus mens bene intelligatur. Loquitur enim de Aloe cadaverum conditorum, de qua Evangelium Iohan. XIX, 39. Iudæi enim corpora sua μίγματι ἀλόης καὶ μύῤῥας condiebant, quæ non solum ævo Plinii, sed & nostro quoque effodiuntur, quam *Momiam* vocant.

CAPVT III.

Halthith per aspirationem, non Althith, scribendum: Arabice enim est حلتيت

Quod Dioscorides Σίλφιον vocat, id Avisena انجدان *Angiaden*: quod alii *Aniuden* pronunciant. Et frustra quidam dubitant, an Avisenæ *Aniuden* sit Σίλφιον, quum Avisena in capite de *Halthith* statim initio Dioscoridem citet, adducta ad verbum Silphii descriptione ipsius Dioscoridis. Quæ omnia verba desiderantur in Latino codice & in Hebraico.

regionem Chirvam.] Ita sane habet codex Latinus Avisenæ. Sed intelligendum est Κυρήνην urbem, quæ olim Silphii feracissima fuit, vocari القيروان *Alkirwan*. quare vertendum erat, ex regione Cyrenarum. Item *Kiruan*, non *Chirvan* scribendum. Hodie dicitur *Alkiroan*.

Althith Almaharuth.] In Avisena Latino legitur: Est gummi *Almharut*. Sed quia Avisena citat ex Dioscoride, quæ neque in vulgatis Dioscoridis exemplaribus præter pauca verba, neque in Latino Avisenæ omnino leguntur, ex Arabico codice
» ea huc ad hujus loci illustrationem adduximus. Ait
» Dioscorides in libro suo, Halthith esse succum An-
» geiden, incisa radice ejus & caule, quibus incisis ma-
» nat Halthith. Quum autem quis Halthith Cyrenai-
» cum lingua degustaverit, statim apparet in cute ejus
» quidam veluti herpes, & odor ejus non est graveo-
» lens: ac propterea qui degustavit illud, juvatur in
» halitu confestim. Altera vero species Halthith, quod
» cognominatur Syriacum, languidiores vires habet,
» ac Cyrenaicum. Omnes autem ejus species adul-
» terantur antequam siccentur, Sagapeno immixto,
» aut fabæ farina. Deprehenditur autem dolus gustu,
» odore, colore. Sunt qui plantam vocant Silphion,
» radicem Magydarim, quod est Elmaruth. In his
» pollentior est succus, deinceps folium, postremo
» caulis. In terra Libya autem nascitur simile quid ra-
» dici arboris *Angeden*, nisi quod hoc tenuius est. hoc
» vero acre, sine odore, quod vocatur *Macudelsaph*: eos-
» dem effectus efficiens. In summa Halthith est duarum specierum, &c. Hæc maluimus vertere crassa Minerva, ne quid verborū Avisenæ deperiret, quam aliquid in detrimentum sententiæ omittere, aut mutare, dum nitori orationis consulitur. Porro Garcias putat Almahrut esse cognomentum hujus medicamenti, & ita dictum a regione unde advehitur. Sed fallitur. Nam محروث Maruth est radix Silphii, quæ Μαγύδαρις Libyco sermone dicebatur.

Asam vertit.] Non est tergiversandum. *Asa* non est commentum Gerardi Carmonensis, quod Garcias sibi persuadet. Sed jamdudum nomen illud depravatum est ab officinis ex Latino Laser: quemadmodum & Latini veteres seplasiarii Laser depravarunt ex eo, quod erat Lac Silphii: quod indubitatum est.

Gerardum veram linguam Arabicam ignorasse.] Non est ferendus. Gerardi Carmonensis tralatio ubique arguit ipsum & Arabismi peritissimum & fideliorem, quam nitidiorem interpretem fuisse. Sed melius est ita legi Avisenam, quam a Simiis, dum ornatius loqui student, interpolari.

Est vero Vzbeque pars Tartariæ.] Quomodo pars Tartariæ potest esse, si vicina Babyloni? Hæ meræ sunt nugæ.

Magarabi.] مغربي Magarabi Occidentalem significare verissimè dixit. Inde etiam *Los Algarves* in Lusitania dicti, quasi Occidentales. Nam *Garbi* tam vere dixit Occidentem significare, quam falso *Ma* eorum: in quo penitus Arabismi, cujus peritiam profitetur, imperitissimum probat se fuisse. Nam quæ in Latina scriptione prima syllaba est in Magarabi, ea in Arabico est tantum litera Mim, quæ ex verbis solet formare quæcunque nomina, & ex verbis etiam nomina facit.

Rob alçuz.] Quod Arabibus çuz succum significare ait, ridiculum est. id enim est γλυκύῤῥιζα: & Robalçuz nihil aliud quam succus liquiritiæ densatus.

CAP. IV.

Amfiam.] Arabes Græco vocabulo افيون Ofiun: ut est apud Avisenam. aliis vero انفيان Anfian. Sed idem est. Nam Arabismus ignorat π Græcum: quod quum exprimendum est, præponit Nun. Itaque quamvis literæ concipiant Amfian: tamen lectio καὶ ἐκφώνησις edit ὄπιον.

quam Ihumani, quasi Ionicam dicas.] Est error Typographiæ in Garciæ libro. legendū *Ieunani*. يوناني ita τὸ ἑλληνικὸν vocant.

Meceri vocant.] مصر Hoc nomine tota etiam Ægyptus dicitur etiam Hebræis מצרים.

Caxcax vocant.] خشخاش

CAP. V.

Ben-jui.] Hoc est ὀπὸς ex Iava insula. Nam omnis lacrima odorifera, sive liquor, vel ὀπὸς ἐδώδης uno nomine بان Ben Arabibus dicitur. Itaque, ut dixi, *Ben-Iavi* بان جاوي est lacrima Iavensis, non autem بن filius de Iava, ut ridicule noster hic Garcias infra interpretatur, quum filius Arabibus بن non بان dicatur.

De Ludovico Romano.] Ludovicus Bononiensis, civis Romanus, cujus liber Italice excusus Venetiis anno M. D. X X. integrior est, quam is, qui secundo Tomo Navigationum a Baptista Ramusio Veneto editus est. Nam omnia colloquia Arabica pessimo exemplo inde sublata sunt. quæ sane ipse Ludovicus non intelligebat. sed quia volebat videri peritus linguæ Arabicæ, illa sibi ab Arabe quodam dictata in librum suum contulit, quæ sæpenumero ridicule

ridicule interpretatur. Itaque non dubito, quin ipse multa loca remotissima se adiisse mentitus sit, quæ nunquam vidit. Tamen omnia quæ edidit, sive vidit, sive non vidit, multum harum rerum studiosos oblectant, quæ non sine fructu & voluptate leguntur: quæ qui Latine vertit, imperitus homo fuit, & ineptus.

Roçamalha.] Non dubito scribendum esse Roç elmaiha روس المعية id est liquor Storacis, quod proprie Græcis σακτὴ στύραξ. Quare futilissimum est, quod dicit Sinense vocabulū esse: neque puto ex Sinis ad Australes partes, sed ab illis ad Sinas cum ipsa appellatione Arabica deferri.

Louan-jaoy.] لبان جووي potest etiā esse لباني جووي id est, Styrax ex Iava. Nā duplici nomine notatū est معية & لباني

CAP. VI.

Louan vocatur.] لبان Louan, & cum articulo اللبان Al loban Arabes vocant. unde Gerardus Carmonensis fecit suum Olibanum cap. 525. lib. 11. Avisenæ, quod mirum est, quum caput illud in Arabico codice non Loban, sed Conder habeat. Æthiopes autem Tus *Carabe* vocant.

CAP. VII.

Bodoins.] Beduin بدوين proprie significat agrestes. Ita vocantur homines indomiti, in montibus degentes, qui natura loci inexpugnabiles sunt, quales in montibus Corasan Cordi, & in Pyrenæis quos Bandoleros vocant. Sed, ut dixi, proprie id nomen significat agrestem. Nam بدبا sunt deserta: & بدوين homines in illis locis degentes. Qui sint Beduini, præter alios lege historiam Iohannis de Ionvilliers cap. xxx, ubi graphice describuntur. De Beduinis terræ Sanctæ consule Brochardi itinerarium. Vbicunque terrarum sunt illi, ab Arabibus sive Muhamedanis vocantur *Beduin*.

CAP. VIII.

Avisena lib. 11. cap. 425. Paulum secutus.] Avisena quidem citat Paulum, quod non minus miror, quam a Garcia omissum, cujus intererat monere, Paulum Æginetam non potuisse Laccæ meminisse, quæ illius æuo ignota Græcis fuit.

Quod Bellunensis Luc verterit.] Bellunensis non vertit Avisenam: sed ad interpretationem Gerardi Carmonensis addidit notulas ex Codice Arabico: ut ad caput de Lacca in margine apposuit *Luc*, quod aliis pronunciatur *Loc*. Nam لك scribitur. quod arbitrii legentiū est, utrum *Loc* an *Luc* malint pronunciare. Nam Arabes unum apicem tantum habet, quo V, & O, item unum alium, quo A, & E, concipiant. Quare quum Garcias ubique Arabismi se peritum haberi vult, satis prodit se ne legere quidem scivisse, quum miratur Bellunensem *Luc* potius quam *Loc* legisse. De Gerardo autem hoc audemus testari, si versio Latina Avisenæ, quæ ejus nomine circumfertur, ejus est, ipsum fuisse Arabismi longe peritissimum. Sed aliquando eandem rem varie interpretatur: quod non satis mirari possum. Non pauca autem in ejus versione mutavit Bellunensis.

Ceterum erroris ansam Avisenæ præbuisse.] Avisena non solum erravit, quod Laccam Cancamū Dioscoridis esse putauit, sed etiam, quod herbam vocauerit, quod Dioscorides ξύλον. Κάγκαμον δάκρυον ἐστὶν ἀραβικοῦ ξύλου σμύρνῃ προσεοικός. ubi Avisena صمغ حشيشة δάκρυον χόρτου. quod ridiculū est. Nam حشيشة dicitur minuta quævis stipula, aut palea, quæ profecto nullam lacrimam emittere potest. Sed vetustissimus est error codicum Avisenæ, ut hanc ab eo culpam amoliamur. Nam sine dubio Avisena خشبة quod est ξύλον, non autem حشيشة scripsit.

CAP. IX.

Capur & Cafur omnibus Arabibus dicitur.] Arabes vocant كافور *Cafur*. Et qui pronunciant *Capur*, peccant non leviter. Tunc enim Capur poterat pronunciari si sine Elif كفور scriptum esset. quod sane videtur a quibusdam ita scribi. Itaque tunc punctum forte, quod Arabibus Tesdid dicitur, mutat φι, in πι. Vnde quidam *Canfur* vocant: quia ubi illud punctum Tesdid additur, Arabes non raro Nun interiiciunt, ut *Tabbur, Tambur*.

quoniam apud eos literæ F & P magnam inter se habent affinitatem.] Verum est, quod diximus, ne Arabice quidem hunc Garciam legere scivisse, neque quot literæ in Arabismo sint, neque quæ earum figura. Nam Hebræi, Syri, Arabes, nullum F, nullum etiam P habent: sed tantum φι, quod in πι mutatur interventu illius puncti duri Tesdid.

& quæ ex Sina advehitur.] Hoc quoque in Arabico Avisenæ textu legitur, sed in Latino Gerardi, aut editione Bellunensis desideratur. Et est, inquit, spongiosum quiddam marinum secundum quorundam opinionem. Nascitur autē hæc arbor in tractibus Sinarum. Lignū autem ejus vidimus, &c.

est vero Pardan.] Legendum *Pardau*: quod alii scribunt *Pardao*.

Quam Avisena lib. 11. cap. 130. Alçuç appellat.] Non habemus priorem editionem Gerardi. In Arabico textu legitur, *Elkanzuri, Erreagi, Elazed, Elasphar ak, Elazraki*. Itaque quod apud Serapionem legitur *de Pansor*, idem cum eo, quod Avisenæ *Elkanauri*. quia ق pro ف legit. quæ differunt nō figura, sed apicibus diacriticis. Quare ridicule Garcias hæc nomina interpolare conatur, quum opus non sit. Hebraicus codex habet, *Kaizuri, Kiachi, Asphar ak, Azrak*.

non medulla aut cor, ut Avisena] Neque in editione Bellunensis, neque in Hebraica, neque in textu Arabico legitur. Fortasse est in priore editione Gerardi: in qua quædam mutavit Bellunensis.

neque ad candorem conciliandum decoquitur, ut falso Avisena.] Neque id extat in tribus illis exemplaribus.

gummi quoddam Canderros illis vocatum.] Supra vidimus *Elkanzuri* القنصوري Si unum punctum superimponatur literæ ◦ erit *Elkanduri* quod proculdubio est hoc *Can* ص *derros*.

quam quæ a Sim defertur.] Legendum Sin non Sim. صين Sinæ: quos Lusitani, & eos sequuti omnes, vitiose Chinas vocant. Hic nugatur Garcias.

A viris fidedignis mihi relatum est, Arborem esse.] Caphuræ arbor a Geographo Arabe ita describitur, parte nona Climatis primi, ubi loquitur de locis vicinis Sofalæ. "Ex insula Lanchialus ad insulam

sulam Chala, quinque dierum iter. In ea est optima Caphura. Est autē arbor magna instar arboris Salicis, nisi quod ipsa umbra sua tegit centū homines, & amplius. Caphura autem extrahitur ex hac arbore: quia pertunditur foramine in summo: tum manat ex ea multus liquor: & cessante fluxu, pertunditur infra illud (foramen) in medio arboris. ex quo cognominatur *keta el kaphur*, quod est gummi hujus arboris, nisi quod illud coagulatur intra eam. & cessat hæc arbor, & incurvatur, & quæritur alia. Lignum autem arboris Caphuræ est album & leve. Hactenus ille. qui docet, quod ex superiori parte manat, esse gūmi Caphuræ, quod ex inferiori, id vocari قطع الكافور fragmentum, aut portionem Caphur.

REFERT Avisena lib. II. cap. 130. vigilias excitare.] Non minus mirum mihi videtur, quam Garciæ, tanto medico tantam absurditatem excidisse. Sed suspecta est mihi lectio ويسهر vigilias inducit. Puto legendū ويسهل quo verbo non raro utitur. barbare vertam, ut melius intelligatur: *Facilitat & confortat sensus æstuantium*. Quomodo enim hæc duo contraria in continenti posuisset, vigilias inducere, & sensus æstuantium sedare? Fortasse verbum يسهر aliud significat, præter vulgarem significationem: quod nobis adhuc incompertum.

CAP. X.

QVOD vero hoc nomen cate.] Frustra conatur elicere etyma nominum ex depravatione eorum: quum dicat ex *Cate* depravatam esse Arabicam appellationem, quam debebat tamen apponere. Igitur Arabes vocant حضض *Hadhad*, nihil simile habens nomini *cate*.

CAP. XI.

xircast.] شير خشت & sane verum est Persice شير esse lac.

Trungibin.] ترنجبين

CAP. XII.

Tabaxir vocabulū est Persicū.] طباشير Recte autem corrigit Gerardum Carmonensem, qui Tabaxir putavit esse σπόδιον Græcorum. Sed tamen in eodem errore versatur doctissimus Bellunensis, qui ad Tabaxir notam adposuit Spodium. Itaque videndum num ille sit Bellunensis error, non Gerardi. Nam Gerardus reliquit nomen Persicum. Sed sive Bellunensis culpa ea est, sive Gerardi, quid alteruter, aut ambo peccarunt, si spodium esse putarunt, quum Avisena ipse dicat esse cinerem cannarum vi venti inter se confricatarum, & ignem ex eo concipientium, & proinde, ex illo incendio exustarum? Nam Thucydides & Lucretius scribunt, ventis flantibus ramos arborum ex collisu mutuo ignem concipere, & ex eo sæpe magnas silvas conflagrare. Certe, quod Avisena habebat in animo, & scripto expressit, id nihil aliud est, quam σποδὸς, aut ἀντίσποδον. Ideo inique Garcias Davum comicum vocavit Gerardum, quem ait omnia turbare, quum potius culpa in auctorem erroris Avisenam derivanda esset, quam in Gerardum optimum interpretem.

CAP. XIII.

Avisena lib. II. cap. 695.] Longe plura continet codex Arabicus Avisenæ, quam Hebraicus, aut Latinus. Apponam pingui Minerva. Neque enim aliter hæc converti debent. TVTIA. Origo Tutiæ est fumus, qui elevatur, donec commisceatur sedimentum & æs ex lapidibus, qui commiscentur cum eo, & ex plumbo, quod commiscetur cum eo, & ut plurimum ascendit Climia, & ejus sublimatio fit Tutia optima: Sedimentum autem ejus Climia, quod vocatur Spodos. Tutia, quæ est ex eo, quædam est alba, quædam citrina, quædam viridis, quædam subtilis, quædam densior, quædam rubescens: & hæc omnis conficitur in terra Carmania, & India. Ablutio Tutiæ colligitur tanquam fæx sub aquis quæ eam lavant, & hoc est Spodos. Differentia autē inter Spodon & Tutiam, quod Tutia quidem sublimatur, hoc autem residet in imo vasi, in quod effluit æs: & hoc est perinde ac Climia ad æs: & hoc quando sublimatum est, sublimata est ex illo Tutia. Dicitur autem, quod in mari est animal rotundum, cujus squama est dura, quod postquam in mari mortuum fuerit, fluctus eiiciunt illud in littus, ex quo fit Tutia, quæ est valde subtilis. An quæ desiderantur in Latino & Hebraico, insulta sint in textū Avisenæ, necne, judicium peritiorum esto. Mihi certe de animali marino fabulosa & inepta videntur. Sed nihil eorum id genus negligendum, quamvis ridicula sint interdum, & portentosa. Tutia autem توتيا Arabibus scribitur. Climiam vero corrupte καδμείαν vocat.

CAP. XIV.

Cenalfil.] سن الفيل

nullis nationibus Baro.] Simon Genuensis, quem notat, culpa vacat, quia secutus est communem Grammaticorum sententiam, qui ex eo, quod Elephanti vox Barritus dicitur, Elephantum Barrum dici putarunt. Hæc opinio satis vetus est. Inde quidam illud Horatianum ita interpretantur:

Quid tibi vis mulier nigris dignissima barris?

Sed primus omnium doctissimus Adrianus Turnebus animadvertit Barros esse familiam, cujus alibi Horatius meminit.

si eorum rectores (Naires lingua vernacula vocantur.] Puto eum falli. Nam quis nescit *Naires* in India esse ordinem nobiliorum, ut Brachmanes Philosophorum?

Manifestus Plinii error.] Non solum Plinius scribit Elephantorum in sues odium ἢ ἀντιπαθὲς, sed & Ælianus lib. XVI. cap. XXXVI. Sed ex consuetudine illum affectum deponi credibile est, quemadmodum Camelum abhorret Equus primo visum. Postea usus & consuetudo excutit hoc πάθος.

CAP. XV.

Salihacha vocatur.] Scribendum *Salihath*. سليخة

Darchini.] Imo *Darzini*. دار صيني Sed Lusitani pro Tzin pronunciant Chin. Eorum ineptam pronunciationem hactenus omnes sequuntur.

Cinnamomum vocarunt, quod significat lignum odoratum, quasi Amomum ex China.] Nihil jocularius, ineptius, stultius potuit dici. Nam, ut dixi, primi omnium Lusitani balbutientes pro Sina, aut Tzina, China pronunciarunt. Ex hac inepta pronunciatione somniat hic noster Cinnamomum dictum tamquam Amomum ex China & Chinæ Amomum. Primum ostendimus China esse perperam pro Sina. Secundo quæ cognatio Amomi cum Casia? Tertio Cinnamomum est vetustissima vox

vox קִנָּמוֹן *Kinnamon*. Proverb. I I I. 15. Exodi I I I. 21. Sane in eo nomine nullum est vestigium Chinarum, qui Sinæ vocandi.

Nam Canella cujuscunque generis Arabice Querfaa & Querfe dicitur.] Avisena speciem non genus constituit. Nam ex Dioscoride ali-
" quot species recensens ait, At quod vocatur Kerpha
" simile est Darsinii Indico, & nodorum frequentia:
" atque id est Darsini lignosum (ξυλοκιννάμωμον) sar-
" mentis longis, robustis, bonitate odoris longe infe-
" rius, quam Darsini. Sunt qui opinantur Kerpha esse
" genus aliud præter Darsini, & diversæ naturæ a natura Darsini, &c. Hæc & alia plura desunt tam in Hebraica, quam Latina interpretatione.

Reliqua vero nomina corrupta sunt, ut Darsihahan.] Nusquam legi Canellam Darsihahan vocatam fuisse: sed *Darsisagan*, quod Garcias habebat in animo Arabice scribitur دار سيسغان hoc est lignum ex Sisgan. quam vocem Persicam Avicena dicit esse in codice Arabico. Est autem *Darxisgan* Aspalathus Dioscoridis. & Dioscorides statim initio Codicis Arabici citatur, quod testimonium deest in Latina editione, & Hebraica.

Nam quod Serapio Darsini arborem de Sina interpretatur.] Quid velit nescio. Nam supra dixit Darchini esse lignum Chinæ lingua Persica. Quid? Arbor non est lignum? Sane Hebræi arborem & lignum uno eodemque nomine appellant.

Quod vero addit de Cinnamomo cum Maria.] De hac historia & de lucerna, quæ in eo tumulo reperta est, scribunt Antiquitatum Vrbis investigatores & alii. quos consulas licet.

Alipinum.] Sæpenumero veteres cognominant merces & aromata non a solo natali, sed a propiore loco, unde ad Græcos advehebantur. Sic Dioscoridi Κασσία Δαφνῖτις, quod ex Antiochia adveheretur. Nam illa Antiochia dicitur, Ἀντιόχεια ἐπὶ Δάφνῃ. Sic Propertius ab eadem Antiochia Orontea myrrham dixit, quia Orontes fluvius Antiochiæ.

Ex Canellæ baccis oleum extrahitur.] Avi-
" sena: Fit ex Darsini falso oleum, quod asservatur.
" Græci ita dicerent: Σκευάζεται δ᾽ ἐκ ξυλοκινναμώμου ἔλαιον, ὅπερ καὶ θησαυρίζεται. Hæc mutila leguntur in codicibus Hebr. & Latino. Porro in vetustissimo Latino-Arabico Lexico Raphelengiorum Darsini male exponitur Aloe.

fieri posse existimo, ut Zigir.] Hæ sunt nugatoriæ conjecturæ. Apud Dioscoridem καλεῖται δὲ καὶ ζίγγιβερ ξυλοκιννάμωμον ὄν. Sane nemo concesserit Xylocinnamomum Zingiber vocari. Aliud enim est Zingiber. Avisena legit זנגי انجى Sed hæc desiderantur in Latino, & Hebræo. Ceterum lege de Canella itinerarium Cæsaris Balbi Veneti cap. XXIX.

CAP. XVI.

MEMINIT Agallochi Avisena duobus diversis capitibus.] Duobus quidē capitibus meminit in litera Eliph cap. XIX. nomine اغالجون Agalugin. cap. autem XXXI. nomine اغالوجى Agalugi. quæ duo capita fere in unum contulit Latinus interpres cap. XIV. At cap. DCCXLIV. nomine Xylaloes aliud prorsus & diversum ab illis duobus capitibus Avisenæ posuit: quod in codice Arabico extat in litera Ain. Et vocatur عود, hoc est lignum simpliciter: Hebræus autē codex omisit XIX caput.

HALLVCINATVR autem Avisena.] Neque in Arabico codice, neque in Hebraico, neque in Latino tale quid extat. Hallucinatur potius ipse.

Ego sane per hæc vocabula quid sibi velit Serapio.] Atqui ex Avisena verbatim descripsit Serapio. Vnde mirandum magis, quum Avisenæ caput de Xylaloe citarit, quomodo illi exciderit ea, quæ Serapion scribit, ex eodem capite desumpta esse.

mondunum.] lege Mundelium مندلى

Seificum.] lege Seneficum صنفى

Alcumericum. القمرى Quod autem nomina sint regionū Cumar & Senaf, unde cognominatur lignum Cumeri, & lignum Senefi, docet Geographus Arabs parte nona Climatis
" primi: Ab insula Tenuma ad insulam Cumer vel Ca-
" mer, iter dierū quinque. Ab hac insula cognomina-
" tum est lignum Elcumeri, & in ea celebre est: quod
" quidem est optimum, nisi quod lignum Elsenefi eo
" melius est. In hac autem insula est Sandalum. Huic
" insulæ Cumer a parte, quæ pertinet ad littus, jungi-
" tur insula Senef, interjecto intervallo trium millium.
" In ea autem reperitur lignum Senefi.

Idem Serapio ramos ab arbore resectos.] At cur non potius citat ex Avisena, ex quo ad verbum hæc Serapio?

Agallochi arborem terrestri tantum paradiso.] In cap. II. monuimus Aloem sacrorum Bibliorum dici אהלים & אהלות Numer. XXI v. 6.
" Tanquam Paradisi iuxta fluvium (Euphratem) Tanquam arbores Aloes, quas plantavit Deus. Nam arbores, quas Deus plantavit, intelliguntur tantum arbores Paradisi. Geneseos 2. 8, 9. Ideo Paraphrastes Chaldaicus ad illum locum Numerorum interpretatur *Paradisum ad Euphratem*, utpote quem Deus plantavit. Igitur hoc loco tueri se possunt, qui in Paradiso Adami dicunt arbores Aloes consitas fuisse. Sed obiiciet aliquis, ibi nullam esse ejusmodi arborem: ergo Aloe Bibliorum non erit Xylaloe.

Haud.] عود Proprie lignum significat. Ideo κατ᾽ ἐξοχὴν illud præstantissimum lignum dictum est.

CAP. XVII.

Arabes corrupto nomine Sandal vocarunt.] Idiotas esse oportet, quibus persuaserit ex *Chandama* depravatum esse *Sandal*. Quid enim dissimilius? Arabes igitur صندل vocant.

PORRO tria sunt Sandali genera.] Adferam ex codice Arabico Avisenæ, quæ desunt in Latino &
" Hebr. SANDAL. Lignum crassum, quod defertur ex
" finibus regionis Sinarum, quod quidem triplicis est
" generis; citrinum, rubrum, & citrinum alterum ver-
" gens ad albedinem, quod quidam nominant *Makis-*
" *sari*: atque hoc odore præstat reliquis duabus specie-
" bus, quas memoravimus. ELECTIO. Galenus & filius
" Mesvia, Rubrum, inquiunt, fortius. Alii dicunt, Ci-
" trinum fortius est. Alii dicunt, *Makassari* melius &
" validius.

aut Mazzafrani legendum.] Iam ostendimus in verbis Avisenæ bis legi *Makassari*. Quod haud dubie a loco, unde مقصرى devehitur, dictum. Quare nihil mutandum.

CAP XVIII.

Xarabdar, Tambuldar.] *Xarabdar* est homo a potione: *Tambuldar*, homo a foliis *Tembul*. Nomina officiorum Palatinorum. تنبول autem Arabes vocant hoc Betre, quod alii Betel, ut Ludovicus Bartema civis Romanus.

quod

quod ab omnibus Tambul, nō Tembul.] Non potuit oportunius Arabismi imperitiam profiteri. Nam arbitrii est *Tambul* aut *Tembul* pronunciare, non necessitatis; quod A & E indifferentia sint apud Arabes. Sic *Aben-Sina*, *Eben-Sina*. quod nos dicimus Avisena.

Avisena lib. II. c. 699.] Mutilum est caput Avisenæ tam in Latino, quam Hebraico. Tenbul. Folia arboris, quæ nascitur in India, & quibusdam in locis vocatur التنبل cujus folia sunt similia foliis Limonii, eodem modo & rami. Indi autem assumunt illud cum calce & Faufel, & mandendo tinguntur dentes colore rubro. Est autem odoris optimi. Indi vero libenter assumunt illud, & in omni tempore non cessant assumere, in quo admodum gloriantur. Decoratio. Corrigit halitum, & tollit fœtorem oris. Dentes inficit rubro. Dicitur item, quod succus folii ejus cum vino abstergit morphæam. Membra capitis. Roborat radices dentium & gingivas, & ad eam rem mandunt illud Indi jugiter. Membra alimenti. Roborat os ventriculi. Adjuvat concoctionem. Discutit flatus. Emendat oxyregmiam: & ad eam rem mandunt illud jugiter Indi. Conferantur hæc cum Latina & Hebraica editione. ex quibus colligi potest quam male de Avisena meriti sint, qui tam præstantis auctoris scripta interpolarunt. Nos autem verbatim ea interpretamur, quod magis veritati, quam elegantiæ studeamus. Verbum illud Arabicum, quod Arabice scriptum reliquimus, jamdiu esse quod non legatur, indicio fuerit, quod sine apicibus diacriticis conceptum sit.

Quod autem frigidam illi facultatem tribuat in primo gradu.] In his Garcias ostendit se medicinæ, quam Arabismi peritiorem esse. Recte enim hæc reprehēdit. sed si Arabice scivisset, quum dicat se habuisse codicem Avisenæ, in eo vidisset, nullum hujus absurdæ sententiæ extare vestigium.

Cap. XIX.

Appellant autem Indi Folium Tamalapatra] τὰ μαλάβαθρα, videtur acceptum a Græcis. Sed hæc incerta.

Arabes cadegi Indi.] Tam hoc, quam superiore capite male per C Latinum scribitur, quum scribendum sit per ç Hispanicum çadegi vel Sadegi ساذج *Sadhage*.

odore nequaquam nares feriens.] Tamen contra Dioscorides πληκτικὸν τῇ ὀσμῇ. quem sequitur Avisena.

foliis Golfam.] In Arabico ناردين الهندي Nardi Indicæ Nereidem Indi in editione Avisenæ Alpagi Bellunensis. Porro unguētum Malobatrinum, quod Martialis foliatum vocat, & Folium Cosmi, Avisena scribit habere vires Alkahuan الاقحوان quod est ἐλίχρυσον, sive παρθένιον, alii χαμαίμηλον interpretantur. Ita igitur est in Arabico textu, & Latino in editione Andreæ Bellunensis Anjuden, tanquam pro الانجدان legerit الانجدان

Talisafar.] Melius *Talisfar* quod طاليسفر quidam *Macer* interpretantur. alii malunt *Basbesa*.

Cap. XX.

Iausiband id est nux Bandensis.] Nugæ. In Avisena Latino ita quidem appositum in margine, sed falsō: legendum enim *Giauz bave* جوز بوا *Nux Bawa*. Quare ita vocetur, nescio. Nisi dicamus *Baue* sive *Bague* esse nomen loci. Sic dicitur *Chair Bague* species Cardamomi.

Macim vero Besbase.] Scribendum *Besbasé* per S, non per F, بسباسة quod describitur ab Avisena capite XLIII. litera Be. Porro hæc Nux Aromatitis vocanda est potius, quam myristica. Non enim ad unguenta requiritur, ut balanus myrepsica.

Macis autem appellatur.] Dictum Maci putat à Maceris similitudine. Nos negamus. In Iava enim hodie *Maca* vocatur & *Bengo* lingua Malaya. Itaque *Macis* est nomen Indicum.

Cap. XXI.

Caryophylli meminit Plinius.] Non est hoc nostrum Caryophyllum.

Carrumfel.] Non est corruptum, ut putat. sed ita vocatur & scribitur Arabice قرنفل *Karanfel*. Quare quod dicat a Turcis & Arabibus dici *Calafur*, eamque esse rectam appellationem, sive ita vocant, sive non, sciat esse corruptum ex *Karunfel*. Certe nunquam consuluit Avisenam Arabicum, quum saltem a quodam medico Arabismi perito illud petere potuisset. In Iava Caryophyllum vocatur *Syanke*, in Malaya *Synken*, quod est idem nomen. Quare videndum an depravatum sit ex illo Moluccarum *Chanque*. Quod profecto non dubito: quum sciam literam Tzad a Lusitanis in Ch. mutari: ut *Tzina*, *China*.

donec eo delati Sinenses, inde magnam eorum copiam.] Certe tempore Avisenæ non nisi a Sinis (quos ridicule Chinas vocant) ad Persas & Arabes importari solitum. Avisena: Karunfel. *Planta in finibus Sinarum*. Quæ verba desunt in Latino & Hebraico exemplari.

Cap. XXII.

Fulful,] Putat errorem esse si ab aliis *Fulful* dicatur, quum Arabes *Filfil* vocent. Sed, quod alibi diximus, omnes totidem literis scribunt فلفل: quum in omniū arbitrio sit, utro malint modo, pronunciare, *Filfil*, aut *Fulful*. Hanc diversitatem diversi apices efficiunt.

Seritur autem Piperis planta.] Piperis plantam ita describit Auctor Geographiæ Arabicæ: „ Et in insula, hoc est terra Mali, nascitur arbor Piperis, neque nascitur nisi in ipsa, aut in Candaria, aut in Gerbathan: & nulla invenitur, nisi in istis tribus terris. Est autem planta, cujus stipes aliquantum similis est stipiti vitis, foliis instar foliorum plantæ volubilis sive faseoli, longa, non alta, racemis instar racemorum vitis, quorum unusquisque occultatur folio suo propter pluviam, quod inflectitur, adveniente (pluvia) Piper vero album non inflectitur ab ea, superveniente illa initio aut ante. *Hachi* filius Charri dicit de eo, quod quum est pluvia, inflectuntur folia ejus super racemos istos, & defendunt eos a pluvia. quum recessit pluvia, attolluntur sive removentur folia a racemis, neque revertuntur, nisi tempore pluviæ. Revertente pluvia, revertuntur folia ad ipsos. & hoc est mirum. Hæc ille: quæ, nisi fallor, indigent peritorum hominum examine. Nam mihi suspecta sunt. Sed Arabes multa ejusmodi fabulantur, ut Iudæi.

Cap. XXIII.

Apud Avisenam principium capitis de Cubebis mutilum est tam in Latino, quam Arabico codice. In Iudaico codice integrius est. Cubebe. Facultas ejus

„ ejus similis nervis herbarum, quæ vocantur *Fuabaad* „ מואה בער nisi quod ipsum est subtile.

Quabebe chini.] Id est كبابة الصيني cubebe Sinense. Avisena. Et adfertur e Sinis. quod deest in Latino & Hebraico.

Scholio *Fagara* فاغرة

CAP. XXIV.

Cacolaa aut Cacule.] Hæc verba nusquam apud Arabes extant, quicquid dicat iste Garcias, qui asserit non aliter ab Arabibus vocari. Nam apud Avisenam قاقلة *Kakala*, non Cacolaa scriptum extat. item apud Arabem Geographum loquentē de regione Menibar: Et in partibus Aquilonaribus hujus urbis sunt montes celsi, & nemorosi, frequētia populi in urbibus, & pecorū, in quorum præcipitiis nascitur *Kakala* ad instar plantæ *Schabedangi* (Kaonabis) & semen ejus reponitur in victum. Et mirum est hunc Garciam, quum dicat duo genera hujus plantæ recenseri ab Avisena, quorum alterum *quebir*, hoc est majus, alterum *ceguer*, quod est minus, nec id sine codice Arabico dicere potuit, quomodo non vidit *Çacolaa*, sed *Kakala* apud Avisenam scriptum esse in Capite literæ *Kaf*. Magnum sane vitium id fuit *Kakala* in çacule aut çacolaa detorquere: & multum æstuaret, qui in Codice Arabico Avisenæ *çacolaa* quæreret: quod quidē nusquam est.

non, ut Cordus scripsit, glandis, aut avellanæ magnitudine.] Vnde deprompserit Cordus, nescio. Sed tamen favet illi Avisenæ descriptio. Majusculum, inquit, instar nucis parvæ, nigrum. At editio Bellunensis: sicut cicer nigrum. pro جوزة legit حمص quæ sane non conveniunt literis.

çacolaa sive Sacolaa.] Dubitat utro modo dicendum. Si exemplar Arabicum consuluisset, non dubitasset.

Combazbague.] Et hic quoque plus satis sudabit, qui hoc monstrum nominis in Arabico Avisena quæret. Nam non Combazbague, sed *Chair bague* vel *Chair bawe* خيربوا scriptum est. *Chair bawe*, inquit Avisena, granum minusculum instar *Kakala* minusculi, quod defertur ex Sofala.

CAP. XXV.

FAVFEL] Iudaicus codex Avisenæ dicit esse speciem olivæ Indicæ. quæ verba neque in Latina editione extant, neque in Arabico exemplari, quod longe uberius, quam editio Bellunensis *Faufel* describit. Verba ita habent in Arabismo. FAVFEL. Fructus plantæ in India similis nuci moschatæ, nisi quod *Faufel* est rubro colore, frangi contumax, & in particulas frangitur, ex fractione fragranti odore. Indi autem assumunt illud ad emendandum halitum: & inficit dentes rubore. Facultas ejus proxime accedit ad facultatem Sandali. NATVRA. Frigidum in tertio cum aliqua siccitate. PROPRIETATES. Frigefacit, cum quadam adstrictionis facultate. APOSTEMATA. Bonum ad apostemata calida & crassiora. MEMBRA OCVLI. Convenit ei, qui inflammationem habet in oculo, & cohibet humores frictum & illitum. Hæc omnia fere desunt in codice Latino. quæ nos, ut solemus, non satis Latine, sed perspicue, & fideliter reddidimus. Alioqui & Latine & nitide reddidissemus, si majorem eloquii, quam verborum Avisenæ rationem habuissemus.

CAP. XXVI.

& Arabibus fere neglecta, qui pauca admodum de ea descripserunt.] Falsum. Avisena enim de hac Nuce scribens ait esse cognitam. Verba ejus: NVX INDICA. Notum. Est autem Nergil, quæ advehitur ex regionibus Zange. Hæc desiderantur in Latino & Iudaico codice.

Iaralnare, id est arborē nuciferam.] Si verum dicit, scribendū fuerit شجر النرجيل Scejar el nergil.

& fructus Narel.] Scribe *Nergel*, نرجيل aut *Nargel*.

CAP. XXVII.

Delegi.] Verum est hoc nomen appositum esse in editione Andreæ Bellunensis. sed frustra. Vocantur enim *Halilegi*: quod cur neget verum esse, nullam aliam causam adferre possum, quam quod nesciebat Arabice. Nam quos Arabes scribit sibi dixisse omnia Myrobalanorū genera Delegi vocari, aut ipsi mentiebantur, aut ille falso retulit hoc sibi Arabes dixisse. Omnia enim Myrobalana Arabibus هليلج dicuntur, *Halilegi*. Assentior autem illi Myrobalanorum nomen illis impositum ab interprete Avisenæ.

azfar اصفر *asuat* nigra اسود *quebula* كابلي vertēdum *chabalensis*. nam a loco dictum, ut genus Cassiæ fistulæ. *Belleregi* mire corruptum. Vocatur enim Belilagi بليلج Embelgi, melius *Amblegi* املج

sub Sinii nomine] Arabice Sinense, ex regione Sinarum. de quo صيني Avisena in capite Halilegi. Quare imperitia Arabismi, quam illi non obiicimus, sæpenumero cogitur hariolari, & divinare ea, quæ nunquam fuerunt.

CAP. XXVIII.

Tamar Indi.] تمر هندي Dactylus Indicus. In Malaya vocatur *Assu*.

CAP. XXIX.

Arabibus dicitur Hiarxamber.] خيار جنبر *Chiar janber*.

tametsi Avicenna Chiarsamdar corrupto nomine vocet.] Est mira cōfidentia.] Nam Avisena non aliter nominat, quam alii. Sed in Latina editione legitur, Alia est Kebulia, alia Ægyptia. At in „ Arabico codice: Alia est Kebulensis, alia Bazarēsis; & „ potest fieri, ut nō nascatur in Bazara, quandoquidem „ deferatur ex India Bazarā, & ad alias regiones. Hæc desunt in Latina editione. Kabul autē quidam Arachosiam dictam volunt. Inde ergo Kabulensis Cafia, & Kebulense myrobalanū, quod Kebuli vocant.

CAP. XXX.

Balador.] بلاذر *Belcdhar*, cum dhal.

Arabum vestigia secuti.] Quomodo Arabum vestigia? an Anacardiū habet aliquid simile cum Beledhar, an vero Beledhar habet cordis significationē? Vtrovis modo acceperis, utrumq. falsum.

Avisenna facit fructus Tamarindi ossi simile] Ita sane est in Latina editione. Sed in Arabica & Iudaica, est tantum *Tamar*. *Beledhar*, inquit, fructus ejus est similis nucleo Dactyli. In Iudaico תמרים palmarum. Deinde pro amygdalo, quod est in Latino codice, Arabicus habet جوز item Iudaicus. Id κάρυον & nucem juglan dē significat, non amygdalam, quod Arabibus dicitur: deque eo privatum caput extat in litera Lam. Ita etiam Hebræi vocant לוז

CAP. XXXI.

Hamama, quod interpretatum pedem columbinum significat.] حمامة *Hamama*, columbā, nō pedē columbæ significat.

Daulal-

Daulalfil, quod est pes Elephanti.] imo πάθ☉ ἐλέφαντ☉, morbus elephanti: ذوا الفيل

ὑδροφοβία Marazal kelbe] مرض الكلب

Quod vero ait pedem columbinum esse Dioscoridis Amomum, præter quam quod illi impositum est ab illo Iudæo, scire debemus columbam scribi حمامه per He in fine, Amomum autem per Elif حماما Hæc sola scriptionis differẽtia constituit & significationum differentias; ut Amomum, vel ejus notio nullam cognationem habeat cum Columba. Itaque vanum est pedem illum Columbinum cum Amomo Dioscoridis conferre propter solam allusionem nominum.

Mexquetera, Mexir.] Vna tantum planta est Avisenæ, quamvis non una videtur esse vox. مسك طرامسيع Mesch teramaschigue, vel Mexc termexigue extat cap. CCCCLXVIII. editionis Andreæ Alpagi Bellunensis.

CAP. XXXII.

cassab & Aldirira] Error est aut Typographi aut Auctoris. Vocatur enim *cassab edderira*, vel *cassab eldherira*. قصب الذريره cum Dhal, hoc est arundo Aromatica. Etiam Hebraice Deror accommodatur speciebus aromaticis, ut מור דרור, Mor deror, Myrrha aromatizans, aut præstantissimi aromatis.

CAP. XXXIII.

Omnibus hujus tẽpestatis Arabibus Cembul] Sive Cembul, sive Cembal, sive Cinbel dicas, totidem literis scribitur سنبل vocatur & سنبل طيب الذريره hoc est, στάχυς ἀρωματίζων. Nardus vero celtica non solum Cembul rumi dicitur, sed etiã سنبل رومي Cenbul eikelti. Nam سنبل القلطي depravatum est apud Avisenam. Surianum autem nardum recte quidem Dioscorides negat in Syria nasci: sed ab eo dictum, quod nascatur in monte, cujus pars spectat ad Suriam, joculare est. Syra nardus dicta est, ut & Horatio Malobatrum Syrium, quod Antiochiam Suriæ primum, & hinc in Europam adveheretur. Neque ullus de hoc dubitare possit, nisi qui veteres Scriptores non legit.

CAP. XXXIV.

Haxis cachule, i. herba lotoria.] Sane herba lotoria Arabice fuerit حشيش غسلي *Haxix Ghesale*. Sed hoc nomine juncum odoratum vocarint alii, non memini. certe Avisenæ & omnibus Arabibus dicitur اذخر cum puncto duro, *Adchar*. Quare non est corruptum, ut putat Garcias.

Alaf, quod herbam significat.] Alaf Persis herbam significari, falsum est. Illis enim Gia herba dicitur. Gramen autem dicitur جياه iisdẽ *Rugiaxen*. Imposuerunt igitur Garciæ, روذسن qui ei persuaserunt *Alaf* significare herbam Persice. علف enim purũ putum Arabicum est, & significat pabulum. Nam juncus odoratus vulgo apud illos vocatur علف الجملي *Alaf elgemali*, Pabulum Cameli, χόρτ☉ καμήλου.

in Agiami natum, per quod vocabulum Damascum intelligit.] Iterum imposuerunt illi, quos consuluit. Nam شام Xam, quo nomine Damascus, & Damascena provincia vocatur, cum *Ajam* sive *Agiam* maximam cognatiõnẽ, nulla pene soni discrepantia habent. Sed tam re, quam scriptione differunt. Nam عجم Agiam prima notione significat omnem nationem, cujus lingua ignoratur ab Arabibus. quemadmodũ omnis lingua ignota Hebraismo vocatur לעז Laaz. Sed κατ' ἐξοχὴν Agiam significat Persarum regionem, Persarum linguam & Persam hominem: quum tamen proprie Agiam sit βάρβαρ☉. Sic quum Iudæis proprie לעז Laaz sit βαρβαρισμὸς, tamen κατ' ἐξοχὴν eo nomine tres linguæ, quæ vulgo Romanenses dictæ sunt, intelliguntur, Italica, Hispanica, Gallica. Si igitur Iuncus Agiami dictus esset a loco, Avisena vocasset illum اذخر عجمي Iuncum Persicũ. Sed scribitur اجامي eadem pronunciatione Latina, quem locum ego ignoro. Videtur ex Dioscoride esse Nabatæa regio.

juncum habere radicẽ Chulem similem.] Scribendum *Chulen* كلن quod ineptissime mutatum in Karon كرن in editione Latina cap. CCCLXXVI. quum separatim Avisena tractet de Karo Dioscoridis, quod ipse vocat كرويا *Karwia* in litera Chief, serie XXI. in Latino cap. 137. De Chulen autem serie XXVII, in Latino cap. 376. uti diximus. Magis miror Iudæũ, qui כיאר *Chiar* vocet. Quare prodigiosa est hæc discrepantia horum trium *Chulen* in Arabico, *Chiar* in Hebraico, *Karum* in Latino.

CAP. XXXV.

Costus dictus Arabibus Cost.] قسط

Borrax] corrupte. Dicendum enim بورق *Baurac*.

Arabibus atque Guzarate incolis Tincar.] تنكار non *Tincal*, ut ipse putat.

Arbuti aut Azimbri] Nescio an Azimiar, hoc est buxo. Nam omnino ita est apud Avisenam ex Dioscoride. Similis, inquit, est buxo. Sed hæc incerta sunt: & multa extant in codice Arabico, quæ non agnoscit Latina editio. non pauca in Latina, quæ in Arabica non extant.

CAP. XXXVI.

Terbet.] تربذ *Terbedh*, aut *Terbadh*.

Ceterum longe aliud Turbit describunt Arabes] Cur aliorum Arabum sententias profert, Avisenam præterit? Nam profecto Turbit Avisenæ, sive Terbedh nullam cum Turbit Garciæ cognationem habet. Præterea gummosum non est *Terbedh* Avisenæ. Denique in codice Arabico statim initio hæc leguntur, quæ in Latino non extant. Fragmenta „ ligni ejus crassa, & subtilia devehuntur ex India. Li- „ gnum igitur ejus, non gummi, quod non habet, recipitur in usum medicamentorũ. Concludimus longe inter se differre Turbith & Turbedh aut Tarbadh.

CAP. XXXVII.

Omne id Rhabarbarum, quod in Indiam, Persiam & Europam importatur, esse in Sinarum regione natum.] Sane idem scribit Avisena. Sed ea, quæ huc pertinent, desunt in codicibus Latinis & Hebr. statim in principio. Putant, inquit, quidam quod Reiwand sunt radices nascentes in Si- „ nis, exinde exportantur ad alias nationes. Adultera- „ tur autem, &c.

Rauam.] corruptum est. legendum *Raiwand*. Non aliter vocatur ab Arabibus ريوند Item legendũ *ReiWand Sini* aut *Raiwand Sini*.

CAP. XXXVIII.

Nascitur hæc radix in Sinarum vastissima regione,

regione, quæ Moſchoviam uſque extendi creditur.] Certe inter Sinarum fines & Moſchoviam plus itineris interjectum eſt, quam quantum eſt ab Euphrate ad Gades. Indigna viro docto ſententia.

CAP. XXXIX.

a Perſis Darzard]Eſt mutilatum:legendum *Darzardegius* دارزردجوس Nam Aviſena de Chaledonio loquens ait a quibuſdam putari eſſe fibras, ſive nervulos. unde inſtar croci habet. Alii dicũt eſſe Memiram, alii Zardegius. Nomen Arabicũ *Habet*, quod a Garcia hic adducitur, nuſquam legere memini apud Aviſenam; neque ſane ibi uſpiam extat. Porro hic. *Caledſium* & *Cauchus* quod legitur in codice Latino Aviſenæ, corrupta ſunt.

Carcuma]in Aviſenæ Codice قرقومعة *Karcumaa*. Sed ſine dubio depravatum eſt; quum ſcriptum prius fuerit قرقومغة unicum enim mim deeſt. قرقومغمة *Carcomagma* manifeſte retinet integra veſtigia originis Græcæ κροκόμαγμα: imo integrum eſt.

CAP. XL.

Dicitur autem Calvegiam.] imo *Chaulengiam* خولنجان quo proxime accedit Serapionis Culungen. Nam ſine immutatione literarum ita legi poteſt quoque. Quare cauſſa non erat, cur eam lectionem reprehenderet. Sed video in nominibus Arabicis non raro a Muhammedanis, quos conſulebat, deceptum fuiſſe.

caſerhendar.] Scribendum *Chaſerudar*. Aviſena خسرودار

CAP. XLI.

GINGIBER appellatur Arabibus, Perſis & Turcis Gengibil.] Poteſt quidem vulgus ita appellare. Sed in libris eſt زنجبيل. Zengebil. Deſcribam autem ex codice Arabico, quod
„ non legitur neque in Iudaico, neque in Latino. ZEN-
„ GEBIL. Dixit Dioſcorides: Zengebil ſunt radices exi-
„ guæ inſtar radicum Cyperi, colore albicanti, ſapore re-
„ ferentes ſaporem piperis, odoræ, niſi quod non habet
„ ſubtilitatem piperis. Eſt autẽ radix plantæ, quæ ut plu-
„ rimum extat in locis, quæ nominantur Troglodytica:
„ cujus foliis utuntur populares illorũ tractuum in multis
„ rebus, quemadmodum nos utimur in quibuſdam po-
„ tionibus & in coctionibus. Dicit etiam: Eſt quædã ſpe-
„ cies Zingiberis, quæ vocatur Zingiber caninum, quod
„ populares *Taberſtan* (id eſt Caſpii) vocant *Philphelech*. Et
„ quidẽ hoc paſſim naſcitur in lacunis aut exiguis fluen-
„ tis, aut in aquis tarde manantibus, ſtipite nodoſo, geni-
„ culis in longum extenſis, ſurculis & folio ſimilibus ſur-
„ culis menthæ & folio ejus, extra quam quod ea habet
„ majora & magis alba, gratiore acredine ſaporis inſtar
„ piperis, odore bono, ſed non aromatico, fructu exiguo
„ in vaſculis in ſurculis parvis, quos educit ex radicibus:
„ folio in ſe invicem collecto ac compacto inſtar racemo-
„ rum, quod & ipſum quoque eſt acre. Rurſus dicit, quod
„ ipſi Zinziberi accidit corroſio propter humiditatẽ ejus
„ redundantem: ideo vim ejus excalfactoriam diutius du-
„ rare, quam excalfactoriam vim piperis, idque propter
„ ſoliditatem ejus quoque, ut in naſturtio, ſinapi & tapſia.
Quamuis hæc omnia ex Dioſcoride citantur, pauca tamen initio ſunt a Dioſcoride, reliqua ab aliis Græcis.

CAP. XLII.

Zerumbed.] Arabice زرنباد Quare nihil mu-
„ tatum in pronunciatione. Aviſena: ZERUN-
„ BED. Radices plantæ quæ ſimilis eſt Cypero, niſi quod
„ ipſum eſt majus, & minus aromaticum, colore pulvera-
„ ceo, quod importatur ex regione Sina. Minus integri
ſunt Latini codices.

Aviſenæ Geiduar.] جدوار *Gedwar* aut *Gedoar*.

CAP. XLIII.

ZERUMBET appellatur Arabibus, Perſis, & Turcis Zeruba.] Si ita illis dicitur, non præter ſolitum faciunt. Sed in libris زرنباد *Zeranbed*, aut *Zerunbed* ſcribi, ſupra monuimus.

CAP. XLV.

VOCATUR autem hic lapis Pazar, a Pazan, id eſt, hirco.] Quomodo *Pazar* a *Pazan* dictus? Deinde frivolum pro *Pazar* poſtea *Bazar* dictum. Hæc omnia ſunt anilia. Lapis ille ab Arabibus uno ore vocatur *Badzahar*, id eſt ἀλεξιφάρμακον. Omnia enim, quæ venenis reſiſtunt, Arabes vocabulo Perſico بادزهر *Bedezahar* vocant, quo modo ille lapis ab Arabibus dicitur. Bezardica vulgo dicuntur in genere φάρμακα θηριακὰ, ἀλεξιφάρμακα, ἀντίδοτα: denique omnia venenis adverſantia. In veteri indice Aviſenæ *Bezarahat*, id eſt, reſiſtentia veneno. Item: *Bezard* eſt lapis viridis, in quo tanta vis exiſtit, ut omne venenum expellat. Nimirũ *Bezarad* vocat, quum potius *Bedezarahath* vocetur حجر بادزهرة Hegiar Bedezarahath, lapis alexipharmacus. Scribitur cum Dhal.

atque Indi magis corrupte Bazar appellant, quaſi dicas lapidem forenſem: nam Bazar eorum lingua forum eſt.] Si Indi forum ita vocant a Turcis acceperunt, qui ita vocant. بصر enim illis forum eſt. Sed quid cõmune بصر cum بادهر ut ovo cum arbore.

CAP. XLVII.

Arabes quos pleriq. Mauritani ſecuti ſunt.] Errat, quod putat Mauritanos libros ſuos alia lingua, quam Arabum, ſcribere: ut ſi quis diceret Germanorum libros diverſo ab Italorum libris ſermone cõſtare. Nam ut Europæis Latina, ita omnibus Muhammedanis Arabica eſt ea, qua libri conſcribuntur.

Adamantem appellant Almaz.] hoc eſt lapidẽ *Mas* aut *Mes*. حجر الماس

CAP. XLVIII.

Arabibus vero Zamarrut.] Vitioſe. Legendum *Zamardun* زمرد Dicitur & زمرجد *Zamargedun*. Quod proxime ad Græcum σμάραγδον accedit.

Per Feruzegi Smaragdum intelligunt.] Quid ſit *Feruzegi*, neſcio. In paraphraſi Arabica Pentateuchi, cujus auctor Gaon Saadia, Feruzegi legitur pro Hebraico אַחְלָמָה quod quid ſit Iudæi ignorant. Eodem modo habet & alia, quæ penes nos eſt, paraphraſis Arabica anonymi Iudæi. Sed in Lexico Latino-arabico Rafelengiorum الزمرد الفيروزي Ezzemardun Elphiruzi legitur, & Sapphirus exponitur. In Paraphraſi Perſica pro Hebraico נֹפֶךְ poſitum eſt فيروزة *Firaza*. Itaque hæc omnia mihi plena ſunt tenebrarum. Nam illos lapides Iudæi non intelligunt. qui quum eſſent duodecim in Rationali ſummi Sacerdotis, duo ſunt, quorum nomina adhuc retinemus incolumia, *Sapphir* ſecundus in ordine ſecundo, & *Iaſpis* tertius in ordine quarto: qui tamen aliter a Iudæis exponuntur propter imperitiam priſcarum literarum & exoticæ hiſtoriæ. Ne vetuſtiſſimus quidem Paraphraſtes Chaldæus Onkelos illa nomina intacta reliquit: ſed aliis nominibus deſignavit, quaſi aliud eſſent, quã quod nobis ſunt.

Eſt vero Peruſaa Arabibus Turcheſa noſtra.] Iam oſtendimus *Peruza* ſive *Feruza*, aut *Firuza* eſſe, quod Hebræis *Nofech*. Sed id ignoramus. In hoc vero labitur Garcias, quod idem putat eſſe Feruzegi, & Feruza. Onkelos Nofech Zmaragdum interpretatur. Adeo incerta ſunt Expoſitorum judicia. In Indice Andreæ Alpagi Alferuzegi exponitur lapis, qui apud Latinos *Turcois* appellatur.

CAP.

CAP. XLIX.

Nilacandi.] Quid sit *Nil*, vel potius *Nir*, scimus. Est enim color cæruleus, qui vulgo Hispanorũ tam *Añir*, quam *Añil* dicitur pro Arabico النير Sed quid sit *Candi* aut *Alcandi*, nescimus. Porro Arabes colorem cæruleum vocant *Nir*. Isatidem herbam *Nil*. Ideo non mirum si color cæruleus duobus illis nominibus appelletur.

Rubinus nuncupatur Yacuth.] ياقوت non vni Rubino solum, sed & aliis gemmis nomen est commune. Vetus Lexicon Latino-arabicum exponit Margaritum: alii ζάρδιον λίθον & σαρδόνυχα. Est autem nomen depravatum ex Græco ὑάκινθος. زفوني quoque καλλάϊνον, id est flavum colorem significat. Quare si Persæ *Yacuth* rubinum vocant, hoc κατ' ἀντονομασίαν dictum fuerit.

CAP. L.

Vocatur ab incolis Nilaa.] Purum putum Arabicum نيلة *Nilah*, & melius نيلية *Nilia*, cærulea.

CAP. LV.

Hager armini.] حجر الارمنى Hager elarmeni.

CAP. LVII.

Lusitanis aliofar.] *Iohar* جوهر Arabibus est nomen generale gemmarum omnium, & κατ' ἀντονομασίαν Margaritum quoque ipsis dicitur الجوهر Aljohar. pro quo Lusitani & cæteri Hispani, qui H in F, ut & Vascones, mutant, dicunt Aljofar.

Arabibus & Persis Lulu.] لولو proprie est Margaritum, non Aljohar: quod est genus pro specie, ut apud Iurisconsultos Adoptio & Cognatio tam pro genere, quam pro specie accipiuntur.

LIBRO SECVNDO

CAP. X.

Arabes eum fructum Musa, aut Amusa vocant.] Scribendum per z. *Muza*, موز *Muz*. الموز *Almuz*. Alii *Mauz* & *Almauz* dicũt. Non videtur verum esse, quod a quibusdam proditum, hanc plantam mangonio, non natura, productam esse, canna saccharitide radici Culcassiæ insita: quandoquidem hic noster passim in India nasci scribit.

CAP. XX.

Batiec Indi.] بطيخ

Budiecas.] Non potest negari Budiecas esse nomen ex Batiec depravatum. Nam etiam Arabicum nomen بطيخ *Butichá* potest pronunciari pro ratione apicum vocalium.

CAP. XXI.

Mex.] ماس Exemplar Bellunensis nostrum habet *Mes*, non, ut iste vult, *Mens*.

CAP. XXVI.

de Anil, quod a nobis notatum est, vide superiore libro cap. XLVIII. Nam Anil النيل nihil aliud est præter Isatidem, quam Cæsar. Vitruvius, & omnes veteres Latini Vitrum, posteriores, quorum Plinius primus, *Glastum* vocant. Nam ἰσάτις est Græcum.

CAP. XXVIII.

Reisbutos.] Hoc est Principes. *Butos*. *But* videtur primus vocatus, qui illas regiones subegerit. Nam *Reis* رييس est Princeps.

xaolam.] شاه عالم id est Dominus Alem. Nam *xa* lingua Persica nihil aliud est, quam Italorum *Messer*, Gallorum *Monsieur*, Hispanorum *Don*. Ante ducentos enim annos Principes apud Italos vocabantur *Messer*, item magni Equites. Itaque *Xa* non construitur cum alio substantivo, quorum alterum oporteat esse genitivi casus, sed jungitur in eodem casu tanquam appellatiuũ. Itaque شاه عالم esset Hispanice & Lusitanice *Don Alem*. Imposuerunt Garciæ Mauri, quos de Arabismo consulebat.

lingua Persica Bala fastigium significat.] Hoc verum est. Ea lingua بالا Bala est ὕψος, altitudo. كوهها *Kuhaha* montes.

Adel lingua Persica justitiam significat.] imo lingua Arabica. عدل

Arabica & Persica lingua Saibo Dominum sonat.] Verum. سيبا significat proprie Seniorem sed quemadmodum Senior ante tempora Karoli Magni erat gradus nobilitatis; ita apud Arabes *Saib*, vel potius *Xaib*. Apud veteres Francos tres erant ordines nobilium, Grafiones, Seniores, Iuniores. qui ordo adhuc servatur in Germania, Gallia & Italia. Nam in Teutonismo nobiles minorum gentium adhuc vocantur Iuniores Domini, Nobiles majorum gentium *Grafen*, Mediæ conditionis Italis, & Hispanis dicuntur Seniores adhuc, ut *Xaibo* Arabibus, & Persis. Sed & Arabes aliam appellationem habent synonymam, qua mediæ conditionis *Illustres* vocant. شيخ *Xaic*, quod, ut dixi, etiam Seniorem significat.

Neza lanceam.] Sane lingua Persica نزه lanceam significat, quod Hebræis רמח. Sed *maluco* est detortum ex Arabico *mulcu* مُلك Nam regnum Persica lingua dicitur فادشهة *Padeschahat*.

xa-Ismael.] شاه اسمعيل

Nizamo-xa.] Scribendum *Niza-moxa*, *Cota-moxa*. Perinde ac si quis diceret *factus xa*. ut ex *ali* fit *Moali* مغلى ita ex شاه fit مشاه Qui Arabice sciũt, fatebuntur me verum dicere. Nam litera Mim in principio nominum propriorum posita facit derivativorum formam: ut a πλάτων fit πλατωνικὸς, ita ab Ali fit *Moali*, a *xa* derivatur *Moxa*.

Sufi.] صوفى est Reformatus: quia cæteros Mahamedanos hæreticos vocant. neque est nomen proprium.

xeque non xa.] Vtrumq. verum nõ est. Sed *xeque* شيخ est Arabicum, *xa* شاه Persicum.

Goazir.] Sciat eruditus Lector, quæ de Scaccorum ludo hic traduntur, esse a Mauris, quod patet ex *Goazir*, quæ est pronunciatio Mauritanica. Nam *Wau* literam Mauri vocant *Guau*. Idcirco *Wisir*, ipsi dicunt *Guazir*. quod Hispani corrupte per L dicunt *Alguazil*, addito articulo.

Rocha.] Est Gallicum. A Gallis Hispani, ab Hispanis Mauritani, ab illis Persæ. Nam ridiculum est, quod Tigridem Garcias exponat.

Piada.] *Pieton*. Gallicum. Sero igitur & Scacchorum ludum, & ejus appellationes a nobis Europæis acceperunt.

FINIS.

CAROLI CLVSI ATREBATIS

EXOTICORVM

LIBER NONVS:

SIVE

AROMATVM

ET

MEDICAMENTORVM

in Orientali India naſcentium

HISTORIA,

Plurimum lucis adferens iis quæ à Doctore GARCIA *de* ORTA *in hoc genere ſcripta ſunt,*

Auctore

CHRISTOPHORO à COSTA
Medico & Cheirurgo:

CAROLI autem CLVSI operâ ex Hiſpanico ſermone Latina facta, in Epitomen contracta, & ejus aliquot capita ſcholiis illuſtrata.

TERTIA EDITIO,
caſtigatior & auctior.

Illustrissimo Principi ac Domino D.

WILHELMO LANDGRAVIO HASSIAE,

Comiti in Catzenelnbogen, Dietz, Zingenhain & Nidda, &c.

CAROLVS CLVSIVS ATREBAS.



RODIIT *in lucem ante biennium, Illustrissime Princeps,* CHRISTOPHORI A COSTA *Burgensis in Hispania Medici liber, aromatum & simplicium quorundam medicamentorum in India nascentium historiam complectens. Eum superiore anno in Britannica mea peregrinatione amici cuiusdam operâ nactus, non modò avidè percurrebam, sed utilitatem etiam allaturum censebam iis qui Hispanici sermonis ignari sunt, si Latinum facerem. Quam sanè provinciam ut susciperem, impellebat me natura, quæ similium rerum cognitione mirificè semper oblectata fuit.*

VERVM, *cùm totam historiam cum iis quæ* GARCIAS AB ORTA *multis antè annis in eo genere commentatus est, diligentiùs conferrem, pleraque ferè omnia ex illis desumpta esse deprehendebam. Quamobrem & inanem fore laborem, necnon lectori fastidium pariturum existimabam, si, quæ in Aromatum historiâ* GARCIÆ *exstant, hîc retexerem.*

SERIEM *itaque capitum immutans, quæ admodū confusa erat, & totum opus in Epitomen contrahēs, ea dumtaxat Latio donanda existimabam, quæ apud* GARCIAM *non exstare, aut paulò aliter ab eo descripta observabam.*

ICONES *præterea, quas ad vivum expreßisse paßim gloriatus, suis locis insperserat, reiiciendas censebam, quoniam planè ineptæ essent, & nihil minùs, quàm legitimas stirpes referrent: uti ex unica Caryophyllorum arboris effigie (quam idcirco inferendam esse arbitrabar, ut cum legitima,* GARCIÆ *adiecta, conferre liceat) quilibet iudicare poterit.*

QVIBVSDAM *insuper notis nonnulla capita illustrabam, ut in hoc genere soleo, præsertim cùm quid simile, vel etiam diversum apud alios Auctores legere memini, aut ipsâ experientiâ didici.*

TENVEM *porrò hunc laborem Illustrißimam V.C. benignè suscepturam certò statuens, ipsius nomini consecrare non sum veritus, cùm quòd* βοτανικῇ *studio summopere delectetur, tùm ut aliquod saltem grati mei erga ipsam animi specimen exstaret, pro singulari illa, qua me proximè Cassellis excipiebat, humanitate, atque insigni, qua discedentē prosequebatur, munificentia.*

DEVM *autem opt. max. oro, ut Illustrißimæ V. C. omnia prospera elargiri dignetur. Viennæ Austriæ, Cal. Ian.* M.D.LXXXII.

CHRI-

CHRISTOPHORVS À COSTA CHRISTIANO ET PRVDENTI LECTORI.



MNES *homines scire desiderant, inquit Philosophus principio Metaphysices. Tanti apud me fuerunt ponderis ea verba, benevole Lector, ut relictâ patriâ, per varias regiones & provincias, sapientes & curiosos quærere instituerim, à quibus singulis diebus aliquid novi ediscere possem: quemadmodum olim fecerunt multi prudentes viri, referente D. Hieronymo in Bibliorum præfatione ad Paulinum.*

CVPIDVS *itaque fructum aliquem colligendi ex meis longis peregrinationibus, curæ fuit, ut diversis in regionibus & provinciis, plantarum, quas Deus ad humanam salutem creavit, varietatem observarem.*

PORRO *in Orientali India, in D. Garciam de Orta, Medicum Lusitanum incidi, virum gravem, rari & excellentis ingenii, cujus laudes prætereo, quoniam tantæ sunt, ut cùm multas enumerasse existimarem, multo plures me subterfugerent.*

SCRIPSIT *is librum Lusitanico sermone, cui titulum fecit,* Colloquia de Simplicibus, Aromatibus, & Medicamentis Indiæ, tum de quibusdam fructibus istîc nascentibus. *Ut autem eo libro de variis medicamentis, plantis, & aliis rebus humanæ saluti necessariis agit: nonnulla etiam usibus humanis inutilia attingit, Dialogismorum naturâ ita postulante: ubi collocutores plerunque divertere, & extra septa ferri consuevêre. Quin & plurimi errores passim occurrunt, quos tametsi Auctoris existimatio & laus ipsi tribuendos minimè patiatur, sed typographi & operarum (quæ in civitate Goa, ubi ille scripsit, non adeò cultæ & expolitæ inveniuntur ut in his regionibus) potiùs negligentiæ: lectori tamen molestiam & tædium pariunt. Aliud præterea libro deest, quo minùs omnibus numeris absolutus censeatur, nimirum picturæ & plantarum, de quibus agit, effigies: quas gravioribus & majoris momenti, ut credibile est, rebus occupatus, inserere non potuit.*

CETERVM *nostris hominibus eum librum multùm profuturum existimabam, si ad earum rerum, quæ in eo bonæ continentur, notitiam perducerentur, subjectis ob eorum oculos exemplis & picturis: neminem autem id facilè præstare posse, nisi qui eas suis oculis conspexisset, & expertus esset. Itaque patriæ prodesse cupiens, & in meos proximos amore compulsus, eum laborem in me recipere, & singulas stirpes integras ad vivum exprimere constitui, multis aliis rebus additis, quas ipse conspexi, Doctor verò de Orta ob jam dictas causas non potuit.*

NON *me fugit quanto me periculo exponam, præsertim hoc sæculo, quo hominum nequitia plurimum imperat, & ea plerunque reprehendere solet quæ non intelligit. Sed id me consolatur, quòd plurimos sapientes viros eodem vado transiisse certum sit: quos si ejusmodi metus deterruisset, multa hodie ignoraremus, quæ summâ industriâ, ingenii felicitate, & diligentiâ, in bonarum literarum commodum posteritati reliquerunt.*

ET *licet cum iis minimè sim comparandus, meaque audacia eo major appareat, quòd de nonnullis erroribus agere instituam, qui inter Græcos, Arabes, & Latinos circa plantarum & aromatum cognitionem commissi sunt, partim eorum negligentiâ, partim etiam quòd illorum medicamentorum natales conspicere non potuerint, sed ex incertis aliorum relationibus dumtaxat exceperint: veniâ tamen non indignus censebor, si de his, quæ meis oculis conspexi, certissima & verissima hoc libro comprehendere coner.*

VT *verò hunc laborem susciperem, gloriæ cupido non me impulit, aut ut doctrinæ major laus, quàm mereor, mihi tribueretur: sed unicus mihi scopus fuit, ut tuis commodis sincerè inservirem. Certò autem mihi persuadeo, etiamsi utilitatem minùs fortè laudes, boni tamen*

consulturum diligentiam & laborem, neque improbaturum meum animum, qui tam longis & variis peregrinationibus ea conspicere voluerim, quæ alii ex solo auditu descripserunt.

NEC *inficias eo, quin hæc elegantiore stilo tradi queant: verùm certam veritatem expolitis verbis longè præferendam esse censeo. Eam ob causam te rogo, meam voluntatem, uti decet, excipias, neque operis exiguitate movearis: nam licet moles exigua sit, magna tamen in eo continentur. Quòd si quædam occurrent, quæ tuo palato non arrideant, ea tanquam prudens omittito, & illud cogitato, me tibi soli non scribere, totque esse opiniones quot sunt homines: namque fieri poterit, ut quæ tibi ingrata erunt, alii probent. Id si effeceris, curabo ut alium majorem librum in medium proferam, reliquas herbas, stirpes, fructus, aves, animaliaque cùm terrestria tum aquatica, quæ in illis provinciis, tum etiam in Perside & Sinarum regione inveniuntur, hactenus ad vivum non expressa, & de quibus parum admodum scriptum est, complectentem: alia item observatione digna, quæ tibi forsitan magis arridebunt.*

FINEM *itaque faciam, in omnibus doctorum virorum & candidi lectoris censuræ me subiiciens, qui ea dumtaxat quæ norunt, aut quæ decet, reprehendere solent. Eos verò qui invidiæ stimulis agitati contrarium facient; obsecro ut sumpto calamo primùm aliquid scribant quod in lucem proferant: tum demum enim intelligent, quanto facilius sit carpere, quàm benescribere quod omnium oculis exponendum est.* VALE.

CHRI-

CHRISTOPHORI A COSTA AROMATVM LIBER.

De Aloë.

CAPVT PRIMVM.



FOLIORVM Aloës usus familiaris admodum est ad aluum purgandam in provincia Malabar; exhibenturque sine metu non modò pueris, sed etiam gravidis mulieribus in hunc modum:

Foliorum Aloës usus. Malabar provincia.

FOLIORVM unciæ tres in frusta sectæ, additis duabus drachmis crassioris salis, lento mitique igne coquuntur donec fervere incipiant: colantur: colaturæ additur sacchari uncia una; totâque nocte sub dio relinquitur; postridie manè circiter sextam propinant frigidam istam aquam ei quem purgare volunt, somnoque abstinere jubent, deambulationem verò per cubiculum permittunt, ut celeriùs medicamentum operetur: tribus deinde horis ab aqua hausta, quatuor uncias jusculi gallinacei cum aliquot granis Mastiches exhibent: post horam edit, & bibit vinum dilutum. Porrò augetur vel minuitur dosis foliorum & colaturæ pro illorum, qui id medicamentum sumpturi sunt, naturâ & viribus: non minùs familiaris est hæc purgandi ratio (præsertim delicatulis) quàm Manna aut Cannæ fistulæ recens pulpa; &, quod magis mirum est, reliqua officinarum medicamenta præ isto respuunt.

Foliorũ Aloës confectio ac dosis.

Eam sumendi ratio.

CETERVM eodem ordine, quo nos in Europa, Indici Medici purgantia medicamenta exhibere solent, sive solidioris, sive liquidioris sint substantiæ, videlicet ipsâ aurorâ; & deinde quinque horis, ab esu, potu, & somno abstinent. Quo tempore si non purgabitur æger, ex * Avicennæ præcepto Mastiches drachmas duas stillatitiâ rosarum aquâ dissolutas ad roborandum ventriculum dant, alvumque inungunt bubulo felle, lineosque pannos felle madentes ventri imponunt, ad proritandam expultricem facultatem, si necesse sit. Si verò bene purgabitur, post quinque illas horas à sumpto medicamento, tres uncias jusculi gallinacei tepidi exhibent, præterea nihil: deinde ut aliquantulum dormiat permittunt, & paululum aquæ rosaceæ bibat: etenim à somno subsequi solet commoda purgatio; atque plurimum roborari asserunt facultates naturales jusculo illo, somno & aqua rosacea. Nam si liberalior permitteretur pastus, naturalis facultas in eo concoquendo occuparetur, tardioremque purgationem moliretur.

** 4. Primi.*

Quæ possunt id medicamẽtum etiam iuvare.

HIC est usitatior medicandi modus inter eruditiores Medicos illarum Provinciarum, qui rationi maximè consentaneus est: etenim fel foris adhibitum solutiuum est, irritando expultricem facultatem. Carnium verò esus non concessus fulcitur auctoritate Avicennæ.

225. tract. 2. cap. 23.

* *Aloës porrò facultates ex Dioscoride & Galeno petendæ: quas quidem Auctor Hispanico sermone, sed non satis fideliter reddidit.*

De Opio.

CAPVT II.

VVLGATISSIMVS est apud Aphricanos & Asiaticos Opii usus: & ejus esui ita assueverunt, ut etiam abstinere nequeant sine manifesto vitæ discrimine. Id ipsâ experientiâ comperi dum Indico mari in Lusitaniam redirem. Etenim eâdem navi vehebantur captivi Turcus quidam natus in Aden, & alii cùm Turci, tum Persæ & Arabes, qui clàm aliquantulum Opii secum detulerant, quo propter penuriam veluti medicamento usi erant. Eo absumpto, Turcus ille Adensis ad me, Heus tu, inquit, quandoquidem curandorum ægrorum in hac navi provincia tibi data est, certò scias, nisi mihi & meis sodalibus Opium præbueris, biduum nos non supervicturos. Cùm verò negarem Opium me habere, respondit: Illud ergo esto unicum remedium, quo nos, qui Opii esui assuevimus, liberari queamus; si singulis diebus manè unicuique puri vini haustum propines, licet nobis admodum arduum sit & tædiosum, quòd nostræ legi adversetur: sed quoniam nostra salus ex eo dependeat, necessariò ferendum est. Ex illius itaque præscripto vi-

Opii usus ubi & cuinam rei commodus.

num omnibus dedi, liberatique sunt, & intra mensis spacium, vinum amplius gustare noluerunt; nec illis obfuit Opii defectus, cujus usus jam in desuetudinem abierat: imò cùm illis deinde & vinum & etiam Opium dare vellem, neutrum cupiverunt.

De Lacca.

CAPVT III.

Laccæ conficiendæ ratio.

Eius utilitas.

LACCAM verò in pulverem redigere solent ejus regionis incolæ, deinde colliquare, admiscereque quem cupiunt colorem, rubrum, viridem, nigrum, luteúmve; postea vel in bacillos tenues conformant, quales sunt qui in Hispanias adferuntur ad obsignandas literas; vel in majores & crassiores, ad usus mechanicos. Nam qui torno lecticas, sedes, vel alia quævis ex ligno conficiunt, si colore inficere cupiunt, solent ea in torno versare, crassioresque bacillos Laccæ admovere, quâ celeri illo motu liquescente ligna elegantem Laccæ colorem recipiunt multis annis durabilem.

AVRI fabri autem & argenti fabri vasa sua vacua (ut firmiora elegantioraque reddant) Laccæ pulvere implere solent, eaque deinde igni admovere, ut Lacca liquescat, postremò refrigerari sponte sinunt, vel aquæ immergunt.

Quomodo adulteretur.

CETERVM adulteratur interdum resinâ & cerâ: sed adulterium facilè deprehenditur ex odore & mollitie, si frangatur aut uratur.

Laccâ non est Dioscoridis Cancamum.

PORRO non esse Dioscoridis Cancamum, ut Serapio arbitratur, Amatus Lusitanus Commentariis in primum librum Diosc. enarrat. 23. probè annotavit, ubi duo Laccæ genera describit his verbis:

Cancamum à Laccâ dignoscendi ratio.

Dialacca.

QVICVNQVE Cancamum Laccam esse putârunt, mirè errare deprehenduntur: cùm Cancamum gummi odoriferum sit, Lacca verò sive commansa, sive suffimentis expetita, inodora percipiatur: quam hodie Lusitani ex India adferunt, rubram, translucidam, tincturis præcipuè deservientem (& ex ea Officinæ compositionem quandam præparant, Dialaccam appellatam) quæ, ut certò scimus, non gummi, aut arboris plantæ've alicujus gutta est, sed potiùs formicarum alatarum stercus favagóve, velut cera apum, &c. Et paulo pòst:

Lacca artificialis.

Eius usus.

EST verò alia Lacca artificialis, quam infectores pannorum vendunt, quæ ex fæce Brasilii, Verzinii dicti, & Cocci resultat: quâ pictores pro conficiendo colore rubro obscuro maximè utuntur. Hanc vero Serapio ineptè admodum cum primâ confundit Laccâ: unde hodie multi impudentissimo errore, Serapionis authoritate seducti, eam in compositione Dialaccæ miscent.

De Caphura.

CAPVT IV.

Tabellæ ex Caphuræ ligno confectæ.

HABVI tenues admodum fritilli tabellas, cum pyxide qua adservabantur, ex Caphuræ ligno confectas, uti ex odore facilè deprehendi poterat: nunquam tamen Camphoram exsudabant; at si manibus tractarentur, solummodo Camphoræ odor in eis major spirabat.

Caphura de Burneo preciosior Sinensi.

Cate.

Bar.

PORRÒ Caphura de Burneo cùm multo pluris æstimetur, præstantiorque sit Sinensi; per Cates (est verò Cate ponderis genus viginti uncias pendens) venditur; Sinensis autem per Bares, estque Bar pondus circiter sexies centenas libras pendens. Valet etenim ejus, quæ ex Burneo advehitur, libra una, quantum Sinensis centenæ libræ.

Rex Sinarum potentissimus.

Regni præstantia.

CVM itaque illius tam vile sit pretium, planè explodenda eorum est opinio, qui illam à Rege Sinarum adulterari arbitrantur, quandoquidem unus sit ex potentissimis totius orbis Regibus: de quo ejusque provinciis si quis sermonem instituere cuperet, magnum volumen conscribat oporteret. Nam si regni amplitudinem, incolarum frequentiam, politiæ & gubernationis excellentiam, & divitias spectes; nullum aliud in universo orbe est Imperium quod cum Sinensi comparari possit. Et haud scio an quispiam tam confidentis sit ingenii, ut eorum, quæ istic excellentia, & perpetuâ memoriâ digna sunt, historiam conscribere adgredi audeat, cùm singula longè famam relationemque omnem superent.

Gaspar de Cruce, Sinensis historiæ auctor.

Si quis tamen partem infinitatis eorum, quæ in Sina observanda sunt, scire cupit; legat librum quem de eâ conscripsit Reverendus pater Gaspar de Cruce, Dominicani ordinis monachus.

Merces quæ ex Sinarum regione advehuntur.

VT verò è multis mercibus, quæ ex Sinarum regione advehuntur, paucas perstringam, sunt argentea vasa diversi generis, summâ arte & diligentiâ elaborata; omnis præterea domestica supellex, uti lecticæ, spondæ seu lectuli ad recumbendum ex argento sculpto & diligenter

diligenter elaborato: maxima quantitas sericei fili, sericeorumque pannorum, plurimum aurum, moschus, uniones, argentum vivum, æs, minium, murrhina vasa plurima, quorum nonnulla duplo æstimantur argenti pondere, & pleraque alia cùm ad humanos usus necessaria, tum ad luxum & ornatum. Ego sanè inde habui binas thecas ex solido argento cum omnibus instrumentis chirurgicis majoribus & minoribus, ut sunt cauteria, specilla, malleoli, &c. ex argento confecta & exornata tanto artificio, quanto ab ullo argenti fabro desiderari posset.

De Manna.

CAP. V.

PRÆTER ea Mannæ genera quæ à doctissimo ab Orta descripta sunt, aliud in Ormuz venale conspicitur, quod in varias Indiæ provincias defertur, quodque glebis paulo majoribus constat quàm Calabrina, neque ita candicat: id valenter purgat; & quoniam magis solutivum est reliquis generibus, minorisque est pretii, vulgus præfert, eoque plurimum utitur. Diligentissimè autem ab humiditate conservari debet, alioqui facilè corrumpitur. Compositum autem esse medicamentum, sic deprehendi. *Manna genus in Ormuz venale. Eius facultates. Eius conservandi ratio.*

MVLTVM eo utebatur Medicus quidam Brachmanes, meus familiaris, degens in civitate Cochin, atque summè à bonitate commendabat, negans pretii vilitatem imminuere ejus præstantiam; vilioris ideò pretii æstimari, quia major quàm reliquorum generum illius inveniretur quantitas. Cùm verò compositum aliquid mihi videretur, suspicari cœpi illum id in suis ædibus conficere: semel enim resciveram omnino Mannâ eum carere, paulo verò antè mihi dixerat ex Ormuz ad ipsum advehi; paucis tamen interjectis diebus maximam illius recentis mihi ostenderat quantitatem, cùm & hiems esset, nullæque naves ultro citroque navigarent. Tandem bonus Brachmanes (acceptâ à me silentii fide, quòd in illis saltem provinciis eum minimè proditurus essem) fassus est à se componi eâ, quam in Persiâ observârat, ratione, videlicet, Amylum candidum & purissimum, Mannam cujuscumque generis, sed præsertim quæ Calabrinam æmulatur, Scammoneam & seminis genus Visa dictum, quod ex Bengala advehitur, quodque Lathiridis grano simile est, (injecto interdum polline radicis cujusdam candidæ lacticinæ, cui nomen *Dante*) cum Saccharo, pauxillaque aliqua odorata aqua permiscebat, solique exponebat. *Cochin civitas. Eius mannæ compositio. Visa semen. Dante.*

MANNAM autem adulterari nihil mirum, quandoquidem & lapides Bezahares tanto artificio in Ormuz & in urbe Cochin provinciæ Malabar, ubi Rex degit, adulterantur, ut legitimi appareant, fallantque etiam maximè expertos in iis dignoscendis, primâ superficie; quæ nisi frangatur, vix à legitimis discerni queant. *Manna adulteratur, & lapis Bezar.*

De Tabaxir.

CAP. VI.

INVENIVNTVR interdum hæ arbores sive arundines vocatæ *Mambu*, in quibus nascitur Tabaxir, tantæ amplitudinis & crassitudinis, ut ex ea cymbas faciant, quæ binos viros capere possint, non quidem illas excavantes, sed relictis solùm duobus utrinque internodiis per medium secantes. Conscendere verò solent similes cymbas bini Indi, iique nudi (nam nudos incedere illis in regionibus moris est) sedereque singuli in ejus extremitatibus, junctis cruribus, tenentesque singulis manibus remos trium aut quatuor palmorum longitudinis, quibus eas cymbas impellunt tantâ dexteritate, ut etiam adverso rapidoque flumine summâ celeritate navigare possint, quemadmodum meis oculis conspexi in flumine *Cranganor*, in quo plurimus est usus cymbarum ex hac arundine confectarum, quoniam qui eis vehuntur, securiores sese existimant à Crocodilis, quos illi *Caymanes* vocant, magno numero in hoc flumine versari solitis. Nam cùm ferocissimi sint, sæpenumero in naves majusculas & minusculas impetum facere solent, ut eos, qui illis vehuntur, apprehendant. Si enim aut in flumine aut in littore hominem, bovem, bubalum, aprum, porcum, aut quodcumque tandem aliud animal comprehendere possint, illicò devorant. Indigenæ autem affirmant nunquam compertum esse, ut eos, qui cymbis ex *Mambu* confectis vehuntur, appetant, sed sæpenumero conspectos esse natantes proximè illas, attamen præterire sine noxâ. *Tabaxir historia. Mambu. Eius utilitas. Cranganor flumen. Crocodili. Caymanes.*

De Elephante.

Cap. VII.

Elephantum ministerium & historia.

Ministerium præstant Elephanti non modò in convehendis oneribus, & bellicis tormentis è loco in locum commutandis, sed etiam in muniis aliis domesticis. Promuscide verò (qua veluti manu utuntur) onera crasso firmoque fune colligare solent: funem verò ore apprehendentes, eum sannis seu dentibus quos exertos habent, quoties opus est circumvolvunt, deinde onera sublimia in aëre ferunt, aut trahunt, si nimium gravia sint; tantâ dexteritate & attentione, (præsertim si iis contineantur res fragiles, & quæ effundi possint) ut hujusmodi res requirunt: nec, cùm semel iter confecerunt, viæ demonstratore ampliùs opus habent; tantâ sunt memoriâ præditi. Interdum etiam in bellum producuntur frontem & pectus armati equorum cataphractorum more, multis appensis tintinnabulis ad pectus & cingula seu lora, quibus lignea castella ipsis imposita constringuntur: & præter milites omni armorum genere instructos castellis inclusos, singuli peculiarem suum rectorem vehunt, ipsorumque sannis enses sive falces alligantur, quibus hostes feriant & profligent: at si vulnerentur, timidi & furentibus similes sese obvertunt, atque suorummet ordines plerumque perturbant.

Plinius lib. 1. multis locis plurima de Elephantis memoratu digna refert: at nos nonnulla hîc describemus magis fide digna.

Elephantes se mutuo intelligunt. *Aliquando loquuntur.*

Vulgaris opinio est in provincia Malabar, Elephantos mutuò se intelligere. Loquutum autem aliquando in urbe Cochin (quæ illius provinciæ nobilis civitas est) publico testimonio constat hoc modo.

Elephas quidam in littore maris urbi vicino laborare solitus, jamque laboribus fessus, domum redire properabat, ut quiesceret: Præfectus verò illius urbis orabat ut in labore pergeret, atque liburnicam, quam jam commovere inceperat, in mare traduceret: renuentem Elephantum Præfectus denuò compellare, blandisque verbis demulcere cœpit, id in suam gratiam faceret, ita enim decere, quandoquidem in servitium esset Christianissimi Regis Lusitaniæ. Elephantus hæc duo verba proferens, *hoo hoo* (quæ lingua Malabarica, vulgari & usitata in ea provincia è qua Elephas oriundus erat, significant, volo volo,) ad liburnicam rediit, eamque in mare impulit.

Idem cùm ipsius rector horâ constitutâ cibum illi non præberet, de morâ conquestus est: rector verò id accidisse aiebat, quòd lebes, in quo cibum illi coquere solebat, pertusus esset, proinde ad cacabarium deferret resarciendum. fert eum elephas: cacabarius negligentiùs reparat: rector elephantum objurgat, & contumeliosis verbis afficit, atque ad cacabarium cum lebete remittit ut diligentiùs resarciat: is verò de industria lebetem reparare simulans, rimam auget, & elephanto reddit; qui lebetem promuscide sumens ad flumen defert, & aquâ implet; quam dum effluere conspicit, magis pertusum esse lebetem intelligit, & ante cacabarii ædes refert magno barritu intonans: concurrunt Regiorum negotiorum Præfectus & alii multi: cacabarius, blandis verbis veniam ab elephanto petens, lebetem probè reparat, eique restituit: ille verò minimè fidens, in omnium conspectu ad flumen redit, aquamque haurit; quam dum videt non effluere, lebetem ostendens adstantibus, quasi ipsos rei gestæ testes esse cuperet, ad rectorem suum refert.

Elephanti beneficiorum memores. *Elephantorum morbus.*

Natura gratus est, beneficiorumque memor, nec cuiquam nocet nisi injuriâ affectus, aut dum certo morbo corripitur quo veluti in furias agitur, quod singulis annis fieri solet: tum enim nemini parcunt elephanti, sed obvium quemque proterunt.

Goa urbs.

Accidit in urbe Goa,[a] in qua legati Regis Lusitaniæ, qui regiam potestatem obtinent, degere solent, ut unus ex elephantis, qui istîc ad Regis servitia aluntur, hujusmodi morbo correptus, vincula & catenas (nam solent ferreis catenis constringi, & loco quodam concludi donec morbo liberentur) disrumperet, & per urbem vagaretur; fugientibus verò omnibus, mancipium quoddam in ulnis filiolum gestans in plateâ obviam habuit, quod conspecto elephanto exterritum, ad suas ædes celeri cursu confugit; quas ut aperiret, filiolum humi ante januam exponit, moxque ædes ingressum januam occludit, præ metu filioli oblitum: elephas puerum conspiciens, promuscide leniter sublevans, in proximum humile tectum, quod è regione istarum ædium erat, collocat, atque aspicit an puer istîc sine damno consistere queat, deinde furibundus ulteriùs progreditur: beneficii memorem, tametsi furens, sese ostendit hic Elephas, qui puerum non necavit, sed agnoverit filium mulieris esse quæ eas ædes inhabitabat, quæque illi & aliis domesticis elephantis, quotiescumque istac transirent, panem aut fructus dare solita erat: nam hujusmodi cibos & alia edulia ante suas ædes venalia exponebat.

Aliud

Alivd gratitudinis exemplum referam. In ejusdem urbis foro vagabatur hujusmodi furiis correptus elephas: vir quidam æger, effugere cupiens, pronus cadit; elephas minimè ei nocens promuscide comprehendit, & in scamno quodam deponit. Aiebat hic vir, eodem loco, illi ipsi elephanto, antequam in morbum incideret, magnum quendam fructum *Iaca* incolis appellatum (de quo nos inferiùs) suâ manu præbuisse. *Iaca fructus.*

Apvd urbem Cochin elephas quidam hujusmodi furiis agitatus in lacuna quadam hærebat, ad quam cùm fortè accessissent inopinanter nonnulli pueri, Elephante conspecto omnes diffugerunt, præter unum qui istîc perstitit: eum accedit elephas, adblandiens quodammodo, & promuscide demulcens, leniter eum corripit, suoque dorso imponit, & per lacunam exspatiatur, deinde illum reponit quo apprehenderat loco veluti lætabundus. Cùm ea quæ ipsi accidissent puer narraret, multi viri eum comitati sunt: sed procul à lacuna remanentes, arbores conscenderunt, ut è tuto spectarent quid ageretur. Puerum propiùs accedentem elephas velut antè corripit, dorsoque imponit, & exspatiatur. Id sæpiùs à puero est repetitum, donec blandis verbis (quemadmodum edoctus fuerat) elephantum denuò mansuetum redderet, & in urbem pelliceret.

Ante verò quàm hujusmodi ægritudine & amoris furore corripiantur Elephanti, eos sui rectores in agros deducere, atque istîc validis firmisque catenis ferreis constringere solent: furoris enim indicium agnoscunt ex quadam oleosa materia, quæ ex illorum auribus effluit. Medicantur autem huic ægritudini ipsorum rectores, graviter illos objurgando, & rationibus demonstrando (probè etenim audiunt & intelligunt) vilis & degeneris esse animi ob amorem ita in furias agi: deinde certa quædam medicamenta illîc usitata adhibent. Maxima eorum castigatio est, gravibus verbis illos objurgare; tametsi interdum anteriores pedes sublevare eos jubeant, plantasque cum hamulis feriant, dicentes sese eos uti pueros castigare ob stultitiam. *Morbi sive furoris indicium & remedium.*

Ex venerea porrò illa furia, quæ singulis annis elephantos vexare solet, ratiocinantur nonnulli annuo spacio uterum gestare elephantos feminas: nihil enim certi, ipsorum rectores & alii gentiles, diligenter à me interrogati, de partus tempore proferre potuerunt. Ælianus autem atque alii, sesquiennio vel biennio uterum gestare putant. Affirmant verò incolæ, singulos elephantos peculiarem habere feminam, nec aliis commisceri, imò ne cum suis quidem feminis, postquam illas gravidas deprehendunt.

Gloriæ avidi sunt elephanti, cujus causa interdum mira facinora præstare conspiciuntur. Nónne in littore urbi Goa vicino quidam crepuit medius,[b] dum solus magnum æneum tormentum bellicum sublevare cupit; quoniam ipsius rector gravibus verbis objurgasset & contumeliâ affecisset, ostendens illi duos iuniores elephantos adventantes illius ænei tormenti tollendi gratia? *Gloriæ avidi.*

Ceterum uti beneficiorum sunt memores, & gloriæ avidi, non minùs vindictæ cupidi esse deprehenduntur; quemadmodum ea, quæ in urbe Cochin acciderunt, documento esse queunt. *Vindictæ cupidi.*

Miles quidam Cocci sive Indicæ nucis putamine domesticum elephantum petiit, eumque in fronte attigit: elephantus putamen colligit; & cùm eo tempore injuriam ulcisci minimè posset, in os recondit, donec elapsis aliquot diebus militem in platea quadam deambulantem conspiceret: tum demum promuscide nucis putamen ore eximit, atque militi vicinior factus, in ipsum coniicit, deinde abit, veluti lætus quòd injuriam sibi illatam ultus esset.

Alivs quidam miles in eadem urbe Elephanto suum rectorem injuria affecisse visus est, quòd illi in via minimè cedere voluisset: eam injuriam ulcisci cupientem rector vetuit. Post aliquot dies ministeria quædam in littore Mangate fluminis (quod urbem Cochin alluit) absente suo rectore obiens, militem cum aliis quibusdam sermones conferentem conspicit, promuscide ipsum corripit; nec eorum qui rogabant ut militem dimitteret, voces moratus, aliquoties flumine mersit, subinde eum in altum sublevans, & aquam qua madebat defluere sinens: deinde cùm injuriam suo rectori illatam probè ultus sibi visus esset, militem quo comprehenderat loco denuò in pedes sistit. *Mangate flu.*

Qvia porrò quæcunque hîc de Elephante tradita sunt, inter ea quæ exquiri potuerunt, maximè vera esse satis constat; alia prætermitto, quæ Matthiolus & plerique alii scripserunt. Sed & de Elephante, & aliis medicamentis quæ ex India in Europam transvehuntur, doctissimus Orta magnâ curâ & diligentiâ commentatus est: ille quidem ex aliorum relatu majore ex parte, ego verò [*penes auctorem fides esto*] ipsâ αὐτοψίᾳ. Etenim ut ista ad vivum ipse depingerem, illis ipsis locis, ubi nascuntur, non sine libertatis & vitæ discrimine collegi, quo etiam veriùs describere possem, cùm quæ hoc libro traduntur, tum quæ altero volumine quod præ manibus habeo: in quo reliqua medicamenta, *Alterum auctoris volumen.*

menta, ſtirpes, aves, & quadrupedes, quæ iſtic reperiuntur, deſcribere animus eſt.

LONGE plures ſimiles hiſtorias veras hîc recensêre poſſem, quas brevitatis cauſa prætereo. Quibus verò iſtæ non ſufficiunt, legant quæ Ariſtoteles, Plinius, Ælianus, Oppianus, & alii plerique Auctores de Elephantis ſcripſerunt.

[a] Paullo aliter, atque etiam fuſiùs, hanc Hiſtoriam refert Ioannes Hugonis F. à Linſchoten cap. 46. ſui Itinerarii.

[b] Similem etiam, ſed paullo aliis verbis deſcriptam, recenſet idem Linſchotius eodem capite: aliámque addit non minùs admirabilem, quæ ipſo præſente contigit, dum in Luſitaniam rediturus, diſceſſum ex Cochin pararet.

Corbitæ, inquit, quâ vehendi eramus, gubernaculum adeò vitiatum erat, ut, ad reparandum, in terram ferendum eſſet: cymbæ igitur alligatum ad littus uſque perductum eſt, in quod deinde elephas pertrahere, &, binis phalangis ſuppoſitis, ut faciliùs porrò gliſceret, in ſiccum educere debebat: ſed quia gravius erat, veluti gubernaculum corbitæ mille quadringenta aut ſexcenta dolia vehentis, atque elephas junior, necdum adultus, ſolus in littus pertrahere, tametſi omni conatu tentaret, non potuit; in genua itaque prolabens, barrire & lamentari cæpit, lachrimis etiam ex oculis profluentibus: quum autem frequentes in littore eſſemus, & ad hoc ſpectaculum conveniſſemus, eius gubernator contumelioſis verbis illum excipiens, pudore affici debere dicebat, ſic coram ſpectatoribus lamentari: ſed licet ille rurſus omni conatu niteretur, ſolus tamen gubernaculum in littus pertrahere non potuit: ubi verò altero elephante adiuncto, dimidiam gubernaculi partem ex aquâ eductam animadvertit, dentibus & capite adiunctum elephantum protrudere & abigere cæpit, eius operam non ampliùs expetens, & ſolus deinceps in ſiccum pertrahere voluit. Hinc appâret intellectu præditos eſſe elephantos, & honoris laude affici, perinde ac homines.

De Canella.

CAPUT VIII.

Canellæ hiſtoria. CANELLÆ arbor mali aureæ amplitudine eſt, nonnunquam major, interdum minor, ramoſa admodum, cujus teneriores rami recti ſunt: folium Laurino ſimile, latius tamen, colore dilutiore, & minùs ſiccum, tribus nervis inſignitum: flos candidus, odoris propemodum expers: fructus ſilveſtris oleæ baccis par, vireſcens initiò, deinde ruffeſcens, & ubi plenam maturitatem conſecutus eſt, niger atque ſplendeſcens (quo tempore colligi debet) oſſiculum intùs continens ſilveſtribus olivis ſimile; ſimiliq́ue carne præditus, ex qua exſtillat oleaginoſus quidam liquor ſubvireſcens, odore baccarum lauri, ſapore acri cum pauxilla amaritudine conjuncto: præditus verò eſt hic fructus ſeſſili parte parvo calyce, læviore minusq́ue criſpo quàm ſint ilicis calyces. Harum arborum magna eſt frequentia in ſilvis provinciæ Malabar: ſed præſtantiâ & odore longè ſunt inferiores iis quæ in Zeylan inſula naſcuntur.

Canellæ liquor. STILLATITIUS Canellæ liquor vitreis aut plumbeis organis extractus is præfertur, qui è viridi cortice, præſertim radicum, minutim inciſo eductus eſt: etenim non modò corroborat & ſtomachi imbecillitatem, colive dolores ex frigidâ causâ provenientes lenit; *Eius facultates.* ſed urinam cit, & oris anhelitum commendat; utilis eſt præterea jecoris, ſplenis, cerebri & nervorum ægritudinibus, atque in ſyncope cardiaciſque affectibus confert: venenis reſiſtit, & virulentorum animalium morſibus; menſes móvet, & uteri affectibus prodeſt, vomitiones cohibet, & appetentiam excitat: valet item ad ſpaſmos, & comitiales morbos: atque, ut ſummatim dicam, aperit, incîdit, digerit, calefacit, & corroborat.

Elicitur etiam liquor ex Canellæ floribus, ſed longè minore quantitate, minusq́ue præſtans ſuperiore.

De Santalo.

CAPUT IX.

Sambarane. ODORATI illius ligni genus in Malabar natum, Santalo albo perſimile, quo ſe in febribus indigenæ inungunt, & *Sambarane* appellant, non eſt Santalum, neque illius *Santali ſpecies.* facultates obtinet: Medici tamen ejus provinciæ Santali ſpeciem eſſe, & conferre tenuioris fortunæ hominibus aſſerunt, commendantq́ue in eryſipelate, & inflammationi- *Ad eryſipelas & inflammationes utilis.* bus: atque Santali rubri modo eo utuntur.

QUOD verò Antonius Muſa Santalum Luſitanis acceptum fert, rectè quidem: ſed fallitur, quòd Calecutico agro provenire cenſet, ubi montes aſperi & confragoſi elephantis, tigridibus, apris, lyncibus, regulis ſerpentibus, aliorumq́ue generum feris abundant: plana verò & arenoſa, palmis Coccos ſive Indicas nuces ferentibus conſita: at nullæ Santali arbores. Solebat ſanè è Calecut celeberrimo olim Emporio peti: iſtuc enim ex reliquis Orientis regionibus omnis generis precioſæ merces inferebantur, atque Sinenſes potentiſſimi & opulentiſſimi, qui Indicum illum Oceanum navigabant, mercatores, amplas ædes (quæ

(quæ etiamnum *Sinacota* appellantur) iſtîc habebant, in quibus ſuas merces, & inter eas Santalum è Malaca allatum, reponebant; quas deinde vendebant, & in alias regiones diſtribuebant. At cùm Luſitani Calecutium initiò appellentes, à Rege & oppidanis proditione appetiti & pænè oppreſſi fuiſſent, inconſtantiæ & nequitiæ illius gentis minimè fidentes, majoris ſecuritatis cauſâ ad Regem Cochin tranſierunt, qui eos non modò humaniter excepit, ſed etiam adverſus Regem Calecut fortiſſimè defendit & tutatus eſt. Pro quo beneficio Luſitani poſtea luculentam gratiam retulerunt: nam vaſtato Calecutio, Regem Cochin potentiſſimum totius Malabar Dominum effecerunt, & cum illo etiam nunc arctiſſimam amicitiam colunt. Ex illo, Calecutii ſplendor, celebre nomen & emporium periit, atque tota nobilitas ejus regionis abſumpta eſt: illâque universâ provinciâ Luſitani rerum domini nunc potiuntur. His igitur non minus debetur ob longiſſimas illas navigationes quæ tot orbes nobis aperuerunt, unde adeò ſingularia medicamenta, aliæque maximi pretii merces adferuntur & innotuerunt, quàm Ptolemæo ob doctrinam & earum deſcriptionem. Sed de Calecutianis illis rebus plura ex Indica Hiſtoria petere licet.

CELEBERRIMA porrò nunc ſunt Indiæ emporia Cochin & Goa civitates, quæ omnes illas Indicas merces toti Europæ, atque aliis inſuper provinciis ſubminiſtrant.

* *Flavi Santali ſelectiſſimi librale fragmentum, (ut ſcholiis in Garciam commemini,) mihi liberali munere dedit noſter Hugo Morganus, Londinenſis Pharmacopola peritiſſimus,* M. D. XXCI. *Eſt verò id grave, ſolidum, nodoſum, colore intùs flavum, odore ſuavi cerebrum reficiens; & grato ſapore palatum leniens.* — *Flavi Santali fragmentum.*

De Betele.

CAP. X.

BETELE planta Piperis ſtirpi adeò ſimilis eſt ſarmentis, foliis, & naſcendi modo, ut, quando ſimul ſunt ſatæ, vix è longinquo dignoſci queant ab his qui plantarum iſtarum minùs ſunt periti: ſcandit enim & amplectitur arbores juxta quas ſita eſt, Piperis modo: ejus verò folium Piperis folio craſſius eſt quidem, at magnitudine & nervis ſive fibris prorſus ſimile. Turci *Iaprach indu***ſ***tani* appellant. *Betele hiſtoria.*

AROMATICVM eſt, cor & ventriculum roborat, flatus diſcutit, cerebrum & ſtomachum purgat cum Cardamomo manè à jejunis præmanſum, oriſque halitum commendat. Plurimi fit in Sinarum regione, Mozambique, & Çofala, ubi non naſcitur: illîc quidem ob frigidam aëris temperiem, poſtremis verò locis ob nimium æſtum: temperatas enim regiones expetit, & mari vicinas. *Vires.*

De Nuce Moſchata & Maci.

CAPVT XI.

PIRO ſimilis eſt nux, paulo rotundior, externum operimentum carnoſum & durum aliquantulum, à Bandæ inſulæ incolis ferè neglectum, niſi viridi cum ſale & aceto veſcerentur, quoniam grati & adſtringentis guſtus ſit. Immaturam, atque adeò integram nucem ſaccharo condiunt Luſitani: nam præter odoris ſuavitatem & ſaporis gratiam, propter quæ expetitur, Indici medici & Brachmenes multum illâ utuntur in omnibus frigidis cerebri morbis, paralyſi, & aliis nervorum atque uteri affectibus. Majoris verò æſtimationis ſunt apud illos grandiores nuces quàm apud noſtros. *Nux moſchata.*

FIT in eadem inſula Banda ex Maci oleum, admodum commendatum in nervorum affectibus & aliis frigidis morbis. *Banda inſula. Oleū ex Maci, & ejus utilitas.*

ELICITVR & ex nuce moſchata trita, calefacta, & prælo expreſſa, liquor admodum ſuavis & utilis in nervorum frigidis affectibus: thoracem etiam & pulmonem lenit, inde clariorem vocem reddit, impinguat, & ſperma auget. *Ex nuce moſchata liquor, & vires.*

ARABES nucem ipſam *Iauſiband*, & *Seygar* appellant. Macim verò *Bisbele*, & *Besbaca*, quod vocabulum propriè nucis corticem ſignificat. Perſæ arborem *Drach* nuncupant, Turcæ *Agache*: Macis autem oleum Arabibus *Ceuſiſami*, Perſis *Geuzi erugaant*, Turcis *Geuziar* dicitur. *Varia nomenclatura.*

PORRO hunc Macim à Græcorum Macere plurimum differre minimè dubium eſt, ſi utriuſque hiſtoriam & facultates expendamus. De Macere autem proximo capite ſumus acturi. *Macis à Græcorum Macere differentia.*

* *Vidi aliquando Vlyſſiponæ oleum de Maci ex Indiâ magnis fictilibus delatum, quod magno æſtimabant, atque in*

ventriculi

ventriculi frigidis morbis plurimum commendabant. Id verò erat inspissatum & saponis gallici ferè modo in tabellas unciam propemodum densas, tres verò latas, totidémque aut amplius longas efformatum, pingues, subflavas, odoratas. Vidi etiam hoc anno M. D. L X X X I. *Londini apud M. Hugonem Morganum, Pharmacopœum eruditum & diligentissimum, eundémque virum perhumanum & optimum, eiusmodi oleum recens ex India delatum, cuius aliquot panes sive tabellas, oleum balsami è novo orbe, oleum de liquido Ambar, aliáque rariora quædam simplicia ipsius liberalitate consequutus sum. De hac nuce consule cap.* XV. *&* XVI. *Lib.* I. *mea Exoticorum Historia.*

De Macere.

Cap. XII.

Maceris historia. *Insula S. Crucis.*

NASCITVR quibusdam Orientalibus insulis, præsertim verò in provincia Malabar, in insula S. Crucis regni Cochin, tum in ripis fluminis Mangate, & apud Cranganor, vasta quædam, & multis ramis prædita arbor Vlmo multo major, cujus folia sex aut septem uncias longa sunt, duas lata, exteriore parte dilutiùs virentia, interiore satura. Ea non alium fructum habere creditur, præter semen quoddam denarii magnitudine, tenue, cordis effigie, colore flavo, sapore verò amygdalæ, aut nuclei persicorum malorum, tenui & candidâ tunicâ tectum, quod vesicâ quâdam ex tenuissimis duabus simul junctis & transparentibus membranis constante includitur: ea autem vesica in medio folio nascitur aliis magnitudine non dissimili, sed cuspide obtusiore, & circa pediculum angustiore, colore medio inter rubrum & fulvum, inæquali, & multis fibris à pediculo ad extremitatem recta linea ductis, crispo & rugoso, haud absimilis illi quæ in Vlmo nascitur, paulo tamen latior & planior.

SVCCO lacteo prædita est hæc arbor uti Morus, radicesque habet Ilici persimiles, magnas, crassas, in latum & profundum diffusas, & cortice tectas crasso, aspero, scabro, duróque, cinereo foris colore, interiùs albo & lacteo succo prægnante dum recens est, flavescente autem dum sicca est, & admodum adstringente: & licet succus ille cum adstrictione nonnihil mordicet; brevi tamen evanescit hæc veluti insensibilis mordicatio. Arenosa & humida loca amat, & reliquas ferè plantas circumnascentes enecat.

Nomenclatura varia. Nomen vulgare hujus arboris apud Lusitanos est *Arbore de las camaras*, & *Arbore sancto*, hoc est, Arbor dysenteriæ, & Arbor sancta: ab indigenis Christianis *Arbore de sancto Thome*, & *Macruyre*: à Medicis Brachmenis *Macre*, apud quos summo in precio est arboris cortex.

Radicis cortex ad dysenterias & profluvia efficax. RADICIS cortice recenti trito, cum oxygala seu lacte acido mixto omnis generis dysenterias & alvi profluvia mirabili successu curant omnes Medici cùm Brachmenes tum Canarini & Malabarici. Aliqui hujus corticis sicci & in pulverem redacti semunciam per noctem macerant in quatuor unciis seri lactis, eumque bis in die propinant manè & vesperi, deinde medicamento sumpto orizam sine sale & butyro coctam, atque pullos gallinaceos coctos, maceratos & tritos in orizæ decoctione statim ægro exhibent: interdum, si necessitas urgeat, opium admiscent, roborandi medicamenti causa: solent verò etiam Arabes cujuscunque generis alui profluvia opio nuce moschatâ admixtâ curare.

Ad vomitus compescendos. HVIVS item radicis usus salutaris creditur ad vomitus compescendos, & ventriculum roborandum, cum aqua Menthæ & Mastices pulvere.

Civitas S. Crucis. *Macre.* ROGATVS Brachmenes quidam medicus mihi familiaris, virque probus, boni judicii & magnæ existimationis apud omnes civitatis S. Crucis regni Cochin incolas cùm gentiles tum Lusitanos, quòd illius fideli operâ sæpiùs usi essent, ut bonâ fide exponeret istius corticis, quem *Macre* vocant, facultates, in hæc verba respondit: Si vos Lusitani hunc corticem probè nossetis, multo pluris illum faceretis quàm Piper: sed quoniam istic in Lusitania ejus facultates ignoratis, idcirco contemnitis. Pulvis quem in omnis generis alvi profluvio ex oxygala propinare soleo, ex hoc cortice, de quo percontaris, conflatus est. Ejus magnam quantitatem tibi ostendere domi possem, quam in Bengala & Iapan sum missurus. Sitne verò inutile medicamentum, tu ipse, qui illius effectus plerumque conspexisti, judicare potes.

Iogue. HVNC corticem etiam ostendi rhizotomo cuidam *Iogue* (genus quoddam hominum est circumforaneorum, qui peregrinando pœnitentiam agere sese profitentur in illis regionibus) petiique ut quid esset (tametsi probè nossem) significaret: respondit ille, cum sequerer, cujus arboris cortex esset se demonstraturum, ostenditque arborem quam antè sciveram, & addidit, Apud nostros homines appellatur *Cura santea macre nistusa garul*, hoc est, Macre ab Angelis ostensum hominibus ad ipsorum salutem. Subjunxit insuper istius corticis apud ipsos usum esse in compescendis vomitibus, alvique profluviis sistendis, plusque pollere hujus radicis portiunculam, quàm magnam quantitatem corticis Myrobalanorum

aut

aut Arecæ, eamque præstantiorem esse Coru Malabarico, de quo proximè dicemus. Referebat præterea, Macre fructum omnis generis lumbricos in humano corpore natos necare & expellere, & calculum in renibus frangere: tum etiam eos qui singulis diebus manè uterentur, liberos fore à calculo & à coli doloribus, nec inebriari posse.

MAGNA disceptatio est inter Neotericos an Græci Macin & Arabes Macerem noverint. Negari non potest quin multo plura medicamenta nunc noverimus quàm veteres: inficiari etiam non possumus, pleraque illis cognita fuisse de quibus dubitamus. Nam certissimum est, Græcis probè notum fuisse Macer quod nobis dubium est, & plerisque adhuc ignotum: ignorasse autem Macin & nucem moschatam nobis adprimè nota, ut ex eorum scriptis constat.

GALENVS simplicium libro septimo Macerem advehi ait ex India, constare essentia pleraque frigida & terrestri, paucula verò frigida: conferre sua adstrictione adversus dysenterias & cruentas excreationes. *Vnde Macer advehitur Galeno.*

DIOSCORIDES verò lib. 1. cap. 94. Macer qui ex Barbaria advehitur, est cortex flavescens, crassus, & gustu perquam adstringens, qui contra cruentas excreationes bibitur, dysenterias, & alvi fluxiones. *Vnde Macer advehitur Dioscoridi.*

QVÆ facultates inveniuntur in cortice jam descriptæ arboris, non in Maci odorato nucis moschatæ operculo, quod calidum siccumque est in fine secundi gradus, aut initio tertii, tenuiumque partium, & levissimæ amaritudinis, pauculæque adstrictionis particeps: itaque certum est utrumque loqui de cortice nostræ arboris, non de Maci, quod illis ignotum fuit.

ADMONVIT me præterea medicus quidam Regis Cochin, ne dubitarem quin hic cortex Avicennæ Macer esset: magnæque inscitiæ esse de re tam apertâ disceptare: hujus etenim *Macre* facultates, eis, quas suo maceri veteres tribuunt, persimiles, facilè id demonstrare. *Hic cortex Avicennæ Macer.*

PLINIVS etiam lib. XII. cap. VIII. Macer, inquit, ex India advehitur, cortex rubens radicis magnæ, nomine arboris suæ.

MINIME verò nos movere debet quòd Dioscorides ex Barbaria Macerem advehi asserat, quem Plinius & Galenus ex India deferri scribunt: idem enim illis accidisse potest in hoc medicamento, quod in Cinnamomo & Cassia, ut (quoniam ex peregrinis & longinquis regionibus adveherentur) eorum natales non fuerint probè cogniti. *De locis natalibus Maceris Diosc & Galeni inter se discrepantium conciliatio.*

AIT tamen Ptolemæus: Quædam in Indo fluvio insula vel urbs sita est, quæ Barbaria dicitur, ex qua facilè comportabatur Macer: vel quòd afferretur ex Arabia eo maris sinu qui à Barbaria insula Barbaricus appellatur. Cui suffragatur Strabo, Omnia, inquit, quæ in India proveniunt, eâ scilicet parte, quæ ad Austrum vergit, similiter in Arabiâ nascuntur. *Indus flu. In eo insula vel urbs Barbaria nomine.*

MACIS & Maceris differentia Avicennæ probè fuit cognita, quippe qui Macim odoratæ nucis involucrum cap. 456. & Macerem radicis corticem cap. 694. sub titulo *Talisfar* descripsit. *Macis & Maceris differentia.*

NON ignota etiam fuit Serapioni, qui ex auctoritate Isach, Macim esse nucis odoratæ operimentum dixit, diversum ab eo cujus Dioscorides meminit, quippe qui scriptum reliquerit, Macerem esse ligni corticem sive corium.

LIQVET itaque Macim & Macerem differre inter se qualitate, substantiâ, figurâ, plantâ, & regione, quandoquidem Macer radicum arboris cortex in Malabar nascitur; Macis verò nucis Moschatæ operimentum, in Banda, longissimè inter se dissitis: Tametsi Monachi qui in Mesuen commentarios scripserunt, asserant non differre, suam negligentiam, ne dicam inscitiam, istâ ratione prodentes. *Quî inter se differant.*

VVLGARIS admodum hujus corticis Maceris est usus in omnibus nosocomiis provinciarum Sinæ, Iapan, Malacæ & Bengala, in dysenteriis, alvi profluviis, & sanguinis rejectionibus, cujus causa ex Malabar usque petunt. *Corticis Maceris utilitas.*

Lectorem porrò legere non pigebit quæ cap. IV. lib. IV. Exoticorum scripsimus: nam proculdubio is cortex magnam affinitatem habet cum huius arboris cortice.

De Coru.

CAPVT XIII.

IISDEM locis, præter memoratam arborem, nascuntur duæ aliæ arbores, plurimum inter se differentes, sed quæ iisdem facultatibus cum superiore sint præditæ.

HARVM prior (de qua hoc capite agemus) vocatur in Malabar *Curodapala*, & *Curo*; in Canarin *Coru*: à Brachmenis *Cura*. *Coru varia nomenclatura.*

Eius historia. Est verò hæc arbor pumilæ malo aureæ similis, cui etiam persimilia habet folia, sed quæ medium nervum crassiorem habeant, aliis octo aut novem in latera excurrentibus: flos luteus est, odoris ferè expers: radicis cortex dilutâ viriditate præditus est, lævis & tenuis, qui si frangatur aut vulneretur, multo lacteo succo manat, lentiore & magis viscido quàm qui ex superiore fluit, gustu insipido, amaritudinis tamen alicuius participe, frigidus & siccus, plus tamen siccitatis quàm frigiditatis possidens; in quo ordine Medici illius provinciæ etiam constituunt.

Eius corticis facultates. Hvivs virentis corticis succo licet admodum ingrato, plurimum utuntur incolæ gentiles & Christiani ob admirandos quos præbet effectus in omni genere profluvii, cùm in lyenteria tum in diarrhoea & dysenteria è quacunque causa prognata. Lusitani tamen Medici methodum in eo exhibendo servant. Vtuntur etiam eo sicco veluti priore: sed prioris cortex longè præstat. Distillant verò atque utuntur in hunc modum.

Corticis præparandi ratio. Corticis in pulverem triti uncias octo, ammeos, apii, coriandri sicci, cumini nigri nonnihil tostorum & in pulverem redactorum singulorum drachmas tres, corticum Myrobalanorum Cepulorum drachmas septem, butyri vaccini non saliti uncias duas, lactis acidi quantum satis est ad pulveres istos excipiendum sumunt, in distillatoriam ollam vitream (si delicatioribus paratur) aut vulgarem (ut maxima ex parte fit) imponunt, & stillatitium liquorem eliciunt, cujus quatuor vel quinque uncias cum aquæ avellanæ Indicæ, vulgo *Areca* nominatæ, aut aquæ è pediculis rosarum unciis duabus propinant alvi profluvio laborantibus, (interdum, si necessitas urgeat, trochiscos de charabe vel de Lemnia terra admiscent) semel in die, vel bis, si opus sit; illico autem post ejus sumptionem, orizam cum oxygala exhibere solent. Clysteres etiam ex eo confecti præsertim sub noctem iniiciuntur. *Areca.*

Licet verò hic liquor admodum commendabilis sit, longè tamen præstantior est Maceris cortex viridis, licet multo ingratior, & sumptu difficilior.

Eius radicis facultates. Vtilis etiam hæc est radix seu cum Orizæ decocto sumpta, sive inuncta adversus hæmorrhoides & ani scissuras.

Foliorum utilitas. Foliorvm ejus cum Tamarindorum foliis decoctorum vapore crura tumentia utiliter foventur: ipso autem decocto madentes panni commodè in tympanite applicantur.

De Pavate.

Capvt xiv.

Pavate. Vasaveli. Arbor erysipelas curans. Altera istarum stirpium, tertium videlicet genus earum quæ ad alvi profluvia utiles sunt, vulgo in Malabar dicitur *Pavate*, à Brachmenis & Canarinis *Vasaveli*, à Lusitanis *Arbol contra las erisipolas*, hoc est, Arbor erysipelas curans.

Eius descriptio. Frvtex est non admodum ramosus, octo aut novem pedum altitudinis, cui rara sunt folia, mali aureæ minoribus foliis similia, excepta appendice qua carent, utrimque eleganti viriditate prædita: flos exiguus, candidus, quatuor foliolis præditus; è cujus medio exit alba fibra cuspide viridi insignis, odore floris Periclymeni, cui procul aspicientibus persimilis videtur; rotundum semen, lentiscini magnitudine, ex viridi nigricans &, ubi maturuerit, nigrum. Caudex & rami cinerei sunt coloris, radix alba & insipida, cum nonnulla tamen amaritudine, odoris propemodum expers.

Eius utilitas. Tametsi utilis sit hæc planta adversus alvi profluvia, quemadmodum superiores duæ; cum illis tamen minimè comparari potest, quandoquidem imbecillior est: itaque qui superiores novit, eâ haudquaquam utetur in alvi profluviis, at in curando dumtaxat omnis generis erysipelate, & eo præsertim quod è mera bile ortum est; etenim insigni virtute adversus hunc morbum pollere deprehensum est.

Canje. Teritvr & maceratur hujus plantæ truncus sive radix orizæ decocto (*Canje* vocant) aliquot horis quiescere finitur ut acescat hæc aqua, erysipelas deinde eâ inungitur, bibendaque propinatur sufficiente quantitate bis in die, purgato prius ventriculo.

Eadem ratione præbetur radix, orizæ decocto macerata, iis qui jecoris inflammatione laborant, & febrium ardoribus: addito autem succi foliorum Tamarindi momento, vulnerum labia circumquaque inungi solent, ad inflammationes prohibendas, & humorum defluxus cohibendos.

Qvoniam verò illis in provinciis multo majore quantitate hoc tertium genus quàm secundum *Coru* nuncupatum crescit, incolæ eo utuntur.

De Caryophyllis.

CAP. XV.

ARBOR Caryophylla proferens magnitudine & forma Lauri est, sed superiore parte magis ramosa, minore & angustiore folio: copiosos fert flores, initio candidos; deinde virides, cùm nunc in fructum efformati sunt; at ubi maturuerunt, rubros; qui deinde collecti & siccati nigrum colorem contrahunt: nascuntur ficus* modo sparsim per ramos ad foliorum basim bini, terni aut quaterni simul juncti, vel unicus interdum. *Arboris caryophylla proferentis descriptio.*


DICITVR Arabibus, Persis, & Turcis *Caranful*, ipsa arbor *Siger*, folium *Varaqua*. *Varia nomenclatura.*

PAVLVS Ægineta acres illos constituit, calidos & siccos ordine tertio: alii duntaxat secundo.


VENTRICVLVM, jecur, & cor roborant, concoctionem juvant, urinas cient, alvum cohibent, oculis instillati eorum aciem exacuunt, nubesque extergunt: & quatuor drachmarum pondere ex lacte sumpti venerem exstimulant. *Eorum facultates.*

* *Caput de Caryophyllis Latio donare non constitueram, quandoquidem pleraque omnia ex Garciæ ab Orta historia Aromatum (uti ferè reliqua, de quibus hic auctor hoc volumine agit) desumpta sint. Quia verò præter reliquorum auctorum, qui Caryophyllorum historiam descripserunt, sententiam, & ipsius etiam arboris naturam, eos ex ramis inter folia, ficuum modo, nasci asserit, ipsius verba lectori proponenda censui, ut animadvertere queat quàm parum fidei interdum huic auctori sit adhibendum, qui veritatis assertorem se gloriatur, & plantas ad vivum expreßisse asserit, cùm tamen ipsius icones nullius stirpis vivam effigiem imitentur, præsertim earum quas hactenus nobis videre licuit. Caryophyllorum certè legitimam iconem in Aromatum Garciæ historiâ exhibui, ex ipso ramo muriâ condito (quales multi Antverpiam advehi soliti erant) à diligenti & perito pictore expressam. Vidimus insuper anno* M. D. XXCI. *Caryophyllorum ramos dodrantales & pedales siccos à* FRANCISCO DRACKE *nauclero Anglo (qui universum orbem circumnavigavit) ex Moluccis præcedentis anni mense Septembri delatos: sed omnes extrema parte fructus proferebant suis festucis aut bacillis inhærentes, eo quem in nostra icone exhibuimus modo, & etiam ex ipsius figura & historia quam primo Exoticorum Libro damus, videre licet. Illarum tamen alterutram denuò cum ea quam noster Auctor expreßit, hoc etiam capite subiicere libuit, ut studiosi utramque conferentes, faciliùs discrimen deprehendant.*

CARYOPHYL. ARBORIS icon spuria.



CARYOPHYL. ARBORIS icon legitima.



De Pipere.

Cap. XVI.

Piperis duo genera.

PIPER aliud domesticum, cujus usus est; aliud silvestre, quod ob amaritudinem negligitur.

Domestici historia.

DOMESTICI planta sarmentosa est, scanditque hederæ modo, arboribus, quas nancisci potest, sese circumvolvendo: nodis per intervalla prædita; ad quos folia nascuntur Betele foliis similia, parte interiore saturè virentia, exteriore dilutiora, cuspide mucronata, & gustu linguam vellicante. Horum foliorum alia aliis nigriora sunt: quæ dilutiora sunt, fibrasque æqualiter nascentes habent, feminas censent (nam utrumque sexum in foliis ejusdem plantæ constituunt) nigriora verò inæqualibus fibris, mares. Ad singula internodia, unde folia dependent, ex ipsâ foliorum sede * nascuntur uvæ, quarum maximæ circiter quinquaginta grana obtinent, minores verò triginta. Radix pusilla est, & summâ tellure fibras agit.

Nigrum & album.

SUMMA autem similitudo est plantarum quæ nigrum piper proferunt & album: albi tamen folia tenuiora & molliora videntur: ejus etiam fructus magis aromaticus, meliorísque saporis quàm nigri. Hujus verò foliorum nullus est usus apud illius regionis incolas: *Nigri foliorum utilitas.* sed nigri piperis folia dumtaxat expetuntur in coli doloribus, aliisque omnibus alui ægritudinibus è frigida causa provenientibus: ea oleo Cocci sive Nucis Indicæ priùs inuncta, deinde calefacta, supra alvum adhibentur magno effectu.

Eius serendi ratio.

PORRÒ seritur Piperis planta hoc modo: sarmentum ejus seu ramus juxta prægrandem qualemcumque arborem aut palum defoditur, atque bubulum stercus & cineres cum aqua insperguntur: infra annum deinde fructifera est: quoque vetustior est planta, eo feracior, quippe quæ ad ipsius arboris, cui maritata est, fastigium sese circumvolvendo scandere soleat.

* *Minimè gentium ex ipsa foliorum sede; ex eodem quidem nodo, sed adversa folii sede nascitur uva, ut ex legitima Piperis icone, quam primo Exoticorum libro exhibuimus videre licet.*

De Cubebis.

Caput XVII.

HIS Indici medici utuntur, cùm in roborando ventriculo, & iecore tumoribus obstructionibusque liberando, tum ad discutiendos flatus, & uteri frigiditates corrigendas: at omnium maximè ad elanguescentem venerem excitandam.

* *Latio hoc caput donare, operæprecium non duxeram, quandoquidem omnia ex Garcia desumta: quas tamen illis tribuit facultates libenter adieci.*

De Avellana Indica.

Cap. XVIII.

Avellanæ Indicæ historia.

ADMODUM procera est hæc arbor rectaque, tenuis, rotunda, & fungosa materia: folia habet longiora latioraq. quàm Palma quæ Coccos seu Indicas nuces fert, ex summa arbore nascentia, inter quæ prodeunt tenues virgæ parvis floribus onustæ, albis & ferè inodoris, quæ deinde in fructum *Areca* nuncupatum efformantur, nucis juglandis magnitudine, minimè tamen rotundum, sed oblongum ovi gallinacei exigui modo, exteriore cortice admodum virente, dum recens est, &, ubi maturuit, admodum flavo, ut longè spectantibus veluti dactyli sive palmulæ maturæ appareant: materiâ molli & tomentosâ constat hic cortex, continetque inclusum fructum castaneæ grandioris magnitudine, alterâ parte similiter sessilem, candidum, durum, rubris venis plenum, quem incolæ edunt. *(Areca.)*

Eius conservandi ratio & usus. Checani.

EUM adhuc virentem sub arena condere solent, ut melior gratiorque esui fiat: vulgo autem edunt cum foliis *Betele*: confringunt etiam, solique exponunt & siccant, (tum *Checani* appellant) eoque plurimum utuntur tum in cibo, tum in lotionibus adstringentibus: & cortice, seu involucro dentes repurgant.

Fractu difficilis. Virgæ ex hac arbore parantur ad Crocodilos venandos.

CUM verò adeò fungosa hujus arboris sit materia, frangitur difficulter: idcirco virga duorum digitorum crassitudine ex hac arbore parata Crocodilum cùm in aqua, tum in terra facilè retinere potest, si per ejus fauces transmittatur (hac etenim ratione illos venari solent) ut sæpe conspexi.

De

De Palma Indica.

CAP. XIX.

Palmæ Indicæ historia.

PRÆALTA est hæc arbor, & recta, nec admodum crassa, præsertim in fastigio: nam ab infimo ad summum paulatim gracilescit, & colore cinereo est: truncum à radicibus ad fastigium usque parvis quasi gradibus circumdant, qui ascensuris scalarum vicem præbeant: flos castaneæ similis; fructus verò integer capite humano major, formâ oblongiore, triangulari, & colore viridi admodum diluto.

Narel. *Varia nomenclatura.*

TAMETSI *Narel* hujus arboris nucem vulgo appellent cùm Persæ tum Arabes, negant tamen Persæ legitimum esse nomen, sed *Nargel* dicendum: ipsam arborem *Darach* Persæ vocant, Arabes *Siger Indi*; Turci autem arborem *Agach*, fructum *Cox Indi*: Brachmenes arborem nuncupant *Maro*, nucem *Naralu*.

Insulæ de Nalediva. *Huius arboris usus.* *Ola.*

Ex hac arbore ex insulis de Naledivа fabricantur naves, atque clavis, malis, velis, rudentibus, aliisque armamentis necessariis instruuntur: instructæ jam, mercibus ex eâdem arbore conflatis onerantur, oleo, vino, aceto, saccharo nigro, fructibus, aqua, & ardēte aqua vulgo vocata. Ex illa etiam ipsa exstruuntur ædes cum suis tabulatis satis firmæ: atque ejusdem ramis (quos *Ola* dicunt) contegunt imbricum vice, nam imbres commodè arcent. Ex iisdem ramis tecta comparant ad tegendas hieme naves, quæ in portum deductæ, remulco deinde in terram trahuntur.

Harum palmarum duo genera, & eorum usus.

ISTARVM porrò Palmarum duo genera constituunt: Vnum etenim *Suræ* cogendæ gratiâ deligunt, ea est veluti vinum mustum, quæ ignibus decocta in liquorem transit vino similem, incolis *Orraca* appellatum; alterum fructuum gerendorum causa adservant.

Sura. *Orraca.* *Suræ colligendæ ratio.* *Caloins.* *Fula.*

COLLIGITVR verò *Sura* in hunc modum: Aliquem è ramis cerebro viciniorem præcidunt, duorum pedum longitudinem relinquentes, ad quem vascula ampla, oris tamen angusti, illis *Caloins* nuncupata, colligant: per hunc ramum præcisum exstillat arbor *Suram* jam memoratam; quâ organis distillatoriis impositâ, ignis vi aquam eliciunt ardentem: purior, illis *Fula* dicta, hoc est, flos, facilius igne incenditur quàm nostra aqua ardens sive vinum adustum; altera *Orraca* nuncupata non item: sed huic purioris aliquantulum admiscere solent. E *Sura* antequam ignibus decoquatur, soli exposita, fit acetum satis interdum acre, tametsi neque mentha, neque cortex arboris Myrobalani iniiciantur, quæ medicamenta plerumque admisceri solet ut acetum acrius reddant. Exempto primo vase *Suræ*, exstillat alia, quæ ignis vel solis caloribus inspissata, Saccharum fit incolis *Iagra* appellatum: præstantior censetur, quæ in Nalediva colligitur, quàm quæ in Malabar.

Iagra.

Quis eius fructus.

FRVCTVS recens sub primo illo crasso viridique operimento, alio cortice nigro præditus est, medullam tegente; qui recens, antequam nigrum colorem contrahat, tener & candicans est, editurque cum sale, vel sine sale, vel cum aceto & pipere interdum; atque gustu est Cinaræ: cùm verò jam nonnihil indurari cœpit, Cardui caput sapit. Medulla cortici adhærens tenera & dulcis est, continetque multam aquam limpidam, suavem, nec fastidium aut nauseam sua dulcedine parientem, quæ vulgo in solis ardoribus bibitur. Frequens est hujus aquæ sub dio refrigeratæ, atque etiam *Iagræ* usus adversus jecoris renúmque nimios calores, purulentæque materiæ per virgam excretionem: refrigeratur verò hæc aqua in sua nuce viridi *Laña* appellata: diu conservatur, nam toto anno inveniuntur istæ nuces virides, quarum nonnullæ interdum tres aut quatuor libras sive pintas aquæ continent.

Huius aquæ & Iagræ usus & historia.

Eius nux. *Elevi.*

POSTQVAM jam indurata est hæc nux, durioremque medullam contraxit, remanet in concavitate limpida quidem aqua, at non adeò dulcis ut prior: nucem tum vocant Malabares *Elevi*. In annotinis nucibus mutatur hæc aqua in rotundam quandam substantiam, mali instar, candidam, spongiosam, & levem, sapore dulci.

Eius nucis esus & commoditas. *Avela.* *Comalamasa.*

MEDVLLA nucis recentis tenera alba & dulcis, sola editur ab incolis, aut cum *Iagre*, hoc est, Saccharo è *Sura* confecto, vel cum *Avela*, pulmento ex Oriza in aqua cocta, deinde trita & probè sole exsiccata: editur item cum piscis quodam genere siccato ex insulis de Nalediva advecto, simili ferè bubulis carnibus fumo induratis, *Comalamasa* appellant, bonumque condimentum est ad bibendi appetentiam provocandam. Ea verò mixtura non modò incolis in usu est, sed ab ipsis etiam Lusitanis expetitur. Ex eadem medulla lac conficitur Amygdalino simile, ad edulia paranda utile.

Copra.

SOLIBVS exsiccata hæc medulla vocatur *Copra*: suavis est, reconditur, illisque perinde in usu est, atque nostris Europæis castaneæ siccæ.

Huius nucis usus.

VVLGO creditur, & experientia comprobatum est, frequentiorem hujus nucis usum

Malabares lumbricis obnoxii. lumbricos generare: cui morbo totius provinciæ Malabar incolæ admodum obnoxii sunt.

Corticis utilitas. Cayro. EXTERNO illo primoque cortice sive operimento crasso, foris lævi, intùs verò tomentoso dum resiccatus est, fiunt rudentes & alii funes nautici, uti in Hispaniis ex sparto. Tomentum illud Malabares *Cayro* vocant, magni apud eos usus: nam quoniam aquâ marinâ non corrumpitur, stipantur eo omnis generis naves: itaque illis populis usum præbet lanæ, xyli, stuparum, lini, & sparti.

Xareta. E secundo nigroque & duro cortice, qui à nostris *Coco* dicitur, ab incolis verò *Xareta*, fiunt scutellæ & alia vasa potoria in tenuiorum usum. Fiunt etiam ex eo ustulato carbones auri fabris utiles, qui in illis provinciis periti & industrii, nec admodum sumptuosi reperiuntur. Solent enim suum opificium proclamantes compita circuire, secum deferentes urceolum, malleolum, & duo cæla, cannæque tubulum palmari longitudine manu tenentes, quo focum incendunt. Ii in ædes admissi, vasa ex auro & argento conficiunt, pro eorum, qui ipsos evocârunt, arbitrio.

Huius palmæ foliorum usus. FIUNT ex hujus Palmæ foliis petasi majores & minores, ad Solis ardores & imbres arcendos idonei: texuntur etiam storeæ, & alia pleraque.

Coccus de Nalediva. Miræ eius facultates vulgo creditæ. COCCUS porrò de Naledivа cognominatus adeò commendatur ab ipsis incolis, & à Malabarensibus, non modò à plebe, sed à Regibus & Principibus viris, ut in omni ferè morborum genere ad eum confugiant tanquam ad sacram anchoram. Fiunt in eam gratiam ex illo pocula quæ auro vel argento excipiuntur, & in navium triremiumque figuram efformantur, ad aquam bibendam, in quam ex catenulâ medullæ ipsius Cocci fragmentum pendere sinunt: sibique certò persuadent, illis, qui aquam ex similibus poculis hauriunt, nullum venenum nocere posse, futurosque immunes à multis morbis, in quos sanè memini multos incidere, qui ex iis poculis bibere soliti erant. Et licet omnem diligentiam adhibuerim, numquam tamen observare potui, similia pocula aliquem ex morbis curare, ad quos utilia esse creduntur: potiùs igitur arbitror tantam laudem obtinuisse à vulgi opinione. Nonnulli ex hujusmodi vasculis bibere soliti, mihi affirmârunt sese experientiâ didicisse jecur incendi, renes noxam contrahere, & calculum generari: nihilominùs tamen magnum est eorum pretium, longeque pluris æstimantur iis locis ubi inveniuntur, quàm aliis procul inde dissitis: nam interdum ejusmodi nuces nudæ, neque auro aut argento exornatæ, quinquaginta aut ampliùs aureis nummis æstimantur.

Quî differat à Cocco communi. Nigrior autem, nitidior, longior, majorque est hic *Coccus* quàm aliæ nuces *Cocci* communis.

PLERAQUE hic Auctor ex Garcia Aromatum historiâ desumpsit, ut facilè animadvertet, qui utriusque Auctoris Palmæ Indicæ descriptionem conferet. Similia porrò ferè scripserunt, quotquot in huius Palmæ mentionem inciderunt: & in eorum numero, Martinus Ignatius professione Franciscanus, qui tertiâ parte Historiæ Sinensium, sive Itinerarii novi Orbis cap. VIII. hæc tradit:

Inter res reliquas memoriâ dignas quas Hispani admirati sunt, cùm in insulis Luzon, vulgo Philippinis à Philippo II. Rege Hispaniæ dictis, sub cuius auspicio paucos ante annos detectæ fuere, tum in Sinarum Regno, aliísque quas adiêre provinciis, referri meritò debet ea arbor, quæ vulgo Palma coccifera appellatur, ad discrimen eius Palmæ quæ dactylos producit. Illius enim tanta est utilitas, ut navis in Philippinas appulerit, quæ & ipsa, mercésque omnes quas vehebat, tum rudentes, vela, clavi quibus compacta erat, denique malus ipse, ex hac arbore constarent. Merces verò fuere panni è villis corticis, summâ tenuitate & industriâ contexti, annona pro triginta viris qui eâ vehebantur, etiam usque ad ipsam aquam eorum usui necessariam. Affirmabant Mercatores illâ navi vecti, totâ insulâ Maldivâ (unde advenerant) nullam rem, ad victum necessariam, cogi, nisi ex hac arbore depromptam: ex qua similiter fabricantur integræ ædes cum suis tectis. Ex fructu eximitur medulla ori grata & salubris, sapore nuces avellanas recentes referens. Reciso autem eo, qui coccorum sive nucum racemum fert, ramo (est siquidem Coccus seu nux illius arboris primarius fructus, cuius quilibet aquæ suavissimæ dimidium sextarium continet) totus ille liquor in arboris truncum se recipit, è quo terebrâ perforato, omnem recipiunt, qui, aliis rebus quas iniiciunt, commixtus, fit vinum, omnibus illis insulanis & Regni Sinarum incolis familiare. Ex eadem aqua fit acetum, ex medulla autem oleum medicamentis utile, & lac amygdalino simile, mel, & saccharum.

Sed qui plura de huius Palmæ commodis scire desiderat, consulat Ioannis Hugonis à Linschoten Itinerarium (quo describit quæ in Goa, ubi aliquot annis vixit, totáque adeo suâ peregrinatione observavit) cap. 56.

De Myrobalanis.

CAP. XX.

Myrobalanorum quinque genera. MYROBALANORUM quinque sunt genera, diversis arboribus & regionibus nascentia.

Citrina. Aritiqui. CITRINA quæ à Medicis *Aritiqui*, à plebe autē *Arare* nuncupantur, nascuntur in arbore mediocris magnitudinis, multis ramis, & in ordinem digestis, prædita; foliis Sorbi.

EMBLICA

EMBLICA, illis *Annale* dicta, folia minutim incisa, filici ferè similia, sed paulo crassiora habent. *Emblica. Annale.*

INDICORVM, quæ ab incolis *Rezanuale* appellantur, folia, salicis foliis sunt similia. *Indica. Rezanuale.*

BELLERICA rotunda sunt, incolisque *Gotin* dicuntur, & folia obtinent Laurinis similia, minora tamen & tenuiora. Inveniuntur hæc quatuor genera per totam provinciam Malabar, Dabul, Cambaya, & Batecala; ea sunt quæ in Europam devehuntur, sicca & condita. *Bellerica. Gotin.*

CHEPVLORVM, quæ illis *Areca* appellantur, arborem non conspexi; sed ejus folia Persicæ foliis esse similia referunt, & arborem ejusdem cum aliis esse magnitudinis: sunt verò omnium arbores Pruni magnitudine, sed pluribus ramis, magisque in orbem digestis, præditæ. *Chepula. Areca.*

De Tamarindis.

CAPVT XXI.

SVNT Tamarindi fructus elegantis & aspectu pulchræ arboris, Castaneæ aut Ceratiorum arboris magnitudine, multis ramis præditæ, & foliis latam umbram præbentibus, materie solidâ admodùm: folia filicis feminæ (quam Hispani *Helecho*, Cantabri *Aristora* appellant) foliis persimilia, dilutè virentia, valdè elegantia, gustu acido, gratoque; è quibus condimentum fit (*Salsam* vocant) perinde atque è petroselino: flores candidi, aureæ Mali floribus admodum similes formâ exteriore, & odore: attamen octonis foliis constant, quorum quatuor interiora alba sunt & crassiora, velut Mali aureæ florum folia, quatuor verò exteriora tenuiora, & bina ex his eleganti nervo radiata: è medio flore quatuor enascuntur stamina corniculorum modo inflexa, candida & tenuia. Fructus admodum similis est Ceratiis,* foris virescens initiò, deinde per siccitatem cinereus, continens ossicula rotunda Cassiæ solutivæ modo aut parvis Lupinis similia, dura admodum, & colore nitido terreo, haudquaquam flavo, quemadmodum nonnulli referunt: his non utimur, sed solâ pulpâ quæ nonnihil lenta & viscida est, jucundâ tamen aciditate grata, tametsi nonnulli indigenæ asserant ossicula assata & in pollinem redacta ex oxygalâ in alvi profluviis utiliter exhiberi: facilè avellitur hic fructus, & etiam sponte decidit. Folia sub noctem sese contrahunt, suumque fructum amplecti solent: qui si desit, sua virgulta & ramos complectuntur: summâ verò aurorâ sese explicare incipiunt grato spectaculo: hæc trita partibus erysipelate infectis imponunt, atque etiam circa phlegmonas, ad arcendum, qui influit, humorem: iisdem cum sale Ormuziano phlegmonas resolvunt, & cum cineribus ex Cambaya pituitosos & melancholicos tumores. *Tamarindorum historia. Helecho. Aristora. Salsa. Foliorum facultates.*

VOCATVR hic fructus in Canarin *Chincha*, ossicula verò *Chincharo*, in Malabar *Puli*, & in Guzarate *Ambili*: Arabes, Persæ, Turci *Tamarindi* vocant; ossicula *Abes*, arborem *Siger Tamarindi.* *Varia nomenclatura.*

PRÆFERVNTVR qui in locis montanis iisque Septentrioni obversis nascuntur: usu verò compertum est, hujus arboris umbram sub eâ dormientibus non minùs noxiam esse, quàm arboris juglandis. *Huius arboris umbra noxia.*

* *Tamarindorum fructus descriptio verior apud Garciam conspicitur: cuius legitimam effigiem pete ex doctissimis Lobelii observationibus, unà cum ipsius arboris semine recèns natæ rudimento. Tamarindum etiam eleganter describit & illius iconem exhibet C. V. Prosper Alpinus, cap. x. Libri De Plantis Ægypti.*

De Cassia solutiva.

CAP. XXII.

MVLTA Cassia solutiva nascitur in Cayro, & plerisque aliis provinciis tum Orientalis tum Occiduæ Indiæ. Præfertur tamen quæ ex Orientali delata est, quæque locis ad Septentrionem magis vergentibus nascitur. *Cassiæ solutivæ natales & historia.*

AMYGDALÆ magnitudinem æquat, foliis mali Persici similibus est, nonnunquam angustioribus, locis præsertim siccioribus nata, floribus luteolis aut flavis, non ingrati odoris: quibus deciduis succedunt siliquæ oblongæ, eleganti viriditate præditæ dum recentes sunt, & quæ maturitate nigredinem brevi consequuntur.

TANTA est ejus frequentia in Cambaya, unde præstantissimam advehunt, ut unius Candil (quingentarum & viginti duarum librarum pondus hoc est) pretium, non æstimetur pluris quàm nummo aureo, qui trecentos & sexaginta maravedis (æreos obolos Hispanicos) valent. *Candil.*

In montibus verò Cranganor,& per universam provinciam Malabar (quando ejus maximum pretium) singulæ libræ viginti maravedis redimi possunt,hoc est,paulo pluris quàm dimidio regali Castellano, sive batzio Germanico.

Varia nomenclatura. Gentiles Canarini fructum *Hasanguia* & *Bavasenga*, quemadmodum & provinciæ Decan incolæ, & Brachmenes, arborem *Bahoo* & *Bava*, vocant: Guzaratenses *Gramala*: Malabarenses *Condaca*: Arabes, Persæ, & Turcæ *Hiarxamber*: asserebat tamen mihi Cogecela, peritus medicus Persa, illud vocabulum esse merè Persicum, & legitimum Arabicum esse *Gazatfalus*.

Eius usus. Foris illinitur medulla erysipelate tentatis & inflammationibus. Invaluit usus tota India exibendi delicatulis mulieribus & pueris cassiam solutivam adhuc virentem sacharo conditam,ad unciam unam bono successu: sumitur verò dum adhuc recens est & valdè tenera, priusquam cortex induretur: maceratur primùm in frigida aqua, antequam cum saccharo coquatur. Moderatè & sine molestia alvum subducit.

* *Persicæ mali folia quodammodo æmulantur, si singularia separes. Quoniam verò coniugatim bina semper in oblongo nervo nascuntur, & summa ala postremum, imparem numerum faciens; commodiùs meo iudicio comparasset cum fraxini foliis, aut similium arborum, quæ alata folia ferre solitæ, & integra plerumque abiicere consueverunt, quemadmodum Iuglans, Sorbus, Rhus, Ceratia, &c.*

Huius arboris ramulo cum suis floribus & foliis, Cruci, & Cedri fructu, aliisq; varii generis seminibus olim donati sumus à doctissimo diligentissimóque viro D. Bernardo Paludano, qui ex Syriaca, Arabica, Ægyptiacáque sua peregrinatione illa retulerat.

De Anacardio.

Cap. XXIII.

Anacardii historia. Magna est Anacardii copia in Malabar, & reliquis Indiæ provinciis. Fabæ vulgari admodum similis, dum adhuc viret & recens est; exsiccatus verò niger & splendens: continet medullam Amygdalæ similem, inter quam & supremum corticem oleum admodum urens invenitur.

Eius fructus utilitas. Doctor Orta scribit eum fructum in usum medicum recipi, & in illis regionibus in lacte maceratum dari asthmaticis, & adversum lumbricos: prætereа viridem sale condiri, & edi olivarum conditarum in morem. Ait etiam siccato caustici vice in strumis uti indigenas, totaque India ejus cum calce mixti usum esse ad obsignandos pannos.

Ego sanè vidi hunc fructum viridem, & per multos dies sale & aqua conditum, Olivarum Hispanicarum modo, venalem in foro proponi, & edi non solum quidem, sed excitandæ appetentiæ causa coctæ orizæ admisceri, uti solent fructum *Mangas* vocatum, aliósque fructus adstringentes & acidos, aliàs minimè. *Mangas.*

Nonnulli in desiccato extimum corticem demunt, eamque membranam qua medulla tegitur; deinde medullam edunt ad bibendi appetitum irritandum. Ego verò & virentem conditum,& siccati medullam degustavi: sed neutro modo mihi delicatus videtur.

Oleum inde confectum. Illud porrò certissimum, oleum id quod inter corticem & nucleum continetur, admodum causticum esse & venenosum.

Cuius sit usus: Tota tamen provincia Malabar, illius usus est caustici vice. Si quis instillet in putridum & cavum dentem, ipsum urit, frangitque,& corrumpit facilè. Calce additâ ad bombycinos pannos obsignandos, & alias res quaslibet notandas utuntur: etenim notam adeò firmiter imprimit, ut nullâ lotione eximi queat.

Aliæ huius fructus facultates. Solent interdum Indi nonnulli hunc fructum cuspidi cultelli infixum candelæ ardenti imponere, qui, dum uritur, mirum quos strepitus edat, quas ignis scintillas quasi fulmina eiiciat diversorum colorum; eaque ratione rudioribus quibusdam & mulierculis imponunt, illis persuadentes, se in iis scintillis & flammæ radiis spiritus conspicere qui ipsis loquantur,& edoceant quodcunque scire cupiant. Tali igitur commento miseros fallunt, persuadentque quod volunt, dantes responsa iis, qui ipsos consulunt, pro suo arbitrio. Ut verò omnes isti gentiles, augures, incantatores, & divinatores rarò loquuntur,& cum morâ pondereque respondent; in suis responsis semper sunt ambigui, & adeò astuti, ut, quomodocumque res, de qua consulti sunt, cadat, suam existimationem minimè periclitentur, dicantque se eventum prædixisse.

De

De Caius.

CAPVT XXIV.

MALVM Punicam magnitudine æquat hæc arbor: folium ejus dilutius viret, & carnosum est: flos candidus, similis ferè Mali aureæ flori, sed pluribus foliis constans, nec adeò odoratus. Præbet hæc arbor fructum *Caju* vulgo appellatum; qui quoniam boni saporis est & ventriculo utilis, ab omnibus multum æstimatur. *Caius historia.* *Caju.*

EST autem hic fructus, magni mali instar, valdè flavus & odoratus, intùs spongiosus & succi plenus, sine ullis granis, gustu subdulci, nonnihil tamen fauces coarctante. Sed duplicem habet eodem anno ortum hac ratione: marcescente flore subsequitur faba * prægrandis, inter quam & florem intumescit quiddam malo simile, quod paulatim fabæ succum ad se pertrahit: quóque majus incrementum sumit, eo faba sive nux magis minuitur, donec fructus *Caju*, hoc est, malum illud, plenam consequutus sit maturitatem, quod è colore flavo aut rufo (nam uterque color in his malis conspicitur) & odore deprehenditur: maturo fructui inhæret nihilominus faba illa, & cum illo colligitur. *Eius fructus descriptio.*

BELLARIORVM vicem præbet hic fructus ex vino sumtus, aut sine vino: nam præter saporis gratiam, utilis admodum compertus est in ventriculi debilitate, vomitibus, & appetentiæ dejectu. Qui verò his auxiliis non egent, priùs in aqua nonnihil maceratum edunt. *Eius utilitas.*

NON ubique nascitur hic fructus, sed in hortis urbis S. Crucis Regni Cochin invenitur. *Eius natales.*

* *Mirari satis nequeo nostrum Auctorem huius nucis, quæ in extremo fructu nascitur, vel è qua, ut ipse refert, ipsum malum incrementum sumit, & substantiam haurit, formam, colorem, consistentiam, & oleum in cortice conclusum (non secus ac in Anacardio) non describere; cùm apud Brasilianos, quibus* Cajus *sive* Cajous *(ita enim pronunciandum) dicitur, non minore fortè in usu sit, quàm ipsum malum, ut ego de iis qui in Fernanbucho diu vixerunt intellexi, & in annotationibus ad caput de Anacardio, historia Aromatum, adscripsi, ad quas lectorem remitto. Arbitror autem hunc fructum in regnum Cochin recèns fuisse illatum, & proptereà plenum eius usum nondum innotuisse. Certè quotquot hactenus de stirpibus Indiæ Orientalis scripserunt, nusquam eius meminerunt, nec ipse quidem* D. GARCIAS AB ORTA, *qui paucos ante annos Aromatum historiam conscripsit, & à quo pleraque hic Auctor desumpsit.*

De Spica Nardi.

CAP. XXV.

DE Piso veneno quod Lacuna commentariis in 6. cap. lib. 1. Dioscorid. scribit ex Nardo Indica fieri, nec D. Orta unquam summâ diligentiâ exquirens, nec ego, tametsi plurimos de eo percontatus sim, in India intelligere potuimus.

PRÆSENTISSIMVM quod apud hos est venenum, vocatur *Bicho de Ormuz*, id est, Lacertus ex Ormuz, qui similis Scinco est, de quo & ejus exitiosissimo veneno, & diabolicâ arte quâ homines exstinguere solent, referemus in libro Animalium. Secundum locum obtinet *Manga* silvestris, de qua inferiùs. Tertium quod è Tigridis pilis fit: Deinde quod è planta quadam lacteo succo plena, cujus magna nascitur quantitas in provincia Malabar. Sed & Napellus locum suum obtinet. *Venenum Lacerti ex Ormuz.*

De Schœno.

CAPVT XXVI.

* *Et hoc capite omnia ex Garcia, quæ non esse repetenda existimavi: eam ob causam in priore editione prætermiseram: Si quis verò quæ ab Amato Lusitano mutuatus est, habere volet; ipsius Amati enarrationem in lib. 1. Dioscor. cap. de Schœno potiùs legat.*

De Costo.

CAPVT XXVII.

* *Sed & hoc caput ad verbum ex Garcia: quoniam verò Garcias Costi facultates, quas pollicitus, minimè descripsit, A Costa autem ex Diosc. & Gal. adiecit, illas hîc subiiciemus.*

VIS ei excalfactoria; urinam ciet, menses pellit, vitiis quæ vulvam malè habent, tam imposita, quàm fotu & suffitu, auxiliatur; contra viperarum morsus sextantem bibere prodest; ad rupta, convulsa, ac laterum dolores convenit ex vino & absinthio; venerem ex mulso

mulso stimulat, latas ventris tineas ex aqua pellit, & contractas ex Sole maculas ex aqua & melle illitas emendat; horroribus ex oleo, ante febrium accessiones, & nervorum resolutionibus oblinitur. Additur in antidota & malagmata.

De Rhabarbaro.

CAP. XXVIII.

Rhabarbari natales.

Cantan urbs, portus, & emporium.

RHABARBARUM singulare medicamentum, dignumque veneratione apud omne humanum genus, in interiore Sinarum regione dumtaxat provenit, unde in urbem Cantan (nobilissimum totius illius provinciæ portum & emporium, ubi Lusitani habitant,) exportatur, & inde navibus in Indiam advehitur. Alia item via ex eadem interiore provincia Sinarum camelis deferunt per Tartariam & Vzbeque in Ormuz, & inde in Persiam, Arabiam, & Alexandriam, unde postea universæ Europæ communicatur. Id non est adeò cariosum, & præfertur illi quod navibus in Indiam importatur, eò quòd magna ex parte corruptum est; facilè enim in ista per mare vectione vitiatur.

HÆC sunt quæ de Rhabarbari natalibus comperta sunt: nec D. Orta cum insigni sua diligentia, nec ego plura consequi potuimus.

De Rhabarbari præparandi ratione quorundam error.

QUOD verò nonnulli scribunt, ejus regionis incolas Rhabarbarum macerare, deinde succum exprimere, è quo ad solem depurato, trochiscos parare soleant, Principibus viris purgandis idoneos, nobisque deinde radices exsuccas & inutiles mittere, fabula est, quam inde originem sumpsisse arbitror, quòd nonnulli gentiles mercatores Rhabarbaro fungosiori & vetustiori (ut faciliùs à corruptione liberent, néve teredo, quæ id erodere solet, innascatur) aquam non ferventem, sed tepidam adfundant, deinde lineis pannis emundatum bacillis aut filo traiiciant, & exsiccent, & nonnulla foramina piperis tenuissimè triti polline & cerâ obturent: deinde probè siccatum in Psyllii semine adservent.

HÆC mihi retulit mercator Canarinus, vir probus; quæ dumtaxat fieri ad præservandum à corruptione Rhabarbarum, sanctè affirmabat, addebatque rhabarbarum in quo conspiceretur foramen, quo trajectum pependisset, ea ratione præparatum fuisse; at ideò non improbari, neque affusam aquam multum de ipsius viribus detraxisse.

De Radice Chinæ.

CAPUT XXIX.

Radicis Sinæ nomenclatura varia.
Ejus natales.

VOCATUR hoc excellens medicamentum in Sinarum regione *Lampatan*, in Decan *Lampaos*, in Canarin *Bonti*, ab Arabibus, Persis, & Turcis *Chophchina*.

NASCITUR abundantissimè in Sinarum regione: invenitur tamen etiam in Malabar, Cochin, Cranganor, Coulan, Tanor, & aliis locis.

Ejus descriptio.

PLANTA est multis tenuibus spinosisque sarmentis prædita, smilaci asperæ non absimilibus, quorum maxima minimum manus digitum crassitudine non superant, foliis plantaginis latifoliæ magnitudine: radices pugnum nonnunquam æquant, interdum minores sunt, solidæ, graves, candidæ, interdum etiam rubescentes, & multæ sæpenumero simul cohærentes.

Facultates.

PLURIMUS est hujus radicis usus in omnibus Orientalis Indiæ provinciis ad varios morbos: quin adeò innoxia censetur, ut eam sumentibus, tametsi nullam victus rationem observent, sed liberè carnibus & piscibus vescantur, nihil incommodi adferre credatur. Vulgaris tamen quæ in Sinarum & Indiæ provinciis observatur, sumendi hujus radicis decocti consuetudo est, ut radicis uncia una, additis radicum Apii duabus drachmis, decoquatur lento igne & sine fumo, in decem & sex aquæ libris ad sex librarum consumptionem: reliquas decem in fictili vitriato adservant, sumuntque singulis diebus recens decoctum, nam facilè corrumpitur, nec ultra diem adservari potest. Ejus verò tepidi manè sumit æger plenum haustum, duabusque horis in lecto remanet, postea surgit; duabus autem horis ante cœnam totidem haurit, interdiu de eodem frigido bibit.

PLERIQUE tamen etiam dum sua negotia exercent & navigant, singulis diebus manè & vesperi duas ejus radicis in pulverem redactæ drachmas ex vino, aut ipsius radicis decocto felici successu bibere solent.

Chinæ aqua stillatitia.

EX hac etiam radice recenti, aqua organis elicitur, delicatioribus admodum familiaris: attamen & ab aliis magna quantitas absumitur, quoniam illi plurimum fidunt non modò in morbis à D. Orta enumeratis, sed etiam in hemicrania, in herniis humoralibus & ventosis,

ventosis, in colli vesicæ & penis callis, eorumque ulceribus: venerem etiam admodum excitare creditur: decoctum tamen ipsâ stillatitiâ aquâ præstantius est. Optimè conservatur radix, si pipere confracto involvatur. *Radicis conservãdæ ratio.*

De Croco Indico.

Capvt xxx.

Maiora latioraque habet Crocum Indicum folia quàm Orchis Serapias dicta, colore foliorum Scillæ, dilutiora tamen & tenuiora; caulem habet è foliis simul implicatis, & sese mutuo amplexantibus, constantem: radicem foris Zingiberi similem, intùs croceam. *Croci Indici historia.*

Præter nomina ab Orta enumerata, apud Arabes etiam *Curcum* dicitur, apud Turcos *Saroth*. *Curcum. Saroth.*

De Galanga.

Cap. xxxi.

Dvplex est Galanga medicamentum usibus humanis valdè necessarium, dignúmque ut Pharmacopolæ in suis officinis perpetuò habeant. *Duplex Galanga.*

Vna minor & odorata, quæ cum Rhabarbaro ex Sinarum regione in Indiam advehitur, & inde in Lusitaniam defertur, incolis *Lavandou* dicta. *Lavandou.*

Altera major, plurima nascens in Iava & Malabar; cujus descriptionem, quòd majore sit in usu, hîc damus. Ea duorum cubitorum altitudine crescit, nonnunquam amplior, fœcundiore præsertim solo: folia habet Orchidi Dioscor. lib. 3. descriptæ similia, longiora tamen & latiora, supernè saturatiùs, infernè dilutiùs virentia: caulem ex foliorum involucris constantem, uti in Orchidum generibus: florem candidum, inodorum: semen exiguum, neglectum: radicem secundum caput crassam & bulbosam; reliqua ex parte Zingiberi similem, sed majorem, nonnunquam capitula, hastulæ regiæ modo, proferentem.

Seritvr radice, quæ mirum in modum sese propagat.

Appellatvr à Canarinis & Brachmenis (quibus maximo est in usu cùm in hominum tum jumentorum morbis, quique eam ordinariè cum Oriza, vel piscibus, vel in acetariis edunt) *Caccharu*, ab Arabibus *Calvegian*, in Iava *Lancuax*, in Malabar *Cua*. *Nomina varia.*

Adeo autem vulgaris est apud Malabarenses hujus radicis usus, ut non modò in medendis morbis eam usurpent, sed in farinam etiam convertant, ex qua Cocci seu nucis Indicæ lacte, nonnunquam Sura, aut Iagra excepta, certum quoddam panis genus pinsunt in tenuium placentularum formam, *Apas* vocant: in deliciis est hic panis, præbentque iis qui ventriculi debilitate & frigiditate laborant, in alvi doloribus, uteri affectibus, & urinæ difficultatibus: quo postremo in morbo miram ejus efficaciam experiuntur, sive ob humores crassos & pituitosos, flatúsve aut arenulas in ureteribus aut collo vesicæ congestas, urinæ difficultas orta sit, vel etiam ex carnis excrescentia in ipso vesicæ collo aut meatibus nata. Præbent verò edendum hunc panem, deinde haustum *Nimpa* (quæ veluti aqua ardens est) concedunt; in inguinibus verò supraque pubem & collum vesicæ, folia Nympheæ decocta in aqua & macerata atque adhuc calentia applicant. *Eius usus & facultates.* *Nimpa.*

Neque hic auctor, neque Garcias ab Orta mihi satisfaciunt in Galangæ maioris descriptione, præsertim si ea, quâ Europæ officinæ utuntur, legitima est Galanga maior: etenim eius radices multo maiorem similitudinem habent cum Iridis, quàm cum Asphodeli aut Zingiberis radicibus. Et certè omnino mihi persuadeo, Galangam nostram maiorem Iridis genus esse. Omne autem dubium prorsus nobis tollere possent Batavi nauclerі qui navigationem in Iavam instituunt, si paullo diligentiores esse vellent in observanda ea planta, quandoquidem istic cum plurimis aliis medicamentis nascitur, ut non semel eos monui.

De Zingibere.

Cap. xxxii.

Trivm aut quatuor palmorum magnitudine assurgit, foliisque est Milio majori, quod lachryma Iob vulgo nuncupatur, admodum similibus; caule verò Asphodelini crassitie, ex multis foliorum involucris constans, ut veluti exigua quædam arundo appareat; radicibus quodammodo Iridi similibus. *Zingiberis descriptio.*

De

De ligno Colubrino.

CAPVT XXXIII.

Duæ ligni colubrini stirpes.

BINÆ stirpes in Malabar inveniuntur plurimum dissimiles cùm formâ, tum nascendi modo, uno tamen eodemque nomine nuncupatæ, Lignum Colubrinum, quòd singulæ mirum in modum utiles sint adversus colubrorum morsus.

Prioris historia.

PRIOR nascitur hederæ modo, colore Dracunculi majoris, sive Serpentariæ: folia illi sunt Bryoniæ ferè similia, integra tamen initiò, nervoque prædita per longitudinem excurrente, & quinque aut sex venis in latera vergentibus: successu temporis accedunt exigua foramina, quæ paulatim cum foliis incrementum sumunt, donec tandem omnino folia scindant, eaque vitis foliis similia reddant: conspiciuntur enim interdum in eâdem stirpe folia integra, alia exiguis, nonnulla majoribus foraminibus prædita, omniaque adeò inter se dissimilia, ut ejusdem plantæ folia minimè esse videantur. Tantam verò habet hoc lignum cum colubro similitudinem, ut qui non norit, aut de die viderit, si ad Lunæ splendorem noctu conspiciat, vivum colubrum esse existimet.

Eius facultates.

VVLGO censetur præstantissimum remedium adversus colubrorum & viperarum morsus: incolæ sanè, dum in agros tendunt, magnâ ex parte circumferre solent hoc lignum (sunt enim in ea provincia multæ viperæ, variaque serpentum genera) aiuntque solo ejus odore serpentes fugari; &, si, dum colubros venantur, illos attingere hoc ligno queant, ilicò rumpi & exstingui.

Alterius historia.

ALTERA admodum brevis est & tenuis, triaque solummodo folia habet, mollia, lævia, saturatiùs virentia: florem aut fructum non conspexi, nec quenquam inveni qui se vidisse assereret: radix oblonga & tenuis est, minimo digito minor, hinc inde nonnunquam extuberans, & summâ tellure serpens: exterior ejus cortex valdè tenuis est & cinereus, nullo, dum gustatur, manifesto sapore præditus, deinde tamen gustum in ore relinquens suavem, & uti Moschus odoratum: fissus est undique hic cortex, & sponte sese expedit ab alio crassiore flavoque cortice subtus nascente, qui odorem Loti silvestris sive trifolii odorati vulgaris refert, & saporem Glycyrrhizâ dulciorem: præmansus autem odore admodum suavi, nec injucundâ mordicatione, momentaneâ tamen, præditus esse deprehenditur: ipsa materies lignosa est, candida, dura, & insipida: folia napi saporem referunt: germen producit hæc radix supra terram circiter quatuor uncias longum, in caput extuberans.

Nomēclatura.

NOMEN hujus plantæ apud Canarinos est *Duda Sali.*

Eius vires.

TRITAM radicem cum aqua rosacea aut vulgari, vel cum vino (indifferenter enim utuntur) præsens certumque afferunt remedium adversus omnis generis serpentum morsus. Plurimus etiam ejus est usus in febribus continuis, tertianisque, syncope, ventriculi debilitate, & cordis tremore: daturque adversus omnis generis venena. Multi mihi sanctè affirmârunt, dummodo manu hanc radicem tenerent, nullos serpentes, vel alia similia virulenta insecta formidare; & certissimum esse, serpentes & viperas ejus aspectum minimè ferre posse, sed fugere, celerrimeque in aliam partem sese proripere, si quis ante serpentes proiiceret.

PERVTILIS etiam censetur iis quibus anhelitus ab ore vitiato aut dentibus corruptis fœtet, modò eam continuò mandant, dentiumque cavis gestent.

Eius natales.

PROVENIT locis humidis, & inter arbores, præsertim verò secundùm illas quæ *Angelins* * nuncupantur, nec procul à mari.


Colubrini ligni genus tertium.

INVENITVR & tertium Colubrini ligni genus in eâdem provinciâ, vastæ arboris magnitudine, de quo in alio libro agemus.

* *Neutrum horum ligni colubrini generum cum* GARCIÆ *ligno colubrino convenire facilè animadvertet, qui utriusque descriptiones diligenter conferet: & haud scio an illi congener sit lignum illud, cuius iconem ad me mittebat Iacobus Garetus Londinensis aromatarius: erat verò hac icon delineata ex fragmento ligni cum tubere, sive superiore radicis parte in nodum coacta, & suo etiamnum cortice (cuius superficies ex flavo pallescebat & rugosa erat, cortex verò exalbidus erat) tecta, maiorisque quàm ipsum lignum amaritudinis, quod crassi alicuius fruticis, non qualis à Garcia & à Costa nostro describitur, fuisse videbatur. Fragmentum verò illud,* Pao da Cobra *nomine insignitum, repertum fuerat in magna illa navi Pratoria, quâ Indiæ Orientalis Prorex vehebatur, occupatâ à naucleris Anglis anno octuagesimo secundo supra millesimum & quingentesimum. Eius porrò iconem in tabula expressam huic scholio adiunctam volui, in eorum gratiam qui huiusmodi exoticarum rerum studio delectantur. Biennio autem post, ab eodem Gareto similis ligni fragmentum accipiebam, quincuncialis ferè longitudinis, per medium secundum longitudinem sectum, cuius diameter sescuncialis, coloris pallidi, ipsum quidem lignum amarum, sed cortex paullo amarior, cuius etiam superficies quodammodo flavescens; ipse verò ex candido cineracei coloris.*

Pao da Cobra.

LIGNVM COLVBRINVM.



a Quæ arbor sit Angelin, edoceri non potui, licet diligenter ab Hispanis & Lusitanis sciscitatus sim: atque ipsorum plerique existimant peculiarem illius regionis arborem esse, nobis ignotam; quam mirum est auctorem non describere.

De ligno Molucensi.

CAP. XXXIV.

INVENITVR in Moluccis arbor quædam domestica Mali cotoneæ magnitudine, cuius folia Malvæ vulgaris foliis sunt similia, fructus verò avellanis, sed minor, molliore cortice & nigricante. *Ligni Molucensis natales & descriptio.*

SERITVR coliturque in hortis diligenter; nec alibi facilè invenias: tanti enim ab incolis æstimatur, ut peregrinos ne ad ejus quidem conspectum admittant.

INCOLÆ *Panava* appellant. Cùm verò istic Regis nomine gubernaret prudentissimus *Panava.* & animosissimus Dominus Ludovicus de Tayde, ipsius nomine hæc arbor dicta fuit, quoniam ille primus nobis ejus insignes facultates aperuit. Accidit enim, ut nobilis quidam Lusitanus, Henricus de Lima vocatus, dum in Moluccis versaretur, animadverteret quantâ curâ & diligentiâ incolæ hanc arborem colerent, quantique æstimarent; atque ideò illius facultates apprimè intelligere cupiens, nonnullas tandem edoctus est. Nactus igitur trunci hujus arboris partem, eam obtulit Proregi, bonarum rerum, & naturæ secretorum studiosissimo, tanquam medicamentum valdè necessarium, cognituque dignum, & nostris hominibus hactenus inauditum. Anno autem sexagesimo primo supra millesimum & quingentesimum interrogatus à Prorege, an aliquid de hac arbore inaudissem, aliquot ejus facultates retuli quas ab aliis didicissem, conquerens arborem nondum licuisse videre: tum ille ejus quod habebat fragmento me donavit, imperans ut cum judicio & ratione experirer, nec ullius vitam periclitarer, deinde rerum successum illi significarem: quod me facturum recepi. Ejus itaque ligni periculum feci, cùm in nonnullis ægris quorum curam habebam in nosocomiis, tùm in variis morbis qui in longâ navigatione plerumque oriri solent, dum in Lusitaniam redirem; partim adjutus facultatum relationibus quas intellexeram, & utendi methodo; partim iis quæ Nobilis ille in Moluccis didicerat.

ILLIVS semen jam antè videram, mihi donatum ad aves capiendum: etenim eo in aucupiis utuntur non modò in illâ regione, sed etiam in multis Indiæ provinciis, ad quas, ejus rei gratiâ, venale defertur. Hujus pauxillum cum oriza coctа mixtum avibus silvestribus exponunt: quæ degustant, illicò decidunt sopitæ & stupidæ; quæ verò avidiùs id edunt, moriuntur antequam illis auxilium præberi possit, quod est, ut frigidâ caput perfundatur. Graculi omnium citissimè eo degustato exstinguuntur. *Eius semen in aucupiis utile.*

NVNC ad salubrem hujus arboris materiem accedamus, cujus pauxillum hodie plurimi facio.

INTVS sumptum, aut foris appositum, omnibus venenis resistit. *Ligni facultates.*

INTRO assumitur magno commodo ex aqua rosacea vel vulgari, aviumque jusculo, ejus pulveris apta quantitas, pro necessitate, & ægri natura, modò decem grana non excedat, sed infra id pondus consistat, ad viperarum, Regulorum (qui serpentes pileati appellantur, & admodum noxii sunt) aliorumque similium aspidum aut serpentum morsus, *Eius pulveris usus.*

bibitur hic pulvis ex aqua, ipsisque morsibus inspergitur. Eâdem ratione præbent in vulneribus quæ à sagittis toxico illitis facta sunt, quibus illius regionis incolæ plurimum utuntur.

PVLVEREM verò ex hoc ligno sibi parant limâ è pelle marinæ caniculæ confectâ, aut tenui aliquâ ferreâ limâ.

ROBVSTISSIMO cuique dimidius ejus scrupulus ex aqua limpida tepida aut rosacea, aut gallinarum jusculo tepente, summo manè datur (cœna autem diei præcedentis parca esse debet) evacuat enim omnes humores, præsertim crassos, lentos, & melancholicos: convenit quartanis diuturnis, febribus continuis, iliacis colicisque doloribus, flatibus, hydropisi, arenulis, renum calculis, urinæ difficultatibus, sævissimæ colericæ passioni, aliisque morbis, veluti articulorum & tibiarum inveteratis doloribus, scirrhis & scrofulis. Omnis generis lumbricos necat, & appetentiam dejectam revocat: & si nimia fiat evacuatio, bibat æger dimidium cyathum *Canje*, hoc est, decocti orizæ, aut aviculam comedat, subitò cessabit: quod sanè multâ laude dignum est, paucisque medicamentis vulgare, ut in potestate sit medici aut ægri, purgari quantum cupierit. Huc accedit quòd neque fœtorem, neque tædium, neque metum, dum sumitur, pariat, possitque sine diætæ observatione, etiam iis qui sua negotia foris peragunt, propinari, uti ex iis deprehendi qui unà mecum eâdem navi vehebantur, nullum sentientes incommodum, tametsi, dum purgarentur, nullâ diætâ uterentur, viverentque solutissimè.

Canje.

OBSERVAVI etiam illius præstantiam in inveteratis capitis doloribus, hemicrania, apoplexia, aurium tinnitu, arthritide, ventriculi & uteri affectibus & asthmate. Propterea fidens illi plurimum, sæpiùs in diversis naturis, ætatibus, & locis feliciter usus sum, & sine ulla molestia, nisi quòd in biliosis naturis, calidisque ventriculis, nonnihil molestiæ parere, donec cibum sumerent, & in nonnullis vomitum excitare visus est: sed biliosis hunc pulverem nonnunquam dedi syrupo acetoso aut carambolâ conditâ exceptum: aut in catapotia cum saccharo rosato efformatum.

Eius præstantia.

EXHIBENDVS est summo manè, neque cibus aut potus concedendus donec purgati sint quantum necessarium videtur: tum demum cyathus jusculi gallinarum tepidi datur, dimidiaque aut integra hora pòst conceditur pullus gallinaceus, & paululum vini aqua benè diluti: deinde toto illo die potu abstinet ad cœnam usque, quæ parca erit, & facilis concoctionis. Subsequenti die sumitur saccharum rosatum cum aqua buglossi, aut borraginis, aut communi, atque iniicitur clyster ad alvum eluendam.

SOLET verò interdum in nonnullis ani pruritum & excoriationem excitare, atque in aliquibus (sed paucis admodum) hæmorrhoides.

HÆC sunt quæ de hoc ligno *Panava* conspexi & intellexi: Nunc verò in illis regionibus magnus est ejus usus, tantaque æstimatio, ut sine metu in multis morbis suprà enumeratis usurpent. Ego bis illud sumpsi in coli dolore, & hemicrania, mihique salutare esse deprehendi.

CETERVM cùm propter ejus insignes facultates incolæ plurimi faciant, illasque, quantum in ipsis est, celare nos studeant, quæ proculdubio longè plures sunt quàm quas novimus, sperandum est temporis (quod omnia revelat) successu, reliquarum, quæ nobis adhuc ignotæ sunt, notitiam nos consequuturos: easque in libro, quem præ manibus habemus, fideliter enarrabimus, si, antè quàm in lucem prodeat, intellexerimus.

De Moringa.

CAPVT XXXV.

Moringæ historia.

LENTISCI magnitudine est Moringa, cui persimilia habet folia: paucis prædita est ramis, eamque ob causam exiguam præbet umbram: multis nodis scatet; adeoque fragilis est, ut facillimè cùm ipse frutex, tùm rami confringantur: folia saturatiùs virent, vividique sunt coloris, saporis verò foliorum napi: fructum fert pedalem, raphani crassitudine, octo angulis insignitum, colore dilutiore inter viridem & cinereum, intùs candidum, medullosum, & in certa receptacula distinctum, quibus continentur rotunda semina Ervo similia, virentia & admodum tenera, sed sapore quàm folia acriore. Editur hic fructus cum carnibus coctus, aut alio modo paratus.

Eius usu & facultates.

HVIVS arboris radix Unicornu & lapidis Bezar vices supplet, veraque theriaca est qua vulgo incolæ utuntur cùm adversus omnis generis venena, tùm morsus serpentium maximè noxiorum, vulgo *Culebras de Capillo* dictorum, aliorumque insectorum, & virulentorum animalium, cùm intrò sumpta, tum foris applicata. In colerica quam vocant passione singularis

gularis efficaciæ esse deprehendi. Miscetur remediis melancholicos humores purgantibus: & probè nota est Elephantiasi laborantibus, quorum plurimos, ejus continuo usu sanari perhibent.

ABVNDE nascitur variis Indiæ locis, sed præsertim totâ provinciâ Malabar, secundùm flumen Mangate, ubi admodum luxuriat, multosque fructus profert, qui vulgo in foro venduntur, perinde atque fabæ in Hispania. *Eius natales.*

ARABES & Turcæ *Morian* appellant; Persæ *Tame*, Guzaratenses *Turiaa.* *Nomenclatura varia.*

De lapide Bezar.

CAP. XXXVI.

TAMETSI in altero libro, (quem De quadrupedibus, serpentibus, & avibus, quæ in India inveniuntur, scribere speramus) de omnibus gemmis lapidibusque qui in medicum usum veniunt, simus acturi: placuit tamen hoc libro lapidis Bezar mentionem facere, quem, quotquot de eo scripserunt, aut eo usi sunt, & adhuc utuntur, uno ore asserunt maximum præstantissimumque esse antidotum adversus omnia venena, non modò intrò assumptum, sed etiam foris adhibitum.

INVENITVR hic lapis variæ magnitudinis, formæque, & diversi coloris: nam sunt qui dumtaxat dimidiam drachmam, sunt etiam qui duodecim & quindecim drachmas pendant, quales ego conspexi; nonnullique adhuc majores reperiri ferunt: sunt præterea rotundi uti avellanæ, alii oblongiores ovi formâ, aut columellæ; alii triangulares, alii sessiles unâ parte, & gibbi alterâ, uti castaneæ: postremò nonnulli sunt coloris ex viridi nigricantis, alii mali insani colorem referunt, alii obscuriores sunt, alii dilutiùs virent, & nonnulli etiam flavescunt. *Lapidis Bezar quantitas & forma.*

GENERATVR iste lapis in ventriculis animalium hirco ferè similium, arietis prægrandis magnitudine, colore rufo, uti cervi propemodum, agili, & acutissimi auditus, à Persis *Pazan* appellato, quod variis Indiæ provinciis, uti in promontorio Comorim, & nonnullis Malacæ locis, tum etiam in Persia & Corasone, insulisque quæ à Vacca cognomen adeptæ sunt, invenitur: similiter in Occidentali India, referente Petro de Osma in epistola quam ad D. Monardum conscripsit. *Eius natales.* *Pazan.*

Vt verò differunt figurâ & colore hi lapides, sic etiam nonnihil pondere & substantiâ variant: etenim ejusdem magnitudinis videas, alios aliis leviores, alios aliis solidiores, pluribusque aut paucioribus tunicis præditos, nonnullos etiam usque ad centrum continuos, aliquos in quorum meditullio pulvis quidam reperitur, alios in quibus aliquid herbæ siccæ simile, plurimos in quorum centro paleolam tenuem solummodo invenias, circa quam lapidem efformari quidam putant. *Eius varietas & differentia.*

PRÆFERVNTVR autem Orientales, atque omnibus Persici antecellunt. Sunt qui, referentibus nonnullis, hujus lapidis pulvere utuntur singulis quindecim diebus, existimantes eo medicamento partes corporis vitales, generationisque membra roborari. *Huius lapidis pulvis cuius sit usus.*

ASSERVNT iis regionibus in quibus inveniuntur animalia, quæ istum lapidem generant, venatores adeò esse peritos & exercitatos, ut quænam animalia majores lapides contineant, solo conspectu possint judicare, aiuntque ea animalia, in quorum ventriculis majores lapides latent, minùs mobilia agiliáve esse, & lenta subtristiaque apparere. Interdum etiam exstincta animalia inveniri, in quorum receptaculis lapides grandes sint. *Animalium quæ hunc lapidem generant, venatores.*

PORRÒ horum lapidum tanta est æstimatio apud gentiles & indigenas, ut dicere soleant: Licet Deus omnia in hominum utilitatem creârit, damnum tamen quodammodo esse, cum lapidem in alium usum convertere, quàm Principum & nobili stemmate progenitorum, quandoquidem in plebis usum, lapidis Bezar loco, radicem Moringa creârit, de qua superiore capite. *Huius lapidis præstantia.*

De arbore Tristi.

CAP. XXXVII.

NONNVLLIS Indiæ locis, præsertim verò in Malabar, frequentissima nascitur Arbor quædam magnitudine & formâ ferè Pruni, multis prædita ramis tenuibus, & certa per spacia nodulo distinctis, è quo utrinque singularia folia enascuntur Pruni foliorum magnitudine, mollia & lanuginosa parte aversa, quemadmodum ferè salviæ *Arboris tristis natales & qualitas.*

folia, & viridia nonnihilque aspera parte interiore, non adeò serrata in circuitu, ut Pruni folia, neque tam multis venis prædita. E singulorum foliorum sede nascitur pediculus quinque capitula summâ sui parte sustinens, quæ quatuor foliolis subrotundis constant, è quorum medio quinque flores exiliunt candidi, elegantes, Aureæ mali floribus magnitudine & figurâ pares, tenuiores tamen, elegantiores, & odoratiores, pediculo magis ad rubrum quàm ad flavum colorem tendente, quo in illis regionibus edulia tingunt, quemadmodum apud nos vulgo fit croco: fructus magnitudine lupini est, virescens, cordis effigie, per medium secundùm longitudinem sectus, continens in utrâque parte quoddam receptaculum in quo semen occluditur, magnitudine seminis Ceratii sive Siliquæ, cordis effigiem retinens, album, tenerum, membranâ subvirente tectum, nonnihil amarum.

Nomenclatura varia. VOCATVR hæc arbor in Canarin *Partzataco*, in Malayo *Singadi*, in Decan *Pul*, ab Arabibus *Guart*, à Persis & Turcis *Gul*.

Odor. RES est profectò observatione dignissima, conspicere hanc elegantissimam arborem nocte pulcerrimis suavissimeque olentibus floribus onustam & hilarem; & simul atque à Solis radiis illustratur, non modò flores omnes in terram abiicere, sed totam arborem cum suis foliis quodammodo marcidam apparere.

INTER omnes sanè quos unquam odoratus sum flores nullum meo judicio memini cum hoc comparandum, præsertim initiò dum quis repentè locum ingreditur ubi hæc arbor est consita: nam postquam manu contacti sunt, exiguus & evanidus est odor.

Florum vires. INDIGENÆ istos flores cor reficere censent; sed amariusculi sunt: nam recenter ex arbore collectos, & in cibis degustavi, & nonnullam amaritudinem semper deprehendi. Gentiles etiam medici ejus semen inter medicamenta cor reficientia recensent.

MVLTI Proreges, tribuni, atque alii privati hanc arborem in Lusitaniam transferre voluerunt, sed irrito conatu. Novi etiam quosdam qui semen commodo tempore collectum & maturum, vasculis figulinis vitratis atque benè obturatis, item argenteis, pyxidibusque ligneis in Lusitaniam detulerunt, ibique cum omni cura & diligentia severunt; sed nunquam nasci voluit.

IN Malabar autem & Goa, locisque vicinis cum tanta facilitate nascitur, ut quilibet rami in terram depacti comprehendant.

De Negundo.

CAP. XXXVIII.

Duplex Negundo. DVÆ arbores multis Indiæ locis, præsertim verò provinciâ Malabar inveniuntur, in usu medico adeò commendatæ, ut multis morbis utiles esse deprehendantur.

Prioris descriptio & nomenclatura. EARVM prior mas censetur, & à Canarinis *Varalo Nigunda* appellatur, Amygdalæ magnitudine, foliis supernè virentibus, infernè lanuginosis & hirsutis, foliorum Salviæ modo, & in ambitu serratis; quæ procul aspicientibus Sambuci foliis simillima videntur.

Alterius historia & nomenclatura. ALTERA Negundo femina nuncupata, aut *Norchila* à Lusitanis, vulgò in Canarin *Nyergundi* dicitur: in Balagate *Sambali*, in Malabar *Noche*: utraque verò tam mas quàm femina Arabibus, Persis, & Decan incolis *Bache* vocatur, Turcis *Ayt*. Eâdem magnitudine quâ prior assurgit, folia verò habet ampliora, rotundioraque, neque in ambitu serrata, foliis Populi albæ perquam similia.

VTRIVSQVE generis folia Salviam odore & sapore referunt: degustata tamen magis amara & acria deprehenduntur: in plurimis foliis parte aversâ summo manè inhærens conspicitur spuma quædam candida, quæ nocte ex illis emanat. Vtriusque flos cinerei coloris est, plurimumque ad Rorismarini florem accedit. Vtriusque fructus admodum similis est piperi nigro, acris gustus quidem, sed minimè urentis uti Piper, at Zingiberi propemodum paris.

ARBOREM moderatè calidam faciunt, semini autem paulo plus caloris tribuunt.

Facultates. FOLIA, flores, fructus, contusa, aut in aqua decocta, vel in oleo fricta, utiliter imponuntur omnibus doloribus ex quacunque causa provenientibus: præsertim verò in articulorum doloribus ex frigida causa natis; atque in tumoribus & contusionibus mirabiles præbet effectus. Vlceribus etiam vetustis folia trita imponuntur, felici successu, quandoquidem eorum materiam digerunt, eaque emundant, & ad cicatricem perducunt, modò corpus non sit impurum. Et sanè in vulneribus, apostematibus, & contusionibus adeò utilem experiuntur, ut chirurgorum operam minimè requirant.

Foliorum decoctum. MVLIERES horum foliorum decocto omni tempore universum corpus lavant; tantaque invasit persuasio apud illas, Negundo folia, flores, & fructus, utilia esse ad juvandum conce-

conceptum, ut eum, qui contrarium persuadere conetur, lapidibus obrutur æ sint.

OBSTETRICIBVS etiam, quas illi *Dayas* vocant, apprimè nota est hæc arbor. *Dayas.*

ADEO frequens est hujus arboris usus ad medendum in illis regionibus, ut nisi Deus præcisos ramos multiplici fœturâ renasci faceret, jam diu fuissent consumptæ arbores, aut certè maximi pretii nunc essent: Sed quo magis præciduntur rami, eo feliciùs renascuntur, perpetuaque fronde virent. *Huius usus.*

De Nimbo.

CAPVT XXXIX.

ALIA est arbor medico in usu admodum commendata à Christianis & Gentilibus, reliquisque earum Indiæ provinciarum incolis, rara tamen admodum: sed qui eam cognoscunt *Nimbo* appellant, Malabarenses *Bepole*. *Nomenclatura.*

MAGNITVDINE est fraxini, cui procul aspicientibus persimilis videtur: folia utrinque viridia sunt, nec ab alterâ parte incanâ lanugine pubescunt, in ambitu serrata & mucronata: rami multis foliis luxuriant, floribusque abundant exiguis, albis, quinque foliolis constantibus, flavis in medio staminulis, Lotique silvestris sive trifolii odorati odorem referentibus: fructus est parvis olivis similis, subluteus, cortice admodum tenui præditus, nasciturque ex ramulorum alis. *Nimbo arboris historia.*

HVIVS arboris folia nonnihil amaricant, saluberrimaque sunt trita & cum succo limonum imposita vulneribus sordidis, cuniculosis, callosisque cùm hominum tùm jumentorum; digerunt enim, emundant, sarcotica sunt, & ad cicatricem perducunt. Foliorum item succus perutilis est sive per os sumptus solus, aut ex vino, aut aqua, aut gallinæ jusculo; sive umbilico impositus solus, aut cum fellis bubuli momento, aut aceto, aut aloë, ad necandos & expellendos omnis generis lumbricos: quamobrem familiare admodum & perquam salubre medicamentum est omnibus illius regionis incolis, præsertim Malabar provinciæ, quoniam lumbricis valdè sunt obnoxii. Magnus est etiam eorum usus tum florum & fructus in articulorum doloribus, tumoribus, membrorum debilitate, & apostematibus. *Facultates.*

OLEI item ex ejus fructu expressi magnus usus in nervorum doloribus: quo vulnera, nervorum puncturas, & contractiones curant Malabarenses. *Eius oleum nervorum doloribus utile.*

De Iaca.

CAPVT XL.

NASCITVR arbor in nonnullis Indiæ insulis secundùm aquas, quæ licet nullum medicum usum præbeat, propter amplitudinem tamen, & fructus elegantiam, minimè prætermittenda est. *Iacæ natales.*

EAM Malabarenses *Iaca*, Guzaratenses *Panax*, Canarini *Panasu*, Arabes *Panax* & *Iaca* nuncupant: Persæ mutato *p.* in *f.* *Fanax.* *Eius nomenclatura.*

VASTA est arbor, foliis palmaris amplitudinis prædita, dilutè virentibus, nervo crasso & duro per longitudinem excurrente: malum fert non è germinibus aut foliorum sede, quemadmodum aliæ arbores, sed ex ipso trunco majoribusque ramis nascens, longum, crassum, obscuriùs virens, crasso duroque cortice tectum, undique veluti adamantum cuspidibus septo, quæ in spinam brevem, viridem, nigroque aculeo præditam desinunt, admodum similem Durionis spinæ, sed minimè acutam aut pungentem, tametsi minitari videatur. *Eius descriptio.*

HORVM fructuum minimus est maximæ cucurbitæ amplitudine, atque etiam major, præsertim in Malabar, ubi præstantiores nascuntur: nam qui in Goa proveniunt, minores & pejores sunt, atque magis insipidi. Cùm maturus est hic fructus, bonum odorem spirat; ejusque duas differentias constituunt: Vnam *Barca* appellatam, & præstantiorem: alteram *Papa* aut *Girasal* dictam, minusque bonam: deprehenditur postrema ex mollitie; quia si manu apprehendas, digitis cedit. Præstantissimi verò fructus pretium quadraginta maravedis non excedit, hoc est, paulo plus regali Castellano. Per longitudinem secti hi fructus, intùs candidi, & densa carne præditi apparent, ac veluti in capsulas aut receptacula divisi, plena castaneis longioribus & crassioribus quàm sint dactyli sive palmulæ, cinerea tunica tectis, & intùs albis castanearum vulgarium modo, gustu terrestri & aspero, si virides edantur, multosque flatus generantibus: at si uti Hispanicæ castaneæ assentur, gustu sapido &

venerem excitantibus, ob quam ſolam rem plebs frequentiùs uti ſolet. Sunt autem ſingulæ hæ caſtaneæ pulpâ flaveſcente & aliquantulum lentâ involutæ, & pulpam Durionis nonnihil referente, tametſi ab eo differat: grati ſaporis eſt, præſertim quæ in Iaca *Barca* cognominata continetur, optimi Melonis pulpæ admodum ſimilis: duræ tamen concoctionis eſt, & admodum gravat ventriculum: atque, ut illarum provinciarum medici aiunt, ſi in ventriculo corrumpatur, noxios & venenoſos humores generat: quique frequentiùs hoc fructu veſcuntur, facilè in peſtilentem illum & peſſimum morbum *Morxi* appellatum incidunt.

Eius facultates noxiæ.

Morxi morbus.

De Durione.

Cap. XLI.

Durio ubi naſcitur.

FRUCTUS eſt in Malaca adeò grati ſaporis & odoris, ut reliquis qui in ea provincia gignuntur, tametſi plurimi ſint & boni, præferendus videatur. Cujus præſtantia, & quoniam Doctor ab Orta illius etiam meminit capite de Datura, licet eum non vidiſſet, me impulit ut de eo ſcriberem tanquam oculatus teſtis, tametſi in medicinâ nullum locum obtineat.

Eius nomenclatura.

VOCATUR hic fructus in Malayo (quæ provincia eſt ubi gignitur) *Duriaon*: ipſius flos *Buaa*: arbor ipſa *Batan.*

Eius hiſtoria.

PRÆGRANDIS eſt hæc arbor, materie valida & ſolida, craſſo cinereoque cortice tecta, multis ramis luxurians, & copioſum fructum præbens: flores habet ex albo nonnihil flaveſcentes, folia dimidii palmi longitudine, duorum aut ampliùs digitorum latitudine, in ambitu tenuiter ſerrata, parte externâ diutiùs virentia, internâ verò ſaturatiore viriditate, & quodammodo ad rufum tendente prædita: fructum Melonis magnitudine, denſo cortice ſeptum, eoque multis brevibus craſſiſque & pungentibus aculeis horrente, foris viridi & veluti ſtriis quibuſdam quemadmodum Melo ſecundùm longitudinem diſtincto: intùs verò concamerationes quatuor ſecundùm longitudinem habet, ſingulas tria aut quatuor receptacula continentes, quibus ſinguli fructus inſunt admodum candidi uti lactis pingue, magnitudine ovi gallinacei, guſtu ſuaviore odoratioreque quàm ſit condimentum illud ab Hiſpanis *Manjar blanco* appellatum, non tamen adeò molles aut glutinoſi: nam qui candore illo non ſunt præditi, ſed flaveſcunt, putridi ſunt, aut aëris injuriâ pluviâve corrupti. Optimi cenſentur qui tres dumtaxat fructus in ſingulis concamerationibus, deinde qui quatuor obtinent: nam qui quinque habent, improbi cenſentur, quemadmodum & illi quos fiſſuræ aliquæ deformant: non ſolent verò in ſingulis malis plures quàm viginti fructus contineri, iique ſinguli incluſum habent nucleum, * mali perſici nucleo ſimilem, non rotundum, ſed oblongiuſculum, guſtu inſipido, quique guttur exaſperet, veluti meſpila viridia: propterea non eduntur.

Eius fructus edendi ratio.

CALIDUS & humidus eſt hic fructus: & qui edere volunt, pede leviter comprimere & frangere ſolent, propter ſpinas quibus obſitus eſt.

QUI nunquam hos fructus ederunt, cùm primùm illos olfaciunt, videntur putridas cepas odorari: ſed poſtquam deguſtârunt, præ reliquis cibis benè olere & ſapere cenſent.

Eius vires.

EST verò tantâ in exiſtimatione, apud eos qui gulæ dediti ſunt, hic fructus, ut putent neminem eo poſſe ſaturari; propterea varia dant illi epitheta. Memini videre quædam Epigrammata ab eleganti Poëta in laudem ejus conſcripta: quæ (ſi hic locus ferret ut adſcriberentur) non dubito quin lectori plurimum eſſent placitura.

Pretium & æſtimatio.

TANTA tamen eſt hujus fructus in Malacâ abundantia, ut ſinguli non pluris quàm quatuor maravedis veneant, præſertim menſibus Iunio, Iulio, & Auguſto: nam reliquis pretium intenditur pro hominum arbitrio.

Eius mira cum Betele antipathia, & facultates.

ADMIRATIONE porrò digna eſt Betele cum hoc fructu antipathia, quæ profectò tanta eſt, ut ſi quis in navem, Durionibus plenam, ædesve aut concamerationem, ubi adſerventur, aliquot Betele folia reponat, corrumpantur & putreſcant omnes. Et ſi cui ex Durionum immodico eſu ventriculus inflammetur & gravetur, folio Betele ſupra ventriculum impoſito, ſubitò mitigatur inflammatio, tumorque tollitur. Et, ſi à Durionum eſu ingerantur aliquot Betele folia, nullam noxam ſentiet, quantumvis multos ederit. Inde fit, tum etiam ob ejus guſtum ſuavem, ut vulgo dicatur, neminem eorum eſu poſſe ſatiari.

* *Binos huius fructus nucleos mihi adferebat anno Chriſti* M. D. XCIX. *ex Iava redux Franciſcus Rodriguez, Bengalæ regno oriundus, qui illuc cum Batavis naucleris præcedente anno profectus erat. Horum maior binas penè uncias longus erat, unam craſſus; triangularis quodammodo uterque forma, ſatis lævis, unâ parte craſſior, quâ maculam quandam albicantem habebat, ut caſtaneæ equinæ fructus, reliquâ quaſi in mucronem abibat, & nigricabat: cutaceo autem putamine conſtabat, non duro quemadmodum mali perſici oſſicula, ut illi tribuunt Garcias & hic Auctor, ſub quo latebat*

tebat

tebat ipse nucleus in binas partes fissilis, ut glandes & avellanæ, supernè cineracei coloris, intùs albi, qui gustatus, adstrictionis cuiusdam cum aliqua acrimonia coniunctæ particeps deprehendebatur.

Ceterùm Martinus Ignatius, professione Franciscanus, qui ante aliquot annos cum aliis monachis, à Philippo II. Rege Hispaniarum, in Sinarum regnum ablegatus fuit, XVII. capite sui Itinerarii in novum Orbem, eadem penè refert de Durione fructu, quæ noster hic Auctor: sed de arboris folio valdè discrepat, quum eam amplitudinem illi tribuat, quâ vir aliquis totum corpus tegere queat: verisimile est bonum fratrem hallucinatum, Musæ ampla folia huic arbori tribuisse. Is paullò post admirandum quidpiam subiicit, videlicet in eadem provincia Malaca arborem quandam crescere multis radicibus præditam, miræ naturæ & contrariarum prorsus facultatum: nam quæ Orientem Solem spectant, utiles esse adversus omne toxicum, febres, multósque alios morbos naturæ noxios: quæ verò Occidenti obiectæ sint, venenum esse præsentissimum, diversarúmque omnino virium ab aliis.

De Musa seu Ficu Indica.*

CAPVT XLII.

DECEM & octo aut viginti palmorum magnitudine attollitur hæc pulchra & elegans arbor, cujus truncus ex multorum corticum sibi mutuo incumbentium conjunctione constat, & humani cruris crassitudinem adipiscitur, radice rotunda & crassa, Elephantorum grato pabulo: foliis novem palmorum longitudine, duorum cum semisse latitudine, nervo satis crasso per longitudinem excurrente, & transversis fibris in latera sparsis, parte superiore saturis, inferiore dilutioribus: ex hujus arboris fastigio nascitur veluti thyrsus quidam florum simul congestorum in modum pinei strobili coloris rufi: deinde unicum ramum fert humani brachii crassitudine, in multos nodos divisum, è quorum singulis decem aut quatuordecim dependent ficus, ita ut nonnunquam ramus centenis aut ducentenis ficubus onustus conspiciatur. Hos in diversas species distinguunt Lusitani provinciam incolentes: nam *Cenorins* appellant qui admodum flavent, læves, longiusculi, gratique saporis sunt, & odoratiores: *Chincapanlones* verò qui virescunt nonnihil, longioresque sunt, iique etiam grati saporis. Laudantur præterea qui in Çofala nascuntur, Æthiopibus *Inninga* dicti. *Musæ historia.* *Eius variæ species.*

LEGITIMVM autem nomen apud Arabes & Persas (ut è præstante medico Persa in Ormuz nato intellexi) est *Mous*, non autem *Musa* aut *Amusa*: arboris verò *Daracht Mous.* Reliqua nomina ex GARCIA petenda. *Nomenclatura.*

SEMEL dumtaxat seritur hæc arbor; nam ex ejus radice aliæ enascuntur: singulæ verò unicum (quemadmodum retuli) fructuum ramum gestant, qui, dum maturi sunt, rescinditur; plantamque ipsam sponte exsiccari sinunt, tanquam in posterum inutilem; aut amputant, in domesticorum Elephantorum pabulum. *Eius arboris serendæ ratio.*

NONNVLLI interiora tenerioraque, antequam explicentur, folia, florumque thyrsum pipere, Zingibere recenti, allio, sale, & aceto condiunt, & capparum modo edunt. Folia verò quoniam amplissima, mollia, frigidaque sunt, substernere ad accumbendum in æstu solent: & ambustis nonnunquam imponunt. Ruellius hujus fructus meminit ex auctoritate Theophrasti & Strabonis. *Eius usus.*

* *Nemo meo iudicio accuratiùs hanc stirpem descripsit quàm Oviedus sub Platani nomine. Eius historiam Latinam fecimus, & scholiis in secundum* GARCIÆ *librum cap. de Musa inseruimus.*

De Mangas.

CAPVT XLIII.

VASTA hæc est arbor, & multis ramis prædita, fructumque fert magna ex parte anserino ovo majorem, nonnullis interdum Indiæ locis binas libras, aut amplius pendentem; in eadem verò arbore persæpe colore differentes isti fructus conspiciuntur: alii enim dilutè virent, alii flavent, quidam etiam ex viridi rubescunt: grati admodum saporis odorisque est; & quando non est corruptus, duracinis persicis (quæ à carne firmiore flavaque *Melocotonea* vulgo appellantur) præstat. *Mangas historia.*

IN multis provinciis nascitur; uti in Malabar, Goa, Guzarate, Balagate, Bengala, Pegu, Malaca, aliisque Indiæ locis, & in Ormuz, ubi reliquis præcellit. *Natales.*

NOMINATVR *Mangas*, in Canarin *Ambo*, à Persis & Turcis *Amba*: permanetque in arbore ab Aprili in Novembrem usque interdum, pro locorum natura & situ. *Nomenclatura.*

EDITVR hic fructus in laminas sectus aut sine vino, aut vino maceratus. Conditur etiam saccharo ut commodiùs adservari possit; atque interdum cultello aperitur, & in ejus meditullium zingiber recens, allia, sinapi, sal, cum oleo & aceto insperguntur, ut vel cum oriza *Eius fructus edendi, condiendi, & conservãdi ratio.*

oriza edant, vel olivarum conditarum modo. Saliunt etiam & elixant, atque in forum venalem proferunt.

Facultates. FRIGIDUS & humidus est, tametsi vulgus calidum constituat, & multas mordicationes in eorum, qui vescuntur, ventriculo parere affirmet. Quin & indigenæ medici calidum faciunt, & vituperant, dicentes serpiginem, erysipelas, biliosas febres, phlegmonas, & scabiem generare. Quod fortè accidit ab ejus in ventriculo corruptione: sed eo tempore quo invenitur hic fructus, propter immoderatum æstum, in similes morbos incidunt etiam nonnulli qui illo abstinent.

ANTEQUAM probè maturus sit, gustu adstringente est, & ea pars quæ ossiculo vicinior est, acerbior: sed maturus dulcis & sapidus est. Prææduro putamine, undiquaque tomento, aut duris fibris transversim & obliquè excurrentibus operto tegitur nucleus longiusculus & crassiusculus, magnitudine iligneæ glandis, candidus, & candidâ cute tectus, gustu amaro dum crudus est, ideoque adversus lumbricos & alui profluvia utilis: tostus verò iligneas glandes sapit.

INVENITUR etiam hujus genus sine ossiculo, palato admodum gratum.

**Afferebat mihi anno nonagesimo nono supra millesimum & quingentesimum Franciscus Rodriguez, Bengalæ regno oriundus, ex Bantam Iavæ emporio, Mangas arboris illic nascentis aliquot folia, cum fructus eiusdem arboris nucleo. Erant verò ea folia densa, & quodammodo cutacea, instar annotinorum Laurocerasi foliorum, novem decem, interdum plures uncias longa, binas cum semisse vel tres lata, in ambitu non serrata, oblongiusculóque mucrone prædita, crassiore nervo illa per medium, secundum longitudinem, secante, à quo utrinque sedecim vel septemdecim crassiuscula venæ in latera excurrebant tenuioribus aliquot venulis vix apparentibus intersepta: ea manducata, acrimoniam habere deprehendebantur, quia forsitan resiccata. Miror autem neque Garciam, qui hanc arborem in suo prædio habuisse scribit, neque Christopherum à Costa, qui plura eius genera facit, & plantas ipsas ad vivum expressisse non uno loco gloriatur, foliorum formam declarasse.*

Nucleus porrò longioris amygdalæ suo crasso operimento repurgatæ magnitudinem habebat, membranâ tectus cineracei coloris, substantiâ autem penè instar nucis fausel sive arecæ constans, in qua nullam amaritudinem, imò ne alium quidem manifestum saporem deprehendebam, nisi in resiccato (qualem accipiebam) evanuisset. Adscriptum erat, valdè commendari ab incolis.

Eiusmodi autem fructus immaturos & adhuc tenellos, muriâ conditos, postea adferebant, quotquot Navigationem instituebant in Indiam, quibus in reditu cum aliis cibis vescerentur, teneriorum cucumerum muriâ etiam conditorum loco, ut moris est plerisque Germaniæ locis, similes cucumeres mensis adponere, atque etiam in Vngaria, cum assis carnibus. Mihi autem donabantur similes bini fructus ex illis quos Iacobus van Neck anno M. DC. III. à Christi nativitate referebat, erántque diversæ magnitudinis; Vnus enim quatuor uncias longus aut amplior, totidem ambitu complectens, quâ parte crassior; Alter paullò minor: uterque tamen eiusdem formæ, brevique & crasso pediculo præditus, crassior summâ parte pediculo proximâ, gracilior infimâ, & mucrone nonnihil curvo: aperti membranaceum involucrum continere deprehendebantur oblongum, longiori amygdalæ suo pulvino liberatæ penè simile, quo nucleus eiusdem formæ tectus erat. Retinebat adhuc is fructus, licet muriâ conditus, tantóque tempore adservatus, satis gratum odorem.

Mangas silvestre aliud genus. Eius facultates. ALIUD ejus genus silvestre reperitur *Mangas bravas* nuncupatum, adeò præsentis veneni, ut indigenæ illo sese mutuo perimant: nam si quis paululum ederit, ilicò moritur: interdum oleum admiscent ad exacuendam ejus vim, utque celeriorem perniciem adferat: sed quocumque tandem modo sumptum, adeò celeriter perimit, ut hactenus nullum sit repertum antidotum ad illius vim compescendam. Dilute viret, & aliquantulum splendet: lacteo succo abundat, paucaque carne præditus est; nam crasso cortice solummodo integitur ossiculum prædurum & cartilagineum; Cotonei tamen mali magnitudine est.

Natales. PER universam provinciam Malabar provenit copiosè hæc arbor, domestica sive sativa minor, brevioribusque & crassioribus foliis. Pueri his fructibus, aureorum malorum loco, sese mutuò petere consueverunt.

De Ananas.

CAPUT XLIV.

Natales. PEREGRINUS est hic fructus, & ex provincia S. Crucis in Brasilia primum in Indiam Occidentalem, deinde etiam in Orientalem Indiam delatus; in quibus nunc uberrimè provenit.

Eius historia. CITRII verò mali minoris magnitudine est, admodu flavus & odoratus cùm probe maturus est, adeò ut prætereuntes ex odore dignoscere queant ædes in quibus sit: succulentus & gratissimi saporis: procul intuentibus cinara videtur, sed pungentibus aculeis caret. Singulæ stirpes Cardui edulis magnitudine æquant, unicumq. malum gestant in medio quasi caule, & circa eum multas alias proles, quarum non nullæ etiam suo fructu prædità sunt. Qui itaque fructus maturos colligunt, proles ilicò terræ mandare solent: è quibus singulæ deinde stirpes proveniunt suo malo onustæ, uti mater, quæ intra annuo spatium colliguntur.

Ejus

Ejus radix carduo eduli perquam similis est; sed & folia non sunt disparia, tametsi ad *Ananas* silvestris folia magis accedant. Vulgo *Ananas* vocant: Canarini verò *Ananasa*.


CVM primùm in Indiam illatus est hic fructus, singuli decem ducatis, aut paulo amplius æstimati sunt: nunc verò propter abundantiam (tametsi neque sapore neque odore primis cedant) vix duobus regalibus Castellanis veneunt.

HACTENVS in medicum usum non est receptus, sed solùmmodo ob saporis gratiam commendatur. Calidus & humidus est; editurque maceratus in vino, uti Persicum malocotoneum, & facilis est concoctionis; nimius tamen ejus usus inflammationes parit, quemadmodum Duriones Malacenses. *Eius usus.*

SI medius secetur, & partes denuò conjungantur, uniuntur uti cucumeres: perfossus verò cultello, si in vulnere unius diei aut noctis spatio cultellus relinquatur, invenietur tota ea pars, quæ in vulnere hæsit, corrosa.

** Consule nostra scholia in 2. lib. Aromatum, Capite de Mangas.*

Ceterùm, qui ex Iava anno M. D. XCIX. *redibant naucleri,* Ananas *fructum sacchato conditum reportabant, & eius plantæ germina virentia admixta, quorum iconem hic subiiciendam curabam. Erat quidem is fructus satis suavis, sed qui, ob nimiam dulcedinem, mihi nauseam ferè excitaret, cuius pars intima durior, & difficilis (ut apparebat) concoctionis. Folia porrò antè videram ex Guineâ delata (ubi fructus* Piñas *à Lusitanis appellatur, ob aliquam formæ cum pinea nuce similitudinem) Aizoi aquatici foliis non valdè dissimilia, minus tamen crassa, & in ambitu serrata sive dentata, ut in subiectis germinibus animadvertere licet.*



De Ananas silvestri.

CAPVT XLV.

ALTIVS assurgit qui Ananas silvestris nuncupatur: namque truncum habet hastæ magnitudine lævem admodum, rotundũ, & Mali aureæ crassitie, spinis horridum: folia spinosis cuspidibus prædita, & per ambitum mollibus spinis septa. Singulæ arbores secundùm radicem summa tellure magnam foliorum comam fundunt, majorum quàm quæ in arbore sunt, quæque procul intuentibus Aloës foliis simillima videantur, tenuiorum tamen, pluribus spinis horridorum, & dilutè virentium: adnatis se propagat, aliæque stirpes ex aliis enascuntur, præsertim in sepibus & hortorum ambitu, quos egregiè muniunt. Rami foliorum simul glomeratorum capita proferunt flaventium admodùm, & tenerorum, suavissimi odoris, quæ nihil aliud sunt quàm flos ipse: ex horum singulis spica prodit Arundinis spicæ non absimilis, sed crassior, compactior, & elegantior, odore Cedri. E ramis dependent fructus *Ananas bravo*, id est, Ananas silvestres dicti, quia cum domesticis nonnullam habeant similitudinem, Melonis magnitudine, coloris rubri elegantis & oculos oblectantis, toti in partes divisi, quemadmodum Cupressini strobili, seu nuces exsiccatæ, sed tuberculis foris obsiti, ut procul spectantibus magni pinei strobili appareant. *Ananas silvestris descriptio.*

CAPITVM teneriora folia seu flores crudi eduntur, carduosque sapiunt; sed exiguum alimentum præbent. *Cuius facultatis sit.*

FRVCTVS (quem pauci degustant) sapore utcumque suavi præditus est, adstrictionis tamen austeræ, & palato parum gratæ, particeps.

SVCCI plena est tota planta cum suis radicibus. Hujus sex vel octo unciæ ex sacchaio summo manè sumptæ præsentissimum certissimumque censentur esse remedium adversus

jecoris

jecoris & renum calores, renum ulcera, purulentas urinas, & penis excoriationem: nam magna ex parte post tertium diem sanantur.

UTILEM etiam in diabete esse ferunt: at non sum expertus.

ARABES admodum laudant adversus eosdem morbos & erysipelas; & *Queura* vocant, quemadmodum in Decan; Persæ *Ananasa* & *Angali*: florem (qui caput illud foliorum odoratum est) Arabes *Chuxtaid*, Persæ *Pixcoxbuith* dicunt. Turcis est ignota.

De Carcapuli.

CAP. XLVI.

Carcapuli historia. CARCAPULI Malabaribus, *Carcapuli* Canarinis, vastæ magnitudinis arbor est, fructum ferens Malo aureo cui cortex exemptus sit, magnitudine, & forma similem, ex grumis omnino constantem, (sed non separabilibus ab invicem ut in Malo aureo) tenui, lævique & splendenti cortice tectum, non admodum sicco, colore pallido, at ubi maturuit aureo: gustu admodum austero, sed quadam adstrictione grato.

Eius usus. Eo utuntur in cibis, magnaque apud incolas illius est laus in curationibus: sed inter omnes, quæ experientiâ comprobatæ sunt, primas obtinet profluvii alvi cujuscunque generis constrictio, in iis præsertim qui nimio veneris usu hoc malum contraxerunt: editur verò aut ipse fructus maturus, aut ejus succus cum oxygala sumitur, aut illius exsiccati pulvis: cum oxygala autem mixtus & cocta oriza, mirificè appetitum dejectum revocat. Utilis etiam est ejus succus & exsiccati pulvis, in oculorum caliginibus & suffusionibus. Familiaris est fructus pulvis, obstetricibus; puerperis enim exhibere solent ad pellendas secundas, & ad purgationes, atque lactis ubertatem præstandam, tum etiam ad facilitandum partum magnâ ut aiunt efficaciâ.

SUCCUS ejus cum aliis plantis mixtus ungui majoris digiti pedis imponitur eodem latere quo quis aut caliginem, aut suffusionis initium in oculo habet, utilemque esse perhibent.

TRANSFERTUR hic fructus siccus ex Malabar in alias provincias.

De Carambolas.

CAPUT XLVII.

Carambolas historia. FRUCTUS quem Malabares & Lusitani *Carambolas* appellant, in Decan *Camarix*, in Canara *Camarix* & *Carabeli*, in Malayo *Bolimba*, & à Persis *Chamaroch* dicitur; nascitur in arbore cotoneæ magnitudine, foliis mali, paulo longioribus, coloris viridis saturatioris, & gustus amaricantis: floribus parvis quinque foliolis constantibus ex albo rufescentibus, nullo quidem odore gratis, sed aspectu elegantibus, & gustu oxalidis acetoso. Ipse verò fructus majusculi ovi gallinacei magnitudinem æquat, oblongus, flavescens, atque veluti in quatuor partes divisus, sulcis illis paulo altiùs impressis magnam gratiam addentibus: in meditullio continet semina tenera, saporis aciditate palato grata.

Eius usus. MULTI usus est in medicina & in cibis: namque maturum exhibent in biliosis febribus; & sacchato conditum, syrupi acetosi loco præbent. Canarini ejus succo, cum aliis medicamentis istîc nascentibus, collyria parare solent ad oculorum nubeculas tollendas. Obstetricem (quæ ab illis *Daya* ut diximus, appellatur) vidi fructu sicco & in pulverem contrito, & foliis Betele utentem ad secundinas à partu expellendas, fœtumque mortuum educendum.

EIUS etiam muriâ conditi frequens est usus, cùm gratissimi sit saporis, & appetentiam excitet.

De Iambos.

CAP. XLVIII.

ALIUS est in India fructus, qui ob aspectus elegantiam, suavemque odorem & saporem, tum etiam ob ejus in medicina usum, dignus est cujus historiã hîc apponam.

Iambos historia. ARBOR verò quæ hunc fructum præbet, vasta est, maximam Malum auream, quæ in Hispaniis nascatur, æquans, multis ramis in latum expansis, multamque umbram præbentibus prædita, aspectuque pulcherrima; caudex majoresque rami cinereo cortice integun-

integuntur: folia pulcherrima sunt, lævia, palmum aut amplius longa, crassiore nervo per longitudinem, multis autem obliquis venis in latera excurrentibus, parte supinâ saturatiùs, pronâ verò dilutiùs virentia: flores ex rubro purpurascentes, vividi admodum coloris, multis staminibus in medio prædici, aspectu pulcherrimi, gustu capreolorum vitis simili: Fructus magnitudine est Pyri quod à Rege cognomen accepit; ejusque duo sunt genera: unus enim adeò obscurè rubet ut niger videatur, magnaq. ex parte ossiculo caret, & succi bonitate præstat: alter ex candido rubescit, & ossiculum continet album, durum, non admodum rotundum, ossiculi quod in persico malo est magnitudine, læve, & candidâ hirsutâque membranâ tectum; qui licet superiori bonitate cedat, dignus tamen est delicatissimorum etiam hominum palato; utriusque odor suavissimam rosam refert. Frigidus & humidus est, & admodum tener; cortice adeò tenui & molli tectus, ut cultello auferri non queat.

ALTE suas radices terræ infigit hæc arbor, & post quartum annum fit fructifera: fructum sæpiùs eodem anno perficit, & nunquam sine flore aut fructu conspicitur, cùm iidem rami floribus, fructu viridi & maturo semper ferè onusti sint, decidentibusque quotidie floribus (sic ut solum rubro colore tinctum quandoque videatur) novi subnascantur, fructusque alii primùm enascantur, alii maturescant, alii jam maturi colligantur. Succussâ arbore maturi facilè decidunt: comprehensi verò rami ad fructus colligendos facilimè ab arbore revelluntur. Ante reliquos cibos initio mensæ edi solent atque interdiu.

MALABARES & Canarini hunc fructum *Iamboli* vocant; Lusitani istîc habitantes *Iambos*, Arabes *Tupha Indi*, Persæ *Tuphat*, Turci *Alma*: Lusitani arborem *Iambeiro* appellant. *Nomenclatura varia.*

FLORES & fructus saccharo condiri solent, iisque frequenter utuntur in biliosis febribus, exstinguendæ sitis gratiâ. *Facultates.*

De Jamboloins.

CAPVT XLIX.

HVIVS arboris materies cortice integitur coloris ferè ejusdem cum Lentisci cortice: folia Arbuto similia habet, sed Myrti virentis foliorum sapore: fructus Cordubensibus olivis maturis similes, adstringentis gustus, & fauces contrahentis. *Iamboloins historia.*

NVLLVM usum in medicina obtinent, sed eduntur cum Oriza cocta; nam appetentiam excitant. *Eius usus.*

VVLGVS *Iamboloins* appellat.

De Iangomas.

CAP. L.

ALIVS est fructus *Iangomas* nuncupatus, Sorbis ferè similis colore, & immaturis prunis sapore: quibus & arborem similem habet, (sed spinis obsitam) & folia & flores. *Iangomas descriptio.*

NASCITVR sponte in agris, & silvis: sed in hortis etiam colitur. *Natales.*

FRVCTVS licet maturus digitis priùs emolliendus est, antequam edi possit: attamen adstrictionem illam haud mediocrem nequaquam adhuc deponit: eaque de causa illius usus est ubi adstrictione opus habent. *Usus.*

De malis Indicis.

CAPVT LI.

MAGNA est arbor multis foliis & floribus prædita, & copioso fructu: folia minus rotunda sunt mali foliis, tametsi ea æmulentur: superne saturatè virent, inferne candicant & pubescunt uti Salviæ folia, gustu adstringente: flores exigui, candidi, quinque foliolis constantes, inodori: fructu iujubis seu zizyphis similes, alii aliis majores & suaviores, nunquam verò tam probè maturescentes ut conservari queant, & in alias regiones transferri, uti zizypha; & perpetuò nonnihil adstrictionis retinentes: unde colligitur minimè pectori utiles esse, quemadmodum zizypha. *Malorum Indicarum historia.*

HVIC arbori nomen est in Canara *Bor*, in Decan *Ber*, & in Malayo *Vidaras*, apud Lusitanos *Mançanas de la India*, id est, mala Indica. *Earum nomenclatura.*

PRÆ-

Præstantia. PRÆFERUNTUR fructus in Malaca nati Malabaricis: sed iis adhuc præstantiores, quos Balagate profert.

CONSPICITUR hæc arbor æstate alatis formicis perpetuò onusta, quæ in ramis ejus Laccam elaborant.

De Ambare.

CAPUT LII.

Ambare descriptio. CRASSA magnaque est hæc arbor, foliaque habet Iuglandis foliis magnitudine respondentia, sed non ejus formæ, dilutiùs virentia, & multis venis elaborata, quæ illis magnam gratiam addunt: flores exiguos candidos, fructus Iuglandis nucis magnitudine dilutiùs virentes, & cortice quàm illa læviore: odoris gravis & gustus acerbi dum adhuc virent, coloris verò flavi in maturis, gratioris odoris, & saporis gratâ aciditate commendabilis, medullam continentes cartilaginosam & duram, è duris nervis obliquè intertextis constantem.

Nomenclatura. HANC arborem appellant Canarini *Ambare*, fructum *Ambares*, Persæ *Ambereth*, Turci *Harb*, Lusitani *Ambares*, quemadmodum Canarini.

Eius usus. PROPTER fructus gratam aciditatem eum Omphacii seu agrestæ loco cibis admiscent: maturum ex sale & aceto edunt, excitat enim edendi appetitum. Indi adversus biliosos humores utilem esse perhibent.

Eius condiendi ratio. SALE & aceto conditus diu conservari potest.

De Datura.

CAPUT LIII.

Daturæ tria genera. TRIA sunt hujus plantæ genera; quorum quo frequentiùs utuntur, primo loco describemus: ejus enim adeò vulgaris est usus, ut paucæ sint meretrices, quæ inter sua κειμήλια illud non recondant, ob eas quas postea subnectemus causas.

Prioris descriptio. PRIMUM Altheæ magnitudine caulem habet, nec admodum illi dissimilem, in plures tamen ramos divisum: folia cùm magnitudine tum formâ Stramoniæ foliis simillima, verùm magis in circuitu serrata, uti ferè Xanthii (Hispanis *Lampazos*) folia: flores albos, Smilacis lævis (quam Hispani *Correguela mayor*, hoc est, Convolvulum majorem appellant, floribus omnino respondentes, fructum Stramoniæ, rotundum, nucem Iuglandem magnitudine æquantem, viridi colore præditum, & spinis mollibus, minimeque pungentibus undique septum, plenum semine Lenticulæ simili, ejusdemque coloris, cordis humani effigie, gustus amari: radicem albam, raphani odore, quæque, si diu naribus admoveatur, sternutamenta ciet, cujus cortex nonnihil amaricat, minùs tamen eo qui caulem & ramos ambit.

Natales. NASCITUR umbrosis locis, & secundùm aquas.

Nomenclatura. NOMEN huic plantæ in Malabar est *Unmata caya*, in Canara *Datiro*, apud Arabes *Marana*, apud Persas & Turcos *Datula*, apud Lusitanos *Datura* & *la Burladora*, hoc est, faceta.

Qualitas. LITERATI plerique, atque etiam maxima pars Medicorum istic degentium, legitimam Nucem Methel Arabum esse censent, frigidamque excessu tertio, & siccam secundi fine constituunt.

Facultates. MALA invaluit consuetudo apud impudicas mulieres, ut hujus seminis in pulverem triti dimidiam drachmam ex vino, aut alia quæ magis arridet materia, præbeant: miser qui eum hausit, diu velut mente alienatus remanet, aut ridens, aut ejulans, aut dormiens, plerumque etiam alteri colloquens & respondens, ut interdum etiam sanâ mente præditum esse credas, tametsi mentis non sit compos, neque eum agnoscat, cum quo sermones confert, & colloquii habiti planè sit immemor, postquam ad se rediit. Sunt verò nonnullæ adeò exercitatæ in hoc medicamento exhibendo, idque sic temperare norunt, ut ad certas, easque quot velint horas, quibus id propinant, mentem adimant. Multa sanè ejus rei exempla, quæ vel ego ipse vidi, vel ab aliis audivi, huc adducere possem; sed cùm ad rem nihil faciant, prætermittenda esse duxi: illud solum addam, neminem, qui simile sumpsisset, necatum unquam comperisse, tametsi nonnullos conspexerim per aliquot dies perturbatos ferri, quod fortè acciderat ob immodicam quantitatem exhibitam: quæ si fuerit nimia, interimit; nam hoc semen perniciosâ qualitate non caret, licet gentiles ad provocandas urinas cum pipere & foliis Betele id exhibere soleant, & perutile esse dicant. Ego verò nunquam

nunquam obſervavi, nec experiri volui, cùm alia medicamenta ad eam rem utilia non deſint.

PORRÒ ſi ad eorum, qui hoc ſemen hauſerunt, curam evocentur Hiſpani medici, medicamenta vomitum cientia exhibent, ut, quidquid in ventriculo hæſit, reiiciant; acres deinde clyſteres iniiciunt ad evacuandum, forteſque ligaturas adhibent ad divertendum, tum etiam cucurbitulas adponunt, & venam ſecant. Gentiles verò medici & Chriſtiani indigenæ cùm à cucurbitulis & venæ ſectione abhorreant, nihil aliud quàm vomitum provocant, forteſque ligaturas & frictiones adhibent; quæ ſi non ſufficiant, balnea ex aquâ calidâ præſcribunt ad eliciendum ſudorem: porrò à vomitu vinum propinant, cui piper & cinamomum admiſcent; in cibis verò audaciores ſunt Hiſpanis: namque evacuatâ materiâ gallinas edendas præbent, & vinum dulce aut paſſum exhibent. *Vires variæ.*

RADICIS *Daturæ* drachma ex vino pota ſomnum profundum inducit, in quo varia inſomnia, & miræ rerum facies obverſantur.

SEMINE verò per noctem in aceto macerato, deinde exactè trito, utiliter illinuntur herpetes miliares & eryſipelata ſerpentia: nam brevi ſanantur.

RELIQVA duo genera facie & fructu ſuperiori ferè reſpondent, ſed flores colore variant: etenim ſecundi flores, licet formâ priori ſint ſimiles, colore tamen flavo ſunt, & ſecundùm pediculum nonnihil rubent: tertii flores hyoſcyami floribus magis vicini ſunt. Ceterùm neutro ex poſtremis duobus utuntur, niſi ad necem inferendam. Nihilominus tamen Brachmenes medici ex ſecundi ſemine (quod floribus eſt flavis) catapotia faciunt, granorum piperis magnitudine, magnæ ſanè efficaciæ ad ſiſtenda alvi profluvia, quibus adjuncta ſit febris ardens; atque etiam in dyſenteriis: Fiunt verò hunc in modũ catapotia. *II. & III. deſcriptio.*

℞ ſeminis ſecundi generis drachmam unam, piperis nigri & longi, ſandali albi, atincar, radicum *Biſa* (adfertur ea ex Bengala & Patanne montibus) foliorum Bangue, ſingulorum dimidiam drachmam: omnia iſta diligenter cum aquâ terunt in marmore, quo pictores ſuos colores terere ſolent; deinde catapotia efformant, è quibus exhibent quantum commodum videtur.

MEA eſt cum aliis pleriſque opinio, ut nucem Methellam Stramoniæ fructum eſſe credam, qui per omnia ſimilis eſt fructui Daturæ: atque ſi nonnihil ab eo differt, id locorum varietati adſcribendum cenſeo. *Nux Methella eſt Stramoniæ fructus.*

**Quantum ex Daturæ primæ deſcriptione colligere licet, eadem eſt cum Turcorum, qui Conſtantinopoli vivunt,* Tatula, *cuius uſus illis perquam familiaris eſt.* *Tatula.*

*Nec abludere ab eâ videtur illud Stramoniæ genus, cuius ſemen O Eniponte ex Ser*mi *Archiducis Ferdinandi aula Viennam Auſtriæ primùm delatum & Nobilibus matronis anno* M. D. XXCIII. *communicatum, ſequente anno in multorum hortis natum eſt. Illius hiſtoriam atque iconem non incommodè huc inferri poſſe exiſtimavi.*

Eſt autem vulgari Stramoniâ longè maius, quódque humanam altitudinem non modò æquet, ſed etiam plerumque ſuperet: craſſos habet caules, nonnunquam brachiales, læves, dilutiùs virentes, multis alis præditos, ad quas naſcuntur ampla & viridia folia, maiora quàm in vulgari, magiſq; laciniata, uti ferè in nonnullis Atriplicis ſilveſtris generibus, præſertim eo quod vulgo Pedem anſerinum appellant, ſed ampliora: flores in alis ſingulares, vulgaris floribus formâ & colore quidem ſimiles, ſed minores, & ferè inodori: quibus excuſſis ſuccedunt capita, non orbiculata, ut in vulgari, ſed oblongiuſcula, maiorem nucem Iuglandem cum ſuo operimento æquantia; & quatuor ſulcis ſecundum longitudinem quodammodo diviſa, firmiſque aculeis modò longis, modò brevibus munita, quæ per maturitatem à ſummo in quatuor partes dehiſcunt, & octonas cellulas oſtendunt, ſemine initiò ruſeſcente, deinde nigro, planiuſculo, rugoſo plenas, quod facilè à vento excutitur, non autem pulpæ inhæret ut in vulgari, ſed illo etiam minus eſt. Tota planta graviter ſpirat, & Spatulæ fœtidæ, ſive Xyridis vulgo creditæ, odorem æmulatur.

Floret æſtate; ſemen Autumno matureſcit. Auſtriacæ nobiles Matronæ, Schön apflen *appellant.*

Hanc Nobiliſſimus, idémque Clariſſ. vir Fabius Columna, Solanum manicum Dioſcoridis cenſet, in doctiſſimo Libro cui titulum fecit Φυτοβάσανος, *ſive Plantarum examen, ubi Dioſcoridis textus ab eo emaculatus.*

DATVRA I. fortè.



De Bangue.

Cap. LIV.

Bangue descriptio. BANGVE simile ferè est Cannabi, cujus Dioscorid. lib. 3. meminit. Caulem habet quinque palmorum longitudine, quadrangulum, colore dilutiùs virente, fractu contumacem, nec adeò concavum ut cannabinus caulis, cujus cortex non minùs quàm illius in fila diduci potest: folia cannabina supernè virentia, infernè incanâ lanugine pubescentia, gustu terrestri & insipido: semen cannabino minus, neque adeò candidum.

Eius utilitas. INDI semine & foliis vescuntur, cùm ut validiores in re venerea fiant, tum ad excitandam cibi appetentiam.

Compositio. FIT ex hoc Bangue compositio vulgaris admodum usus in iis regionibus, ad varios effectus: etenim magnates & militiæ præfecti, ut laborum obliti securiùs & liberiùs dormiant, seminis & foliorum in pulverem redactorum, quantum videtur, sumunt, illique *Ad quid prosit.* addunt Arecam sive avellanam Indicam viridem, & opii nonnihil pro arbitrio: omnia sacchare excepta devorant: si verò in somno varias rerum species sibi obversari cupiunt, addunt selectissimam Camphoram, Caryophyllos, Nucem moschatam & Macis: si verò hilares esse volunt & faceti, & præsertim in venerem procliviores, ambaro & moscho additis saccharo excipiunt, & electarium faciunt.

MVLTI mihi affirmârunt, hujus semen & folia ad libidinem ciendam miræ esse efficaciæ: unde colligere licet, nihil affinitatis habere cum Cannabi, licet illi admodum similis sit; quandoquidem, auctore Dioscoride loco suprà dicto, Cannabis calida & sicca est, & genituram exstinguit.

Nomenclatura. DICITVR Arabibus *Axis*; Persis, Decan, & plurimarum aliarum regionum incolis *Bangue*; Turcis *Asarath*.

Maslac. ** Sed & hoc Bangue plurimam affinitatem habere videtur cum Turcorum Constantinopoli degentium* Maslac: *quo ad varios effectus utuntur: nonnulli etiam vescuntur excitanda veneris gratiâ.*

De Herba viva.

Caput LV.

Herba viva nomenclatura. Indi occidui, teste Castaneda Medico Hispalensi, Quace-cupatli appellant. NONNVLLIS Asiæ locis planta quædam invenitur, vulgo *Herba viva* nuncupata, à circumforaneis illis, *Iogues* appellatis, *Herba amoris*, ab Arabibus & Turcis *Suluc*, & à Persis *Suluque*.

Eius historia. EXIGVAM habet radicem, è qua supra terram exiliunt octo ramuli duos digitos longi, foliis utrinque in ordinem digestis & inter se respondentibus onusti, quæ plurimum ad Ervi tenella folia accedunt, nec dissimilia sunt foliis prioris Polypodii, cujus iconem Lacuna exhibet lib. 4. cap. 187. sed longè tenuiora, & utrinque lævia, & gratâ viriditate oculos pascentia, uti Tamarindorum folia: è medio radicis capite exiliunt pedunculi (nam caule caret) quatuor, singuli suum florem sustinentes flavum, aspectu pulcherrimum, minoribus Caryophylleis similem, sed sine odore.

Natales. NASCITVR calidis & humidis locis.

Mira eius natura. ADEO mira est hujus plantulæ natura, ut eam humana ratio assequi nequeat. Nam cùm maximè viret, gratissimaque est aspectu, si quis illam apprehendere cupiat, ilicò folia contrahit, atque sub tenues ramulos recondit; si verò apprehendat, subitò adeò marcida conspicitur, ut exsiccari putet: sed quod majore admiratione dignum est, si manum retrahat, ilicò suum nitorem recuperat, & toties marcescit aut reviviscit, quoties comprehenditur, aut manus ab eâ retrahitur.

MIHI autem relatum est, Philosophum quendam in Malabar, dum nimis curiosè hujus plantæ naturam observare cupit, amentem esse redditum. Plantam ego conspexi, eamque cum suo cespite, ipsam minimè contingens, erui, & in hortum quendam transtuli, ubi permansit; at fatuum minimè vidi.

Facultates. INTERROGATI à me nonnulli indigenæ medici, an aliquas hujus plantæ facultates perspectas haberent, illamque in usum medicum adhiberent, affirmârunt utilem esse ad virgines corruptas in integrum (*si credere fas est*) restituendas, & ad reconciliandum amorem miræ esse efficaciæ. Gentilis medicus & pro eâ regione satis doctus, cùm adeò cupidum cognoscendi hujus herbæ facultates conspiceret, ait, unam se edocturum adeò compertam & certam, ut cervicem pro pignore deponeret, nisi sic se habere comperirem. Nempe ut illi cujuspiam mulieris, qualiscunque etiam status, nomen modò indicarem, se effectu-

effecturum ut illa in omnibus mihi obsequeretur, dummodo ex ipsius præscripto herbâ uterer. Sed conditionem respui in re tam illicitâ. Nihil igitur aliud post diligentem inquisitionem de hac plantâ intelligere potui, quàm apud Gentiles, præsertim verò Brachmenes Canarinos & Iogues in magna æstimatione esse.

QVODAM die mihi accidit plantas conquirenti non procul à flumine Mangate, ut Gentilem quendam humi sedentem & verba quædam obmurmurantem, tanquam oraret, fortè conspicerem; quem cùm compellassem, nihil respondit, sed meo interpreti, quem comitem duxeram, manu dumtaxat innuit: is hominem intelligens, celeriter sese inde proripuit, meque secedere jussit, inquiens Gentilem illum incantatorem esse cujusdam illius regionis Capitanei quem *Caymal* appellant, & istîc sortes jacere supra Herbam vivam: id fieri solere repurgato priùs circa ipsam plantam solo ad hominis longitudinem, recitarique quædam concepta verba, & exspectari primam avem aut rem animatam quæ istam plantam prætergrederetur dum verba obmurmuraret, cujus sanguine (si comprehendi posset) perluenda esset; sin minùs, alterius ejusdem speciei, idque cum multis ceremoniis, quas prætermitto, cùm indignæ sint ut scriptis mandentur. Conspexi deinde istam plantam siccam inter supellectilem mulieris prostitutæ pudicitiæ.

* *Ea esse videtur quam Garcias libro Aromatum describit foliis Polypodii, nullo nomine addito. Nec ei fortè absimilis Æschynomene Apollodori, quæ appropinquante manu folia contrahat, ut refert Plin. lib. 24. cap. 17.*

De herba Mimosa.


CAP. LVI.

ALIA planta invenitur in quibusdam hortis quinque palmorum longitudinis, vicinis arbustis aut parietibus incumbens, tenui caule, eleganti viriditate prædito, nec admodum rotundo, per intervalla exiguis & pungentibus spinis obsito, foliis superioribus haud absimilibus, filicis feminæ foliis minoribus. *Herbæ mimosæ historia.*

GAVDET humidis & petrosis: & *Herba mimosa* nuncupatur, quoniam manu admotâ senescit & marcescit, manu uerò remotâ pristinam viriditatem recipit, sed nòn adeò celeriter uti prior. *Natales.*

NATVRAM habet plurimùm ab Arbore tristi differentem: nam singulis noctibus Sole occidente senescit & siccatur quodammodo, sic ut contabuisse videatur: oriente verò Sole vigorem denuò recipit; quantoque Sol magis fervet, eo magis viret, totoque die folia ad Solem convertit. *Natura.*

HERBA MIMOSA.



ODORE & sapore est Glycyrrhizæ: vulgòque ab indigenis folia manduntur adversus tussim, ad pectus repurgandum, & vocem clariorem efficiendam: renũ etiam doloribus utilis esse censetur, & recentia vulnera glutinare. *Odor & sapor.* *Vires.*

* *Multarum plantarum, præsertim in leguminum genere, folia, noctu se contrahere & comprimere solent.*

HERBÆ porrò mimosæ appellatione ad me mittebatur sicca planta à Iacobo Gareto, extremo Octob. anni M.D.XCIX; quam ab Illustri Comite de Combreland ex insula D. Ioannis à portu divite nuncupata, reduce, fictili cum terra impositam recepisse scribebat, conservare tamen non potuisse. Huius verò iconem, quàm commodè fieri potuit, ex illâ siccâ exprimi curabam, ut eius historia, ex siccâ etiam plantâ concinnata, addi posset.

CONSTABAT autem ea planta, quæ prorsus sicca & foliorum expers, singulari radice, non crassâ quidem illâ, sed durâ & lignosâ, rarisque fibris prædita, à quâ terni aut quaterni cauliculi exibant breves, qui statim in aliquot tenues virgas & humi procumbentes in ambitu se spargebant, ad singulos nodos, frequentes, longas, tenuésque fibras agentes, instar ramorum periclymeni vulgaris, qui per terram diffunduntur: erant verò cubitalis longitudinis illæ virgæ, interdum ampliores, teretes, lentæ, quibusdam spinulis latiusculâ basi eis insidentibus præditæ, quemadmodum in rubi ramis videre licet, minoribus tamen, rarioribus, minúsque firmis: ea *Herbæ mimosæ Historia.*

 rursus

rursus in alios graciliores ramos dividebantur, frequentioribus spinulis obsitos, è quorum nodis inter binas appendiculas alternis exoriebantur tenerrimi ramuli suis foliolis obsiti, quæ numerosa, serie quadam & pari utrinque numero in alâ nata erant, nullo singulari alam finiente, tenella admodum & virentia, non dissimilia Acaciæ foliolis, quæ (dum primùm prodibant) tenui incanáque lanugine pubescebant, ut ex ramo suis parvis ramulis & foliolis onusto, quem addiderat, deprehendere poteram, quiq; fibras aliquot adnatas etiam retinebat. Adiunxerat & bina capitella, quæ, in eâ plantâ nata, ab Illustri supradicto Comite accepisse scribebat, cum aliquot ramis sua foliola adhuc retinentibus. Constabant ea capitella è multis tenuibus angustisq; & spinosis veluti foliolis, inter quæ latebant semina orbiculata, plana, nigra, in medio nonnihil tumentia. Flores à me conspecti non fuerunt, & haud scio, an allati fuerint. Vtrum porrò huius plantæ virentis, & adhuc in terra hærentis, folia, manu admotâ marcescant, ut scribit Christophorus à Costa, eiúsque rei causâ nomen fuerit inditum, ii referre possent, qui plantam virentem & crescentem viderunt, atque erutam capsæ imposuerunt. De illius autem facultatibus, ipse à Costa consulendus.

De Pineis nucleis Malucanis.

CAP. LVII.

Pineorum nucleorum descriptio.

ALITVR in hortis quibusdam Malabar, tum etiam in nonnullis silvis sponte nascitur Arbor magnitudine Pyri, cujus folia infernè dilutâ viriditate prædita sunt, supernè autem saturâ, admodum tenella & mollia, quæ gustata valdè acria deprehenduntur, & linguam diu vellicant: fructus triangularis, avellanæ magnitudine, interiùs in multa receptacula distinctus, in quibus semen est album, solidum, rotundum, pineo nucleo suo putamine exempto par.

Eorum usus.

EO fructu frequenter utuntur Indi, cùm in curandis quibusdam morbis, tum etiam in suis nequitiis.

BINOS ejusmodi nucleos tenui membranâ, quæ illos contegit, liberatos terunt, & clysteribus vulgaribus admiscent, adversus Sciaticam, & urinæ difficultatem: seu propinant cum gallinæ jusculo ad educendos putridos, lentos, crassosque & frigidos humores, & asthmaticos curandos, adversus quem morbum plurimum commendant, & frequenter utuntur. Ex aqua tritis impetigines inunctæ, primùm tamen diligenter confricatæ & abrasæ, probè & brevi temporis spatio curantur: sed admodum urunt, ut experientiâ didici.

IMPROBÆ etiam mulieres illarum provinciarum, suis maritis parùm æquæ, quatuor grana sive nucleos edendos præbent, ut eos interimant.

Fructus nomenclatura.

VVLGO appellatur hic fructus *Piñones de Maluco*, hoc est, pinei nuclei Malucani, quòd istîc frequentes sint arbores hunc fructum ferentes, multusque & familiaris admodum sit illius usus in purgationibus: à Canarinis *Gepalu*.

De Charameis.

CAPVT LVIII.

Duo genera. Prioris descriptio.

HVIVS arboris duo sunt genera: Vnum Mespili amplitudine, foliis Pyro similibus, dilutè virentibus, fructu avellanis simili, admodum flavo, eleganter in multos angulos desinente, sapore omphacii, & gratâ aciditate, quem vel immaturum vel maturum vel sale condîtum vulgariter edunt.

Alterius historia.

ALTERVM genus ejusdem est magnitudinis, foliaque habet Malo minora, fructum verò priore majore, cujus decocto cum Santalis adversus febres utuntur Canarini medici.

Natales.

CRESCIT in silvis & montibus procul à mari dissitis.

Prioris generis usus.

E primi generis, quod secundùm aquas nascitur, arboribus, seligunt Decanini & Canarini eam quæ longiùs à mari abest: hujus radicis corticem (cui lacteus succus inest) quatuor digitorum longitudine sumentes cum drachma sinapi probè terunt, & asthmaticis exhibent: valenter enim purgat per alvum & vomitum. Quòd si immodica subsequatur evacuatio, Carambolas fructum unum viridem edunt, vel aceti Canarini haustum sumunt (quod nihil aliud est quàm aqua decoctionis orizæ uno aut altero die reservata, donec acescat, Canarinis aceti vices præbens, & medicum usum præstans) &, si profluvium non cessat, ægris caput frigidâ abluunt.

MAGNVS est horum Charameis usus in illis provinciis; & ad orexim ciendam, edere solent immaturos, maturos, salitos, vel sale & aceto condîtos, ut antè dixi; aut aliis eduliis, quibus aciditatem conciliare volunt, admiscent.

Nomenclatura.

VOCANTVR in Canara, Decan, *Arazaavali*; vulgo *Charameis*; Arabibus, Persis & Turcis, *Ambela*.

DE

De Herba Malucana.

CAPVT. LIX.

DVORVM aut trium cubitorum longitudinem adquirit hæc planta, nonnunquam etiam locis vberioribus & humidis, quinque cubitos superans, eleganti virore prædita, caule tenui, tenero, nonnihil concavo, imbecillo, &, nisi uti Iasminum pergulis sustineatur, humi sese diffundente, quemadmodum hedera; & multos ramos spargente, qui subinde radices agunt ut Mentha & Melissophyllon; adeoque serpunt, ut planta sola, vel ramus transpositus, brevi temporis spatio magnum locum occupet: folia habet tenella & mollia, in ambitu serrata, magnitudine & formâ Sambuci foliis respondentia: florem croceum Chamæmeli flori admodum similem, paulo tamen majorem. Toto anno viret & luxuriat. *Herba Malucanæ historia.*

VVLGO nuncupatur Remedium pauperum, & destructio Chirurgorum; Canarini *Brungara aradua* appellant, id est, quæ flore est croceo. *Nomenclatura.*

FREQVENTER utuntur cùm in Maluco (unde primam originem traxisse creditur, quòd istic abunde nascatur, & plurima admisceatur Chirurgicis remediis) tum in omnibus Indiæ provinciis, in quibus diligenter colitur, & in pretio habetur, nec injuriâ. *Vsus.*

COQVVNTVR hujus plantæ folia in oleo, & cum cerâ inspissantur unguenti modo: mirificè curat id unguentum omnis generis ulcera recentia & antiqua, etiamsi sanguinolenta, sordida, cuniculosa, maligna & putrida sint: miræ esse efficaciæ deprehendi in tibiarum vulneribus inveteratis, & recentibus vulneribus. *Ex eâ unguentum mirè efficax.*

ALIA est præterea hujus stirpis utendæ ratio. Ejus enim caulem & ramos superiore cortice denudant, & sumunt membranam illam tenuem quæ media est inter exteriorem corticem & caulem, quæque facilè, uti in cannabi, revellitur: eam oleo nucis Indicæ madentem, ipsius plantæ foliis involvunt, & sub cineribus calidis recondunt: ubi incaluerit & emollita fuerit, conterunt, & recentibus cruentisque vulneribus imponunt, seu grandia sint, seu levia: & paucis diebus non sine admiratione conglutinant absque ullâ inflammatione aut apostemate: lenit enim dolorem, sanguinisque fluxum cohibet; breviter, nullo alio medicamento adhibito omnino ad cicatricem perducit: singulare etiam perhibent esse remedium adversus nervorum punctiones & vulnera. *Alia huius stirpis utendæ ratio.*

EODEM præterea modo adhibetur in apostemate aperto ad emundandum, carnem generandum, & ad cicatricem perducendum: item in inveteratis ulceribus & cuniculosis, in quibus ea solummodo trita interdum apponitur. *Vires variæ.*

QVIA porrò certissima sunt hujus plantæ, quæ enumeravi, remedia: vulgaris illorum usus est in universis illis provinciis, & magnæ æstimationis: multi præterea alii, qui inde navigant, unguentum ex hac herba cum oleo & cerâ confectum, secum efferre solent, tantam fiduciam in eo collocantes, quasi omnia Chirurgica remedia apud se haberent: itaque quacunque occasione, in qua chirurgorum opera requiri posset, subitò ad unguentum ex herba Malucana confectum confugiunt, tanquam indubitatum remedium. *Vnguentum omnia chirurgica remedia continere creditum.*

De Sargaço.

CAPVT LX.

IN celebri illa nec minus metuendâ navigatione *del Sargaço* (sic enim totum illud Oceani spacium à decimo octavo gradu ad trigesimum quartum ab æquinoctiali ad Septentrionem tendens, qui in Indias navigant, appellant) conspicitur profundum & spatiosum æquor tectum herba quadam *Sarguaço* nuncupata, palmum longa, tenuibus ramulis in glomos convoluta, foliis angustis, tenuibus, & dimidiam unciam longis, in ambitu admodum serratis, colore subrufo, gustu insipido, sive insensibili mordicatione prædito, qui potius ex aquæ salsugine contractus, quàm ipsi plantæ innatus videatur. Ad singulorum foliorum exhortus inhæret semen rotundum uti granum piperis inanis & vacui, tenui * corallio albo, interdum autem corallio rubro & albo omnino elaboratum, tenerum admodum dum primùm ex aqua educitur, & durum si exsiccari sinatur, sed propter tenuitatem admodum fragile, salsa aqua plenum. Nulla radix in hac planta conspicitur, sed sola rupturæ vestigia apparent, atque in profundo arenosoque maris alveo nasci, tenuesque radices obtinere credibile est, tametsi nonnulli opinentur rapido aquarum, quæ ex multis insulis in Oceanum influunt, cursu istam herbam evelli & simul trahi. Cùm eam opinionem *Vbi Sargaço invenitur.* ** Legendum fortasse tenui colore albo, interdũ autem rubro & albo coloribus mixtis tinctum, tenerum, &c.*

nem pertinaciter tueretur nauclerus illius navis qua vehebar, subortaque esset inter navigandum hoc mare malacia, quantum acies oculorum extendi potuit, id undique istâ plantâ contectum vidimus; demissisque nonnullis junioribus nautis qui eam herbam à navi propellerent, aquamque repurgarent, apertè conspeximus ejus herbæ glomos simul implexos ex alto mari emergentes, ubi demissâ bolide nullus fundus tentari potuit.

Eius plantæ præstantia. HÆC planta aceto & sale condîta ejusdem saporis est cum Crithmo, sive fœniculo marino, & in ejus penuriâ sumi posset, tum etiam Capparum loco à navigantibus edi. Iussi illam recenter è mari sumptam capris, quas in navi vehebamus, obiici; & avidè sanè vescebantur.

Facultates. NVLLAS ejus facultates comperi: sed quidam è nostris nautis urinæ difficultate laborans, & arenulas crassosque humores eiiciens, crudam eam & coctam fortè edit, quoniam illi bene saperet; paucos post dies affirmavit mihi magnum ex illius esu se sentire commodum; secumque detulit, ut, peractâ navigatione, in continenti uteretur.

Lenticula Marina. * *Considerandum an non sit Lenticula marina serratis foliis nostri Lobelii, cuius iconem inter marinas stirpes ad Observationum calcem exhibet.*

FINIS.

CAROLI CLVSI ATREBATIS

EXOTICORVM

LIBER DECIMVS:

SIVE

SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM

ex novo orbe delatorum, quorum in Medicina usus est,

HISTORIA,

Hispanico sermone tribus libris descripta à D. NICOLAO MONARDO, *Hispalensi Medico*;

Latio deinde donata, & in unum volumen contracta, insuper locupletibus scholiis iconibusque affabrè depictis illustrata à CAROLO CLVSIO Atrebate.

QVARTA EDITIO,
auctior & castigatior ex postremâ Auctoris recognitione.

CAROLVS CLVSIVS candido Lectori.

NON uno & eodem tempore in lucem proferebat Doctor Nicolaus Monardus Hispalensis Medicus hanc simplicium Medicamentorum è novo Orbe delatorum Historiam, sed per intervalla, prout videlicet ab iis qui ex America revertebantur medicamentorum facultates intelligebat. Nam initio Primam dumtaxat partem evulgabat: deinde quùm plurium notitiam adquisivisset, Alteram addebat, cum qua priorem, cuius exempla iam desierant, typis denuò exprimendam curabat. Istas duas partes anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo tertio nanciscebar, & ex Hispanico idiomate, quo descriptæ erant, in Latinum sermonem convertebam: quia autem in Secunda parte multa medicamenta repetebat, de quibus in Prima iam egerat, quòd plures facultates iam descriptis obtinere intellexisset: idcirco duas illas Partes in unum Librum contrahebam, & aliquot capita scholiis illustrabam. Eum Librum è Belgio discedens ad Cæsarem Maximilianum huius nominis II. evocatus, viro mihi amicissimo Christophoro Plantino relinquebam, quem insequente anno typis exprimebat. Illo ipso anno Monardus Tertiam partem simplicium Historiæ publicabat maiusculâ formâ, atque binas priores partes denuò adiungebat. Postremam illam editionem in Anglia, ubi quorumdam negotiorum causâ anno octogesimo primo Christi supra millesimum & quingentesimum hærebam, nactus, Tertiam partem Latinam etiam faciebam, & cum superioribus intra decennium bis evulgabam. Nunc porrò quum denuò cudendæ essent, & animadverterem pleraque medicamenta etiam in Tertia illa parte contineri, quæ vel eadem essent, vel magnam saltem affinitatem haberent cum iis de quibus binæ priores partes agunt: consultum fore putavi, si seriem à Monardo observatam immutarem, & ipsa medicamenta capitibus distincta paullò concinniore ordine quàm antè fuerant (meâ quidem opinione) distribuerem, unumq; Librum ex tribus illis partibus conficerem, & locupletiora scholia ad pleraque capita adiicerem: nihil tamen prætermittens eorum quæ à Monardo sunt exhibita, præter ineptas quasdam icones, quarum loco plerasque veras & legitimas reposui. Tu Candide Lector boni consule hanc nostram operam, & eâ fruere.

SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM EX NOVO ORBE DELATORVM, quorum in Medicina uſus eſt, HISTORIA.

De Copal & Anime.

CAPVT PRIMVM.



VO reſinarum genera multum ſimilia ex Hiſpaniâ novâ adferuntur; quorum unum *Copal* vocatur, alterum *Anime.*

COPAL reſina eſt admodum candida, & lucida, & tranſparens, magnis fragmentis, Diacitro valdè tranſparenti haud diſſimilibus; ſatis odorata, ſed non perinde ut Anime. Eâ Indi in ſuis ſacrificiis ſuffumigii loco utebantur, hancque ob cauſam Sacerdotibus in templis ſuis frequenti in uſu; adeò, ut cùm Hiſpani noſtri primùm illuc appellerent, hujuſmodi ſuffitibus naribus eorum admotis exciperentur.

Copal.

VTILIS eſt ad frigidos capitis morbos, & Thuris aut Anime vicem explet. Calida ſecundo gradu, humida primo. Reſolvit ac emollit, ob partes quas habet aqueas.

ANIME arboris eſt lacryma ſeu reſina, alba, ad Thuris colorem nonnihil vergens, verùm Copali magis oleaginoſa. Defertur granis Thuris, ſed craſſioribus, quæ confracta luteum colorem oſtendunt inſtar reſinæ: gratiſſimi ac ſuaviſſimi eſt odoris; & prunis impoſita, facilè conſumitur.

Anime.

DIFFERT ab Anime Orientali, quòd neque tam candidum, neque tam lucidum ſit. Orientale item magnis fragmentis adfertur tranſparentibus, * ita ut nonnulli Charabe ſeu Succini ſpeciem eſſe ſuſpicati ſint, quam Ambarum colliquatum nuncupant, è quo ſphærulæ precariæ tornantur, cùm nihil ſit minùs: nam Charabe Bitumen eſt, cujus magna fragmenta hamis ferreis è mari Germanico eruuntur, utpote quod è fontibus in ipſo mari manat, Bituminis modo, atque aëri expoſitum ſtatim cogitur & denſatur, ut conjicere licet ex bacillis, & aliis maris purgamentis, quæ in fragmentis illis conſpiciuntur. Vnde eorum error colligitur, qui Populi lacrymam aut Pini eſſe putârunt. Hermolaus Barbarus, vir doctiſſimus, ait Anime Orientale colligi vicinis locis pago, in quo Thus naſcitur, & ab illius pagi nomine, Anime vocari.

Anime orientale.
Ambarum colliquatum.
Charabe, & eius natales.
Succinum non eſt lachryma.

NOVÆ Hiſpaniæ Anime colligitur ex arboribus mediocris magnitudinis, vulneratis, non aliter quàm Thus aut Maſtiche.

Anime Americum.

HVIVS uſus eſt in pleriſque, ſed capitis præſertim morbis, à frigiditate provenientibus, & defluxionibus purgationes ſubſequentibus, cubiculis per hiemem (etenim aërem purgat) & capitis operimentis, dormire ſub noctem volentibus, ſuffitis, quinetiam ipſo capite, ſi qui cephalæâ & hemicraniâ laborant: nam caput roborat.

Anime facultates.

MISCETVR emplaſtris & Ceratis, ubi roborare, & frigidos humores, flatuſque reſolvere opus eſt. Thuris vicem ſupplet, cùm in ſuffitibus, tum in jam dictis. Cerebrum roborat, emplaſtri modo adhibitum, atque etiam ipſum ventriculum reliquaſque partes nervoſas, Cerati modo, tertiâ parte ceræ admiſtâ; atque ſic geſtatum diutiùs, & ſubinde renovatum, frigiditatem è quacunque corporis parte elicit. Calida eſt ſecundo gradu, humida primo.

Gomara in Mexicanâ Hiſtoriâ duo Copalis genera facit; alterum rugoſum, quod Xolochcopalli vocari dicit, molle, Thuri ſimile: alterum, multo præſtantius, Copalcahuitl, quod plerique myrrham exiſtimârunt. Vulneratâ arbore guttatim ſtillat liquor albus, qui ſtatim concreſcit.

Xolochcopalli.
Copalcahuitl.

CÆPIT *porrò iam à paucis annis ex Occidentali India liquor quidam inferri Olei de* Copal-yva *appellatione, quod, an ex gummi hoc cap. deſcripto ſit eductum, me latet: valdè tamen commendari & perutile eſſe intelligo ad vulnera recentia curanda. Eius verò duo eſſe genera videntur: nam ab honeſtiſſimo humaniſſimóque viro Petro Gareto, ſub extremum annum* M. D. XCVI. *vaſculum olei illo nomine inſigniti accipiebam, fulveſcentis craſſiuſculæq; ſubſtantiæ, inſtar Balſami illius quod ex Hiſpaniola inſula defertur: alterius autem generis vaſculum ſub idem tempus à vetere amico Franciſco Peninio, viro docto & humaniſſimo, multo liquidioris candidiorisq;, non minùs tamen odorati priore.*

Olei de Copal-yva duo genera.

* *Qui*

* *Qui plura de Orientali Anime volet, legat nostra scholia in cap. 8. lib. 1. Historia Aromatum. Nobilioris illius Orientalis Animefragmento, quod aliquot uncias pendebat, donabat à doctißimo Hugone Morgano, Pharmacopola Londinensi.*

Toçot-guebit. *Refert Fragosus, in India Occidentali arborem inveniri Toçot-guebit, id est, lignum desiderii seu exoptatum, dictam, Populo similem, summi candoris, cuius materies, ob candorem, lævorem, & splendorem, summè expetebatur ad idola fabricanda. Sub eius cortice nascitur Gummi seu Resina, Thuri nostro similis, sed candidior, & minoribus fragmentis, quo istic utuntur; ut nos Thure.*

De Tacamahaca.

CAP. II.

Tacamahaca. DEFERTVR item ex Nova Hispania aliud Gummi seu Resinæ genus, ab Indis *Tacamahaca* vocatum, quod nomen Hispani retinuerunt. Colligitur vulneratâ arbore, magnâ ut Populus, admodum odoratâ, cujus fructus ruber est, Pæoniæ seminis modo.

Tacamahaca facultates. PLVRIMVS hujus usus est apud Indos, præsertim in tumorum omni genere: nam eos mirabiliter resolvit, maturat, & tollit, uti etiam omnes dolores ab humoribus frigidis & flatulentis provenientes.

COLORE est Galbani (nec desunt qui idem esse putent) unguibus albis, uti Ammoniacum, odore gravi, atque etiam sapore, ita ut prunis iniecta, & naribus admota, mulieres uteri suffocatione laborantes ilicò liberet. Vmbilico emplastri modo imposita, uterum suo loco retinet: ad quos usus adeò mulieribus est familiaris, ut ab eis maximâ ex parte absumatur, quandoquidem efficacia experiantur ipsius remedia, cùm in uteri suffocationibus, tum in roborando ventriculo. Nonnullæ delicatiores ámbarum & moschum addunt. Maximè utilis est, ad resolvendos & tollendos omnes dolores, ab humoribus frigidis & flatulentis provenientes, emplastri modo adhibita. Ejusdem est efficaciæ in tumoribus frigidis, quos resolvit, maturat, & absumit ilicò. Non liquescit, sed ita tenaciter semper adhæret, ut auferri, nisi opere absoluto non possit.

EXPERIMENTO comprobatum est, qualescunque defluxiones reprimere, linteo exceptam, & ad utramque aurem, aut eam, ad quam fit defluxio, adpositam. Temporibus adhibita cerati modo, defluxum in oculos, aliasque faciei partes detinet. Dolorem dentium sedat, dentibus, etiam corruptis, indita: atque si hac dens corruptus ustuletur, prohibet ne corruptio longiùs serpat. Pectori & humeris ut emplastrum imposita, dolores eorum finit.

Emplastrum stomachicum. EX eâ, Styracis tertiâ parte & Ambari momento, fit emplastrum stomacho longè utilissimum: siquidem illum roborat, appetitum ciet, concoctionem juvat, & flatus discutit. Eodem modo cerebro imposita, eum roborat, & dolores aufert. Magnæ est efficaciæ, in doloribus coxendicis, & omni articulorum morbo, præsertim si ab humoribus frigidis aut mixtis proveniant: quoniam præter resolvendi facultatem, etiam adstrictionis particeps est; qua de causa mirum in modum partes roborat.

SOLA juncturarum aut nervorum vulneribus imposita, ea curat: nam statim suppurat & spasmum prohibet. ego tertiam partem ceræ admisceo, ut faciliùs inducatur.

IN summa, adeò celebris est ejus usus, ut plebs ad qualemcumque dolorem aliud remedium non nôrit, modò non sint inflammationes admodùm calidæ: sed & in his admodùm utilis est, in morbi declinatione, ad discutiendum, qui supererat, humorem. Calida est initio tertii gradus, multæ adstrictionis particeps, & sicca in secundo.

De Caraña.

CAPVT III.

Caraña. EX Continentis parte interiore, per Carthaginem & Nomen Dei, defertur resina colore Tacamahacæ, sed splendidior, liquidior, ac densior, linguâ Indicâ *Caraña* dicta, quod nomen etiam apud Hispanos retinuit, odore Tacamahacæ, sed graviore. Pinguis est & oleaginosa, ideoque tenax sine multa adglutinatione & colliquatione. Medicamentum nouum est, quod decem annis elapsis primùm huc illatum est.

Caraña facultates. EA utuntur Indi in tumoribus & omnis generis doloribus. Ad eosdem morbos laudatur, quos Tacamahaca curare solet, & minore temporis spatio vires suas exerit: sic ut quos Tacamahaca non curârit, Caraña sanet. Exemplum vidimus in eo qui ob humeri cruciatus jam multo tempore brachium movere non poterat, tametsi Tacamahacâ

hacâ usus esset: sed postquam Carañâ uti cœpit, triduo sanitati restitutus est.

MIRA est ejus vis in juncturarum doloribus: nam imposita, facilè illos curat, modò nulla sit calidorum humorum influxio. Tumores inveteratos dissolvit, defluxiones humorum frigidorum aut mixtorum sistit: ad quosvis nervorum & cerebri dolores valdè utilis: Vulneraque recentia, nervorum præsertim & juncturarum, nullo alio admixto medicamento sanat. Defluxiones in oculos & alias partes reprimit, ponè aures atque temporibus imposita. Excedit secundum caloris gradum. Colligitur uti superiores, vulneratis arboribus.

SED ex eâdem Carthagine novi regni provinciâ, allata ad nos est Carañа quædam purior, & Crystalli modo limpida, superiore multo præstantior, utilior, & odoratior. *Caraña purior.*

Oleum Cicinum.

CAPVT IV.

GELISCO, novæ Hispaniæ provinciâ, oleum seu liquor quidam adfertur, cui Hispani, Oleum ficus infernalis, nomen indiderunt, eo quòd ex arbore cùm fructu, tùm foliis simili Ricino (sed in majorem altitudinem, ob soli ubertatem, excrescente) elicitur. *Oleum ficus infernalis.*

EADEM verò ratione hoc oleum Indi eliciunt, quam docuit Dioscorides lib. I. cap. 30. hoc est, contuso semine, deinde in aquâ cocto, postremùm oleo innatante cochlearibus excepto. Hæc eliciendorum oleorum ratio è seminibus & fructibus, Indis admodum familiaris est, quippe qui nullam expressionem nôrint: sed etiam hoc oleum isto modo quàm expressione faciliùs elicitur. *Oleorum eliciendorum ratio.*

MAGNIS viribus pollet istud oleum, veluti experientiâ, & multo ejus usu comprobatum est, cùm in India, tum in his regionibus. Omnes morbos ab humoribus frigidis provenientes sanat, omnes tumores dissolvit, flatusque discutit, præsertim ventris; eamque ob causam non modò in Anasarcâ utile, sed in omnibus hydropisis generibus, si, ventre illo inuncto, aliquot guttæ vino aut alio liquore commodo exceptæ sorbeantur: etenim aquas evacuat; quod etiam minore noxâ facit, clysteribus injectum. Ventriculum frigidis humoribus & flatibus liberat: & coli doloribus utile, si partes affectæ eo inungantur, & aliquot guttulæ sumantur. Efficaciùs subvenit Ilei doloribus, ut experientiâ didicimus. Articulorum morbis, à causâ non admodum calidâ natis, auxiliantur, humorem evacuando, si aliquot hujus olei guttæ pingui iure gallinæ dissolutæ sumantur. Contractos artus, si eo inungantur, curat, nervos molliter distendendo. Stomachum, uterum, & lienem obstructionibus liberat inunctione. Alvum puerorum emollit, illito toto ventre, atque ventris animalia pellit, maximè si ejus una aut altera gutta è lacte aut jure pingui propinentur. Ad psoras & ulcera capitis manantia valet: confert aurium doloribus, & surditati; omnibus prætereà cutis vitiis, præsertim faciei; varosque mulieribus plerumque infestos, illitu expurgat. *Olei Cicini facultates.*

CALIDVM est initio tertii gradus, humidum secundo.

RICINVS AMERICVS.



Hoc Ricini genus ego vidi, quod ante aliquot annos ex Americâ adferri cœpit, vulgari paulo maius, cuius operimentum seu siliqua illa triangula quæ semina continet, tuberculis asperis non est obsita, ut in vulgari; sed lævis & cinerei coloris. Ipsum granum sive semen vulgari simile, nigrum tamen & non maculosum ut illud, mirificâ (ut aiunt) purgandi facultate præditum: nam etiamsi dimidia tantùm vnius grani pars sumatur, valenter supernè & infernè purgare referebat qui mihi dabat, & Curcas istic ab incolis vocari.

Deinde illis prorsus similes integros & suo involucro exemptos mihi mittebat anno M. D. I I C. honestiss. vir Wilhelmus Parduyn.

ET quandoquidem in Ricini mentionem incidimus; videre memini, dum Hispanias peragrarem, circa Malacam, & Calpen ad fretum Herculeum, aliisq; maritimis Bæticæ locis, Ricini plantas crassitudine humanâ, altitudine verò trium hominum, multis prægrandibus ramis brachiatas instar aliarum arborum: hi rami (multis enim annis durat arbor) tertio aut quarto quoque anno putari solent. Exactissimè sanè conveniebant Dioscor. descriptioni. Refert etiam Bellonius lib. I. observat. cap. 18. magnas in Cretâ insulâ Ricini arbores se observasse. An verò his similis sit ea arbor quæ Curcas Americorum profert, planè ignoro, cùm qui inde fructum attulisset, arboris formam describere non posset, & siccum, qualem hic exhibeo, dumtaxat viderim.

Bitumen.

CAPUT V.

Bitumen. *Naphtha.*

IN Cuba inveniuntur fontes juxta littus maris, Bitumen nigrum picis instar emittentes, gravis odoris; quo Indi in morbis frigidis utuntur. Hispanis servit picandis navibus, quia pici navali similis est, sed sevo admisto, ut meliùs induci possit. Veterum Naphtham esse puto, cujus duos fontes Babylone inveniri Posidonius refert, albæ & nigræ.

Bituminis facultates.

NOS hoc Bitumine utimur in uteri morbis, quòd eum suffocatione liberet, naribus admotum, aut vulvæ inditum.

CALIDUM est in secundo gradu, & humidum in primo.

Bitumen Fossile.

CAP. VI.

Bitumen Collaicum.

IN Collao provinciâ Peruanâ locus quidam est prorsus nudus, in quo nulla arbor, nulla planta crescit, quoniam terra bituminosa est, ex qua Indi liquorem eliciunt ad plurimos morbos curandos utilem. Eum verò hac ratione eliciunt:

Bituminis eliciendi ratio.

TERRAM in cespites scindunt, quos loco Soli exposito, supra perticas aut crassiores arundines disponunt, & vasa ad excipiendum liquorem apta subiiciunt: nam Solis ardoribus liquescit hoc bitumen, aut succus terrâ inclusus, remanentibus cespitibus siccis & sine pingui aliquo humore, ad focum struendum aptis, quia eo loco & ligna & alia struendo igni idonea desunt: is tamen ignis noxius est, ob densam fumi nigredinem, & tetrum quem excitat odorem: nihilominus alterius materiæ penuriâ, jam dictis cespitibus utuntur.

Facultates.

LIQUOR exceptus multis morbis prodest, præsertim ex frigore prognatis: nam dolores mitigat, & frigidos tumores discutit: curantur eo vulnera, & reliquæ ægritudines, quibus Caraña & Tacahamaca utiles sunt. Rufi coloris ad nigredinem tendentis est, & gravis ejus odor.

PETRUS *de Cieça parte primâ Chronici Peruani cap. 4. lib. 52. meminit Bituminis nigri circa Promontorium D. Helenæ nascentis, quo vel naves tamquam pice induci possent. Meminit etiam Augustinus Çarate cap. 5. lib. 1. Peruanæ Historiæ.*

Bitumen Pannonicum.

CETERUM *liquidum huiusmodi bitumen anno à Christo nato* M. D. LXXIX. *in ea Pannoniæ parte quæ inter Muram & Dravum est, paucis supra eorum confluentes milliaribus observabam, quum Illustris Heros Balthasar de Batthyan, hæreditarius Dapiferorum Regni Ungariæ præfectus, in ditionem quam istic & ultra Dravum possidet, duceret: nigrum verò id erat, odoris gravis, & nares è longinquo ferientis, dulci tamen sapore præditum, palustri loco, in quadam lacunâ* Pökel, *hoc est, infernus appellatâ, scaturiens, ad pagum* Pökelnieza, *quo rustici dumtaxat ad inungendos curruum axes, calceósque & ocreas emolliendas utebantur. Atqui non dubium est, quin ad plurimos morbos utile esse posset, si eo uti nossent; præsertim autem ad frigidos tumores discutiendos, & ea vitia quibus suum bitumen prodesse noster Auctor scribit.*

Ambarum.

CAPUT VII.

Ambar Griseum.

NUNC mittit nobis Florida novi orbis provincia *Ambar* quod vocant *Griseum*; idque in littus ejectum invenitur à Canaveral ad promontorium usque D. Helenæ.

Ambar bitumen est.

VARIA est circa ejus originem opinio: sed verissimum est, Bituminis genus esse ex fontibus in alto mari manans, quod aëri expositum, illicò densatur, ut solent pleraque, quæ sub marinis aquis tenella & mollia sunt, at aquâ exempta, durantur, ut Corallium, Succinum.

SOLUS Simeon Sethi & Aëtius inter Græcos ejus meminerunt: è quibus prior, Bituminis modo è fontibus suis manare asserit; pessimumque id esse quod à piscibus devoretur.

Ambar non est sperma Balenæ.

INDE convellitur eorum opinio, qui Balenarum sperma esse asserunt, ex eo decepti, quòd interdum in Balenarum ventriculis inveniatur, quæ illud aquis innatans nonnunquam devorant, alimentum esse existimantes.*

VERUM est, meo tempore Balenam circa Canarias, quas fortunatas insulas putant, captam, in qua inventæ sunt plus quàm quatuor Ambari arrovæ [*ponderis apud Hispanos genus quod 25. libras pendet*] sive centenæ libræ: postea tamen infinitas Balenas cum suis catulis interfecerunt, sed nihil Ambari in eis inventum est.

SED

SED & qui ex Florida adveniunt, referunt Balenas in illo mari versari: quas tametsi cum suis catulis necârint, in neutris Ambram reperisse. Illos catulos porrò Americani summa dexteritate in hunc modum capere solent. Sumpto longo & forti fune cui innexus sit laqueus, cymbam ingreditur Americanus, & Balenæ cum suis catulis advenienti obviam progreditur: uni ex catulis vicinior factus insilit, & laqueo rostrum induit. Ilicò id sentiens catulus in altum se mergit unà cum Americano ipsum amplexante (summi etenim natatores sunt Americani, diuque in aqua persistere queunt) Balenæ autem catulo respirare volenti, summum æquor repetere necesse est: interea Americanus per ejus nares, sive meatus illos quibus respirat, cuneum vel paxillum acuminatum pugno adigit, ut minimè excuti possit: deinde laxato fune suam cymbam conscendens illum subsequitur, donec obstructis meatibus respirare nequiens, suffocetur, & in terram eiiciatur. Iucunda sanè, at non minùs periculosa est ista venatio: sed adeò industrii & agiles sunt isti Americani, ut etiam Caymanem (Lacerti sive Crocodili genus est binos, & triginta pedes longum) ferocissimum omnium, quæ in mari versantur, beluarum, unus Americanus occidere queat.

NON desunt qui Ambar ex fructu quodam ad maris littus nascente fieri dicant, qui Aprili & Maio mensibus maturescit, & odoratus est, quem decidentem vorant Balenæ; quasi fructus in alimentum cedens, aliud quàm sanguinem & carnem generare possit.

OPTIMI delectus est, ut nonnihil ad rubedinem tendat; album non æquè bonum, nigrum deterrimum. *Ambari delectus.*

EXCALFACIT, resolvit, roborat, quocumque tandem modo applicetur: nam calidi est temperamenti & sicci, cum pinguedine quadam, quâ emolliendi facultate præditum est.

VARIÆ sunt Ambari facultates: nam cum oleo florum mali Arantii sive Assyrii in calente mortario permixtum, & unguenti modo capiti illitum, illius dolorem levat, cerebrum roborat & nervos, & frigidos qui infarcti sunt humores resolvit: ad eadem efficax, emplastri modo cum Alypta muscata assiduè gestatum. *Ambari facultates.*

EIUS solius, aut cum moscho & ligno aloës permixti, olfactu cerebrum roboratur, memoria augetur, spiritus vigor & cordis vires reficiuntur: ideoque in pestis contagiis illius odor adprimè utilis est; nec minùs his qui frigidis defluxionibus vexantur, convenit, si capitis tegmina, atque etiam cubiculum ubi dormiunt, per hiemem eo suffiantur.

MAXIME prodest senibus, quòd illorum spiritus vegetet, cor & cerebrum roboret, & crassos lentosque humores, quibus plurimùm abundant, extenuet, sive cibis indatur, sive vestes suffiantur, sive cerebro cordisque regioni applicetur, sive vino, quo sibi faciem & manus abluunt, permisceatur.

SCOBI magnetis, galbanoque miscetur; & emplastri modo mulierum umbilico impositum, uterum suo loco retinet, & reliquos ejus morbos profligat: ejus autem assiduus odoratus prodest uteri procidentiis; suffocationibus verò, in Liquidambar dissolutum, & xylo exceptum, uterique ori inditum.

STERILITATI à frigidis humoribus ortæ, hac compositione mederi soleo, quæ recipit Ambari partes duas, rasuræ eboris tenuissimè tritæ unam, pulveris ligni aloës partem dimidiam, cum algaliæ momento: fiunt catapotia, quorum tria pendentia drachmam unam singulis triduis dabuntur, & emplastrum umbilico, pessum uteri colo imponetur, purgatis tamen priùs uti decet. *Catapotia pro sterilibus.*

EX eo, alypta moschata, & styrace fit emplastrum scuti forma, quod stomacho adpositum, ipsum doloribus liberat & excalfacit. Ex eadem massa factæ pilulæ, & manè sumptæ, flatus discutiunt, concoctionem juvant, & appetentiam excitant: idem præstat ex vino odorifero manè sumpta hæc massa. *Emplastrum ex ambaro.* *Catapotia alia.*

TRITVM ambar & cerâ flavâ exceptum, cordis regioni utilissimè imponitur, ad sedandos dolores à flatibus aut alia quavis causa (modò calida non sit) provenientes.

EADEM ratione quâ senibus, melancholiâ laborantibus etiam convenit, & paralyticis, si eo aut ejus mixturâ suffiantur, aut cerebrum totaque spina eo inungantur: etenim Ambar præ cæteris medicamentis nervos & cerebrum roborat. Quinetiam epilepticis fumus illius, naribus exceptus, convenit, siquidem illos excitat, &, si assiduè id odorentur, non tam facilè, neque tam vehementer eo morbo corripiuntur.

ILLVD admiratione dignum, quod Simeon Sethi scribit: Si quis Ambar odoretur antequam vinum bibat, eum veluti ebrium ferri; si verò initiatur vino, maximè inebriare. *Ambar inebriat.*

* *Quid sit Ambarum, consule scholia quæ postremâ hac editione adiecimus ad caput De Ambaro Histor. Aromatum Garciæ ab Orta.*

Liquid-Ambar & eius oleum.

CAPVT VIII.

RESINA quam *Liquid-ambar*, & oleosum quiddam, quod oleum de *Liquid-ambar*, vocamus, ad nos ex Hispania nova adferuntur, utrumque odoratissimum, præsertim oleum, quod delicatioris & suavioris est odoris.

Liquid-ambar. Ocoçol. EST verò Liquid-ambar resina effluens incisis arboribus vastæ magnitudinis, pulchris & ramosis, cujus folia hederaceis similia sunt, *Ocoçol* Indi vocant, cortice crasso, cinereo, qui incisus aut vulneratus crassum Liquid-ambar ejaculatur, cui cortex comminutus, odoris causâ admiscetur, ut scilicet suaviùs & diutiùs spiret in suffitibus.

VBI nascuntur ejusmodi arbores, fragrantissimus est aëris odor, adeò ut Hispani primùm eò appellentes, istic aromata nasci, atque adeò eas aromatiferas esse arbores existimarent.

TANTA quantitate in Hispaniam infertur Liquid-ambar, ut mercium vicem suppleat, utribus & doliis eo impletis: eo etenim hîc utimur in suffitibus, odoramentis, pastillis, Styracis liquidæ loco, cujus odor proximè ad hunc accedit: adeò autem validus est, ut celari, etiam suffitibus non additum, non possit, & totas ædes, si ejus sit copia, atque adeò plateas suo odore impleat.

Liquid-ambar facultates. PLVRIMVS in medicina illius usus: nam calfacit, roborat, resolvit, & anodynum est. Cerebrum, per se illitum, aut aliis aromatibus admixtum, roborat, & doloribus liberat, omnigenosque dolores à causa frigida, emplastri modo impositum, mitigat. Ventriculo adprimè utile, stomachici instar adhibitum: ipsum etenim roborat, concoctionem juvat, digerit, concoquit, & appetentiam excitat.

CVM Styracis, Ambari, & Moschi momento mixtum emplastri consistentiâ, & scuti formâ super alutam extensum, omnibus prædictis morbis maximè prodest, ejusque emplastri ob insignes facultates in hac urbe laus est. Calidum in fine secundi gradus, humidum in primo.

Oleum de Liquid-ambar. EX eo recens collecto, & istic reposito ubi per se tenuior ejus substantia stillare possit, oleum quod *de Liquid-ambar* nuncupant, elicitur, multo perfectissimum, illoque longè suavius. Sunt qui expressione etiam eliciant, ut majorem quantitatem colligant: nam chirothecis imbuendis plurimum absumitur.

Eius facultates. VTILE est medicamentum ad plerosque morbos frigidos; nam calfacit, resolvit, & omnem tumorem emollit: itaque uteri tumoribus, & obstructionibus prodest, mensesque provocat: Calidum ferè tertio gradu.

SCIENDVM tamen est, plerosque liquidam istam styracem ex India inferre non perinde bonam, quia è ramis ejus arboris comminutis & coctis pinguedinem innatantem colligunt, venduntque pro legitimo.

EIVS arboris pampini & summitates in fasciculos collecti, vestibus & stragulis ab Indis inseruntur, odoris gratiâ, in eumque usum Hispanis etiam vendunt.

Balsamum.

CAPVT IX.

Balsamum. LAVDATISSIMVS ille liquor, qui, ob excellentes & mirabiles effectus, *Balsamum*, ad veri Balsami (quod in Ægypto nascebatur) imitationem, nuncupatur, in Hispania nova elicitur ex arbore Punicâ malo majore, cujus folia, urticæ similia, serrata & tenuia sunt, Indi *Xilo* [Gomora *Zilo*] vocant.

Balsami extrahendi duplex ratio. Prior. Altera. FIT autem duobus modis. Vno, multis incisuris vulnerato arboris cortice, qui tenuis est, è quibus liquor emanat, tenax, subalbidus, excellentissimus & perfectissimus, sed adeò pauca quantitate, ut ad nos non inferatur. Altero, Indis admodum familiari, in eliciendis succis ex quavis arbore: Ramos atque etiam truncos arboris assulatim & minutim concisos, in lebetem amplissimum iniiciunt, multâ desuper adfusâ aquâ: bulliunt omnia & fervent quantum satis esse putant: igne sublato, frigescere sinunt, & conchyliis oleum supernatans colligunt. Id verò est, quod in has regiones invehitur, & quo vulgo utimur, colore ex nigro rubente, odoris suavissimi. Vasculis argenteis, vitreis, stanneis, aut fictilibus vitratis asservatur, aliam omnem materiem penetrans.

IN medicina hujus usus receptus est, non nuperrimè, sed statim eo ferè tempore quo Hispania

Hispania nova nobis patefacta est: nam cùm Hispani Indos sua vulnera hoc succo glutinare animadverterent, illos statim imitari cœperunt.

Cvm primùm in Hispaniam illatum est, ob ejus insignes facultates magnâ fuit, ut decet, æstimatione: illius uncia modò viginti, modò decem ducatis æstimabatur; at nunc temporis, ejus libra non pluris quàm tribus aut quatuor ducatis æstimari solet. Romam primùm delati uncia centum ducatis veniit: postea, tantâ quantitate illatâ, vilescere cœpit, & etiam gratis quodammodo dari, ut solet in rerum abundantia sive raritate plerumque contingere. Nam cùm magno veniret, omnes ejus virtutes admirabantur atque requirebant: postquam verò imminutum est pretium, non æstimatur, cùm tamen idem Balsamum sit quod fuit cùm centum ducatis uncia venderetur. *Balsami æstimatio.*

Et sanè, licet nihil aliud nobis intulissent Indiæ, quàm hoc mirabile Balsamum, Hispanorum tamen labor in illis investigandis non inutilis existimandus est: etenim jam multis annis periit* id Balsamum quod in Ægypto nasci solebat, nec usquam gentium amplius invenitur: idcirco nobis Deus opt. max. illius loco Balsamum novæ Hispaniæ dedit, quod meo judicio inferius non est Ægyptiaco, si mirabiles ejus effectus & utilitates consideremus.

Trifariam verò in medicum usum recipitur: nam aut interiùs assumitur, aut exteriùs inducitur, aut medicamentis chirurgicis admiscetur. *Balsami triplex usus.*

Intvs assumptum manè jejuno ventriculo, asthmaticis utile est, & vesicæ doloribus: menses etiam ciet, ut & pessi modo subditum. Ejus quatuor aut quinque guttulæ vino aut aquâ rosaceâ in cochleari exceptæ, & diluculo sensim in guttur instillatæ, sic ut linguam non contingant (nam Balsami sapor diutius in ore hærens forsitan nauseam etiam moveret, nonnullis sanè cibi appetentiam dejecit) veteres stomachi dolores finiunt, ipsum roborant, coloremque commendant & anhelitum. Iocinori prodest, obstructiones aperit, atque juventam conservat. Magnæ existimationis vir mihi probè notus, ab ejus usu nullos dolores sensit, & tametsi senex, tam validus est, ut juvenis videatur. Phthisicos levat, & sterilium uterum expurgat, pessi modo adhibitum. *Interiùs assumptum.*

Foris, calidum cum plumula illitum, omnes cruciatus ex humoribus frigidis provenientes tollit, præsertim si linteum Balsamo delibutum adponatur. Tumores œdematodes discutit & absumit: quamlibet corporis partem roborat. Capiti illitum, cerebrum reficit & fovet; omnemque humorem noxium absumendo, dolores tollit. Paralyticis succurrit, cerebro, cervice, spinâ, & eâ parte quæ paralysi tentata est, inunctis: eâdem ratione ad omnes nervorum morbos & contractiones utile est. Stomacho illitum, eum roborat, concoctionem juvat, & flatibus obstructionibusque liberat, sicuti & lienem, quem etiam emollit. Nephritidem, nec non ventriculi dolores à causa frigida aut flatibus ortos, calidum loco dolenti impositum sedat: idem præstat pani calido inditum, sicque adpositum. Vrinam ciet & expellit illitum. Summè laudatur in articulorum doloribus, præsertim coxendicum, quòd omnem duritiem & tumorem residuum discutiat. *Foris additum.*

Cheirvrgicis remediis inditum, valde utile est: & quia molestum esset omnia enumerare, ejus judicio relinquo, qui illo utetur, ut id scilicet aliis medicamentis commisceat, quæ ad rem utilia esse judicabit. Vulgare sanè admodum est eo in recentibus vulneribus uti; nam statim illa sine suppuratione glutinat, quinetiam in iis utile, ubi contusio adglutinationem impedit; quòd statim digerat, & reliqua præstet quæ ad vulneris usque glutinationem necessaria sunt, ut non abs re Pauperum cheirurgia censeri possit: eaque de causa paucæ sunt in hac urbe ædes, in quibus non servetur Balsamum. Nervorum, iuncturarumque vulnera præ reliquis medicamentis ad cicatricem perducit, contractionemque prohibet. Capitis vulnera curat, modò cranium illæsum sit: sic etiam omnia recentia vulnera in qualibet corporis parte, modò sint simplicia. Antiqua vulnera, per se, aut cum alio unguento impositum, emundat, & ad cicatricem perducit. In diuturnis febribus, spina eo calente inuncta dimidia hora ante paroxysmum, & illico quinque aut sex guttis illius in vino sumptis modo prædicto, horrores discutiuntur, si ter aut quater remedium repetatur. *Cheirurgicis medicamentis inditum.*

Acrivscvlo est sapore, & aliquantulum amaro: unde colligere licet, adstrictionis particeps esse, calidum & siccum in secundo gradu.

Nvnc ex novi orbis continente magnâ quantitate inferri cœpit Balsamum incisis arboribus extractum, iis similibus quæ in nova Hispania nascuntur, ubi Balsamum decoctione colligitur. Sunt autem eæ arbores vastæ magnitudinis, & ad radicem usque ramosæ, duplici septæ cortice, altero crasso Suberini modo, altero tenui, interno, materiem arboris amplectente. Ex eo quod inter utrumque corticem est spacio, incisione Balsamum *Balsamum purum. Balsami arboris historia.*

 educitur,

educitur, alba limpidissimaque lacryma suavissimi odoris, quod insignes facultates statim prodit. Et certum est illius guttulam potiorem esse, alterius quod decoctione extrahitur *arrova*, hoc est, XXV. libris, tametsi miraculosos ejus viderimus effectus.

Balsami fructus.

Huius fructus (qui penes me est) exiguus pro arboris magnitudine: etenim ciceris aut pisi grano major non est, amari gustus aliquantulum, inclusus in extrema siliqua angusta, digitum longa, alba, & simplicis regalis Hispanici tenuitate. Eo fructu sese suffiunt Indi, ad capitis dolores & defluxiones.

VALDE *falleris Monarde; nam Arabia felix, quæ sola Balsami plantas sponte nascentes ab omni ævo protulit, etiam hodie profert, & legitimum Balsamum præbet. Aluit quidem Ægyptus loco quodam Cayro vicino, quem* Matharea *appellant, & nunc etiam paucos Balsami frutices alit, sed ex Arabia semper petitos; quemadmodum olim Iudæa habuit. Seriphus autem Arabiæ felicis Princeps, cui etiam Mecha paret, singulis annis, præter alia munera, tres quatuórve Opobalsami libras Turcarum Imperatori mittit; Cayri autem Præfecto, libram; peregrinorum verò qui Cayro Mecham religionis causâ proficiscuntur Duci, sive* Hamirag, *selibram donat; atque etiam nonnihil aliis peregrinorum Ducibus. Ceterum qui plura de legitimo opobalsamo eiúsque plantâ, sive frutice, scire volet, C. V. Prosperi Alpini cap. x. lib. IV. de plantis Ægypti, & eiusdem Dialogum de Balsamo, consulat.*

Ego sanè paululum legitimi Opobalsami habeo ex munere Nobilissimi Baronis Davidis ab Vngnad, Cæsarei apud Turcarum Imperatorem Selimum Solimanni F. & Amurathem ipsius N. Legati, quo Constantinopoli discedens, post quinquennalem istîc moram, ab ipsomet Amurathe donatus fuerat; deinde pauxillum etiam habui à Generosissimo Barone Edwardo Zouche, Anglo, Constantinopoli reduce: mittebat etiam ante paucos annos vir doctissimus Ioannes Pona, quod omne amicis impertii.

Balsamum de Tolu.

CAPUT X.

Balsamum de Tolu.

NUNC recens advehitur ex Continentis quadam provincia inter Carthaginem & Nomen Dei sita, Tolu ab Indis appellata, Balsami quidam liquor, maximarum virium, præstantissimumque, quod hactenus ex iis regionibus allatum sit, medicamentum.

Eius historia.

ARBORES è quibus colligitur, pumilis Pinis sunt similes, multos ramos quaquaversum spargentes, foliaque Ceratiæ similia obtinentes perpetuò virentia: præferuntur domesticæ, & in cultis natæ.

Extrahendi ratio.

Colligunt verò hunc liquorem Indi vulnerato & inciso arborum cortice, qui tenuis & tenellus est, suppositisque, & arbori adnexis veluti quibusdam cochlearibus è cerâ nigrâ in illis regionibus natâ confectis, quæ emanantem è vulneribus liquorem excipiant, quem deinde in alia vascula ad eam rem parata effundunt: id verò ferventissimo sole fieri necesse est, ut liquor faciliùs emanet; nam noctu ob frigiditatem nihil effluit: erumpit etiam interdum ex ipsis arboris nodis & alis nonnihil liquoris, qui cùm exiguus sit, & in solum decidat, perit.

Apes nigram ceram elaborantes.

PORRÒ apes* quæ ceram istam conficiunt, nigræ sunt, eamque in terræ hiatibus & cavernis subterraneis elaborant. Plurimam autem hujusmodi ceram in Hispaniam deferri vidi, quâ ad paranda funalia utebantur: sed ob tetrum quem ejus fumus spirabat odorem, vetitus fuit ejus usus, postea tamen in medicamenta receptus. Etenim perutilia ex hac fiunt cerata ad mitigandos dolores è quavis causa frigida provenientes: nam tumores resolvit, & plurima alia commoda præstat.

Balsami de Tolu laus.

CETERUM Balsamæus hic liquor apud Indos maximè celebris est, ob insignes ejus facultates: à quibus edocti deinde Hispani, cùm miros ejus effectus animadverterent, pro re maximi pretii inde in Hispaniam detulerunt, magno illum istîc redimentes, nec abs re, quandoquidem mihi præstantius esse majoribusque facultatibus pollere videtur eo qui è Nova Hispania advehitur.

Colore rubro ad aureum tendente est, mediæ inter liquidum & densum consistentiæ, glutinosus admodum, &, ubicunque reponatur, firmiter inhærens, sapore dulci & grato, nec, si sumatur, nauseam movente, quemadmodum reliqua Balsama, odore excellentissimo, & limonum fragrantiam quodammodo referente, sic ut, ubicunque reponatur, celari non possit, sed suo odore locum gratiorem reddat: etiam pauxillum in vola manus attritum, suavissimum spirat odorem, uti Iasmini ferè.

EIUS facultates insignes sunt, quia incisione elicitur, quemadmodum olim Balsamum in Ægypto, ad eadem omnia ad quæ illud celebrabatur, efficax.

Eius facultates.

Omnia recentia vulnera curat; consolidat, glutinatque labra, nec materiam purulentam in iis exoriri sinit: quodque majus est, nullum cicatricis vestigium, curatis vulneribus, relinquit, si eorum labra probè juncta fuerint; quapropter in faciei vulneribus singularis est, quan-

est, quandoquidem ea sine purulenta materiæ generatione curat, nec vestigium ullum relinquit. Primùm autem emundandum est vulnus ab omni spurcitie, & vino eluendum, deinde ejus labra probè unienda, Balsamumque subtepidum illinendum, & lineus pannus duplicatus eodem Balsamo intinctus superimponendus, atque ita colligandus, ut labra hiare nequeant: postmodum victus ratio sit tenuis, seceturque vena si necesse sit: quarto demum die solvatur ligatura (nisi symptoma aliquod antè solvere cogat) & vulnus consolidatum invenietur. Quòd si singulis diebus vulnus curare necesse sit, lineum pannum Balsami liquori intinctum subinde adponendo glutinabitur: etenim ejus facultas est, prohibere ne materia in vulnere generetur. Præsertim verò utile est in vulneribus in quibus confracta sint ossa, exemtis priùs his quæ separata sint fragmentis, & reliquis intactis; nam Balsami facultas ea expellet, vulnusque sensim consolidabit. Miræ etiam virtutis est in articulorum vulneribus, & nervorum sectionibus, omnibusque puncturis, nam eas curat, atque à contractione liberat, ne partes inutiles fiant, & motu priventur. Altè penetrantia & cuniculosa vulnera curantur hujus Balsami albo vino mixti per syringam injectione, & post ternas deinde horas ejus eductione: idem fit in vulneribus punctim inflictis, semel in die mediocriter calidum iniiciendo. Vtile præterea est in contusionibus, reliquisque chirurgi operam requirentibus, modò nulla insignis inflammatio adsit: eâ verò convenientibus medicamentis sublatâ, balsami est usus.

In morbis in quibus chirurgi opera non est necessaria, plurimùm prosunt haustæ ejus aliquot ex albo vino guttæ, veluti in asthmate: capitis dolorem è frigida causâ prognatum lenit lineus pannus ejus liquore tinctus capiti circumligatus: temporibus adpositum, omnem defluxionem, in oculos præsertim, cohibet, eorumque dolores levat; præcalidum cerebro impositum, dolorem tollit, roborat, & paralysi remedio est. Vsi sunt eo nonnulli phthisici, manè aliquot guttas è manu lambendo, magnumque senserunt commodum, quoniam pectus egregiè expurgat. Aliquot ejus guttæ ex aqua vitæ calida initio rigoris in quartanis, aut tertianis diuturnis & importunis sumtæ, utiles sunt, sed etiam ante frigus eodem balsamo ferventi oleo rutaceo permixto cervices inungendæ. Si quis ab orificio ventriculi ad umbilicum usque inungatur, ventriculus roboratur, & dolore liberatur, languens cibi appetentia excitatur, concoctio juvatur, flatus discutiuntur: at longè majore efficaciâ istud molitur, si æquales balsami & olei nardini compositi vel simplicis partes misceantur, faciliùs etiam illinitur.

Longâ experientiâ apud Indos probatum est, eos qui Hydropicorum in morem tument, si hoc balsamo æquis partibus cum unguento aperitivo mixto ventrem illinant, lienis regionem præsertim, magnum levamen sentire: quoslibet tumores & œdemata cujuscunque partis corporis resolvit: omnes dolores à frigidâ causâ promanantes, etiam diuturnos, tollit emplastri modo applicatum, & continuè delatum donec sponte decidat. Eosdem effectus præbet calidè adpositum, lineoque panno, qui aquâ vitæ selectissimâ calefactâ madeat, superimposito, ubi sunt flatus, sive in ventre, sive in aliâ corporis parte. magnæ est etiam efficaciæ in nephritico dolore, si fervens cum aliis oleis ad eum morbum utilibus mixtum illinatur: contractorum nervorum dolorem lenit, & si per summos æstus illo illinantur & fricentur, eos relaxat: parotides seu scrophulas cæcas & apertas curat.

Alias præterea multas facultates obtinet hic mirabilis liquor, quæ me latent: sed quas intelligere potui, universo orbi notas facio, ut adeò præclaro medicamento & tam insignibus viribus prædito (quibusque longè plures & majores tempus deteget) quilibet uti queat.

*Donatus *sum (nisi me opinio fallat) pauxillo simili Balsamo à nostro Morgano, sub meum è Londino discessum anno* M. D. LXXXI. *Sed & eius liquoris quem ad me misit octavo insequente anno, Balsami ex S. Dominico nomine, plurimæ notæ cum hoc Balsamo conveniunt; mediæ enim inter liquidam & densam erat consistentiæ, valdè glutinosus, dulcis & grati saporis, fragrantisq; odoris, color tamen magis flavus quàm rutilus: nisi quis ad Resinam abiegnam vel Carthaginensem (de quibus in priore libro noster Auctor) referre malit. Addidit & alium liquorem tenuem, fulvum, odoratum, cui nomen Balsami simpliciter adscriptum. Vterque sanè liquor longè odoratior Resina abiegna, & ad Balsami è Nova Hispania delati fragrantiam accedens.*

[a] Harum *apum meminerunt Franciscus Lopez de Gomara Historiæ generalis cap.* 80. *Petrus de Cieça Peruani chronici prima parte cap.* 25. *Ioannes de Lery Americanæ historiæ* 11. *cap. Quoniam porrò Cieça & Lerius apum formam describunt, eorum verba adiicere hîc libuit, quæ ex Hispanico & Gallico sermone sic Latinè exprimebam.*

In *Ceybæ vastæ arboris & aliarum interdum cauis nidulantur apes, atque suum mel elaborant non minùs bonum quàm in Hispania, teste Cieça, quarum tria sunt genera. Vnum paulo maius culicibus, ad favi, quem probè communiunt, orificium, tubulum dimidii digiti longitudine aptant ex materia ceræ simili, per quem apes, aliis eo quod è floribus decerpserunt onustis, ad suas operas ingrediuntur: acidiusculum est mel illud, cuius paulo amplius librâ præbent singula alvearia. Aliud genus paulo maius, nigrum (superius enim candidum est) orificium, quo in arborum cavum ingrediuntur, confectum habent ex cera alteri materia commixta lapide durius: harum mel superius bonitate longè superat; illiusque tres mensuræ, sive veterum congius, nonnunquam ex unico alveari eximitur. Tertium genus, Hispanicas magni-*

tudine excedit, sed aculeis caret, impetu tamen in eos fertur qui favos eximere volunt, mirèque sese capitis & barbæ pilis implicat: harum interdum alvearia duodenas aut plures libras mellis, multo quàm reliquarum præstantioris, continent.

AMERICANÆ, *inquit Lerius, apes nostris dissimiles, & exiguas illas muscas, quæ æstate, præsertim maturis uvis, nobis infestæ sunt, potiùs referentes, suum mel & ceram conficiunt per silvas in arborum cauis, unde incolæ utrumque probè eximere norunt. Favum, è quo mel nondum exemptum,* Yra-yetic *appellant;* yra *enim illis mel est,* yetic *cera: melle nostro more vescuntur: ceram verò, quæ ferè instar picis nigra est, in massas convolvunt brachiali crassitudine. Sed neque funalia, neque candelas ex ea parant (noctu enim nullo alio lumine utuntur quàm certi ligni fragmentis accensis, quæ lucidam flammam præbent) at ingentium cannarum lignearum tubos (in quibus suas plumas, ne à certo papilionum genere ipsis* Aravers *dicto, corrumpantur, adservant) istâ præsertim obturant.*

Sed & Ioannes Staden Hombergensis Hessus, qui apud Brasilianos Gallis amicos per aliquot menses captus fuit, nec sine Divini Numinis favore liberatus est, trium generum, quæ istic reperiuntur, apum meminit cap. 35. suæ historiæ: atque mel à minoribus confectum, duorum aliorum generum melli præfert, seque sæpius è cauis arborum exemisse refert.

Liquor Ambia.

CAPVT XI.

Ambia liquor.

MISSVS est mihi in crasso harundinis tubulo liquor quidam è fonte manans non procul à litore maris, mellis modo flavus & liquidus, & odore Tacamahacæ.

Eius facultates.

Aiunt, & literis ad me scriptis significant insignium esse facultatum, inveteratis præsertim in morbis & à frigida causa provenientibus: omnium corporis partium dolores à frigore aut flatibus ortos lenit, & perfrictiones tollit: quosvis tumores resolvit, eosdem obtinet effectus quos Caraña aut Tacamahaca, illarumque vicem in ea regione præbet. Manibus non nisi madentibus tractari potest; & ubicunque reponitur, adeò tenaciter hæret, ut auferri nequeat, donec temporis successu absumatur.

Exiguâ admodum quantitate & duntaxat pro specimine mihi missus est, quoniam istic magnæ cùm sit æstimationis, pro re magni pretii adfertur.

Calidus tertio gradu videtur, manifesti lentoris particeps.

Ambia forte.

*HVIVS *liquoris (nisi me fallit opinio) pauxillum accipiebam sub anni Christi* M. D. XCVI. *extremum, à veteri amico Francisco Penino, quem de nauclero quodam ex Occidentali India reduce redemerat, nullâ additâ appellatione; eámque ob causam pauxillum illud mittebat, ut meam sententiam de illo exquireret. Erat autem Carañæ substantiâ non dissimile, lentum, coloris ex flavescente paullò obscurioris, in quo fragmenta quædam conspiciebam tamquam unguei candicantes, non secus ac in Benjuino, aut, ut veriùs dicam, Sagapeno, odoris, quàm Caraña, paullo gratioris.*

Resina Abiegna.

CAPVT XII.

Resina Balsami facultatibus prædita.

IBIDEM etiam colligitur liquor sive resina, quam abiegnam vocant, ex arboribus feris (quæ neque Pinus, neque Cupressi dici possunt) Pino altioribus, & Cupressi modo rectis. In harum arborum cacumine vesiculæ quædam enascuntur magnæ & parvæ, quibus confractis guttatim stillat liquor admirandus, quem Indi diligenter conchis excipiunt, sed tanto labore & molestiâ, ut multi viri exiguam admodum quantitatem singulis diebus cogant.

EIVS usus est in omnibus ad quæ Balsamum convenit: siquidem vulnera optimè curat, dolores ex materia frigida & flatulenta progenitos mitigat. Utilis item est stomachi vitiis ab humore frigido aut flatibus, sumpta ex modico vino albo, ut in Balsamo edocuimus.

Resina Carthaginensis.

CAPVT XIII.

Resina Carthaginensis, & eius facultates.

NVNC etiam nobis mittit Carthago novi orbis provincia resinam quandam purissimam & odoratissimam, abiegna aut Terebinthina Veneta multo præstantiorem, iisdem facultatibus seu majoribus præditam, quàm sit selectissima Terebinthina. Experientia docuit, utiliter iniici nervorum, articulorum, pedumque vulneribus, & antiquis vlceribus: magno etiam commodo, eâ elotâ & præparatâ matronæ sibi faciem oblinunt.

Tabaco.

CAPVT XIV.

PLANTA *Tabaco* antiquitus in usu fuit Indis, Hispaniæ præsertim novæ accolis; ad vulnera curanda. Paucos ante annos in Hispanias delata, magis ad ornandos hortos, quàm ob ejus facultates: nunc verò multo celebrior est ob facultates, quàm propter elegantiam.

NOMEN legitimum apud Indos est *Picielt*: nam *Tabaco* nomen ab Hispanis illi inditum, ab insula quadam ejus nominis, ubi frequentissima nascitur. *Picielt. Tabaco.*

MAGNA altitudine assurgit, & interdum Malum Assyriam, quàm Limonem vocant, æquat, caule recto multis prægrandibus ramis brachiato; folio mali Assyriæ ferè, sed ampliore, veluti Oxylapathi, colore viridi dilutiore, & aliquantulum hirsuto, uti tota planta est. Florem fert in summis ramis Campanulæ modo, candidum, medio purpurascentem, quo decidente succedunt veluti capitula papaveris nigri, quibus continetur semen valdè exiguum, colore ex cinereo nigricante. Radix crassa est, multifida, lignosa, intùs crocea & amara, quæ facilè cortice suo delibratur: aliquâ tamen facultate præditam esse non intelleximus. *Tabaco historia.*

NASCITVR plerisque Indiæ locis, humidis præsertim & umbrosis, & exculto levique solo. Seritur omni tempore: cùm verò prodiit, à frigore præservanda est, & secundùm parietes plantanda ad eorum ornatum: siquidem toto anno viret, Citriorum modo. *Tabaco natales.*

FOLIORVM dumtaxat est usus (tametsi eorum defectu quidam semine utantur) eáque ut asservari possint, filo trajecta in umbra suspenduntur & siccantur; deinde aut integris, aut in pulverem tritis, utuntur.

CALIDA & sicca est in secundo gradu: itaque calfacit, resolvit, mundificat & aliquantulum adstringit, ut ex sequentibus facultatibus judicare licebit.

FOLIA hujus plantæ calefacta & imposita, præsens in Cephalæa & Hemicrania sunt remedium, si morbus ex causa frigida aut flatibus ortus sit; sæpiùs verò sunt repetenda, donec morbus tollatur: sunt qui caput oleo florum mali arantii priùs inungant. Idem remedium rigidis cervicibus sive Tetano utile est, & in totius corporis doloribus ab eadem causa ortis. *Tabaco facultates variæ.*

DOLORES dentium à causa frigida non modò finit, dente priùs deterso aliquo linteo ejus succo delibuto, & folio in pilulam convoluto, dentique indito, sed etiam, ne corruptio serpat, prohibet.

PECTORIS vitiis, tussi veteri, asthmati, & similibus ex frigido humore ortis morbis, foliorum decoctum ex aqua, & eclegma ex ejus decocto, utilia sunt. Serapium è saccharo & foliorum decocto paratum, paucaque quantitate sumptum, putres humores pectoris eiicit. Asthmaticis interdum, eorum fumus ore exceptus opitulatur: sed necessarias evacuationes præcedere opus est, si mora ferri possit. *Serapium ex Tabaco.*

SVB cineribus calefacta folia, & sordida, non excussis cineribus, calidaque sæpiùs imposita, ventriculo perfrictionibus & flatibus laboranti auxilio sunt. Viridia folia alii manibus oleo inunctis confringunt, & sic imponunt. Ventriculi & Lienis obstructionibus atque scirrhis folia pauxillo aceto intrita, diuque illita & adstricta, utilia sunt; sed his deinde folia calefacta, aut lineus pannus succo foliorum calente intinctus, singulis diebus superimponenda. Foliorum defectu, pulvis communi unguento obstructiones aperiente excipitur, & pars obstructa, aut tumore affecta, diu inungitur.

INDICÆ mulieres valdè commendant in puerorum, & etiam grandiorum stomachi cruditatibus: nam ventre inferiore priùs inuncto oleo lucernarum, & foliis sub cineribus calefactis, altero ventriculi regioni, altero tergori quà ventriculum spectat, positis, eas concoquunt, & alvum emolliunt, si quoties opus erit, renoventur. Latas & teretes ventris tineas expellit foliorum succus cum saccharo coctus, & depuratus, paucâ quantitate sumptus: umbilico tamen etiam imponendum folium tritum, & alvus deinde clystere eluenda. *Cruditatibus ventriculi.*

NEPHRITICIS & flatulentis doloribus folia sub cineribus, ut antè, calefacta, & quàm calidè fieri potest adposita, magnum adferunt levamen, idem remedium, quoties opus erit, repetendo. Commodè etiam clysteribus iniicientur, atque etiam fomentationibus, & emplastris admiscebuntur. *Nephriticis.*

IN suffocationibus uteri, folia probè calefacta, & umbilico, uterique regioni imposita, præsens adferunt remedium: quòd si (ut fit interdum) animi deliquium subsequatur, fumus illorum naribus obiiciatur, ilicò liberabitur: quod remedium Indicis mulieribus adeò *Vteri suffocationi.*

vulgare est, ut ea de causa Tabaci folia diligenter adservent & magnifaciant. Sunt verò qui odorata umbilico priùs admovent, deinde folium superimponunt. Maximè autem conferunt aut Tacamahaca, aut oleum de Liquid ambar, aut Balsamum, aut Caraña, aut ex his omnibus emplastrum constans, & in umbilico assiduè gestatum.

Articulorum dolori. ARTICVLORVM doloribus (modò humores frigidi sint, vel saltem non nimium calidi) efficacissimè folia calida adhibentur, aut eorum succo calente pannus lineus intinctus: etenim humores resolvunt & digerunt, ideoque etiam tumoribus œdematodis, foliorum succo calido priùs elotis, utilissimè imponuntur.

Pernionibus. PERNIONES sanare, si ter aut quater hujus plantæ foliis fricentur, deinde pedes & manus aqua calida cum sale abluantur, experientia docuit.

Tabaco alexipharmacũ est. VENENIS, & toxico perniciosissimo, quo Cannibales suas sagittas illinunt, resistere, paucis abhinc annis experti sunt nonnulli: nam antè, sublimatum vulneribus inspergere solebant. Toxici autem vires infringere hac ratione sciverunt Hispani.

Occasio experiendi Tabaci adversus venena. CONTIGIT ut quidam Cannibales in suis cymbis ad D. Ioannem de portu divite navigarent, Indorum, atque etiam Hispanorum (si quos reperissent) telis suis veneratis conficiendorum causa. Eò appellentes, Indos & nonnullos Hispanos conficiunt, plerosque autem vulnerant: cùm verò sublimato carerent, à quodam Indo edocti sunt, ut Tabaci succum expressum suis vulneribus imponerent, & ipsa deinde folia trita: sedati sunt ilicò dolores Dei beneficio, & ea symptomata quæ hujusmodi venena subsequi solent, venenum superatum, vulnera deinde curata. Ex eo, foliis hujus plantæ adversus venena uti cœptum est. Rex ipse Catholicus, ejus vires experiri volens, cani vulnus infligi jussit in gutture, & toxico, quo venatores utuntur, illini, & paulo pòst foliorum Tabaci succum satis copiosè instillari, & ipsa folia trita supra vulnus ligari: liberatus est canis non sine omnium admiratione.

Carbunculis. EODEM modo venenatis pestiferisque carbunculis imposita crustas inducunt, deinde curationem adferunt: & ad ictus morsusque virulentorum animalium præsens sunt remedium.

Recentibus vulneribus. RECENTIBVS vulneribus imposita, ilicò sanguinem sistunt, eaque glutinant: quòd si majuscula sint, vino priùs eluentur, & labiis vulnerum conjunctis, succus foliorum inspergetur, & ipsa folia trita supra vulnus alligabuntur: postridie reliquisque subsequentibus diebus idem ordo servabitur, victusque ratio necessaria.

Gangrænis. VETERA ulcera, Gangrænasque succus instillatus, & folia trita imposita detergent, curant, & ad cicatricem perducunt, purgato videlicet priùs corpore ex medici consilio, & missione etiam sanguinis, si necessaria sit, factâ: deinde observatâ, quæ convenit, victus ratione.

Animalium ulceribus. PORRò non modò in hominibus ejusmodi ulcera curare, sed etiam in animalibus, ipsa experientia docuit: nam per universam Indiam frequentia ulcera vaccas, boves, & alia animalia infestant, quæ facilè ob regionis humiditatem extremam putrescunt & vermibus scatent: quibus solebant inspergere sublimatum, melioribus remediis destituti: sed cùm magno istic veneat, plerumque quod ulceribus inspergebatur, pluris constabat, quàm animal curandum æstimari potuisset: Itaque Tabaci facultates in hominibus experti, illius etiam usum ad putrida, fœtida, vermibusque scatentia animalium ulcera transtulerunt; atque adeò compererunt, succum ejus instillatum non modò vermes necare, sed etiam ulcera mundare, deinde ad cicatricem perducere: prodest etiam jumentorum exulcerationibus, ideoque Indi Tabaci pulverem semper circumferunt.

Polypo. QVENDAM noui narium ulcere laborantem, è quo sanies manabat, non sine contagii suspicione: meo consilio instillavit foliorum Tabaci succum: à secunda instillatione multi vermes exciderunt, deinde pauciores, & post aliquot dies sanatum est ulcus; sed quæ erosa erant, non restituta. Illius etiam foliis impetigines, & capitis scabies utiliter confricantur.

Tabaci fumus Indis frequẽs. HÆC est celebrata illa Indicis sacerdotibus planta, qua uti solebant ad responsa danda. Etenim apud Indos moris erat, Sacerdotes de bellorum eventu, aliisque magni momenti negotiis consulere. Consultus sacerdos, istius plantæ folia sicca urebat, & eorum fumum tubulo seu cannulâ quadam in os excipiebat, deinde quasi in exstasin quandam raptus, cadebat, omni motu privatus; sicque permanebat aliquamdiu. Discussâ ejus fumi facultate, ad se redibat, referebatque negotium cum dæmone contulisse, & responsa dabat ambigua, ut, utcumque eventus succederent, illis facilè persuaderet, sic se prædixisse: eoque modo barbaros illos homines miserè decipiebant.

CÆTERVM vulgus etiam Indorum cum fumum per os & nares recipit animi gratiâ, cùm insomnia videre interdum, & extra se quasi rapi cupit, tum etiam de suorum negotiorum eventu, ex insomniis quæ apparuerint pronunciaturum. Nam ut impostor est

diabolus,

diabolus, herbarumque facultates novit, illos hujus vires edocuit, quo, apparentibus ejusmodi insomniis, miseris hominibus imponat.

AT non est recens, plantas quasdam inveniri, quæ manducatæ, aut intrò assumptæ, vanas species & imagines obversari faciant. Siquidem Diosc. cap. de Solano manico, seu furioso, ejus radicem drachmæ pondere ex vino potam, facere species vanas imaginesque non injucundas obversari scribit, sed duplicatum ejus modum ad tres usque dies mentis alienationem adferre, quadruplicatum interimere. Anisum si quis dormiturus edat, somnia excitari jucunda & suavia: contrà Raphani esu, gravia & turbulenta: & sic de plerisq. aliis.

Solanum furiosum.
Anisum.
Raphanus.

GARÇIAS ab Orta refert Bangue plantæ succum aliis admixtum, mentis alienationem facere, insomnia excitare, & omni solicitudine liberare, veluti etiam Opium, quod Orientalibus Indis admodum familiare est: de quo multa apud Garçiam.

Bangue.
Opium.

SIC & nostri Indi, oneribus ferendis aut aliis laboribus defatigati, Tabaci fumum hauriunt, & ilicò, quasi mente alienati, corruunt: excitati verò, refocillatos eo somno, & vires recuperatas sentiunt. Eorum exemplum secuti Æthiopes pro mancipiis eò deducti, nimis frequenter eum hauriunt, quo fit, ut eorum domini egregiè eos castigent, & illorum Tabaco exurant, quo ansam auferant sæpiùs illo utendi: clàm tamen uti non desinunt.

VSVS est etiam Tabaci apud Indos, famis sitisque sedandæ gratia, hoc modo. Conchylia quædam cochlearum fluviatilium urunt, deinde atterunt calcis modo: hujus & foliorum Tabaci æquas partes sumunt, manduntque, donec ex utrisque massa quædam fiat, quam in pilulas piso majores formant, atque in umbra siccatas in usum reponunt. Facturi iter per deserta, ubi neque cibum, neque potum inventuros se putant, harum pilularum secum delatarum unam inter labrum inferius & dentes reponentes, ejus liquorem assiduè sorbent, quâ absumptâ, aliam reponunt, atque item aliam, donec peregrinationem triduanam interdum, aut quatriduanam, absolvant: istaque ratione toto illo tempore neque famem sibi molestam esse, neque sitim asserunt: cujus causam esse puto, quòd sorbentes assiduè pilulas illas, etiam humores pituitosos è cerebro eliciunt, qui deglutiti & in ventriculum demissi, naturalem ejus calorem humectant, sed ab eo tandem absumuntur, aliorum ciborum defectu: ut in multis animalibus observare licet, quæ totâ hieme in suis latibulis se continent sine alicujus alimenti copiâ, quia calor naturalis occupatus est in pinguedine absumendâ, quam æstatis tempore collegerunt.

Pilulæ famem sitimq. sedantes.

HÆC sunt quæ de celeberrima hac planta Tabaco, ejusque facultatibus colligere potui.

BRASILIANIS, à quibus semen primùm in Lusitaniam delatum, hac planta dicitur Petum; Galli, quòd D. Ioannes Nicotius, Regius aliquando in Lusitania Orator, eius semen primus ad Reginam matrem detulerit, illiúsque facultates docuerit, Nicotianam, & Herbam Reginæ nominârunt. Alii Herbam sanctam, ob insignes eius virtutes, nuncupârunt. Oviedus lib. Hist. xi. cap. v. in Hispaniola insula, ubi copiosè tum temporis nascebatur, Perebecenuc vocari tradit: mihi cum Hyoscyami nigri aliquo genere plurimum convenire videtur.

Petum.
Nicotiana.
Herba Reginæ.
Herba sancta.
Perebecenuc.

EST verò ea planta trium aut quatuor cubitorum altitudine, interdum amplior, multis alis crassisq. ramis concava, folia numerosa, ampla, densa seu carnosa, pinguia, gravi odore, fervido & acri gustu. Flos extremis ramis nascitur copiosus, ex albo purpurascens, oblongus, & tubæ in modum concavus, extrema parte latus & pentagonus, cuius color frigoribus magis intendi solet. Huic succedunt siliquæ Digitali ferè similes, semine plenæ ex rufo nigricante, pusillo, Papaveris multo minore.

Petum historia.

EIVS duo sunt genera. Nam unum amplo latóque est folio, interdum cubitali longitudine, pedalíque latitudine sine pediculo caulem amplectente. Id altius assurgit, & flos ordine per ramulorum longitudinem illi nascitur, dilutior aliquantulum. Alterum paulo minore est folio, Solano, quod Bellam donnam vulgò vocant, simili; sed magis mucronato longóque pediculo ramis inhærens: flores huic veluti per umbellas nascuntur saturatiores aliquanto. Vtriusque radix lignosa est & multifida. Sed & horum semine deciduo, sponte in nostris hortis tertia quædam & dubia species nata, superioribus paullò humilior, cuius folia, ut in priore, caules amplectuntur, sed multo angustiora, etiam infra secundi generis foliorum amplitudinem: floribus tamen saturatiùs rubentibus, magis hoc quàm illud æmulatur.

Petum genera duo.
Petum tertium.

PETVM LATIFOLIVM.



FLORET hæc planta calidioribus regionibus Iunio & Iulio, semen Septembri maturescit (vidi in Lusitania tota hieme florentem) at hic à mense Augusto in hiemem usque floret, & subinde semen profert, deinde primo gelu flaccescit, peritque tota; neque hieme asservari potest, nisi admodum difficulter, idque fictilibus aut capsis ligneis, in quibus sata, in fornicem aut penum illatis.

Natales. NASCITUR omni solo; & semel sata, seménque ad maturitatem perducens, seipsam deinde serit, nec opus habet alia satione. Si tamen serenda erit, Augusto aut Septembri id fiat, quoniam semen exiguum diutissimè sub terra latet antequam germinet: & Martio aut Vere telluri creditum demùm Augusto germinat.

APUD nos diligenter colitur, non tam ornatus gratia, quàm ob insignes facultates, præsertim à nobilibus quibusdam matronis rei herbariæ studiosis, quæ foliis eius recentibus, aut in umbra siccatis, & stillatitio illorum liquore vitreis organis extracto, & unguento ex eius foliis parato, frequenter utuntur ad ulcera antiqua, putrida, maligna, gangrænas, scabiem, impetigines, lichenes, oculorum nebulas, felici cum successu; multisque miseris rusticis auxilio sunt.

Facultates.

SUNT qui folia singulis diebus manè à ieiunis mandi iubent, ut podagra liberentur, quia multam pituitam in os attrahat, eámque in partes inferiores defluere prohibeat.

CAROLUS Stephanus Prædii rustici Gallico sermone conscripti lib. 2. cap. 76. experientia comprobatum esse scribit, eius folia strumis utiliter illini, illiúsque stillatitium liquorem asthmaticis auxilio esse. In summâ, Panacea quadam est ad omnis generis morbos.

Petum quartum. ALIUD eius genus, per omnia minus, folio rotundiore, nec hirsuto pinguive, licet succulento, flore minore, & per extremum rotundo, pallescente, ante quinquaginta annos Europæ innotuit: Dodon. Hyoscyamum luteum nuncupavit. Ad pleraque etiam conferre certum est, verùm superiore longè imbecillius.

PETUM ANGUSTIFOLIUM.



Tubuli ad asthma utiles.

CAPUT XV.

Tubuli asthmatici. ADVEHUNTUR è nova Hispania quidam cannarum sive harundinum tubuli, interiore & exteriore parte quodam gummi illiti, quod meâ opinione Tabaci succo infectum est, caput enim tentat: illo, ni fallor, cannam inungunt; utque tenax est, firmiter inhæret, colorisque nigri est: induratum autem, non est tenax. Incenditur tubulus eâ parte qua bitumine sive gummi infectus, alterâ verò in ore sumitur, fumusque excipitur, omnem pituitam & purulentos humores è pectore educens: hoc verò uti solent quum asthmate se premi & veluti suffocari sentiunt.

Primatem quendam sæpius asthmate laborare solitum, ejus usu plurimum utilitatis consequutum observavi, qui simile commodum antè ex Tabaci fumo percipiebat: propterea Tabaci succum admixtum esse oportere dico: tutum autem utriusque usum esse, ipsa experientia in multis docet.

Nonnullos ægros & asthmate vexatos ex America reduces observavi viridia Tabaci folia mandentes, & succum inde promanantem sorbentes, ad purulentos humores expellendos: quibus licet caput tentaretur, plurimum tamen profuisse apparebat, cùm ad pus, tum ad pituitam pectori inhærentem propellendam.

Tabaco. Mirum est quàm insignes & variæ Tabaci facultates singulis adhuc diebus deteguntur: nam præter eas quas superiore capite descripsi, totidem alias adhuc proferre possem, quas postea, vel referentibus aliis intellexi, vel ipse observavi.

* DETECTA ab Anglis duce Richardo Grenfeldio anno à Christi nativitate M. D. LXXXV. Wingandecaow (quam ipsi Virginiam nuncuparunt) novi orbis Provinciâ, triginta sex gradibus ab Æquatore Septentrionem versus distante: compererunt incolas frequenter uti tubulis quibusdam ex argilla factis, ad foliorum Tabaci magnâ abundantiâ apud eos nascentis, incensorum fumum hauriendum, sive verius sorbendum, valetudinis conservandæ gratiâ. Angli inde reduces similes attulerunt tubos ad Tabaci fumum excipiendum; inde Tabaci usus per universam Angliam adeò invaluit, præsertim apud aulicos, ut multos similes tubos fieri curârint, ad Tabaci fumum sorbendum.

Herba Joannis Infantis.

CAP. XVI.

HIC prætermittenda non videtur ea planta quâ usi sunt ii qui Hispaniam novam nobis aperuerunt, in curandis vulneribus. Cujus usum primus ostendit Indus quidam Hispani, cui nomen Ioannes Infans, famulus, à quo hæc planta denominata est. *Herba Ioannis Infantis.*

EXIGVA est planta, foliis Oxalidis, aliquantulum villosis, sive hispidis. *Eius historia.*

VIRIDIS præmansa aut trita, vulneribusque imposita, sanguinem sistit, eaque conglutinat. Nervorum aliarumque partium vulnera digerit, & mundat, & demum ad cicatricem perducit. Iisdem viribus pollet sicca in pollinem redacta; quæ ad vulnera carne explenda, viridi etiam præfertur. *Facultates.*

Radices Venenis adversantes.

CAPVT XVII.

EX Charcis provincia Peruana, radices quædam advehuntur Iridis radicibus valdè similes, sed minores, & ficulnei folii odore. *Radix venenis resistens.*

HISPANI Indias inhabitantes *Contrayerva* appellant, quasi dicas alexipharmacum, quoniam earum pulvis ex albo vino sumptus, adversus omne venenum, cujuscunque tandem sit generis, præsentissimum est remedium, (uno sublimato excepto, quod solâ lactis potione exstinguitur) vomitione illud reiicere faciens, aut per sudores evacuans. Sed & amatoria pocula, eo pulvere hausto, educi ferunt. Ventris etiam animalia pellit. *Contrayerva.*

GVSTATA radix, aromaticum quiddam sapit cum acrimonia conjunctum: quare calida videtur secundo gradu. *Temperamentum.*

Zingiber.

CAPVT XVIII.

DOMINVS Franciscus de Mendoza Proregis Antonii de Mendoza filius, in Nova Hispania Caryophyllos, Piper, Zingiber aliaque aromata ex Orientali India allata consevit: sed ipso è vivis sublato, intermissum est illud studium: solum Zingiber remansit, quod feliciter enatum est: inde fit, ut ex Nova Hispania, & aliis Occidentalis Indiæ locis, viride & siccatum, non minùs quàm ex Orientali India deferatur.

EST autem Zingiber planta foliis Iridis, paullò tamen angustioribus, sed similiter virentibus prædita: ejus radices, ut notum est, aliæ aliis majores, quæ virentes & recentes, nullâ urente facultate pollent, ideoque in frustula concisæ acetariis iniiciuntur, ut iis saporem & odorem concilient: seritur semine aut tenuiore radice, nam utroque modo facilè augetur: quum ad justam magnitudinem excrevit, eximitur, & in umbra siccatur, ubi nullam humiditatem contrahere possit, quæ eam corrumpat, propterea luto oblinitur. *Zingiberis historia.*

Adfertur condita, tametsi & hîc probè condire siccam norint, quæ tamen antè juxta locum juncis & scirpis consitum sepulta fuerit (istâ enim ratione tenerescere creditur) aut calidâ aquâ sæpiùs lota & macerata, donec mollescat: addito deinde sacchаro conditur quemadmodum viridis.

MAGNA facultate aromaticâ, & insigni acrimoniâ prædita est hæc radix: admodum calefacit, ventriculo confert, ejusque dolores à frigida causa aut flatibus obortos tollit: eosdem affectus atque piper præbet: saporem cibis, quibus inspergitur, conciliat: multis medicamentis additur ut ea corrigat, & illorum malitiam leniat: propterea turbith & agarico admiscetur: illis etenim vehiculi loco est, ut faciliùs suas facultates exerant: concoctionem juvat, ventriculum roborat, & naturalem calorem auget: languentem ciborum appetentiam è frigida causa natam excitat, in quem effectum maximè confert, condita manè sumpta: colorem faciei præterea commendat, eademque omnia præstat quæ piper, & ferè similis temperamenti est. *Zingiberis facultates.*

Rhabar-

Rhabarbarum Americanum.

CAP. XIX.

E Continenti, radicis quam istic Rhabarbarum vocant, fragmentum mihi allatum est, quod certè omnes eas notas habet, quas Orientale rhabarbarum obtinet. Rotundum id erat, & fusco cortice tectum; internâ parte rubebat, & fractum, quendam candorem permistum ostendebat; croci modo tingebat, & amarum erat: scire cuperem qualia folia obtineat, ut observare queam an illis sint similia quibus prædita est ea planta quam multi in Hispania hoc nomine severunt, Rumicis folia obtinentem, cujus genus illam esse existimo, quia secundus rumex rubentem habet radicem.

Folia ejus Rhabarbari, quod Rumicis genus esse arbitror, diu cocta vehementiùs purgant quàm radix: Dioscorides etiam asserit omnia rumicis genera alvum insigniter emollire.

Rhabarbari legitimi laus. EST porrò Rhabarbarum præclarum medicamentum, & summâ commendatione dignum: maximè etiam illud extulerunt quotquot ejus historiam prodiderunt (solutivum intelligo, quo purgationes moliri solemus; non illud Rha Græcis cognitum) adeò, inquam, nobile medicamentum est, ut cum omni securitate, omni tempore, & omni ætati exhiberi possit: bilem verò præsertim & pituitam purgat, jecur roborat, ejusque veluti anima est; obstructionibus liberat, icterum solvit, sanguinem expurgat, simulque nobiliores corporis partes robustiores efficit; itaque securè in cordis morbis exhibetur: aliquot ejus ramenta manè manducata, diuturnos & difficiles hepatis, splenis, internarumque partium morbos curant, hydropicos juvant & cachecticos, bonumque colorem conciliant.

Calidum & siccum est in secundo gradu, & terrestribus quibusdam partibus præditum, quæ illi adstrictionem & robur conciliant.

Guayacan.

CAPUT XX.

TRIA ex America sive Occidentali India adferuntur medicamenta hodie toto orbe celebratissima, quorum in Medicina facultates adeò insignes repertæ sunt, ut nunquam auditum sit, tam incurabiles morbos ullis aliis medicamentis sanatos fuisse; nempe, Lignum quod Guayacum vocant, Radix Chinæ, Sarçaparilla. De China, quæ à Lusitanis ex India Orientali adferri putatur, suo loco dicemus. Auspicabimur itaque à Guayaco, veluti primo medicamento ex Indiis delato, & omnium optimo, ut ipsâ experientiâ & multorum annorum usu comprobatum est.

Guayacan. GUAYACAN, à nostris lignum Indicum dictum, abundanter nascitur in Insulâ S. Dominici, quæ fuit prima novi orbis ab Hispanis occupata: cujus usus primùm hac ratione nobis innotuit.

Lues venerea. MAGNIS doloribus morbi Gallici (quem ab Inda muliere contraxerat) Hispanus quidam torquebatur: ejus famulus Indus, in illa provincia Medicum agens, aquam Guayaci propinavit, quâ non solùm magnis illis cruciatibus liberavit, sed pristinæ sanitati eum restituit. hujus exemplo, plurimi alii Hispani, simili morbo infecti, curati sunt. Ejus morbi cura Hispali statim evulgata est, ab his qui ex ea insula redierunt; hinc per totam Hispaniam, & inde per universum orbem, quem hæc scabies occupârat. Et certè in hoc morbo curando, nullum est medicamentum eo præstantius aut certius: nam si, ut decet, procedat curatio, suo tempore ista aqua propinetur, certissimum est huic morbo sanitatem perfectam adferri; nec recidivam pati qui simili lue laborabat, modò in idem cœnum non se provolvat denuò. Sicque Deo visum est, ut unde manavit morbus, inde adferretur remedium: nam ex Occidentali Indiâ primùm huc perlata est illius morbi origo, præsertim autem ex insula S. Dominici, ubi tam familiaris est, quàm apud nos papulæ seu morbilli, neque ejus contagium magnopere quisquam reformidat. In hunc autem modum propagatum fertur.

Lues venerea Europam invadit. ANNO salutis humanæ M.CCCCXCIII. eo bello quod Neapoli gestum est à Rege Catholico adversus Galliæ Regem Carolum cognomine magno Capite, Christophorus * Colonus, ex prima illa profectione, quam novi orbis conquirendi causa susceperat, rediit: & detectis S. Dominici aliisque insulis, inde Neapolim (ubi tum Rex Catholicus erat pace cum Gallo factâ) viros & mulieres deduxit. Commeantibus ultro citroque exercitibus, Hispani primùm cum Indicis mulieribus, & Indi cum Hispanicis consuetudinem habuerunt:

* vulgo Columbus.

buerunt: deinde in Italos & Germanos serpsit hoc malum, postremò etiam ad Gallos, & sic per universum orbem.

INITIO diversa nomina sortitum est. Hispani, existimantes à Gallis contagium venisse, morbum Gallicum nuncupârunt; Galli contrà, Neapoli se consecutos esse putantes, Neapolitanum vocârunt; Germani, ex Hispanorum contubernio hanc scabiem ad se manasse videntes, Scabiem Hispanicam appellârunt; alii Serpiginem Indicam, eamque verissimo nomine, cùm inde prima sit hujus mali origo. Inter primarios tamen ejus ætatis Medicos, variæ opiniones fuerunt de hujus morbi causa & origine. Nonnulli ex cibis corruptis, succumque melancholicum & adustum generantibus, quibus in summa rerum inopia exercitus vesci solet, quales sunt plantæ silvestres, olera, radices, caro asinina, equina, originem sumpsisse existimabant: Alii siderum Saturni & Martis conjunctionibus acceptum ferebant; eamque ob causam varia nomina indiderunt; uti Lepræ, Lichenum, Mentagræ, Sphaceli, Elephantiasis: & cùm certam morbi qualitatem assequi non possent (novum morbum esse ignorantes) ad prædictorum morborum à Veteribus descriptorum genus aliquod reducere conabantur. *Morbus Gallicus. Morbus Neapolitanus. Scabies Hispanica. Serpigo Indica. Medicorum disceptatio de origine morbi Gallici.*

CÆTERUM ut ad institutum revertamur, *Guayacan* nomen est Indicum, sed per universum orbem cognitum, tametsi etiam à nonnullis *Lignum Indicum* nuncupetur. *Guayacan. Lignum Indicum.*

DE hoc ligno multi multa scripsere, aut Ebenum esse dicentes, aut Buxi speciem, aut aliis nominibus appellantes. Sed ut novum arboris genus est, nec in his regionibus, aut ullis aliis toto orbe Veteribus descripto conspectum, sed in nuper inventis solummodo; sic nobis nova erit arbor: ut ut sit, magna est, Ilicis magnitudine, ramosa, matrice magna, nigricante, materie quàm ebenum duriore: cortice crasso, gummoso seu pingui; &, cùm siccum est lignum, facilè decidente: foliis exiguis & duris, flore luteo, quem subsequitur fructus rotundus, solidus, semina in se continens Mespili modo. Frequens in insula sancti Dominici. *Guayacan historia.*

ALIUD ejus genus in Insula S. Ioannis de portu divite, huic vicina, postea repertum est, superiori ferè simile, sed minus omnino, & propemodum sine matrice, odoratius & amarius superiore; quo relicto, hujus nunc usus est; & ob mirandos effectus *Lignum sanctum* nuncupatur, nec abs re, quandoquidem (ipsâ experientiâ teste) altero præstantius est: attamen utriusque facultates sunt insignes in curando morbo Gallico, atque adeò utriusque conjunctim aut separatim propinatur aqua, cùm ad morbum jam dictum, tùm ad alios plerosque, hac ratione. *Guayacan genus alterũ. Lignum sanctum.*

LIGNI minutim concisi, aut ejus scobis unciæ duodecim, corticis ejusdem ligni contusi unciæ duæ in sex aquæ sextariis[b] macerantur fictili novo aliquantulum capaciore, viginti quatuor horarum spacio: fictili bene obturato, lento & luculento igne coquantur, ad quatuor aquæ sextariorum consumptionem. quod inde colligi poterit, si, dum priores binos aquæ sextarios infuderis, bacillo aquæ altitudinem metiaris. Cocta aqua refrigeratur, colatur, & fictili novo asservatur. Statim supra idem lignum, quod decoctum fuit, iniiciantur denuò octo alii aquæ sextarii, coquanturque ad duorum consumptionem: coletur hæc aqua, & seorsum adservetur. Sumitur autem hoc modo: *Guayaci decoctum.*

INFIRMUS, purgato corpore ex medici consilio cubiculum deligit apricum, quò neque frigus neque aër penetrare potest. Lectum ingressus, diluculo, aquæ prioris calidæ uncias decem sumat, & egregiè operiatur ut sudare possit duarum horarum spatio: deinde sudore absterso, indusium calefactum induat, atque linteamina mutet: quatuor deinde pôst horis, uvæ passæ illi dabuntur, & amygdalæ, panisque biscoctus, neque affluenter, neque parcè; & de aqua secunda bibet quantum satis erit, etiam interdiu. Octo horis postquam comederit, ex priore aqua calète denuò uncias decem hauriet, sudabit item duabus horis, & à sudore, uti superiùs, mundabitur: unâ post sudorem horâ, de iisdẽ passis, amygdalis, & pane biscocto cænabit, & ex aqua secunda bibet. Servabitur hic ordo quindecim diebus prioribus, nisi vires nimium collabantur, quia eo casu, etiam præter supradicta, pullus gallinaceus assus concedetur. In minùs robustis, qui extremam illam victus rationem ferre nequeunt, novem dies sufficient; quibus elapsis, pullus exiguus assus similiter concedetur. Si verò æger adeò tenui est valetudine, ut prædictam istam victus rationem nullo modo ferre possit, ab initio pullus gallinaceus exiguus illi dabitur, cibi quantitatem sensim augendo. Elapsis quindecim diebus, decimo sexto purgabitur decem drachmis pulpæ cassiæ fistulæ per cribrum transmissæ, aut alio simili medicamento, & eo die tenuiorem aquam, sive secundæ decoctionis, bibet. Decimoseptimo die ad priorem ordinem redibit, sumetque manè & vesperi aquam prioris decoctionis; sudabit, eademque victus ratione utetur, nisi quòd pulli loco dimidiam gallinam assam edere poterit; & sub finem diætæ, aliquantulum plus: eamque victus rationem in vigesimum usque diem producet; quo tempore *Decocti usus.*

per cubiculum vestitus, & bene amictus, deambulare poterit. Quibus elapsis, denuo purgabitur, & per alios quadraginta dies aquam bibet, selectissimam victus rationem observando in rebus non naturalibus, mulieribus abstinendo, & vino, cujus loco simplicem ejusdem ligni aquam, aut, si eam fastidiet, aquam in qua anisum & fœniculum decocta sint, bibet; eritque cæna sobria, & sine carnibus.

HÆC est optima sumendæ aquæ Guayaci ratio, qua multi desperati morbi curantur: atque illâ aquâ non est præstantius ullum remedium ad curandam luem veneream, cujuscumque tandem sit generis: radicitus enim eam exstirpat.

Guayaci facultates.

CONVENIT item hydropicis, asthmaticis, epilepticis, morbis vesicæ & renum, doloribus juncturarum, omnibus morbis ab humoribus frigidis & flatibus procedentibus, & diuturnis, quibus inutilia fuerunt ordinaria medicamenta, præsertim si morbum Gallicum subsequantur.

Guayaci serapium.

PLERIQUE hoc ligno varia medicamenta faciunt, & inter illa serapium, quod sanè admodum efficax est: at meo judicio hujus ligni usum nemo utiliorem experietur, quàm superiùs descriptâ ratione, sine ullius alterius medicamenti admixtione. Dentes etiam confirmat & dealbat hæc aqua, si sæpius eâ colluantur. Calidum & siccum est in secundo gradu.

SVB initium anni sexcentesimi primi supra millesimum, accipiebam à Petro Gareto, viro humanissimo, ramulum pedalis longitudinis, quem sibi donatum scribebat à quodam cheirurgo iam recenter ex America reduce, pro ramulo arboris Guayaci: qui si legitimi Guayaci ramus est, satis perfunctoriè eius arboris historiam descripsisse videtur Nicolaus Monardus. Ego illum ramulum qui mittebatur sic describebam.

PEDALIS longitudinis erat ille ramulus, valdè contortus, & frequentibus nodis distinctus, scriptorii calami sive anserinæ pennæ crassitudinem infernâ parte vix attingens, materiâ durâ & pallescente præditus, atque cortice tectus rugoso, cineracei coloris: supernâ verò parte in tenues ramulos divisus, quorum nonnulli folia adhuc retinebant, alii etiam flores & fructus rudimenta: nata autem erant folia, seu veriùs foliorum alæ, in tenellis ramis contrario inter se situ, singulis alis quaterna aut sena foliola lentisci modo ex adverso semper nascentia obtinentibus, crassiuscula, orbiculata, & multis venis distincta, quæ siccitate (ut animadvertebam) facilè defluerent, manentibus nudis alis, & foliorum, ubi sita fuerant, vestigia dumtaxat retinentibus: in superiorum ramulorum nodis nata erant veluti tubercula, è quibus coniunctim exorti erant seni, octoni, deni, interdum plures, tenues, unciámque longi petioli, sustinentes singuli florem non magnum sex foliolis constantem (albine, an flavi, aut cærulei coloris, propter siccitatem iudicare nequibam) è quorum umbilico multa prodibant staminula, & in nonnullis floribus fructus rudimentum medium emergere incipiebat, binis lateribus præditum, & penè formatum instar loculorum Bursæ pastoris vulgaris.

Porrò ramulum illum cum suis floribus, foliisq́, & fructu in tabella exprimi curabam, quæ hîc subiiceretur.



GVAYACI RAMVLVS.

Ceterum Guayacan arboris gummi cum corticis fragmento recens ex Trinitate insula delatum, ab honestissimo viro, eodémque pharmacopœo peritissimo Francisco Peninio, XXIX Iulii biennio antè iam acceperam, quod calidi saporis erat, & manducatum dentibus cedebat instar resinæ masticbinæ, fusci tamen coloris: addita erant & folia, sed singularia, Ziziphinis formâ & magnitudine non multum absimilia, firmiora tamen & multis venis prædita: præterea radicis fragmentum uncialis crassitudinis aut amplioris, materia flavescente constans, & denso succulentóque cortice cinctum.

Insequente verò Septembri Amstelredamo ad me miserat honestissimus etiam vir & diligentissimus pharmacopœus, Walichus Syvertz, Guayaci fructus aliquos, quorum nonnulli singulares, alii coniunctim è longis pediculis dependebant, geminis loculamentis constantes, fructus Aceris quodammodo instar, in hoc differentes, quòd hic alis illis careret quibus Aceris fructus est præditus, loculamentáque non haberet adeò distincta ut aceris fructus, tum etiam quòd alterum loculamentum plerumque esset inane, alterum plenum, nucleum continens durum, ex albo flavescentem, sed qui immaturus fuisse videretur.

Paullo verò post quàm ramulũ illum cum foliis Guayaci à Petro Gareto accepissem, mittebat etiam Londino Iacobus ipsius frater, aliquot eius arboris fructus, sed immaturos, geminis similiter loculamentis constantes, quorum alterum plenius, coloris ex fusco flavescentis, cum librali fragmento gummi sive resinæ eius arboris, nigri coloris, lenti tamen & splendentis, si igni admoveatur, nec iniucundi odoris.

Deinde anno sequente, sculpto iam ramo prædicto, ac-

cipiebam

cipiebam ab ornatissimo & doctissimo viro Ioanne Pona pharmacopola Veronensi similes fructus Guayaci appellatione insignitos, illosq; magis crassos & integros, quorum unus tribus loculamentis praeditus: ossicula in illis reperta longiuscula erant instar ossiculorum Evonymi penè, & materiâ valdè durâ corneâque constabant, ossiculorum dactylorum instar, nucleum planum inanem flavescentis coloris continentia.

[b] HISPANICVM exemplar habet, tres açumbres, hoc est, tres mensuras, quorum singulæ apud Hispanos liquidarum rerum libras tres & uncias quatuor continent: itaque cùm vna açumbre binis sextariis veterum respondeat, eam mensuram aptiùs quàm per sextarios Latinè exprimere non potui, quorum sex veterum congium conficiebant, sive libras x.

NON incommodè huc referenda videtur arbor, cuius Thevetus lib. Singularium cap. 50. meminit, Brasilianis Hiuourahé, id est, res rara, nuncupata. Hyvourahé.

ARBOR est procera, cortice externâ parte argenteo, internâ subrubro, &, cùm recens à ligno detrahitur, lacteum humorem resudante, gustu salis, sed ad glycyrrhizæ saporem accedente: fructum fert pruno mediocris magnitudinis æqualem, auri purissimi colore, nucleum continentem exiguum, sed suavem admodum & tenellum, ægrisq; valdè expetitum. Illud verò propè incredibile, quòd ait alternis solummodo quindecim annis fructiferam esse, & eum, qui arborem demonstrabat, ter aut quater dumtaxat fructum in vita edisse. Hyvourahé historia.

MIRA facultate praeditus est eius arboris cortex, & Guayaco non inferior putatur, ideòque à Christianis istic degentibus illius loco usurpatur. Hyvourahé cortex Guayacan vices supplet.

EIVS verò utendi ratio hæc est: Corticis minutim concisi certa quantitas in aqua decoquitur, trium aut quatuor horarum spatio, donec vini rubri dilutioris seu clareti colorem contrahat. Ex eo decocto bibunt per quindecim aut viginti continuos dies, observatâ levi diætâ; luisq; venereæ doloribus ita liberantur. Verùm non modò utile est hoc decoctum in morbo Gallico, sed etiam in reliquis frigidis pituitosisq;: nam humores extenuat & exsiccat, nec iniucundum est palato. Præparandi & utendi ratio.

China.

CAPVT XXI.

NEMO miretur, si dixero ex Occidentali India Chinam deferri, quandoquidem vulgo Lusitani ex Orientali India eam adferant. Nam cùm ex Hispania nova & Peru vir illustris Dominus Franciscus de Mendoça rediit, magnam quandam radicem, & alias parvulas mihi ostendebat, & percontabatur an eas nossem. Chinæ radices esse, sed admodum recentes & integras, respondebam. Tum ille, Sanè recentes sunt, nam ipse eas in Hispania Nova collegi: nec mireris istic Chinam nasci, siquidem brevi videbis etiam inde Aromatum abundantiam deferri. Id facilè mihi persuasit, postquam vidi cum Rege convenire de Aromatum copia in Hispanias inducenda, quæ jam ipse in Hispania Nova serere & colere cœpisset. Vidi Gingiberis atque Chinæ radices recentissimas inde delatas. China Occidentalis.

EST autem *China*, Arundinis majoris radici similis, nodosa, intùs alba, interdum rubescens, foris rubra. Optima est recens, ponderosa, solida, pinguis, non cariosa, sapore insipida. Chinæ historia.

NASCITVR in Sinâ Orientalis Indiæ provinciâ, Scythiæ atque Sericaniæ finitimâ, maritimis locis, arundinis aut ulvæ palustris modo. Chinæ natales.

SOLIVS radicis est usus apud Indos, ad curandos difficiles morbos, apud quos magno in pretio est. Propinatur ejus aqua in diuturnis & acutis morbis, febribus præsertim; etenim sudores provocat, cujus rei gratiâ multi sanantur. Triginta sunt circiter anni, quòd Lusitani primùm in has regiones illam intulerint, præclara de ejus facultatibus prædicantes adversus omnis generis morbos, sed maximè Luem veneream, in qua mirabiles effectus præstitit. Ejus autem parandæ hæc est ratio. Chinæ usus apud Indos.

RADICIS Chinæ minutim concisæ uncia fictili novo imponitur, huic adfunduntur aquæ sex sextarii, maceratur quatuor & viginti horarum spatio: fictili obturato, coquitur lento igne ex prunis incensis, ad dimidias, quod eâ ratione deprehendetur quam in Guayaco edocui; frigescit, colatur, atque in fictili novo asservatur loco aprico, aut juxta ignem, ut diutiùs maneat incorrupta. Præparandæ Chinæ ratio.

PVRGATO, ut decet, corpore, collocatus æger loco aprico & conveniente, jejunus dictæ aquæ calidæ decem uncias hauriet; duas horas aut paulo diutiùs sudabit: sudore deinde absterso, indusium & linteamina mundis & calefactis mutabit; deinde in lectulo duas aut tres horas perdurabit; postea vestitus, calidè se in cubiculo continebit, quò neque aër neque frigus permeabit, genio indulgens, & lepidis colloquiis se oblectans. Circiter undecimam, dimidium pullum coctum, aut gallinæ quartam partem cum pauco sale edet, initio prandii cyatho jusculi epoto: pro bellariis carnes cotoneorum adponentur: potus erit similis aqua, quam jejunus sumpsit, quia decocti tantummodo unum genus est. A sumpto jusculo, uvas arillis emundatas, aut pruna passa sine ossiculis, & panis bene cocti crusta, biscoctúmve initio prandii edere poterit. Si interdiu bibere volet, eadem aqua cum con- Aquæ Chinæ sumendæ ratio.

serva aliqua propinetur. Octo post prandium horis lectum denuò ingrediatur, alias decem aquæ uncias quàm calidè poterit, bibat, duas horas sudet; sudore deterso, indusium & lintea calefacta mutet, post horam cœnet conservam aliquam, aut uvas passas, aut amygdala, & aliquantulum biscocti: de eadem aqua bibat, postremò cotoneorum carne vescatur, potu deinde abstineat. Hæc victus ratio triginta continuis diebus observanda, nulla alia purgatione adhibita; sed per cubiculum calidum obambulans, & sese oblectans, ab omnibus abstineat quæ illum offendere possunt. Purgatione absolutâ, bona victus ratio servanda est quadraginta continuis diebus, vinoque abstinendum & mulieribus: potus erit è Chinæ superioris jam decoctæ, deinde in umbra resiccatæ, uncia una, in sex aquæ sextariis denuò bullita ad dimidias. Illud verò diligenter curandum, ut Chinæ radix per quatuor & viginti horas semper maceretur ante decoctionem, sive illa fiat in triginta, sive quadraginta dierum potiùs usum.

Chinæ facultates. AD varii generis morbos utilis est hæc aqua, luem veneream cujuscumque generis, vulnera & ulcera antiqua, tumores scirrhosos discutiens, articulorum dolorem solvens, & qualemcumque podagram, sed coxendices præsertim curans. Inveteratos capitis dolores mitigat, & stomachi: defluxiones omnes & rheumatismos sistit, bonum colorem conciliat, icterum solvit, & omnem hepatis intemperiem emendat, ad quam valdè celebratur. Paralysin & omnes nervorum morbos sanat, atque vesicæ; enterocelis vtilis, quia humorem, unde generantur, absumit: frigidis omnibus morbis & melancholicis convenit, ventriculum roborat, & omnes flatus discutit. Febribus diuturnis, quotidianis, & erraticis prodest, sudoris insigni provocatione, quâ etiam in pestilentibus febribus utilem quidam arbitrantur.

Chinæ temperamentum. SICCA est in secundo gradu cum exiguo calore; idque deprehendere licet ex eo, quòd aqua, cùm Guayaci, tùm çarçæ-parillæ calefacit, & sitim excitat; hæc neque sitim ciet, neque caloris alicujus indicium relinquit. Nobile proculdubio medicamentum, quod in prædictis morbis admodum efficax expertus sum.

DE *Chinæ Orientalis planta, quæ sanè aliter describitur à Garçia lib. 1 cap. 38. qui plura volet, consulat eius & Christophori à Costa Aromatum historiam, quam ante aliquot annos Latinam fecimus, & nunc denuò evulgamus.*

Çarça-parilla.

CAP. XXII.

Çarça-parilla ex Hispania Nova. POST Chinam, çarça-parilla, cujus usus huic urbi primùm ab hinc circiter viginti annis innotescere cœpit, ex Hispania Nova huc translata est, quoniam ea Indis pro præstanti medicamento erat, ad multos variosque morbos.

Çarçæ parillæ historia. PLANTA multis radicibus nitens, duos cubitos aut eo amplius longis, colore cinereo dilutiore; quæ interdum tam altè demittuntur, ut, qui integras eruere volet, ei profundâ fossione opus sit: ramis nodosis & lignosis, qui facilè desiccantur: florésne aut fructum proferat, ignoramus.

Çarça-parilla ex Honduras. ILLA multo meliorem & efficaciorem nobis deinde protulit provincia Honduras, à superiore differentem, quòd illa candidior est, ad pallorem tendens, & gracilior; hæc verò cinerea, nigrior, atque crassior.

Çarçæ delectus. DELIGITUR nigrior, recens, non cariosa, fractu contumax, quæque assulatim frangitur, & ponderosa: nam quæ cariem sensit, & dum frangitur pulverulenta est, inutilis existimatur.

Nominis occasio. CUM eam Hispani primùm viderunt, çarçæ-parillæ nomen indiderunt, propter cognationem, quam cum nostra çarça-parilla (quæ smilax aspera est) habet. Certè nostratem expertus sum simili facultate præditam, cum illa quæ ex Hispania Nova adfertur, ad quam magis accedit, quàm ad hanc quæ in Honduras invenitur. Gustu insipido est, & sine acrimonia, nec ejus aqua hordeaceâ sapidior est.

LONGE alia erat ejus utendæ ratio cùm primùm in medicinam recepta est, quàm nunc est: tum enim Indorum consuetudo observabatur, quam in suis morbis curandis usurpare solent, ad quos profligandos maximæ reperiebatur efficaciæ. Verùm nostri sæculi deliciæ in causa fuerunt, ut eodem quo Guayaci aquâ modo nunc propinetur.

Çarçæ præparandæ apud Indos ratio. ÇARÇÆ-PARILLÆ selibra minutim concisa aquâ macerabatur, deinde in mortario diu tundebatur, donec omnino in mucaginem quandam resolveretur, quam deinde colabant, & exprimebant. Hujus liquoris ita expressi satis capacem cyathum calidum manè hauriebant, deinde stragulis sese tegebant, & duarum horarum spatio sudabant. Quòd si interdiu

interdiu sitis urgeret, idem mucor illis potus erat. Sub noctem, alium ejus calentis cyathum hauriebant, atque tantumdem temporis ut manè sudabant. Hic ordo triduo integro observabatur, ut neque aliud ederent aut biberent, præter eum lentorem calidum expressæ çarçæ parillæ. Hac ratione præparatam ego initiò plerumque propinavi; multosque meliùs curavi, quàm nunc sanantur. Subsecuta est alia ejus propinandæ ratio; videlicet:

DVÆ unciæ çarçæ-parillæ, lotæ, confractæ, & minutim concisæ, in novum fictile cum sex aquæ sextariis iniiciuntur, & vigintiquatuor horarum spatio macerantur: obturato fictili, coquuntur lento igne, è prunis incenso, ad quatuor sextariorum consumptionem; eâdem ratione ut in Guayaco diximus: refrigerantur, colantur, & fictili vitrato reconduntur. Eadem deinde çarça illo ipso fictili aquâ pleno maceratur, aliquantulum fervet, frigida colatur, & fictili vitrato asservatur. *Çarçæ parandæ aliorâ ratio.*

PVRGATVS, ut decet, æger, & calido cubiculo se continens, manè decem uncias prioris çarçæ-parillæ aquæ hauriet; sudabit duas horas; sudore deterso, indusium & lintea-mina mutabit, ut in Guayaci potione dictum est. Idem sub noctem, octo post prandium horis (nam sub undecimam prandebit) faciet: post sudorem uvas passas, amygdala, & panem biscoctum cœnabit, & de secunda aqua bibet. Quindecim diebus hunc ordinem observabit, nisi imbecillæ fuerint vires, tunc enim conceditur usus carnium exigui pulli assi, sensim quantitatem augendo. Lecto se continebit ad minimum novem diebus prioribus, reliquis in cubiculo sedebit, aut deambulabit, frigus & aërem fugiens. Decimo-quinto purgabitur leni aliquo medicamento, atque etiam trigesimo die, omnia ea observando quæ in Guayaci decocto sumendo enarravimus. Sed etiam post trigesimum diem bonâ victus ratione per quadraginta dies utetur, vinoque abstinebit & mulierum congressu. Hæc est vulgaris aquæ çarçæ-parillæ sumendæ ratio, cujus præparandæ modos secretiores etiam expertus sum, quos hîc recensere non pigebit, ne quid eorum prætermittamus, quæ ad çarçam parillam pertinent, quandoquidem medicamentum est, cujus usus & facultates maximè celebrantur. *Vtendæ modus.*

IAM annus est sextus & vicesimus, quòd Syrupum confeci, non modò in hac urbe, sed totâ Hispaniâ laudatissimum, ad morbum Gallicum, atque alios profligandos: nam neque calfacit, neque inflammat, Guayaci videlicet siccitate temperatâ, & çarçæ-parillæ calore mitigato: hoc modo.

ÇARÇÆ-PARILLÆ unciæ duæ, Guayaci quatuor, ut suprà dictum est, præparatæ, Zizipha sex & triginta, pruna passa vigintiquatuor, utraque ossiculis repurgata, florum Boraginis semuncia, violarum tantumdem, hordei mundi aliquot grana, in sex aquæ sextariis lento igne coquuntur ad quatuor sextariorum consumptionem: colantur, & decem hujus decocti unciis, una syrupi violati admiscetur. Calidus manè & vesperi sorbendus datur, eodem servato ordine qui suprà dictus est, sudorem etiam (si provocabitur) detergendo. Conceditur ab initio esus pulli gallinacei exigui, & reliqui cibi suprà enumerati, & bibitur simplex aqua çarçæ-parillæ, quæ fit ex ejus semuncia in octo aquæ sextariis cocta, ad duorum vel paulo amplius consumptionem. Eâ ratione curantur, cùm omne genus morbi Gallici, tùm reliqui, quos aquâ Guayaci, Chinæ, aut çarçæ-parillæ curari diximus. *Çarçæ syrupus prior.* *Vtendi ratio.* *Çarçæ aqua simplex.*

FVIT hoc serapium primò conscriptum in gratiam Pantaleonis de Negro Genuensis, qui licet jam multorum Medicorum operâ usus fuisset, atque Guayaci decoctum aliaque medicamenta sumpsisset, dejectissimis tamen erat viribus, scirrhoque insuper in crure, & sævis doloribus affligebatur: at sumpto serapio, probè curatus est.

FIT item alius syrupus hujusmodi: çarçæ-parillæ octo unciæ confractæ & concisæ, in octo aquæ sextariis ad sex consumptionem coquuntur; in binis qui supererunt sextariis, sacchari libræ quatuor iniiciuntur, fitque syrupus, ut moris est. Ejus syrupi tres unciæ manè, totidem nocte sumuntur, prandium esto è cibis boni succi, cœna sobria, potus è simplici çarçæ-parillæ aqua. Eo utatur donec absumptus sit, quo tempore ad sua negotia peragenda egredi non vetabitur. Curat hic syrupus plerosque ex morbis suprà enumeratis, sine molestia. *Çarçæ syrupus alter.*

EX ea etiam fit pulvis in hunc modum: Nervo illo interiore seu matrice exempto, çarça-parilla exsiccatur, contunditur, & cribratur. Hujus pulveris (purgato priùs corpore) drachmam manè jejunus sumit, atque simplicem prædictam aquam haurit; idem noctu facit dormiturus. Cibus sit boni succi, potus illa aqua simplex; vino abstineat. Vtilis est hic pulvis in lue venerea, aliisque morbis ab ea oriundis: nec non scabiem purulentam & saniosam in manibus & pedibus mirificè sanat, hac ratione: *Çarçæ pulvis.*

PVRGATVS æger, etiam (si necessitas urgeat) non purgatus, pulverem modo prædicto sumet; simplicem illam aquam sumet; & rimis quæ in hoc morbo à salsa pituita, corruptóque humore natæ, pedes & manus occupare solent, paululum aquæ sublimati rosaceâ sim- *Pulveris utendi ratio.*

 pliciore

pliciore dilutæ plumulâ illinet, deinde emplaſtrum Gulielmi Serventis vulgo appellatum, aut palmeum, panno ſericeo tenuiter inductum, omnibus locis quibus illita fuerit ſublimati aqua ſimplicior, imponet. Singulis diebus repetetur, & quindecim dierum ſpatio perfectiſſimè curabitur, nec aliis medicamentis opus erit: abſtergit enim, carnem generat, & ad cicatricem perducit.

Çarçæ aquæ uſus frequens. HODIE tam frequens eſt aquæ çarçæ-parillæ uſus modo prædicto, ut in omni morborum genere ſumatur, ſive in defluxionibus, flatibus, uterique morbis frigidis, ſive aliis quibuſcumque, modò non ſint acuti, aut iis febris acceſſerit: ideoque non minore copiâ multis locis aſſervatur decoctum ſimplex çarçæ-parillæ, quàm aqua vulgaris. *Quibus non convenit hujus aquæ uſus.* Certum eſt tamen, his qui calidâ, hepatis præſertim, intemperie laborant, non convenire: nimium etenim excalfacit: ſed ventriculos frigidos fovet, & flatus mirificè diſcutit. Illud autem animadvertendum eſt, has tres aquas non niſi Autumno, aut Vere propinandas eſſe. Calida eſt & ſicca in ſecundo ferè gradu.

Çarça-parilla ex Guayaquil. Guayaquil flu. NVNC ex provincia Quito cœpit inferri çarça-parilla, copiosè naſcens vicinis urbi Guayaquil locis, ad flumen ejuſdem nominis maximum, quod ex montibus Perüanis originem ſumens, ab Oriente in Occidentem vergit, & in Oceanum (quem del Sur vocant) circa Portum veterem labitur: *Guancavilcas.* *Guancavilcas* vocantur ejus regionis incolæ, & edentuli ſunt, quia pro more habent ut ſibi dentes eximant, quos ſuis idolis offerant, dicentes optima quæque eis offerri debere; hominem autem nihil præſtantius, nihil magis neceſſarium dentibus habere.

Guayaquil flu. aqua ſalubris. EIVS fluminis aqua admodum ſalubris, & multos morbos curare dicitur: iſtamque ob cauſam pluſquam ſexcentis miliaribus illuc concurritur ab Indis & Hiſpanis; qui multoties eâ aquâ ſe abluendo, & magnam ejus quantitatem ſæpiùs hauriendo manè, plurimum urinæ excernunt, & valdè ſudant, & conſequenter morbis liberantur, eodem ferè modo hac aqua utentes, quo in balneis Lucenſibus, Puteolanis, & fonte illo celebri apud Leodicenſes fieri ſolet.

Çarçæ Guayaquilanæ hiſtoria. SVNT qui putent ab hujus fluminis aqua çarçam-parillam facultates ſuas mutuari. Colore eſt ex cinereo nigricante; majoribuſque & craſſioribus radicibus conſtat, quàm quæ ex Honduras adfertur, iiſque interdum tam longis, ut altitudine humanâ fodiendum ſit, antequam erui poſſint.

Çarçæ exhibendæ prior ratio. DVPLEX verò ejus exhibendæ ratio apud illos obſervatur. Prior, qua Indi & nunc utuntur, & ab initio uſi ſunt, hæc eſt: çarçæ-parillæ radices, quot opus erit, ſumentes, nervo illo interiore repurgant; corticem, ſi ſiccæ ſint radices, macerant, donec molleſcat (virides maceratione non egent) deinde minutim concidunt, & additâ aquâ contundunt, ut ſuccus extrahi poſſit viſcidus & mucoſus, cujus manè eam quantitatem ſumunt, quam uno hauſtu aut pluribus bibere poſſunt; lectum deinde ingreſſi, plurimum ſudant; poſtea, mutatis linteis, pullum edunt, & corticis illius ſuccum hauriunt, in prandio, in cœna (quæ levis erit) atque interdiu: deligendus eſt tamen locus ab aëre & frigore liber. Hac ratione, & uſu conſervarum, neceſſariorumque aliquot fructuum ſiccatorum permiſſo, octo aut novem dierum ſpacio, omnibus morbis liberantur, quos çarça-parilla curare ſolet: validum autem & robuſtis viribus eum eſſe oportet, qui hac curatione utetur.

Çarçæ exhibendæ ratio altera. ALTERA iis conveniet qui imbecilliores ſunt, nec ſuperiorem, ſine manifeſto vitæ diſcrimine, ferre poſſent. çarçæ-parillæ nervo ſuo liberatæ, &, ut ſuperiùs, maceratæ, ſi ſicca ſit, deinde contuſæ, quatuor unciæ, pluresve aut pauciores (nam hîc nullus ponderis aut menſuræ uſus) in octo aquæ ſextariis ad dimidias decoquuntur, ex ea aqua quantum poſſunt ſemel aut pluries bibunt; in lectulo deinde ſe componunt, ad ſudorem provocandum, qui tametſi adeò vehemens non ſit, ut ſuperior, copioſus tamen eſt: mutatâ veſte, pullum edunt, & eadem aqua (nam uno die coctura abſumitur) cùm in prandio, tum in cœna illis potus eſt: ab aëre & frigore ſibi cavent: repetitum per quindecim aut viginti dies hoc medicamentum, omnes morbos ſanat, non ſine magna omnium admiratione, *In quibus morbis çarça non exhibeda.* præter febrem, aut morbos acutos, in quibus çarçæ decoctum exhiberi non ſolet. Iſtic neque initio diætæ, neque in media, neque ſub finem ſeſe purgant, uti nos facimus (nam & medici & medicamenta compoſita illis deſunt) ſed muliercularum dumtaxat operâ utuntur, quæ illis hujus decoctum pro arbitrio exhibent.

ILLVD verò obſervatione dignum in hac curatione, quòd ſolus radicis cortex, nervo exempto, in uſu eſt (efficax enim ille; nervus inutilis, imò operationem, niſi eximatur, impediens.) Ideoque nunc eorum exemplum ſecutus, ſolo cortice in hunc modum uti ſoleo.

Çarçæ præparandæ ratio optima. QVATVOR corticis çarçæ-parillæ lotæ uncias in octo aquæ ſextariis, viginti quatuor horarum ſpatio macero, deinde ad dimidias decoquo: quòd ſi calorem in ægro metuo, hordei mundati dimidiam unciam inter decoquendum adiicio, & in magno calore, vulgaris

garis aquæ loco, cichorei ſtillatitium liquorem cum hordeo ſubſtituo. Hæc aqua temperatiſſima eſt; & admirandos ejus effectus in multis expertus ſum.

Observandum item eſt, ut quantâ poſſit quantitate æger hanc aquam, uti retulimus, bibat, ſive uno hauſtu, ſive pluribus, quia magnam quantitatem bibendo plus ſudabit, & citiùs certiuſque ſanabitur. Itaque hanc novam ſumendæ çarçæ-parillæ rationem maximè utilem fore puto, faciliuſque & breviore tempore curandos ægros.

Eivs quæ ad fluvium Guaiaquil & in Puna inſula naſcitur çarçæ-parillæ mentionem facit Petrus Cieça parte primâ Chronici Perüani, capite 54. alteriq; naſcenti pleriſque Indiæ regionibus præfert: meminit item capite ſuperiore de illa ratione dentes in ſacrificiis offerendi.

Aliam addit Fragoſus eius præparandæ rationem, quæ eſt: çarçæ-parillæ libra una bis lota, bene contuſa, & minutim conciſa, in decem & ſex aquæ ſextariis toto triduo maceratur, deinde lento igne coquitur uſque ad integram ferè conſumptionem, hoc eſt, ut acetabulum ſeu ſcutella eius decocti ſolum remaneat: çarça ſtatim exempta prælo imponitur, ſuccúſque exprimitur ad uncias duas aut eo amplius, etiam ſi ex eo quod ſuperfuit decocto quantitas augeri debeat. Lento igni imponitur; ubi fervere cœperit, pulveris aloës optimæ unciæ duæ, myrrhæ ſelectæ, nucis ponticæ magnitudine, croci momentum (ſunt qui Ligni aloës puſillum addant capitis roborandi cauſa) iniiciuntur; & continuè agitantur, donec amyli craſſitudinem contrahant: ex ea maſſa catapotia formantur. Ex his duo ſingulis decem prioribus diebus devoranda dantur, & ſingula reliquis viginti, ſub horam undecimam à meridie. Si verò inveteratus ſit morbus, & æger validus, tria ſingulis decem prioribus diebus, bina ſubſequentibus decem, ſingula reliquis ſumi poterunt. Dimidia gallina elixa in aqua (cui ſalis & croci momentum, & aliquot ciceris grana injecta ſint) meridie datur edenda, reliqua pars in cœna. Potus erit aqua çarçæ ſimplex. Surgant horâ decimâ, cubitum eant ante ſolis occaſum. Iſtis catapotiis graviſſimos dolores, & brachiorum crurúmque paralyſes curari experientiâ ſe conſecutum ſcribit. Catapotia ex çarça.

Carlo Sancto.

Cap. XXIII.

Ante triennium ex Mechoacan provincia relata eſt quædam radix *Carlo Sancto* appellata, cujus inſignes facultates prædicant.

Nostro Lupulo ſimilis eſt, & perticis adpoſitis ſe convolvit, illius more; quibus ſi careat, humi ſpargitur & diffunditur: folia etiam habet lupuli foliis ſimilia, viridi colore ſaturatiore prædita, gravis odoris: nec florem nec fructum ferre creditur: radix ejus craſſo capite conſtat, è quo aliæ radices oriuntur digiti majoris craſſitudine, candicante colore: cortex facilè ſeparabilis, cujus præſertim uſus, aromatico quidem odore præditus eſt, ſed amaro ſapore cum quadam acrimonia: radicis nervus cortice ſpoliatus, multis quaſi filuris ſive tabellis tenuiſſimis conſtare deprehenditur, quæ ſigillatim ſeparari poſſunt. *Carlo ſancto hiſtoria.*

Naſcitur temperatiſſimis provinciæ Mechoacan locis, ſolo neque nimium ſicco, neque humido. Calida & ſicca initio ſecundi gradus. *Natales. Temperamentum.*

Radicis cortex manè aliquanto tempore commanducatus, multam pituitam, & alios humores ex capite elicit, eamque ob cauſam, rheumatiſmos, capitis dolores & defluxiones curat: in nonnullis etiam vomitu multam bilem & pituitam è ſtomacho expellens; illius verò decoctum maximè, cujus gratiâ ventriculum noxiis humoribus liberat, eumque roborat: purgationem tamen præcedere neceſſe eſt. *Facultates.*

Idem etiam manducatus, gingivis abſcedentibus auxilio eſt, denteſque à ſcabritia & corruptione liberat, oriſque halitum commendat: ſed poſtea os vino eluendum, ad tollendam amaritudinem.

Pulveris ejus exigua quantitas ex vino albo aut adianthi canellæque decocto ſumpta, vulvam obſtructionibus liberat, menſeſque provocat, & flatus diſcutit, purgato videlicet priùs corpore, & alvo (dum eo remedio utetur) Liquidambar & Dialthææ unguento ex æquis partibus inunctâ. Idem cordis affectibus, præſertim qui ex uteri ſympathiâ oriuntur, auxilio eſt, eodem modo ſumptus, aut radicis decoctum hac ratione præparatum. *Pulvis.*

Radicis minutim conciſæ drachmæ duæ in tribus aquæ ſextariis coquuntur ad dimidias, corticis citri in pulverem redacti drachmæ quatuor, pulveris canellæ dachmæ duæ, ſtatim iniiciuntur, ac denuò fervent, deinde colantur. Iſtius decocti ſex unciæ ſingulis diebus manè addito ſaccharo propinantur, purgato tamen priùs, ut decet, corpore. *Decoctum.*

Hunc pulverem & decoctum nonnulli in luis venereæ affectibus, atque etiam epilepſia commendant. Alterum experiri non valdè neceſſe eſt, quòd multis aliis ad eam luem remediis abundemus. Alterius periculum faciam in iis qui viceſimum quintum ætatis annum nondum exceſſêre: nam epilepſiam in adultis tolli non eſt veriſimile.

Descriptis his *Carlo Sancto* facultatibus, qui proximâ claſſe è Nova Hiſpania advenerunt,

Indica radix. nerunt, istam radicem *Indicam* cognominabant, eamque valdè æstimabant: tantas enim illius facultates experientiâ comprobatas se habere dicebant, præter eas quas modò enumeravimus, ut plures de Roremarino celebrari non soleant.

Facultates. Ejus corticem in pulverem tritum puerperis obstetricum negligentiâ animi deliquium patientibus, propinant; plurimum enim sudorem provocando liberantur. Idem pulvis ex vino aut florum malorum aurantiorum stillatitio liquore datus, mulieribus partus difficultate laborantibus magnam utilitatem adfert.

Monachus quidam ventriculi debilitate affligebatur, ortâ tam ex frigidorum humorum abundantiâ, quàm ex imbecillo calore naturali, sic, ut nec cibum concoquere posset, sed is corrumperetur, & in magnos flatus converteretur: has radices cùm pro sua opinione in aqua decoxisset, çarçæ-parillæ modo, decoctum per multos continuos dies in prandio & cœna hausit: id illi adeò feliciter cessit, ut & ventriculus roboraretur, & concalesceret, eademque operâ cibos postea probè concoqueret, acidis nidoribus liberaretur, & flatus absumerentur. Aliud præterea consequutus est non speratum auxilium: nam herniâ (quâ per multos annos laborabat, sic, ut braccis & ligaturis quasi assiduè uti cogeretur, nec nisi certis quibusdam intervallis eas deponere posset) liberatum sese sensit, cùm bimestri hujus radicis decocto usus fuisset; nec braccas ampliùs adposuit, sed sine illis incessit.

Utile etiam est hujus radicis decoctum ad os colluendum: nam gingivas roborat, dentes à corruptione conservat, atque si jam corrumpi incipiunt, ne latiùs malum serpat, impedit.

CETERUM adversus hoc malum habeo remedium multorum jam annorum experientiâ comprobatum, ut videlicet æquis partibus aquæ è rosarum calycibus stillaticiæ, & aceti scilliciti subinde os colluatur: nam certissimum est dentes eâ collutione à putredine liberari, & si illâ jam correpti sint, ne ulteriùs serpat, prohiberi.

Sassafras.

CAPUT XXIV.

LIGNI quoddam genus ex Florida novi orbis provincia, quæ 25. graduum altitudine polum habet, nunc recens in Hispaniam invehitur, cujus ante paucos annos notitiam Gallus quidam mihi dedit, ejus facultates mirum in modum prædicans adversus varios morbos, ut ipse & alii Galli experti erant, ab ejus regionis incolis edocti.

PROFLIGATIS ex ea regione Gallis nostri Hispani, ob pravi succi alimenta, aquarum crudarum potationem, & sub dio dormitiones in similes morbos incidere cœperunt, quibus Galli afflicti fuerant, continuas videlicet febres, quas subsequutæ obstructiones, deinde inflationes & tumores, atque ab initio morbi dejectus appetitus, aliaque symptomata quæ hujusmodi febres sequi solent: deficientibus igitur aliis remediis, à quibusdam, qui remanserant, Gallis, de hujus Ligni facultatibus moniti, eo usi sunt, & sanitati restituti.

Pavame. DICITUR hæc Arbor Indis *Pavame*, Gallis (quos imitati sunt Hispani) nescio quam *Sassafras.* ob caussam, *Sassafras.*

Pavame seu Sassafras historia. ARBOR est magna, Pini mediocris magnitudine & formâ (tametsi minores inveniantur) unico trunco nudo, ramis in cacumine expansis, ut Pinus repurgata: cortice, quem integit tenuis cineracea quædam pellis, ex gilvo nigricante, aliquantulum acri sapore, sed aromatico, nonnihil ad fœniculaceum accedente, odorato, ita ut pauca ejus quantitas cubiculum suo odore impleat: materie trunci & ramorum albâ ad cinereum colorem tendente, non adeò aromatici saporis & odoris uti cortex: folio ficulneo in angulos desinente, novello verò folio pyri folium æmulante, sed quod vestigia angulorum habeat, semper virente, hoc est, foliis novellis, his quæ decidunt, semper succedentibus, colore viridi obscuriore, odorato, præsertim si siccum sit: an florem fructúmve ferat, adhuc incompertum: radicibus nunc crassis, nunc tenuibus, pro arborum magnitudine, levibus, sed minùs quàm lignum, per summos terræ cespites expansis, ut facilè evelli possint; quod ferè commune est omnibus arboribus Indicis (imò referunt Hispanicas arbores eò delatas, steriles fieri, nisi in summa terra pangantur) cortex radici firmiùs inhæret cineraceus, ipsiúsque arboris cortice magis aromaticus: ideoque radicis decoctum odoratius & præstantius est, & ab Hispanis istic usurpatur.

Natales. NASCITUR in maritimis, & locis temperatis, hoc est, neque nimium siccis, neque nimium humidis, ut in portubus S. Helenæ, & S. Matthæi: nam alibi per universam Floridam haud facilè invenias: istic verò sunt integræ silvæ, quæ ob suavissimum quem spirant odorem, ab Hispanis primùm eò venientibus, arborum Canellæ esse existimabantur, nec

nec immeritò; nam haud minùs odoratus eſt & acris hujus arboris, quàm Canellæ cortex, & eoſdem effectus præbet ejus decoctum, quos Canellæ.

OMNIVM optima eſt radix, deinde rami, tertiò truncus, ſed cortex omnibus præfertur. Eam ob cauſam, radix minimâ omnium quantitate datur, rami majore, truncus duplicato radicis pondere: eligendum autem lignum quod ultra annuum ſpatium non ſit reſectum, aut quàm fieri poſſit recentiſſimum, atque ſuum corticem retinens: nam quod hoc caret, vile & invalidum eſſe cenſent. *Delectus.*

ARBORIS & ramorum temperamentum calidum & ſiccum eſt in ſecundo gradu, cortex aliquantò calidior, ad initium tertii gradus in calore & ſiccitate accedens: quibuſdam calidus in fine primi, ſiccus in tertio gradu. *Temperamentum.*

LICET Corticis & Ligni uſus dumtaxat in medicina receptus ſit, Indi tamen recentia folia trita vulneribus imponunt, & ſicca in alios medicos uſus ſervant.

EIVS decoctum commendatur in omni morborum genere, præſertim verò in obſtructionibus, & partibus internis roborandis: ad tertianas & febres antiquas. Commodè ex ſaccharo propinatur defluxione laborantibus, aſthmate, pectoris vitiis ex frigiditate provenientibus, & conſequenter doloribus nephriticis & renum, è quibus calculum eiicit, & flatus diſcutit; quam etiam ob cauſam uterum ad conceptionem præparat, & menſes provocat. Vomitus cohibet, concoctionem juvat, alvumque ſubducit. *Facultates.*

ILLIVS fragmentum aſſiduè geſtare & odorari maximè prodeſt adverſus peſtis contagia, præſertim non neglectis aliis remediis. Denique, ob ingentem ſiccitatem & moderatum calorem, remedium excellens ad omnis generis defluxiones, quia eas abſumit: ſed his qui extenuati ſunt & imbecilles, non convenit.

CETERVM quoniam quotquot ex Florida advenerunt, plurimum diſcrepant in decoctionis hujus ligni ratione (ſinguli enim peculiarem, nullo delectu ſervato, coquendi modum referunt) magnum ſcrupulum iniiciunt his qui illo uti cupiunt, atque medicis qui præſcribere debent. Dicam igitur quid agere ſoleam.

OBSERVATO ægri temperamento, pro illius ratione aquam paro; ex minore ligni quantitate, minùs decoctam, bilioſis; majore quantitate, magiſque decoctam, pituitoſis; ſanguineis, medio modo: morborum ſimiliter qualitates expendo; quod niſi fiat, quin multi errores in hujus aquæ uſu committantur, fieri non poteſt. Nemo etenim exiſtimet, ſumptâ ſine methodo iſtâ aquâ, ſanitatem, ad quam aſpirat, conſecuturum, ſed magnum potiùs damnum ſibi pariturum: itaque meo conſilio peritus medicus priùs adeundus, qui coquendæ ac adminiſtrandæ aquæ rationem edoceat. Nam & temporis quo exhibenda, & regionis, & temperamenti ægrorum, atque virium ipſorum habenda eſt ratio: quam qui non obſervant, ſubinde in vitæ diſcrimen incidunt. Vt nobili cuidam Matronæ contigit, cui, ob quoſdam uteri morbos, & intemperiem admodum frigidam, Saſſafras uſum conſului, illiuſque ſumendi rationem præſcripſi: ſed cùm citiùs ſe convalituram arbitraretur, ſi auctâ ligni quantitate aquam diutiùs quàm indicaveram decoqueret: illius aliquot dierum uſu in tam vehementem febrem incidit, ut non modò aquam interdicere, ſed etiam ſanguinis miſſionem quinquies repetere neceſſe fuerit, nec id ſine vitæ ipſius periculo, & medicamenti infami notâ. Sanitati tamen reſtituta, denuò aquam hauſit eâdem præſcriptâ à me ratione paratam, & gravibus ſymptomatis, quibus affligebatur, liberata eſt. *Quæ in decoctione Saſſafras obſervanda.*

DECOCTI autem ſeu aquæ legitimè præparandæ hæc eſt ratio. Radicis cum ſuo corticeaſſulatim confractæ uncia dimidia, in ſex aquæ ſextariis, fictili novo duodecim horis maceratur: lento igne ad quatuor ſextariorum conſumptionem decoquitur: colatur, & in fictili vitrato adſervatur. Poſtmodum ſupra eadem fragmenta tantundem aquæ ſuperinfunditur, decoquitur ad ſextarii conſumptionem. Ea eſt ſecunda aqua, quæ ordinarii potus loco erit. *Decocti parandi ratio.* *Aqua ſimplicior.*

ILLVD verò obſervandum eſt, plus aut minus ligni in decoctionem iniici, viribus & temperamento ægrorum conſideratis: etenim minore quantitate, & minùs cocta propinatur hæc aqua bilioſis, quàm pituitoſis, ut jam dixi. Sed vulgariter media ſextarii pars aquæ tepidæ ſumitur manè, deinde ſudatur, & veſtis mutatur; nec quiſquam eorum qui hoc medicamentum ſumpſerit, lecto ſe continere cogitur. Prandium ſit media gallina aſſa, cum aliquot uvis paſſis, & amygdalis, & avellanis toſtis: cœna ſit è cõſervis convenientibus morbo qui curatur, potus ſecunda aqua. Singulari experimento didici hoc decoctum, ut dixi, propinatum, utiliſſimum illis fuiſſe, qui pedes & manus ex podagra ſic contortos habebant, ut iis uti non poſſent. Ad luem item veneream non minùs utile quàm Guayaci aut Chinæ decoctum. Ligni fragmentum præmanſum eo dente qui dolet, & iſtic retentum, dolorem ſedat. *Eius uſus.*

PORRÒ qui tam exquiſitâ victus ratione uti nollent, aquam ſimplicem hac ratione decoquant. *Aquæ parandæ ratio.*

decoquant. Ligni assulatim confracti semuncia, plúsve aut minus, pro conditionibus jam enumeratis, in sex aquæ sextariis ad dimidias coquitur: eâ aquâ diu utendum cùm in prandio, tùm in cœna & interdiu. Qui vino abstinere non nôrunt, eâ aquâ diluere poterunt, etenim saporis & odoris gratiam vino conciliabit.

Donati initiò fuimus fragmento huius ligni à Francisco de Zennig, Pharmacopola Bruxellensi diligentissimo, mihique amicissimo: sed proximis his annis Londino ab aliis etiam amicissimis viris C. V. Richardo Garth, Hugone Morgano pharmacopœo Regio, & Iacobo Gareto mihi Viennam missa magna eáque libralia fragmenta, quæ odore & sapore fœniculum quidem referebant, gustata tamen, plantæ illius saporem magis reddere videbantur, quæ vulgo Draco, nonnullis Tharco dicitur, acetariis familiaris, & cortex eius multo magis. Lignum cum suo cortice adeò Tamarici simile est, ut, nisi odor & sapor obstarent, pro eo accipi posset: cortex interiore parte qua ligno adhæret nigricat, & lævis est; exteriore, rugosus & ex cinereo rubescens. Magis vulgatum deinde esse cœpit hoc lignum, & arboris integri ferè trunci adferri. Sed & in Wingandecao, ab Anglis, qui eam occuparant, Virginia dicta, nasci intellexi, & inde virgulta eius arboris in Angliam esse delata.

Anno porrò millesimo sexcentesimo, Iacobus Garetus Londino ad me mittebat Sassafras fragmentum altero odoratius & magis aromaticum, cuius etiam color à vulgari diversus; etenim flavescebat: ipsa tamen ligni materia prorsus similis.

Molle. *CÆTERUM odor fœniculi mihi in memoriam reuocat arborem in Peru nascentem, Molle vocant, cuius ego pusillas duas plantas, è semine natas, vidi ante aliquot annos Machliniæ in horto splendidissimo Illustris Viri Dn. Ioannis de Brancion, sed quæ tertio anno perierunt hiemis iniuriâ.*

Molle historia. *ERANT autem eæ arbusculæ trunco (quia tenellæ) ex viridi nigricante, multis consperso veluti maculis cinereis; folia pennata ut fraxini, sed multo minora, ex viridi nigricantia, serrata, & sub extremum angustiora, quæ ab arbusculis revulsa lacteo succo, eóque lento viscido, & odorato manabant: ipsa folia trita fœniculi odorem reddebant, gustata adstringentis facultatis nonnihil habere videbantur. Fructus ex quo nata sunt, piperis ferè magnitudine, oleaginosus, pellicula rubescente tectus, racematim cohærens, ut ex eius icone, quam ad vivum depingi tum temporis curavimus, conspicere licet: florem quem habeat ignoramus, sed quibusdam auctoribus minutus est, vitis flori similis.*

ANNUS porrò agitur trigesimus quintus, quòd hanc Molle iconem ex ramo recens ab arbuscula semine nata detracto delineari curabam, cum fructus uva ex Hispaniis accepta. Sed anno M. D. XCVI. à doctissimo viro Simone de Tovar Hispalensi Medico, Molle ramulos accipiebam suis racemis immaturis onustos, qui foliorum formam ab istis diversam habere mihi videbantur: nam licet alata etiam essent ut illa quæ in hac icone expressa, per oras tamen serrata non erant, paullóque angustiora apparebant; præterea foliorum alæ in singulare oblongúmque folium non desinebant, sed in bina, instar foliorum Lentisci, eáque reliquis minora.

Affirmabat similiter Clarissimus vir Everardus Vorstius Medicus, qui tunc Româ recens advenerat, nunc autem est celebris huius Academiæ publicus Professor, Molle arborem Romæ se conspexisse, cuius quidem folia alata essent, instar huius quam hîc exhibeo, sed in ambitu minimè serrata.

Mea verò persimilis semine nata est in Anglia, teste C. V. Matthia de Lobel, qui eius iconem exhibuit Commentario de Balsamo, non ita pridem in lucem producto. Verisimile autem est, adultas arbores & iam fructum ferentes, foliorum formam immutare.

MOLLE.



Natales. *HÆC arbor abundanter nascitur in convallibus & locis planis Peruanæ regionis, ut referunt omnes qui Occidentalium Indiarum historiam scripserunt: sed Petrus Cieça maximè, qui eius descriptionem hoc modo cap. 112. primæ partis Chronici dat:*

Molle historia alia. *TOTO hoc tractu conspiciuntur magnæ quædam, & etiam parvæ arbores, quas Molles appellant incolæ: folia habent minuta, odore fœniculi, cortice adeò commendato, ut eius decocto crurum dolores & inflationes summâ cum utilitate foveantur: ex ramulis fiunt dentiscalpia utilissima.*

Molle vinum. *Ex huius fructu cum aqua decocto, pro cocturæ modo, fit aut vinum, sive potio admodum bona, aut acetum, aut mel: tantóque in pretio apud Indos sunt hæ arbores,*

Facultates. *ut quibusdam locis eas consecratas suis Idolis habeant. Addunt nonnulli, eius arboris foliorum decoctum doloribus ex frigida causa ortis auxilio esse; illius verò gummi, quod Mannæ modo candidum est, lacte dissolutum, caliginem oculorum abstergere.*

Canella Novi orbis.

CAPVT XXV.

ANNO Domini quingentesimo quadragesimo supra millesimum, Franciscus Piçarrus fratrem Consalvum regioni Quito præfecit: ad quam alacri animo profecti sunt Hispani, quoniam eâdem operâ illam petebant provinciam quæ à Canella nomen sumpsit, Quito ulteriorem. Maximè celebris erat inter Hispanos Canellæ rumor, nam magni rem esse pretii ab Indis intellexerant.

ITER itaque Consalvus Piçarrus instituit cum ducentis Hispanis: quod cùm asperum esset, & annonæ difficultas ubique premeret, non sine magnis molestiis in eam provinciam pervenerunt in qua Canella nascitur, ab Indis *Çumaca* appellatam, & sub æquatore sitam. *Çumaca provincia.*

PORRÒ arbores quæ Canellam ferunt, mediæ sunt magnitudinis, & immortali comâ præditæ, uti reliquæ Indicæ arbores, foliaque habent laurinis similia: fructus est parvo pileo seu petaso formâ similis, eâ latitudine quâ nummus Hispanicus octo regalibus æstimatus (qui Germanici taleri amplitudinem æquat) interdum etiam major, intrinsecus & extrinsecus ex purpura nigricans, interiùs lævis, foris asper, quibus margines crassitudine jam dictum nummum æquant, summitas verò longè superat, & pediculo prædita est, unde ex arbore dependet: gustatus eandem saporis suavitatem & odoris fragrantiam habere deprehenditur quam legitima Canella ex Orientali Indiâ delata, cum nonnulla adstrictione conjunctam: in pulverem tritus, & eduliis inspersus, eandem illis saporis & odoris gratiam conciliat quam Indica Canella: arboris cortex, qui crassus est, nullum Canellæ spirat odorem, aut saporem refert. An interior tenuiórque membrana simile quid obtineat, me latet: nam crassiorem dumtaxat corticem ipsumque fructum vidi. Folia trita tenuem quendam Canellæ odorem spirare ferunt: sed primaria vis in solo fructu consistit, contrà quàm in Orientalis Indiæ Canella, quæ omnem odoris & saporis gratiam in cortice obtinet, ut omnibus notissimum. Verum quidem est alteram alteri præstare, quoniam (licet ejusdem generis sint omnes arbores quæ Canellam ferunt) aliæ tamen tenuiore cortice præditæ sunt, qui magis commendatur; aliæ crassiore, qui superiori bonitate cedit. *Canellæ historia.*

Hinc factum est ut nonnulli Canellam in varia genera distinxerint, videlicet in Cassiam, in Cinamomum, & in Cassiam ligneam, cùm tamen unius arboris genus istos cortices proferat, & sola loci varietas faciat alteram alterâ præstantiorem: itaque Cassia & Cinamomum solis nominibus differunt, cùm utrumque Canella tenuior & præstantior sit: eam ob rem, ubi Cassia præscripta invenitur, Cinamomum substitui potest, & è contra. *Cassia. Cinamomum. Cassia lignea.*

VTILIS porrò ad multa est noster hic fructus Canella vocatus: nam in pollinem tritus ventriculum roborat, flatus discutit, oris fœtorem corrigit, & ad ventriculi dolores præstans est remedium: cordi prodest, & colorem faciei commendat: pultibus & cibis veluti Canella inspergitur, nam iisdem facultatibus præditus est: è vino aut aquâ ad eam rem accommodâ sumptus, muliebres purgationes molitur. *Canellæ Peruanæ facultates.*

Calidus est in tertio excessu, & siccus in primo, cum manifesto robore, ob adstrictionem qua præditus est.

HVIVS *Canellæ meminimus in nostris ad cap. XV. lib. I. Aromatum scholiis ex Francisco Gomara & reliquis qui Peruanam historiam descripserunt, & commodiùs sanè quàm hic Auctor.*

Lignum Aromaticum.

CAPVT XXVI.

BERNARDINVS de Burgos, Pharmacopola, unà cum Sulphure infrà describendo mihi ostendit Ligni cujusdam fragmentum, Ligno sancto, quod ex insula D. Ioannis de portu divite adfertur, ferè simile, cujus corticis odor & sapor adeò aromaticus & excellens est, ut macis, aut nucem myristicam longè superet, imò Canellam odoris suavitate, piper acrimoniâ. *Lignum aromaticum.*

MAGNA hujus ligni quantitas in monte quodam cæsa fuerat à Nauclero è Havana [*portu Cubæ insulæ ad Septentrionem sito, & Floridæ provinciæ ferè opposito*] redeunte, & in navem seu Liburnicam delata, ignis struendi causâ. Unde perspicere licet, quàm multæ arbores, & aliæ plantæ in nostris Indiis inveniantur insigni facultate præditæ, quandoquidem ignis struendi gratiâ tam odoratis & aromaticis arboribus utantur, quarum cortice in pulverem redacto, cor & ventriculus roborari, reliquaque membra foveri possent, & Aromatum ex

Maluccis

Maluccis insulis. Arabiaque, & Perside usque petitorum, vices supplere. Sed nos accusandi, qui eas diligentiùs non inquirimus & investigamus, cùm sponte montibus locisque incultis nascantur.


Simile lignum me nactum esse arbitror anno nonagesimo septimo supra millesimum & quingentesimum. Truncus enim quem in plures orbiculares partes serrâ resectum conspiciebam, solidâ & durâ materiâ constabat, eáque non minùs gravi quàm Guayacum, candidiore tamen, licet aliquot nigricantibus venis distinctâ: illius etiam cor nigrum instar Guayaci, odor autem valdè tenuis erat, ut qui vix percipi posset, sapor verò nonnihil calidus.


Ceterùm orbiculare illud fragmentum quod accipiebam, palmaris erat longitudinis sive altitudinis, & quinque unciarum diametrum ferè habebat, cortice suo denudatum: quapropter initio nihil de illo pronunciare poteram, nisi Guayaci genus aliquod vilius videri, donec anno insequente aliud fragmentum suo cortice adhuc tectum nanciscerer: tum demum diligentiùs observato & cortice & ligno, illud esse de quo Monardus scripserat, confidentiùs asserere audebam. Comperiebam enim illius descriptionem huic ligno prorsus convenire, atque huius corticem, cortici ab illo descripto ita ad amussim quadrare, ut, quin ille ipse sit, nemo ambigere posset. Quùm verò in solo cortice sit illa odoris & saporis gratia, mirari subit, cur Monardus ligno potiùs, quàm cortici, aromatici nomen tribuerit.

In ea porrò sum opinione, ipsi ligno aliquas inesse facultates, illis, quæ Guayaco tribuuntur, non dissimiles: & forsitan qui in Angliam id adferebant, arbitratos, se quæstum ex eo, perinde atque ex Guayaco facturos: verùm quum suâ spe frustratos animadverterent, ex eo globos tornari curasse (ut mihi relatum) quibus exercitii gratiâ ad iactum uterentur, propter ligni soliditatem & gravitatem.

Præter institutum autem me non facturum existimavi, si orbiculare illud fragmentum suo cortice tectum, in tabella expressum, hìc subiicerem, tametsi locum etiam habuerit cap. 11. lib. IV. Exoticorum, in quo de Canella alba ago.

LIGNUM seu potiùs CORTEX AROMATICUS.





Lignum ad renum affectiones & urinæ incommoda.

CAPUT XXVII.

Lignum Nephriticum.

NOBIS etiam mittit Nova Hispania Ligni quoddam genus crassum & enode, materie Pyri, cujus usus jam diu receptus fuit in his regionibus, ad renum vitia, urinæque difficultates & incommoda. Posteà experimento comprobatum est, ejus aquam in Iecoris & Lienis obstructionibus utilem esse. Illa autem hac ratione paratur.

Aqua ligni Nephritici.

LIGNUM assulatim & minutim concisum in optima & limpidissima aqua fontana maceratur, atque in ea relinquitur, donec aqua à bibentibus absumpta sit. Dimidia hora post injectum lignum, aqua cæruleum dilutiorem colorem contrahit, qui sensim intenditur pro temporis diuturnitate, tametsi lignum candidum sit: cæruleum ideò dico, quoniam adulteratur alio ligno simili, quod aquam croceo colore inficit, ne quis fallatur.

HAC aquâ assiduè utuntur, eâ vinum diluunt, & mirabiles experiuntur effectus, sine ulla humorum commotione, neque opus est aliâ victus ratione quàm temperatâ: aquæ enim sapor non magis immutatur ligni injectione, quàm si pura esset, & nihil in ea maceratum. Calidum & siccum est in primo gradu.

Payco Herba.

CAPUT XXVIII.

Payco.

HERBA quædam ex Peru mittebatur ab incolis *Payco* nuncupata, cujus folia Plantaginis foliis formâ & colore sunt simillima: ea resiccata valdè tenuia erant; & gustata, impensè acria calidaque deprehendebantur.

Eius facultates.

EIUS pulverem ex vino sumptum, nephriticum dolorem à flatibus aut frigida causa provenientem tollere aiebant: ipsam verò plantam coctam, & emplastri modo dolenti loco impositam, eundem effectum præbere: quod verissimum esse, ipsâ experientiâ didici.

Herba ad Renum morbos utilis.

CAP. XXIX.

Alia item mittebatur admodum utilis ad renum affectus à calida causa provenientes, ejus succo cum rosaceo unguento mixto, parti dolenti illito, & ipsius plantæ foliis superimpositis: in erysipelate autem & inflammationibus succus illitus valdè conferre dicitur; nam inflammationem tollit, & dolorem mitigat. *Herba renibus utilis.*

Erant autem illius folia, veluti lactucæ recenter natæ & adhuc tenellæ folia, & simili viriditate prædita, quæ gustata insipida deprehendebantur: unde conjecturam faciebam, perfrigidam esse herbam.

Cachos.

CAPUT XXX.

Missum præterea semen plantæ *Cachos* appellatæ, quam nasci ferunt arbusti modo, insigni viriditate præditam, folio rotundo & tenui: fructum ferre malo insano similem, alterâ parte sessilem, alterâ turbinatum, cinerei coloris, grati saporis & acrimoniæ expertis, valdè minutum semen continentem. Inveniri dumtaxat in Peru. *Cachos historia.*

Magnæ apud incolas est æstimationis, ob insignes ejus facultates: nam urinam ciet, arenulas & calculum è renibus pellit; quodque præstantius est, illius usu calculum in vesica comminui ferunt, si mollis adhuc sit, ullisque medicamentis comminui queat: ejusque rei tam multa proferunt exempla, ut admirationem mihi pariat: nam mea est hæc opinio, vesicæ calculum expelli non posse, solamque exemptionem illius esse remedium; nullum autem medicamentum adeò efficax reperiri, quod eum confringere valeat: aiunt tamen illius semen tritum ex aquâ aliquâ ad eam rem idoneâ sumptum, calculum in lutum dissolvere, quod excretum denuò concrescat, & in lapideam duritiem convertatur. *Ejus facultates.*

Adolescentem vidi, cui hoc obtigisse scio. Is cùm vesicæ calculo torqueretur, idque à lithotomis, qui calculum deprehenderant intellexissem, & ex symptomatis quæ patiebatur agnoscerem; hominem veris initio ad fontem, qui à *petra* nomen habet, ablegavi: ubi cùm duos menses hæsisset, à calculo liberatus rediit; & omne lutum, quod paulatim ejecerat, denuò in lapidea fragmenta concretum in chartâ secum retulit.

Pauculum semen quod habeo terræ committam; si nascetur, utemur, ut ejus facultates, quas tantopere in hoc morbo prædicant, experiamur.

Lapis Nephriticus.

CAP. XXXI.

Lapis hic in Nephritide maximè laudatus ex Nova Hispania etiam defertur. Prassio lapidi similis, qui ad viridem colorem lacteo permixtum tendit: præfertur viridior. *Nephriticus lapis. Prassius lapis.*

Advehuntur isti lapides variis formis effigiati, quales antiquitus possidebant Indi, alii piscium formâ, alii avium capitibus, alii psittaci rostris similes, nonnulli rotundi sphærularum modo, atque omnes perforati, quoniam Indi eos appensos gestare solebant, adversus Nephritidis, aut stomachi dolores, in quibus morbis valdè commendatur. Sed ejus præcipua laus est ad Nephriticos dolores, tum ad calculum expellendum, & arenulas. *Nephritici lapidis varia forma. Facultates.*

Nobilis mihi notus unum habet, cui nullum alium comparandum vidi; nam eum brachio gestans, tantâ arenularum quantitate liberatur, ut, metuens ne noxia sit tanta ejectio, interdum illum deponat; nullumque tum ampliùs calculum ejicit. Sed dolore premente denuò eum gestans, statim levatur aut minuitur dolor, multarum arenularum, atque etiam calculorum expulsione. Eâ etiam occultâ facultate præditus est, ut ab ejusmodi dolore præservet gestatus, renum calorem mitigando.

Ducissa Bejar ter brevi temporis intervallo Nephriticis doloribus afflicta, armillam ex eo lapide sibi confecit, quam perpetuò gestat: ex illo tempore (quod decennium superat) eo dolore nunquam vexata est.

Alii multi senserunt idem levamen: eamque ob causam magno in pretio sunt hujusmodi lapides; nec, uti initiò, tam facilè adquiri possunt, quòd soli earum provinciarum Reguli & Domini eos possideant; nec immeritò, cùm tam admirandæ sint illorum facultates.

Lapis Tiburonum.

CAP. XXXII.

Tiburon piscis. IN mari Indico ferreis hamis capiuntur pisces *Tiburones* nuncupati, maximi, validissimi, pugnacissimi, & truci aspectu, qui cum lupis marinis assiduè prœliantur.

Lapis Tiburonum. IN eorum capite terni aut quaterni lapides, interdum plures inveniuntur, ex parte concavi, valdè albi, magni, ponderosique (ut interdum duas libras pendant) & qui facilè abradi possunt.

Facultates. HVIVS lapidis pulvis utilissimus fertur Nephriticis, & adversus urinæ difficultates, & renum vesicæque calculos, ut in Indis Hispanisque experientia comprobavit. eum gustatum insipidum esse deprehendi: facultates nondum expertus sum.

TIBVRONVM *meminerunt, quotquot Occidentalis Indiæ historiam descripserunt: sed inter eos Gomara, in historia Mexicana, miranda & vix credibilia de Tiburone refert, & illi duplicem dentium ordinem tribuit.*


DESCRIBIT *idem in Historia generali Indiarum cap. 31. (quem secutus est Thevetus lib. Singularium cap. 71.) piscem quendam Manati nomine, cuius descriptionem, quod pleraque cum Tiburonis historiâ communia habeat, hîc subiunximus.*

Manati piscis. MANATI *piscis est nostro orbi incognitus, utri similis, duos tantùm pedes rotundos, quibus natat, ad humeros habens, & in singulis quatuor ungues Elephantinis similes: ab umbilico ad caudam usque gracilescit: teterrimo est aspectu, capite bubalino, sed macilentiore ore, mento verò crassiore, oculis admodum exiguis pro corporis mole, quæ interdum viginti pedum longitudine est, decem crassitudine: corio denso, pilis quibusdam cinerei coloris obsito. Feminæ pariunt vaccarum modo; duóque ubera habent, quibus catulos suos lactant. Eius caro quadrupedis potiùs quàm piscis videtur; etenim recens vitulinam sapit, sale macerata Thynni carnem; sed sapidior est, diutiúsque servari potest. Eius pinguedo optima, nec facilè rancescit: eâ corium ipsius præparant ad calceos sibi faciendos. Inveniuntur in eius capite lapides quidam ad calculum & nephritidem utiles.*

HIC *piscis occiditur interea dum herbas in littore depascitur; sed etiam retibus capiuntur iuniores. Ea ratione parvum fertur cepisse Regulus Caramatexi, quem 26. annis in lacu quodam dicto Guaynabo educavit, adeóque domitum evasisse, & ferociam deposuisse, ut de manu cibum caperet, & inclamato nomine Mato, quod Magnificum sonat, lacum suum egressum fuisse, & in ædes perreptasse cibi sumendi gratiâ, deinde ad lacum remeasse, interdúmque viros & pueros ex una parte lacus in aliam transvexisse, nec illos mersisse, ita ut Indis summam voluptatem adferret.*

CONSALVVS *Ferdinandus Oviedus cap. VII. & X. lib. XIII. Primæ partis Hist. Gen. & Natural. Indiæ Occidentalis, diligenter & prolixè utriusque huius piscis historiam (ut & aliorum Cetaceorum in Indico illo Oceano degentium eodem libro) describit.* *Manati lapis.* *In* Manati *porrò capite binos lapides inveniri solere refert, parvæ pilæ lusoriæ magnitudine, interdum etiam grandiores, pro piscium corporis magnitudine, non tamen orbiculares illos, sed eius essis penè formâ, quod in balista tensum nervum retinet, & vulgo nux balistæ nuncupatur. Horum ossium crematorum tenuitérque tritorum, & per incerniculum transmissorum pollinem, ab iis qui nephritide laborant, manè continuis aliquot diebus ex generoso vino albo utiliter bibi, ex eorum, qui periculum fecerant, & commodum senserant, sermone accepisse refert: dolores enim tolli, calculum comminui, & cum lotio arenulas eiici. In Tiburonis autem historiâ, nulla lapidum mentio: qui tamen ad hunc morbum utiles vulgo prædicantur, & lapidis Tiburonum appellatione insigniti adferuntur, eius sunt formæ, qua Oviedus Manati lapidem præditum esse scribit, ut ex subiecta figura coniicere licet, quam exprimi curabam ex alia affabrè delineata ad eius lapidis normam, qui in magna illa Prætoria navi inventus est, permittente Generoso viro Waltero Raulæo, in cuius potestatē venerat: iconem verò ab humanissimo eodémque honestissimo viro Iacobo Gareto accipiebam Francofurti ad Mœnum anno M. D. XCIII. deinde biennio post, ipsius lapidis unciale fragmentum, quâ parte cavus erat, solidum, durum, grave: ipse lapis subfusci foris coloris, quia fortè iam multo tempore exemptus, in fractura exalbidus. Raulæi autem lapis, ut ex icone coniicere licebat, quadrantem longus fuerat, & binas uncias crassus, ab unâ parte cavus, reliquâ tuberosus.*

LAPIS TIBVRONVM creditus, sed veriùs MANATI.



Manati præterea historiam & iconem cap. XVIII. lib. VI. Exoticorum, exhibebamus.

Lapis Caymanum.

CAP. XXXIII.

Lacerti Caymanes. EX Nomine Dei, Carthagine, aliisque continentis oris, lapides interdum adferuntur calculis fluviatilibus similes, qui in ventriculis prægrandium Lacertorum (*Caymanes* appellant) inveniuntur tantâ interdum quantitate, ut magnum corbem explere

plere queant: cujus verò rei gratiâ, incertum, occupandone ventriculo, ne sit inanis, an saburræ loco, uti naves, ad illas in æquilibrio continendum. ferocissimi sunt, ingenti & semper hiante ore, ut integrum hominem devorare possint, multiplici dentium ordine; adeò magni, ut triginta duorum pedum longitudine inveniantur. Vivunt ii magna ex parte in fluminum ripis, nonnunquam in mari ad fluviorum ostia: pariunt ova in terra, & suos catulos istîc excludunt, testudinum more: capiuntur hamis ferreis, quia earum cutis prædura omnes ictus, etiam minorum tormentorum æneorum, respuit.

Hos lapides colligunt Indi & Hispani, atque adeò sibi servant, ad quartanam tollendam utile remedium: siquidem bini eorum temporibus utrinque alligati, in quartanarum paroxysmo, illas tollere, aut earum calorem manifestò infringere traduntur. Bis eum lapidem temporibus cujusdam puellæ, quæ quartanâ laborat, adhibui; & certè febris calorem nonnihil remisisse animadverti; an verò febrem omnino tollet, ignoro. *Lapidis Caymanum facultates.*


GOMARA, *Petrus Cieça, Augustinus Carate, qui integram Americanam historiam, aut ex parte scripserunt, huius generis Lacertorum seu Crocodilorum meminerunt; inter quos Petrus Cieça sub finem capitis 2. eorum ova, atque etiam carnes urgente fame cum aliis se edisse asserit circa Panamam, cùm eam regionem primùm occupassent. Gomara cap. 197. ibidem occisum, qui 100. pedes longitudine æquaret; in cuius ventriculo multi calculi reperti sint.* *Ingens Lacerti magnitudo.*

Lapis Bezaar Perüanus.

CAPVT XXXIV.

TAMETSI peculiari libro de lapide Bezaar egerim: quoniam tamen primus illius qui in montanis Peru reperitur observator, aliquot mihi misit ex optimis qui inde adferuntur; hoc libro de illis etiam agere volui. Eos autem gratitudinis ergò misit, quoniam ut ipse in ea epistola, quam hîc inseremus, ait, meus libellus (qui peculiariter de lapide Bezaar inscriptus est) illis veluti dux fuisset & auctor, ut istum lapidem primùm observarent & agnoscerent. *Lapis Bezaar Perüanus.*

APPARET eos quos mihi misit admodum esse excellentes, cùm ex colore, tum ex forma & magnitudine: ex his aliquot comminui, qui ex tenuibus splendentibusque laminis eodemque colore constabant, quo qui ex India Orientali advehuntur, atque aut in pulverem, aut in granulum ut illi desinebant. Verum quidem est, eos qui his selectioribus notis præditi sunt, quas probatissimi lapides Bezaares obtinere debent, ex animalibus quæ in montanis degunt eximi oportere: nam qui ex animalibus in planis viventibus educuntur, improbi sunt, nec ullâ medicâ facultate præditi, quoniam non aluntur iis salutiferis herbis è quarum succo ruminatione illâ concreto generantur lapides, uti probè mihi demonstravit primus illorum observator, qui videre cupiens quâ ratione in animalibus generarentur, suis ipsemet manibus eorum animalium anatomen fecit, & mihi deinde significavit eos gigni in receptaculo quodam fasciæ modo confecto & villosa carne constante duorum palmorum longitudine, & trium ferè unciarum latitudine, ipsi ventriculo parte interiore adhærente, alios aliis majores, & quodam ordine dispositos uti nodos vestem anteriore parte claudentes, eo, qui hîc additus est, modo: *Lapis Bezar quis utilis: Quis improbus.*



Eo receptaculo aperto eximuntur lapides, quos istîc magnâ Naturæ providentiâ ad nostram salutem & nostrorum morborum remedium generari summâ admiratione non caret.

Atque ut intelligo, qui ex Orientali India adferuntur, eâdem ratione inveniuntur (de legitimis loquor, quoniam tam multi adulterini advehuntur, ut è centum vix denos legitimos invenias, quemadmodum ipsimet Indici scriptores fatentur istîc multos adulterinos conflari) & eximuntur è certo caprarum genere, quæ magnâ ex parte rufæ sunt uti nostræ: suntque etiam selectiores qui ex animalibus in Persiæ montanis degentibus educuntur, quàm qui ex aliis capris in Malacæ planis & campestribus viventibus: nam illi eo pretio non habentur, neque eam præstantiam & facultates obtinent, quas Persici, quia Malacenses capræ ad lanienam dumtaxat servantur, cùm adeò salutiferas plantas non depascantur, uti quæ in montanis degunt. Eadem planè est ratio in Occidentali India: nam quæ in montanis Peru vitam agunt, selectiores & legitimos lapides & ad medicamenta utiles habent; quæ verò in campestribus pascuntur, Malacensibus similes sunt, quæ simul incedunt *Lapidis Bezar Orientalis & Perüani similis generatio.*

& vivunt uti greges qui ad lanienam servantur: ex iis enim multi quidem lapides eximuntur, sed inutiles, quoniam salubres illas montanas herbas non depascuntur, quemadmodum diximus.

SI insignes istius Perüani lapidis facultates, omnesque morbos quos curasse asserunt qui ex ea regione redeunt, & mihi scribit nobilis ille vir, hic enarrare vellem; magnus liber de eo scribendus foret. Quapropter ea dumtaxat proferam quæ ipse sum expertus, ut iis major fides adhibeatur, & intrepidè uti lapide queant, quandoquidem experientiâ constet similes facultates possidere.

Lapis Bezar Perüani facultates. NOSTER igitur lapis Bezar Occidentalis insignes facultates obtinet, præsertim in cordis ægritudinibus, in quibus magnam eorum, qui mihi missi fuêre, partem insumsi felicissimo successu, sic ut multi syncope laborantes, eâ sublatâ, à morte liberati sint: propinari autem debet in ipso paroxysmo, aut paulo antè, manè jejuno ventriculo, ex aqua rosacea, si adsit febris; si absit, ex aqua florum mali aureæ, in pulverem tritus ad pondus quatuor granorum singulis vicibus: observavi autem in mulieribus præsentius adferre remedium, quàm viris.

Venenis. In omnis generis venenis nullum præstantius novimus remedium; quoniam eos qui aut venenum hauserunt, aut à virulentis insectis præmorsi fuerant, mirum in modum juvit. Qui aquæ stagnantis potu, in qua virulenta animalia versantur, ilicò intumuêre, sumto isto lapide bis aut ter, sanatos conspexi.

Pestilentibus febribus. In pestilentibus febribus sæpiùs exhibui; & sanè earum virus extinxit: cujus rei primariam in similibus morbis curam medicus habere debet: nam licet putrefactio prohibeatur, nisi extinguatur virus, inutilis erit cura; nam illud est quod hominem iugulat. Similiter si adsint carnis cum rubore eminentiæ, quas Hispani *tavardete* appellant, quæ plerumque hujusmodi febres comitari solent, lapis Bezar Perüanus maximam vim possidet: nam in similibus morbis majorem eorum, quos accepi, partem absumsi, plurimique felici & miro successu curati sunt.

Melancholicis humoribus. Miros autem effectus præbet in melancholicis humoribus, sive universum corpus, sive ejus duntaxat partem, uti caput, occupent, atque in Arabum lepra seu Græcorum elephantiasi: item in scabie, prurigine, erysipelate, & reliquis cutis vitiis præsens adfert remedium, quoniam ad ea sananda peculiarem facultatem habet.

Quartanæ. Quartanâ laborantibus dedi; & licet febrim non tollat, ejus tamen aufert symptomata, animi mœrores, anxietates, & cordis affectus, quæ in istis febribus vulgaria sunt, magnamque ex ejus usu utilitatem senserunt.

In omnibus diuturnis & importunis morbis magno successu exhibere soleo, præsertim in quibus veneni suspicio est, aut flatus adsunt: nam in similibus peculiarem vim habet: hinc fit, ut plurimùm conducat ejus aliquot grana purgantibus medicamentis iniicere; quoniam si medicamentum simplicia quædam venenosa continet, ea corrigit; sin minùs, cor roborat, & faciliorem dejectionem molitur.

CONSVETVDINIS est in Orientali India bis singulis annis corpus purgare, præsertim apud nobiliores: atque purgato corpore singulis diebus jejuno ventriculo quatuor lapidis Bezaaris grana ex stillatitio rosarum liquore, aut aliâ ad eam rem accommodâ aquâ sumere: eo juventam sibi conservari persuadent, & omnia membra roborari, atque à morbis præservari: ejus usum non nisi salutarem esse posse certum est.

Ventris tineis. Adversus lumbricos & ventris tineas felici successu propinatur hic lapis: eum multis exhibui, præsertim pueris & adolescentibus eo morbo affectis; & vix credibile est quantum profuerit: solum dare soleo, vel cum sequenti pulvere mixtum, hac ratione:

Pulvis ad lumbricos. ℞. herbæ lumbricorum drachmas duas, seminis santonici drachmam unam, cornu cervini usti, seminis portulacæ & carlinæ singulorum dimidiam drachmam, lapidis Bezar Perüani dimidiam drachmam: reducantur omnia in tenuissimum pulverem & probè misceantur.

Miras facultates obtinet iste pulvis; & experimento comprobatum est multis profuisse: datur manè jejuno ventriculo eâ quantitate quæ medico commoda videtur, pro ejus ætate qui sumere debet: eo sumto, duabus horis pòst, alvus clystere confecto ex lacte & saccharo elui debet.


Epilepsia. Infantibus epilepticis datur lapis cum lacte, si adhuc lactent; sin minùs, sine lacte: in natu majoribus epilepsiâ laborantibus etiam cum magna utilitate exhibetur, per se, aut aliis rebus ad eum morbum accommodis admixtus.

Breviter, hoc lapide uti solemus in omnibus diuturnis & difficilibus morbis, in quibus medicamenta vulgaria nihil profuere; eoque magna cum utilitate, aut saltem sine noxa.

*TERNOS eiusmodi lapides habui munere Generosi Dn. FRANCISCI DRAKE, ovi ferè passerini magnitudine, qui dimidiam circiter drachmam pendebant. Ille verò alios adservabat, qui binas atque etiam plures drachmas penderent. Eorum autem forma nunc orbicularis, modò compressa aliquantulum, vel inæqualis, modò renis formam exprimens; color nunc nigricans, nunc subcinereus, interdum flavescens: constántque ex tunicis sive crustulis modò crassioribus, modò tenuioribus, alia aliam amplectentibus, politis interdum & splendentibus, nonnunquam aliquantulum scabris, extima præsertim, & reliquas complectente, ut in renum & vesicæ calculis videre licet. Sed inveniuntur etiam nonnulli quorum crusta exterior variis locis adeò altè exesa conspicitur, ut secunda appareat tunica, nonnunquam & tertia. Magni muneris loco hos à Regulis sibi invicem missitari asserebat. Lapidis Bezar Peruani varia forma.

VERVM postquam Londino Antverpiam redii, longè maiores à C. V. D. Benedicto Aria Montano amicis missos videre contigit. Acceperat enim Abrahamus Ortelius qui quinque propemodum drachmas pendebat, formâ orbiculari ferè, sed tamen nonnullis locis compressâ. Plantinus binos, alterum renis vervecini formâ & propemodum magnitudine, non eum quidem integrum, sed extremâ parte confractum, & laminarum situm ostendentem, atque in meditullio veluti festucæ fragmentum continentem, qui unciæ unius cum semisse, dum integer erat, pondere fuisse potuit: alterum compressâ (qua parte ventriculo adhæsit) formâ, sensim deinde in tuber assurgente, è multis etiam laminis seu tunicis cùm crassioribus, tum tenuioribus contextum, duas uncias cum drachmis duabus & semisse pendentem. Dn. Ludovicus Perezius unum, columellæ duas uncias aut amplius longæ formâ, uncialis cum semisse aut maioris ponderis: quo longè maiorem priùs acceperat, gallinacei, ut referebant, ovi magnitudine; quem quoniam apud se tunc non haberet, conspicere non potui. Ingens magnitudo.

LAPIS BEZAR.



Ortelii lapidem cum Plantini maiore hac tabella exprimi iussimus, iustâ magnitudine observatâ, quoniam integriores essent. Alterum etiam renis formâ expressissemus, ut tunicarum situm ostenderet, nisi ipse Plantinus formam corrupisset, eo confracto, & amicis, quorum pars fui, communicato.

ᵃFRAGOSVS in sua Rhapsodia refert, Alvarum Mendez, Commendatorem D. Iacobi, ipsi dixisse, semet istos lapides sæpenumerò conspexisse è montanarum quarundam in Arabia Caprarum renibus extrahi, atque duorum esse generum: præstantiores ex felici Arabia adferri, viliores autem in Vaccarum insula, quæ magis ad Septentrionem vergit, inveniri. Hinc certum est, inquit Fragosus, istos divinos lapides in dictorum animalium renibus nasci, quemadmodum calculi in humanis corporibus.

Lapis ad uteri suffocationes utilis.

CAPVT XXXV.

ADFERTVR è Nova Hispania lapis quem uteri morbis adprimè utilem esse ferunt. Niger est, admodum politus, ponderosus, majore ex parte teres & rotundus. Mirum porrò est quod de hoc lapide prædicant: nam mihi affirmavit nobilis quædam & magnæ auctoritatis Matrona, quæ eo usa est, & in umbilico gestavit adeò firmiter inhærentem, quasi istic adglutinatus fuisset, ex quo præsens & certissimum sensit commodum: idem aliæ asserunt, quæ simili modo isto lapide sunt usæ. Cùm uteri suffocationem imminentem præsentiunt, adhibito lapide, subitò levantur: & si eum perpetuò gestent, nunquam simili morbo corripiuntur. Exempla hujusmodi faciunt, ut his rebus fidem adhibeam. Lapis ad uteri suffocationes.

Lapis Sanguinalis.

CAP. XXXVI.

LAPIS Sanguinalis, ex Nova Hispania delatus, Iaspidis genus est, varii coloris, sed obscurioris, maculis seu punctis distinctus sanguineis. Lapis sanguinalis.

Ex his lapidibus Indi quasdam cordium formas, magnas ac parvas, conficiunt.

Eius facultates. VALET ad fluxum ſanguinis narium, menſium, hæmorrhoidum, vulnerum, ac oris. Lapidem aquâ frigidâ intinctum æger dextrâ comprimit, & ſubinde id facit. Sic eo Indi & noſtri utuntur.

PERSVASVM habent Indi, imò firmiſſimè credunt, ſi hoc lapide pars ſanguine manans contingatur, ſanguinem ſiſti; idque verum eſſe, experientiâ probatum eſt. Vtilis eſt etiam ſuſpenſus aut alligatus eidem parti unde ſanguis effluit, modò carnem contingat. Vidimus nonnullos hæmorrhoidum fluxu afflictos remedium ſenſiſſe, annulos ex hoc lapide confectos in digito continuè geſtando: nec non & menſtruum fluxum ſiſti.

Lapis rimas pedũ curans. ALIVD lapidis genus reperiri intelligo, quod rimas in manuum & pedum juncturis à pituita ſalſa provenientes curat.

Armadillo.


CAPVT XXXVII.

Armadillo. *Encubertado.* NVNC ex continenti habemus oſſiculum caudæ peregrini animalis, quod veluti teſtis quibuſdam totum integitur pedum tenus; cujus rei gratiâ *Armadillo* vocant Hiſpani, quaſi cataphractum aut armatum dicas; Luſitani *Encubertado.*

Deſcriptio. EST porcelli magnitudine, cui roſtrum ſimile habet, cauda oblonga, & craſſa, Lacerti modo. Sub terra vivit, ut Talpa; & terrâ ſeſe ſuſtentare creditur, quòd foris nihil edere conſpiciatur.

Facultates. OMNIS facultas conſiſtit in caudæ oſſiculo, cujus in tenuiſſimum pulverem redacti pilula, confecta magnitudine capitis aciculæ, atque auri indita, dolorem ejus ſedare, & tinnitum etiam, cum exigua ſurditate conjunctum, curare traditur. Certè dolorem ſedari frequente experientiâ comprobatum eſt.

ARMADILLO ſive TATOV.



Tatton. HVIVS *animalis meminit Thevetus lib. Singularium, cap. 54. aítque incolis Tattou vocari, quorum nonnulli porcellos magnitudine æquant, alii minores ſunt: & eorum caro tenella eſt, bonique ſucci; & Bellonius lib. Obſervationum 3. cap. 51. Ioannes Stad. Braſiliana Hiſt. cap. 30. Lerius Americana hiſt. cap. 10.*

MEMINIT *item Franciſcus Gomara in Mexicana hiſtoria in hunc modum: Circa Lacunam quæ ex flumine Papaloapan oritur Imperio Mexicano, animal invenitur fele non maius, roſtro porcelli, pedibus hiſtricis aut erinacei terreſtris, cauda oblonga, naturâ munitum duro cortice, & teſtâ ſquamatâ veluti loricatum, intra quam ſe contrahit teſtudinis terreſtris modo. Similis eſt hæc tectura panopliæ equorum: ſed & cauda, ipſúmque caput huiuſmodi teſtis ſquamatis tecta ſunt, auriculis foris eminentibus; eámque ob cauſam Hiſpani armatum, aut cataphractum appellant, Indi*
Aiotochtli. Aiotochtli, *id eſt, Cuniculum cucurbitæ.*

EIVS *etiam deſcriptionem apud Geſnerum videre licet in Appendice ad Quadrupedum hiſtoriam, ſed minùs ſcitè expreſſam.*

ALIVD *huius animalis genus cap. XV. lib. V. Exoticorum Hiſtoriæ profero.*

Sanguis Draconis.

CAPVT XXXVIII.

ATTVLIT ante paucos dies, ex novi orbis continenti, Epiſcopus Carthaginienſis fructum arboris ex qua manat lacryma illa quam Sanguinem Draconis vocant.

Draconis arboris fructus. EST autem hic fructus admirandus: nam ſublatâ quâ integitur pelle, ilicò dracunculus

cunculus appâret, tanto artificio à natura fabricatus, ut à peritissimo aliquo artifice è marmore sculptus videatur, collo oblongo, ore hiante, spina aculeis horrida, caudâ oblongâ, & pedibus conspicuis.

Ab eo fructu denominationem proculdubio sumpsit arbor, & ejus lacryma, quæ ex illâ per incisionem legitur, quam ex Carthagine Perüanâ selectissimam advehunt: unde veterum & multorum recentiorum inscitia deprehenditur, qui, quid esset sanguis Draconis, aut cur sic appellaretur, omnino ignorârunt. *Sanguis Draconis cur sic dictus.*

Magna est arbor, cortice satis tenui, & qui facilè incidi potest: eâ vulneratâ, liquor ille effluit, quem, Sanguinem Draconis in lacryma, dicunt, ab eo differens, quem Sanguinem in pane vocant, quòd in panes seu massas istîc cogatur, quemadmodum resina in Castella. *Draconis historia.*

Uterque liquor intrò assumptus, alvi profluvium sistit; sic etiam ventri illitus, aut clysteribus inditus. Sanguinem undequaque manantem reprimit. Capitis defluxiones, ne in partes inferiores delabantur, prohibet ejus pulvis capitis vertici inspersus: vulnera recentia glutinat, gingivas à putrefactione liberat, & dentes stabilit. Est item color Pictoribus maximè expetitus. *Facultates.*

Temperatus est, & pauci caloris particeps.

Memini ante multos annos nobis à Francisco de Hollebecque, Regis Hispaniarum Hortulano diligentissimo, missos fuisse quosdam fructus Dragonalis nomine; ex quibus terræ cõmissu nonnulli prodierunt Bruxellæ apud N.V. Ioannem de Boisot, virum doctissimum & rei herbariæ peritissimum. Erant ferè foliis Iridis, oblongis, viridibus, per oras rubris (qualia in grandi arbore ante quadraginta & plures annos Olysipone conspexi) sed subsequens hiems abstulit. Fructus is erat Cerasii magnitudine aut Oxymyrsines, rotundus, tenui pelle contectus; quâ sublatâ, osseus nucleus conspiciebatur, qualis est in fructu Rusci: sed is nullam animalis, nedum dracunculi tanto artificio fabrefacti figuram referebat, verùm rotundus erat & lævis, &, ut dixi, totus osseus. Arboris, quam Olysipone observabam, & in cuius cortice gummi sanguinei coloris concretum inveniebam, iconem, in Rariorum Plantarum à me observatarum Historiæ lib. 1. cap. 1. exhibeo. *Dragonal.*

Sed & anno nonagesimo quinto supra millesimum & quingentesimum, novo Vere similes fructus accipiebam à C.V. Bernardo Paludano poliatro Enchusano, qui terræ in fictilibus commissi, eodem anno germinârunt, & terna aut quaterna folia sese amplectentia protulerunt, rubrâ lineâ per oras ornata: sed subsequens hiems tenellas plantulas corrupit.

Gummi ad podagram.

Cap. XXXIX.

Dabat mihi idem Episcopus Gummi genus (cujus arborem non poterat describere) ex eodem continenti delatum, quo se podagrici istîc purgant, in hunc modum. *Gummi ad podagram.*

Illius gummi fragmentum nucis ponticæ magnitudine, stillatitio aquæ liquore noctem integram macerant, postridie manè percolant, & exprimunt; eam aquam ad duas uncias hauriunt, neque quidquam cibi sumunt ante meridiem: eo medicamento sine molestiâ purgatur humor, qui podagram creat. *Facultates.*

Insipidum est & inodorum. Calidum videtur in primo gradu.

Fructus dysentericus.

Caput XL.

Hispanus quidam adolescens mihi ignotus, attulit ex Quito fructum, qui, ut ex ejus fragmentis (quæ alterâ parte levia erant, & luteo colore; alterâ verò, aspera & admodum rubra, seu ex rubro nigricantia) coniicere licebat, in magna quadam arbore natus videbatur. Dum ille mecum de variis rebus ageret, venit ad me vicinus, medicamentum petiturus pro filiâ, quam dysenteriâ miserè afflictari dicebat. Ilicò adolescens, Eam, inquit, curabo: ad vicinum proficiscitur, fragmentorum illorum tenuissimè tritorum pulverem ex stillatitio calicum rosarum liquore, eo die puellæ hauriendum dedit vespere, tantundem postridie manè, statimque sisti cœpit fluxus, ita ut brevi puella sanitati restituta sit. Eum adolescentem, tametsi diligenter requisiverim, nunquam postea videre mihi contigit: itaque neque quis esset hic fructus, aut quâ arbore nasceretur, scire potui. *Fructus ex Quito.*

Leucoma fructus.

CAP. XLI.

Leucoma.

ARBORIS fructum ex Peru accipiebam ab incolis *Leucoma* nuncupatum, similem nostræ castaneæ formâ & magnitudine, tum etiam sessili illâ & albicante parte quam castanea obtinet: nucleum continere videbatur, sed quia binos dumtaxat accipiebam, confringere nolui, quandoquidem alterum ferebam, qui non prodiit, alterum in aliud sationis tempus servem. Arbor, in qua provenit, vastæ magnitudinis, materiáque robustâ & firmâ esse dicitur: folia arbuti obtinere: fructum autem edulem gratiquc saporis, & temperatum; atque propter adstrictionem, alvi profluvia sistere.

Cortex ad alvi profluvia.

CAPUT XLII.

Cortex alvi profluvia sistens.

PROFERT novus orbis prægrandem arborem, foliis cordis effigie, nullo fructu. Ejus cortex digiti crassitudine aut amplior, solidus, durus, & ponderosus, tenui candicante pellicula integitur: similis est admodum cortici Guayacan, uti Gentiana amarus, manifestè adstringens, grati tamen seu aromatici cujusdam odoris particeps.

Exhibendi ratio.

MAGNA est apud Indos æstimatione, ut qui eo utantur adversus omnis generis alvi profluvia, hujus pulverem drachmæ pondere, aut paulo amplius manè propinantes ex aqua conveniente, aut crasso vino rubro. Ter aut quater id remedium repetitur; observaturque in reliquis victus ratio, quæ hujusmodi morbo necessaria est.

EIUS corticis fragmento donatus sum ante paucos dies, cujus periculum jam bis feci in alvi profluviis inveteratis magno successu.

Arboris Cortex ad Rheumatismos.

CAPUT XLIII.

INTER reliqua ex Peru ad me missa, erat crassus quidam cortex, quem ex vasta arbore ulmo simili cùm amplitudine tùm formâ detractum ferebant, nascique ad ripas fluminis cujusdam vigintiquinque leucis à Lima distantis: nec alibi in America facilè reperiri.

Corticis facultates.

INCOLÆ, capitis defluxionibus, rheumatismis, aut alioqui capitis gravedine laborantes, hujus arboris corticem in tenuissimum pulverem comminuentes, naribus imponunt: humoribus enim insigniter eductis liberantur: atque ita se rem habere, nos ipsi experti sumus. Secundum caloris gradum excedere videtur.

EX *variis nostrarum Indiarum provinciis, multa purgantia medicamenta deferuntur, quorum magnæ sunt facultates: de quibus hîc mentionem faciam, ut sint veluti Præfatio quædam in Historiam radicis Mechoacan.*

Cassia solutiva.

CAP. XLIV.

Cassia solutiva.

INSULÆ Divorum Dominici & Ioannis de Portu divite, tantâ quantitate nobis transmittunt Cassiam solutivam, ut non modò Hispaniæ, sed etiam toti Europæ, atque adeò universo orbi sufficiat: nam & in Orientem, unde deferri solebat, plures naves eâ onustæ vehuntur, quàm Cantabri ferrum mittunt.

QUÆ Venetiis ad nos ex India Orientali mitti solebat, cùm immatura collecta esset, temporis diuturnitate & itineris longinquitate ad nos ita corrupta perveniebat, ut parum utilitatis præstaret. Nostra verò ex insulis prædictis, matura est, crassa, plena, ponderosa, medullosa, & adeò recens, ut interdum sexagesimo, postquam collecta est, die huc perferatur: & quia recens, gratique saporis, non tetri, ut quæ ex Oriente deferebatur, facilius vires suas exerit.

Delectus.

BENIGNE purgat, & sine ulla alvi perturbatione, bilem præsertim, deinde pituitam, postea quæ in meatibus & intestinis infarcta sunt, evacuat. Temperatos illos efficit, qui ipsâ utuntur: sanguinem purgat. Utilis in omni morborum genere, sed maximè renum, & urinæ, duabus horis ante cœnam sumpta. Defluxionibus prodest, duabus à levi cœna horis. Quotidianus ejus usus est ad pectoris & laterum vitia, eclegmatis modo. Convenit febrium ardoribus, & sitim exstinguit. Assiduus illius usus ante prandium aut cœnam, calculi generationem prohibet. *Facultates.*

FORIS cum amygdalarum dulcium oleo illita, graves pulmonum & renum dolores mitigat.

DOSIS pulpæ ejus est decem drachmarum, ad sescunciam usque; non exemptæ verò, quatuor unciarum. Lenit, resolvit, sanguinem depurat, & eius bilisque calorem infringit. Humida est in primo gradu, ad calorem, sed mitem, tendens.

IN istis insulis primùm coli cœpit, postquam in nostram potestatem venerunt.

NON *desunt qui huius Auctoris iudicium improbent: siquidem Orientalem Cassiam, cæteris paribus, longè præferendam censent.*

De Cassia solutiva conditâ.

CAPUT XLV.

CASSIÆ solutivæ flores & folia videre cùm cuperem, quandoquidem ejus fructus nobis adeò cognitus est, sicca tandem accepi.

EST autem folium pyri folio ferè simile, flos verò exiguus, albus, quinque foliis constans, qui etiam resiccatus utcunque suavem spirat odorem. Ex parvo illo flore enascuntur oblongæ illæ Cassiæ siliquæ (quarum nonnullæ quatuor palmorum longitudinem æquant) universo orbi adeò notæ, atque illi ex hac nostra urbe communicatæ, ob ingentem navium, quæ eam inde aliò vehunt, quantitatem. Initio advehebatur ex Alexandria Ægypti, deinde Venetias, unde universo orbi communicabatur: at nunc postquam ex S. Dominico & S. Ioanne de Portu divite ad hanc civitatem advehi cœpit, universo deinde orbi ipsa subministravit, quoniam quæ in nostrâ Indiâ provenit, melior & majoris efficaciæ censeatur, quàm Orientalis. Recens natæ ante quàm justam magnitudinem consequantur, semper virent, & gustu sunt aspero, quemadmodum immatura ceratia; deinde maturari incipientes rubescunt primùm, atque postea nigrescunt; quoque acriores fiunt, maturiores & dulciores evadunt: etenim eæ quæ atrum colorem nondum adeptæ sunt, sed nonnihil adhuc rufescunt, immaturæ sunt: atriores autem, læviores, & graviores reliquis præferuntur. *Cassiæ solutivæ historia.* *Peruana Cassia Orientali præstantior.* *Cassiæ delectus.*

PORRÒ hujus flos duobus modis condiri solet, nempe aut cum saccharo tritus, rosati sacchari modo, vel flos integer saccharo exceptus & unà coctus: utraque ratione bene sapit, & sine molestia evacuat, sumptus ad duarum aut trium unciarum pondus, ut sæpius sum expertus: si aliquot inest vitium, inde accidit, quòd viliore saccharo excipiatur: nam si selectiore saccharo condiretur, non dubium est quin præstantior esset, gratiorisque saporis. medicamentum est delicatioribus conveniens: nam eosdem effectus præbet quos ipsa fructus pulpa. *Cassiæ flos conditus.*

Condiuntur etiam tenellæ & recèns natæ siliquæ * saccharo primùm exceptæ & decoctæ: decoctione enim & saccharo tollitur illa asperitas & adstrictio qua præditæ sunt, teneriores que & palato longè gratiores fiunt: eæ sine molestia ventrem emolliunt, & sine iis symptomatis & torsionibus quæ medicamenta purgantia consequi solent: nam neque palato ingratæ sunt, & purgationem faciliùs moliuntur. Dosis est à duabus unciis ad tres: sæpiùs eas cùm felici successu dedi, & ipse sumpsi cùm æger essem. *Cassia tenella condita.*

Multa istarum siliquarum conditarum dolia singulis annis ex S. Dominico, & Portu divite advehuntur.

Reliquæ siliquæ plenam maturitatem adeptæ præstantissimum sunt (hactenus quidem notum) pro suo genere purgans medicamentum, quodque faciliùs securiusque evacuet, uti non modò medicis, sed & aliis omnibus perspectum est: nam ea nocumenta & symptomata non adfert quæ alia purgantia medicamenta consequi solent, sed benignum est, & inter benigna maximè benignum, cuius facultates & naturam peculiari capite priùs descripsimus: hæc autem nunc refero ejus dumtaxat rei gratiâ, ut foliorum recèns à me acceptorum mentionem facerem.

CETERUM eos qui Cassiam solutivam ad ventrem leniendum, & evacuandas feces præscribunt, admonitos volo, eam brevi admodum spatio ante prandium sumendam esse, *Cassiæ sumendæ ratio.*

nempe

nempe ad summum dimidiâ horâ, quoniam cum cibis mixta, simul cum illis facultates exerit, eaque ratione faciliùs & sine molestiâ opus suum molitur; quod minimè facere potest quæ duabus aut tribus horis ante cibum sumitur, ut hodie vulgò fit, quoniam cibi sumptionem differendo, peragere suum opus cupit: & cùm sit valdè debilis, prorsus in vapores resolvitur, per universum corpus sese diffundentes; &, si diutiùs cibus differatur, in alimentum convertitur: quod multorum annorum, quibus medicinam feci, experientiâ didici: propterea semper illam solummodo dimidiâ ad summum horâ ante cibum exhibere soleo; facilisque est ejus operatio: si verò multis horis ante cibum detur, parum admodum evacuat.

PVRGANTIA verò medicamenta cum cibis permisceri, auctor est Hippocrates multis locis, atque etiam Galenus in Commentariis. Verum quidem est, multis horis ante cibum dari solere, quando non evacuare, sed vapores dumtaxat per renes & reliquum corpus diffundi cupimus.

*HVIVSMODI *tenellis Casiæ solutivæ siliquis sacchari conditis Hispali allatis ab amico donatus sum anno à Christi nativitate* M. D. IIC. *quas non ingrati saporis esse deprehendebam: an verò alvum sine molestia emolliat, mihi non est compertum, quia eâ quantitate non sumebam, quæ necessaria erat.*

Fructus cholagogus.

CAP. XLVI.

EX maritimis Nicaragua & Nata (quæ sunt in novi orbis continenti) invehitur in Hispaniam medicamenti genus purgans, bilem præsertim.

Fructus bilem evacuans. FRVCTVS est arboris cujusdam vastæ, castaneis similis, sed calyce lævi, non, ut illarum, echinato: eo calyce fructus continetur castaneis non multum absimilis, sed sine cortice, & ferè quadràtus, in duas partes divisus, medium intercursante, & totum deinde ambiente pelliculâ.

Facultates. EDITVR hic fructus viridis, aut contusus vino exceptus: si siccus, ejus pulvis ex vino aut gallinæ jusculo sumitur; datur etiam tostus, ut minùs purget: quocumque tandem modo sumptus, sine molestia purgat, observatis iis quæ à purgandis observari solent, & præparatis priùs, ut decet, humoribus. Illud verò minimè silentio prætereundum, pelliculam illam exteriorem & internam abiiciendam esse, alioqui gravia symptomata excitaturam, veluti ingentes vomitus, animi deliquia, & periculosa alvi profluvia. Calidus est in primo gradu.

Avellanæ purgatrices.

CAPVT XLVII.

Avellanæ purgatrices. *Avellanarum historia.* NOVO orbe primùm invento, insula divi Dominici quoddam genus Avellanæ misit, quâ se Indi familiariter purgabant. Postea Hispani necessitate compulsi, illis etiam purgare se cœperunt, non sine vitæ discrimine. Colore & formâ nostris Avellanis similes sunt, putamine tenui, coloris spadicei, triangulares, medullâ interiore albâ & dulci; sic ut multi, dulcedine illecti, decepti sint.

Ben magnum. *Ben parvum.* MEDICORVM vulgus eas *Ben magnum* vocat (nam Ben est duorum generum) Parvum autem ciceris magnitudine est, & ex eo Itali odoratum illud oleum, quod de Ben nuncupant, conficiunt, quo sibi cæsariem & barbam inungunt deliciarum gratiâ.

Facultates. VALIDISSIME pituitam & bilem supernè & infernè purgant. Nonnulli tamen earum vehementiam assatione infringebant. Coli doloribus præsens sunt remedium, flatus discutiunt, & clysteribus injectæ, mediocriter evacuant.

DOSIS est à dimidia drachma ad drachmam unam: sed assandæ sunt. Calidi sunt temperamenti initio tertii gradus, & sicci in secundo.



Avellana hæc cum plerisque aliis fructibus peregrinis communicata mihi fuit ab illustri viro D. Ioanne de Brancion, rei herbariæ studiosissimo, nec ullis parcente sumptibus, ut suum hortum omni peregrinarum plantarum genere excultissimum redderet.

Cæterùm Avellanam hanc, cuius iconem hîc exhibeo, lentus & mollis contegit cortex, partim ex cinereo candicans, partim

nigricans:

nigricans: hunc sequitur putamen minus solidum quàm in vulgaribus Avellanis: id nucleum continet Avellanæ magnitudine, candidum, solidum, Avellanæ vulgaris aut ilignea glandis sapore, tenui membranâ obductum. Integra nux alterâ parte plana est, & coniunctim binæ nasci videntur, ut interdum castaneæ.

De hac Avellana consulendum censeo Ferdinandi Consalvi Oviedi caput IV. libri X. Hist. Indicæ.

Nuclei pinei cathartici.

CAPVT XLVIII.

TRANSMITTIT etiam Nova Hispania Pineorum nucleorum genus, quo Indi se purgabant: hos imitati sunt plurimi harum regionum. *Pinei nuclei purgatorii.*

NOSTRIS pineis nucleis similes sunt, nascentes in strobilis magnis, quales sunt Mayzi spicæ muticæ: molliori putamine, & nigriore quàm nostri, rotundi, intùs albi, pingues, & gustu dulces. *Descriptio.*

BILEM, pituitam, & aquas validissimè purgant: & licet Avellanis mitiores, attamen vomitum cient, atque ventrem subducunt. Assi, neque tam valenter, neque cùm tantis torsionibus purgant. Dantur in diuturnis morbis, & peculiari quadam facultate crassos humores expellunt. *Facultates.*

QVINQVE aut sex triti & vino diluti, dantur pro virium robore, præparato priùs convenientibus Syrupis humore, qui evacuandus est, & observatâ, ut decet, victus ratione. Etenim qui eis utetur, illum observare oportet, quæ ab his observari solent, quibus purgans medicamentum propinatum est.

CALIDI in tertio, & sicci in secundo; pinguedine tamen quadam præditi, quæ siccitatem nonnihil imminuit.

Fabæ purgatrices.

CAPVT XLIX.

FABÆ purgatrices, quæ Carthagine, & Nomine Dei nascuntur, nostris similes sunt, sed minores, ejusdem cum nostris formæ & coloris, pelliculâ quadam tenui, ut cęparum tunicula exterior, illas per medium intersecante, quæ cum cortice abiicienda est; alioqui tantâ vehementiâ supernè & infernè purgans, ut in vitæ discrimen sumentem coniiciat. Assandæ deinde sunt, ut illarum acrimonia infringatur; deinde in pulverem comminuendæ. *Fabæ purgatrices.*

DATVR hic pulvis vino aut sacchoro exceptus, ad cochleare unum; deinde haustus vini sumitur. *Sumendi ratio.*

APVD Indos hoc medicamentum celebre est ob sumendi facilitatem: nam sine molestiâ bilem, pituitam, & crassos humores, multo leniùs & faciliùs quàm superiora medicamenta purgant. *Facultates.*

DANTVR in febribus diuturnis & importunis, in coli doloribus, & articulorum morbis.

DOSIS esto assatarum (quod cùm in hoc, tum in præcedentibus observandum est; torreri enim singula præstat) à quaternario numero ad senarium, pluriúmve aut pauciorum, pro ægri viribus.


CALIDÆ in secundo, siccæ in primo.

Fabarum vulgaribus similium, quæ vomitum cient, & alvum valenter purgant, meminit Ferdinandus Lopez de Castagneda cap. 78. lib. 7. Indicæ Hist. Aliquot porrò peregrinos fructus accepi Fabæ purgativæ nomine insignitos: sed nullus mihi conspectus est, qui fabæ purgativæ nostro auctori descriptæ conveniret; at potiùs inter Phaseolos, omnes recensendi videbantur.


Prior, cuius hîc iconem exhibemus, orbiculari ferè est formâ, sed planus utrimque & quodammodo pulvinatus, digiti unius crassitudinem æquans, duorum verò latitudinem aut amplior, ex uno latere aliquantulum cavo, qua videlicet hilus esse solet, & siliquæ, in qua continetur, adhæret: cortex durus & lignosus, lævis, ex rubro nigricans: quod intùs continetur album, firmum, & in duas partes naturâ sectile, ut sunt omnia phaseolacea: sapore primùm quali sunt omnia ferè legumina, sed ilico linguam mordicante, & acri: quo fit (ni fallor) ut purgandi facultate præditus.

Nascitur in insula Divi Thomæ dicta, & cordis effigiem, ut vulgo pingi solet, imitatur: idcirco à quibusdam Cor Divi Thomæ nuncupatur. Eius obiter meminit Petrus Cieça parte prima Chronici, ca12.


PHASEOLVS MAIOR, fabæ purgatricis nomine missus.



PHASEOLVS BRASILIANVS.



PHASEOLVS ALTER BRASILIANVS.



Illi ſimiles, hoc eſt magnitudine & colore reſpondentes, ſed longiore formâ præditos videre memini. Similem præterea cum ſuo lobo propono cap. VIII. *lib.* III. *Exoticorum, ut Lector facile animadvertere poterit.*

Ceterùm ſilentio minimè premendam exiſtimavi opinionem quam Norwagos de hoc phaſeolo habere intelligebam, quum iſta Aromatum Hiſtoria quintùm typis exprimeretur: illos enim prorſus ſibi perſuadere ſcribebat doctiſsimus vir mihi amicus, marinum eſſe phaſeolum, atque adeò in Farris inſulis naſci inter algam, & ex profundo erui, quin & folliculos oſtendere quibus contineri nugantur, quum tamen nihil aliud ſint (nam unum quem mittebat conſpexi) quàm ovorum Raiæ piſcis putamina. Ipſi à forma Renes marinos appellant, nonnulli etiam Bonæ ſortis calculos, ſive quòd calamitatem à domo poſſeſſoris, ſive etiam quòd incantamenta & neſcio quam noxam ab heri pecore arcere vel propellere credantur.


Alter phaſeolo vulgari haud diſsimilis eſt, ſed minor, denſior, nigricans, & hilo prominente, & renis formam minimè referente.

Cùm Olyſipone eſſem, donatus ſum Phaſeoli genere ex Braſilia Americæ provincia delato, admodum recenti, pollicari latitudine, craſſo, colore ruſeſcente, magno hilo, & parte extrema veluti ſeſsili. Eiuſmodi quatuor aut quinque ſingulis ſiliquis prægrandibus continentur, qui recentes & virentes adhuc tuſi & impoſiti bubones venereos curare dicuntur: flore traditur ex rubro palleſcente: ego dumtaxat iuniorem plantam vidi mihi ſemine natam, quæ foliis Phaſeolo vulgari ferè ſimilis erat, niſi quòd minora erant, & aversâ parte tenui, molli, fuſcáque lanugine obſita, præſertim tenuiora folia, & extremi caules: Braſiliani Macouna vocant. ſimiles planè, & colore, qui ex cinereo candicans eſt, dumtaxat differentes, ex Africa Mauritania delatos vidi.

Vidi etiam non procul Olyſipone in monaſterio quodam Phaſeoli genus vulgari noſtrati adeò ſimile, ut noſtrum putarem: pergulas iſtic veſtiebat opere topiario, flore purpureo; at ſiliquæ ſcabræ erant, breviores, & duplo latiores quàm noſtri vulgaris: fructus exiguus, piſi vulgaris magnitudine, totus niger, niſi qua parte ſiliquæ adhærebat, quæ candida erat. Braſilianis frequentem eſſe audiebam, & Luſitanis iſtic habitantibus Fava brava, id eſt, fabam ſilveſtrem nuncupari.

Londini emebam anno M. D. LXXIX. *in Mercatorum porticu de Gallo nauclero: Phaſeoli genus, quod è Braſiliana Novi orbis provincia advectum aſſerebat. Noſtro vulgari maior is Phaſeolus latiórque, nec minùs colore variabat: etenim nunc flavus erat, aut omnino niveus, modò ater, aut purpureus, aut albis pupureíſque maculis diſtinctus. De ſimili planta natum referebat, qualis Europæa eſt, noſtrúmque ſaporis gratiâ & bonitate longè ſuperare, ſi eodem modo decoquatur.*

Eius iconem ad vivum expreſſam, quam in Herbariæ rei ſtudioſorum gratiam ad huius libelli calcem (quoniam ſuo loco inſeri non potuerat) reponendam curaveramus, poſtremâ hac editione in ſuum locum tranſtulimus.



Ab amicis autem ſequente anno Londini ſatum, provenit vulgari ſimilibus ſarmentis & foliis, ſed ad frugem non pervenit.

Lac

Lac Pinipinichi.

CAPUT L.

IN omnibus continentis oris, lacteus quidam succus elicitur ex arbusculis Malorum similitudine, Indi *Pinipinichi* vocant: è cujus ramis recisis lacteus humor illico emanat, aliquantulum densus, & viscosus, cujus tres aut quatuor guttæ sumptæ, validissimè per alvum purgant bilem & aquas. *Pinipinichi.* *Facultates.*

BIBITUR ex vino, aut desiccati pulvis sumitur paucâ quantitate, propter nimiam vehementiam.

ILLUD autem peculiare habet, quòd si quis illo sumpto, jusculum, vinum, aut aliud quid iniiciat, subitò ejus operatio infringatur & cesset.

SUMPTO aliquo ex superioribus medicamentis purgantibus, somno abstinendum est, & ea observanda, quæ à purgans aliquod medicamentum sumentibus, observari solent.

CALIDUS & siccus hic liquor in tertio gradu.

OMNIA *iam enumerata medicamenta valida sunt & perniciosa, quibus uti desitum est, advecto Mechoacan, cuius usus minimè periculosus est. Ad ipsum enim, tanquam ad medicamentum præstantissimum, confugerunt non solum nostri, sed omnes etiam Indiarum incolæ: De hoc nunc acturi sumus.*

Mechoacan.

CAPUT LI.

MECHOACAN radix est ante triginta annos primùm reperta, in provincia Mechoacan dicta, quadraginta miliaribus supra Mexico, quam devicit Ferdinandus Cortesius, anno M. D. XXIV. *Mechoacan.*

EST hæc provincia auri admodum dives, sed magis argenti, reliquas vicinas opulentiâ longè superans: nam aiunt totam argenti glebâ abundare ad ducenta & amplius milliaria. Istìc sunt adeò celebres & opulentæ illæ fodinæ *Cacatecas* nuncupatæ, singulisque diebus aliæ dites argenti, nonnullæ auri venæ deteguntur. Temperatus & salubris illic aër stirpes producit salutiferas, & ad varios morbos utiles: cujus rei gratia, ante Hispanorum adventum, vicini eò confluebant, ut à suis ægritudinibus liberarentur. Fertilis etiam est regio, & frumenti, ferinæ, fructuum ferax: multas habet scaturigines, ac in his nonnullas aquæ dulcis, piscium abundantiam præbentes. Qua de causa inquilini saniores, agiliores, coloreque magis florido vicinis. *Cacatecas fodinæ.* *Gomara Hist. Mex.*

PRIMARIA urbs ejus provinciæ incolis *Chincicila* dicitur; Hispani totius Provinciæ nomine *Mechoacan* appellant, quam ferri, sive soleæ equinæ instar ambit lacus aquæ dulcis, valdè piscosus: celebre est emporium, propter argenti venas, quæ totâ illâ regione frequentes. *Chincicila emporium.*

PAULO post occupatam à nostris provinciam, missi Franciscani monachi, qui sui ordinis monasterium illìc exstruxerunt: horum nonnulli paulo pòst (ut in alio orbe, multum ab Hispanico aëre discrepante) in morbos inciderunt, è quorum numero ipse etiam Præfectus, Guardianum appellant. Huic arcta erat amicitia cum *Caçoncin* totius illius Provinciæ regulo; qui ipsum conspiciens extremè ægrotantem, indicavit, sibi esse subditum, quo Medico uteretur: hunc fortè remedium ægritudini adhibiturum. Gratum id Guardiano, qui aliorum medicorum præsentiâ destitutus, illum adduci jubet: venit, morboque observato significat suo Domino, monachum curaturum, modò cujusdam radicis pulverem sumere velit, quem daturus esset. Guardianus salutis cupidus, pulverem ex modico vino bibit, & sine molestia sic illo purgatur, ut magnum sentiret eo die levamen, majus etiam subsequentibus, donec plenam sanitatem consequeretur. Illius exemplum sequuti alii monachi & nonnulli Hispani ægri, pulverem semel, bis, ac quoties necessarium fuit, sumunt, & similiter liberantur. Ejus rei testimonio Mexicum misso ad totius Ordinis supremum Præfectum, ipsi Provincialem nominant: fit istìc radicis periculum, magno omnium, qui sumpserunt, commodo & admiratione. Itaque brevi temporis spatio per universam illam provinciam celebris facta est hæc radix, & ei Rhabarbari Indici nomen inditum: tandem in Perüanum etiam regnum, reliquasque novi orbis provincias, illius usus

inductus, neglectis ceteris medicamentis, tantâ confidentiâ, ut, eâ sumptâ, certam sibi salutem promitterent.

QVARTVS & tricesimus jam agitur annus, quòd istam radicem primùm hîc conspexerim. Paschalis quidam Catanæus Genuensis, ex Hispania Nova redux in morbum incidit, ad cujus curam accersitus fui. Eum purgare cupienti, præstantissimum medicamentum è Nova Hispania se attulisse refert, Rhabarbarum Mechoacanum nuncupatum, quo omnes Mexicani uterentur; illo se feliciter aliquoties curatum fuisse. quòd si quod purgans medicamentum sumendum esset, illud se cupere, cujus exploratas haberet facultates. Damnavi talium recentium medicamentorum nobis ignotorum usum, quorum nulli auctores meminerunt: ipsique persuasi nostratia potiùs sumeret longo usu & experientiâ comprobata, & à classicis auctoribus descripta. Pharmaco ipsius morbo convenienti à me præscripto purgatur: ex quo magnam quidem sensit utilitatem: morbo tamen non ita liberatus, quin alia purgatione opus fuerit, negavit se aliam admissurum quàm suum Mechoacanum Rhabarbarum; quo tam probè curatus est, ut pristinæ sanitati restitueretur. Tametsi laudarem effectum, nondum tamen animo meo satisfactum, donec plurimi alii, eodem ferè tempore redeuntes, in ægritudines inciderunt, à quibus Mechoacan radice purgati, felicissimè curati sunt, quòd illo uti in Nova Hispania consuevissent. His consideratis, illius facultatibus fidem adhibere, atque etiam ipso uti cœpi.

NVNC autem adeò frequens ubique illius usus, ut maximâ quantitate aliarum mercium instar advehatur, magno redimendum. Mihi retulit Aromatarius quidam, se superiore anno, præter id quod civibus vendiderat, plus quàm mille libras exteris Rhabarbari Indici nomine vendidisse: nam omnibus adeò familiare, ut nullus sit viculus, in quo ejus usus non requiratur, tanquam tutissimi omniumque præstantissimi medicamenti, cùm nullum medicum (quod omnibus gratissimum est) consulere opus sit.

SÆPE hos qui è Nova Hispania redeunt, præsertim verò qui in Mechoacan fuerunt, interrogavi de stirpis formâ quam hæc radix profert: sed illud duntaxat intelligere potui, ex urbe *Colima*, quadraginta milliaribus ultra Mechoacan, adferri radices siccas & repurgatas, illas Hispanos emere, & in Hispaniam mittere: tanta est omnium negligentia, quæstus verò summum studium. *Colima.*

MAGNA sanè reprehensione digni sumus, quòd, quandoquidem in Nova Hispania tot stirpes, & alia maximi momenti medicamenta inveniantur, nemo tamen vel describat, vel formâ & facultates percontetur, ut cum nostris conferri queant. Nam si in animum inducerent, ut inquirerent & explorarent tot medicamenta quæ ab Indis in suis *Tianguez* sive foris venduntur, magna inde sequeretur utilitas, cùm ipsi Indi eorum facultates non celent, sed celebrent & communicent: contrà plerumque nostri ista negligunt; vel, si quarundam virtutes norunt, neque eas nos docere, neque earum effigiem indicare cupiunt.

NON desinenti porrò diligenter sciscitari de hac planta, quidam, qui nuper admodum ex ea provincia advenerat, significat, Franciscanum monachum, ex Mechoacan usque, navi qua ferebatur advexisse, non sine magna cura & sollicitudine, illius stirpem magno vase terra pleno repositam, quam apud sui Ordinis in hac urbe monachos aleret. ingenti perfusus sum gaudio hæc audiens, atque ilico ad monasterium me confero. Video in dolio plantam multis ramis supra terram expansis luxuriantem, colore fusco ad cinereum tendente, qui vicinas perticas aut pergulas (si adponantur) scandere, & multiplici nexu amplecti possint: foliis circinatæ ferè rotunditatis, in mucronem tamen desinentibus, nonnunquam admodum amplis, atrovirentibus, fibrosis, perennibus, adeò verò delicatis, ut humiditate carere videantur: fructu, ut perhibent, coriandri sicci magnitudine, racematim cohærente, qui Septembri maturescit: radice crassa, vitis albæ seu Bryoniæ modo; ut non defuerint qui eandem plantam esse putarent, aut saltem ei congenerem: sed multum differunt; nam Bryoniæ radix, cum viridis, tum sicca, admodum acris est: Mechoacan verò insipida, & sine acrimonia. Colligitur Octobri. *Mechoacan historia.*

ADVEHITVR radix magnis fragmentis & parvis, partim in taleas concisis, partim manu confractis. Milii semine obruta servatur, lineo panno picato seu resina obducto inuoluta.

DELIGENDA recens, albicans, exteriore parte nonnihil flavescens: improbatur candida, nigra, cariosa. Ineptè igitur faciunt, qui illam in pulverem comminutam adservant, quoniam facilè exhalat, & ejus vis infringitur: præstat idcirco radicem primùm deradi, cùm pulvis sumendus.

CALIDA est primo gradu, sicca secundo: tenuium enim esse partium, nonnihil tamen adstrictionis possidere, ex eo patet, quòd absolutâ purgatione, internarum partium robori nihil adimit, nec eas debilitat, ut reliqua purgantia medicamenta: imò illâ purgati, robustiores

ſtiores redduntur, quàm ante ſumptum medicamentum erant. Hinc fit, ut nullâ correctione indigeat: ſolum vinum eſt ejus vehiculum; cum quo ſumpta faciliùs & efficaciùs operatur, quàm cum alio quovis liquore, nec vomitione reiicitur.

Cæterum nunc ex Continenti advehitur Mechoacan, natum circa Nicaragua & in Quito (ubi diligenter colitur, & magno in uſu eſt, ob ejus mirabiles effectus) longè præſtantius eo quod ex nova Hiſpania adferri conſuevit: cujus flos, ſemen, & ramuli etiam allati ſunt. Erat verò is flos quaſi mali aureæ, quinque foliis conſtans majoribus, ſubfuſci coloris, è cujus umbilico protuberat calyx ſive veſicula quædam avellanæ magnitudine, membranâ conſtans tenui, albicante, quæ in duas cellulas tenuiſſimâ pelliculâ ſecretas dividitur, & in ſingulis bina grana, ciceris exigui magnitudine, colore per maturitatem nigro, guſtu inſipido continebantur, quæ molli & ſpongioſâ terrâ excepta, commodè naſcuntur. *Mechoacan alterum.* *Forma.*

Ex hujus radice fit conſerva varii generis, Cydoniorum modo, ſed etiam Gelatina ex ſaccharo & illius ſucco, quæ in deliciis eſſe poſſunt: nam ut radix eſt inſipida, facilè ſaccharum recipit, quocumque tandem modo paretur. *Conſerva & Condita.*

Moleſta non eſt hujus radicis ſumptio, quia nullius mali ſaporis eſt particeps: ideóque omni tempore, omniqúe ætati, pueris, ſenibus, aliiſque qui cætera medicamenta reſpuunt, utilis eſt, cùm benignè & ſine moleſtia purget.

Craſſos, viſcidos, putridoſque humores, utramque bilem & aquas educit: Iecoris, ventriculi, lienis morbos tollit, & earundem partium obſtructiones aperit, ideoque ægritudinibus inde provenientibus, hydropi, ictero utilis: inveteratos capitis dolores curat, cerebrum & nervos expurgat, cephaleæ, epilepſiæ, ſtrumis, articulorum, coli, & renum doloribus opitulatur: veteres defluxiones ſiſtit: uteri morbis, qui plerumque ex frigidis humoribus aut flatibus generantur, tuſſi veteri, aſthmati, & reliquis pectoris vitiis, antiquis febribus, & lue venereâ vexatis convenit, repetito, quotiès opus fuerit, ejus uſu. Nam in pertinacibus ejuſmodi & inveteratis morbis, neceſſariæ ſunt plures evacuationes, ad penitus revellendum & expellendum humores qui tales morbos generant: itaque nihil mirum, ſi, unica purgatione, ægri optatam ſanitatem non conſequuntur. *Facultates.*

Hujus autem radicis ſumendæ ratio talis eſt: Purgato priùs corpore ſerapiis, clyſteribus, aut ſanguinis miſſione, & diætâ, pro medici judicio, ſelectioris hujus radicis leviter contuſæ pulvis vino albo maceratus, aut aquâ fœniculi, aniſi, aut cinnamomi (ſi quis vinum non fert, etiam commodè dilui poterit, ſi quis dilutum cupit, ſtillatitio intybi, bugloſſi vel ſcariolæ liquore) ſummo manè propinatur, dimidiæ drachmæ pondere pueris, unius drachmæ juvenibus & adoleſcentibus, duarum verò drachmarum viris & mulieribus. Nec inutiliter datur ex ſyrupi roſati novem infuſionum duabus unciis, aut violarum ſerapio conſervæ've miſcetur: & ſæpiùs ex juſculo ſumitur. Dimidiâ poſt ſumptum hoc medicamentum horâ ſomnus conceditur, iis præſertim qui vomitibus obnoxii ſunt; ſed brevis: nam purgari incipienti, nec ſomnus, nec cibus, nec potus convenit. *Exhibendi ratio.* *Pulvis.* *Doſis eius.*

Si verò qui hunc pulverem, vel aliud quodvis laxans medicamentum ſumpſerit, ſibi à vomitu metuit, utatur eo quod ſæpiùs expertus ſum remedio, videlicet, ilico à ſumpto medicamento, albumen ovi aſſum & adhuc calidum digitiſque attritum lineo panno raro involvat, & in nodum colliget, quem gutturis orificio imponet, & iſtîc retinebit, donec medicamentum laxare incipiat: etenim non modò vomitum prohibebit, ſed etiam fumos & vapores à medicamento ſublevatos reprimet. Factâ purgatione, datur juſculum, & paulò pôſt cibus, qualis dari ſolet his qui ſeſe purgant. Peracto prandio, neque ſomno indulgeat, neque bibat ante cœnam, quæ levis erit, & rerum boni ſucci. Poſtridie eluat corpus medicamento aliquo, & conſervâ quapiam utatur: deinceps in victu & reliquis rebus neceſſariis ſeſe gerat ut decet.

Fiunt nonnunquam ex eodem pulvere excepto Electuario roſato Meſue catapotia coriandri ſicci magnitudine, ut faciliùs diſſolvantur, & citiùs opus ſuum peragant. *Catapotia.*

In manu autem eſt Medici, aut ejus qui ſumpſerit, eam humoris quantitatem purgare quam volet, quoniam ſumpto pauxillo juſculo, aut aliâ re, ejus operatio ilicò ceſſat.

Mittit nobis Promontorium D. Helenæ, quod in eodem quo Nicaragua tractu eſt, aliud Mechoacan genus ſilveſtrius, quod gravia Symptomata excitat, ut vomitus immodicos, tormina, & alvi profluvia, quam ob cauſam Scammonea nuncupatur: ſed nemo (periculo ſemel facto) utitur. Simile eſt alteri cùm folio, tum ſarmentis, tum radice, ſed per omnia minoribus: & ipſa etiam radix acrimoniæ nonnihil habet. Unde clariſſimè liquet, quantum momenti adferat loci varietas ad hujus radicis facultates. *Mechoacan ſilveſtris.*

Miſſa ſunt nobis ex Hiſpaniis anno M. D. LXIX. *duo ſeminis Mechoacan genera; unum brevi calyculo ſive ſiliqua, ſemineque nigro, quale eſt Scammonii aut Convolvoli maioris: Alterum oblongiore aliquantum calyculo, & ſemine ruſo, & quàm ſuperius longiore tenerioréque. Vtriuſque ſiliqua parte interiore lanuginoſa erat.*

E x *utriuſque ſemine natæ nobis, & aliquot aliis rei herbariæ ſtudioſis plantæ, quas ſubſequentis hiemis iniuria ſuſtulit. Prodibant Scammonii aut convolvoli modo, deinde multis ſarmentis proxima pedamenta ſcandebant & amplectebantur: foliis Convolvoli maioris, ſed tenerioribus, & colore magis flaveſcente: radix pollicarem vel maiorem craſſitudinem iam erat adepta.*

[a] *Negat Ioan. Fragoſus, Regis Catholici Medicus, iuſculo aut alio cibo iniecto Mechoacan vim purgativam ſiſti aut infringi, & quotidianâ experientiâ id ſe obſervaſſe ait, eandémque noſtri Auctoris in Pinipinichi opinionem reprobat.*

Radix Quimbaya. *Meminit Petrus Cieça parte primâ Perüanæ Hiſtoriæ, in provincia Quimbaya, cuius metropolis Carthago magna, naſci tenues quaſdam radices digiti craßitudine inter arbores; quarum ſi fragmentum brachiali longitudine duobus aquæ ſextariis per noctem maceretur in vaſe aliquo, maiorem aquæ partem eâ nocte abſumi. Ex ea quæ ſupererit aqua, qui tres uncias ſumpſerit, adeò benignè purgandum, & ſine moleſtia, uti ſi Rhabarbaro purgatus eſſet; & aliquoties periculum feciſſe ſcribit magno illorum, qui ſumpſerunt, commodo.*

Bexugo del Peru. I LLIS *forſitan ſimiles erunt, quas ad me Diepâ mittebat doctißimus vir Godofredus le Brun, Medicus Regius, Bexugo del Peru appellatione, quarum drachmam ſumptam, purgandi vim habere ſcribebat, præferrique Mechoacan & nucibus Indicis purgativis. Erant verò illæ, ſarmenta veriùs, quàm radices, longa, æqualis ferè ubique craßitudinis, digitalis videlicet, nonnulla etiam minora, lenta, & funiculorum, ſive Atragenæ ſarmentorum inſtar nonnihil contorta, cortice cineraceo obducta, valdè nervoſa internè, lenti guſtus initio, deinde nonnihil acris & ſalivam cientis, denique guttur & fauces urentis, breviter ad Atragenæ ſarmenta proximè accedentia, ut quodammodo mihi perſuadeam Atragenes fuiſſe ſarmenta illis in locis naſcentis.* *Atragena.*

Coca.

CAPVT LII.

Coca. CVM tam multis annis celebrem illam apud Indos plantam, *Coca* nuncupatam, quam tantâ curâ & diligentiâ ſerunt atque colunt (nam omnes eam in quotidianos ſuos uſus & oblectationes convertunt) videre cuperem, ad me perlata eſt.

Cocæ hiſtoria. E S T verò ea ulnæ magnitudine, foliis Myrti paulo majoribus (quæ veluti aliud folium ſimili formâ in meditullio delineatum habent) mollibus, dilutiùs virentibus: fructu racematim cohærente, uti Myrti fructus, rubente quando matureſcit, ejuſdemque magnitudinis; quando verò plenam maturitatem adeptus eſt, nigricante: tum verò herbæ eſt meſſis, quæ collecta in caniſtris aliiſque rebus ad exſiccandum reponitur, ut meliùs conſervari & in alias partes transferri queat: nam è montibus in alios montes defertur mercimonii gratiâ, proque aliis mercibus commutatur, veſtibus, gregibus, ſale, & aliis rebus, quia illis pro pecunia eſt. Reconditur ſemen in maſtiche, atque inde exemtum alibi ſeritur in terra bene culta, per ſuos ordines & ſeries, uti apud nos fabæ aut piſa.

Cocæ uſus. V V L G A R I S eſt ejus uſus inter Indos ad multas res, tum ad eas quæ ad iter neceſſariæ ſunt, tum quæ ad voluptatem in ſuis ædibus ſerviunt, hoc modo: Conchylia aut oſtreorum conchas urunt, & calcis modo comminuunt: folia deinde Cocæ dentibus atterentes, ſubinde pulverem illum conchyliorum uſtorum admiſcent, & ſimul quaſi fermentant, ut tamen minor ſit calcis quàm foliorum quantitas: ex hac maſſa trochiſcos ſeu orbiculos conficiunt, & ſiccandos exponunt. Quando iis uti volunt, unum orbiculum in ore ſumunt, eumque exſugunt, ſubinde in ore nunc hac, nunc illac verſantes, & quàm diu poſſunt retinentes: uno abſumto alium ſumunt, deinde tertium, ſic pergentes toto tempore quo iis in longis itineribus conficiendis opus habent, præſertim ſi per loca eant, ubi nulla aut cibi aut aquæ copia eſt: nam horum orbiculorum ſorbitione, famem, ſitimque ſibi levari, & vires ſuſtentari aſſerunt.

Si duntaxat voluptatis gratiâ uti volunt, ſolam Cocam mandunt, eamque in ore verſant, donec omnis facultas abſumpta ſit; deinde aliam ſumunt. At ſi inebriari, aut aliquantulum extra ſe rapi, & veluti mente alienari, Cocæ Tabaci folia admiſcent, atque ſimul mandunt & ſorbent; eâ ratione extra ſe feruntur veluti homines ebrii, magnam voluptatem inde capientes. Et profectò res admiratione non caret, conſpicere quàm iſti Indi oblectentur mente & ſenſu quaſi privari, quandoquidem ejus rei gratiâ Cocam cum Tabaco ſumant, aut ſolum Tabacum, ut antè in hac Hiſtoria de Tabaco diximus.

*I P S A M *Cocæ hiſtoriam aliàs ex Petri Cieçæ commentariis de rebus Perüanis retulimus in noſtris ad caput de Betræ hiſtoria aromatum lib. 1. Annotationibus ſive ſcholiis.*

Sed & Benzo lib. 3. cap. 20. Cocæ in hanc ſententiam meminit. Peregrè profecturi [de Perüanis loquitur] rubro quodam bitumine faciem oblinunt, herbámque ore clauſam (Cocam *ipſi appellant) velut panchreſtum quoddam pharmacum circumferunt. Quippe eius præſidio freti, integrum diem nullius nec cibi nec potus egentes iter faciunt. Atque hoc quidem herbæ genus, earum rerum, quibus mercaturam exercent, præcipuum eſt.*

Caçaui.

CAPVT LIII.

EADEM ratione, negotio amicis dato ut ex S. Dominici urbe illius herbæ ex qua *Caçavi* fit, folia ad me perferrent, ea accepi.

Caçavi autem panis est quo Indi tot seculis vitam sustentârunt, & hodie etiam vescuntur nostri Hispani. Fit verò ex herba ab Indis *Yuca* nuncupata, quinque aut sex palmos alta, foliis latis & manus humanæ modo expansis, atque in septem aut octo lacinias divisis, perpetuò virentibus. Seritur in terra probè culta & in sulcos ducta, fragmentis radicis: fructus [*radicem intelligit*] crassus est, glomeruli fili, aut magnorum naporum modo, cortice exteriore fusco, parte verò interiore admodum candida; è qua (cortice ademto) panem conficiunt hac ratione: *Caçavi.* *Yuca historia.*

Repurgatum suo cortice, instrumentis quibusdam (iis quibus mulierculæ linum pectunt similibus) dente acuto & firmo præditis, in frustula secant & comminuunt: quod comminutum est, in manticam ex palmæ foliis contextam iniiciunt, & pondera quædam veluti grandes lapides superimponunt, ut suo pondere succum ex fructu exprimant; quo probè expresso, fructus crassior materies amygdalis tritis & expressis similis restat: quæ patinæ injecta lento igne coquitur, & densatur, subinde illam volvendo uti ova frixa solent: eâ bene densatâ, placenta fit, nummi Hispanici octo regalibus æstimati crassitudine, quam Soli siccandam exponunt. hæ placentæ illis panis vicem præbent, multum nutriunt, possuntque multo tempore incorruptæ conservari: nam navibus, quæ inde huc in Hispaniam appellunt, imponuntur panis biscocti vice pro alimento: verùm fauces exasperat ejus Caçavi usus, nisi aquâ aut jusculo maceretur, aut aliis cibis commisceatur; eâ etenim ratione edi potest: at qui siccum comedere vellet, alterâ manu vasculum aquâ plenum perpetuò tenere necesse esset, alioqui minimè deglutire posset. *Caçavi conficiendi ratio.*

SED mira est expressi succi jam memorati natura: nam si homo aut animal eum bibat, aut degustet, illico moritur, tamquam præsentissimum aliquod venenum hausisset: at si primùm ferveat, & ad medias decoquatur, deinde refrigerari sinatur, aceti usum præbet non minùs præstantis quàm si ex vino confectum foret; si verò coquatur donec crassitiem adquirat, dulcescit & pro melle est; vide quanti in rebus momenti sit coctio, quandoquidem præsens venenum in salutare alimentum & potum convertit. *Yuca succus letalis & salubris.*

NEC minore admiratione dignum est, omnem Yucam in continenti nascentem, tametsi ei quæ ad S. Dominicum nascitur (ex qua *Caçavi* fit) similem, salutarem esse, ejusque fructum [*radicem*] edulem, & succum inde manantem potabilem, nullamque noxam adferre: eam autem quæ ad S. Dominicum provenit (quacunque tandem ratione edatur) ejusque succum non coctum, perimere. Locorum verò naturam tanti momenti esse, ut, quod salubre alimentum in continenti præbet, id in omnibus insulis præsens sit venenum. Quemadmodum Columella de Persico scribit, perniciosum venenum in Perside fuisse: at ubi in Italiam translatum fuit, noxium illum succum deposuisse, & suavem salutaremque præbuisse. *Yuca Peruana minimè noxia.*

VTCVMQVE sit, cùm Indiæ *Mayzo* abundent, idque istic in omnibus provinciis sit maximè vulgare, *Caçavi* vesci nollem, quandoquidem mayzum non minùs nostro frumento alat, nec ullâ noxiâ facultate sit præditum, sed sanum sit & salubre ventriculo. fit ex eo panis quemadmodum ex Caçavi, nam molitur & in farinam reducitur, atque adfusâ aquâ in massam cogitur, ex qua globulos confectos elixant: sed recentes edi debent, quoniam resiccati asperi sunt, difficulterque deglutiuntur, & dentes offendunt. *Mayzum.*

BATATAS in illis regionibus admodum communes, cibum multi alimenti esse existimo, mediæque esse veluti substantiæ inter carnes & fructus, flatulentas tamen; sed assatæ flatus deponunt, præsertim si cum generoso aliquo vino edantur: ex iis etiam fiunt conservæ non minùs gratæ, quàm Cydoniorum carnes, morselli, placentulæ, & alia edulia gratissimi saporis: idoneæ enim sunt ad omnis generis conservas conficiendas, & edulia. *Batatæ.*

Nunc adeò frequentes sunt in Hispaniis, ut singulis annis è Velez-Malaga decem aut duodecim longæ naves, quas Caravellas appellant, iis onustæ Hispalim invehantur. Seruntur verò aut minores integræ, aut majores in frusta concisæ, solo bene culto & in suos sulcos ducto, feliciterque nascuntur: nam intra octavum mensem in eam crassitudinem excrescunt, ut edi, & in alios usus parari possint. *Batatæ in Hispaniis frequentes.*

Temperatæ sunt, & coctæ vel assæ ventrem emolliunt: at crudæ esui non sunt aptæ, quoniam admodum flatulentæ sunt, difficilisque digestionis.

*MULTA *de* Cazabi, *ipsáque* Yucæ *planta & Mayzo atque* Batatis *Oviedus in epitome & Indicæ Historiæ lib.7. lectu digna adfert. Batatæ autem iconem & descriptionem in mea Plantarum Historia dedi.*

Yuca. SED *& Gomara Historiæ generalis cap.71. ubi provinciæ S. Marthæ dotes describit, similia propemodum de* Yuca *cum nostro Auctore refert.*


Yuca, *inquit, quæ in Cuba, Hayti, & reliquis insulis nascitur, perniciosa est si cruda edatur: in hac verò provincia salubris. Eâ crudâ, assâ, elixâque vescuntur; & quocunque tandem modo parata grati est saporis. Radice seritur, non semine: digeruntur certâ serie terræ tumuli, deinde ipsius stirpis caules, qui solidi, crassi, nodosi, cinereique coloris sunt, palmitum modo præciduntur, & singuli in singulis tumulis ita reconduntur, ut dimidia pars supra terram extet: ubi comprehenderunt, cubitali altitudine excrescunt; folia habent viridia, canabinis similia: summa verò tellure, in radices Galicianis napis similes convertuntur. Operosa est eius satio & cultura, attamen certa, quandoquidem fructus in radice consistit. Annuo spatio maturitatem consequitur: præstantior tamen redditur si biennio sub terra lateat.*

Piper.

CAP. LIV.


TOTO Continentis tractu in quo Nata, Carthago, & etiam in Novo regno, magnus est usus Piperis cujusdam oblongi, quod majori acrimonia præditum est Orientali, magisque aromaticum, & jucundiore odore spirat, quàm Axi seu Capsicum; quinetiam præfertur Piperi nigro, cùm saporis, tùm suavitatis causâ. *Axi. Capsicum.*

Forma. ALTÆ cujusdam plantæ fructus est oblongus, crassitudine quidem funiculi, at dimidii pedis longitudine, constans veluti multis granulis, circa pediculum oblongum continuo & conjuncto ordine dispositis, seminis plantaginis modo; quibus ademptis, pediculus nudus conspicitur. Recens viridis est, sole maturescit & nigrescit. Calidum est tertio gradu.



NEC prætermittendum est Piper ex Indiis nostris missum, quandoquidem non modò in medicum usum receptum est, sed planta est excellentissima, & toti Hispaniæ notissima: nam nullus est hortus, in quo non seratur ob fructus pulchritudinem. Vidi aliquando in hac urbe plantam ad arboris altitudinem excrescentem.

CAPSICUM.



CAPSICUM BRASILIANUM.



FOLIO

Capsici historia. Folio est viridi, ocymo latifolio simili, flore albo, ex quo pullulat fructus diversæ formæ, oblongus, rotundus, Melopeponis formâ, aut cerasiorum; sed immaturus viridis est, maturus verò colore rubro gratissimo.

Particulatim concisum, & jusculo maceratum, meliorem saporem eduliis conciliat, quàm Piper vulgare: ideoque ejus usus est in omnibus in quibus aromata ex Maluccis insulis & Calecutio delata commendantur; in eo solùm differens, quòd illa multis aureis emuntur, hoc sola satione adquiritur: nam in una planta colliguntur aromata in totius anni usum, minore dispendio, & majore commodo.

Facultates. Flatus discutit, utile pectori & perfrictionibus, calefacitque & roborat partes internas. Caliditatis & siccitatis in quarto ferè gradu particeps.

Capsicum hoc, seu Piper Indicum (Americum potiùs) diligentissimè colitur tota Castella cùm ab hortulanis, tum à mulieribus in ædium suarum pensilibus hortis. Etenim eo utuntur per totum annum cùm virente tum sicco, pro condimento & Pipere. Spectatur variâ (ut noster auctor ait) formâ. Memini etiam videre anno M.D.XXCV. *maximâ copiâ cultum in suburbanis Brunnæ urbis celebris in Moravia, quo cultores non contemnendum quæstum faciunt: est enim apud vulgus frequenti in usu. Sed & hæc omnia genera aliquando vidi colore flavescente, in Lusitania, monasterio quodam circa Olysiponem.*

Aliud Capsici genus observabam in nonnullis Lusitaniæ locis, fruticosum, cubitalibus ramis, virentibus, foliis hortensis Solani ferè, aliquantulum angustioribus: flore candido exiguo, ut Solani hortensis, fructu in longis pediculis parvo, per initia viridi; deinde nigricante; ubi maturuit, rubro, continente multa semina latiuscula alterius Capsici modo, tam fervidi gustus, ut fauces aliquot dies incenderet gustatum. Floret & fructum profert toto Autumno, & in calidioribus regionibus etiam hieme. Illi vocabant Pimienta de Bresil, hoc est, Piper Brasilianum, in qua provincia abundanter nasci, multiplicique in usu esse intelligebam.

Cevadilla.

Caput LV.

Cevadilla. Perlata sunt ad me cum aliquot aliis plantis ex Hispania Nova, semina cujusdam plantæ *Cevadilla* istic vocatæ, id est, Hordeolum, à similitudine quam cum nostro hordeo habet in spica & vaginulis, quibus semen includitur, sed minus eo, lini semine neutiquam majus, & longè aliis facultatibus præditum. *Facultates.* Etenim nunquam auditum est plantam aliquam adeò urente & caustica vi præditam; sic, ut ubi cauterium necessarium est in gangrænis, & putridis impurisque ulceribus, eosdem præbeat effectus, quos non modò sublimatum, sed ignis etiam præstare posset: etenim vermes in ulceribus necat, putridaque ulcera expurgat pulvis ejus sensim iis inspersus, majore minoréve quantitate, pro ulceris magnitudine, adhibitis præservativis, quæ in hujusmodi remediis usurpari solent. Itaque, cum ejus facultates infringere volunt, pulverem stillatitio rosarum aut plantaginis liquore excipiunt, linumque aut ellychnium eo intinctum ulceribus & gangrænis imponunt: deinde sarcotica medicamenta adhibentur, pro cheirurgi docti & experti judicio.

Eadem ratione usurpatur in animalium malignis ulceribus, quibus plerumque infestantur.

Calidum est hoc semen in quarto gradu, eoque etiam ampliùs, si plures agnoscerentur gradus.

Sulphur vivum.

Cap. LVI.

Sulphur Quitense. Mittit nobis Quito provincia Perüana Sulphur vivum præstantissimum, ut vitrum translucidum, colore auri purissimi, cujus fragmentum pusillum lucernæ admotum, odorem maximum sulphuris ejaculatur fumo viridi permistum; sed antequam incendatur, nullum Sulphuris odorem præbet. Eruitur istic ex venis, proximis auri fodinis: itaque non sine causa Chymistæ aiunt Argentum vivum auri esse materiam, sulphur verò formam.

Huius pulvis vino dissolutus, & per aliquot dies faciei vespere illitus (purgato prius corpore) inflammationes curat. Scabiem tollit, rosaceo oleo mixtus. Drachmæ pondere cum ovi luteo sumptus, coli doloribus, nephritidi, nervorumque contractionibus & ictero utilis est. Calidum & siccum est hoc sulphur summo excessu.

Sulphur Nicaraguanum. Ex Nicaragua aliud Sulphuris genus advehitur coloris cinerei, densum, minimè transparens, nihilque cum alio commune habens præter odorem.

Ad Erysipelas.

CAP. LVII.

Medicamentum ad ignem sacrum.

NOBILIS ille qui Piper longum mihi dedit jam antè descriptum, filium habuit, cujus faciem erysipelas occupaverat. accersitus, venam secare, & lineos pannos rosacea & solani aquis madentes faciei imponi jussi. Illico pater: Quod ad sanguinis missionem attinet, rectè quidem, nam puer sanguine abundat. Faciei autem aliud medicamentum illinam. Perüana porrò Cartagine attulerat placentam quandam foris nigram, intùs luteam, & adhuc humidam, tametsi per bis mille ferè milliaria allata esset. Ejus pauxillum me præsente dissolvit aquæ rosaceæ stillatitio liquore, & eo faciem filii illivit: postridie rosaceo liquore tepido faciem illius abluit: quæ adeò integra & sana reddita est, atque si erysipelate non laborasset.

CONFECTAM verò referebat hanc placentam è lumbricis, quos Indi terra eximentes, Mayzi foliis pascunt, deinde jam pingues fictili coquunt, eos despumando: colatos rursus decoquunt, donec ad unguenti consistentiam aut etiam densiorem reduxerint.

Pacal.

CAP. LVIII.

Pacal.

AD cujusdam fluminis in Peru ripas nascitur arbor ab incolis *Pacal* appellata, illâ, cujus cortex rheumatismis confert, multo minor.

Eius facultates.

HVIVS ligni usti cineribus cum sapone mixtis, Americani ad tollendos vel fœdissimos lichenes in capite natos, vel reliquas corporis partes occupantes, utuntur: sed & vetustas cicatrices emaculare dicitur.

Fragmentum istius ligni accepi, cujus facultates experiemur.

Radix S. Helenæ.

CAPVT LIX.

Radix D. Helenæ, & eius historia.

EX portu S. Helenæ, qui est in provincia Florida, adferuntur radices quædam prælongæ, sed nodosæ admodum, pollicari crassitudine, foris nigræ, intùs albæ, sapore aromatico, Galangæ ferè simili. Resectis his nodis & perforatis, fiunt sphærulæ recitandis ad numerum precibus idoneæ, quas milites Hispani & Indi de collo suspendentes, multum illis tribuunt. Hi siccati rugantur, durique & quasi cornei fiunt. Planta ramos suos per terram diffundit, foliaque ampla & viridia admodum profert.

Natales.

NASCITVR locis humidis; sicca initio, calida in fine secundi gradus existimatur.

Facultates.

HAS radices Indi lapidibus conterunt, totique corpori sibi inducunt balneaturi, quoniam cutim constringunt, & membra, ut inquiunt, suo grato odore roborant.

ILLIVS pulvis ex vino haustus, in ventriculi doloribus, urinæ difficultatibus & nephritide commendatur.

Vt ex huius plantæ descriptione & facultatibus colligere licet, ad Cyperi genus aliquot referri poterit.

Fructus sub terra nascens.

CAPVT LX.

Fructus subterraneus.

MISSVS est ex Peru fructus sub terra nascens, pulcher admodum aspectu, qui radice caret, & nullam plantam profert, nec ab ulla planta producitur, sed sub terra dumtaxat gignitur tuberum instar: dimidii digiti magnitudinem æquans, rotundus, & affabrè elaboratus, spadicei coloris, nucleum in se continens, strepitum, dum movetur fructus siccus, facientem, amygdalæ similem, fusco cortice, intùs album, & in duas partes divisum, veluti amygdala. Grati saporis est, & avellanam gustu refert.

NVSQVAM per universam Americam inveniri dicitur, præterquam apud flumen *Marañon*: recens & resiccatus editur, torreri autem præstat: adponitur secundis mensis bellariorum loco, quoniam ventriculum valdè exsiccat & roborat: sed si liberaliùs edatur, capitis gravedinem generat.

Magno æſtimant eum Americani & Hiſpani, nec immeritò: nam eos qui ad me mittebantur deguſtans, grati ſaporis eſſe deprehendebam.

Temperatus eſſe videtur.

*An *is fructus quem Lerius Americanæ Hiſtoriæ cap.* XIII. *deſcribit his verbis? Habent præterea Braſiliani fructus quoſdam ſub terra, Tuberum modo, naſcentes, Manobi ab illis appellatos, tenuibus filamentis ſimul cohærentes, & nucleum continentes domeſticâ avellanâ haud maiorem, eiuſdemque ſaporis, tenero ut piſorum ſiliquæ cortice, cineracei coloris: an verò folia vel ſemen proferant, ignorare me fateor, licet fructum frequenter ederim.* Manobi.

Guacatane.

CAPVT LXI.

MISSA nobis eſt ex Hiſpaniâ Novâ plantula quædam candicans (ſed ſine radice) Indis *Guacatane* nuncupata, noſtro Polio montano haud abſimilis, ſed inodora; quæ an florem aut ſemen proferat, ignoro. *Guacatane.*

AD hæmorrhoides commendatur hac ratione uſurpata: Eius plantæ decocto ex vino (ſi calor abſit) alioqui ex aqua, hæmorrhoides abluuntur, deinde blandè ſiccantur, poſtmodum ejuſdem plantæ pulvere inſperguntur. *Facultates.*

DOLORES ex frigore & flatibus ortos, in quacunque corporis parte ſedat, ſi locus reſinâ priùs inunctus, tenuiſſimo hujus pulvere inſpergatur, & pannus lineus ſuperimponatur: nam ilicò adhærebit Cerati modo, nec inde amovebitur, niſi dolore mitigato.

EIVS pulvis levibus vulneribus impoſitus, præſertim inguinum, ea mundat, & ad cicatricem perducit.

Ficus Perüana.

CAP. LXII.

EX Hiſpania ficus arbores in Perüanas provincias delatæ ſunt, ubi adeò feliciter creverunt, ut nunc maxima iſtîc illarum ſit copia, quæ plurimos eoſdemque optimos fructus geſtant.

PORRÒ in eodem regno inſecta quædam reperiuntur *araneæ appellata, eò quòd, ubicumque fuerint, ſua retia texant Hiſpanicarum aranearum modo. Magna ſunt ea inſecta, malum aureum amplitudine æquantia, adeò virulenta ut eorum ictus jugulent, niſi efficaci remedio ſuccurratur: nam ſi diutiùs differatur, & ſubeat virus ad cor, præſens mors conſequitur, nec ulla remedia proſunt: miram autem in ficu utilitatem experti ſunt, ſi, quotquot icti fuerint, ſtatim ad eam confugiant, & lac ex ficus foliis manans, bis aut ter in vulnus inſtillent: nam venenum ex ictu in vulnere relictum omnino extinguitur, tolluntur que dolores & ſymptomata ſuccedentia, ſolo vulnere relicto; quod cùm ſit exiguum, facilè curatur: diu tamen apertum conſervare ſolent. Atque ut præſens ſemper adeſſet hoc remediũ, voluit Deus ut ficus nunquam iſtîc folia deponerent, ſed perpetuò virerent. *Aranea Perüana. Foliorum ficus lactis utilitas.*

* *An Phalangii genus inſecti valdè pernicioſi?*

Strobilus ſeu Nux Pinea.

CAPVT LXIII.

NVX pinea celeberrimus eſt totius Indiæ fructus cùm apud ipſos Indos, tum apud Hiſpanos. Pineæ verò nucis nomenclaturam ſibi adſcivit, ob eas notas quas cum noſtratibus pineis nucibus ſimiles habet: nam licet lævis ſit, veſtigia tamen per univerſum corpus ſparſa habet inſtar pineæ nucis: forma eſt ejus generis cyphi quem vulgo imperialem vocant, laxiore ventre & anguſtiore ore, ex quo ſurculi ſeu germina naſcuntur, quæ foliorum vicem præbent, & fructum aſpectu pulchriorem reddunt: terræ committuntur hæc germina, atque ex iis naſcuntur ſtirpes, pineas nuces ferentes, quæ tamen ſingulæ unicum duntaxat fructum in faſtigio geſtant, viridis coloris primùm, deinde per maturitatem, aurei; pulpâ interiore albâ, & fibroſâ, atque in ore liqueſcente, gratiſſimi ſaporis, numeroſis tamen ſeminibus fuſcis per totam pulpam ſparſis, quæ reiici oportet dum fructus editur: odor ejus mali Perſici quod à cotoneo malo cognomen ſumpſit, adeò validus, ut unicus ejus fructus totum cubiculum, in quo repoſitus, ſuo odore replere queat. *Strobilus Perüanus.*

STOMA-

Eius facultates. STOMACHO utilis esse censetur, item cor roborare, languentem appetentiam excitare. Vulgaris est per universam Indiam, & magnæ apud incolas existimationis: editur primâ mensâ, & in pomeridiano æstu; nam frigidus esse perhibetur.

Siccus ad me perlatus est & conditus: siccus, ut illius formam contemplarer, duntaxat utilis fuit: at conditum grati saporis deprehendi, tametsi asperiusculum: immaturum, dum condiretur, fuisse arbitror.

*HUNC *fructum luculenter descripsit Oviedus sub Iaiama nomine, cuius historiam ex nostris in cap. 9. secundi Aromatum libri notis pete.*

Guayauas.

CAPUT LXIV.

Guayavas historia. E Continente etiam pertulerunt semen fructus illius adeò apud Indos & Hispanos celebrati, quem *Guayavas* appellant.

ARBOR est mediocris magnitudinis, ramis sparsis, folio laurino, flore candido, aureæ mali floribus simili, aliquanto tamen maiore, odorato: facilè nascitur, quocunque loco seratur, adeoque luxuriat & serpit, ut in terræ vitiorum numero habeatur; nam plurimorum agrorum gramen, quod depasturi essent greges, corrumpit nimio, uti rubi, implexu: fructus nostris malis similis est, eorum magnitudine quæ ab Hispanis *Camuesas* vocantur, viridis initiò, & per maturitatem aureus, pulpâ interiore albâ, interdum etiam roseâ: divisus quatuor concamerationes aut vascula habere conspicitur, in quibus semina reconduntur, mespilorum seminibus similia, durissima, colore fusco, omnino ossea, medullæ & saporis expertia.

Guayavas facultates. Fructus edi solet, priùs dempto cortice: palato gratus est, sanus & facilis concoctionis: viridis in alvi profluviis utilis est, nam valdè adstringit: præmaturus alvum solvit: at medius, hoc est, neque immaturus neque præmaturus, si assetur, valentibus & ægris confert; nam eâ ratione paratus, sanior est, gratiorisque saporis: præstantior autem is est quem domesticæ & cultæ arbores ferunt. Foliorum decocto Indi utiliter tumentia crura lavant; eodem lienis obstructiones tolluntur.

Fructus frigidus esse videtur: propterea febricitantibus assatus datur. Vulgaris est per universam Indiam.

*HUIUS *fructus meminit Gomara hist. general. cap. 67. Varia sunt, inquit, Guayavos genera, eademque varietas est in fructu, qui plerumque pomis Hispanicis Camuesas appellatis similis est, modò rotundus, modò alia forma, omnino viridis, foris coronatus ut mespila, intus albus aut rubescens, in quatuor partes divisus quemadmodum iuglandes, & in singulis partibus multa grana continens. Maturus sapidus est, immaturus verò asper, & adstringens Sorborum modo. In nimium maturo color perit & sapor, vermesque generantur.*

Meminit & Oviedus Indicæ historiæ lib. 9 eiúsque luculentam habet descriptionem.

Saponariæ Sphærulæ.

CAP. LXV.

Saponarii globuli. CAPSULA mihi missa fuit subere contexta, plena sphærulis valdè rotundis & nigris atque splendentibus, sic ut ex ebeno confectæ viderentur. Eæ verò constabant ex fructu in pumila arbore nascente magis contorta quàm recta, veluti Ruscus, cuius folia filici sunt similia. Ferunt ii frutices rotundum fructum nucis magnitudine, lentâ quadam pulpâ tectum; quâ sublatâ, relinquitur sphæra quædam maximè rotunda, coloris nigri, adeò dura, ut nisi malleo aut aliâ quapiam re solidâ & durâ confringi queat.

SAPONIS vicem præbent hi fructus, quoniam si binis aut ternis cum calida aqua vestes eluantur, multo nitidiores redduntur, quàm si saponis librali pondere elotæ forent: plurimam etenim spumam excitant, eosdemque effectus præbent quos sapo, paulatim liquescentes, donec solæ sphærulæ supersint, quæ officulum sunt hujus fructus: perforantur deinde hæ sphærulæ, fiuntque ex iis coronæ ad numerandas preces idoneæ adeò elegantes, ut ex ebeno confectas dicas, tum diutini usus, quoniam difficulter confringuntur. Est verò is fructus adeò amarus, ut nulla quadrupes aut avis eum degustet.

Aliquot ex iis terræ creditæ, mihi natæ sunt, folia gestantes admodum elegantia & viridia; parvulas adhuc plantas fructum suo tempore prolaturas existimo.

*DESCRIBIT *hunc fructum Oviedus Indicæ historiæ lib. 9. Sunt, inquit, in his insulis [Hispaniola videlicet] & continenti quædam arbores, quæ à sphærulis ad preces ad numerum recitandas necessariis & à sapone cognomen acceperunt;*

runt, quarum folia filicis folia nonnihil referunt, licet minora sint. Celsæ sunt & formosæ, fructum ferentes avellanæ aut cerasi magnitudine, corolla insignitum, minimè edulem, qui sole exsiccatus subflavum colorem retinet. is ossiculum intus continet globulo bombardario æquale, rotundum, nigrum; at si solis radiis opponatur, subrufum, quod semen exiguum & amarum habet. Ex his ossiculis perforatis fiunt supradictæ corollæ, non inelegantiores quàm si ex ebeno confectæ essent; imò iis præstant, quòd leviores sint, & minùs fragiles. Fructu integro cum aqua calida panni expurgantur perinde atque sapone: at si quis frequentiùs eo utatur, pannos urit & corrumpit: semel duntaxat necessitatis causa eluisse sufficiat. pulpa ossiculum ambiens ea est quæ saponis vicem præbet.

Huius etiam memini in Exoticorum libro II.

Granadilla.

CAPVT LXVI.

ALLATVS mihi ex continenti herbæ fructus est, quæ in Perüanis montibus, ubi sponte nascitur, *Granadilla* appellatur, quod nomen illi imposuerunt Hispani ob similitudinem quam cum nostris malis granatis habet; nam ejusdem ferè est amplitudinis, atque etiam coloris, quando maturus est, nisi quòd coronâ careat, in eo reficcato, si agitetur, strepitum edit semen intùs occlusum, pyri semini simile, aliquanto majus, tuberculis quibusdam eleganter elaboratum, & aspectu jucundum: pulpa candida est, & saporis expers. *Granadilla.*

PLANTA hunc fructum ferens Hederæ similis est, eodemque modo repit & scandit, quocunque loco ponatur. Elegans est cùm fructu onusta conspicitur, propter ejus amplitudinem: florem habet albæ rosæ persimilem, in cujus foliis aliquæ veluti passionis Christi figuræ delineatæ conspiciuntur, quas magnâ diligentiâ istîc pictas existimes; eam ob causam elegantissimus est flos: fructus ipse sunt granatula jam dicta, quæ matura acidulo liquore abundant, & semine plena sunt: aperiuntur ut ova, & liquor ille cum magnâ voluptate sorbetur ab Indis & ab Hispanis: nec, etiam si multos sorbeas, ullam ventriculi gravedinem, sed potiùs alvum emollitam senties. *Eius historia.*

Herba rara est, quæ duntaxat uno in loco invenitur. Fructus temperatus esse videtur, & aliquantulum humidus.

*GRANADILLÆ *etiam meminit Petrus de Cieça, parte prima Historiæ Perüanæ cap.* 28. *his verbis: Amplam istam vallem de Lile dictam, in qua oppidum Cali, mediam secat flumen, cuius ripa abundant fructibus eius loci; inter quos grati admodum saporis & iucundi odoris est* Granadilla *nuncupatus.*

Cardui.

CAP. LXVII.

VT hujus plantæ miram formam conspicerem, ad me perlata est.

Ea verò est Carduus quidam* cerei funalis magnitudine, octo angulis constans, & cerei modo striatus. *Carduus Perüanus.*

FACVLTATEM habet vulnera curandi; quoniam recens tritus, & vulneribus impositus, ea curat, nullo adhibito alio medicamento: quâ profectò ratione mihi perutilis fuit, cùm me ex ejus spinis una pupugisset, quas validas & acus modò pungentes habet.

Planta videtur peregrina.

*HVIVS *Cardui iconem Pena & Lobelius in doctissimis Adversariis exhibuerunt: eum noster Morganus etiamnum apud se servat, atque anno* M. D. LXXXI. *apud ipsum videbam, octogonum, canaliculatum, rigentibus & firmissimis acutissimisque spinis per certa intervalla præditum.*

Herba Solis.

CAPVT LXVIII.

INSIGNIS est hæc planta: & licet jam mihi sit missum illius semen; aliquot tamen anni sunt, quòd herbam apud nos aluerimus. *Herba seu flos solis.*

PLANTA est extremæ magnitudinis, nam duabus lanceis altiorem eam vidi: nec minùs admiratione dignus est ejus flos, quandoquidem magnitudine & elegantiâ reliquos quos unquam viderim flores superat: nam lance amplior est. variisque in medio coloribus est insignitus: perticis opus habet quæ eam sustineant dum crescit, alioqui caduca est: ejus semen melopeponum semina refert, pauloque majus est: perpetuò ad Solem sese obvertit

hic

hic flos, eamque ob causam ab ipso nomen adquisivit: multi tamen alii flores atque plantæ Soli se etiam obvertunt. Hortos exornare mihi videtur.

*IAM *multis annis per universam ferè Europam vulgaris notitiæ est hic flos, qui duorum generum esse videtur: nam unius planta multis interdum ramis prædita est, totidémque flores producit (memini enim duodenis aut pluribus ramis præditam, totidémque flores sustinentem videre) alia singulari caule constat, & unicum fert florem.*

Tametsi verò & Dodonæus & alii hanc plantam luculenter descripserint: nemo tamen, meâ opinione, pleniùs Fragoso in suis Rhapsodiis, qui, enumeratis primùm variis eius appellationibus, de ea ita scribit:

Semen caloribus satum paucis horis prodit, & tantâ velocitate adolescit, ut sex mensium spatio lanceæ altitudinem superet, & quibusdam locis altissima evadat, præsertim si in terrâ pingui bene stercoratâ & umbrosâ seratur.

Experientia docet annuam esse, unicaulem, sine ramis, foliis Cucurbitæ haud absimilibus, magis tamen mucronatis, & cordis formam referentibus. Extremo caule fert fructum liquidâ resinâ plenum, simili Abiegnæ, sed suavioris odoris: caule autem vulnerato exstillat quidam liquor, qui solis & aëris calore veluti gummi concrescit; is liquidæ resinæ superiori permixtus, aut igni admotus, perinde gratum ferè spirat odorem atque Anime.

Mira est huius plantæ natura, ut ad Orientem solem caulis fastigium convertat, quasi eum salutans, illóque altiùs subeunte, caput etiam attollat, eóque statu permaneat, donec sol occidat, tum enim ad eum sese etiam convertit quasi commeatum petitura, deinde denuò attollitur usque in sequentem diem.

Oleracei generis est, gustatáque bene sapit: itaque folia demptis pediculis, & asperâ illâ lanugine panno detersâ, edi possunt: incisa enim, oleo, sale, & aromatibus inspersa, deinde fictili lento igne cocta, non iniucundum præbent edulium. Sed & fructus, seu caput tenellum adhuc, sublatâ illâ lanugine, quæ semen, quemadmodum in Cinara, contegit, multo gratius est palato quàm ulli cardui. Experimento probatum, hanc plantam, præsertim verò caput, maximè Venerem proritare: id magnâ est amplitudine, ut sciunt qui vel suis hortis vel fictilibus alunt, seménque fert numerosum, eodem ferè ordine dispositum quo apes suas cellulas struunt.

Itaque magno in pretio habenda, quandoquidem resinosam lachrimam, & delicatum gummi producit, eduliúmque est & potio: nam tantâ humiditate prædita est, ut tenelli illi pediculi qui folia sustinent, manducati, multum succum præbeant. Caulis præterea crassus & nodosus struendo igni utilis: nam resinosus ille liquor, & ferulacea concavitas faciunt ut tanquam teda ardeat.

Flos sanguineus.

CAP. LXIX.

Flos sanguineus.

SEMEN ex Peru delatum terræ commisi, ut floris ejus elegantiam potiùs conspicerem, quàm quòd ullâ medicâ facultate præditus sit.

Eius historia.

IPSA planta duos circiter palmos assurgit, ramis rectis, quos ambiunt rotunda & tenuia folia, valdè virentia: flores in summis ramis nascuntur aureo admodum colore fulgentes, quinque foliis constantes, in quorum singulis sanguinea & maximè rutilans macula impressa est, oblongo cucullo extremos flores occupante, & longè prominente. Elegans est flos, ad pensiles hortos exornandos aptissimus: nam & semine & surculis facilimè nascitur. Gustatus eodem sapore & odore quo nasturtium esse deprehenditur: insigniter calidus est.

*VIDETVR *id Convolvoli genus, cuius fructus χρυσαλίδος formam referens ex Hispaniis* Mastuerço de las Indias, *hoc est, Nasturtii Indici nomine mitti solet: cuius legitimam iconem ex C. V. Ioachimi Camerarii Commentariis petere licet. Primùm illam siccam ante multos annos communicavit Illustris vir Dn. Augerius Busbequius, Cæsari à Consiliis, & Ser^mæ Reginæ Elizabethæ, Caroli IX. Gallorum Regis viduæ, Aulæ Præfectus, ex Hispaniis delatam. Deinde mihi & multis aliis semine nata est, frequentibus sarmentis perticas scandens, foliis asari modo orbiculatis, nunc minoribus, modò amplioribus, præsertim si fertile solum nacta sit: flore admodum eleganti, aureo, Persicariæ siliquosæ (quam vulgus, Noli me tangere, appellat) florem nonnihil æmulante, sed ampliore, quinque foliis constante, quorum terna inferiora, quâ umbilico adhærent, tenuia admodum & angusta, atque ubi in latitudinem sese expandere incipiunt, multis barbulis hirsuta, singula verò circa ungues punicante maculâ infecta, & calcari quinque radiis prædito, in longum protenso, qui rarissimè apud nos ad frugem pervenit. Surculi terræ commissi satis feliciter proveniunt, & in Autumni finem egregiè virent: subsequens tamen hiems plerumque corrumpere solet. Ceterùm neque in Germania neque in Belgio nata fert fructum Chrysalidi similem, sed tribus seminibus simul iunctis constantem.*

Nasturtium Perüanum.

CAPVT LXX.

HERBAM habeo ex Peru allatam Nasturtium appellatam, exiguam, foliáque habentem rotunda, Lenticulæ foliis paullò majora.

Nasturtii Peruani facultas.

HVIVS tritæ succus recentibus vulneribus instillatus, ipsáque herba superimposita, ea curat, & ad cicatricem perducit, haud secus quàm Tabacum. Nasturtii est sapore, & valdè calidæ temperaturæ esse videtur.

Lactuca

Lactuca silvestris pumila.

CAP. LXXI.

LACTUCA silvestris vocata, cujus folia Lactucæ foliis sunt similia, ex atro virentia, ex Peru mittebatur, cujus foliorum decoctum diutiùs in ore, quâ parte dentes dolent, retentum, dentium dolorem tollit. Idem præstat foliorum succus dentium cavis instillatus, herba trita superimposita. Sapore admodum amaro est: calidiorem existimo quàm in primo gradu. *Lactucula silvestris.*

Herba ad rupturas utilis.

CAPUT LXXII.

PAULULUM cujusdam plantæ mihi missum fuit, cujus formam, quòd ob siccitatem omnino confracta & comminuta esset, observare non potui.

HANC scribebant miram habere facultatem in rupturis puerorum & adultorum. Eâ utebatur Indus quidam recenti contusâ & rupturæ impositâ, adhibito deinde miro quodam ligaturæ genere, quoniam etiam sine braccis non minùs firmiter ligati incedunt, quàm si braccati essent, ut mihi retulit quidam qui simili morbo liberatus erat ejus plantæ & ligaturæ usu. Talem ligaturam (si adeò firma sit ut ille referebat) solam sufficere posse existimo, nulla herba aliáve re imposita: quoniam hîc quendam Cordubensem conspexi, qui omnes herniosos solâ ligaturâ curabat, nullis adhibitis braccis: quod verissimum est, & hîc adhuc vivunt qui ab eo curati fuêre. *Herba hernias & ramices curans.*

Verbena.

CAPUT LXXIII.

SCRIPSIT mihi nobilis ille vir ex Peru secundùm flumina è montibus eorum regnorum delabentia plurimam verbenam crescere, illi quæ in Hispania nascitur similem, perpetuò virentem, qua Indi in multis morbis curandis utuntur, præsertim adversus omnis generis venena, & in his qui in cibis toxicum aut simile aliquid hauserunt. *Verbena Peruana.*

NOBILIS quædam matrona ex Peru rediens mihi asseruit, se multis annis ægram fuisse; cumque plurimorum medicorum operâ usa fuisset, Indum tandem quendam accessisse, qui in plantarum scientia celebris habebatur, quique inter Indos medicum agebat; verbenæ succum depuratum illi propinasse, à cujus usu post paucos dies lumbricum ejecisset (colubrum ipsa nuncupabat) hirsutum, pede longiorem, crassum, cauda bifida, deinde omnino convaluisset: Ipsam porrò Nobili cuidam viro in Peru, qui continuè ægrotabat, singulis diebus manè eundem succum sacchar0 permistum sumeret, persuasisse (ita enim ipsa hauserat ob amaritudinem) illum deinde plurimos lumbricos rejecisse, longos, tenues, atque inter ceteros, unum albi[a] cinguli instar longissimum, & tum demum integram valetudinem recepisse. Id postea consilium plurimis aliis qui malè affecti erant, & lumbricos habere suspicio erat, dedit, qui omnes sumto Verbenæ succo, multas ventris tineas ejecerunt, & sanati sunt.

Illud remedium adeò certum affirmabat, ut unum è suis famulis ostenderet, qui ob morbi gravitatem philtrum aut medicata pocula hausisse diceretur, quique epoto verbenæ succo, vomitu multa variis coloribus distincta ex ventriculo rejecisset, quæ medicata pharmaca esse asserebant, deinde convaluisse.

QUOD verò ad incantationes & medicata pocula attinet, quod ego vidi, hîc subjiciam. Ioannis de Quintana dueñas, primarii civis famulus, vomitu rejecit, me præsente, magnum tenuium & spadiceorum capillorum[b] glomum, adservabatque in papyro involutos plures alios quos binis horis antè evomuerat: quibus rejectis, nulla ampliùs molestiâ torquebatur, nisi eâ quam vehemens vomitus induxerat.

Ioannes Langius Medicus Germanus, vir doctissimus, refert mulierem se vidisse plurimum de ventriculi dolore conquerentem, rejectis multis vitri & murrhinorum vasorum fragmentis, atque piscium spinis, sanitatem esse adsequutam.

Aliud simile exemplum refert Benivenius libro de Morbis mirandis. Sed quod majorem mihi admirationem parit, est: Agricolam, gravissimis ventris doloribus afflictum, cùm

nullis medicamentis mitigari dolor posset, sibi cultro guttur præcidisse: ejus deinde cadaver cùm secuissent & aperuissent, inventam in ventre fuisse magnam similium capillorum, quales superiorem vomitu rejecisse dixi, quantitatem, & ferrea fragmenta.

HAS ego res dæmonis præstigiis tribuo: nam ad naturalium classem referri minimè possunt.

SIMILE quoddam nec minùs mirum exemplum mihi referebat Franciscus à Zinnig, Ser^mi Principis Matthiæ Archiducis Austriæ, &c. pharmacopœus cùm in sua arte peritißimus tùm diligentißimus.

Lucas Farel eiusdem Principis coquus, qui primùm apud D. Mariam Hungariæ reginam, deinde apud Margaretam Parmensem ducem in simili ministerio fuerat, singulis interdum annis, nonnunquam semestribus vel trimestribus intervallis, per anum eiicere solebat tenuem quandam lentámque materiam, angustæ teniæ instar oblongam, candidam & crispam, non eam quidem continuam & integram, sed quam per fragmenta sex, duodecim, atque etiam quindecim ulnas longa eximere cogitur: solet verò ante ea symptomata, plerunque gravem in pectore sub dextra mamilla dolorem perpeti: quem ut levet, aggregativis catapotiis corpus purgat, eámque, quam dixi, materiam excernit; tum demum morbo liberatur. Is verò, quoniam plerumque tantâ capitis gravedine afficitur, ut domo egredi aut quoquam prodire nequeat, ex quorundam consilio verbenæ radicem collo appensam gestat.

SIMILE etiam exemplum ante multos annos accidere memini Iureconsulto N. Vlierden celebri apud Antverpianos causarum patrono, qui certis anni temporibus materiam in multos veluti muliebrium capillorum glomos congestam per alvum excernere solebat, quâ reiectâ meliùs habebat: nam alioqui macilentus pallénsque semper cùm esset, adversâ valetudine ante ista symptomata plerumque corripiebatur.

Herba mortem aut vitam in morbis prænuncians.

CAP. LXXIV.

Herba mortem in morbis prænuncians.

ANNO M. D. LXII. Comite de Nieva in Peru commorante, in ejus familia mulier quædam illi inserviens maritum habuit gravi morbo decumbentem; cujus causa cùm ipsam admodum tristem Indus quidam primarius conspiceret, interrogavit an scire cuperet, utrùm ex eo morbo periturus esset, an superstes futurus maritus, herbæ ramum se illi missurum, quem in mariti sinistrâ manu poneret, eamque deinde diutiùs comprimeret: nam si superstes futurus esset, quàm diu eam herbam manu teneret, alacrem & lætum; sin moriturus, mæstum & anxium fore. Missum ab Indo ramum marito in manum dat, comprimereque jubet: sed ilico tanta mæstitia & anxietas ipsum oppressit, ut illa, metuens ne subitò extingueretur, ramum ex manu tolleret & abiiceret: is deinde paucos post dies extinctus est.

CVPIENTI mihi an ista vera essent perscrutari, nobilis quidam, qui multis annis in Peru vixerat, certum esse affirmabat, & usitatum apud Indos in ægritudinibus id facere: quod sanè magnam admirationem mihi attulit.

MISSÆ item sunt ad me aliquot aliæ plantæ, sine nomine, quarum unius ex aqua decoctum calidè sumptum, pectoris vitiis auxilio est.

ALTERA, partus mortuos, secundasque morantes trahit; cujus rei magnam experientiam habent Indi.

TERTIAM, si (cùm maximè viget) quispiam colligere volens dumtaxat contingat, illico flaccescit & procumbit.

QVARTA per solum diffusa est & expansa: si quis tamen eam attingat, statim contrahitur; ut brassica Murciana.

HELLEBORVS item niger Hispanico similis, & iisdem facultatibus præditus.

MVLTA præterea alia medicamenta in Indiis nostris Occidentalibus inveniuntur, insignibus facultatibus prædita, quæ cum tempore (ut iis uti possimus) innotescent: ut ex eorum, quæ hactenus allata fuerunt, utilitatibus colligere licet, quandoquidem infiniti morbi, qui alioqui incurabiles videbantur, horum usu curati sunt.

QVÆ omnia meæ diligentiæ accepta ferre oportet, & huic meæ historiæ, quæ per universum orbem admodum celebris fuit, ob medicamentorum, quæ in ea continentur, descriptionem.

ET ut omnes intelligant quàm utilis meus hic liber fuerit, subiicere hîc libet Epistolam ad me scriptam ex Perüana usque regione, à nobili quodam viro, ante duos menses: etenim ex eorum quæ in illa descripsi lectione, inventi sunt in Peru lapides Bezaares, Orientalibus haud inferiores viribus: de quibus, peculiari capite egimus. Dabimus autem sequenti epistolæ locum cap. LXXV. cui bina alia capita subiiciemus.

Epistola

Epiſtola ad D. Nicolaum Monardum.

Capvt LXXV.

Non dubium eſt, Clariſſime Doctor, quin novum videbitur, me virum illiteratum, ſemperque militiam in his regionibus ſecutum, ad te ſcribere de iis quæ ad facultatem veſtram pertinent. Verùm animi mei erga eruditos viros propenſio (in quorum numero te cenſeo, cùm ex libri tui lectione, quem de Medicamentis in his regionibus naſcentibus eorumque facultatibus evulgaſti, tum ob laudem quam eo libro hîc conſecutus es) fecit ut etiam ignotus has ad te dederim. Etenim ſatis commendare non poſſim utilitatem quam hîc attulit tuus iſte liber, cùm ex illo rationem conſecuti ſimus, qua medicamentis utendum ſit, ex quibus ſine methodo antè uſurpatis, nullum auxilium percipiebamus: nunc verò ex tui libri lectione, plerique à morbis, qui deplorati videbantur, liberati ſunt.

Iam ſunt plures quàm viginti octo anni, quòd militiam ſequens, per has Indias peregrinor, in quibus non ſolùm quæ à te deſcripta ſunt, naſcuntur, ſed etiam pleraque alia, quorum fama nondum ad vos pervenit, ob Medicorum huc à vobis commeantium magna ex parte negligentiam & inſcitiam, quibus publica utilitas (quam tamen ſummam præſtare poſſent) curæ non eſt, ſed ut quæſtui dumtaxat ſerviant.

Formam animalis, ex quo lapis Bezar extrahitur, in tuo libro deſcribis. Eâ diligentiùs perpensâ, animalium genus quoddam in iſtis montibus frequens invenimus, valde ſimile iis hircis (niſi quòd cornibus orbum eſt) quos in Orientali India reperiri tradis. Rufi ſunt coloris magna ex parte, & herbas ſalutiferas depaſcuntur (quarum magna eſt copia in montibus ubi iſta animalia degunt) ita fugacia, ut ſolo tormentorum ferreorum ictu adſequi poſſimus. *Animal lapidem Bezar gignens.*

Decima quinta Iunii hujus anni M.D.LXVIII. ego cùm aliquot amicis ad venationem profecti ſumus in hujus regionis montes, in eam quinque dies inſumpſimus, & aliquot ex iis, quæ dixi, animalibus confecimus; cumque eorum cauſa venationem ſuſcepiſſemus, librum tuum contuleramus.

Aperto itaque maximo & provectioris ætatis animali, neque in ventriculo, neque in alia parte corporis lapides invenimus; quo factum eſt, ut Indicis animalibus ſimilia non eſſe putaremus. Percontati Indi, quos, ut nobis inſervirent, deduxeramus, qua corporis parte lapides hæc animalia haberent, ſe quidquam de lapidibus ſcire negabant (ut ſunt nobis infeſtiſſimi, nec ſua ſecreta nobis innoteſcere vellent) Indus tamen puer, decem aut duodecim annos natus, cùm videret nos tantopere id ſcire cupere, in animali receptaculum quoddam & veluti marſupium nobis oſtendit, in quod depaſtas herbas recipiunt, donec eas poſtea ruminatas in ventriculum traiiciant. Ibi puerum illicò interficere voluerunt Indi, quòd nobis id indicaſſet; eundem tamen poſtea, nobis in venatione occupatis, interceperunt, &, ut intelleximus, ſacrificarunt. Indi hos lapides magno habent in pretio, & in Idolorum ſuorum delubris, quæ *Guacas* vocant, cum aliis quibuſque pretioſiſſimis offerre ſolent, veluti auro, argento, gemmis, monilibus, animalibus, & pueris. *Guacas.*

Illvd autem admiratione non caret, hoc animal per totas has Indias non reperiri, præterquam in montibus iſtis Regni Peruani. Nam ego omnia Mexicana regna, omnes Peruanas provincias & regna, provincias & inſulas Marañon, Floridam, & multas præterea Occidentalium Indiarum regiones peragravi; attamen nuſquam hæc animalia conſpexi, quàm in ſolis hujus regni Peru montibus. *Animal Bezaares lapides gignens in ſolis Peruanis montibus.*

Ego quâ potui diligentiâ ab Indis amicis de horũ lapidum facultatibus inquirens, intrò ſumptos, aut foris impoſitos, mirificè venenis & toxicis reſiſtere intellexi, cordis affectibus auxiliari, tineas ventris expellere, & eorum pulverem vulneribus ſagittarum toxico illitarum utiliſſimè inſpergi. In ſumma, hunc lapidem alexipharmacum eſſe pernicioſiſſimi illius toxici quo ſagittas ſuas illinunt, ad ſeſe mutuo conficiendos, atque etiam nos Hiſpanos, quorum plerique poſt vehementes cruciatus & furores mortui ſunt, nullum auxilium invenientes: tametſi in ſublimato vulneribus inſperſo nonnulli levamen ſenſerint: verùm ſi toxico recenti illitæ ſagittæ ſint, præſentaneam perniciem adferunt, nec ſublimatum prodeſt. *Facultates.*

Ex animalis igitur, quod primùm ſecuimus, burſula, novem lapides exemimus, qui Naturæ beneficio iſtic creati videntur ex ſalutiferarum illarum herbarum ſucco, quæ in burſulam illam congeruntur. Secuimus & alia hujus generis animalia, quæ confeceramus, in quibus omnibus lapides invenimus, plures aut pauciores, pro animalium ætate.

Observandvm autem eſt, ſola quæ paſcuntur in montibus animalia, lapides iſtos

præstantes generare: nam quæ in planis pabulum sumunt, ut herbas minùs salubres depascuntur; sic etiam lapides eorum, tametsi utiles, iis viribus non pollent, quibus ii prædit, qui ab animalibus in montanis degentibus eximuntur.

COEPIMUS iis uti eo ordine quem in tuo libro docuisti, & adversus eosdem etiam morbos, in quibus sanandis mirabiles eorum effectus experti sumus, quos longum esset recensere. Quæ omnia tibi accepta referre debent non modò Hispani, sed etiam universus orbis. Quantum ad me attinet, ut aliquam animi gratitudinem ostendam pro beneficio accepto, operâ Ioannis Antonii Corci, divitis mercatoris, duodecim ex iis lapidibus mitto: si eò pervenerint, eos in multis morbis experiri licebit. Ejusdem operâ an illos acceperis mihi significare poteris, & ea, quæ voles in tuam gratiam faciam, imperare, quoniam tui sum observantissimus.

Phaseolus Peruanus.

NUNC capsulam accipies in qua Phaseoli genus invenies, quod Martii initio tantummodo serendum erit, ne frigore lædatur. Planta est fabæ similis, minor tamen, fructum in siliquis ferens. Seni hujusmodi fructus (fabas virides sapiunt) cum sale manducati, validè bilem, mediocriter pituitam, & sine molestia hydropicorum aquas evacuant: eosdem effectus præbent sicci triti, & ex vino sumpti: sed cibum paratum habere convenit; quia si validiùs, quàm necesse sit, purgent, cibo sumpto earum vehementia ilicò infringetur.

[*Ex Hispaniis missum fuit Imp Maximiliano II. felicißimæ memoriæ, anno antequam nobis adimeretur, Phaseoli genus, colore Macounæ simili, sed planiore longioréque formâ, & hilo non admodum magno. Huic nomen adscriptum erat* Haba de India, *id est, Faba Indica, cuius mentionem faciebam in* xi. *fructu cap.* xxx. *lib.* II. *Exotic. fortè id erit quod hoc loco ab Auctore describitur.*]

Planta gramini similis.

PLANTAM etiam quandam hîc in planis nascentem graminis modo, magnis facultatibus præditam: siquidem ejus decoctum gargarisatum, rheumatismis, gutturis phlegmonibus, aliisque vitiis auxilio est: manducata, multam pituitam educit, ideoque morbis superioribus, & capitis doloribus utilis. Denominationem à me sumpsit hæc planta, quòd mihi familiaris ejus usus sit, & aliis, ut utantur, consulam: cujus facultates me docuit quidam Indus in stirpium cognitione admodum versatus.

Molle, cujus antè mentionem feci, describere videtur.

FRUCTUM item arboris cujusdam, quæ solummodo in hac provincia nascitur; Ilicis magnitudine, cortice Cerri ægilopis simili, foliis fraxini. Magnis viribus pollet: nam corticis ejus pulvis vulneribus inspersus, ea mundat, deinde carnem generat, & perfectè curat. Dentes eodem pulvere fricati stabiliuntur, gingivæ abscedentes sanantur. Foliorum decocto intincti panni, & calidi vulneribus, aut pulveri corticis illis insperso impositi, curationem eorum accelerant, & humorum eò defluxum prohibent. Ex ea manat liquor odoratus, quem etiam fructui adjunxi, suffitibus idoneus ad multos capitis morbos, & conficiendis emplastris utilis.

EX ejus fructu salutiferam admodum potionem Indi conficiunt. Eum istic seri & nasci velim: nam tibi delectationem afferret, ob eas quibus prædita est hæc arbor facultates, tum etiam quia novum arboris genus est, & omni tempore odoratum.

Fructus ulcerarius.

INDUS quidam Æthiopissam meum mancipium, cujus crura occupaverant maligna ulcera & inveterata, pulvere cujusdam fructus iis insperso, mundavit; exesâ putridâ illâ carne; eundem pulverem cum ellychnio ulceribus sanis imposuit ad carnem generandum, ulcusque ad cicatricem perducendum. Erat verò is fructus in insula Margarita, ubi mancipium curandum dedi, admodum vulgaris, ut quo vulgariter vescantur, magnitudine Assyrii mali, nucem Persicæ mali officulo similem continens, cuius concremati pulvis (nam ob duritiem cremandum, alioqui difficile attritu) ad ea quæ nunc enumeravi, utilis est. Illud verò admiratione non caret, nucleum, qui hac nuce continetur, adeò noxium esse, & deleteriâ facultate præditum, ut seu vir, sive animal eo vescatur, præsentaneam mortem sibi moliatur, cui nullo remedio occurri potest, tamquam sublimatum aut corrodens aliud medicamentum sumpsisset.

Planta sanguineos sudores excitans.

IN urbe Posto, ubi aliquot annis vixi, omnis generis morbos Indus quidam curabat, solo cujusdam plantæ succo artubus & parti affectæ illito. Ægros deinde stragulis egregiè tegebat ad sudorem provocandum: sudor è partibus illitis emanans, merus sanguis erat, quem lineis pannis abstergebat; atque ita in curatione pergebat, donec satis sudasse putaret, optimis interea cibis eos alens. Eo remedio multi morbi deplorati curabantur, imò ægri juniores & robustiores ab ejus usu fieri videbantur. Sed neque precio, neque precibus, neque minis unquam efficere potuimus, ut eam plantam nobis demonstraret.

Arbor venereos stimulos domans.

ARBOR quædam hîc invenitur materie spongiosa, ex qua Indi nunquam ignem struent, tametsi quis illis mortis periculum minitetur: aiunt enim, quotquot ad ejus flammam sive ignem accedunt, aut quos solummodo fumus pertingit, in re venereâ impotentes fieri.

TUMO-

TVMORES in pedibus & cruribus ex frigidis humoribus orti hîc curantur herba quadam *Centella* nuncupata: siquidem ea trita, tumoribusque imposita, ilicò pustulas excitat, è quibus multus humor effluit, donec tumor omnino resolvatur. Sæpius istas evacuationes inter Indos fieri, & nonnullos Hispanos eis uti vidi. *Centella, & eius facultates.*

ANNO M. D. LVIII. in urbe D. Iacobi, quæ est in provincia Chile, quidam Indi captivi suras sibi amputârunt, & eas assas, præ fame, ederunt, & (quod mirabile dictu) cujusdam plantæ folia vulneribus imponentes, ilicò sanguinem sistebant, non sine maxima omnium admiratione, præsente etiam Dn. Garçia de Mendoza.

HERBÆ & arbores Hispanicis similes, admodum paucæ hîc inveniuntur, quia solum eas non alit. In Hispania Nova (cùm primùm in nostram potestatem redacta est) multæ arbores & plantæ Castellanis similes inventæ sunt, tum etiam aves & quadrupedes.

INVENIVNTVR hîc colubri humanâ magnitudine, nullâ feritate metuendi, nec cuiquam nocentes. Aranei, mali citrii magnitudine, admodum virulenti. Buffones pluit Hispanicis non minores, quos Indi assatos edunt, ut & plerasque alias immunditias. *Colubri. Aranei. Buffones.*

PROXIMIS huic continenti insulis, tam multi, tantique vultures inveniuntur, ut pecudes devorent, ob custodum, qui Æthiopes sunt plerumque, negligentiam. *Vultures.*

VNA verò res me in admirationem rapit, vaccas in montibus educatas, si in plana deducantur, omnes emori. Est mihi amicus qui trecentas vaccas in plana traduxerat: illæ aliquanto tempore nihil depascentes paulatim defecerunt, ut ne una quidem intra mensem ei viva relicta sit: omnes autem trementes & tabescentes moriebantur. Adferebant nonnulli causam naturalem, cùm in montibus frigidissimis, ubi singulis diebus pluit, educatæ essent, calorem illum planitiei, in quam nullæ unquam pluviæ decidunt, ferre non potuisse, & mutatione illâ subitâ ab extremo frigore, in extremum calorem, mortuas esse. Etenim consideratione dignum est, quòd in planitie illa, quæ octo dumtaxat miliaribus ad montes usque patet, in longitudinem verò plus mille miliaribus porrigitur, numquam pluerit; in montibus autem illis vicinis pluat quotidie.

SVPERIORE Octobri venit ad nos affinis meus Alphonsus Garçias, strennuus miles, qui se verum Alexipharmacum invenisse ait adversus perniciosum illud toxicum quo Cannibales in bello & venationibus utuntur (sola enim ferinâ & humanâ victitant,) deguntque à Charças ad Chile usque Perüianas provincias.

EST verò ea planta, ut ait, foliis latis, plantagini Hispanicæ haud absimilibus, quæ trita & vulneribus imposita, venenum extinguit, & à symptomatis illis liberat quæ toxicum generare solet. Pro magno thesauro æstimant Hispani, eam plantam se invenisse; quoniam illius præsidio tuti, hostes suos Indos minùs metuent, illis dumtaxat formidabiles toxici illius præsentaneam mortem adferentis causâ: infinitos siquidem Hispanos trucidârunt; quos tamen esui aptos negant, & duriore carne esse, nisi trucidati, tres aut quatuor dies priùs macerentur. *Planta quæ est alexipharmacum.*

NASCITVR autem eâdem regione, ubi fit toxicum, & (tametsi credam aliis etiam locis inveniri) voluit Deus eo loco remedium patefacere, unde pernicies adfertur.

[*Meminit etiam Gomara historiæ generalis cap. 71. herbæ cuiusdam Indis notæ, cuius radicis succus alexipharmacum sit pestilentis & perniciosi illius toxici quo ipsi sagittas illinunt.*]

HÆC omnia eo scripsi, ut consideres apud te, quàm multæ plantæ his similes in nostris Indiis nascantur, quæ nobis ignotæ sunt, quoniam Indi neque eas, neque earum facultates nobis patefacere volunt, etiamsi nos morientes videant, aut in carcerem coniiciantur: quòd si quædam ex prædictis, & aliæ nonnullæ nobis innotuerunt, ab Indicis mulieribus eas edocti sumus, quæ Hispanis, libidinis gratiâ, sese commiscentes, omnia quæ sciunt aperiunt.

VERVM prolixior esse nolo, quòd ignorem an hæc epistola ad te perventura sit: quam si pervenisse intellexero, prolixiores dabo de facultatibus aliarum plantarum, & animalium, & de aliis rebus hîc nascentibus, quæ tibi delectationem adferent, quandoquidem harum rerum es adeò studiosus. E Lima in Peru, ad XXVI. Decembris, M. D. LXVIII.

Tui studiosissimus

PETRVS DE OSMA & XARAYZEIO.

TAMETSI mihi ignotus sit qui has ad me dedit, videtur tamen naturalium rerum studiosus, ideoque mihi amplectendus. Nam ut militis munus est, perpetuò in armis versari, sanguinem profundere, & alia militaria munia exercere; laudandus est qui plantarum cognitionem, earumque facultates inquirit. In quo Dioscoridem imitari videtur, qui cùm

militaret in exercitu Antonii & Cleopatræ, quocunque tamen perveniebat, plantas, arbores, animalia, fodinas, & alia præterea naturæ miracula inquirebat, ex quibus sex illos libros, qui toto orbe celebrantur, composuit, ut majorem laudem scribendo sit consecutus, quàm si bellicâ virtute multas urbes sub imperium suum subegisset. Itaque multum huic viro debeo, cùm propter eam quam de me concepit opinionem, tum eorum quæ ad me misit gratiâ, mihi certè gratissima. Illi scribam, ut nobis plura ex ea regione mittat.

Lapis Bezar Perüanus ab Orientali differt.

PLANTARVM, quas ad me misit, facultates experiemur, & semina suo tempore seremus. Lapides Bezaares, ab Orientalibus mihi differre videntur: nam in superficie sunt perpoliti, & coloris ex cinereo obscuri, & sub duabus veluti testis aut crustis materiam quandam albam continent, quæ dentibus attrita, mera terra est insipida, potiusque infrigidare quàm calefacere videtur. Fabæ magnitudine plerumque sunt: inveniuntur tamen magni & parvi, qui magna ex parte sunt planiores. Ego unum comminui, ejusque pulverem adolescenti, quem venenum hausisse dicebant, propinavi, qui (nescio an hujus pulveris, an aliorum medicamentorum beneficio) sanatus est. Illius periculum in aliis morbis faciam.

QVIDQVID verò in hac historia scripsi, aut ab iis didici qui ex illis regionibus venerunt, aut ex eorum temperamentis collegimus, aut ipsa experientia nos docuit.

ILLVD verò animadvertere oportet, omnia quæ ex nostris Indiis adferuntur, magna ex parte calida esse, & sub hoc temperamento eis utendum, si quis illa sumere volet.

Terræ varii colores.

CAP. LXXVI.

Perüanæ terræ colorum varietas.

MIRVM & jucundum spectaculum est, terræ varios colores eodem agro nascentes in Perüanis provinciis intueri: quoniam procul aspicientibus apparent terræ variorum colorum venæ, contiguæ quasi & continuò invicem subsequentes, nunc virides, nunc cæruleæ, jam luteæ, jam albæ, jam nigræ, jam rubræ, jam alterius coloris, sic ut panni variis coloribus tincti, & Soli, ut exsiccentur, expositi videantur.

Terra nigra conficiendo atramento idonea. Rubra terra argentum vivum continens.

Omnes autem istæ venæ, terræ varii generis fodinas præbent. De nigra illud affirmare possum, ejus paulum mihi ad conficiendum atramentum missum in aquam aut vinum conjectum optimi atramenti vicem præbuisse; & quoniam nonnihil cærulei admixtum habebat, magnam gratiam atramento addidisse. Rubra præstantissima & ditissima est fodina, ex qua argentum vivum tantâ quantitate elicitur, ut eo integræ naves onustæ in Novam Hispaniam pretio inæstimabili devehantur.

INDIS usui duntaxat erant, ut eas certis liquoribus & resinis admiscerent, quibus sibi corpus pingerent: quod in bellum prodeuntes facere solent, ut elegantiores & ferociores etiam appareant.

Paulatim in illis provinciis dites metallicæ fodinæ & rerum similium deteguntur: imò jam recèns cretaceum montem, & aluminis sulphurisque fodinas invenerunt.

*FRANCISCVS *Gomara historiæ generalis cap. 194. horum variorum terræ colorum etiam meminit: sic etiam Augustinus Carate cap. 8. lib. 1. Perüanæ hist. At Petrus de Cieça sub finem cap. 114. primæ partis Chronici Perüani auctor est, in provincia* Popayan *terram inveniri, quæ admixtis cuiusdam arboris foliis nigerrimo colore inficit.*

Cancri Perüani.

CAP. LXXVII.

Cancri Perüani phthisicis utiles.

NOBILIS quidam vir ex Continenti rediens mihi affirmavit post diuturnas febres continuas istic in phthisim incidisse: at postquam ex quorundam consilio ad parvas quasdam inter Divitem Portum & Margaretam insulas ablegatus fuisset, in quibus plurimi nascuntur omnium optimi cancri (solis enim ovis quæ illic columbæ ponunt, & earum recens exclusis pullis vescuntur) quos duntaxat coctos ederet, post aliquantulum temporis quo istâ victus ratione usus fuisset, optimè convaluisse: tametsi antè nihil illi psittacorum esus, qui ad hunc morbum commendantur, profuisset.

Cancros porrò phthisicis valdè utiles esse Avenzoar asserit, non manifestâ aliquâ qualitate, sed propriâ quadam & abditâ causâ.

FINIS.

Tulipæ.

Multiplici vincit florum genus omne colore
Huc usque à Geticis Tulipa missa jugis.

Flos Solis.

Flores flos supero quòd unus omnes
Amplitudine & elegantia, alto
Nec non stipite, quodque Solis almi
Semper suspicio sequorque lumen:
Dignum à Sole mihi dedere nomen
Qui Machaönia sedent cathedra.
Sed quæ vis mihi, quæ've sit potestas,
Haud notum satis est adhuc iisdem.
In lætis tamen interim viretis
Seror, lumina ut otiosa pascam.

Cassia.

Nec fuit Hippocrati, nec Cassia nota Galeno,
Ad medicum sed primus Arabs hanc attulit usum:
Est ea nobilibus medicina aptissima, ventrem
Leniter evacuans: calidæque inducta podagræ
Mitigat immites, repetita subinde, dolores.

Manna.

Manna tibi impuram subducet leniter alvum,
Conveniens puero, conveniensque seni.

Myrobalani.

Quæ Græcis fuerit glans unguentaria, monstrant
Scripta Dioscoridis.
Sed verum nobis cupiens imponere nomen,
Indica pruna vocet.
Solvimus adstrictam, fluidamque adstringimus alvum
Ad medici arbitrium.

Tamarindi.

Et modicè siccat, modiceque refrigerat horum
Pulpa, refertque acidum gustanti grata saporem,
Et valet ardentes purgando evincere febres.

Lapis Bezoar.

Tristibus haud tantùm est lapis iste medela venenis,
Verùm & pestiferas depellit corpore febres.

Tacamahaca.

Indomitam lenit si Tacamahaca podagram,
Et omne corporis pathos,
Illam ego prætulerim quas vendidat India gemmis,
Arabumque gazis omnibus.
Nam quis divitiis validos non præferat artus
Tristique sensu liberos?

Balsamum.

Hoc fertur ex Hispania
Nova novum, ecce Balsamum,
Ægyptio haud minùs potens.
Odore nam suavissimo
Nares caputque recreat,
Morbisque prodest frigidis
Infirma firmans viscera.
Idem dolores corporis
Totius illitum levat:
Unguento & omni fortiùs
Cruenta sanat vulnera.
Miram ô Dei potentiam!

Tabacum.

Nulla salutifero se comparet herba Tabaco,
Viribus hoc omnes exsuperat reliquas.

Ioannes Posthius Germershemius
M. D. F.

AVCTARIVM

ad Exoticorum Libros

CAROLI CLVSI

ATREBATIS.

CAROLVS CLVSIVS
Benevolo Lectori.



OGITABAM, Benevole Lector, si quid post Exoticorum sex priores libros typis expressos nanciscerer, id reservare, donec materiam satis amplam haberem (sic enim confidebam) ut aliquot adhuc libros scribere possem, præsertim adeo feliciter procedentibus Batavorum in Indiam navigationibus. Indices enim multarum rerum peregrinarum dederam, non modò pharmacopœis & cheirurgis, sed etiam Medicis ad eos qui profectionem instituebant adhibitis valetudinis ipsorum curandæ causâ, ut exotica quæque diligenter observarent, atque in reditu secum adferrent; subministratâ etiam pecuniâ, ut diligentiores essent in exequendo munere ipsis commisso. Verùm omnes meam spem, ut antè dixi, fefellerunt, tametsi multa polliciti. Quum igitur incertus sim, an quidpiam in posterum sim acquisiturus, & grandis mea ætas diuturniorem vitam mihi polliceri non patiatur; consultius fore existimavi, ut pauca hæc quæ nancisci potui, scripto comprehenderem, tamquam Auctarium futura ad ea quæ in Exoticorum libris sunt tradita. Boni itaque consule pauca hæc quæ adferre licuit.

---

ad cap. III. *lib.* II. *Exoticorum. pag.* 24. *ante Sectionem* Erat verò

ANNO porrò Christi millesimo sexcentesimo quinto, mense Iulio accipiebat honestissimus vir Christianus Porretus Pharmacopola Leydensis Amstelredamo, ramum arboris aut fruticis septem vel octo uncias longum, digitalis crassitudinis, materiâ valde lentâ & nervosâ constantem, perinde ac magnarum illarum nucum Indicarum integumentum, & multis squamis fusci coloris obsitum, è quo undecim fructus ei, quem modò descripsi, similes dependebant, & longè plures inhæsisse apparebat ex vestigiis unde exciderant, aut resecti fuerant: horum majores, tres uncias cum semisse erant longi, quatuor in ambitu crassi; minores, binas uncias cum semisse longi, tres crassi: omnes autem splendentes & politi, colorisque spadicei, & si quos villos habuerant squamæ, detersi erant; eæ verò omnes in medio quasi in sulcum aut lacunam depressæ, mucrone versus pediculum spectabant: singuli autem fructus nucleum continebant, quia agitati sonitum edebant. Qualis verò sit ea arbor in qua hujusmodi nascuntur fructus, terrestrisne an marina, me fugit, quandoquidem nec nautam qui attulit, nec eum qui à nauta redemit, convenire mihi licuit.

MANVCODIATA.

ante cap. I. lib. V. Exoticorum.



QVIA dum Quintum Exoticorum Librum scriberem, de Paradiseis avibus & Psittacis agere minimè constitueram, eum à fœdissimæ avis historia sum exorsus: libro autem illo jam typis expresso, quum causæ quædam inciderint, ut sententiam mutarem, primum illud meum institutum revocare non piguit, & Paradiseas aves præponere, quarum historiam primum inter aves locum merito debere habere existimavi, atque proximum post illas, Psittacos, quorum maxima est varietas.

DE Manucodiata igitur, sive ea ave quæ à Paradiso cognomen accepit, plerique inter Neotericos (veteribus enim ignotam fuisse opinor) scripserunt: nemo tamen, mea quidem opinione, exactiùs, quàm C. V. Vlysses Aldrovandus. Nam de omnibus rebus, quæ ad ejus avis historiam facere possunt, accuratissimè & subtilissimè disputavit, ac in quinque species distinxit: totidem enim se observasse scribit. Video autem ipsum, & reliquos omnes qui de hac ave commentati sunt, in hoc convenire, ut illam pedibus carere judicent; quia quotquot ipsis fuêre conspectæ, eæ non nisi pedibus mutilæ: hinc factum est, ut Antonium Pigafetam, qui cum Magellano profectus, nave Victoriâ vectus totum orbem primus circuivit, mendacii & falsitatis arguere, fidemque ejus imminuere non sint veriti, quòd è longâ illâ navigatione redux, hujus avis notitiam Europæis hominibus primus dedit, & in Navigationis suæ Diario, pedes [*crura dicere voluit*] palmum longos, sed tenues, huic avi tribuerit. Ego sanè, licet hactenus in eâdem erroneâ opinione cum illis sim versatus, ut eas aves apodes censuerim (præter Aristotelis tamen sententiam, qui nullam avem absque pedibus asserit) quia quas mihi videre contigerat tum in Hispanica meâ peregrinatione Vlysippone binos menses hærens, tum in Belgio apud diversos qui exoticis hujusmodi rebus delectantur, omnes sine pedibus erant & exenteratæ (tum tamen temporis, ut verum fatear, minimè curiosus ad observandum an aliquod inter eas esset discrimen) postremæ tamen Batavorum in Indiam navigationes effecerunt, ut sine difficultate sententiam mutaverim, quum Amstelredamum quasdam integras cruráque cum pedibus retinentes allatas esse certum sit, & ab iis qui conspexerunt, intelligebam, crura illa picæ variæ cruribus admodum esse similia, infirmiora tamen, nec adeò crassa, coloremque habere non atrum, sed ad castaneum tendentem. Nihilominus tamen videre cupivissem, & si unam dumtaxat nancisci licuisset, statim in tabella exprimendam curassem, ut Lectori spectandam proponerem, & Pigafetæ fidem confirmarem: sed quum illico propter raritatem fuerint redemptæ, & Francofurtum ad Mœnum translatæ, & inde porrò unà ad Cæsarem Rudolphum hujus nominis Secundũ (cujus Majestatem his rebus peregrinis, & omnium Naturæ miraculorum cognitione impensè delectari audio) meâ spe frustratus sum. Si verò contingat aliquas integras denuò adferri, idque tempore rescivero, dabo operam ut nancisci possim, vel saltem commodato, ut ejus iconem exhibere queam, ad convellendam vulgò conceptam de illis avibus opinionem, quæ apodes esse censet.

Manucodiata Veteribus ignota.

Manucodiatæ apodes non sunt.

Ceterùm nautas qui has aves retulerant, licet insulas in quibus ipsæ aves nascuntur & vivunt, non adierint, ab illis tamen à quibus redimebant, intellexisse mihi affirmatum est, omnes pedibus esse præditas, incedereque & volare aliarum avium instar: sed incolas, simulatque eas ceperunt, intestina, pedesque adimere & abiicere, deinde Soli exponere ut faciliùs arescant, aridas adservare ut venundent, aut suis cassidibus pennarum loco aptent. Addebant præterea eas aves in silvis versari, & triginta vel quadraginta simul per turmas volare solitas, ipsarum Rege vel Duce comite, qui supra reliquas perpetuò sublimis volat, atque (quod fabulæ proximum) si sitis molesta est, aliquam è caterva primùm ad aquam emitti, explorandi gratiâ; quæ si à potu nullam noxam senserit, tum demum totam catervam advolare & bibere: sin autem morbida redierit, eam aquam à reliquis deseri, & avolare, aliam inquisituras. Addebant insuper, insulanos aquam hac ratione solere inficere ad aves captandas. Conspicientes harum avium aliquam turmam prætervolantem, quo sese conferat, observant, atque vbi avem missam bibisse, & revolasse vident, ilico venenum in eam aquam iniiciunt, quam dum tota turma gustatum venit, inficitur, & sic præda fit. Sed etiam illas aves interdum sagittis peti solere, atque si contingat ipsarum Regem interfici, illo cadente, reliquas aves, quæ in ea turma, simul cadere, & sese comprehendi sinere, tamquam amisso Rege vitam retinere nolentes.


ISTARVM porrò avium duo genera constituebant: Vnum Majorum, quæ elegantiores: Alterum Minorum, & minus elegantium. Vtrique autem generi suum esse Regem peculiarem, & colore differentem. Majoris generis aves, quarum Rex elegantis & venusti coloris,

Manucodiatarum duo genera.

Aru insula. loris, in insula Aru sive Arou (sic enim vocalis illa *u* pronuncianda) dumtaxat reperiri:
Papuæ insulæ. Minoris verò generis aves insulas *Papuas*, insulæ Gilolo vicinas, producere, earumque Regem minùs elegantem esse, nigris pennis præditum, sturno magnitudine parem, pennasq. quasdam habentem setarum equinarum instar. An verò Rex iste niger, illa species Quarta à C. V. Aldrovando exhibita? Requisiti autem qui has aves vendebant à nautis, quo nomine apud incolas appellarentur, responderunt *Boëres* vocari, hoc est, Aves: omnes enim aves sic nuncupant, nec peculiaribus vocabulis distinguere norunt. *Boëres.*

CETERVM, quum Majoris generis avem elegantissimam, & præ reliquis magnam apud C. V. Petrum Pawium Artis Medicæ doctorem & primarium in Academia Lugduno-Batava Professorem conspexerim, ejus iconem in tabella exprimendam curabam ut exhiberem, additâ quâ potui fide brevi historiâ, quæ primum quidem locum in Quinto Exoticorum libro meritò obtinere debuerat: sed quum sex priores libri typis, ut suprà dictum, jam essent expressi, in hoc Auctarium, cum quibusdam aliis quæ postea nactus sum, conferendam esse existimavi.

PARADISEA AVIS *majoris generis.*



Manucodiata maioris generis. CORPVSCVLI hujus avis moles, ad hirundinis magnitudinem proximè accedebat, atque à summo capitis vertice, ad ouropygium usque, vix quinque unciarum longitudinem superabat: capitis vertex à rostro ad oculos & collum, creberrimis brevibus pennulis sericea stamina imitantibus, tectus erat, supernâ quidem sive extremâ parte flavi coloris, infimâ verò quâ cuti insertæ, fusci: supina capitis pars inferiori rostri parti contigua, ab oculis ad guttur usque, brevissimis etiam confertissimisq. staminulis veriùs quàm pennulis serico æqualibus, coloris prorsus atri, obsita: guttur deinde ad pectus usque similis penitus formæ pennulis, vel potiùs staminulis serici instar ornatum erat, iisque coloris viridis saturi adeò elegantis & splendidi, ut in collo anatis feræ masculi elegantiores cōspici nequeant: pectus tegentes pennæ etiam tenuissimæ, sed longiores, valdeque molles, coloris ex atro rufescentis, nihil nisi sericea stamina videbantur: rostrum illi satis exile & mucronatum, quod parte capiti proximâ nigricans, extimâ verò quodammodo exalbidum erat, & unciæ cum semisse longitudinem habebat: in capite etiam, rostro vicina apparebant oculorum vestigia valde parva: dorsi porrò, ventris, & caudæ pennæ ferrugineum vel ex fusco rufescentem habebant colorem: ipsaque cauda pennis decem latiusculis, sex uncias cum semisse longis erat prædita, supra quas oblongæ duæ teretesque pennæ, nervis aut sutoriis cerdonum filis quodammodo similes, firmæ tamen, ex fusco nigræ, binorumque pedum & trium aut quatuor unciarum longitudinem habentes, ab eodem exortu quo caudæ pennæ procedebant, ouropygio videlicet conjunctim insertæ, & illæ quidem crassiusculæ in exortu circa ipsarum tubum, à quo ad quatuor unciarum aut paullo ampliorem longitudinem, frequentibus villis tamquam tenuibus staminibus ab uno latere, ab altero autem ad ternas erant

erant obsitæ, deinde sensim graciliores fiebant ad extremum usque, & licet villis illis destitutæ, asperiusculæ tamen erant, tamquam resecti fuissent, si quos habuerant, villi. Pennarum autem quæ in alis, varia erat longitudo: quædam enim, infimæ videlicet, quas valde confertas habebat, sex unciarum longitudinem non excedebant, imò nonnullæ etiam breviores; quædam octo aut novem uncias erant longæ, aliæ duodecim; longissimæ autem pedalem cum semisse longitudinem æquabant: magna etiam in illis colorum varietas; nam quædam, auri colore fulgebant; nonnullæ, præsertim quæ in alarum lateribus angustiores, colorem habebant ex fusco subrutilum, & quasi ex atro sanguineum, attamẽ splendidum; quæ verò reliquas tegebant, cineracei ex albo coloris erant, earumque latera rarioribus pilis sive villis obsita; breviter omnes admodum venustæ, quas, si licuisset, in tabella proposita libenter expressas voluissem, sed quia adeò confertim natæ, commodè id fieri non potuit, ne totius avis forma corrumperetur.

EIVSDEM generis deinde conspiciebam apud Nobilissimum eundemq. doctissimum virum Iosephum Scaligerum, corporis quidem mole paullò minorem, ut quæ uncias quatuor cum semisse à capite ad ouropygium dumtaxat longa esset, caudæ autem pennæ eandem cum jam descriptæ pennis habebant longitudinem, at teretes illæ longæque pennæ nervis similes, & conjunctim ex ouropygio nascentes, pedis unius cum dodrante longitudinem non superabant, alioqui circa ipsarum tubum similibus villis tamquam staminibus ab uno latere ad duarum aut trium unciarum longitudinem, ab altero autem ad quinque ferè à tubo unciarum longitudinem, deinde exiliores etiam fiebant ad extremum usque, & nonnihil asperæ erant, præsertim circa extremum, non adeò tamen uti superioris pennæ: earum verò quæ in alis varia similiter erat longitudo, quemadmodum in superiore, nec ei valde dissimilis, nec etiam diversa colorum varietas, ut ætate dumtaxat discretæ fuisse videantur: pennæ præterea dorsum pectusque tegentes, atque etiam caudæ pennæ, eundem quem modò descriptæ habebant colorem; stamina illa caput, cervicem, pectusque tegentia à præcedentis staminibus nec colore nec situ differebant; rostrum verò sescunciam longum, mucronatum, non crassum, aliquâ ex parte fuscum, reliquâ album.

ALIAM porrò apud eundem videbam paullò minore corporis mole & minus planâ præditam, valde parvum caput habentem, cujus rostrum æqualis pæne cum præcedente magnitudinis, magis tamen angustum, & ex cæruleo fusci coloris, binis foraminibus per quæ respirabat parte superiore capiti proximâ præditum, non secus ac in præcedente; capitis vertex brevissimis villis tamquam sericeis staminibus tectus erat, non adeò elegantis tamen coloris ut in præcedente, sed flavi quasi fuligine infecti: præterea stamina illa rostrum supremâ parte cingentia, minus latum spatium occupabant, atri tamen etiam erant coloris; quibus verò guttur tectum erat, viridis erat color & splendens, haud secus ac in præcedentibus, sed minimi digiti latitudinem non superabant: hujus dorsum à collo ad ouropygium usque tenuibus quidem pennis tectum erat, sed alterius quàm præcedentis coloris; nam ex cineraceo flavescebant: pectus verò tegentes pennæ, simili colore erant præditæ, quo præcedentium pennæ pectorales; cum iis etiam conveniebant pennæ illæ quæ partem ouropygio proximam occupabant: cujus autem coloris fuerint caudæ pennæ, indicare nequeo, quandoquidem ouropygio carebat, eamque ob causam ignorem an oblongos illos teretesque nervos habuerit, quibus, quotquot hactenus videre memini fuerunt præditæ: alarum pennæ variam habebant longitudinem, perinde atque in superioribus, nec colore valde erant dissimiles; quæ tamen erant longissimæ, & rarioribus villis latera obsita habebant, multo candidioris erant coloris, quàm suprà memoratarum pennæ, sesquipedalemque habebant longitudinem. An porrò color ille pennarum dorsum tegentium à superioribus diversus, discrimen sexus faciat, quemadmodum nonnulli opinantur, nihil pronunciare possum; è secundo tamen esse genere, earum videlicet quas Papuæ insulæ alunt, mihi dicebat Ioannes de Weely, nervisque quidem illis carere, sed non caudâ: eamque ob causam sexus discrimen facere nequeunt, ut vulgus putat. *Manucodiata minoris generis.*

CETERVM Leydensis quidam civis apud Batavos unam etiam habebat huic postremæ Scaligeri prorsus similem, & ouropygio caudaque etiam mutilatam, tum oblongis illis nervis carentem; quæ nota an singulas illius generis aves ab aliis discerneret, me latebat (quia binas illas dumtaxat observavi hanc notam habentes, quantum quidem memoriâ teneo, aut si similes antè videre contigit, mihi excidit, quia minus exactam tum temporis in similium avium formâ observandâ diligentiam adhibebam) sed, ut paullò antè dicebam, Ioannes de Weely omnem dubitationem ademit.


PORRÒ quum hæc commentatus essem, idem Ioannes de Weely vir perhumanus civis & mercator Amstelredamensis, qui similem avem pedibus præditam Cæsareæ Majestati vendiderat, mihi significabat hoc mense Iunio anni Christi millesimi sexcentesimi quinti

(præcedente enim Maio ab ipso requisiveram) Paradiseam illam avem è majorum genere fuisse, quæ binos illos nervos ex ouropygio prodeuntes habent, & planiore sunt corpore, nec adeò orbiculato ut illæ quæ ex Papuis insulis advehuntur: pedes autem illi fuisse similes accipitris vel pulli gallinacei pedibus quidem similes, sed valde fœdos & ad ipsius avis corpus compressos, ut pedum digiti dumtaxat apparerent; seque ejus esse opinionis, omnes paradiseas aves similibus esse præditas pedibus, sed incolas ob eorum fœditatem & inconcinnitatem, eos simul cum cruribus resecare & abiicere. Illud ipsum sub extremum Iunium præsens mihi confirmabat.

MAIORVM PARADISEARVM AVIVM *sive* MANVCODIATARVM *majorum Rex creditus.*

VALDE rara erat ea avicula quam Avium Paradisearum majoris generis Regem appellari intelligebam: nam tametsi Paradiseas aves sæpe, ut antè dicebam, viderim cum Vlyssipone tum aliis locis, & Batavi naucleri qui singulis annis navigationem in Indiam Orientalem nunc instituere solent, ex sua profectione reduces aliquot ejusmodi aves ferè semper referant; nullum tamen Regem conspicere mihi contigerat ante annum Christi millesimum sexcentesimum tertium, Amstelredami videlicet apud quendam mercatorem ejusmodi res exoticas de nautis reducibus redimere solitum, ut porrò cum magno quæstu aliis vendat. Anni verò insequentis initio, significabat mihi honestissimus vir Emanuel Swertz ejusdem urbis civis, similem etiam se habere: itaque ab illo impetrabam ut ad paucos dies aviculam mihi concederet, quò & describere, & in tabella exprimendam curare possem ejus iconem. Quum verò illius paullò antè meminerim, & nemo hactenus similem, quod equidem sciam, exhibuerit, mei officii esse putavi, ejus historiam additâ icone hoc loco proponere.

REX AVIVM PARADISEARVM *majoris generis.*



Manucodiata maioris generis Rex. ERAT autem ea avicula aliis Manucodiatis minor & diversis pennis prædita: nam à capite ad caudam, duarum unciarum longitudinem vix superabat: caput illi valde parvum, quod cum rostro unciam cum semisse dumtaxat longum erat: ipsa cauda eandem longitudinem habebat: alæ verò toto aviculæ corpore longè majores, ut quæ uncias quatuor cum semisse prolixæ essent, & binas uncias ultra extremam caudam porrigerentur: rostri color albus, cujus superna pars unciam longa, & brevibus elegantibusque plumulis sive villis rubri coloris ad mediam usque partem tecta, sericeorum quorundam staminū instar, quemadmodum & tota capitis pars anterior; inferior verò rostri pars, unciam similiter longa, quam tamen aliquantulum superabat prona: media capitis pars utrimque circa oculos parvas maculas nigras impressas habebat: collum cum pectore exilibus pennis saturè rubris & quasi sanguinei coloris tectum, ut quodammodo sericeis etiam staminibus constare viderentur: omnes deinde pennulæ dorsum & remiges alarum pennas caudamque tegentes pænè unius erant coloris: singulæ verò alæ tredecim pennis remigibus constabant, pronâ quidem parte fusci ex rufo coloris, supinâ autem ex flavo fusci: cauda septem aut octo pennis fuscis erat prædita, quas minùs diligenter distinxit pictor, aut ob pennulas eas tegentes, distinctas exprimere non potuit: supina porrò corporis pars sub pectore, veluti torque minimum ferè digitum lato insignita erat, atris plumulis tamquam sericeis staminibus constante: pennæ ventrem tegentes albæ erant, sed quæ alis proximæ, nigræ, & earum quinque aut sex in singulis lateribus paullò longiores: binas videlicet uncias æquabant, atque in latiorem extremitatem viridi elegantissimoque & splendente haud secus ac anatis feræ masculi collum, præditam, desinebant. Ex ouropygio autem inter caudæ pennas binæ prodibant

dibant veluti setæ equinæ, tenues, firmæ tamen, septem aut octo uncias longæ, & illæ quidem prorsus nigræ, sed quarum extremitates ad unciæ longitudinem in orbem convolutæ erant, ab uno dumtaxat latere tenuissimis villis prædità, qui pronâ parte coloris viridis saturi splendentis & elegantis, pænè instar pennularum quæ anatis feræ maris collum tegunt, magnam sanè venustatem toto aviculæ corpori addentes; supina verò earum pars fusci coloris erat. Intelligebam etiam quosdam esse conspectos, qui setas illas haberent alteram super alterâ versus extremum decussatim sitas.

PSITTACI.

NVLLAM regionem, saltem fervidiorem, in Asia, Africa & America esse opinor, quæ Psittacos non producat, eosque variâ magnitudine, & colorum varietate differentes, ut ex Veterum & Neotericorum qui aliquid de Avibus scripserunt lucubrationibus perspicuum est, & ipsa quotidiana experientia docet. Veteribus certè, non nisi quos Asia aut Africa mittebat, cognitos fuisse, mihi persuadeo: at Neotericis etiam quos Novus Orbis subministrat. *Psittacorum magna varietas.*

INTER Neotericos autem, nemo meâ opinione diligentiùs & exactiùs de hoc Avium genere commentatus est C.V. Vlysse Aldrovando Bononiensi, qui Librum XL. Tomi Primi Ornithologiæ ei dicavit. Ille enim philosophicâ methodo tradidit quidquid ad Psittacorum historiam pertinere potest, & quatuordecim diversas eorum species describit, tredecim verò icones exhibet: quarum duæ priores maximæ sunt, & corvum magnitudine superant; tertia & quarta, columbæ sunt magnitudine; quinta, sexta, septima, octava, nona, & decima mediocris sunt magnitudinis, caudamque brevem habent, saltem non adeò longam ut tres subsequentes quæ longiore caudâ sunt præditæ: decima quarta brevem etiam habet caudam.

Priorem illam elegantem ejus speciem quæ pectoris & ventris pennas flavas habet, eas verò quæ alas dorsumque tegunt, tum etiam eas quæ in cauda cæruleas, non semel videre memini, & iconem habeo vivis coloribus expressam; atque illam ipsam esse arbitror, quam Ioannes Lerius cap. XI. Historiæ suæ Americanæ *Canidé* à Brasilianis appellari scribit. Alteram speciem etiam videre memini in arce Cæsaris Eberstorfianâ ad Danubium sitâ infra Viennam, tum etiam Lugduni Batavorum apud Sionem Lucium Danistam, binas aves ejus generis, quas postea magno duci Moscovitarum dono mittebat. Reliquæ verò species (præter tertiam, quæ illi alba cristata est, & decimamquartam, quæ erythrochloros etiamq. cristata) mihi etiam conspectæ, tum pleræque aliæ ab ipso non descriptæ, tam breviore cauda præditæ, & majusculâ corporis mole, quàm minoris generis, quæ longiores caudæ pennas habent, & collum veluti torque rubro aut atro ornatum; humana verba exactè exprimere solitæ; quibus similem unam habuit Nobilissimus vir Philippus Marnixius Sanct-Aldegondius, quam sæpè cachinnum humano more sustollere audivi, quum ab adstantibus Gallico sermone compellaretur hoc modo, *Riez perroquet, riez*, id est, Ride psittace, ride; sed quod magis mirum, Gallico etiam sermone subiiciebat illico, tamquam ratione prædita, haud dubiè tamen ita edocta, *O le grand sot qui me faict rire*, hoc est, ô magnum fatuum qui me ad ridendum provocat; illaque verba iterum & tertiò repetere solebat. *I.* *Canidé.* *II.*

SED inter reliquas unam Psittacis primæ speciei magnitudine æqualem, apud Illustrissimam Dominam Mariam de Brimeu, Ducem Croyam & Areschotensem felicissimæ memoriæ, priùs quàm ex Hollandia excederet, cui sanè parem in pennarum coloris varietate & elegantia videre non memini: etenim licet omnes ferè pennæ corpus tegentes rubro colore essent infectæ, caudæ tamen pennæ, quæ valde prolixæ, partim rubræ erant, partim cæruleæ; at quæ in dorso & alis, versicolores ex flavo, rubro, & viridi, quibus cæruleus color etiam commixtus: caput circum oculos albi coloris erat, sinuosisque lineis nigris, quemadmodum *Canidé* caput, distinctum erat: psittacum, qui similis esset coloris, apud nullum Auctorem descriptum memini. Ea porrò avis Annam ab Hilla Illustrissimæ Ducis neptem, nunc Comitem Megensem & Dominam de Groesbeke adeò diligebat, ut quocumque per conclave expatiaretur, illam subsequeretur, nec quenquam vestem ejus attingere conspiceret, quin morsu illum appeteret, ita zelotypiâ quadam laborare videbatur. *Psittacus maior elegantissimus.*

CETERVM Psittacus ille majoris generis quem Lerius capite suprà memorato à Brasilianis *Arat* vocari scribit, valdè elegans etiam esse debet: nam alarum remiges pennas, & caudæ quæ sesquipedalis longitudinis, media ex parte coccinei coloris esse refert, alterâ prorsus elegantis cyanei, tubo seu nervo qui medias pennas per longitudinem secat, diversos illos colores distinguente, reliquas verò totius corporis pennas prorsus cæruleo colore tinctas esse. Addit utrumque genus illud majorum Psittacorum, *Arat* videlicet & *Canidé*, magnâ esse in existimatione apud Brasilianos, quia illorum pennas ter aut quater in anno *Arat.*

 vellunt,

vellunt, ad vestes, pileos, clipeos, & aulæa conficiendum, tametsi domesticũ non sit, quia tamen in vastis arboribus medios vicos occupantibus frequentiùs versari solet quàm in silvis.

PRÆTER binos illos ingentes, idem Lerius tria aut quatuor Psittacorum genera apud Brasilianos inveniri ait.

I. *Ajourous.* Primum videlicet etiam majusculorum & crassiore corporis mole præditorũ, cui *Ajourous* nomen indunt Brasiliani Tououpinamboutii, caput ornatum habens pennis versicoloribus flavo, rubro & violaceo, extremis alis suaverubentibus, & caudæ pennis oblongis & flavis, reliquo corpore prorsus viridi: hoc genus rarissimè ad exteros transferri, nullum tamen faciliùs & perfectiùs edoceri ad humana verba pronuncianda, quàm istud. Addit etiam Brasilianam quamdam mulierem in pago binis milliaribus ab insula in qua ipse cum aliis Gallis habitabat distante, similem Psittacum in deliciis habuisse, qui eo intellectu & ratione præditus videbatur, ut comprehendere & discernere posset, quidquid ipsa diceret quæ illum educaverat. Nam quum, inquit, animi recreandi gratiâ in illum pagum profecti, ante illius mulieris ædes interdum transiremus, compellare nos ipsa solebat his verbis, Vultis mihi pectinem dare, aut speculum, & illico efficiam ut meus psittacus coram vobis cantet & saltet? si ejus petitioni annuebamus, simulac quædam verba avi pronuntiaverat, psittacus non modò in pertica, cui insidebat, saltare incipiebat, sed etiam garrire, sibilos edere, & Brasilianorum ad pugnam sese parantium vociferationes imitari: breviter, quando ejus heræ in mentem veniebat ut diceret, Cane, canebat; Salta, saltabat. Sin verò ægrè ferens, se quod petierat, non impetrasse, paullò acerbiùs avi diceret, *Auge*, hoc est, sile; immobilis silebat, nec ullâ ratione eum ad linguam aut pedes movendum excitare poteramus.

II. *Marganas.* Secundum genus *Marganas* à Brasilianis appellatur, quale est eorum Psittacorum, qui in Europam inferri solent, nec magni apud illos pretii, propter abundantiam: non minùs enim istìc frequentes sunt, quàm apud nos columbæ.

III. *Tovis.* Psittaci tertii generis, ab ipsis *Tovis* appellati, majores non sunt sturno, & universum corpus tectum habent pennis impensè virentibus; caudæ verò pennæ, quæ valdè longæ, flavum colorem admixtum habent.

Psittacorum nidi non sunt penduli. Illud etiam addebat se observasse, Psittacos illius regionis nidos ex arborum ramis propendentes non construere, ut topographicis suis tabellis quidam persuadere conantur; at in arborum cavis, eosque orbiculari formâ, satisque duros & firmos.

Ceterùm quum sub extremum annum Christi millesimum quingentesimum sexagesimum quartum essem Vlyssipone apud Sebaldum Linsium Germanum Vlmensem, memini filium ipsius Rodericum, ex Fernambuco Brasilianorum, ubi commorabatur, eò appellere, & navem mercibus onustam advehere, in qua etiam aliquot mancipia, & nonnulli psittaci quartæ speciei ab Aldrovando descriptæ, atque alii etiam minores sturni magnitudinem non excedentes, prorsus viridis coloris pennis tecti, sed omnes brevi caudâ præditi & albo rostro; idque genus frugibus valde noxium referebat: eos in itinere Mayzi granis aluerat, cujus multas spicas eum adhuc habere observabam.

Noyras. In secunda navigatione quam Batavi in Indiam Orientalem instituebant, in Iaua vicinisque quibusdam insulis Psittacos observabant longè illis elegantiores quos è Brasilia advehere solent, eosque à Lusitanis qui in Iava & Moluccis versabantur, *Noyras* appellari intelligebant, & illos quidem corporis mole non valde magnos, sed adeò elegantis coloris, ut venustiores depingi non posse existimarent: pectus enim & ventrem pennæ rubri coloris floridi splendentisque tegebant, dorsum aurei coloris pennæ, alas verò viridis & cærulei commixtorum colorum pennæ ornabant, sub alis suave rubens color splendebat. Valde autem ingens erat istìc illarum avium precium, ut non minoris æstimarentur, quàm octo aut decem dalleris Germanicis. Linscotius scribit, Lusitanos sæpiùs periculum fecisse, an Vlysiponem transferre vivum aliquem possent, sed numquam voti compotes factos fuisse, quòd nimis tenelli & delicatuli sint: Batavi tamen eam industriam adhibuerunt, ut unum vivum Amsteldamum usque retulerint, qui tametsi non esset è selectissimis, centum tamen & septuaginta florenis ejus Provinciæ, hoc est, paullò pluris quàm septuaginta dalleris venundari potuit, quemadmodum in Diario illius Navigationis annotatum comperio. Is in itinere pleraque verba Hollandica, quæ à nautis audiverat, pronunciare didicerat, adeóque cicurem ipsum ejus herus reddiderat, ut rostrum in os & aures ejus insereret sine noxa, pilosque barbæ ipsius componeret: at si quis alius manum admovere vellet, illicò morsu eam appetebat, haud secus quàm canis quispiam.

ANNO porrò Christi quinto supra millesimum & sexcentesimum, mittebat mihi Iacobus Plateau sæpius memoratus Psittaci cujusdam iconem vivis coloribus expressam, cui quum similem hactenus non viderim, neque apud quempiam descriptum meminerim, in hoc Auctario ad Exoticorum Historiam typis jam expressam adjunctam volui.

EVM

PSITTACVS ELEGANS.

Evm autem se plus quàm biennio aluisse scribebat, columbæque esse magnitudine; caput illum habere pænè instar Accipitris, ejusce modi nempe coloris pennis tectū, ardentes oculos: collum & pectus versicolores pennæ obsidebant, quas quum irascebatur, aut molestiā aliquis ipsi crearet, admoto ad caveam quâ cōclusus erat, aliquo animali, surrigebat, ut cristatus quodammodo videretur: erant autem illæ rubescentis coloris, & extimâ parte cærulei elegantissimi: ventris pennæ similis ferè erant coloris, fusco tamen insuper suffusæ colore; dorsi pénæ virides, & alarum remiges pennæ subcæruleæ: cauda frequētibus pennis viridibus sed non longis constabat. *Psittacus elegans.*

Illum Psittacum nunc habet Illustrissimus Princeps Carolus Dux Croyus & Areschotensis, ab ipso Iacobo Plateau redēptum cum toto ipsius rerum Exoticarum thesauro, qui instructissimus esse solebat. Sed & alios duodecim aut plures psittacos diversi generis habere illum Principem intelligo, quorum plerique vivi, & eorum nonnulli perfectè humana verba exprimere, alii saltare norunt.

Certe de Psittacis quidpiam commentari non statueram, quandoquidem exactissimè C. V. Vlysses Aldrovandus, ut dixi, de iis tradiderit, & ante ipsum C. V. Conradus Gesnerus etiam de illis egerit: sed quum hanc iconem à Iacobo accepissem, facere non potui, quin ejus aliquam mentionem facerem, & aliorum similiter Psittacorum quos mihi diverso tempore & variis in locis videre contigit. Propter eandem causam prætermittere nequivi Psittaci pusillum genus quod ex Æthiopia locisque Manicongo vicinis, proximis his annis à Batavis naucleris relatum est; & maris iconem, quia feminâ multo elegantior (utriusque enim sexus allatus) lectoris oculis proponerem.

PSITTACVS MINIMVS.

Corpvscvli moles Fringillæ magnitudinem æquabat, hoc est, duarum unciarum cum semisse longitudinem habebat ab infimo collo ad ouropygium usque: omnes pennulæ corpusculum tegentes, viridis erant coloris, sed in quibus manifestum apparebat discrimen: nam quæ in dorso, saturatiores erant; quæ in ventre, dilutiores: remiges alarum pennæ trium unciarū longitudinem habebant, & tametsi pronâ parte, eo videlicet latere quo brevioribus villis erant præditæ, quoque sese invicem tegebant, viridi saturo colore essent tinctæ, altero tamen, quod longiores villos habebat, & totâ supinâ parte, fusci erant coloris: caudæ pennæ elegātissimæ erant, & pænè binas uncias longæ, paullò minus semunciâ latæ, colore eâ parte quâ ouropygio infixæ viridi cum flavo permixto tinctæ, deinde rubro eleganti, demum nigro, postremò viridi: & tres isti postremi colores ab invicem distincti, veluti in quorumdam psittacorum viridium majore corporis mole præditorum caudæ pennis videre est: istæ autem vix conspiciebantur, nisi quum caudam explicaret, quia ab aliis ejusdem longitudinis tegebantur, quæ prorsus virides: collum breve & crassiusculum: plumulæ caput tegentes breves admodum & virides, præter eas quæ verticem supra rostrum, quæque totum guttur tegebant, nam illæ rubrum elegantem & floridum colorem habebant; de mare loquor, quia feminæ pennulæ dilutiùs rubebant, neque tam amplum spatium occupabant quàm in mare: oculi erant nigerrimi: rostrum crassum & firmum, superna pars *Psittacus minimus.*

adunca

adunca & mucronata, ut in reliquis psittacorum generibus; ejus color subrubens: crura brevia semunciæ longitudinem vix æquabant, cineraceique coloris squamis erant tecta, ut aliorum vulgarium psittacorum pedes, iique in quatuor digitos divisi, quorum bini anteriores & imparis longitudinis, bini posteriores & illi etiam impares, breviores quidem duobus articulis præditi, hi interni; longiores autem tribus, & hi externi: ungues albi & satis longi. Valde exilem habere vocem, & dumtaxat pipîre observabam: gaudet consortio. Quum edebat, altero pede cibum non tenebat, ut alii psittaci, sed rostro carptim cibum corripiebat: cibus autem magnâ ex parte, phalaridis semen, illo enim libentius vesci observabam quàm ullo alio seminis genere: mihi tamen quidam conspecti sunt ita edocti, ut panem aquâ tinctum carptim morsicando ederent: potus est aqua. Illud præterea in hac aviculâ animadvertebam, quòd femellæ senescentes, vix edere volebant, nisi cibum jam à mare carptum & aliquamdiu in prolobo retentum, & quasi coctum suo rostro deinde exciperent, ut columbarum pulli à matre ali solent.

NVMENIVS INDICVS.

post cap. II. *lib.* V. *Exoticorum.*

SVB extremum annum Christi sexcentesimum quartum supra millesimum mittebat ad me Illustrissimus Princeps Carolus Dux Croyus & Areschotanus iconem quam ad peregrinæ cujusdam avis normam depingi curaverat, quæ spectatur in ipsius amplissimo & instructissimo omnium rerum exoticarum Thesauro, in ejus urbe, cui Bellusmons nomen, sito: & Scolopacis Indicæ nomen indebat. Eam iconem, quia avis valde peregrinæ erat, neque illi similis umquam mihi conspectæ, in Auctario quod ad sex priores Exoticorum libros adornabam, locum inter aves habere volui, ut Lectoris oculis spectandam proponerem.

Scolopax Indica.

ISTAM porrò avem ad Scolopacis genus non esse referendam, rostri, licet prælongi, forma satis indicabat, quia falcatum erat: propterea ad Numenii speciem quam C. V. Gesnerus Arcuatam, Itali *Falcinello*, Galli *Corlis* appellant, Bellonius Elorium Aristotelis esse censet, potiùs referendam esse, mihi facilè persuaserim. Nam ad ejus magnitudinem accedebat, collum oblongiusculum habebat, rostrum longum & acutum quidem, sed falcis messoriæ instar incurvum, oblonga & tenuia crura quatuor digitis prædita, quorum tres anteriores longiores, posterior brevis, omnes autem nigris unguibus armati: femora, media illa ex parte quæ supra genu est, nuda, & pennis destituta, quam notam cum omnibus aliis avibus, paludosis in locis versari solitis, quodammodo communem habebat: ejus cauda brevis, nec extremas alas superans: pennæ autem universum corpus tegentes alterius erant coloris, quàm in vulgari nostro Numenio, nam prorsus rubræ erant minii instar, præter earum quæ remiges erant, extremitates; illæ enim atro colore infectæ. Hujus item crura & rostrum pænè ut ochra flavescebant.

Numenius Indicus. Arcuata. Falcinello. Corlis. Elorius.

NVMENIVS INDICVS.



CETERVM Bellonius cap. XII. lib. IV. de Avibus, eas aves quas Galli *Corlis*, sive *Corlieux* vocant, gregatim volare, & in humidis pratis escam venari scribit, lumbricos rostro è terra videlicet eruentes, & tametsi ferinum sapiat earum caro, in conviviis tamen expeti. Gesnerus verò, in cibis laudari & gallinis præferri asserit, atque ipsi semel gustanti, carnem solidam, siccam & leporinæ similem visam esse.

SVLA

SVLA HOIERI

ad calcem cap. VI. *lib.* V. *Exot.*

ANNO Christi millesimo sexcentesimo quarto mittebat idem Hoierus illi ipsi Doctori Pawio aliam marinam avem colore prorsus à superiore differentem, non minùs tamen quàm illa magnam, & pænè ejusdem formæ, nisi quòd hujus alarum remiges pennæ paullò longiores mihi visæ, ut etiam aliquot in cauda pennæ: sic ut dubium me facerent, interne mergos reponere deberem, an in Larorum sive Gaviarum classe habete. Poterit tamen benevolus Lector utri velit classi adscribere. Eam verò sic describebam.

AB imo collo ad ouropygium usque ductâ per dorsum mensurâ, pedem Romanum longa erat; à capitis vertice ad dorsum usque, uncias undecim, colli ambitus totidem crassus erat, rostri, quod valde mucronatum & firmum habebat, longitudo, unciæ quinque cum semisse: rostri pars crassior, & quæ circa oculos, nigra erat: corporis ambitus viginti quatuor uncias, hoc est, binos pedes Romanos explebat, alæ plus quàm pedem longæ, caudæ verò longiores pennæ septem unciarum longitudinem non superabant; crura satis tenuia & infirma habebat, eaque binis unciis non longiora, & nigri prorsus coloris, ut etiam pedes, qui valde lati, quatuor digitis constantes, quorum exterior & illi proximus (qui longissimi) tribus articulationibus constabant, tertius duabus, minimus unâ, singuli parvo ungue præditi præter secundum, cujus unguis paullo latior, & altero latere serratus, omnes autem nigrâ membranâ simul connexi: longiores porrò & remiges alarum pennæ totæ nigræ, ut etiam tres illæ quæ in caudâ superiores & longiores, mediumque caudæ locum occupantes: reliquum corpus albæ pennæ tegebant; quæ tamen in dorso, nonnihil subflavescebant, tamquam luto aut pulvere conspersæ fuissent. *Sula.*

Ceterùm eam avem in insulis Farris captam & Sulam vocari scribebat ad me tum temporis ipse Hoierus; illasque insulas varias alias aves alere addebat, quarum nomina subiiciebat, atque propediem aliquot expectare; quas ubi acceperit, ad nos missurus sit. Operæpretium igitur me facturum existimavi, si partem epistolæ quæ de præcipuis avibus in Farris insulis reperiri solitis agit, hîc subiicerem.

FARRÆ insulæ, vulgo *Ferroyer*, nomen à plumarum copia adeptæ videntur, quippe quæ felices admodum in avium fœtura, quarum præcipuas sub certis classibus hîc recensere libet, easque omnes palmipedes. *Farræ insulæ.*

PRIMO quidem ordine tres illas species, *Lundas, Alcas, Lomwias*, uti vocant, quæ & multitudine suâ & plumæ usu reliquis omnibus harum insularum avibus anteferuntur. *Classis I.*

LVNDA, est minor illa, quam superiore Autumno miseram rostro rubente & latiusculo, pectus candida, nigra tergum & alas, pedes rubra, mole corporis Anate inferior [*ea est quam cap.* X. *lib.* V. *Exoticorum Anatis arcticæ appellatione insignivi.*] Nidificat in præcipitibus celsarum rupium cavernis: ova edit gallinaceis cùm colore tùm magnitudine paria: sub Autumnum quò abeat ignotum: revertitur primo vere. *Lunda.*

HAC aliquanto major est ALKA, rostro lato & nigro, itemque corpore, nisi quòd sub pectore & in extremis alis albicat; pedes nigri; caput denique fuscum, nisi linea alba ab utroque oculo ad rostri partem proximam duceretur. Nidificat in editissimis scopulis ut *Lunda*, magnitudine æquans minorem gallinam: ova ejus maculata ex albo & nigro. *Alka.*

GRANDIOR illâ LOMWIA est. Ejus corpus totum nigrum excepto pectore, quod albet, pedes nigri, rostrum nigrum, oblongum, acutumque: ova in æditioribus scopulorum marginibus excludit, cyanei quidem coloris, sed lineamentis undique diversorum colorum mirè variegata ac veluti picta. *Lomwia.*

IN Altero ordine collocare placet duas diversas species quæ terram numquam ingrediuntur, utique pedibus ad incedendum inutilibus præditæ, mole corporis Anserem minorem æquantes. *Classis II.*

PRIOR, *Ildbrimel* esto, major scilicet ex illis duabus quas superiore Autumno misi, quamque insulanos pro Halcyone habere dixi, hac sine dubio ratione inductos, quòd Halcyonis more fœtum in undis marinis producere nescio à quibus acceperint: quamquam ego minimè pro Halcyone reputem, longè enim dissentit descriptio Plinii. Caput ejus fuscum, sub collo circulus albus: pectus item candidum, tergum & ala nigricant; maculata passim punctis albis, pedes nigri. [*ea esse videtur Mergus Farrensis maximus cap.* VI. *lib.* V. *Exoticorum descriptus.*] *I. Ildbrimel.*

ALTERA *Goirfugel*, colore corporis *Alkæ* non absimilis, tametsi corpore longè major: rostrum ei latum admodum & incurvum; caput oblongum atque nigrum, oculorum margines candido circulo tinguntur: pedes nigri, quorum nullus ad incedendum usus, sed nec *II. Goirfugel.*

alarum

alarum quas admodū exiles habet. Etenim nec incedere, nec volare unquam visa est utraque. Rarissimè autē hæc, & non nisi peculiaribus quibusdam annis visitur: nec ubi fœturæ operam det, ulli hominū exploratum. Utramq. hanc speciem in Mergis ego numeraverim.

Classis III. TERTIA classe constituo tres species formâ discrepantes, at hoc genio valde affines, quòd tempestatum prænuntiæ, & in alto tantùm Oceano versantur.

I. *Haffhest.* HARUM quæ magnitudine anteit, gallinam mediocrem magnitudine, formâ falconem utcumque æquat, vulgò *Haffhest*, hoc est, equus marinus non convenienter appellatur: cinericio est undique colore, maculis albis passim interstincta, rostro incurvo veluti falconis, sed breviori. Ad ejus, quemadmodum & duarum insequentium conspectum, exhorrescere piscatores, & littora legere, quà possunt celeritate, solent, certi tempestatem in propinquo esse noxiam.

II. *Stormfinck.* ALTERA *Stormfinck*, passere paulò major, tota & hæc grisea est, sine maculis, rostro exili admodum, Pegasum præ superiore rectiùs dixeris; siquidem super ipsos fluctus incredibili pedum velocitate transcurrere, ac nimbi instar ferri non sine admiratione videas: ut transferri ad hanc verè possit, quod de Camilla nimis hyperbolicè Virgilius:

Æneid. lib. VII.

Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas:
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Catervatim hæc si navigātibus appropinquet, deponēda esse subitò vela, intelligētes norūt.

Patines. *Videtur hæc affinitatem quandam habere cum ea, cuius Oviedus lib. XIV. Naturalis & Generalis Indiarum Historiæ sub initium cap. I. meminit, &* Patines *à nautis appellari scribit: certè eadem in volando velocitas, etiam tempestatibus cōncitato mari, ut per summos fluctus celeri cursu ferri quispiam arbitrari possit.*

III. *Barnfiard.* TERTIA species *Barnfiard* magnitudine passeri par, sub pectore candicans, in alis, dorsoque & collo nigricans, rostro item nigro & latiore nonnihil, pedibus rubris: natando velocissimam hæc se præstat, quantum Stormfinka discurrendo. Hæ tres species ubi fœtum proferant, nescitur. Proin meâ quidem opinione, ad Halcyonis descriptionem inter omnes quas enumeravimus proximiùs accedere videntur, quamquam colore ad Plinii descriptionem prorsus non quadrent.

Classis IIII. *Skua.* QVARTUM locum *Skuæ* tribuo, quæ avis aquilino generi videtur adnumeranda, siquidem & corporis mole & rapacitate illis respondet: rostrum habet curvum, sed non admodum latum, pennas corpus tegentes griseas, solâ alarum extremitate albicante; pedes item griseos. Fœtum negligenter in apertis campis producit ex ovis griseis, grandioribus anatinis similibus, quæ exilibus nigris maculis notata sunt. Piscibus vescitur, sed & prædam in omne genus auium infensissimè exercet.

Classis V. QVINTO ordine describendæ veniunt duæ diversæ anserum species, quarum

I. *Helsingegaas.* Prior, *Helsingegaas*, caput & collum habet nigrum circulo albo cinctum, pectus album, alas griseas, tergum cyanei coloris, pedes rubros; & magnitudine anati respondet.

II. *Brandgaas.* Altera species, *Brandgaas*, ansere silvestri paulò minor; caput illi griseum, collum rubro circulo cinctum, pectus griseum, alæ similiter & collum, pedes rubri.

HÆ species rarissimè in Farris conspiciuntur, neque istìc fœtificant: unde autem veniant, & quò migrent, nemini cognitum. Superstitio autem ex longâ experientiâ nata est, hæ, ubi apparuerint, mutationem magistratus imminere. Aliâs silvestrium anserum satis hîc quoque magna copia.

HACTENUS de præcipuis avibus quæ Farris insulis familiares. Nunc pauca de aviculis quas in arboribus Orcadum nasci proditum est.


Claiks. Claikgees. Bernacles. Rodgees. *Claiks* sive *Claikgees* Scotis, *Bernacles* Anglis, *Rodgees* Hietlandis, avis est per autumnum hiememque dumtaxat conspicua, formâ anati vicina. Hujus natalia cùm ignorentur, factum ut vulgus primum ejus protoplasma sive rudimentum censuerit esse testas quasdam albicantes, adnatas truncis sive fragmentis ligneis, quæ maris fluctibus in arenam littúsve propelli hîc solent, ubi ligna aliâs non crescunt, & formam aviculæ istius quodammodo æmulantur. Vivam tamen & omnibus modis absolutam avem ex massa illa testacea evasisse aut prodiisse, nemo est inventus, qui se vidisse asserere fuerit ausus. Hactenus Hoierus.

Bernacles. Rodgans. AVICULÆ porrò non sunt quas in Orcadum arboribus mari vicinis nasci vulgo putant, & *Bernacles* sive *Rodgans* appellant, sed aves anate ferâ non minores, ut ego aliquoties vidi, imò ipsarum carnem etiam gustavi. Meras autem esse fabulas quæcumque de earum natalibus hactenus fuère tradita, à Batavis qui ante paucos annos ad Novam Zemlam navigârunt, & fretum Nassovicum, vulgo Weygaz appellatum, superârunt, est deprehensum: eas etenim aves in aliquot scopulis incubantes suis ovis observârunt, quarum nonnullas, & multa illarum ova in navim retulerunt, quibus famem propulsârunt.

SKVA HOIERI.

CETERVM sub extremum Decembrem ejusdem anni, videlicet millesimi sexcentesimi quarti, ab eodem Hoiero *skuam* avem accipiebam, cujus in Farrensium avium Quarta classe meminerat epistolâ Martio præcedente exaratâ: & quia nonnullas notas ab iis quas ipse ponebat variare conspiciebam, illius brevem historiam cum ejus icone in tabella expressa, in hoc Auctario Lectoris oculis subiicere volui.

SKVA HOIERI.



ERAT autem grandioris alicujus Gaviæ magnitudine, ab imo videlicet collo ad ouropygium usq. novem uncias longa: corporis ambitus ductâ sub alis mensurâ, uncias sedecim crassus: collum à summo capitis vertice ad tergum usque septem uncias longum: caput non valde magnum, nec rostrum planum, at potiùs longiusculũ & angustum, capitis proximâ parte scabrum, extimâ verò læve, nigrum, & curvum instar ferè rapacium avium aut Gaviarum, binarum unciarum longitudinem non excedebat: alæ septemdecim pænè unciarum longitudinem explebant, & paullulum extremam caudam superabant: quatuor majores alarum pennæ remiges nigræ, non albæ in extremitate, ut Hoierus adscripserat, nisi fortè similem notam in aliis ejus generis avibus conspexerit: à tubo verò ad mediam usque pennarum longitudinem, illas candidas reperiebam, quemadmodum etiam majores & supernas tres caudæ pennas, quâ ouropygio inserebantur, reliquâ parte nigrâ, non secus ac alarum extrema: ad ceteras verò pennas corpus tegentes quod attinet, cineracei ex nigro erant coloris, niger tamen exuperabat, & Haliaëti vel Milvi pennas valdè æmulabantur: crura in extima fere corporis parte collocata habebat, ut pleræque aves aquaticæ, supraque genu valde erant brevia, à genu deinde ad pedem usque, pænè tres uncias longa: pedes plani, tribus digitis præditi & brevi calcari: interior digitus, qui brevior, binis articulis constabat; medius, qui longissimus, tribus; medio longitudine proximus, quatuor; calcar, unicum articulũ habebat: omnes autem digiti in parvos ungues curvos desinebant, & nigrâ membranâ sive cartilagine cõnexi erant ad ungues usque.

PORRÒ quum hæc avis ex Hoieri relatione perinde grassetur in omne genus avicularum, ac in pisces, parum abest quin mihi persuadeam, illam esse, aut certè ei persimilem quam Consalvus Oviedus Historiæ Indiæ Occidentalis lib. XIV. cap. VIII. describit, unicâ notâ exceptâ (si quidem vera sunt quæ scribit) nam hæc utrumque pedem planum habet, ejusdemque formæ: ille autem sinistrum dumtaxat pedem planum suæ tribuit, alterum verò facit vulturis aut aquilæ pedi similem. Sed forsitan Lectori non erit ingratum, si caput illud in Latinum sermonẽ convertam (Hispanico enim sermone scripsit) & hîc subiiciam.

SÆPE, inquit, conspiciuntur in hac insula *Hayti*, sive Hispaniola, tum ea quæ à D. Ioanne nomen accepit, atque in aliis huic Indiæ adscriptis, aves meâ opinione valde mirabiles, dubiæque naturæ, quia tam supra terram, quàm in mari & fluminibus prædari & vivere possunt: sunt autem corporis mole tam grandes, quàm magnus Larus sive Gavia, pennásque habent illi ferè similes, mixti videlicet coloris ex albo & fusco; rostrum etiam simile, sed magis mucronatum: pedes verò habent diversi generis, sinistrum quidem planum, anatum, anserum aut aliarum avium in mari degentium instar, dextrum verò curvum & ad captandam prædam idoneum, ut vultures, falcones, aut aliæ aves curvis unguibus præditæ. Itaque quando inter volandum piscem aliquem summâ aquâ natantem conspiciunt, ex alto sese præcipites dant, pedisque dextri unguibus corripiunt, atque, si lubet, in aqua persistentes sinistri pedis auxilio, istîc vorant, aut ex aqua sublimes elatæ, inter volandum prædâ vescuntur, vel in scopulum aut arborem sese transferunt ut commodiùs prædam vorare possint. Mihi porrò relatum est supra terram aucupium etiam exercere, & parvas aves,

Vultures aquatici. lacertos aut ejusmodi res terrestres persequi: eam ob causam Christiani in illis insulis habitantes, aquaticos vultures eos appellant. Hæc Oviedus.

ARBITROR autem Christianos illos existimasse aves istas unius pedis digitos uncis unguibus præditos habere, quia aviculas in aëre volantes rapere iisque vesci observabant; quumque illas ipsas etiam in aquis versari viderent, alterum pedem planum saltem habere debuisse, cujus beneficio in aquis diutiùs versari possent.

CETERUM Isidorus, teste Gesnero, inter recentiores opinionem etiam habuisse videtur, aves reperiri diversæ formæ pedes habentes; atque inter eas Porphyrionem reponit. *Porphyrio.* Porphyrio, inquit, est avis, cui hoc peculiare, quòd pedem unum habet latum ad natandum, alterum verò fissum ad ambulandum. In quo notatur quòd utroque elemento gaudet, & in aqua natans ut anates, & in terra ambulans ut perdices. Verùm bono Isidoro Porphyrionem numquam conspectum fuisse opinor: nam alterum pedem planum non habet, sed utrumque fissum, ut habent gallinæ, perdices & aliæ aves per terram gradiri solitæ, & universum corpus cyanei coloris pennis tectum habet.


CERCOPITHECI.

post cap. XV. *lib.* V. *Exoticorum.*

πίθηκος, κῆπος. κυνοκέφαλος. χοιροπίθηκος. ARISTOTELES Historiæ Animalium lib. II. cap. VIII. varias Simiarum differentias facit, easque πιθήκυ, κήπυ, κυνοκεφάλυ nominibus distinguit. Ejusdem autem libri cap. XI. χοιροπιθήκυ (Gaza porcariam appellat) meminit, cujus rostro Chamæleonis rostrum simillimum facit. Ælianus etiam diversis Historiæ Animalium libris, varia earum genera enumerat: & certè ex Asia, Africa, atque America insignes earum differentias quotidie adferri videmus. Ceterùm tametsi plurimas viderim, & diversæ magnitudinis, & diversæ etiam formæ; nullam tamen mihi conspectam puto illi similem, qualis erat, cujus iconem ad me mittebat anno Christi millesimo sexcentesimo quinto Iacobus Plateau, diligentissimus Naturalium rerum observator, scribens ipsum animal dono datum fuisse Illustrissimo Principi Carolo Duci Croyo & Areschotensi.

Propterea in tabella exprimendam curabam, ut in hoc Auctario locum haberet.

An κυνοκέφαλος?



DE Animalis magnitudine nihil pronunciare possum, quandoquidē ab eo qui mittebat, nihil nisi iconē accipiebam, nullis adscriptis notis è quibus de ejus magnitudine quidpiam coniicere possem, atq. ipsa icon à rudi nec admodū perito pictore videbatur expressa: eam ob causam meus pictor, cui delineandam in lignea tabella tradebam, paullò concinniorem illam reddebat. *κυνοκέφαλος hirsutus.* Totum verò corpus à capitis vertice ad femora pænè usque, longis villis erat obsitum cineracei coloris: posticam corporis partem cum cruribus ejusdē coloris villis sed brevibus tectam habebat, imò ipsam etiam caudā, quæ brevior erat quàm cercopithecorum aliorum esse solet: rostrum longum, nudum, extimâ parte obtusum, canini ferè rostri instar, & rictum satis amplum: nates habebat glabras & prorsus depiles, sanguineoque colore infectas, tamquam cutis detracta fuisset: pedes in quinque digitos fissos, & curvis unguibus armatos: breviter peregrina erat totius animalis forma: in tabellis tamen in æs incisis quas Adrianus Collardus de quadrupedibus animalibus publicabat, similem ferè

iconem

iconem conſpicere memini, hoc eſt quæ caninum roſtrum glabraſque nates haberet, ſed corpus brevioribus pilis tectum, & caudam prolixiorem. Χοιροπιθήκοις-ne adnumerem hoc animal, an κυνοκεφάλων claſſi adſcribam, ſum dubius; roſtri tamen forma facit, ut potiùs genus eſſe opiner κυνοκεφάλων: Lector tamen utri volet claſſi adſcribere poterit.

CETERVM quoniam de Simiis agere cœpi, non incommodè me facturum exiſtimavi, ſi de aliis quibuſdam generibus, præſertim cercopithecorum, agerem, quorum apud Latinos Auctores nullam mentionem factam invenio. Initium autem faciam ab eo genere quod barbam ſatis prolixam gerit, & cujus iconē habeo coloribus expreſſam, quam etiam in tabella delineandam à perito pictore curabam, & porrò ſculpendam, ut hîc adponerem.

CERCOPITHECVS BARBATVS.



MAGNITVDINE autem vulgares cercopithecos, eos videlicet qui majore ſunt corporis mole, æquabat: caput, dorſum, crurum poſtica pars & cauda nigris villis erant tecta, quibus fuſcus color admixtus: pectus, venter, crurum pars anterior longioribus villis, iisque albis erant obſita: è mento propendebat dodrantalis longitudinis barba in mucronem deſinens, alba ſive incana: aures non magnas habebat, ſimisque erat naribus, ut major pars ejuſmodi animalium: cauda valde longa erat & ſatis craſſa; cujus extrema pars in longiorum villorum floccum deſinebat, perinde ac leonis cauda; quam notam in nullo cercopitheci genere obſervavi, quàm unico alio, de quo poſtea: pedes in quinque longiores digitos fiſſi, anteriores præſertim, quibus tamquam manibus utitur, ungues ferè humanis ſimiles. *Cercopithecus barbatus I.*

Verumenimverò iſtius generis longè elegantiorem & magis politum videre memini Hagæ proximis his annis apud nobiliſſimum Virum Paullum Choartum Buzenvalium, Chriſtianiſſimi Regis Galliarum Henrici Quarti apud Illuſtriſſimos Ordines confœderatarum Provinciarum Legatum: nam valdè terſis & nitidis pilis totum ejus corpus erat tectum, illisq. multo brevioribus quàm cujus picturam habeo: pectus etiam album habebat & anteriorem ventris partem: cana etiam barba mentum ejus ornabat, minùs tamen prolixa quàm ſuperioris, & palmaris dumtaxat longitudinis, eaque mucronata: hujus cauda in floccum non deſinebat, ut ſuperioris, ſed ſimilis erat formæ cum vulgarium cercopithecorum caudis. *Cercopithecus barbatus II.*

EORVM porrò qui non ſunt barbati binas habebam icones inter ſe diſſimiles: quarum Prior exprimebat animal tectum pilis mediocris longitudinis & fuſci ex flavo coloris, *Cercopithecus nō barbatus I.* quemadmodum etiam totum caput præter roſtrum: guttur albicantibus villis erat obſitum, veluti & totum pectus: anteriores pedes, manibus humanis ferè ſimiles, in quinque digitos erant diuiſi, ſimiliter & poſteriores: caudam habebat non valde hirſutam, ſed lævem quodammodo, tamquam vulſi fuiſſent pili; extrema autem ejus pars in longiorum villorum floccum deſinebat, veluti prioris barbati cauda.

Alter majore corporis mole præditus fuiſſe videbatur, roſtrumque prorſus fuſcum habuiſſe, caput caneſcentibus villis tectum, & collum cum pectore longis villis leoninæ jubæ inſtar etiam caneſcentibus obſitum; alioqui formâ ſuperiori non erat valde diſſimilis. *Cercopithecus non barbatus II.* Huic ferè parem tabellæ illæ Adriani Collardi in æs inciſæ expreſſum etiam habebant.

DVM Vlyſipone hærebam, ex Fernanbuco ſive Pernanbuco Braſilianorum memini advectos fuiſſe ſub Decembris initium anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto cum Pſittacis illis, de quibus ſuprà dictum eſt, Cercopithecos quoſdam non magnâ *Cercopithecus Braſilianus I.* corporis mole præditos, ſed minore quàm ſuprà enumerati, coſque ſatis prolixis villis tectos

gilvi coloris, quibus similes postea mihi non sunt conspecti: habebant illi peculiarem quandam notam, quam in nullo alio istius generis animali observavi: nam suavem quendam, moschi quodammodo instar, spirabant odorem: & Rodericus Lincius, qui eos advexerat, mihi affirmabat omnes istius generis similem odorem exspirare.

Cercopithecus Brasilianus II. Cay.


CETERVM Ioannes Lerius cap. x. Historiæ suæ Americanæ alterius cujusdam generis meminit, quod apud Brasilianos Tououpinamboutios est frequentissimum, & ab ipsis *Cay* appellatur, pusillum etiam, sed nigri coloris, quod maxima ex parte in silvis versatur, & potissimùm peculiaribus quibusdam arboribus insidere solet, ferentibus siliquas perinde crassas ut nostræ majores fabæ, quarum fructu vescuntur.

Cercopithecus Brasilianus III. Sagouin.

MEMINIT & alterius pusilli generis non majoris Sciuro, & ejusdem ferè coloris, rufi videlicet, cui Brasiliani *Sagouin* nomen indunt: habereque scribit formam (quantum quidem ad collum, rostrum, anterioremque adeò corporis partem attinet) leoninæ similem: magno haud dubiè æstimandum, si in Europam transvehi posset, sed adeò delicatulum esse, ut navis in mari agitationem nullo modo ferre queat, præterea adeò superbum, ut ob levissimam occasionem, inediâ potiùs & cibi abstinentiâ vitam finire cupiat, quàm minimam molestiam perferre.

HVIC formâ non absimilem advehebat etiam cum Psittacis, & odorato illo Cercopithecorum genere Rodericus Linsius, sed unicum, reliquis ejus generis in itinere mortuis: quia toto trimestri tempestatibus jactatus in itinere hæserat: longè verò elegantioris erat coloris, quàm is qui à Lerio describitur. Illius igitur formam quum memoriæ impressam adhuc retineam, & ejus nativam iconem coloribus expressam postea nactus fuerim, facere non potui, quin in tabellâ incisam hîc subiicerem & Lectori communicarem.

CERCOPITHECVS SAGOVIN.



ERAT autem, quem videbam, Sciuro minor, & adeò delicatulus, ut molli villosaque pelle fovendus esset ob aëris frigidioris asperitatem: rostrum & capitis pars anterior leoninam quodammodo formam referebant, fuscoque colore cui rubedo quædam permixta, erant prædita: aures albicantibus villis erant hirsutæ, quibus ruber color etiam admixtus: guttur & pectus longioribus villis partim fuscis, partim albis tecta habebat: reliqui pili per corpus sparsi nigri & albi, radiatim à dorso ad ventrem alternis erant dispositi: cauda etiam, quæ longa erat, similis coloris pilis alternatim erat tecta: venter nigris pilis tectus: crura breviores albi pili quadam rubedine infecti tegebant: pedes in quinque digitos non valdè longos fissi, albis unguibus erant præditi: breviter elegantiorem videre non memini. Vivus adhuc erat, quùm insequente Ianuario Vlysipone, Hispalim profecturus, discederem: an porrò in Germaniam, quò destinàrant, missus sit, nihil intellexi.

CETERVM consulendam censeo C. V. Conradi Gesneri Historiam de Quadrupedibus animalibus, in qua Simiarum differentias peculiari libro complexus est.


IGNAVVS.

ad calcem cap. XVI. *lib.* V. *Exoticorum.*

TYPIS expressi jam erant Exoticorum Sex priores libri, quum insequente anno, millesimo videlicet sexcentesimo quarto, honestus vir Emanuel Zwerts suprà memoratus, se illud animal, cui Ignavi nomen indidi, habere diceret, & recenter quidem

dem ex America delatum, quodque non multis diebus ante quàm nauis Amstelredamum appelleret, in itinere extinctum fuisset. Quum verò figura illa cap. XVI. libri V. exhibita, mihi minime satisfaceret, ut quæ ad animalis exuvium vetustate jam valde corruptum delineata: illum orabam, ut suum illud animal ad paucos dies mihi concederet, quo commodiùs ejus formam observare possem: quod sanè lubens fecit: nam brevi post, illud ad me mittebat cum avium Paradisearum majoris generis Rege. In tabella itaque ejus iconem statim exprimendam curabam: & quia ad Oviedi descriptionem magis accedere videbatur, quàm illa quæ cap. XVI. lib. V. posita, in hoc Auctarium inferendam censebam cum brevibus quibusdam ipsius animalis notis, quales videlicet in arida animalis pelle suffulta observare licuit, ut cum alia icone conferri queat.

IGNAVVS.



A collo ad extremam dorsi partem, paullò plus quàm quatuordecim uncias longum erat ejus corpus, crassitudo verò sive ambitus pænè totidem continebat: in vivo autem animali longè majorem fuisse, non est dubium: collum ipsum sex uncias longum erat, & quatuor crassum, comprehensis etiam ipsis villis: anteriora crura ad pedum (quos planos habebat instar ursorum aut simiarum) usque flexuram, septem unciarum longitudinem superabant: posteriora autem, sex cum semisse dumtaxat longa, ut anterioribus ferè integrâ unciâ essent breviora: anteriores pedes à flexura ad ungues usque, tres uncias erant longi; posteriores autem ejusdem pænè longitudinis, utrique tamen valde angusti, licet plani, ut mirum videri non debeat, si cum difficultate subsistere & progredi queat: singuli verò tribus contiguis unguibus binas uncias cum semisse longis, albis, & valde mucronatis præditi, pronâ quidem parte arcus instar elatis, supinâ autē sive infernâ carinatis: universum corpus à summo capite ad ungues usque, densissimis iisque prolixis villis erat obsitū, coloris partim nigri, partim cineracei, pænè ut meles, quem vulgus tassum sive taxum appellat, mollioribus tamen, atque à collo secundum dorsi longitudinem usque ad posteriora ferè crura, nigrorum pilorum quadam serie erat insignitum: totum collum à cervice ad anteriora usque crura veluti jubâ quadam nigrorum crinium in utrumque latus propendentium tectum habebat: caput exiguum, brevibus pilis subrufis obsitum, cum mento & gutturis parte: rostro simiam quodammodo referebat; breve enim, glabrum, & obtusum, simisque naribus erat præditum, exiguis etiam dentibus, satis tamen latis: quùm verò rictum amplum non habeat, hoc animal vix mordere posse, mihi persuadeo.

ad calcem cap. XVIII. *lib.* V. *Exoticorum.*


Postea tamen intelligebam ex eorum serpentum esse genere, qui in interiore Brasilianorum regione reperiuntur, atque in arboribus plerumque versari solent, ut hominibus per silvas iter facientibus insidientur: nam istam habent consuetudinem, ut aliquem sibi vicinum conspicientes, illico in eum insiliant, & corpus ejus atque brachia multiplici nexu ligantes (ut nudi incedunt isti Brasiliani) suum os in illorum anum inserant, adeòque valenter sugant, ut spirandi facultatem ipsis adimant, & nisi cultrum aut aliud ferreum instrumentum apud se habeant, quo serpentes qui tali ratione illos ligatos detinent, conficere queant, ipsis haud dubiè pereundum est.

LACERTVS PEREGRINVS SQVAMOSVS.

post cap. XXI. *lib.* V. *Exoticorum.*

ADMIRABILE erat illud peregrini Lacerti exuvium, quod anno Christi millesimo sexcentesimo quarto apud honestissimum virum Christianum Porretum pharmacopœum Leydensem diligentissimum conspiciebam; cui quùm similem ab aliquo descriptum non arbitrer; non inutilem operam me navaturum confidebam, si illius qualemcumque historiolam cum icone ad exuvii formam expresâ hîc subiicerem.

LACERTVS PEREGRINVS *squamosus.*



BREVE autem fuisse ejus lacerti corpus videbatur: nam à collo sive illius parte cui anteriora crura jungebantur, usque ad caudæ initium, undecim uncias dumtaxat erat longum: corporis autem ambitus circiter novem unciarum aut dodrantis fuerat, quantum conjecturâ assequi licebat: collum ab anterioribus cruribus cum capitis quæ restabat parte (illud enim integrum non erat, nec qualis fuerit ejus forma pronunciare queo) tres uncias erat longum, valdè tamen exiguum fuisse videbatur: caudam verò à posterioribus pedibus ad extimum ejus mucronem usque longissimam habebat, ut quæ duorum pedum cum semisse mensuram expleret. Totum corpus, excepto gutture, & ventris infimâ parte, atque anterioribus etiam cruribus, squamis latis, magnis, rigidis, striatis & mucronatis munitum erat: illæ verò quæ collum & capitis supremam partem tegebant, semunciam non erant longæ: at quæ mediam corporis partem inter crura comprehensam muniebant, binas uncias longæ & sescunciam latæ: quæ deinde per caudæ longitudinem spargebantur, adeò amplæ non erant, sed sensim versus ejus extremum procedendo minuebantur, ut extremam caudam occupantes, iis quæ collum tegebant vix ampliores essent: earum autem quæ caudæ latera utrimque claudebant forma, prorsus reliquis dissimilis; nam planæ non erant aliarum instar, sed cavæ & veluti geminatæ, quia pronam & supinam laterum partem tegebant: præter illas, totius caudæ prona pars tribus squamarum ordinibus erat munita, totidem ordinibus etiam supina, paullo tamen minoribus nec adeò amplis, quibus deinde conjunctæ laterales illæ geminatæ: anteriora crura paullo breviora erant posterioribus, eaque supremâ dumtaxat parte quibusdam squamis tecta; horum deinde reliqua pars cum pedibus, nigris villis obsita; pedes autem quatuor unguibus præditi, quorum secundus aliis multo major, unciam videlicet longus, crassus, uncus, & niger, alii verò candicabant: at posteriora crura pedum tenus squamis erant obsita, & supinam dumtaxat illorum partem pili vestiebant, horum similiter pedes quatuor unguibus præditi, sed minoribus quàm anteriores, parvum insuper calcar interiore parte adjunctum habebant: animalis guttur, & ventris ima pars, nigris villis obsita.

VNDE porrò allatum esset illud Lacerti exuvium, ignorabat qui id redemerat, & propter raritatem inter alia exotica retinebat.

SIMILEM etiam habuisse Iacobum Plateau, conjecturam faciebam ex vna aut altera squama quam ad me mittebat: cujus verò magnitudinis fuerit, mihi ignotum. Alium præterea illi non dissimilem, sed longè minorem, antea videbam Amstelredami apud quendam, qui rerum peregrinarum mercimonia exercebat.

MVS

MVS AQVATICVS.

post cap. XXII. lib. V. Exoticorum.

SVB initium anni Christi millesimi sexcentesimi quarti, jam cusis Exoticorum sex prioribus libris, mittebat ad me Iacobus Plateau (cujus in iis libris crebra fit mentio) muris aquatici quoddam genus, mihi sanè antè non conspectum, & cui simile apud quempiam Auctorem qui de Animalibus scripserit, videre non memini. Eam ob causam, præter institutum me non facturum arbitrabar (quandoquidem ad Exotica quæ nancisci potero describenda me comparavi) si illius iconem cum brevi historia in hoc Auctario proponerem.

MVS AQVATICVS.



ILLVD verò animal majoris muris aut talpæ erat magnitudine, à capite ad caudam septem uncias longum, totidem corporis ambitus continebat: densis & mollibus villis undique tegebatur, in tergore quidem fuscis & nigricantibus, in ventre autem ex albo cineraceis: illius caput pro ea corporis mole satis parvum; rostri pars superior firma, prominula & pænè unciam longa, nigricans, eaque formâ prædita, ut instar suis aut talpæ, terram evertere posset: oris hiatus non magnus; superior maxilla binis dentibus satis magnis, latis & firmis armata, utrimque videlicet uno, inferior etiam totidem, sed minoribus & obtusis: illius oculi valde exigui, & vix conspicui: rictus latera longis villis cineracei coloris obsita: cauda octo uncias longa, valdè crassa supremâ parte, ejus reliqua pars ad extremitatem usque plana, tota autem rarissimis brevibusque villis tecta, osseoque quodam nervo mediam secundum longitudinem secante prædita: uterque pes anterior, ferè duas uncias longus, in quinque digitos divisus acutis unguibus armatos, posteriores autem paullò longiores & magis plani, quorum digiti etiam majores, & membranâ ut in anatum & planipedum genere connexi, ad commodiùs haud dubiè natandum: breviter posterioribus pedibus & caudâ exiguum fibrum quodammodo imitabatur. Et hæc quidem de isto animali, cujus exuvium tomento suffarcinatum dumtaxat mutuò accipiebam, scribere poteram. Vnde autem adquisivisset, nullam in epistolâ ad me cum ipso animali missâ mentionem faciebat.

ET hæc quidem habebam quæ ad Quintum Exoticorum librum adjungerem: priùs tamen quàm ad pauca alia quæ ad Garciæ Aromatum Historiam pertinent, accedam, nonnulla de quibusdam libris Sinenses characteres continentibus mihi dicenda existimaui.

BOTANICI LIBRI *Sinensibus characteribus expressi.*

BATAVI anno Christi millesimo sexcentesimo tertio, paullò supra Sumatram (quam plerique Veterum *Taprobanam* esse censent) maximam corbitam multis mercibus magni pretii è Sinarum Regno petitis onustam occupabant, insequente verò anno Amstelredamum invehebant. Inter eas merces reperti sunt etiam aliquot Libri Sinensibus characteribus expressi, qui plantarum figuras continebant, & iis inscripta nomina, ad latus verò alia vocabula, quibus plantarum facultates declarari verisimile est; & hæc omnia Sinensibus characteribus expressa. Mercatorum qui in eam profectionem sumptus fecerant societas quosdam ex his libris donabant: ego binos ab illis pro munere habui, quatuor præterea Lugduni Batavorum apud amicos conspiciebam, Nobilissimum virum Iosephum Scaligerum videlicet, tres; & Clarissimum virum Petrum Paawium, unum, & omnes diversi generis plantas continentes; ut in sex illis Libris, unam eandemque plantam bis expressam observare non potuerim. Ex his figuris, tametsi rudibus & crassâ minervâ expressis, animadvertere poteram multas plantas apud Sinenses nasci, iis quæ apud nos reperiuntur valde similes, sed plurimas nobis peregrinas & ignotas; quarum nomina inscripta, & facultates, ut reor ad latus adpositas, si nostrûm quispiam legere & intelligere posset, magnam utilitatem ad Medicam artem allaturum esse, non est dubium: nam verisimile est plerasque alias facultates istâ scripturâ contineri, quas adhuc ignoramus. Nunc autem nulli usui nobis esse posse istos libros opinor, nisi ut in peregrinarum rerum thesauris reponantur. Vnus porrò eorum quos habeo, continet quinquaginta novem paginas, easque duplicatas, nam ob chartæ tenuitatem, ab uno dumtaxat latere expressi sunt characteres; icones autem unam & nonaginta. Alter verò sexaginta paginas duplices & unam; icones septuaginta. Quot autem paginas habuerint reliqui quos conspiciebam libri singuli, quótve icones continuerint, mihi non compertum; singulas tamen paginas etiam duplicatas fuisse observabam.

CARYOPHYLLORVM RAMVLVS, *cum fructus rudimento, florem nondum explicatum sustinente, & eo qui primùm formari incipit.*

QVIA vetus illa Caryophyllorum icon ad capitis XXI. lib. I. Garciæ scholion proposita, quæ sine foliis, tum ea quam cap. XVII. lib. I. Exoticorum exhibebam, mihi per omnia non satisfaciebant; alium ramulum, qui fructus rudimentum jam formatum, & florem nondum explicatum sustinens, & rudimentum formari incipiens, foliaque haberet, nactus, sex prioribus Exoticorum libris jam typis expressis, illum non modò à perito pictore in tabella delineandum, sed & ipsam tabellam à perito etiam artifice sculpendam curabam, cujus exemplar in hoc Auctario adjunctum esse volui scholio ad cap. XXI. lib. I. Historiæ Aromatum Garciæ; tametsi Scholion illius capitis & veterem foliorum expertem, & alteram è cap. XVII. lib. I. Exoticorum petitam contineat.

CARYOPHYLLORVM RAMVLVS.



CETERVM, sub idem ferè tempus ex Italia flores quosdam accipiebam cum hac inscriptione *Caryophyllum album ex Oriente*; sed illos adeò aridos, ut pæne in pollinem resolverentur, quos tamen quum diligentiùs observarem, ignobilis cujusdam plantæ

Caryophyllum albū spurium.

plantæ flores potius mihi fuisse videbantur, quàm adeò præstantis aromaticæ arboris: nam nonnulli fructus rudimentum in se continebant, ex quo conjecturam facere poteram, Solani cujuspiam flores fuisse, quale est manicum illud, ab Italis *Bella donna*, à Belgis autem Dollkruyt & Dollbesien appellatum, aut ei congeneris: sed quia planta illa in calidiore regione nata, ejus flores candicabant, sive veriùs cineracei coloris erant, & minores.

Itaque non candidè facere illos existimo, qui interdum amicis medicamenta falsis nominibus insignita pro legitimis missitant, vel explorandi gratiâ illorum judicium (ut aliquando mihi factum memini) vel, ut multarum rerum Exoticarum sese peritos esse, aliis persuadere cupiant, quum tamen ipsimet suam ignorantiam prodant. Istius sanè spurii Caryophylli albi (sic enim appellandum meritò censeo, quum ne minimam quidem notam cum Caryophyllo convenientem habeat) non meminissem, nisi qui miserat, litteris ad me datis percontatus esset, an in meis Exoticis ejus mentionem fecissem.

AMOMVM SPVRIVM.

ad scholion cap. XXXI. *lib.* 1. *Historiæ Aromatum Garciæ.*

Anno Christi millesimo sexcentesimo quinto mittebat ad me eruditus & perhumanus vir Ioannes Pona, Veronensis pharmacopœus, plantæ cujusdam aliquot fructus uvarum instar confertim in ramulo natos, & aromaticum quidpiam redolentes, quos pro legitimo Amomo sibi datos scribebat; atque adeò eam opinionem Plinii authoritate confirmare nitebatur, qui Naturalis historiæ lib. XII. cap. XIII. Amomi & Amomidis mentionem faciens, subiicit, *Simile his & nomine & frutice Cardamomum, semine oblongo.* Verum quidem est, singulos uvarum quas accipiebam fructus, aliquam cum minore Cardamomo, in officinis vulgo recepto, similitudinem habere (quale autem sit Græcorum & Latinorum Cardamomum, nondum cuipiam constare opinor, certum enim est ab Arabum Cardamomo differre) certè uterque fructus triangularis est formæ. At Cardamomi vulgo recepti theca oblongior est, & minùs crassa, multisque striis distincta, semina continens crassiuscula, Meleguetæ seminibus non valde absimilia, odorata, subrufi coloris, nec ingrati saporis, licet acriusculi: ejus verò fructus, qui pro Amomo missus, theca brevior, crassior, & candidior est, nec adeò striata, seminaque continet tenui membranâ involuta, nigra, oblongiuscula, duplo quàm minoris Cardamomi semina majora, splendentiaque & valde dura, albam quidem medullam continentia, quæ acrimoniam quandam tandem exerit, sed nullius amaritudinis participem: atque insuper tota uva cum suo fructu nativum odorem habere non videbatur, sed ascititium potiùs, & olei lavendulæ odorem quodammodo spirabat, quasi illo delibuta fuisset, vel certè apud simile oleum adservata.

Ceterum, ut ingenuè profitear meam imperitiam; valdè difficulter statui posse arbitror, quid verum & legitimum sit Amomum; atque quum Galenus Amomum similem Acoro facultatem obtinere scribat, præstaret legitimum Acorum, satis videlicet jam cognitum, medicamentis Amomum recipientibus admiscere, quàm alias plantas quæ pro Amomo obtrudi solent. Quia tamen illa uva, quæ pro vero Amomo ad me missa, elegans est & non vulgaris, ac nemo hactenus, quod sciam, ejus meminit, illius iconem in Lectoris gratiam in hoc Auctario locum habere volui.

Pro AMOMO *missum.*



GEDWAR,

ad scholion cap. XLII. *lib.* I. *Hist. Aromat. Garciæ.*

QVONIAM Garcias cap. XLII. lib. I. suæ Aromatum Historiæ de Zedoaria agens, Avicennam Gedwar illam appellare scribit, glandísque magnitudine & ejusdem pænè formæ esse refert; incognitum esse Europæ, & difficulter cognitum iri, in scholio ad illud caput adnotaveram. Verumtamen anno Christi millesimo sexcentesimo & quinto, mittebat ad me Veronâ Ioannes Pona paullò antè memoratus, cum Amomi illâ uvâ binas radices, *Gedwar* veri nomine inscriptas, oblongiori glandi non valdè dissimiles, aut ut veriùs comparem, minoribus Asphodeli bulbis, vel Anthoræ; quarum una integra & non corrupta, altera cariosa & confracta, utraque tamen valde dura & solida, foris quidem cineracei coloris, interiùs autem flavescentis, quæ degustata, excalfactoriam vim & acrimoniam possidere deprehendebatur.

GEDWAR.







CETERVM licet nihil certi de ea radice pronunciare possim, illius tamen, quæ magis integra, iconem in tabellâ exprimendam curabam, ut ejus forma mente faciliùs concipi possit, quàm nudâ descriptione. Ejus porrò cognitionem, Ponæ acceptam ferant studiosi.

INDEX

INDEX
earum Rerum quæ in EXOTICORVM libris continentur.

A.

ABADA. 168
Abavo. 21.22
Abrus. 87
Açete. 166
Acetum è Brindones. 235
Açibar. 149.244
Acori succedaneum. 201
Acorum. 200
Acsac cutlu. 242
Adamantis scobes deleteriæ facultatis non est. 220
Adamas. 218.219
Adamas Anglicus. 220
Adamas de rupe veteri. 219
Adelham. 240.241
Adelxa. 241
Adhar. 203
Adher. 203
Adrac. 212
Aëc. 158
Æschynomene. 239.291
Æthiopes crudis Elephanti carnibus non vescuntur. 166
Agallochi delectus. 173
Agallochi historia. 173
Agallochum. 172.247
Agalugen. 173.247
Agilis animal. 110
Aguila brava. 172
Ajawe succus. 80
Aiotochtli. 330
Ajourous psittacus. 364
Alad. 210
Alaf. 203
Alaqueca. 222
Alcyonium cheirothecæ facie. 126.127
Alcyonium ingens. 127
Alcyonium monstrosum. 126
Aldirira. 200
Alep Syriæ emporium. 168
Alef. 210
Algalia. 153
Aliaa. 212
Aljofar. 223.252
an Alcatraz Oviedi. 106.107
Alka. 367
Alma. 287
Almaz. 218
Almendras del Peru. 44
Almharut. 152.244
Aloë. 149.150.151
Aloë fossilis. 151
Aloës delectus. 150
Aloës foliorum confectio. 257
Aloës plantæ usus. 150
Ἀλόη. 147,243
Althit. 151.152
Alypum. 207
Amba. 235.283
Ambar. 147.148.243.300
Ambar ebrietatem conciliat. 301
Ambare. 235.288
Ambares. 288
Ambari delectus. 148.301
Ambari facultates. 301
Ambarum. 300.301
Ambela. 292
Ambereth. 288
Ambili. 196.271
Ambo. 283
Amfiam. 154.244
Amomis. 199
Amomum. 199
Amomum quorundam. 16.17
Amomum spurium. 377
Amuale. 195.270
Amusa. 230
Anacangrispasqui avis. 148
Anacardium. 198.272
Anacock. 70
Ananasa. 285
Ananas. 284.285
Ananas bravo. 285
Anas Arctica. 104.105
Ancusal. 158
Andreæ Lacunæ lapsus. 168
Ane. 166
Angediva insula. 147.
Angeidan. 152
Angelin. 153
Angelin arbor. 276.277
Angiadon. 244
Anil. 239.252
Animal lapidem Bezaar Peruanum gignens. 351
Anime. 62,159,160,297
Anjuden. 152,244
Anon. 229
Anonymos. 239
Anser Magellanicus. 101
Ἄνθραξ. 221
Antispoda. 165
Antit. 152
Antonii Musæ lapsus. 255,256
Anzuba. 227
Apas. 275
Apes Americanæ. 305,306
Aqua è florib. arboris tristis. 225
Aqua stillatitia è radice Chinæ. 209
Aqua Tamarindorum. 196
Aracock. 48
Araco ὅμοιον. 87,88
Aranea monstrosa. 76
Aranea Peruana. 345
Aranei ingentes. 353
Arara. 48
Arare. 195
Arata. 200
Aratacou. 43
Aratca. 195,270
Arat psittacus. 363
Aravers. 306
Arazaaveli. 292
Arbor de rayz. 3
Arbore de las cameras. 264
Arbore de S. Thome. 264
Arbor erysipelas curans. 266
Arbor farinifera. 5,6
Arbor finium regundorum. 73
Arbor fructu Aurantio simili. 12
Arboris liber tenuissimus. 6
Arbor lanifera. 12,13
Arbor Lavendulæ folio. 7
Arbor Laurocerasi folio. 11
Arbor Magellanica aromatica. 76,77
Arbor tristis. 225,226,279
Arbor venereos stimulos domans 352
Arbuscula marina coralloeides. 119,120
Arcuata. 366
Areaa. 149
Areca. 187,268
Aritiqui. 195,270
Armadillo. 330
Arnabo. 214
Arroba. 221,230
Aru insula. 360
Arumfel. 180
Asa. 152,153
Assabel diriri. 200
Asarath. 290
ἀσφαλτον. 80
ἀσφάλτῳ similis succus. 81
Asuat. 194
Ati. 166
Atragena. 340
Avacari. 228
Avela. 269
Avellana Indica. 268
Avellana purgativa. 41,334
Aventois lapsus. 162
Avicennæ lapsus. 165,203
Avicennæ opinio explosa. 213
Avis peregrinæ caput. 106
Axi. 342
Axis. 290
Ayt. 280
Azel piscis. 147
Azevre. 149
Azfar. 194

B.

Bache. 200,280
Badefrangi. 208
Bahoo. 197
Bala. 240,252
Balador. 198
Balasius. 221

Balimba

Balimba. 234
Balsami extrahendi ratio. 302
Balsami facultates. 303
Balsami fructus. 304
Balsami Perüani fructus. 57
Balsamum. 302
Balsamum de Tolu. 304,305
Balsamū legitimū Veterum. 304
Balsamum purius. 303
Baly insulæ fructus. 26
Bananas. 229
Baneanes. 154,161,172
Bangue. 238,290
Baobab. 21,231
Bar. 258
Barca. 281
Barcaman. 206
Bardato. 110
Barnfiard. 368
Baro. 245,266
Baruce. 47
Batan. 282
Batatæ. 341
Batiec. 235
Bavasimgua. 197
Bavasinga. 197
Bazar. 216
Beduin. 245
Besbase. 179
Beli. 233,234
Belleregi. 194
Bellunensis lapsus. 162
Bellua marina monstrosa. 131,132
Ben album & rubrum. 214
Bel zaar. 217
Ben judæum. 153
Benjaoy. 155
Benjui. 155,244
Benjui amygdaloïdes. 154
Benjui de Boninas. 156
Benjuifera arbor. 156
Benjui non est Cancamum. 159
Benjuinum. 153.155
Ben magnum & parvum. 334
Bepole. 281
Ber. 234,287
Beretinus fructus. 55
Berifera arbor. 158
Berillos. 219
Bernacles. 368
Betele. 263
Betre. 175,176
Betre non est folium Indum. 175
Bexugo del Peru. 340
Bezar. 217
Bezaar. 217
Bezardica medicamenta. 216
Bicho de Ormus. 273
Bibo. 198
Bisa. 289
Bitumen. 300
Bitumen fossile. 300
Bitumen Pannonicum. 300
Bixa. 73,74,82
Boa, 216
Bodoins. 157,445
Boeres. 360
Bola. 157
Bolimba. 286
Boniana. 229
Bonæ spei promontorium. 169
Bonti. 274
Bor. 234,287
Borrax. 205
Botanici libri Sinenses. 376
Bramenes. 154
Brandgans. 368
Brasiliani fructus varii. 28
Brasma. 182
Brasma Dioscoridis. 49
Bravas. 11
Brechmasin. 182
Brindones. 235
Brungara aradua. 293
Buaa. 282
Budiecas. 252
Buenas noches. 44
Buffones pluit. 353
Buna. 236
Bunapalla. 179
Bunca. 236
Buncho. 236
Burladora. 288
Butomum. 83

C.

Cacao sive Cacavate. 56
Cacatecas fodinæ. 337
Caçavi. 341
Caccharu. 275
Caceras. 238
Cachoraa. 213
Cachos. 325
Caculaa ceguer. 185
Caculaa historia. 186
Caculaa quebir. 185
Cadegi indi. 175,177
Cafur. 161
Cahzcara. 201
Caiahaba. 86
Cajoús. 198,272
Cairo. 190.270
Cairum. 151
Cais manis. 169
Cay. 371
Caymanes. 259
Calabacera. 22
Calafur. 180
Calambac. 173
Calamus aromaticus. 200
Calangari. 235
Caloins. 269
Calvegiam. 211,251,275
Camac. 157
Camarix. 286
Camdaca. 197
Cameaa. 160
Camiri. 37.57
Camuesas. 346
Cancamum. 159,245
Cancer Moluccanus. 127,128
Cancri admirabilis testa. 129
Cancri gramen depascentes. 127
Cancri Perüani phthisicis utiles. 354
Cancri terrestres. 127
Cancrorum insulæ. 127
Candil. 197,271
Canella. 168,169,170,323
Canella alba. 77
Canellæ aqua. 170,262
Canellæ folium. 178
Canellæ historia. 170,262
Canellæ oleum. 171
Canella Malabarica. 170
Canella novi orbis. 323
Canella Perüana. 171,323
Canella vilior. 77
Canella Zeilanica. 170
Canidé Psittacus. 363
Canje. 228,266,278
Caphura. 160,258
Caphura Ascap. 147
Caphura de Burneo Sinensi præstantior. 258
Caphuræ historia. 162,245
Caphura Riachina nulla. 162
Caphura vigilias excitat. 161
Capotillo del Aldana. 70
Capsicum. 342,343
Capsicum Brasilianum. 342
Capur. 161,245
Carambolas. 234,286
Carabeli. 286
Carandas. 227
Caraña. 298,299
Carate. 218
Carbunculus. 221
çarça parilla. 210,316,317,318
Carcapuli. 286
çarçæ delectus. 316
çarçæ parandæ ratio. 316,317
çarçæ pulvis. 317
çarçæ syrupus. 317
Caranful. 267
Cardamomum. 185
Cardamomi quatuor genera apud Plin. 186
Carduus Perüanus. 347
Caril. 190
Carlo sancto. 319,320
Carpata. 237
Carpesium. 214
Capesium non esse Cubebas. 185
Carrum fel. 180,248
Caryophylli aromatici. 15,16
Caryophylli aromatici icon legitima. 181,267,376
Caryophylli gummi. 180
Caryophylli historia. 180,267
Caryophyllon. 179,180
Cariophyllum albū spurium. 377
Cassab. 200,250
Cassia. 169,323
Cassiæ flos condîtus. 333
Cassia lignea. 323
Cassia nec Cinnamomum apud Æthiopes. 168
Cassia solutiva. 147,271,332,333
Cassia veterum. 77
Cast. 204
Catapotia ex çarça. 319
Catapotia ex Mechoacan. 339
Catarrhacte Oppiani. 103,104
Cate. 163,258
Catecomer. 149
Cato. 163
Caxcax. 154

Cebar

Cebar. 149
Ceichen. 159
Cembul. 201,250
Cenalfil. 166
Cenorins. 283
Centella herba. 353
Cercopithecus barbatus. 371
Cercopithecus Brafilianus. 372
Cercopithecus non barbatus. 371
Cete admirabilis formæ. 131
Cete monftrofæ formæ. 130
Cevadilla. 345
Ceybæ fructus. 13
Chacani. 187
Chairbawe. 249
Chaledfium. 210,251
Chalidunium. 210
Chamærrhiphe peregrina. 85
an Chamærrhiphes folium? 85
Chamaroch. 286
Chamderros gummi. 161
Champe. 225
Chanque. 180,223
Charabe. 297
Charameis. 292
Chayrbua. 186
Checani. 286
Chelidonium. 210
Cheripo. 223
χοιροπίθηκος. 370
Chofolo. 188
χολέρα. 237
Cholera morbus. 214
China Occidentalis. 315
Chincapalona. 230,283
Chincapanlones. 283
Chincha. 271
Chincicila emporium. 337
Chingalæ. 171,214
Chiviquilenga. 237
Chryfobalanus Gefneri. 179
Chulem. 204,250
Chuxtaid. 286
κηπὸς. 370
Cicer Nigritarum. 72
Cinnamomum. 169,170,323
çinçoni avicula. 96
Claicks. 366
Claikgees. 366
Coambar. 148
Cobra de capelo. 214
Cobzbague. 186
Coca. 177,340
Cocci duo genera. 189
Cocci icon. 191
Coccus de Maldiva. 190,191, 193,270
Cochin civitas & emporium. 174,259
Coles. 34,65
Colima. 338
Colles. 240
Colocafia. 238
Colubri Peruani. 353
Comalamafa. 269
Cominham. 155,156
Comolange. 236
Comorim promontorium. 148
Concha peregrina. 144
Conder. 157
Condore avis. 107
Conferva è Chinæ radice. 209
Conferva è Mechoacan. 339
Contra-yerva. 311
Copal. 297
Copous. 236
Copra. 190,269
Coquo. 189
Cordumeni. 186
Corja. 221
Corlis Gallorum. 366
Cornu animalis generantis lapidem Bezaar. 217
Cornu mirabile. 108
Cor S. Thomæ. 66,335
Cortex ad alvi profluvia. 79
Cortex ad rheumatifmos. 332
Cortex alvi profluvia fiftens. 332
Cortex aromaticus. 324
Cortex eriophorus. 79
Coru. 227,228,265,266
Corvus marinus. 106
Coft. 204
Cofti. 204
Cofti tria genera. 205
Coftus. 204,205,273
Cota. 241
Coral maluco. 240,241
Coturnixa. 241
Coxco cypote. 44
Cranganor flumen. 259
Crocodili. 259
Crocum Indicum. 210,213,275
Cropiot. 48
çua. 213,275
Cubabfini. 184
Cubebe. 184,248,268
Cubebe nec piper funt nec Vitis fructus. 185
Cuci. 160
Culungem. 211
Cumaca. 323
Cuminum rufticum. 200,201
çumuc. 184
Cunane. 48,49
Cunhet. 210
Cupari. 187
çura. 189
Curcas. 237,299
Curcum. 275
Curcuma. 210
Curo. 265
Curodapala. 265
Cuurdo. 169
Cynæa infula. 95
κυνοκέφαλος. 370

D.

Daburi. 48
Dante. 259
Darchini. 169,245
Darfulful. 182
Darxifan. 247
Darzard. 210
Datiro. 288
Datula. 288
Datura. 238,288,289
Daul alfil. 199,250
Davus Terentianus. 186
Daya. 286
Delegi. 194,249
Dialacca. 159,258
Dimas Bofque Medicus. 234
Diofcorides lapfus. 177,182
Dirimguo. 200
Dirite. 200
Dore. 185
Doriones. 231
Draco arbor. 330
Dragonal. 331
Drakena radix. 83
Drakenæ radici affinis. 84
Duda Sali. 276
Duriaon. 282
Durio. 282
Dux Cetacei generis. 137

E.

Eale. 168
Ebenus in Mauritii infula. 101
Eboris magnus ufus apud Indos. 166
Ebur. 166
Ebur foffile. 168
Echinomelocactos. 92
Elachi. 185
Encal. 185
Elæomeli. 190
Eleni. 189,269
Elephanti beneficiorum memores. 260
Elephanti gloriæ avidi. 260
Elephanti vindictæ cupidi. 260
Elephantorum docilitas. 167,260
Elephantorum morbus. 260
Elephantorum venatio. 167
Elephantorum utilitas. 166
Elephantus mures & formicas odit. 168
Elleborine Indica. 90
Elorius. 366
Embelgi. 194
Eme five Emeu avis. 97,98
Eme quibus rebus vefcatur. 99
Encubertado. 350
Enzanda. 4
Epiftola ad D. Monardum. 351
Eraway. 48
Erica marina. 122
Efchara κοραλλοειδής. 124
Etremeli. 185
Ettalch arbor. 8
Exotici fructus à Clutio. 50
Exotici fructus è Walachria. 49,50
Exotici fructus anno 1601 relati. 51

F.

Faba arborefcens. 64
an Faba Ægyptia? 32
Fabæ purgatrices. 335
Fabulæ de Magnete. 223
Falcinello. 366
Farræ infulæ. 367
Fava brava. 336
Fava de Malaca. 198

Fausel. 164,187,188,189
Feruzegi. 220,251
Ficus Indica. 1,2,3
Ficus Martabanis. 230
Ficus Perüana. 345
Figuera Banana. 230
Fil. 242
Filfel. 187
Filfil. 182
Fili tenuissimi glomus. 6
Flos sanguineus. 348
Flos Solis. 347,348
Flos Solis πολύκλαδ@. 348
Foca. 203
Folii historia. 177
Folliculus echinatus. 73
Franciscus de Tamara. 219
Fructus abiegnæ nuci similis. 24
Fructus bilem evacuans. 334
Fructus Cacao similis. 42
Fructus Caryophylli aromatici facie. 37
Fructus Caryophyllum aromaticum redolens. 169,180
Fructus cholagogus. 334
Fructus à Bantam. 36,37,38,39
Fructus à Bernardo Paludano. 46,47
Fructus ab Henrico van Os. 46
Fructus à Iacobo Gareto. 40,41, 42,43
Fructus à Iacobo Plateau. 45
Fructus à Petro Gareto. 34,35
Fructus à Richardo Garth. 43,44
Fructus à Simone de Tovar. 44
Fructus à Walichio Siverts. 47, 48
Fructus dysentericus. 331
Fructus exilis Cannæ de Bengala creditus. 24
Fructus exotici è Bātam relati. 36
Fructus exoticus crassus. 25
Fructus ex Bengala. 33
Fructus exoticus elegans. 25
Fructus ficui similis. 10,11
Fructus miscellanei exotici. 52,53
Fructus Nerii siliquæ effigie. 73
Fructus peregrinæ arboris. 9
Fructus Quitensis. 331
Fructus sub terra nascens. 344, 345
Fructus πεδάγων@. 26
Fructus ulcerarius. 352
Frutex marinus elegantissimus. 120
Fuchsii error. 168
Fufel. 187
Fula. 182,248
Fulful. 182,248
Fungi saxei. 124,125
Fusti. 180

G.

Gagel. 200
Gaguey. 11
Galanga. 211,275
Galeus exoticus. 136,137
Γαλῆ Λιβυκή. 112,113
Gali. 239
Gallus peregrinus. 100
Galungem. 211
Ganda. 166
Gandis. 177
Ganga fluvius. 155
Ganges fluvius. 173,201
Ganta. 208
Garro. 173
Garyophyllon Plinii. 17
Gedwar. 378
Geiduar. 213,214,251
Gengibil. 212
Genipat. 10
Gepalo. 292
Ghittaiemou succus. 82
Gingiber. 212,251,275
Gingiber silvestre. 213
Girasal. 281
Goa Indiæ emporium. 174,260
Goan arbor. 165
Goazir. 242,252
Goitfugel avis. 367
Golfam. 178
Gonambuch. 97
Gotim. 195,271
Gouambuch. 97
Gramalha. 197
Granadilla. 347
Granatus. 222
Guacas Perüanorum. 351
Guacatane. 345
Guaicano piscis. 135
Guama Oviedi. 62
Guanabanus. 231
Guart. 280
Guate. 240
Guayacan. 312,313
Guayaci decoctum. 313
Guayaci ramus. 314
Guayaci serapium. 314
Guayavas. 346
Gubera. 159
Guinea. 169
Gul. 280
Guora. 242
Guyanensis amygdala. 27
Guyanensis fructus, 27,28
Guyanensis fructus squamosus. 25
Guyanensis spina. 28
Gyp succus. 80

H.

Haba de India. 59
Habelculcul. 237
Habet. 210
Hacchic. 163
Hachaiza. 237
Hadhad. 163
Haffhest avis. 368
Hager. 217,222
Halilegi. 249
Halilig. 194
Halthith. 244
Hamama. 199,249
Harb. 288
Harundo ingens. 18
Hau. 112
Haud. 173
Hauthi. 112
Haxis cachule. 203,250
Hay. 112
Helsinge gaas. 368
Herba amoris. 290
Herba ad rupturas utilis. 349
Herba Ioannis infantis. 311
Herba Malavarica. 217
Herba Malucana. 293
Herba Mazcatensis. 203
Herba mimosa. 291
Herba mortem in morbis indicans. 350
Herba Reginæ. 309
Herba renibus utilis. 321
Herba Sancta. 309
Herba Solis. 347
Herbæ varii generis Perüanæ. 350.
Herba viva. 290
Herodoti fabulæ. 168
Hiarxamber. 197,272
Higuero. 23,232
Hil. 185
Hilbane. 185
Hippuris saxea. 124
Histrix piscis. 137,138
Hivourahe. 315
Horiri. 229
Hura. 47
Hyacinthus gemma. 222

I.

Iaca. 227,261,281
Iacerus. 227
Iagra. 189,269
Iaiagua. 229
Iaiama. 229,246
Iaifol. 179
Iambeiro. 287
Iamboli. 287
Iamboloins. 287
Iambolones. 235
Iambos. 233,286
Iamgomas. 227,287
Iapatri. 179
Iaralnare. 189
Iaspis viridis. 222
Iausiband. 179,248
Idalcam. 240
Idola ex Santalo rubro. 173
Igname. 237
Ignavus animal. 110,111,372
Ild brimel avis. 367
Imad. 241
Imadmaluco. 240
Imgara. 152
Imgi. 212
Imgu. 152
Iminga. 230
Indica radix. 320
Indi odoribus delectantur. 225
Indicarum mulierum superstitio. 166
Inhame. 237
Insulæ de Nalediva. 147
Insula Diu. 203
Insula ex Ambaro. 147
Insula S. Crucis. 264
Insula S. Laurentii. 169

Iogues

Iogues. 214,264
Iràa. 218
Iraituch succus. 80
Itam. 218
Iulfar portus. 223
Iuncus odoratus. 203,204
Iuncus rotundus & triangularis. 203
Iunipappeeywa fructus. 10
Iuruwa. 48
Iuub. 86

K.

Kakala. 249
Κατάφρακτος. 110
Κατζέα Æliani. 106
Kaye baka 73
Κήλα avis. 107
Kilkil. 237
Knickers. 5

L.

Lac. 158
Lacca. 158,258
Lacca artificialis. 258
Lacca non est Cancamum. 159, 258
Laccæ historia. 158
Lacca Veteribus ignota. 159
Lacerti Caymanes. 326
Lacerti ingens magnitudo. 327
Lacertus Indicus. 115
Lacertus peregrinus. 115,116
Lacertus peregrinus squamosus. 374
Lac Pinipinichi. 337
Lactuca silvestris. 349
Lacunæ error. 186, 190,197,202
Lada. 182
Lagenulæ ex Americano fructu. 29
Lampaos. 274
Lampatan. 210,274
Lancuaz. 211,275
Lanha. 189
Lapis Armenus. 222
Lapis Bezaar. 216,251,279,327
Lapis Bezaar Peruanus 228, 327,329
Lapis Bezar Peruanus ab Orientali differt. 354
Lapis Caymanum. 326,327
Lapis Malacensis. 217,218
Lapis Manati. 326
Lapis Nephriticus. 325
Lapis pedum rimas curans. 330
Lapis sanguinalis. 329
Lapis Tiburonum. 326
Lapis uteri suffocationes curans. 229
Laser. 153,155
Laserpitium. 153
Lata. 50
Lavandon. 211,275
Lenticula marina. 294
Leucoma fructus. 332
Lignum Aloës. 172
Lignum anonymum. 7,8
Lignum Aromaticũ. 79,323,324
Lignum colubrinũ. 214,215,276
Lignum cotis vicem præbens. 9
Lignum fomitis usum præbens. 9
Lignum Molucense. 277
Lignum Nephriticum. 324
Lignum renum affectibus utile. 324
Lignum Santalo simile. 174
Lignum sempervivum. 163
Liquidambar. 147,302
Liquor Ambia. 306
Lispor emporiũ regni Decan. 219
Lobus Brasilianus ingens. 60
Lobus Brasilianus alter. 61
Lobus cartilagineus. 66,67
Lobus ex Guinea. 62
Lobus ex Wingandecaouw. 61
Lobus ἐχινώδης. 70
Lobus fabæ arborescentis. 63
Lobus insulæ D. Thomæ. 65
Lobus peregrinus varii generis. 71,72
Lobus quadrangularis. 62,63
Loc Sumutri. 158,245
Lomwia avis. 367
Lovan. 157
Lovan Iaoy. 156
Ludovicus Romanus. 155
Lues venerea quando cœperit. 208, 312.
Lulu. 223
Lunda avis. 367
Lycii extrahendi ratio. 163
Lycii historia. 163

M.

Macer veterum. 79,264,265
Machazari. 174
Macir Plinii. 79
Macis. 178,179,263
Macocqwer forte fructus. 23
Macouna. 68,336
Macre. 264
Macruire. 264
Madre Maluco. 240
Magnes. 223
Maiu. 239
Malabar provincia. 257
Mala Indica. 287
Malabatrum. 177
Malagueta Cardamomum non est. 186
Maldiva insula. 147
Maluccæ insulæ. 180
Maluco. 241
Mambu. 18,259
Mançanas de India. 287
Manati piscis Phocæ genus ingens. 132,133,134,326
Mangas. 228,229,283
Mangate. 261
Mangelis. 218,220
Mangiriquam. 239
Mangiu. 3
Mangle. 3
Mangostans. 233
Manjale. 216
Maniambar. 148
Manardi lapsus. 197
Mangummenauck. 43
Manica. 221
Manna. 164,259
Manobi. 345
Mansarunge. 190
Manucodiatæ duo genera. 359
Manucodiata ignota veteribus. 359
Manucodiata majoris generis. 360
Manucodiatæ majoris generis rex. 362
Manucodiata minoris generis. 360
Manucodiatæ non sunt apodes. 359
Manus. 206,218,221
Maraka. 232
Marana. 288
Marazalquelbe. 199
Marganas. 364
Margaritæ. 223
Margaritarum origo. 223
Margaritis nitor ut restituatur. 224
Marmelos de Bengala. 233
Maro. 189
Martres. 5
Maslac. 290
Mastuerço de las Indias. 348
Mates fructus. 59,70
Matthæi Silvatici error. 185,187
Mauritii insula. 95,101
Mayzum. 341
Mazafrani. 174
Meçeri. 154,244
Mechoacan. 337,338,339
Mechoacan alterum. 339
Mechoacan silvestre. 339
Medicamẽtum ad erysipelas. 344
Medicandi apud Indos ratio. 150
Mehenbethene. 194
Melato. 157
Melegheta. 186
Melo Indicus. 235
Melique. 241
Menxus. 150
Mergus Americanus. 103
Mergus Farrẽsis sive Arcticus. 102
Mergus marinus Gesneri. 102
Meriche. 182
Mesera. 151
Mesue lapsus. 196
Mexir. 199
Mexquetera. 199,250
Mippi. 86
Moalis. 175,187
Mocebar medicamentum. 150
Mogli. 226
Mogores. 240
Mogori. 225
Mohadum coja. 241
Molanga. 182
Molle. 322,352
Mombaim insula. 187
Monachorũ lapsus. 184,204,211
Monoceros. 167
Μονόκερως pisciculus. 143
Morbus Gallicus. 313
Morbus Neapolitanus. 313
Mordexi. 214,237
Morian. 278

Moringa. 278
Morois. 182
Morremor. 48
Morxi. 237
Moti. 223
Mous. 283
Mungo. 236
Mus aquaticus exoticus. 375
Musa. 229,230,252,283,284
Musæ etymon ridiculum. 230
Mustela Africana. 112
Mutu. 223
Myrobalanorum arbores diversæ. 195
Myrobalanorum quinque genera. 195,199
Myrobalanus Arabum. 194,270
Myrobalanns Græcorum. 194
Myrrha. 157,160
Mytulus conchifer. 129,130

N.

Nabathæa. 203
Nachani. 161
Naifes. 219
Naique. 241
Naires. 166
Nana. 229
Nardus. 201.202
Narel. 189,269
Nargel. 269
Nasturtium Peruanum. 348
Negundo. 226,280
Nereiden Indi. 248
Nesr avis. 107
Neza. 241
Nicotiana. 309
Niergundi. 280
Nigella. 186
Nil. 239
Nihor. 189
Nilaa. 221
Nilacandi. 221,252
Nimbo. 226,281
Nimpa. 275
Niza Maluco. 240,241
Niza moxa. 241,252
Niza moxa horti. 174
Noche. 226,280
Noiras psittaci genus. 364
Norchila. 280
Nuces insanæ. 55,56
Nuces peregrinæ. 33
Nuclei pinei cathartici. 335
Nucleus ex Guyana. 28
Numenius Indicus. 366
Nux aromatitis. 178,179
Nux Indica. 189
Nux moschata. 263
Nux moschata femina. 13
Nux moschata mas. 14
Nux moschata montana. 14
Nux pinea Peruana. 345

O.

Ocoçol. 302
Ocosotl. 147
Oculus catti gemma. 222
Ofium. 154,238
Oleum cicinum. 299
Oleum ex Cocco. 190
Oleum ex Copal-yva. 297
Oleum ex Copra. 190
Oleum ex Liquid-ambar. 302
Oleum ex Maci. 263
Oleum ex Nimbo. 226
Olla. 189,192,269
Onocrotalus. 107
ὀπόφαγος. 154
Opii usus. 257
Opium. 154
Orbicularis fructus peregrinus. 29,30
Orbis capite testudinis. 141
Orbis muricatus. 139,140
Orbis ranæ rictu. 140,141
Orbis spinosus. 138,139
Ormus emporium nobilissimum 169
Orraqua. 189,269
Orukoria. 48
Ova avium. 99
Ouriffia avicula. 96
Oussa. 127
Ovum Emeu avis. 99
Oxyphœnix. 197

P.

Pabulum camelorum. 250
Paç. 187
Pacal. 344
Pacee. 210
Pacona. 230
Palan. 229
Palea de Mecha. 203
Palla. 179
Pallankins. 18
Palma adil. 57
Palma Indica. 189,269
Palma pinus. 24
Palma saccifera. 4
Palma silvestris. 196
Pam. 175
Panis ex arboris scobe. 5
Panasu. 281
Panax. 281
Panaz. 227
Papa. 281
Papuæ insulæ. 360
Paquovere. 230
Paradisus Mahumetis. 55
Parapar. 48
Parava. 277,278
Parizataco. 225,280
Passer mosquitus. 96
Pastus camelorum. 203,250
Pateca. 235
Patinæ è magnete. 223
Patines avis. 568
Pavane. 320
Pavate. 266
Pavo marinus. 105
Payco herba. 324
Pazan. 216,279
Pazar. 216
Pentaphyllum Indicum. 89
Pepitas del Peru. 59
Perdan. 163,197
Perebecenuc. 309
Peregrini fructus varii. 56,57,58,59
Peregrinus fructus acidus. 33
Peregrinus fructus à Penino. 31
Peregrinus fructus elegans. 32
Peregrinus fructus reticulatus. 30
Perrillo ligero. 111
Peruzaa. 220
Peruzegi. 220
Pes columbinus. 199
Petum. 309 310
Phaseolus Brasilianus. 69,336
Phaseolus major. 335
Phaseolus Nigritarum. 68
Phaseolus Peruanus. 352
Phaseoli alii peregrini. 64,65,69
Piada. 242,252
Pica marina. 104
Piçan. 229
Picielt. 307
Pilvane. 167
Pimienta del Bresil. 343
Pimpilim. 182
Pinan. 187
Pinei nuclei Malucani. 292
Pinguins avis. 101
Piñones de Maluco. 292
Piper. 181,182,248,268
Piper album. 183
Piper Americanum. 342
Piper Brasilianum. 343
Piper Canarinum. 182
Piper caudatum. 184
Piper Guineæ. 184
Piper longum. 20,182,183
Piper nigrum. 19,183
Piscandi ratio corvorum opera. 106,107
Piscis admirabilis formæ. 131
Piscis çapines dictus. 142
Piscis triangularis formæ. 142,143
Pisum. 202
Pisum ochræ colore. 71
πίσηκος. 370
Pixcoxbuit. 286
Planta alexipharmaci vicem præbens. 353
Planta Bantanica. 92
Planta gramini similis. 352
Planta marina Resedæ facie. 122,123
Planta marina retiformis. 121
Planta peregrina. 239
Planta sanguineos sudores excitans. 352
Planta saxea ἀκροπορώδης. 123
Platanus. 230
Plinii lapsus. 168,177
Plumbum Adamantis aciem non obtundit. 219
Pökel. 300
Pökelnicza. 300
Poaz. 187
Polypodium Indicum. 88
Poma paradisi. 230
Pompholyx. 164
Pomum Nicaragæ. 55

Pona-

Ponahambar. 148
Porcellanæ. 222
Porphyrio. 370
Prasius lapis. 325
Pristis piscis. 135,136
Πρίσις. 136
Promontorium bonæ spei. 169
Promontorium Cori. 172
Pseudo-china. 83
Pseudo-opalus. 222
Psittacorum magna varietas. 363
Psittacorum nidi non sunt penduli. 364
Psittacus elegans. 365
Psittacus major elegantissimus. 363
Psittacus minimus. 365
Pucho. 163,204
Pul. 180
Puli. 196,271

Q.

Quabeb. 184
Quabebe chini. 184
Quace cupatli. 290
Quebulgi. 194
Quelli. 229
Quequi. 222
Quercus marina Theophrasti. 121
Querfaa. 169
Querfe. 169
Queura. 286
Quil. 214
Quirpele. 214

R.

Rabi-forcado. 107
Rabi-horcado. 107
Radix Chinæ. 208,274
Radicis Chinæ delectus. 209
Radix S. Helenæ. 84,344
Radix venenis resistens. 311
Rao. 241
Rasis catapotia. 151
Ratis. 218
Ravam. 208
Reguli & Quil pugna. 214
Regulus serpens. 214
Regnum Deli. 240
Reimones. 156
Reisbutos. 221,252
Resinæ aliquot. 80,81,82
Resigna abiegna 306
Resina Ambræ facie. 80
Resina Carthaginensis. 84,306
Rex Bisnager. 241
Rex Daquem. 241
Rex Pegu. 167
Rex Sian. 167
Reversus piscis. 134,135
Rezanuale. 195,271
Rhabarbarum. 207,208,250,274
Rhabarbarum Americanum. 312
Rhinoceros. 166
Ribes plantæ congener. 90
Ricinus Americanus. 299
Rob alçuz. 152
Roçamalha. 56
Rochha. 241,252
Rodgans. 360
Rodgees. 368
Rodolho. 228
Ronder. 157
Rosa Hiericuntina. 199
Rostra ingentia. 107,108
Rubinus. 221,252
Ruch avis maxima. 108
Rudentes ex villis Cocci. 192
Ruellii error. 186
Rufi potio. 151
Rumes. 155

S.

Sabayo. 241
Sac. 158
Sacar Mambu. 165
Sachbar. 203
Sacolaa delectus. 186
Sagge 16
Sagittarius. 138
Sagouin. 372
Sagu. 5.16
Sahesefram. 177
Saibo. 241,252
Saisifram. 177
Salihacha. 169
Samatra insula. 162
Sambali. 226.280
Sambarane lignum. 174,262
Samparantam. 36
Sandal. 173,247
Sandalum. 173,174
Sanguis draconis. 82,330,331
Santali historia. 174
Santali rubri & Brasilii ligni differentia. 172
Santali tria genera. 173,247,262
Saponarii globuli. 346
Sapphiro-rubinus. 221
Sapphirus. 221
Sargaço. 293
Sarguaco. 293
Sassafras. 320,321
Satiach. 202
Satiech. 202
Scabies Hispanica. 313
Schœnos. 273
Schön apfl. 289
Scolopax Indica. 366
Sedum Madagascarense. 91
Sepulvedæ error. 197
Serapionis error. 162,195,198
Sercanda. 173
Serpigo Indica. 313
Serpens Indicus. 114,373
Serpentes ingentes. 114,373
Serpens peregrinus. 113
Serra piscis. 135,136
Siger. 267
Silphium. 244
Sinarum regio frigida. 208
Sinarum Rex potentissimus. 258
Sinensis historia. 258
Singadi. 225,280
Siracost. 164
Sirifole. 233
Siri gata gamber. 38
Skua avis. 368,369
Smaragdus. 220
Socotora insula. 149
Sofy. 242
Solanum Indicum. 90
Sope berries. 43
Sphærulæ saponariæ. 43,346
Spica nardi. 273
Spina ex Guyana. 28
Spinellus. 221
Spodium. 164
Σπόδος. 165,246
Spongia elegans. 125
Stellarum varia genera. 144
Stella tredecim radiorum. 144
Stormfinck. 368
Strobilus Peruanus. 345
Styrax. 153,155,156
Succi concreti. 80,81,82
Sucte. 212
Sufi. 242,252
Sula avis. 366,367
Sulphur Nicaraguanum. 343
Sulphur Quitense. 343
Sulphur vivum. 343
Sultanus Badur. 239
Suluc. 290
Sulucque. 290
Sumbel. 201
Sura. 269
S. Crucis civitas. 264

T.

Tabaco. 307,308,309,310
Tabarget. 220
Tabaxir. 164,165,246,259
Tacamahaca. 298
Tacori. 48
Talisfar. 265
Tamalapatra. 177,178,248
Tamarindi. 196,197,249,270
Tamberlanes. 240
Tambul. 175
Tambuldar. 145,247
Tame. 278
Tamirham. 240
Tamirlangue. 240
Tanga. 206,207
Taprobana. 162,166
Tartari. 240
Tatou. 109,110,330
Tatula. 289
Tavardete. 328
Tembul. 175,248
Temir cutlu. 242
Tenga. 189
Tengamaran. 189
Ternate insula sterilis. 16
Terra nigra cōficiendo atramento apta. 354
Terra Peruana variorum colorum. 354
Terra rubra argentum vivum continens. 354
Thalisafar. 178,248
Tianche. 39
Tigris. 156
Tiguar. 206
Timor insula. 173

Tincal. 205
Tincar. 205
Tiriamiabim. 164
Tocot guebit. 298
Tominejo avicula. 96,97
Touis psittaci genus. 364
Τοξότης. 138
Trec. 158
Trican. 189
Tripolium. 207
Trogloditæ. 212
Trungibin. 164
Tsinaw. 83
Tubuli ad asthma. 310
Tuphat. 287
Turbith. 206,207,250
Turchesa. 220
Turiaa. 278
Turis planta. 157
Tus in India non nascitur. 157
Turis usus. 157
Tutia. 165,246
Tutia Alexandrina. 165
Typographia apud Sinenses vetustissima. 210

V.

Varaqua. 267
Vasa murrhina ex Iaspide viridi. 222
Vasaveli. 266
Vascula ex Cocco. 190
Vascula ex Cocco de Maldiva. 192,193
Vd. 173
Vdo. 156
Venezaras. 240
Verbena Perüana. 349
Veriche. 241
Verido. 240,241
Vespertiliones Cretenses. 96
Vespertiliones edules. 96
Vespertiliones ingentes. 94,95
Vicia Africana. 86
Vicicilin. 97
Vidaras. 234,287
Virginum in Bengala consuetudo. 224
Visa semen. 259
Vngula animalis lapidem Bezaar generantis. 217
Vnio. 213,224
Vnmata caya. 288
Vplot. 163,204
Vsub Theveti. 84
Vsuc succus. 80
Walgh vogel. 100
Waricoramori. 48
Winteranus cortex. 75
Vultures aquatici. 370
Vultures insulani. 353
Vzbeque. 152

X.

Xa. 241
Xagua. 10
Xaholam. 240,252
Xa-Ismaël. 241
Xarabdar. 175,247
Xareta. 270
Xa-Tamas. 241
Xeque. 242
Xilo. 302
Xircast. 164
Xirquest. 164
Xolochcopalli. 279
Xylaloe. 172

Y.

Yacut. 221
Yguana. 118
Yra. 306
Yra-yetie. 306
Ytembo. 166
Yuana. 116,117
Yucæ succus { lethalis. 341
Yucæ succus { innoxius. 341
Yuca. 341,342
Yuca Perüana minimè noxia. 341.

Z.

Zabarget. 220
Zagu. 5
Zamarrut. 220
Zedoaria. 215
Zeilan insula. 171
Zeilan insula forte Taprobana. 66
Zerumba. 214
Zerumbet. 213,251
Zigir. 171
Zilo. 302
Zingiber. 275,311

FINIS.

MENDÆ

quæ typographicarum operarum oculos effugerunt in EXOTICORVM *Libris exprimendis.*

Primus numerus paginam notat, alter versum.

Pag. 10: *vers.* 3. foliis nudum. 13. *&* 14. *ἀρωματίτης pro* Myristica *reponendum.* 15. CAP. XVII. *deinde seq. cap. numerus in lib.* 1. *mutandus.* 16.38. magnitudine 49: *margine* Brasma *ante* Fruc. v. 53: 5. Velez 55: *marg.* Poma Nicaragæ 56: *marg.* Cacao 69: *marg.* Havas del Peru 86: 21. ferruminare 92: 18. qualiter nasc. *expunge* qualiter 95: 15. propior 100: 7. aquæ rivum 105: 25. sam Anas 111. 51. ut fere meles qui vulgo taxus 126: 21. compositos 135: 28. Inversum 161: *marg.* Caphuræ historia. *lege* Caphuræ natales. 164: 9. simile esse, sed nigrius, 217: 6. Bezaar 233: 14. Rodriguez 236: 27. exhibent 257: 35. hic Auctor 269: 30. solent ut 272: 18. Cuci & Cedri 282: 21. dilutius vir 302: 44. Gomara 306: 13. è cavis 308: 15. venenatis 333: 30. atriores 339: 8. protuberabat *marg.* Mechoacan silvestre FF. 3. & FF. 4. *numerus paginarum corrigendus hoc modo* 341. 342. 343. 344. *pag.* 344: 36. aliquod, 346: 30. Guayavas 351: 36. eundem.

Series Chartarum.

†. A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. X. Y. Z.

Aa. Bb. Cc. Dd. Ee. Ff. Gg. Hh. Ii. Kk. Aaa. Bbb. Ccc. Ddd.

Omnes terniones, præter T. Gg. Kk. duerniones, & X. Ddd. quaterniones.

*triernio, & **. ***. duerniones, quibus Altera Appendix ad Historiam Rariorum Plantarum continetur, extra ordinem sunt. Monendus itaque es, mi Lector, ut, si Rariorum Plantarum Historiam nondum compactam habes, hanc alteram Appendicem priori adjungas; eâdem enim formâ expressa est, quâ prior illa quæ Plantarum Historiæ adjuncta. Si verò eam compactam jam habes, Exoticorum libris, aut Bellonii Observationibus, prout lubitum erit, subjungere poteris.

NICOLAI MONARDI

Hispalensis Medici præstantissimi,

LIBRI TRES,

MAGNA MEDICINÆ SECRETA ET VARIA EXPERIMENTA continentes:

Et illi quidem Hispanico sermone conscripti; nunc verò recens Latio donati à

CAROLO CLVSIO *Atrebate.*

Horum seriem proxima pagina indicabit.

Primus, agit de Lapide BEZAAR & herba SCORZONERA, duobus præstantissimis adversus venena medicamentis.

Alter, de FERRO, & eius insignibus facultatibus.

Tertius, de NIVE, ejusque commodis.

His adjunctus est Libellus de ROSA ab eodem Auctore Latinè scriptus, & Dissertatiuncula de CITRIIS.

Doctißimis viris, iisdémque celeberrimis Medicis,

IOANNI HEVRNIO,
PETRO PAWIO, &
EVERARDO VORSTIO

Carolus Clusius Atreb.

S. D.



CTAVVS & *vicesimus nunc agitur annus, viri Doctißimi, quòd binos Nicolai Monardi, primarii Hispalensis medici libellos, de Medicamentis simplicibus ex Indiâ, quam Occidentalem appellant, delatis agentes, Latinitate donârim, & in unicum contraxerim, additis interdum quibusdam scholiis quæ ad rem facere videbantur. Septennio post, Tertium libellum, recenter ab eodem scriptum, similium medicamentorum (quæ, evulgatis prioribus, ad eius notitiam pervenerant) historiam continentem, nactus, etiam Latinum faciebam, in eorum gratiam, qui Hispanicum sermonem non callebant. Quàm porrò utiles fuerint ii Libelli, hîc commemorare non est necesse, quandoquidem adeò avidè fuerint excepti, ut Typographum ter recudere oportuerit. Erat enim vir ille non vulgari eruditione præditus, & percelebris Medicus, quíque non pauca ad medicam artem pertinentia commentatus est, sed vernaculo maximâ ex parte sermone, ut popularibus suis gratificaretur. Inter cætera est Commentariolum de lapide* Bezaar, & *herba* Scorzonera, *duobus adversus venena præstantißimis remediis, in quo de eorum medicamentorum facultatibus varia adfert experimenta: deinde Dialogus de* Ferro, *eiúsque præstantiâ & viribus, in quo sane multa scitu digna, nec minùs lectu iucunda tractat: Tertius est Libellus de* Nive, & *eius efficaciâ, tum quâ ratione potus cùm illâ, vel sine illius admixtione frigefaciendus, adprimè sanè utilis, iis præsertim, qui in calidis versantur regionibus: nobis autem, qui frigidam colimus Provinciam, non adeò quidem necessarius, non inutilis tamen, propter doctrinam quam continet. Eos libellos, tametsi anno Christi septuagesimo quarto supra millesimum & quingentesimum euulgatos, cùm viderem à nemine adhuc in alium sermonem conversos, mei muneris esse existimaui, Latinè loquentes facere, perinde atque illos superiores; confidens hunc laborem non minùs forsitan lectori gratum futurum, quàm is olim fuit, quem in tribus illis libellis, de Medicamentis simplicibus ex Occidentali Indiâ delatis agentibus, vertendis sumebam. Superiore igitur æstate, ab ægritudinibus paullo liberior, subcesivis horis illos donabam latio quàm poteram fidelißimè, ut in Secundo meorum opusculorum Tomo, reliquis D. Monardi Libellis adiiciantur; & vobis amicis nuncupandos censebam. Vos boni consulite munusculum ab homine vobis amico; & valete. Lug. Bat. prid. Kal. Feb.* M.DC.I.

DE LAPIDE BEZAAR ET SCORZONERA HERBA,

duobus præſtantiſſimis adverſus venena remediis:

Auctore D. NICOLAO MONARDO *Hiſpalenſi Medico*,

interprete CAROLO CLVSIO *Atrebate*.



VALDE conqueritur Plinius in ſua Naturali Hiſtoriâ, omnia eſſe adverſa homini in hac vitâ, reliquis autem animantibus Naturam eſſe matrem: quandoquidem illa viribus & inſtinctu naturali donârit, quibus ſibi utilia deligere, & noxia fugere norunt: ſolum verò hominem his omnibus deſtituerit, ut qui neſciat quæ ipſi ſunt utilia, neque fugiat quæ damnoſa. Nam niſi doceatur & aliunde diſcat, illa ignorat, & naturali inſtinctu intelligere nequit: quâ de cauſa tot labores patitur, qui eum in infelicem ſtatum præcipitant; atque inter illa pericula quibus obnoxius eſt, nullum magis grave & adverſum, quódve palam & occultè magis eum offendat, ipſis venenis, quibus ſingulæ ferè herbulæ ſunt præditæ, quæque in ſingulis pænè metallis latent, & in ſingulis animalibus ſunt abdita, præter illa quæ hominum maliciâ adverſus ſemetipſum ſunt excogitata. Numeroſa ſunt iſta, quæ Natura in plantis, arboribus, lapidibus, animalibus abdidit, ne homo ob ſuam dignitatem ſuperbiat, ſed potiùs agnoſcat, vel herbulam poſſe ipſum offendere, & fructum, ſive lapidem, interficere. *Venena.*

Adverſus hæc omnia venena generatim & ſigillatim, Medici Græci, Arabes, & Latini ſcripſerunt efficacia remedia: inter quæ unum recenſent, priſcis temporibus valdè celebratum, ob ſingulares & admirabiles facultates, quibus adverſus omnis generis venena, & ſymptomata ex eis nata, præditum eſt: id autem eſt lapis *Bezaar*. Vt porrò tempus omnia in lucem proferre ſolet; idem etiam omnia abſumit & abſcondit: nam multis jam annis adeò hujus lapidis memoria tenebris fuit obruta, ut ejus nomen tam nobis ignotum eſſet, quàm qui apud Scythas vivunt populi. Ceterùm idem tempus, hujus lapidis memoriam tot ſæculis ſepultam compenſare volens, non modò eam denuò nobis detexit, ſed ſimul cum illâ nobis communicavit quandam herbam, venenis etiam adverſam, Scorzoneram appellatam, inſignibus facultatibus præditam, & paucos ante annos cognitam, magno noſtro commodo. *Lapis Bezaar.* *Scorzonera.*

Quoniam autem lapis *Bezaar* & *Scorzonera* æqualibus facultatibus ſunt donata, totque viribus pollent adverſus venena, utriuſque hiſtoriam ſimul connectere volui. Vt verò integram notitiam conſequamur, ad quæ vtilia ſint iſta duo præſtantiſſima medicamenta; initio de venenis tamquam præludio quodam operis nobis agendum. Dicemus itaque quid ſit Venenum, quibus notis deprehendantur qui venenum hauſerint, quibus remediis curentur, & quâ ratione à venenis præſervari poſſint: nam hæc primùm explicanda, antè quàm de lapide *Bezaar* & herbâ Scorzonera commentemur.

VENENVM eſt, quod per os ſumptum, aut foris applicatum, humanum corpus expugnat, vel adversâ valetudine illud afficiendo, aut id corrumpendo, aut ipſum necando. Id autem conſiſtit in harum quatuor rerum unâ: vel in plantis videlicet, vel in metallicis, aut in animalibus, aut mixtis: & ſuos effectus exerunt, aut manifeſtâ qualitate, aut occultâ proprietate, aut utriſque commixtis. Iſta venena ex parte nos jugulant: ex parte etiam illis utimur ad hominum utilitatem & ſalutem: atque ex parte ſimiliter utebantur veteres, tanquam remedio ad tollendos labores. *Venenum quid ſit.*

De his quæ generatim & particulatim ſunt nobis noxia, Dioſcorides lib. VI. Hiſtoriæ ſtirpium exactiſſimè ſcripſit. Idem fecerunt alii Græci, Latini & Arabes; quos conſulere poterit, qui magis exactam de his notitiam adquirere volet. Conſcripſerunt illi multa antidota

antidota & medicamenta, quibus singuli munire se poterunt adversus venena: etenim valde magna est humana malitia,& plurimi vel ob proprium commodum,vel ob vindictæ cupiditatem, veneno offendere, & tollere tentârunt, non modò plebeios homines, sed etiam Imperatores, Reges, Pontifices, atque magnos Principes, qui, quò majore in gradu sunt constituti, tantò majoribus periculis sunt obnoxii.

Hoc metuentes plerique è Veteribus præclari viri, multa variaque medicamenta composuerunt, quorum usu munirentur, ne venena illis propinata nocere possent. Quemadmodum comperimus Imperatorem Marcum Antonium fecisse, qui adversus venena, singulis diebus manè pauxillum Theriacæ sumebat; & Mithridatem, qui suam interdum confectionem Mithridaticam, nonnunquam aliquot rutæ folia, juglandes, & ficus: sic etiam utebantur similibus aliis medicamentis, ne venena, si præberentur, eos offenderent. *Theriacá.* *Mithridatiũ.*

Vtvntvr alii venenis, ad curandas multas ægritudines: quemadmodum Medici, ad expellendos & evocandos humores superfluos & redundantes in humanis corporibus; id autem fortiter peragi nequit, quin vis Naturæ inferatur: nam purgantia medicamenta venenatâ qualitate non carent: verum quidem est, ea præparari & corrigi, nihilominus quidpiam veneni retinent, quod fortem illam vim purgatricem generat.

Venenorum usus etiam in cheirurgicis receptus est: iis enim impuram carnem in ulceribus corrodunt; &, ubi necessarium est, cauterii vicem præstant.

Sed & Alexipharmaci usum præbent venena: nam argentum vivum gestatum, pueros à fascinatione præservat, & sublimatum à peste liberat. Novi enim quendam in xenodochio, peste correptorum curam agere solitum, qui sublimati fragmentum supra cordis regionem gestans, numquam simili morbo correptus fuerit. *Venena etiam Alexipharmaci vicem præstant.*

Plerique olim Ethnici venenis usi sunt, ut se à crudeli, quam expectabant, morte, aut ignominiâ, servitutéve liberarent. Veluti Demosthenes prævertit crudelem mortem & ignominiam quæ illi parata erat, sumpto veneno, quod cannulâ inclusum, ponè autem sub capillis perpetuò gestabat. Idem egit Democritus, hausto, quod in annulo gestabat, veneno. Idem etiam Hannibal à Romanis profligatus & victus: tum etiam Cleopatra, ne ab Augusto in triumphum duceretur: atque alii multi, qui sponte sumpto veneno potius sese necârunt, quàm ab aliis illatam mortem ferrent.

Primaria signa quibus dignoscuntur qui venenum hauserunt, sunt, si quis illicò post cibum aut potum magnam gravedinem toto corpore sentit & magnam nauseam: cumque ex ipso ventriculo teter odor & sapor exhalant, quando cum difficultate sese movere potest, & frequenter oscitat, facies colorem nunc pallidum, modò lividum, aut terrestrem contrahit, quibus coloribus etiam inficiuntur ungues, labra, & reliquæ corporis partes: cùm adeo est inquietus, ut neque pedibus consistere, neque jacere queat, sed humi se volutat, cor magnis anxietatibus affligitur, & deliquia patitur: admodum nauseabundus est, nec quicquam vomere potest: oculorum albumen, sive cornea tunica sanguineum colorem contrahit, & inflammatur; torvum intuetur: pulsus inordinatus, & etiam respiratio: atque inprimis rigor universum corpus occupat, præsertim autem extremas partes, idque secundum veneni, quod haustum est, qualitatem. Nam si venenum frigidum fuerit, universum corpus frigescit, præsertim pedes, manus, & facies; frigoreque delectatur, attonitus & quasi stupidus evadit. Sin autem calidum fuerit venenum, siti torquetur, atque summo ardore intrinsecus corripitur, ut torreri videatur. *Veneno infectorum indicia.*

Ceterùm ad faciliùs dignoscendum venenum, diligenter consideranda sunt quæ evomuit æger, ut ex colore judicari possit, quale sit venenum: singula enim peculiarem habent colorem. Agnito hac ratione, sive ex relatione, sive ex indiciis, veneno, per ejus contrarium cura molienda, ad extinguendam & tollendam ejus malignitatem: de quibus remediis veteres omnes Medici abunde scripserunt, tam generatim adversus omnia venena, quàm sigillatim adversus singula: peculiare enim habent singula contrarium, quo corrigitur ejus malignitas. *Veneni dignotio.*

Pessima signa in veneno infectis sunt, frequentia animi deliquia: oculorum inversio & inflammatio, linguæ tumidæ & nigræ exertio, pulsus debilis & formicans, frigidus sudor universum corpus occupans, præsertim extremas ejus partes, & pectus: si sumptis quæ vomitum cient rebus, vomere nequit: si perturbatum sit cerebrum, quod peculiare est in omni genere veneni, sive hausto, sive ab ictu virulenti animalis illato, in tantum ut amentes & quasi furentes evadant, quod lethale est indicium.

Vt autem meliùs agnosci queat quale fuerit venenum, observandæ sunt cibi & potus reliquiæ, ut conspici queat quid illis admixtum fuerit, quod ex colore, odore, gustu deprehendetur: aut si cuipiam animali obiiciantur, nempe cani, feli, gallinæ, quæ symptomata inducent, observandum: nam si mœstum erit, indicium, cibum infectum

 fuisse,

fuisse, si verò moriatur, venenum validum fuisse, certum est indicium.

Cura. Deprehenso veneno: ante omnia provocandus est vomitus, quo nihil utilius, ne venenum per venas & arterias dispergatur, & ad cor penetret: nam si eò pervenerit, solus Deus medelam adferre potest. Quapropter illicò ciendus vomitus, ut venenum eiiciatur, antequàm è ventriculo transeat: id autem fit digitis in guttur immissis, aquâ calidâ haustâ, &, quod magis vulgare est, epotâ tantâ quantitate olei dulcis, ut plenus fiat ventriculus, faciliusque reiiciatur quidquid in illo continetur: retinendum verò aliquanto tempore, deinde immisso digito, aut pennâ vomitus provocandus; idque repetendum, donec intelligamus omnem cibum & potum qui damnum attulit, rejectum esse. Si porrò oleum vomitum non ciebit, alia medicamenta vomitum excitantia danda erunt, à debilibus auspicando, qualia sunt, anethi, chamæmeli decoctum, raphani semen & similia, additâ (si opus fuerit) agarici drachmâ: nam præterquam quòd valenter vomitum ciet, peculiarem facultatem habet veneni vim infringendi. Nonnulli tamquam magnum arcanum, aquæ stillatitiæ florum mali aurantii tepidæ quadrantem præbent: nam & vomitum provocat, & occultâ facultate veneni vim extinguit. Salubre autem est, medicamentis vomitum cientibus, venenis resistentia misceri, veluti Theriacam, Mithridatium, & ejusmodi alia, de quibus deinde agemus.

Aqua stillatitia florum Arantii.

Vitrioli oleũ. Nostro sæculo inventa est olei extractio, quod à Vitriolo nomen habet, quoniam ex solo atramento sutorio, sive vitriolo, elicitur, quo nunc nihil magis excellens agnoscitur ad expellendum venenum, ejusque malignam qualitatem extinguendam: sex enim illius guttæ ex aquâ cordiali sumptæ, vomitu venenum expellunt, ejusque malignitatem tollunt. Sed non modò ad eam rem utile est hoc oleum: verùm etiam multis ægritudinibus confert, ut docet Evonymus, magnus chymista, & valde peritus in extrahendis medicamentorum liquoribus. Itaque, quisquis ægri, qui venenum hauserit, curam suscipiet, imprimis vomitum ciere debet; nam totius curæ id caput est.

Conradus Gesnerus.

Ejecto per vomitum veneno, dabuntur ægro medicamenta facultatem habentia extinguendi & tollendi malignitatem à veneno impressam ventriculo, & nobilioribus partibus: eamque ob causam inquirendum quale venenum æger hauserit, ut, illo cognito, illicò consulantur Dioscorides, Galenus, Paulus, Avicenna, & alii auctores, qui peculiaria remedia adversus singula venena tradiderunt. Quòd si venenum in intestina descenderit, ut vomitu reiici nequeat, lenitivis clysteribus utendum erit, qui per secessum eiiciant venenum quod ad eas partes penetravit.

Veneni calidi indicia. Si non constet quale venenum sit haustum, subsequentia symptomata observanda erunt an ex calido veneno oriantur, qualia sunt faciei inflammatio, ardor internus, punctiones per universum corpus, oculorum rubor, unguium tumor, sitis ingens cum calore, ardore & punctionibus in ventriculo: tum enim certum erit calidum esse venenum, & propterea præscribenda esse remedia quæ venenis valde adversa sunt, & noxium illum calorem interioribus partibus infixum tollant, medicamenta valde frigida & cordialia cum bezaardicis medicamentis propinando, illaque supra nobiliores partes foris applicando; & cibus dandus facilis concoctionis bonique alimenti, temperatus rebus frigidis cordialibus, quæ veneni malignitatem extinguant.

Cura.

Veneni frigidi indicia. *Cura.* Si verò symptomata indicent frigidum fuisse venenum; ut somnus profundus, stupor lethargi instar, membrorum rigor, faciei pallor: tum, præter bezaardica medicamenta, calefacientia danda sunt, quæ frigus internum & externum tollant, corpus & nobiliores partes fovendo medicamentis ad eam rem convenientibus, & utendo variis diversionibus & calefacientibus remediis, quæque veneni malignitatem extinguant, ac cibum ejusdem facultatis administrando. Præbenda itaque remedia ad morbi ex sumpto veneno orti curam pertinentia, non neglectâ præcipuâ intentione, quæ est, ut veneni malignitas medicamentis & remediis infrà tradendis tollatur.

Venenum à tota proprietate. QVANDO æger ignorat quale venenum hauserit, nec symptomata id indicant, credendum est ex illorum esse genere, quæ totâ proprietate noxia sunt, eaque omnium maximè perniciosa. Tunc major cura necessaria est: vomitus ingens, ut dictum est, provocandus, &, si, in intestina penetravit, lenitivo clystere alvus eluenda, deinde ægro medicamenta præbenda, quæ totâ proprietate venenis resistunt, Bezaardica appellata, quibus semper utetur in cibo & potu; partesque nobiles internè & externè roborandæ: cibis insuper utendum multi alimenti, expressione aut aliâ ratione præparatis; quibus alexipharmaca admiscebuntur, de quibus postea acturi sumus. Ista autem cura non modò in ægris, qui occultum venenum sumpserunt, adhibenda, sed etiam in his qui veneno cognito infecti, quod suâ qualitate noxium est: nihil enim naturam æquè prosternit & debilitat atque venenum.

Cura.

MVLTA

MULTA porrò sunt medicamenta peculiarem facultatem adversus venenum habentia: quorum nonnulla simplicia, alia composita. Quoniam autem in utroque genere varietas est, de iis quæ magis usitata, & frequentiore experientiâ probata sunt, agam.

Inter composita, præcellit Theriaca Andromachi, quæ, si rectè composita fuerit, inter ea quæ adversus omnis generis venena præscripta sunt, primas obtinet: & licet ad legitimam illius confectionem nonnulla desiderentur, si tamen diligenti curâ conficiatur, mirabiles effectus præstare experimur, non modò cum proprio liquore stillatitio sumptam, sed etiam virulentorum animalium puncturis & morsibus impositam, imò etiam tumoribus pestilentialibus. Mithridatium etiam in hoc morbo nobile est, & interdum Theriacæ vicem præbet. E citriis malis & Smaragdis paratæ confectiones, miraculosæ sunt in omni genere veneni. Terra sigillata adhuc præcellit, præsertim in febribus malignis. Theriaca diatessaron venenis frigidis convenit, inprimis rabiosorum animalium morsibus. Sunt & alia multa medicamenta composita, venenis resistendi facultatem habentia: sed jam enarrata reliquis præstant, & experientiâ magis comprobata sunt. *Medicamenta composita veneni resistentia.*

VARIA sunt etiam simplicia medicamenta; Sed omnibus antefertur Lemnia illa terra à veteribus adeò celebrata, præsertim à Galeno; quam ut solummodo observaret, quâque ratione illam Sacerdotes pararent, in Lemnon insulam, nunc Stalimene dictam, navigare non piguit: nec medicamentum simplex illâ præstantius agnoverunt Græci. Dictamnus legitimus in Creta insula crescens, ad quem capræ à sagittis toxico illitis vulneratæ confugiunt: nam illum depascentes liberantur. Scordium, quod adeò insigni facultate prædictum est, ut à corruptione liberet; idque deprehensum ex corporibus in acie cæsis: quæ enim supra hanc plantam ceciderant, sine putrefactione aliquâ diu incorrupta remanserunt, quæ verò supra scordium non ceciderant, valde corrupta & immutata reperta sunt. Citri semen insigniter utile adversus venena, teste Athenæo, qui longam de ea re narrationem instituit. Eandem facultatem obtinebit Arantiorum Citro insertorum semen. Os ex corde cervi valde etiam efficax est adversus venena, & syncopen. Idem præstat ebur, quod præter virtutem alexipharmacicam, admirabilem vim in ictero habere, frequenti experientiâ comperi. Omnes gemmæ simili dote sunt præditæ, inprimis Hyacinthus, uniones, & omnium maximè Smaragdus, cujus grana decem sumpta, omnibus venenis prosunt, & morbis contagiosis, præsertim in virulentorum animalium morsu & puncturâ, & dysenteriâ, malignisque febribus. Nihil verò præstantius comperimus legitimo unicornu, de quo pauca sunt tradita: solus Philostratus in Apollonii vitâ, venenis adversari scripsit: recentiores autem plura tradiderunt: sed multum interest ut sit legitimum, quia frequens adulterinum reperitur. Quendam Venetum in hac urbe vidi ingens fragmentum habentem, quod quingentis aureis coronatis æstimabat, quique, me præsente, ejus præstantiæ periculum fecit in binis gallinaceis pullis, eorum cristas, filo toxico illito traiiciens, uni ex pullis pauxillum rasuræ unicornu cum paucâ aquâ vulgari dedit, alteri nihil propinavit, qui post horæ quadrantem periit; cui unicornu datum fuit, biduum vixit, nec cibum gustare voluit, tandem prorsus tabidus extinctus est. Credibile est, homini propinatum, futurum ut non moreretur, quia meatus ampliores habet ad expellendum à se venenum; deinde alia remedia dari potuissent, quibus (addito unicornu) liberari quivisset. *Simplicia medicamenta veneni resistentia.*

Ex omnibus istis medicamentis pulverem conficio, qui & manifestâ qualitate, & occultâ proprietate magnæ efficaciæ est adversus omnis generis venena, & pestilentes aut malignas febres, vel ubicunque humor aut venenosa materia insidet.

Id recipit Lemniæ terræ aut boli armeni nostri [*Hispanici videlicet*] præparati pondus æquipollens tres regales argenteos Hispanicos, seminis citri, scordii, dictamni, unionum præparatorum, singulorum pondus duorum regalium, ossis de corde cervi, eboris, singulorum pondus unius regalis, unicornu & lapidis Bezaar (si haberi queant) pondus viginti granorum: omnia in tenuem pulverem reducuntur, & decem auri folia admiscentur. Hujus pulveris dosis est pondus dimidii regalis, cum aquâ, ad ægritudinem quæ curanda est, idoneâ. Per multos dies sumendus est hic pulvis jejuno ventriculo, miscendusque ægrorum cibis: magnarum enim est virium, ad tollendum veneni fomitem, ejus malignitatem reprimendam, cor partesque nobiliores roborando, & tollendam noxiam veneni qualitatem ipsis impressam. Vtilis etiam est in pestilentibus & malignis febribus: nam venenosam illarum qualitatem reprimit; quæ nisi tollatur, inanis est omnis cura. Dari etiam poterit iis qui à virulentis animalibus præmorsi aut icti sunt, ad extinguendam veneni malignitatem. Ceterùm licet hic pulvis tantâ vi polleat in his quæ diximus, magis tamen excellit lapis *Bezaar*, quia in illo consistunt omnes supradictæ facultates, occultâ quadam proprietate & cælesti gratiâ in illum infusâ adversus venena. Qui, si reperietur, præstantissimum est omnium remedium, ut in sequentibus demonstrabimus. *Pulvis insignis resistens venenis.*

Lapis Bezaar.

Lapidis nomina. VARIAS habet hic lapis appellationes: nam Arabibus *Hager* dicitur, Persis *Bezaar*, Indis *Bezar*, Græcis Alexipharmacum, Latinis Contra venenum, Hispanis *Piedra Contra veneno y desmayos*, hoc eſt, Lapis venena & animi deliquia curans. Conradus Geſnerus in Animalium quadrupedum hiſtoriâ, de Capra montana agens, ſcribit, hoc vocabulum *Belzaar* hebræum eſſe: nam Bel hebraicâ linguâ Dominum ſignificare, & *Zaar* venenum, quaſi interpretareris Dominum veneni: nec immeritò ſanè tale nomen obtinet, quandoquidem ita venenis reſiſtit, ut illa extinguat & tollat, non ſecus ac illorum dominus. Hinc fit, ut omnia medicamenta venenis reſiſtentia, *Bezaardica* per excellentiam nuncupentur.

Generationis varia ſententia. Iſte lapis in internis partibus cujuſdam animalis Capra montana appellati generatur: lapides autem in animalium corporibus generari, vulgare eſt, præſertim in homine, qui nullam corporis partem habet in quâ lapis non generetur: ſic etiam in avibus, piſcibus & reptilibus.

Plinius cap. IX. lib. XXVIII. Hiſtoriæ naturalis, cervos, ſpeluncas in quibus colubri & ſerpentes verſantur, adire ſcribit, quos ſuo anhelitu eliciant & vorent; idque facere vel ut ſe ab ægritudine quadam liberent, vel ut juveneſcant; diuturnæ enim ſunt vitæ. Arabes addunt ſerpentibus illis à cervo devoratis, lapidem *Bezaar* hac ratione generari.

In regionibus ad Orientem ſitis quadrupedes reperiuntur cervi appellatæ, qui æſtate virulentorum animalium (iſtic frequentium & valdè noxiorum ob regionis illius fervorem) cavernas & antra adeunt, eaque ſuo anhelitu educta proterentes, occidunt, deinde devorant: cumque ſaturi ſunt, feſtinanter ad aquoſa loca progrediuntur, totoſque ſe in aquam mergunt, præter anteriorem capitis partem, ut reſpirare poſſint: idque agunt, ut aquæ frigiditate ingens calor, quem devoratis noxiis animalibus conceperunt, temperetur, iſtic perſiſtentes nihil bibendo, donec ingens ille calor temperatus & ſublatus ſit. Dum autem in aqua hærent, in oculorum angulis generatur lapis, qui ex aquâ egreſſis decidens, in medicum uſum colligitur. Hæc, ut brevibus verbis comprehendam, ſcribunt Arabes. Ego verò ab illis qui ex Orientali Indiâ redierunt, quique Sinarum regionem ſuperârunt, hujus rei veritatem diligenter ſciſcitatus ſum, quæ ita ſe habet.

Animal lapidem Bezaar generans. IN Indiâ ſupra Gangem, quam Ptolemæus ab ubertate & opulentiâ adeò celebrat, certis montibus Sinarum regioni vicinis, animalia cervis valde ſimilia reperiuntur, cum magnitudine, tum agilitate & aliis notis, exceptis quibuſdam partibus, quibus cum capris magis conveniunt, ut cornibus, quæ, veluti capræ in dorſum reflexa habent, & corporis formâ, unde nomen illis inditum Caprarum montanarum; commodius tamen meâ opinione Cervi-capræ vocari poſſent, propter partes quas cum cervis & capris ſimiles obtinent. Iſtæ porrò Cervi-capræ in illa regione eadem agunt, quæ Plinius de cervis ſcripſit: ferarum enim antra ſubeunt, & ſuo anhelitu noxia animalia educunt & vorant, deinde ad loca aquoſa ſe conferunt, in quibus ſe mergunt, donec veneni vim extinctam eſſe ſentiant, ab aquæ potu prorſus abſtinentes. Deinde aquâ egreſſæ, multas ſalutiferas & inſignium facultatum herbas per arva depaſtum eunt, quas naturali inſtinctu venenis reſiſtere agnoſcunt: eaque ratione, naturalis caloris auxilio, ex veneno ab illis devorato & depaſtis herbis, virtute quadam ſpecificâ infusâ generationis tempore in internis ipſius animalis partibus & aliis cavitatibus magni & parvi lapides generantur, inter reliqua medicamenta venenis adverſa, nobis hactenus cognita maximæ admirationis & efficaciæ.

Ejus forma. EST autem illud animal (ex eorum relatu qui ex illâ regione redeuntes animal conſpexerunt) in quo reperiuntur iſti lapides, cervi magnitudine, & ejus quaſi formæ, binis duntaxat cornibus præditum latis, & extremo mucronatis atque in dorſum valde recurvis, breves pilos habens cineracei coloris cui admixta rufedo: in iiſdem montibus, aliorum etiam colorum reperiuntur. Indi, vel telis, vel laqueis, vel decipulis illa venantur & mactant: adeò autem ferociæ ſunt, ut interdum Indos etiam occidant, agilia præterea & ad ſaltum prona: in antris vivunt, gregatimque eunt: utriuſque ſexus, mares videlicet & feminæ inveniuntur, vocemque gemebundam edunt: lapides autem ex interioribus inteſtinis aliiſque cavis corporis partibus educuntur. Diligentes porrò ſunt Indi in illis venandis, ob ingens precium quo Luſitani mercatores, iſtic negotiantes, lapides redimunt, quos in Sinarum regionem transferunt, inde in Molucas, & ex Molucis Calecutium, ubi major eſt illorum negotiatio, & tam ingens precium, ut legitimus lapis quinquaginta coronatis aureis æſtimetur, perinde atque hîc.

Dum hæc ſcribebam, quoddam animal conſpectum ivi, huic (ni fallor) ſimile, quia

omnes notas habere mihi videbatur, quibus modò descripta prædita sunt. Est autem ex longinquis regionibus per Africam generoso Archidiacono Nebiensi delatum, magnitudine cervi, capite & ore cervino, agile instar cervi, pili & color cervino similes: corporis formâ capram refert; nam magno hirco simile est, hircinos pedes habens & bina cornua in dorsum inflexa, extremâ parte contorta, ut hircina videantur; reliquis autem partibus cervum æmulatur. Illud autem valde admirandum, quòd ex turre se præcipitans in cornua cadat sine ullâ noxâ, perinde subsultans & resiliens, atque pila vento plena. Vescitur herbis, leguminibus, pane, omnibusque cibis qui illi præbentur: robustum est & ferreâ catenâ vinctum, quia omnes funes quibus ligabatur rodebat & rumpebat. Præstolor donec moriatur aut mactetur, ut, an lapidem Bezaar contineat, observare queam.

Varia porrò est horum lapidum forma: alii enim ossiculi dactylorum instar oblongi sunt, alii castanearum formam æmulantur, alii rotundi tamquam orbiculi, alii columbarum ovis similes: unum habeo hœdi renem perfectè referentem: omnes autem utraque extremitate obtusi, non mucronati. Ut autem hi lapides formâ variant, sic etiam colore: nam reperiuntur spadicei, fulvescentes, plerique ex viridi nigricantes instar malorum quæ insana appellantur, Italis *Melanzane*, Hispanis *Verangenas*, plerique etiam felini coloris, hoc est, venis illis præditi, quibus distincti feles algaliam excernentes, saturi videlicet cineracei. Omnes legitimi ex laminis seu corticibus invicem amplectentibus, miroque artificio compositis, perinde atque ceparum bulbi, constant: suntque istæ laminæ adeò læves & splendentes, ut singulæ magnâ arte expolitæ videantur, imò etiam sublatâ exteriore laminâ, quæ subest multo splendidior conspiciatur; ex quâ notâ legitimus esse deprehenditur: cujus notæ periculum facere volens in eo quem possideo, illi externam laminam ademi, & proximè subsequentem splendidiorem esse animadverti. Sunt verò istæ laminæ vel crassiores vel tenuiores secundum lapidum magnitudinem. Tener autem est lapis hic, & alabastri instar radi potest, atque si diutiùs in aquâ hæreat, dissolvitur. Internè neque cor habet, neque corpus supra quod compositus sit, sed concavus est & plenus pulvere ejusdem cum lapide substantiæ, majorisque etiam quàm ille efficaciæ. Istaque primaria & præcipua nota est, lapidem esse legitimum, si eum pulverem contineat, quia adulterini illo carent. Duabus itaque dictis notis legitimus ab adulterino dignoscetur, si videlicet lævibus & quasi expolitis laminis constet, pulveremque internè contineat: quia adulterini neutrum habent. Nam quendam confringi vidi, ad observandum an legitimus esset, & laminis constaret: sed in centro repertum granum aut semen quoddam, supra quod Indus impostor lapidem formârat.

Lapidis formæ varietas.

Legitimi nota.

Primaria nota.

Guido de Lavazaris hujus urbis civis, qui universum orbem circuivit, & in Sinarum regione versatus est, mihi referebat Indos inveniri, qui ex massâ ipsis cognitâ adulterinos conficerent: verùm binas illas notas imitari nunquam potuisse, laminas scilicet & pulverem: addebat, pluris apud Indos æstimari, quàm apud nos, quia illorum auxilio multos morbos curant.

Andreas Bellunensis in libro quem de Lapidibus inscripsit, ex Tipthasi Arabe refert, lapidem Bezaarem metallicum esse, eademque ratione ex suis venis erui, quâ reliqui lapides, Adamantes, Rubini, Smaragdi, Achates: ejusdemque sententiæ videtur esse Serapio, cùm de hoc lapide verba faciens, ait. Vena hujus lapidis reperitur in Syriâ, Indiâ, & Orientalibus regionibus: sed utriusque opinionem erroneam esse, ipsa animalia Indorum venatorum diligentiâ capta è quibus educitur, tum facultatum manifesta experientia apertè evincunt, ut docebimus.

Erronea de lapide Bezaar sententia.

Serapio auctor est, suo etiam tempore hos lapides deprehensos esse adulterinos; scribit enim: Istorum lapidum aliqui nullam facultatem adversus venena obtinent, ut legitimi.

De hoc lapide nullam apud Græcos aut Latinos auctores mentionem reperio. Soli Arabes ejus meminerunt, & quidam Neoterici; eamque ob causam Arabes auctores, & Latinos Neotericos producam, qui de illo scripserunt.

Veteribus Græcis & Latinis ignotus.

Ex Arabibus nemo plura de hoc lapide scripsit, Serapione, viro in Medicâ arte valde perito, cap. trecentesimo & sexto, in quo multa de lapide Bezaar scitu digna explicat, quàm videlicet præstans sit, adversus omne veneni genus, cujuscunque tandem qualitatis sit, & adversus virulentorum animalium morsus & ictus: radicem enim & malignam veneni qualitatem corporibus impressam extinguit & prorsus tollit, eum à morte liberans qui illo utetur. In pollinem autem redactum dat, iisdemque viribus pollere ait, sive sorbeatur, sive ore retineatur. Nam sumptus, sudorem provocat, & venenum ad exteriores corporis partes expellit; additque, si quis sinistræ corporis nudæ parti applicatum gestet, nec à veneno, nec à perniciosâ aliquâ re offendi, quia propriâ facultate, quovis modo corpori applicatus, veneni vim arcet, & eo infectos sanat: idque non modò in illis præstare qui venenum hausissent,

Arabibus notus.

Serapio.

hausissent, sed quibus etiam vel in stapede, veste, epistolâ aut aliquâ aliâ re, quâ offendi possint, positum fuisset; valde utilis est, eodem Serapione teste, hic lapis ad virulentorum animalium morsus & ictus, haustio ejus pulvere: sudorem enim ciet, venenumque universum ad partes externas propellit. Hujus lapidis pulvis perniciosorum animalium morsibus & ictibus inspersus, valde efficax est: nam veneni malignitatem tollit; adeoque commendatur, ut etiam si vulnera ab hujusmodi animalibus inflicta putrescere & corrumpi incipiant, ea sanet: virulentis animalibus hic pulvis injectus, torpida reddit, & vires eis adimit; sique parti, quâ nocere solent, imponatur, etiamsi vulnera infligant, non sunt perniciosa, ut in scorpionibus experientiâ probatum, quorum ictus (parte quâ pungunt illo pulvere inspersâ) innoxii redditi sunt. Viperis autem & virulentis animalibus, si iniiciantur aliquot hujus lapidis grana cum aliquo liquore, ilicò intereunt. Hæc Serapio.

Razis. Razis, Galeni simia, vir inter Arabes multæ eruditionis, in suo Continente scribit, Lapidem Bezaar flavescere, tenerum esse, & insipidum, cujus bis periculum fecerit, & adversus Napellum, omnium venenorum perniciosissimum, compererit efficacissimum. Scribit insuper admirabiles facultates in hoc lapide observasse adversus omnis generis venena, quas in aliis Alexipharmacis non reperisset, sive simplicibus, sive compositis, ut Theriacâ, aliisque Compositionibus; quia major est hujus lapidis efficacia, quàm ullius alterius medicamenti. Idem affirmat in libris ad Almansorem scriptis. In venenis quæ cor offendunt, & totâ substantiâ noxia sunt, quàm inanis est cura, nisi lapis Bezaar sumatur? hic enim resistit: & addit. Ipse observavi, Napelli veneno, quod omnium maximè perniciosum, resistere.

Hamech Benreripho. Alius Mauritanus, valde eruditus & magnus Astrologus, Hamech Benreripho appellatus, qui de lapidibus sub cælesti aliquo signo aut planeta sculptis, & quibus facultatibus sint præditi scripsit, in eo libro quem de plantarum, lapidum, animaliumque in medicum usum receptorum viribus composuit, ait. Lapis Bezaar omnibus venenis resistit: præterea ejus pulvis sumptus singularem facultatem habet adversus scorpionum ictus; & sculptus gestatus, adversus virulentorum animalium morsus utilis est.

Abdala Narach. Abdala Narach, alius Mauritanus in Hispaniâ natus, vir in Medicâ arte peritus; Lapidem Bezaar, inquit, omnibus venenis adversum, apud Miramamolinum Gordubæ regem conspexi, cui venenum maximè perniciosum propinatum fuerat; sed lapide Bezaar sumpto, prorsus à veneno liberatus fuit: ejus deinde rei gratiâ suum palatium illi dedit à quo lapidem (quo sanitati restitutus fuerat) acceperat; regale profectò donum, quandoquidem Cordubense palatium, *Alcaçar* dictum, hodierno die valde insigne adhuc esse, magnóque æstimari videmus: isque lapis valdè commendatus esse debuit, qui tanto precio redemptus.

Avenzoar. Avenzoar medicus Mauritanus in Hispaniâ natus, municipio *Peñaflor* nuncupato, inter Cordubam & Hispalim, in suo Theysir scribit, quendam jam deploratum, ob valde noxium venenum devoratum, se liberasse propinatis tribus granis lapidis Bezaar ex aquâ cucurbitæ; quod calidum fuisse ex eo apparuit, quia sumpto lapide, ictericium colorem æger contraxit.

Averrois. Averrois medicus & summus philosophus, Hispanus, Cordubæ natus, in Colliget quod de Medicina scripsit, Lapidem Bezaarem maximè utilem esse ait adversus omnes noxiorum animantium morsus, præsertim verò scorpionum ictus.

Haliabas. Haliabas, tribus locis in quibus de venenis agit, lapidis Bezaar meminit, sed succinctè admodum; tenerum enim illum esse duntaxat dicit, deinde in aquâ atteri debere, quæ ægris veneno affectis propinanda sit.

Rabi Moses. Rabi Moyses Ægyptius, natione tamen Hispanus, medicus peritissimus, qui Galeni vestigiis prorsus insistit, cap. 111. Tractatus 1. lib. quem de venenis conscripsit, de medicamentis simplicibus, quæ conveniunt iis qui à virulentis animalibus præmorsi sunt, agens: Medicamenta simplicia, inquit, nobis communia, quæ magis utilia, & multorum experientiâ comprobata, referam. Horum è numero est Citri semen, &c. alterum est Smaragdus, ingens medicamentum adversus venenum, &c. Tertii meminit Galenus, quod est lapis Bezaar, ex quodam animali eductus, glandi similis, coloris subvirescentis, paulatim incrementum sumens; eamque ob causam laminis invicem complexis constans. Aiunt nonnulli in oculorum angulis vervecum quorundam generari, qui in Oriente repeniuntur: alii verò in eorundem vervecum fellis vesicâ inveniri; quæ sententia magis vera est. Alius est Bezaar metallicus in Ægypto variorum colorum, quem veteres in suis scriptis valdè celebrârunt: verùm istius lapidis nulla constat experientia; nam periculum feci, & nullam utilitatem adferre deprehendi: illius autem qui in prædictis animalibus reperitur, facultates multâ experientiâ comprobatas novimus. Præmorso à virulento animali

propi-

propinatus, aut vulneri inspersus, Deo auxiliante, eum curabit. Experientiâ constat, tria ista medicamenta, semen citri videlicet, Smaragdum, & lapidem Bezaar in animali generatum, omnibus veneni generibus resistere. Idem confirmat cap. IV. Bina autem magni momenti (præter facultates) recenset: nempe, hunc lapidem in fellis animalium vesicâ generari, quod rationi valde consonum (lapides enim in multorum animalium felle nasci videmus) alterum, quòd paulatim incrementum sumat, ut ex laminarum structurâ apparet.

Avicenna, vir adeo celebris, de hoc lapide nihil peculiariter scripsit, quemadmodum de multis aliis rebus solitus, qui tamen, cùm in Persiâ natus, civitate Baçorâ, ejus rei majorem notitiam habere debuisset, quàm Mauritani in Hispaniâ nati, qui adeò peculiarem ejus mentionem fecerunt: ejus duntaxat meminit cap. IV Secundi canonis, de medicamentis agens, quæ propriâ facultate venenis resistunt, in exemplum producens Theriacam & lapidem Bezaar, deinde utrumque inter ea recenset, quæ sanitatem conservant & spirituum efficaciam ut venenum à se propellere possint. Et cap. IV. Fen. VI. lib. IV. tum in V. tribus locis, adversus venena lapidem Bezaar celebrat: idem in curâ fellis viperæ, valde commendat: sed ii loci adeò breves & mutili sunt, ut defunctoriè & cursim duntaxat de illo agere videatur, & ea ex se non deprompsisse, sed ex Rasis octavo Tractatu. In eodem enim capite, lapidem Bezaar valde utilem esse dicit, si reperiri possit; unde apparet quantâ difficultate consequi illum licebat. Et in cap. de his qui Napellum sumpserunt: Lapis, inquit, vocatus Bezaar, colore flavus, purus, & probatus; ad distinctionem videlicet adulterinorum, qui etiam illo tempore reperiebantur. *Avicenna.*

Hi sunt veteres Auctores Arabes, quos de lapide Bezaar scripsisse comperio, iique non pauci, qui suo tempore illius notitiam habere debuerunt, propter commercium quod Maroci Reges in Indiam Orientalem exercebant, præsertim autem in Persiam, per quam merces & alia magni precii ex Indiâ adferebantur. Id mihi affirmavit vir illustris, qui multo tempore Regis Lusitaniæ vicarius in Indiâ fuit, hujusque lapidis notitiam, & quâ ratione ex animalibus extrahebatur, quaque formâ præditus, consequutus est, quod magnam lucem mihi attulit in his quæ scripsi. Ipse autem illius lapidis periculum fecit, & ejus facultates à multis aliis feliciter exploratas vidit. Ego verò in illo ipso viro, unius, quem possidebat, omnium quos unquam viderim maximum & præstantissimum, periculum feci in longo & difficili morbo, quo correptus fuerat, mœstitiâ anxietateque accedente; sibi enim venenum propinatum esse metuebat. Meo consilio per plerosque dies manè tria grana pollinis hujus lapidis Bezaar ex buglossi stillatitio liquore sumpsit, & plenè liberatus est.

PLURIMI neoterici medici, lapidis Bezaar meminerunt, & eum in suis libris adversus omnis generis venena, variosque alios morbos valde extollunt: quidquid verò à singulis scriptum reperiemus, in medium proferemus. *Neoterici.*

Matthiolus Senensis, vir doctissimus, suis in Dioscoridem Commentariis lib. VI. enumerando medicamenta quæ propriâ facultate venenis resistunt, lapidi Bezaar magnas facultates tribuit, illumque reliquis medicamentis venenum profligantibus anteponit, & ferè ea recenset, quæ ex Arabibus in medium attulimus. *Matthiolus.*

Andreas Lacuna Segobiensis, quem docti viri Galenum Hispanicum appellârunt, commentariis quos Hispanico idiomate in eundem Dioscoridis lib. VI. scripsit, refert quàm admirabile sit lapis Bezaar remedium adversus omnis generis venena, virulentorum animalium morsus, & epidemicas malignasque febres: efficacem etiam esse in Epilepsiâ, calculum è renibus eiicere, & pollinem ex vino propinatum, calculum in vesicâ comminuere. Hunc etiam lapidem in montanis quibusdam Persiæ capris generari refert, legitimumque, lævem, splendentem, squamosum, & friabilem esse debere, coloris præterea ejus mali quod insanum vocant, valdeque celebre esse medicamentum, inter Principes & illustres viros, ad ea quæ jam relata sunt. *Andreas Lacuna.*

Valescus de Tarento, percelebris suæ ætatis medicus Mediolanensis, Tornamiræ discipulus, libro VII. Praxeos, hunc lapidem Bezaar valde prædicabat contra venena & alios morbos, ob ejus insignes facultates suâ ætate experientiâ comprobatas adversus venena. *Valescus de Tarento.*

Sanctius Ardonius de Pisauris, medicus Italus, in libro quem de venenis composuit, lapidem Bezaar valde commendat, omnibusque medicamentis simplicibus & compositis veneno resistentibus, aut virulentorum animalium morsus curantibus præfert: idque multâ & longâ experientiâ se observasse ait. *Ardonius de Pisauris.*

Amatus Lusitanus, vir nostrâ ætate eruditus, qui (dum hæc scriberem) Ragusæ vivebat, Commentario in lib. II. Dioscoridis de genitali cervi agens, perdoctè de lapide Bezaar scribit, ut vir Lusitanus, & qui multa à suis civibus ex Indiâ reducibus intellexerat. *Amatus Lusitanus.*

Lapis,

Lapis, inquit, Bezaar glandem formâ refert, coloris cinericii, subobscurè ad cæruleum tendentis, ex multis laminis constans; ideò Bezaar vocatus, quòd præstantissimum sit adversus omne venenum remedium. Ex animalium cervis similium, quæ montanas capras appellant, internis partibus in Indiâ eruitur: ejus tria grana ex aquâ stillatitiâ florum arantiorum, Hispanis *agua de azahar* nuncupatâ, propinata, præstantissimum sunt remedium adversus omne venenum, ex aquâ verò oxalidis seu acetosæ, epidemicas febres curant, earum malignitatem extinguendo: cum stillatitiâ portulacæ aquâ, vermes, si febris adsit, necant; si nulla febris conjuncta, ex vino. Præterea pervicacem lateris dolorem se cum illo curasse ait, etiam si maligna qualitas admixta esset. Toxico infectis datus cum medicamentis vomitum procurantibus, cum vomitu venenum expellit; iis autem qui vomitu rejecerunt, per sudorem aut alvum educit. In febrium paroxysmo datus, à febre (sudorem excitando) plerumque liberat. Curâ LXXIV & LXXXIII Centuriæ tertiæ, ad epidemicas febres sanandas, lapidis Bezaar tria grana ex aquâ ad eum morbum accommodâ dari scribit; veneni enim malignitatem in similibus febribus extingui, idque remedium esse præstantissimum. Apud Indiæ porrò Reges hunc lapidem magno in pretio haberi; Id autem verum esse apparet, quandoquidem in primâ illâ expeditione, Rex Cochin inter reliqua pretiosa dona, maximi muneris loco, lapidem Bezaar nuce avellanâ paullo majorem, Regi Lusitaniæ misit, qui (intellectâ ejus insigni facultate) valde æstimatus hîc fuit: isque lapis omnium primus à Lusitanis fuit in Hispaniam illatus: postea autem plures inde retulerunt, conspectis magnis curis quas Indi cum eo lapide agebant. Sed etiamnum hodierno die, cum adamantibus, rubinis, aliisque preciosis mercibus, quas ingenti pecuniæ summâ vendunt, adferre solent.

Nicolaus Florentinus. Nicolaus Florentinus, inter eos qui illâ ætate vixerunt, vir maximæ eruditionis, sermone quarto, tractatu quarto, capite nono, Lapidem Bezaar valde celebrat, eaque omnia dicit, quæ Averrois & Serapio, nihil de suo promens, quemadmodum nec in reliquis omnibus quæ scripsit.

Ioannes Agricola. Ioannes Agricola Ammonius, Germanus, qui de nostri temporis simplicibus medicamentis scripsit, libro secundo de Lapide Bezaar agens, efficacissimum prorsusque divinum esse adversus venena medicamentum, tum etiam in virulentorum animalium morsu, dicit.

Hieronymus Montuus. Hieronymus Montuus, Henrici Galliæ Regis medicus, tractatu de Cheirurgicis remediis, inter medicamenta venenis resistentia, primarium locum lapidi Bezaar hac nostrâ ætate tribuit; multâque experientiâ id observasse in multis illustribus viris, scribit.

Antonius Musa. Antonius Musa Brasavolus, Ferrariensis medicus doctissimus, in eorum quæ supra Mesue antidota scripsit, prologo, Historiam narrat quæ Ferrariæ accidit multis veneno infectis: rejecto enim veneno liberatos fuisse ait, vitrioli oleo, & lapide Bezaar sumpto.

Petrus de Abano. Conciliator, Petrus de Abano nuncupatus, Patavinus, vir suâ ætate valde doctus, Tractatu de venenis cap. LXXXI. Bezaar, inquit, antonomasticè vocatur à certo lapide Bezaar appellato, cujus peculiaris facultas venenis lethalibus resistendi: statim enim liberat absque alterius antidoti, ulliúsve medici auxilio: & sic per excellentiam dicitur Bezaar omne medicamentum, à veneno, morte, aût gravi aliquo morbo liberans: quisquis autem istum lapidem gestârit, ab omni lethali morbo securus esto. Insuper Edwardum Angliæ Regem, isto lapide liberatum fuisse à venenoso lethalique vulnere, quod Sultanus acinace toxico illito ipsi inflixerat, in acie apud Acaronem civitatem, transmarinâ illâ adversùs Mahumetanos expeditione: nam cùm nunc esset morti vicinus, propinatum illi fuisse lapidem Bezaar, à Templariorum summo Præfecto, ordinis tum magnæ existimationis, valdeque opulenti: addit præterea, se alium lapidem conspexisse lævigatum, rasibilem ut gypsum, pulverulenti coloris, magno æstimatum.

Conradus Gesnerus. Conradus Gesnerus Tigurinus, libro quem de animalibus quadrupedibus conscripsit, de capra agens, lapidem Bezaar valde celebrat adversus omne venenum.

Sunt & alii Auctores qui hujus lapidis meminerunt, sed breviter admodum, & illum adversus venena in genere & particulatim duntaxat prædicant, quorum nomina non recenseo, quia jam enumerati sufficiunt ad conciliandam auctoritatem apud eos, qui illo uti volent.

Ex ipsâ experientiâ Historiæ aliquot. Exemplum I. NUNC superest, ut quæ de ipso experientiâ comperi, in medium adferamus, ad confirmandam ejus & admirabilis illius efficaciæ auctoritatem: ut agnosci possit, ea, quæ supradicti auctores scripserunt, manifestis exemplis comprobata esse.

Decimus quartus jam agitur annus, quòd Illma Dux de Bejar à Domino Ioanne Manrique admonita fuerit, in aulâ frequentem usum esse Lapidis Bezaar, adversus animi deliquia: erat autem Ill^mæ huic feminæ filius isti morbo ab ineunte quasi ætate valde obnoxius: cumque

cumque illius salutis admodum cupida esset, singulare aliquod remedium requirebat; cùm ordinaria medicamenta, quæ à doctissimis medicis præscripta fuerant, nihil profuisse animadverteret. Intelligens ergò, quantæ efficaciæ esset lapis Bezaar, negocium mecum communicat: valde insolens mihi id visum est, quia illius nullam aliam notitiam habebam, præter eam quam in libris scriptam compereram; sed neque existimabam, in his regionibus reperiri: eam ob causam illam submisse oravi, ut in illo adquirendo omnem diligentiam adhiberet; mihi enim cara erat illius adolescentis salus, ob insignes ejus virtutes, & multam in omni scientiarum genere, atque in omnibus aliis rebus Illustri viro necessariis doctrinam: tum etiam ut lapidem maxime à me desideratum conspicerem. Allati tandem sunt Vlyssipona, Genuensis cujusdam operâ, bini lapides probi auro inclusi, ossis dactyli magnitudine, paullò tamen crassiores, colore præditi ex viridi nigricante, instar malorum quæ Insana appellantur. Itaque communi consensu statutum est, ut corripiente illum inopinanter animi deliquio, lapis illi præberetur. Vespere quodam in syncopen incidit; illicò secundum ordinem in aulâ consuetum tria pollinis unius lapidis grana in stillatitii liquoris buglossi sufficienti quantitate dissoluti in os ejus apertum injecta sunt, quæ cum difficultate deglutiit. Deinde, quanto tempore ad symbolum apostolicum bis recitandum necessarium opus fuisset, tam facilè animi deliquium ipsum reliquit, ac si illo correptus non fuisset. Perspectâ tam insigni lapidis facultate, magnâ in æstimatione illum habuimus; præsertim cùm observaremus, quotiescumque daretur lapidis pulvis, illum tantâ facilitate ab animi deliquio liberari: nam manifestè apparebat, pulvere non exhibito, animi deliquium longo tempore durare, & cum difficultate ab eo plenè liberari; dato autem pulvere, subitò & facilè ad se redire, perinde ac si nullum passus esset animi deliquium. Illustrissima itaque Dux semper in marsupio eam pulveris quantitatem gestabat, quæ pro unâ dosi necessaria erat, ut, corripiente illum animi deliquio, faciliùs propinari posset, & ipse breviore tempore liberaretur. Illud etiam accessit commodi, quòd postquam pulvere uti cæpit, adeò frequenter syncope molesta non fuerit. Hac re consideratâ, Ill^{mæ} Duci dixi, ex medicorum præceptis, ea medicamenta quæ morbum aliquem curant, posse etiam præservare, ne in illum incidamus; eamque ob causam, commodum mihi videri, si singulis diebus manè pulverem sumeret; fieri enim posse, ut continuo illius usu, vapor cerebrum subiens, qui ex venenosâ & malignâ aliquâ qualitate generatus erat, absumeretur, & lapidem, malam illam qualitatem extincturum, vaporemque ex universo corpore aut ex peculiari aliquâ corporis parte ascendentem, absumpturum, &, sublatâ mali radice atque origine, ipsum liberum futurum. Id igitur factum; dataque sunt illi singulis diebus manè jejuno ventriculo tria pulveris grana, ex Buglossi stillatitio liquore. Deo porrò favente, adeò efficax fuit id medicamentum, ut ab illo die quo uti cæpit usque ad ejus interitum, animi deliquium nunquam illum corripuerit: pluribus autem quàm decem pòst annis alio morbo extinctus est; per sex verò continuos menses, nullo die intermisso, pulvere usus est.

Deprehensâ tantâ adeoque manifestâ lapidis efficaciâ: cùm nobilis adolescens femina, cui nomen Maria Cataño, multo tempore animi deliquiis afflicta fuisset, &, licet magni medici medicamenta illi præscripsissent, tales syncopes interdum pateretur, ut decem aut duodecim horas durarent, easque singulis pænè diebus; jamque adeò imbecillis esset, ut multo tempore lectulo non surrexisset, evocatus sum ad illam: animadvertens autem medicamenta ab aliis præscripta nihil opis attulisse, relictis vulgaribus remediis, quibus alii medici multis annis usi fuerant, Vlyssipone Lapidem Bezaar adferri jussi; atque ipsi, prius purgatæ, lapidem ordine quo decet exhibui: ex illo tempore quo uti cæpit, in hunc usque diem (jam plures sunt quàm duodecim anni) nunquam animi deliquium passa est: lapidem autem integrum dactyli magnitudine absumpsit. *Exemplũ II.*

Eo tempore Licentiatus Ludovicus de Cueva, vir in sua arte doctus, venenosum quidpiam imprudens sumpserat; atque ilicò adeo gravia symptomata sunt subsequuta, ut brevi moriturus videretur: & licet medicamenta vomitum cientia, Theriaca, aliaque remedia venenis resistentia illi administrata essent, ad eum accersitus, adeò ægrum deprehendi, ut ejus salutis exigua spes esset. Animadvertens autem venenum ejus morbi occasionem esse, & quàm inutilia fuissent medicamenta illi exhibita, ipse requisitum ivi lapidem Bezaar, quem nullibi reperi præterquam apud supra memoratam Dominam Mariam Cataño, cui duntaxat interior pulvis restabat, sex fortè grana pendens: pulverem ab ipsâ acceptum in duabus chartulis reposui, magnâ lætitiâ affectus, me remedium ei, qui tantopere illo indigebat, reperisse: ad eum regressus, magis afflictum reperi, quàm quispiam existimare posset. Ilicò tria pulveris grana quæ attuleram chartulæ involuta, cum aquâ stillatitiâ buglossi propinavi; atque intra temporis spatium, quo symbolum Apostolorum ter recitari posset à pulvere sumpto, manifestè symptomata, angustiæ, & animi deliquia miti- *Exẽplum III.*

Bbb gari

gari, & cessare cœperunt, sicut sub noctem jam meliusculè haberet, & liber à mortis periculo (cui adeò vicinus fuerat) esset, & postridie sanus appareret; plurimum tamen per multos dies afflictus, ob præcedentia symptomata.

Exemplum IV. Eodem Licentiato Ludovico de Cueva ad venationem cum nobili viro profecto, unus è famulis aquam bibit è lacunâ stagnante valdè corruptâ, & venenosis animalibus plenâ; atque statim adeò afflictum se sensit, ut loco se movere nequiret, intumescente alvo & reliquo corpore, magnisque angustiis pressus & animi deliquiis, vomens & sudans, ut transversim equo impositus, in proximum pagum vehendus esset: adhibitis autem quibusdam remediis, datus & lapis Bezaar, quem nobilis ille vir gestabat in similes eventus: fuit autem pulvis ille adeo utilis, ut postridie cum suo hero proficisci posset.

Exemplum V. Puellula quædam venenosum quidpiam edit, ex quo subsequuta sunt gravia admodum symptomata, qualia inducere solent venena: cùm autem medica remedia nihil prodessent, *Lapidis utilitas in plerisque aliis morbis.* auctor fui, ut Lapis Bezaar daretur; & statim convaluit. Epilepticis etiam pueris præscripsi, quorum plurimis valdè profuit. *Epilepsiâ.* Deinde his qui à vermibus infestantur; in quibus admirabilis est efficaciæ: nam eos expellit, & à symptomatibus liberat quæ parere solent. *Vermibus.* Idem præstat, quocunque in morbo materia aut humor inest venenosus. *Peste.* In nullâ autem re magis manifesta apparet ejus efficacia quàm in peste: cùm enim in Germaniâ pestis valdè grassaretur, quotquot lapidem Bezaar sumpserunt, plurimum illis profuisse, liquidò apparuit. Ejus autem factum est periculum in Xenodochio quodam, in quo erant peste correpti: duobus propinatus est lapis, aliis minimè; qui sumpserunt, liberati sunt, reliqui duo extincti fuerunt. Tum multis istâ lue correptis exhibitus est, quorum nonnulli binos carbunculos, alii tres haberent; qui omnes liberati sunt. Hujus exempli testes fuerunt multi magni nominis & nobiles viri, tum etiam plebei.

Mœrore & Melancholia. In mœstitiâ & melancholiâ valdè etiam utilis est hic lapis. Imperator Carolus V. felicis memoriæ, in hunc effectum sæpe sumebat; atque etiam sumpserunt plurimi qui sine manifestâ causâ tristes sunt & anxii, quia tristitiam adimit, & alacres reddit qui eo utuntur. Multos admodum anxios, & animi deliquio afflictos melancholicosque vidi, qui sumptis hujus lapidis tribus granis ex aquâ buglossi, sine difficultate liberati sunt. *Febribus epidemicis.* In malignis & epidemicis febribus, admirabiles sunt ejus vires, quia malignitatem tollit, & veneni qualitatem extinguit; quod inprimis medico procurandum est: nam nisi primùm ea tollatur, frustranea est omnis cura. Plerique pestis tempore hujus lapidis fragmentum in ore gestare solent, tum quando à veneno, aut venenosâ aliquâ materiâ sibi metuunt. Valdè etiam utilis est aqua, in quâ maceratus est hic lapis, iis qui pestilente aut malignâ febre correpti sunt.

Maligna febre. Nobili cuidam omnes famuli malignâ febre (quam Hispani *modorra* appellant) correpti fuere: lapidem Bezaar in aquæ pleno cantharo maceravit, de hac aquâ omnes ægros bibere jussit, qui deinde à morte liberati sunt. Eam ob causam multi in aquâ quam bibere debent, assiduè hunc lapidem tenent, dum ægri sunt, quia ad tollendam febris malignitatem utilis est, & cor roborat. Neque solummodo efficax est hic lapis in rebus noxiis & venenis: verùm etiam in aliis morbis, ut experientia demonstrat. *Vertigine & Obstructionibus.* Nam & in vertigine & in obstructionibus valdè prodest; quod hac ratione deprehensum est. Monacha quædam animi deliquium & obstructiones patiebatur; sumpto lapide ad curandam syncopen, simul ab obstructionibus libera evasit; mensesque, qui diu obstructi fuerant, copiosè fluxerunt. Valde etiam utilis est iis, qui sublimatum, aut corrodens aliquod venenum hauserunt, quia veneni malignitatem, symptomataque tollit: in corrosionibus tamen convenientia remedia etiam adiicienda, quia alioqui in illis nullius efficaciæ esset lapis. Lac in isto casu plurimum commendatur, magnâ quantitate & frequenter ingestum: nam præterquam quòd admirabile est remedium, in corrodentibus venenis eo utendum est, quoniam venenum per vomitum expellit, ejusque malignitatem extinguit; vera enim est antidotus adversus corrodentia venena: deinde illo epoto, lapidis pulvis dabitur, aut aliquod ex prædictis medicamentis veneno resistentibus.

Febre quam stigmata rubra comitantur. Sed insignis etiam efficaciæ est hic lapis in febre, *Tavardete* Hispanis dictâ, infectis, hoc est in quâ stigmata rubra, pulicum morsus instar per cutem sparsa apparent, præsertim in humeris & musculosis corporis partibus: id autem fit, naturâ propellente ad externas partes humorem. Itaque initio curandum ut evacuetur, non autem intrò reprimatur: quod fiet frictionibus, cucurbitarumque applicatione, & aliis remediis quæ humorem per eas partes extrahant, per quas natura propellere satagit: epithemata autem non usurpanda, neque unctiones aut aliæ res similes, quæ stigmatum eruptionem præpedire queant. Deinde illico postquam stigmata apparere incipiunt, ægro danda sunt ea, quæ venenum tollendi & extinguendi vim habent (de quibus jam abundè diximus) missionem sanguinis fugiendo, ap-

do, apparentibus jam stigmatibus, nisi sanguinis copia & plenitudo aliud suadeat. Adversus hunc morbum, & malignas febres, valde utile & in multis experientiâ comprobatum medicamentum comperi, Bolum armenum nostratem in rotulas cum stillatitio rosarum liquore formatum, in omnibus medicamentis exhibitum quæ æger sumere debebit, atque in cibis quibus utetur; potissimum anno quodam quo febres acutæ grassatæ sunt, quia illius usu multi liberati sunt: noster enim hic bolus parum ab Orientali differt. Sed ejus usus esto in lapidis Bezaar defectu: nam hic omnibus præferendus est. Id expertus sum in nobili quodam viro hujus urbis, malignâ febre correpto, cum frequenti vomitu, animi deliquio, aliisque malignæ febris symptomatibus, in cujus humeris exanthemata illa & stigmata apparebant: sed propinato illi lapide Bezaar cum pauxillo unicornu, subitò cessârunt symptomata, & meliusculè habere cœpit, quia febris malignitas extincta fuit, quæ tanti mali causa erat. Multos præterea enumerare possem, qui in Hispaniâ, quatuordecim abhinc annis, quibus illo uti cœpi, eo sumpto à sævis morbis liberati sunt: ut revera miraculum videatur, lapidem ex animalis Cervo aut Capræ similis ventre extractum, parva quantitate sumptum, ea præstare quæ retulimus. Sed quia in commemoratione lapidis Bezaar diu commorati sumus, & tempus est, ut de Scorzonerâ herbâ agamus, quæ de illâ comperta habeo, referam.

Bolus Hispanicus.

Scorzonera Herba.

SCORZONERÆ planta, de quâ sumus acturi, triginta demum abhinc annis fuit cognita & observata. Ejus cognitionem nobis tempus detexit, ut & alia multa quæ ex Occidentali Indiâ allata videmus, nec veteribus nec nobis unquam conspecta, quemadmodum in eo libro scripsimus, qui de rebus in medicum usum aptis ex Occidentali Indiâ delatis agit.

In Comitatu Vrgel Catalauniæ Provinciæ, loco Momblanc dicto, primùm inventa & observata est Scorzonera herba; nam quoniam totus ille tractus multis animalibus valde noxiis abundat, præsertim verò iis quæ *escuerços* nuncupantur, & in agris inter arbores atque herbas latitant, plagam, cui remedium adferri nequeat, esse censebant: rustici enim neque arva colere, neque messes secare, neque alias operas in agro necessarias exercere quibant, quin crudeliter ab his animalibus offenderentur, quia eorum venenum adeò noxium est, ut quæcumque corporis pars morsu apprehensa fuerit, ilicò intumescat, magnísque doloribus, & venenosis symptomatibus afficiatur, inflammatioque ad cor subeat, ut nisi subitò succurratur, facile demorsi extinguantur. Id autem ejus regionis incolas maximè premebat, quòd nullum remedium adversus illud malum reperirent: nam neque Theriaca, neque alia medicamenta usurpata quidquam auxilii præstabant.

Scorzonera ubi primùm observata.

Escuerços serpens.

Sub idem ferè tempus, quo adeò deplorata res erat, Mauritanus quidam captivus eò adductus est, qui præmorsos ab isto tam virulento animali curabat, datâ radice & succo herbæ sibi cognitæ, quam ederent: tantæque fuit efficaciæ hoc medicamentum, ut facilè morsus sanaret, & venenum tolleret; quam ob rem adeò multi ad istum Mauritanum confluxerunt, ut ipsum non modò servitute liberarent, sed etiam opulentum efficerent. Nihilominus toto illo tempore Mauritanus nec pollicitationibus nec donis pellici potuit, ut indicaret, quænam radix & herba illa esset, quâ tam noxium malum curaret: tandem duo ejus loci homines, considerantes quantum omnium interesset, ut illam herbam cognoscerent, ipsum ad eruendam herbam proficiscentem, clam subsequuti sunt; locumque observârunt, in quo herbam cum suâ radice eruebat: à Mauritani discessu, locum adeunt, lacunasque conspiciunt unde ille herbam eruerat, & aliquas herbæ reliquias: collectâ igitur herbæ copiâ (plurima enim istic nascebatur) in pagum redeunt, & ad Mauritani ædes profecti, illum reperiunt herbam è canistro educentem, quam cum à sese collectâ conferentes, eandem esse comperiunt; nec Mauritanus negare potuit, quin eadem esset. Inde in omnium notitiam pervenit, & quotquot illâ egebant, lectum ibant, atque ad animalis, quod dixi, morsus utebantur.

Scorzonera quo modo reperta.

Scorzoneræ porrò nomen inditum, quòd animalis, *escorçu* Catalaunico sermone appellati, morsus curet: & propter radicis ejus herbæ cum ipso animali similitudinem. Est autem hoc animal sesquipalmari longitudine, parte infimâ tenui, deinde paulatim crassescente ad caput usque, instar lignei fusi, capite crasso & quadrato, magno & hiante ore, linguâ nigrâ & mucronatâ, dentibus pusillis instar viperæ feminæ, quibus mordet: sed & linguâ pungit ut scorpius. colore est cineraceo, nigricante, maculis distincto. tardum est incessu: jugiter inter herbas, segetes, & vineta versatur, homines & animalia morsu appetens: eam

Scorzonera cur sic appellata.

Escorçu serpentis forma.

ob causam, locis ubi hoc animal versatur, somnum capere formidant. Pejor est ejus morsus, gravioraque symptomata parit, quàm viperæ illius regionis morsus; sola herba Scorzonera ei adversatur: quoniam si illius herbæ succo aspergatur, torpescit; & si in os ejus iniiciatur, interit. Quicunque ab hoc animali præmorsus, radicem edit, aut herbæ succum sumit, ilicò sanatur & tametsi locus intumescat, vel inflammetur, tumor vel inflammatio statim tollitur, doloresque & symptomata cessant: si quis verò statim à morsu sumat, symptomata non succedunt, nec præmorsa pars inflammatur: sic ut nonnulli, animi gratiâ, herbæ radicem mandentes, brachia aut crura mordicanda præbeant, neque aliquod symptoma aut damnum sentiant, sed sola denticulorum cuti impressorum vestigia appareant. Si hujus herbæ succo probè madentibus manibus animal apprehendant, adeò torpescit, ut neque mordere, neque sese movere queat, sed quodammodo mortuum appareat. Hujus plantæ radix non ingrati saporis est, sed subdulcis, crudaque staphylini instar edi potest, &, quemadmodum dixi, ad ejus animalis morsus utilis est: tum etiam ipsa tosta, aut condîta, foliorumque ejus succus solus, aut cum aliquo medicamento corroborante & venenis resistente sumptus, ejus animalis morsibus non modò prodest, sed etiam viperarum & aliorum virulentorum animalium. Stillatitius ejus liquor vitreis organis extractus, & in contagiosis febribus propinatus, præsens est remedium, in crisi autem datus, naturâ sudorem aliquem movente, eum mirabiliter provocat, adeò ut plerumque æger sanitati restituatur. Ejus etiam radix condîta valdè sapida est, & vel delicatis grata esse potest. Datur cum stillatitio herbæ liquore in dictis febribus, atque in animi deliquiis, cordis mœstitiâ & melancholiâ. Is liquor cordialibus epithematibus adiicitur; atque hodierno die illius usus est in contagiosis febribus, bibendo illum assiduè, vel cum aquis cordialibus mixtum. Præbetur etiam tum is liquor, tum radix condîta per multos dies, ad curandas hepatis, lienis, & interiorum partium obstructiones, tum etiam ad ciendos menses, & adversus animi deliquia.

Scorzoneræ facultates.

Scorzoneræ forma.

Elegantem pinxit Natura hujus herbæ formam, tamquam utilis futuræ ad multos morbos. Cubitali crescit longitudine, cichorii foliis prædita, & cùm magis adulta est, latioribus, per terram sparsis, extimâ parte mucronatis, medio secundum longitudinem excurrente nervo, colore viridi dilutiore; in multos graciles ramos finditur, duros, lignosos, quorum summis fastigiis insident calices longi, nervosi, rotundi, squamati, calicibus Caryophylleorum non dissimiles: ex quibus mense Maio flores ex multis foliolis confertim nascentibus constantes, quæ explicata, amplum conficiunt florem, orbicularem, elegantem, aurei coloris instar radiorum Solis: sub Iunii finem decidunt floris folia, & calices seu capitula, orbicularem formam contrahunt, & multas aristas in orbem dispositas proiiciunt: excusso semine in Autumno, marcescunt caduntque plantæ folia: radicem habet staphilini radici similem, carnosam, firmam, in mucronem desinentem parte inferiore, deinde paulatim crassitudinem adquirentem, quâ foliis juncta est, tenui cortice tectam coloris nigricantis, aliquantulum asperam seu rugosam, quæ secta aut rupta, lentum & lacteum succum stillat, internè tota albicans, pinguis, dulcis. Nascitur ut plurimum montanis locis, humidis tamen. Calida & humida primo gradu. Iis facultatibus est prædita, quas enarravimus: præsertim autem efficax est ad morsus *escorçu* animalis adeò noxii & venenosi, in quo sanè admirabilis est ejus vis: succus verò si sumatur, illum antè defecari & clarificari præstat; radix tamen illo præstantior est.

Natales.
Temperamentum.

Animadvertendum porrò est, etiam si hujus herbæ succus & radix sumatur, ad resistendum hujus animalis veneno adeò pernicioso, omnem eam diligentiam esse adhibendam, quam in remediis veneno adversantibus requiri diximus. Commodè igitur (intereà dum succus aut dicta radix paratur) ligatura fiat quatuor aut quinque digitis supra præmorsam partem, ne veneni malignitas ad alias corporis partes serpat: id autem intelligendum si morsus in brachio aut crure est: nam si morsus factus sit in aliquâ parte quæ ligari nequeat, adponenda in morsus ambitu emplastra valde adstringentia, quæ veneni vim infringant; idque faciendum subitò, ne noxa in interiores partes penetret: nam si semel cor occupârit, difficilis erit cura. Quod in omnibus virulentorum animalium puncturis & morsibus observandum est: si autem vulnus parvum erit, sectione aut aliâ ratione amplificandum erit; & sectio levis sit, si recens fuerit vulnus: si vetustum, profundior, quia unà cum sanguine magna veneni pars evacuabitur. Post sectionem cucurbitulæ applicabuntur, quæ venenum sorbeant & educant, mutabunturque quoties necessarium erit. Nonnulli ex morsu venenum ore sugunt, non tamen sine magno periculo, quia plerique qui id egerunt, perierunt: cucurbitulas igitur applicare præstat, aut galli, pullive, aut palumbis vivi podicem (vulsis pennis) vulneri apponere, & aves subinde mutare, donec animadverti queat venenum ex vulnere prorsus esse eductum: singulæ autem supra vulnus relinqui debent, donec

Morsus curatio.

jam

jam languescant & morti sint proximæ. Conducibile etiam est eas vivas per dorsum sectas applicare, & supra vulnus relinquere, donec frigescere incipiant; illisque sublatis, recentes apponere. Educto veneno quàm commodissimâ ratione licebit, applicandum vulneri medicamentum, quod illud apertum retineat. Non desunt qui cauterio vulnus urant cum manifestâ utilitate: quia venenum extinguit, & vulneratam partem roborat. Idem præstabit cauterium potentiale venenum tollendo, minùs tamen efficaciter, quàm actuale: utrumque verò retinet apertum vulnus, quod in hac curatione valde necessarium est. Perutiliter morsibus & ictibus imponitur herbæ Scorzoneræ succus, solus, aut aliis bezaardicis medicamentis commixtus, ut Theriacæ, Mithridatio, aliisque similibus: si verò lapis Bezaar in promptu sit, ejus pulvis vulneri inspersus admirabilis erit efficaciæ. Toto isto tempore servandus est concinnus ordo, & bona victus ratio in rebus naturalibus, evacuationes moliendo (quando opus erit) medicamentis lenibus, admixtis etiam iis, quæ venenis resistunt, adhibitâ similiter venæ sectione, si necessaria fuerit. In ceteris occurrendum singulorum symptomatibus, uti generaliter & particulatim conveniet, adhibitâ semper curâ, ut ægris jejunis manè radicis Scorzoneræ conserva præbeatur, ejusque stillatitius liquor, aut lapidis Bezaar pulvis, bolúsve armenus præparatus, atque etiam alio diei tempore, si magna fuerit necessitas. Cordis præterea regio rebus illius intemperiem corrigentibus inungenda, aut adhibenda roborantia epithemata cum pulveribus & aquis cordialibus, quibus Scorzoneræ stillatitius liquor admisceatur.

Præter facultates quas Scorzonera peculiares habet adversus ejusmodi animalium morsus, & omnium reliquorum, aliis singularibus esse præditam, experientia nos docuit: nam in animi deliquiis, puerorum epilepsiâ, uterique suffocationibus, valdè utilis deprehensa est radicis conserva sumpta, illiusque succus clarificatus seu depuratus, aut stillatitius liquor epotus. In animi quidem deliquiis occupante paroxysmo, prodest; sed multò magis, si ante illius accessionem radix cum ejus aquâ sumatur; paroxysmum enim tollit, vel saltem ejus vim infringit, ut non adeò affligat, atque si post paroxysmum dumtaxat sumatur. Non minùs utilis est ejus usus in vertigine & cerebri perturbatione, purgato priùs corpore. Quotidianus ejus usus cor recreat, & mœstitiam sine manifestâ causâ obortam tollit. Succi foliorum ejus Soli per aliquot dies expositi, & depurati tenuior liquor oculis instillatus, eorum aciem intendit, & maculas abstergit, mellis momento admixto. Qui à toxico sibi metuunt, sumptâ illius radicis conservâ manè cum stillatitio liquore, eo die non offenduntur. Omnes has istius plantæ facultates docuit nos usus & experientia: nam quo nomine illam Veteres appellârint, hactenus ignoramus.

Scorzoneræ facultates aliæ.

Ioannes Odoricus Melchiorius Medicus Germanus* in epistolâ ad Petrum Andream Matthiolum, scribit sibi missam fuisse in Germaniam à Petro Carnicero medico Catalano herbam Scorzoneram resiccatam: & (probè descriptâ plantæ formâ) Matthiolum percontatur, quænam sit herba; quod Matthiolus indicare nequivit, neque alius quispiam qui hactenus de Plantis disseruit aut scripsit.* Nonnulli Condrillam esse arbitrantur, Cichorii genus, cujus Dioscorides lib. II. meminit: licet autem aliquibus notis illi respondeat, radice tamen plurimum differt, quia Condrillæ radix lignosa est & valdè gracilis, ideoque inutilis: tum floribus etiam differunt. In solis igitur facultatibus conveniunt, quòd viperæ morsibus opitulentur: ait enim Dioscorides, Condrillam ex vino propinatam, præsens esse remedium adversus viperæ morsus. Qualiscunque autem sit nostra Scorzonera, admirabiles ejus vires experimur, cum ad *escorçu* adeò noxii animalis morsus, tum ad alios morbos à nobis commemoratos: quæ, cùm tam exiguo temporis spatio fuerint observatæ, multo plures in posterum à doctis viris observatum iri, sperandum est, quas deinde iis adjungere licebit, quæ de illis à me fuêre observatæ & descriptæ.

** hunc Viennæ Austriæ novit Clusius; non Germanum, sed Tridentinũ, Mariæ Maximiliani II. Imp. uxoris medicum.*

** ad Tragopogum referri debere, peritiorum est opinio.*

CETERVM, quandoquidem summatim protulimus, quæ de duobus istis adeò excellentibus medicamentis, lapide videlicet Bezaar, & herba Scorzonera rescivimus, consequens est, ut ad reliqua quæ polliciti sumus transeamus: nimirum ut præcaveamus ne in tam grave periculum incidamus. Etenim non minus utile est ab incommodo nobis cavere, quàm, cùm in illud incidimus, ab eo nos liberare. In hoc casu Veteres multis præcautionibus usi sunt; inter quas una in Regum & Principum aulis valdè est antiqua, ut videlicet cibus & potus illis adpositi prægustentur: nam hac ratione certi esse possunt, nihil se edere aut bibere quod illos offendere queat. Hoc munere fungi solent dapiferorum & pocillatorum Præfecti: nam ut illis, cibi & potus, quem Princeps sumere debet, commissa est cura, illius etiam rationem reddere debent, atque ipsis, coquus & cellarius; ut videlicet coquus cibum dapiferorum Præfecto præbens, illum prægustet, & cellarius idem præstet in vino & aquâ pocillatorum Præfecto. Quæ sanè consuetudo ad cujusvis Principis salutem & securitatem laudabilis & necessaria est; ut videlicet si aliquod vitium in cibo &

potu sit, id primùm in alios quàm in ipsum dominum incurrat, cujus vita & salus tanti momenti est.

Verùm istud nunc fit cæremoniarum & ostentationis potiùs causâ, quàm ut saluti & vitæ consulatur: atque longè aliter administratur hæc cæremonia, quàm quo tempore fuit instituta. Nam nunc satis præclarè suam functionem peregisse autumat præstructor, si panis fragmentum per fercula leviter ductum præmordeat, deinde abiiciat, & pocillator summis labris vinum & aquam deguſtet: cùm tamen si probè suo officio fungi velint, ut de ferculis edant, & de potu bibant, necessarium sit: quia alioqui difficilè animadverti potest, si vitium insit, antè quàm in domini alvum penetret. Dominus præterea præcipere debet, ut multa fercula sibi parentur, ut, si unum illi non sapiat, alterum deguſtet, deinde reliqua: nam ubi multa fercula aderunt, de singulis parum edet; atque istâ ratione, si aliquod infectum erit, tantum damnum inferre non poterit, quàm si ad saturitatem de uno aut altero edisset, in quo fuisset vitium: animadvertendum etiam est, plerumque accidere, ut quispiam ab aliquo ferculo abhorreat, nec illud deguſtare sustineat, in quo deinde insigne vitium deprehendatur. Cibum itaque sumere utile est cum furcillâ aut cochleari, eâ ratione confectis, quam Hieronymus Montuus insignis medicus, in Henrici II. Galliæ Regis vsum parari curavit, ut videlicet agnosci possit, an venenum in cibo lateat. Confici autem debent furcula & cochlear, ex auri & argenti commixtione veteribus Electrum (quod ex auri quatuor partibus & unâ argenti constat) dictâ, & diligenter expoliri lævigarique: furculâ solidum cibum, cochleari liquidum sumet, quia in cibum immissa, si venenum admixtum est, illico aurum lividum, nigrum, aut turbidum colorem contrahit, pristinumque nitorem amittit, cujus rei causâ, considerabitur quid cibus (qui hujus mutationis occasionem præbet) contineat, & alicui animali devorandum obiicietur, quidque deinde illi accidet observabitur; hæc enim primaria est experientia. Ex eâdem materiâ conflari poterit patera aut vasculum aliquod patulum, & diligenter expoliri: quia si vinum aut aqua in illud injecta venenum continebunt, obscurum colorem contrahet patera, aut alium aliquem ex suprà memoratis: sin minùs, pristinum nitorem retinebit: quæ sanè elegans & facilis est inventio. Cibum porrò sumpturus, primum bolum in os injectum probè mandat, ejusque saporem periclitetur, acrisne sit, an nauseam moveat, ut si quid istarum rerum sentiat, ilicò quod edit reiiciat, osque vino & aquâ eluat, & alia fercula deguſtet. Non abs re erit, si ejus ferculi pauxillum alicui animali obiicietur; ad observandum quid illi succedet: nec incommodè adhibebitur mensæ domini quispiam, cui præbeatur ad periculum faciendum: ex effectis enim indicium fieri poterit. Observandum præterea corrodentia venena, statim à deguſtatione os corrugare & exasperare, mordicareque & urere. Præstabit, ut qui suspectos habent cibos, eos assatos aut elixos edant; à crustâ autem inclusis, offis, jusculis, atque à nimium acidis, abstineant, quia in his major noxa latere potest, (præsertim si odorata admixta sint, uti ambarum, moschus, aromata) magis enim in similibus occultari potest venenum, quàm si cibi assi aut elixi essent: fugienda etiam nimis dulcia fercula, quia venenum valde occultare possunt. Quisquis præterea suspectos habebit cibos, si famelicus mensam accedet, ne illos illicò voret, sed paulatim & lentè mandat, illorumque, ut diximus, saporem periclitetur. Idem in potu observandum: nam si sitis valdè urgebit, animadverti nequit quid bibatur; hanc ob causam, multi atramentum, lixivium aut sublimati aquam hauserunt, dum sitibundi non sentiunt quid bibant, donec damnum jam in corpus penetravit: propterea lentè paulatimque bibendum, & potus deguſtandus. Hac certè ratione, cum mediocri curâ, & haud difficulter animadvertet, si cibus & potus quem sumpserit, noxii quidpiam continebit. Observandus item ferculorum color, qui noxam etiam deteget, nam alius à nativo apparebit. Benè quoque detersa & purgata esse vasa utile, quibus cibus & potus excipientur, vel etiam argentea expolita & lævigata; quia si venenum inest, facilè commaculatur, lividúmque aut nigrum colorem contrahit argentum.

Materia ex qua furcula & cochlear cõflari debent.

Historia.

Antè paucos dies in hac urbe contigit, ut nobilis quidam vir & prædives, dum ex argenteâ paterâ bibere vellet, eam lividis maculis infici animadverteret: ille admiratus, vinum dumtaxat deguſtat, & non bibit, subitoque os & lingua corrugata sunt; guſtatum vinum de quo in pateram infusum fuerat, eâ asperitate carere deprehensum est; deinde aquâ diligenter observatâ, in urcei fundo multa sublimati grana nondum dissoluta inventa sunt. Ad ipsum evocatus, plura quàm viginti granula sublimati ex urceo eduxi. Multis antè diebus nobilis ille in morbum inciderat: unde conjecturam feci, nunc demum non fuisse tentatum, ut ipsum veneno necarent; atque in hunc usque diem æger permanet. Istud exemplum adfero, quia si patera maculis non fuisset aspersa, nequitia haudquaquam animadversa fuisset. Vasa etiam vinum aut aquam continentia probè obstrui necesse est, ne

noxium

noxium quidpiam in illa irrepat aut cadat, ut araneæ, salamandræ, & similia insecta: propterea ex angusti oris poculis bibere non convenit, sed ex patentibus præstat, ut, quid inest, meliùs conspici possit. Nonnulli, quibus sua salus magis cordi est, unicornu fragmentum ex aureâ catenulâ dependens, in aquâ, quam hausturi sunt, tenent; & rectè quidem: nam præter, quòd veneni suspicionem tollit, admirabilem corroborandi facultatem potui conciliat. Fugiendus etiam ignis ex putridis & infectis lignis accensus, quia fumus ejus non minùs noxius est, quàm si venenum haustum esset: carbones præterea primùm accensi, in cubiculum non sunt inferendi, quia plerique eâ ratione extincti sunt. Suas vestes & lineos pannos alicui, cujus fidem perspectam habeat, adservandas det, quia in illis occultari possunt ea, quæ insigne damnum adferant. Ad hæc omnia, fideles ministri requiruntur, & quorum fidei credi possit, probi generis, in quos etiam herus beneficus & liberalis sit. Et ante omnia medicus eruditus & expertus deligendus est, sapiens, boni judicii, opulentus, honestis parentibus natus: similis enim, nihil præter decorum aget, quandoquidem ab eo ægri vita & salus dependet.

DIALOGVS DE FERRO,

eiúsque præstantia & facultatibus.

Auctor D. NICOLAVS MONARDVS *Hispalensis Medicus*,

interpres CAROLVS CLVSIVS *Atrebas*.

Interloquutores

BVRGVS, D. MONARDVS, ORTVNNVS.

BVRG. QVAM meditabundus incedis, Dn. Doctor? videris ipse Harpocrates, ut à Veteribus describitur. D. M. De ægro quem visitatum eo, erat cogitatio. B. Tantáne opus est solicitudine, antè quàm illũ conspicias? D. M. Imò multo antè, quandoquidem postquam meũ musæum egressus sum, ejus magna cura me incessit. B. Magni laboris est, si, cùm tot ægris medicéris, singulis diebus meditari debeas, quid singulis conveniat. D. M. Hæc meditatio non cadit singulis diebus in omnes morbos, sed in eos duntaxat, quibus illa necessaria est, & qui quotidie nova remedia postulant, quemadmodum in morbis acutis, qui majorem curam & diligentiam requirunt (quia occasio brevi elabitur) quàm diuturni & chronici, ubi remedia lentè & paulatim sunt adhibenda: talia sunt de illis studia. B Ego verò, domine Doctor, meditabar, quâ ratione in Contractationis ædibus, quò tendebam, ingentem illam auri & argenti quantitatem, quæ istâ classe advecta est, videre possem, potissimùm verò Smaragdos ex novo orbe delatos, quorum tres, sexaginta ducatorum millibus æstimari dicuntur: propterea, meâ tabernâ relictâ, eos conspectum ibam, tamquam rem raram, nec in his regionibus unquam visam. D. M. Ego etiam eò proficiscor, ad visitandum ægrum apud Quæstorem habitantem; occasio forte sese offeret Smaragdos conspiciendi: ingrediamur per posticum, nam magis vicinum, & minore hominum turbâ occupatum. Sed Thesauri aula occlusa videtur; fieri poterit, ut, dum ad ægrum visendum subeo, aperiatur. B. I bonis avibus, domine Doctor, ego interea hîc expectabo: & quandoquidem aula non aperitur, in hoc scamno sedebo, atque quid fiat observabo, donec Doctor adveniat. D. M. Meam moram excusatam habeto Burge, nam negotii qualitas me detinuit. B. Imò gauderem, si diutiùs abfuisses, quia plura observassem. D. M. Quid per meam absentiam vidisti? D. Aulam occlusam, & atrium hominum frequentiâ plenum, quos

quos cum summâ animi contentione observavi, omnesque honesti viri mihi visi, multis tamen curis pleni, quia tantam gestuum varietatem in illis animadverti, ut admirationi mihi fuerint: alii enim sibi solis loquebantur, alii demisso capite soli ambulabant, alii bini colloquia inter se miscentes, alii frequentes, de sua negotiatione agentes, alii nautæ & milites suam mercedem expectantes, alii suas argenti portiones adeò festinanter auferentes, ut furto sustulisse viderentur; multi cum tabellionibus in suis litibus occupati erant, alii in quæstorio officio ad rationum libellos assidebant: ingens erat multorum clamor, qui suas portiones dabant & recipiebant non sine magna contentione: judices in concilio versantes magna hominum frequentia expectabat: sic ut solus spectator essem, reliqui negotiis implicati: quod mihi (qui sine solicitudine eos observabam) veluti comœdiæ multis actibus distinctæ spectaculum fuit: quodque magis admiratione dignum censebam, nemo illorum alacri & quieto animo erat, sed omnes anxii & soliciti. D. M. Valdè gaudeo, Burge, te tantâ attentione observasse, ea quæ in illis ædibus peraguntur: quia omnium quæ vidisti origo & causa est, illud aurum & argentum, quod tanto desiderio spectatum adveniebas: ista labores illos & anxietates pariunt, & non modò quos vidisti, attonitos & quasi incantatos detinent, sed etiam alios plerosque: quia hoc tempore, omnium earum rerum instrumentum sunt, quæ hos quidem deprimunt, illos verò attollunt, quæque imperium & potestatem in orbe obtinent: tantam felicitatem in illis mortales constituerunt, ut illas perquirant cum sanguinis profusione & vitæ periculo, atque adquisitas summo labore, nec minore solicitudine conservent, cum magnâ miseriâ expendant, & cum magno infortunio amittant: hæ quietem & somnum adimunt: interdiu quidem in illis conservandis traducto tempore, & cum labore & curâ augendis, noctu verò cum timore: tantæ sunt in illis illecebræ, tanta pericula, & tam varii casus, ut quotidie observamus. B. Concedamus ista, nihilominus & aurum & argentum cum Smaragdis videre cuperem. D. M. Quid mi Burge, nunquámne aurum, argentum, Smaragdos conspexisti? B. Conspexi quidem, sed exiguâ quantitate. D. M. Quid inter magnam quantitatem & parvam interesse existimas, nisi quòd majorem terræ quantitatem, vel minorem videas, eamque usibus humanis minùs utilem, inter reliquas quas Natura creavit? Quòd si tanto desiderio pretiosa metalla conspiciendi teneris: te in locum deducam, in quo metallum auro & metallo (quæ videre desiderabas) longè præstantius conspicies, & Smaragdis magis utile & præferendum. Nam quod ad gemmas attinet, hominum opinione duntaxat æstimationem adquirunt, quia paucas facultates earum quæ illis tribuuntur, observavimus, nec scio quas præterea obtineant, nisi ut quorundam loculos exhauriant, ut in alienos transfundant. Nec aurum aut argentum aliud sunt, quàm pulvis & lutum illius coloris, in terræ visceribus à Naturâ condita, ut reliqua metalla. Verum quidem est homines ista duo majore in æstimatione habere, quàm reliqua, sic ut eos qui illis abundant, divites nuncupent, & illa divitias: quas Socrates sapienti nulli alteri usui esse ait, quàm ut ejus animum implicent, quemadmodum laxa longaque vestis corpus. Quandoquidem porrò ad eas ædes pervenimus, in quibus est illud metallum, auro, argento, & Smaragdis præstantius, ingrediamur: nam Ortunnus id nobis concedet. Ædium vestibulum frigidum est, & æstus magnus; in illo igitur, ejus aliquam partem evitare poterimus. ORT. Quid requirit dominus Doctor? D. M. Ut paullulum in istâ tuâ porticu quiescamus & recreemur. ORT. Honore me afficis in ista re; in istis sellis assidete. D. M. Ortunne, apud Cantabros faciliùs transigi debet æstas quàm Hispali. ORT. Hoc anni tempore, etiam istîc calor est, perinde atque hîc: ea autem est differentia, quòd hîc ædificia sunt constructa, ut æstus faciliùs tolerari possit; istîc maxima illorum pars, ob ingens frigus, ex ligneis tabulis fabricata est, quæ hoc tempore, solis æstu valdè incalescunt: itaque scitè dici solet, hiemes Burgis transigi debere, æstates verò Hispali, quia ædificia utrique tempori accommodata sunt. D. M. Quandoquidem jam hîc sumus, Burgo ostendere cupio, ut ei pollicitus sum, metallum auro, argento & Smaragdis, quæ spectatum ibat, præstantius. B. Libenter illud videbo. D. M. Ferreæ hæ laminæ quas parietibus innixas conspicis, metallum sunt pretiosissimum, & hominum usui maximè utile atque necessarium: hoc est verum aurum & argentum, sine cujus adminiculo vivere nequiremus, neque homines suas artes exercere possent: illo enim administro, veræ opes adquiruntur, atque omnes fructus & bona temporalia: sed & reliqua illo parantur. B. Verum quidem est, ferrum valdè necessarium esse; certum tamen, aurum & argentum magis excellere, præstantioremque originem habere, ut ex illorum, præ reliquis metallis, pulchritudine & lævore apparet. D. M. Sciendum est, Burge, omnia metalla eandem originem, idem principium habere. Verum quidem est, varias inter veteres Philosophos fuisse opiniones de principio & materiâ ex quâ generantur: nam Aristoteles, ex vapore in terræ visceribus concreto generari scribit; Democritus, ex certo calcis genere & lixivio;

Veterum de Metallorum origine variæ opiniones.

lixivio; Ægidius Mauritanus Hiſpanus, ex cineribus: alii, ex omnibus elementis. Rurſum alii, ex frigiditate congelari: alii, ex calore denſari. Aſtrologi, ſuperioribus cauſis, & planetis eorum originem tribuunt, ſingulis planetis ſuum metallum dicantes. Plato, ad utramque opinionem inclinans, cæleſtem virtutem terreſtri permixtam, eorum principii & originis cauſam eſſe vult. Triſmegiſtus, terram metallorum matrem eſſe, cælum verò patrem, dixit. Plinius hæc ſcribit: interior terræ pars, res eſt pretioſiſſima, quoniam in eam cadunt omnes cæleſtes influentiæ, generantes in ea res magni pretii, ut gemmas & metalla; idque fit, Chalcedonio Platonico teſte, ob inſignem, quem interne continet, calorem. Calliſthenes ea eſt opinione, omnium metallorum formam unam eandemque eſſe. Anaxagoras & Hermes aiunt metalla interiùs unâ formâ eſſe prædita, & exteriùs alterâ; unâ videlicet ſecretâ, alterâ manifeſtâ; ſic ut plumbum in ſe contineat aurum, & aurum plumbum: idem etiam de reliquis metallis opinantur. Conſiderate quæſo quàm variæ ſint opiniones virorum adeò ſapientum. Alia vulgaris eſt opinio, quam, ut magis certam, omnes ſequimur, & ejus meminit Avicenna lib de Meteoris, & in libris de Chimia ab ipſo conſcriptis, quam confirmârunt Geber, Raymundus Lullius, Arnoldus de Villa Nova, & reliqui qui hactenus iſtud negotium tractârunt. Omnes enim affirmant, veram materiam ex quâ generantur omnia metalla, ſulphur & argentum vivum eſſe, ſulphur quidem tamquam patrem, & argentum vivum tamquam matrem, ſulphuris calore argentum vivum coagulari, ut ex utroque metalla in terræ viſceribus conflentur: atque ex horum duorum principiorum variatione, unum ab altero differre, eorumque principiorum puritate fieri, ut unum metalli genus, altero præſtantius ſit: eamque ob cauſam, aurum reliquis metallis magis perfectum & formoſum eſſe, veluti ex principiis magis puris & nitidis formatum. Imò non defuerunt Philoſophi, qui omnia metalla aurum debuiſſe fieri dixerint, niſi ſulphuris & argenti vivi imperfectio obſtitiſſet: itaque reliqua metalla, præter aurum, imperfecta nuncupari, quia puritate illâ & excoctione caruerunt, quâ præditum fuit aurum, per mirabile illud ligamen à Naturâ datum. Hinc fit ut Chimiſtæ, dum aurum conficere volunt, iſta duo principia expurgare nitantur, ex quibus omnia metalla conſtant, ut iis expurgatis aurum ex ipſis conflétur, metallum omnium puriſſimum: id autem per ſuas diſtillationes faciunt. Sed quàm difficulter id peragi poſſit, dicant qui in hac re ſuis facultatibus & hæreditatibus abſumptis, tandem operam luſerunt. Qui adverſus iſtos ſcribunt, negantes diſtillationibus hujuſmodi fieri poſſe, ſic argumentantur. Quemadmodum metalla in terræ viſceribus ex Sulphure & Argento vivo (ut iſti ſibi perſuadent) non generantur: ſic illa artificio conflare nequeunt. Nam ſi ex Sulphure & Argento vivo generarentur, in Auri & Argenti atque aliorum metallorum venis, illorum veſtigia invenirentur. At nulla eorum veſtigia etiam in maximè profundis venis deprehenduntur: ſed diſtinctas venas eſſe deprehendimus, ut nec in illis metalla reperiantur, nec in metallicis, Sulphuris atque Argenti vivi venæ. Nam ſi ita foret, (ut aiunt) metalla videlicet ex duobus illis principiis generari; neceſſariò metallum aliquod jam perfectum reperiretur, aliud imperfectum, quia in momento perfici nequit: imò omnia metalla jam perfecta inveniuntur; & illa liquando, Sulphur aut Argentum vivum non reperitur. Difficultate non caret hoc negotium, variæque (ut intellexiſtis) de eâ re ſunt opiniones, & incertum quæ ſcopum attigerit: ſolus Deus novit, qui Naturæ certas leges & rationes dedit, ad condenſanda metalla in eam mixtionem & formam quæ illi placuit. Hinc factum eſt, ut nonnulli in eâ opinione fuerint (nec immeritò) metalla unà cum mundo eſſe creata, quod teſtatur Auguſtinus. Quidquid fecit Deus, eodem momento fecit & creavit. Itaque cum mundum & terram condidit, ſimul in ejus viſceribus metalla creavit. Porrò opinio quæ magis certa haberi debet, & quæ ex effectu magis probatur, ea eſt communis illa, quæ omnia metalla ex Sulphure & Argento vivo generata eſſe affirmat: quia hac ratione multa dubia ſolvuntur, quæ difficulter probari poſſent, niſi ita eſſet. Hæc igitur probabilior, magis certa & vera eſt opinio, atque majore demonſtratione prædita. B. De magnis rebus diſſeruit dominus Doctor, quæ me in admirationem rapuerunt; & ejus ſcopum fuiſſe obſervo, ut nos originem & cauſam doceret, ex quâ ferrum generatur, quandoquidem de illo ejuſque facultatibus differere inſtituit. D. M. Certum eſt, meæ orationis ſcopum eò tendere, ut ferrum ex iisdem principiis, eademque materia fieri demonſtrem, è quibus Aurum, Argentum & reliqua metalla, neque ferrum ab auro aliâ in re differre, niſi quòd auri principia magis lucida & pura ſunt, propterea magis ſplendens & elegans eſt; ferrum autem inelegans, nigrum, & obſcurum, quemadmodum nos hîc conſpicimus, quòd ex principiis magis craſſis & impuris conflatum ſit: nihilominus Auro, Argento, reliquiſque metallis præſtantius eſt, quia nobis magis neceſſarium; & majores utilitates ex eo accipimus, quàm ex reliquis, quæ abſque illo foret, nullius eſſent pretii. Etenim illa ex terræ viſceribus educit, & per illud in

Recentiorum & vulgaris opinio.

hominum

hominum usum cedunt: nam illo administro, ex his vasa fiunt, moneta cuditur, & in necessarium usum reducuntur: aliis itaque omnibus potentius est, quandoquidem illa domat, atque ita molit & concutit, ut ei cedere debeant. Sed antequam ulteriùs progrediamur, cùm de ferro nobis agendum sit, commodum erit, ut Ortunnus, in Cantabris natus, nobis declaret, quo modo ferrum eruitur & paratur, & quæcunque alia de hoc metallo illi comperta sunt; quia, iis cognitis, cum firmiore & solidiore fundamento negotium conficiemus. ORT. Doctor adeò multa nobis disseruit, ut in hoc certamen me etiam descendere constringat. dicam ergo, licet Cantabrico more, quæ mihi nota sunt. Sciendum est, montana omnia Cantabriæ loca, Ferri venas magnâ ex parte habere, non tamen omnes excoli, sed illas duntaxat, quæ magis divites sunt, & majorem ferri quantitatem præbeat: reliquas negligi, quia sumptus refundere nequirent. Lapides in summâ venâ existentes ferrum rigidius & magis solidum reddunt, ut illud, chalybem à soliditate appellent: ipsa vena plerumque est in magnis rupibus, quibus suffossis, ignem ad eas confringendas iniiciunt: deinde malleis in fragmenta contundunt, quæ fornacibus ardentibus injecta dissolvuntur & emolliuntur, ut in minutiora fragmenta dissiliant, quæ fornaci ad eam rem aptæ imposita, liquantur; ferrum in infimam fornacem stillat, & in magnam massam coit: ea in partes secta incudi subiicitur, & ingentibus ferreis malleis ab aquâ sublevatis in hujusmodi laminas contunditur, quales parieti innixas conspicitis. Venas quidem reperiri certum est quæ aliæ aliis magis durum, illudque elaboratu magis difficile ferrum præbeant. In Germaniâ erutum, magis blandum est, & in elaborando magis obsequiosum. Belgicum, asperum est & incommodum; eamque ob causam, fragilia sunt quæ ex eo conflantur. Italia, omnis generis præbet. Cantabricum autem reliqua bonitate superat, quia elaboratu facile, & reliquis validius est, eaque de causa in omnes regiones transfertur. D. M. Sed chalybs'ne è Cantabris advehitur, quemadmodum ex Italiâ? ORT. In Cantabris Ferri genus eruitur adeò durum & solidum, ut, elaboratum, chalybis vicem præbeat, præsertim adhibitâ, ut solet, temperaturâ, licet valdè difficulter elaboretur. Chalybs ex Italiâ delatum, præsertim Mediolano, longè ab hoc differt, nam magis blandum est, & magis obsequiosum, atque etiam præstantius: eam ob causam, fabri magis expetunt, & illo frequentius utuntur. D. M. Non defuerunt, qui Chalybis venam à Ferri vena distingui velint. ORT. Falluntur, quia omnes sunt Ferri venæ, in eo differentes, quòd aliæ aliis magis durum præbeant: id autem quod fortius & solidius est, propter duritiem, Chalybem appellamus; & quædam sunt loca, è quibus aliud ferrum non eruitur, quàm durum illud, quale est totum illud territorium *Mondragon* vocatum, in quo omnes venæ istius duri ferri sunt: eam ob rem, Chalybem appellant omne ferrum ex eo erutum; quod ex loci naturâ fieri arbitror: sed ex Italiâ delatus chalybs alterius est naturæ. Nam istic diversæ sunt ferri venæ, aliæ videlicet blandi & in opere obsequentis; aliæ autem, asperi, duri, & elaboratu difficilis: ad conflandum autem chalybem quem ad nos mittunt, hoc artificio utuntur. Ferri blandi eam quantitatem sumunt, quæ commoda videtur; è quo parvas & tenues laminas conflant, deinde marmor & ferri scoriam in tenuissimum pollinem terunt: ista simul commixta cum prunis ardentibus in fornacem ejus rei causa paratam iniiciunt, & incendunt; deinde ferrum illud durum, quod elaborari nequit, adiiciunt: ignis ardore hæc omnia colliquantur; & massa conflatur, ex quâ crassæ illæ chalybis laminæ fiunt, quæ ad nos tantâ copiâ inferuntur. Chalybs autem appellationem sumpsit à populis sic nominatis, qui duro illo ferro abundabant.

Chalybis conflandi ratio in Italia.

Vtilis porrò est chalybs ad multa, propter duritiem quâ ferrum superat, & quia majore vi & actione pollet: illo igitur ferrea instrumenta exacuunt, & eis robur addunt, ut diutiùs perdurent, & faciliùs majoreque celeritate opus suum peragant: purius enim & magis nitidum est ferrum, ideoque siccius, magis album & fragile, celerisque actionis. Hæc sunt quæ de ferri & chalybis origine intellexi. D. M. Eleganter Ortunnus disseruit; nec id breviter, sed prudenter & sapienter. Multas nationes ista duo metalla sibi comparare necesse est, quandoquidem ad plerasque res sunt utilia. ORT. Multi à me redimunt, sed longè plures illo utuntur: nam nulla est ars in hac urbe, cui non sit necessarius chalybis usus. D. M. Pergratum Burgo & mihi esset, si in quibus artibus ut plurimum usurpantur, nobis enarrares. ORT. Adeò multæ sunt, ut plurimis diebus enumerari vix possent, quanto minùs hoc exiguo, quod nobis superest, tempore? D. M. Præcipuas & magis necessarias duntaxat enumera, pro temporis brevitate. ORT. Quæ mihi occurrent, referam.

Chalybis utilitas.

Maxima ferri, & magna chalybis pars in conficiendis armis insumitur, quæ vel ad defensionem, vel ad offensionem sunt idonea: quia nulla est universi orbis regio, in quâ non exerceantur, & in plerisque etiam non fabricentur: plurimum autem absumitur in conficiendis pyxidibus ferreis, quarum tam ingens in bellis & exercitibus est usus, ut major

præstan-

præstantiorque militum pars in pyxidariis consistat, tamquam magis necessariis: & certè pyxidum sive scloporum usus à cacodæmone primùm fuit excogitatus, ad plurimos in infernum protrudendos: longum esset omnium armorum genera, quæ ex ferro & chalybe fiunt, enumerare; & diuturniore tempore opus esset, quàm quod nobis superest. Utile etiam est ferrum ad agri culturam, & alia opera humanis usibus adeò necessaria; quandoquidem ex agro omnes totius orbis status aluntur. Ad fabricas præterea construendas est necessarium, easque tam varias, ut urbes, municipia, pagi, arces, templa, atque alia publica loca ejus ope construantur, quæ sine ferro & chalybe extrui nequirent. Considerate præterea, quàm hæc duo metalla ad mechanicas artes exercendas sint necessaria, in quibus tot instrumentis opus est, quæ ex illis constant. Velle explicare singulas artes, quæ istorum duorum metallorum beneficio exercentur, nullus esset sermonis finis: illud verè dicere possum, nihil in hoc orbe esse, in quo necessaria non sint ferrum & chalybs. Istis duobus metallis Reges & Principes regna & urbes adquirunt, hostes sibi subiiciunt, & sese suaque tuentur (teste enim Livio, cum ferro, non cum auro patria propugnatur) cum illis potentes evadunt, metuunturque, & honore afficiuntur: per ferrum honor Iustitiæ defertur; illiusque beneficio mali plectuntur, boni conservantur. Tantæ auctoritatis est hoc metallum in hoc mundo, ut in pace & in quiete, respublicas & civitates, agros & solitudines conservet, ita ut omnibus locis sit summa securitas. Tanta denique de hoc metallo, & auctoritate quam in omnibus rebus obtinet, dicenda essent, ut neque mea lingua explicare potis sit, nec memoria concipere: hoc solum addam, veteres Romanos tantâ in æstimatione illud habuisse, ut soli nobiles anulos gestare possent, eosque ferreos. De duabus acubus quæ ex chalybe fiunt ea dicam, quæ cogitatione vix assequi licet. Una est acus ad consuendum idonea, quæ quàm necessaria sit in urbibus, rebus publicis, vicis, ædibus privatis, in terrâ & in mari, etiam singulis hominibus, enarrent tam multæ artes quæ illâ administrâ fiunt, nec absque illâ fieri possent; quæ, cùm tot sint, enumeratione comprehendi nequeunt, singuli autem expendere possunt: quandoquidem à Rege ad opilionem, à summo Pontifice ad templi custodem, ejus usu carere nequeunt: deinde si consideremus quàm necessaria sit mulieribus in suis operibus acu pingendis, cùm in lineâ telâ, tum sericeâ, adeò expolitis & tenuibus, Naturæque opera imitantibus, ut etiam aves, quadrupedes, plantas earumque folia & flores ita exprimant, adumbrando etiam ramos & truncos sericeis variorum colorum staminibus, ut ipsas plantas in agris natas existimare quis possit: suæ enim Ma^tis picturam acu elaboratam conspexi, non minùs ad vivum expressam, quàm si insignis aliquis pictor illam coloribus imitatus fuisset: omnium istarum rerum instrumentum est acus, adeò exigua, ut inter digitos abscondi possit. Admirabantur Americani initio, dum Hispanos acu vestes concinnare viderent, rem miraculosam existimantes, & pro acu multum aurum rependebant: atque interrogati cur acus expeterent, quandoquidem nudi incederent, respondebant, illas pro re admirandâ quâ ipsi uterentur, retinere velle; tum etiam ut nigas (insecti illis familiaris genus) è pedibus eximerent faciliùs quàm ullâ aliâ re. Altera acus, ea est quâ naucleri utuntur, una sanè ex maximis rebus quæ in hoc orbe non multos ante annos repertæ sunt: illius enim adminiculo novi orbes, magna Regna, & Provinciæ anteà non conspectæ nec cognitæ, inventæ sunt, quæ numquam detectæ fuissent, nisi primùm illa innotuisset: quia dum illâ carebamus, navigatio brevis erat, & maris littora duntaxat legebantur: nunc illius ope, altum petunt, & ita navigant, ut navis, cui insigne Victoria, totum orbem circumiverit, quemadmodum Sol singulis diebus illum ambit: unâ enim navigatione duodecies millenas leucas confecisse dicitur: quodque magis mirum est, navis in medio Oceano octingentas aut mille leucas patente consistens, solo acus adminiculo, nec ullâ aliâ scientiâ, ad petitum portum pervenit. Constat autem acus illa ex chalybe, cui ab unâ parte magnes lapis adfricatus est; & illico, specificâ quadam virtute quam Deus illi indidit, eâ parte quæ magnete fricata fuit, arcticum Polum spectat, idque semper, sive in continenti, sive in mari, sive die, sive nocte, sole illustri aut nebuloso: cum illâ & navigatoriâ hydrographiâ, in quâ notati sint venti, rhombi, & portuum nomina, tot millenarum leucarum fit navigatio, ut quotidie videmus, atque adeò facilè, ut admirandum sit. Istius admirabilis acus inventio cuidam Melfensi in Italiâ Nauclero tribuitur. Utile præterea est ferrum, ad horologia fabricanda, quæ, præterquam quòd magno artificio conficiuntur, ad vitam normâ quadam & ordine traducendam valdè etiam sunt necessaria: nam illa indicant quando peragendæ sunt operæ, quanto tempore in illis commorandum: omnibus statibus, ad sapienter vivendum conveniunt; ubi enim nulla sunt horologia, instar brutorum animantium vivitur. Ceterùm hæc duo metalla, ut reliqua expoliuntur & lævigantur, auro & argento obducuntur, cæruleus & alii colores inducuntur, qui maximam addunt gratiam & venustatem, ut in

Acus ad consuendum.

Acus nautica.

Magnes.

Acus nauticæ inventor.

Horologia.

ut in catenulis illis conspicimus, quæ nunc temporis ex chalybe fiunt, adeò politis & tenuibus, quibus additi colores, illas adeo ornant, ut plerique aureis & argenteis torquibus præferant. Ex his metallis chymicâ arte liquor etiam extrahitur, perinde atque ex auro & argento: metallum etiam ad suum institutum aptius ferro non nosse asserunt chymistæ.

Liquor è ferro.

Gravem morbum, qui illud consumit, patitur ferrum, rubiginem videlicet: ad illam porrò arcendam varia sunt remedia; nempe, ut ea quæ ex ferro aut chalybe conflata sunt, nitida à sordibus adserventur, neque humentibus locis reponantur, ut creber illorum sit usus, ut inaurentur, aut argento obducantur, cæruleúsve color inducatur; his enim rebus à tali vitio liberantur: idem præstat inunctio ex oleo olivarum, aut medullâ cervinâ, aut avium axungiâ, vel cerusâ aceto permixta. Quando verò jam à rubigine occupata sunt, limâ abradenda illa est, & instrumenta in aceto mergenda, deinde igni imponenda: istis enim tollitur rubigo, nisi adeò instrumenta exederit, ut ejusmodi remedia recipere nequeant. Taceo industriam quæ ad illa ferruminanda, & in ferrariâ officinâ tractanda adhibetur, quia cùm jam sim defessus, ista prætereo atque alia multa quæ dicenda fuissent; & concludo, duo ista, ferrum & chalybem præ reliquis in hoc orbe terrarum ad humanum usum esse necessaria. D. M. Libenter audivi quæ Ortunnus disseruit, quia omnia ad confirmationem magnitudinis & excellentiæ pertinent, quam de binis his metallis prædicari audivi. Nam omnibus rectè perpensis, Aurum ad nullam aliam rem, ut plurimum, est commodum, nisi ad cudẽdos nummos, rebus necessariis emendis utiles; ad quam rem, quodvis metallum, vel alia res quæcunque usui esse potest. Antiquitus enim, ante quàm nummi cuderentur, omnia permutatione adquirebantur: cùm autem adeò justa pretiorum ratio in permutationibus iniri non posset, sapientes viri & respublicæ consilium inierunt de re aliquâ excogitandâ, quâ pretia æquarentur, & utrique parti fieret satis: eam ob causam inventa primùm moneta, quæ neque aurea erat, neque argentea, sed ferrea aut ærea, ut ex veteribus numis patet: deinde Romani ob metalli nitorem & elegantiam, primo bello Punico, ex auro & argento conflârunt: nam ob quam causam primùm instituta sit, ex ferro & ære fuisse, scire nos satis est. Sed & apud Americanos, etiam nunc fructus nummorum vicem supplet, præsertim *Cacao*, fructus arboris, amygdalæ persimilis, quo comparant, vendunt, ac suarum rerum pretia æquant. Nigritæ etiam in Guinea, exiguis conchiliis in mari lectis monetæ loco utuntur; sic aliæ nationes aliis rebus his similibus. B. Ego cum magnâ attentione vestrûm utrumque audivi; & certè de rebus magni momenti disseruistis. Cùm igitur tam industriè, & adeo doctè de Ferri materiâ oratio instituta sit, vellem dominus Doctor quidpiam nobis explicaret, de quo doctos viros disserentes audivi, de Ferri videlicet qualitate: quia alii calidum esse dicunt, alii frigidum: atque in utramque partem tantas altercationes audivi, ut me confusum reliquerint. Quandoquidem verò dominus Doctor, quæ sententia veritati sit magis consona, nos docere possit, gratum faceret, si nobis eam declararet. D. M. Iam pensum absolvisse & Burgo satisfecisse existimabam: ille verò in quæstionem in totâ Medicâ arte maximè difficilem me pertrahere studet, ad quam certè explicandam longiore tempore nobis opus esset. B. Hac ratione minimè te expedies, quia crastinus dies istius brevitatem supplebit. ORT. Valdè gratum etiam mihi esset: nam licet ea quæstio meæ professionis non sit, quia tamen de Ferro instituitur, libenter illam audiam. D. M. Ut talibus viris gratificer, conditionem in me recipio: itaque cras à meridie huc revertar, ut satis temporis habeamus ad ea explicanda, quæ de Ferro dicenda sunt. Nunc ergo exiguum illud tempus quod restat, visitandis ægris impendam, Burgus autem ad suam tabernam se conferet. Valete.

Rubigo, & ab ea præservatio.

Rubigo ut tollatur.

Moneta ex Metallis.

è fructibus.

Cacao.

è conchiliis.

DIALOGI DE FERRO

Pars altera.

D. M. BURGUM me hîc invenire gaudeo; adveniens enim illum accersiri jusseram, ne nobis idem, quod hesterno die, accidat, qui jam nocte hinc digressi sumus. B. Ad tanti momenti, adeoque serium & delectabile negotium maturè veniendum est. ORT. Sit salvus domini Doctoris adventus, qui fidem datam tam egregiè præstitit. D. M. Salve plurimum; porticus frigida est, atque talis ut sit, ingens hic æstus requirit. B. Quandoquidem jam consedimus, consentaneum est, ut D. Doctor nobis explicet ea quæ heri ab ipso petiimus, ne tempus nobis elabatur. D. M. In eo nunc sum, quia id nunc exigit tempus. Verùm adeò difficilis est ea quæstio, de quâ nobis agendum, ut

Veterum plerique, qui de Ferro egerunt, illam intactam prætermiserint, quòd dubitarent, calidúmne esset, an frigidum: atqui si qui eam quæstionem tractârunt, adeò succinctè & confuse id egerunt, ut ex eorum scriptis neque certi quidpiam, neque ipsa veritas elici possit: singuli enim eam sententiam sunt sequuti, quæ ipsis magis arridebat: idque ut faciliùs considerare queamus, eos recensebo qui unam opinionem, tum illos qui alteram sequuntur. *Varia de Ferri temperamento sententia.* Primùm itaque de iis nobis agendum, qui ferrum frigidum esse affirmant. Inter hos Galenus primum ordinem ducat: scribit enim omnia metalla suâ naturâ sicca esse, magnamque desiccandi facultatem obtinere, maximè autem præ reliquis ferrum. *Ferrum esse frigidum. Galenus.* Ut porrò demonstret simul cum istâ desiccandi facultate, refrigerandi vim obtinere, lapidi comparat: sic enim ait: Ut lapidis substantia constans & stabilis est, ob frigiditatem & siccitatem quam obtinet, ita etiam ferrum: ergò ferrum eâ naturâ præditum est quâ lapis, qui frigidus & siccus. Istam sententiam, quæ est lib. IX. Methodi, confirmat libro de Naturalibus facultatibus. Dura corpora partes magis terreas obtinere videntur: atqui ferrum est durissimum, magis ergo terrestribus partibus præditum erit, quàm reliqua; proinde frigidum & siccum. Ejus sententiæ est Averrois quinto Colliget: Corpora calore densata cum dominio terrestrium partium, frigida & sicca esse debent, ut ferrum. *Averrois.* Albertus Magnus in Meteoris, Ferrum incensum fit rubrum, quia maximè terrestrium est partium. *Albert. Mag.* Idem confirmat libro de Metallis. Conciliator in differentiâ CLV ait, In ferro non observatur expresse, quales sint ejus facultates activæ, attamen frigidum est & siccum: eadem verba repetit differentiâ CXXVIII. *Conciliator.* Gentilis in quæstione de Medicamentorum actione, ferrum esse frigidum & siccum scribit. *Gentilis.* Herculanus cap. de Vomitu, idem confirmat. *Herculanus.* Iacobus de Partibus supra Secundam Primæ, ferrum frigidum & siccum esse pronunciat. *Iacobus de Partibus.* Observamus aquam, in quâ ferrum extinctum sit aut chalybs, frigidam & siccam esse. Avicenna Secundâ Primæ, bilem extinguere, & sitim æstumque sedare, præsertim æstivo tempore, auctor est. *Avicenna.* Ad hoc alludens Manardus, aquam chalybeatam frigidam esse ait, quandoquidem sitim extinguit, & æstatis calorem mitigat, atque ob acquisitam siccitatem putrefactionem in febribus prohibet, &, in febribus alvi profluvio conjunctis, singularis est efficaciæ. *Manardus.* Albucasis, Libro cui titulum fecit De Cauteriis, adhibenda capiti cauteria, ex auro fieri debere asserit (quia temperatissimum) minimè autem ex ferro, quod naturâ frigidum est. *Albucasis.* Brasavolus libro de morbo Gallico, ferrum dicit frigidum & siccum, ut ex colore, substantiâ, & gravitate, quibus præditum est, apparet: ista enim terream substantiam semper comitantur, ut levitas substantiam calidam aëream: atque ex effectu frigidum esse deprehenditur, quandoquidem biliosa alvi profluvia reprimit, & calidas defluxiones cohibet: quod enim ista præstat, semper frigidum & siccum est. *Brasavolus.* Savonarola frigiditatis & siccitatis gradus addit, frigidum videlicet esse in secundo, & siccum in tertio. *Savonarola.* B. Ne ulterius prosequaris domine Doctor, hæc enim mihi sufficiunt; neque dubito, quin ferrum siccum & frigidum sit, & semper in ea opinione fui: nunc autem cum à talibus Auctoribus confirmetur, illam certiorem esse mihi persuadeo. D. M. Breviter suam sententiam expedivit Burgus, non auditâ alterâ parte: & tamen vulgò dicitur, Iudicem binis auribus debere esse præditum, unâ, ad hanc partem audiendam; secundâ, ad alteram: atque cùm adversam partem audiet, ferrum calidum esse affirmantem, & tam celebrium scriptorum auctoritate nitentem, fortè de tam præcipiti judicio ipsum pudebit. B. Fierine potest, ut quis dicat istud ferrum adeò durum, frigidum & grave, non esse frigidum, sed calidum? credere nequeo, nisi sophisticis utatur argumentis. D. M. Minimè gentium, sed rationibus valde claris, à primæ notæ Medicis ac Philosophis prolatis: *Ferrum esse calidum.* atque ut initium faciamus, ipse Galenus primus sese offert, qui lib. IX. Medicamentorum simplicium, metalla, multâ substantiâ igneâ aliis permixtâ, prædita esse dicit. *Galenus.* Quàm rationi consonum sit, ferrum magis illâ præditum esse, quàm reliqua metalla, proferat Rasis, qui XXI Continentis, ferro tertium caliditatis & siccitatis gradum tribuit, suamque opinionem, Messæ medici & Philosophi suâ ætate percelebris testimonio confirmat. *Rasis.* Ali Abas quinto suæ Theoricæ, aquam chalybeatam, calidam & siccam constituit, quoniam ventriculi superfluitates absumendi, & lienem dissolvendi facultatem habet, quæ caloris opera sunt. *Ali abas.* Avicenna secundo Canone, chalybeatam aquam resolvere scribit, quod caloris est proprium: eandem ipse præbet in paralysi, morbo magnâ ex parte proveniente à frigidâ causâ. *Avicenna.* Conciliator commentariis in Aristotelis problemata, in hoc negotio valde dubius est: nam Auctores qui de ferro egerunt, nihil statuisse dicit, calidúmne esset, an frigidum: se autem ejus esse sententiæ, ut calori quàm frigiditati proximius sit. *Conciliator.* Avicenna ferri scoriam calidam statuit. Ejusdem sententiæ est Matthæus de Gradi. *Matth. de Gradi.* Circa instans similiter pervetustus practicus. *Circa instans.* Albertus Magnus libro tertio de Metallis dubium non esse scribit, quin aurum & æs calida sint; præsertim æs, ut majoris adustionis particeps, cujus causâ, etiam ferrum *Albertus Mag.*

 caloris

Astrologi. caloris particeps est. Astrologi etiam calidum esse declarant, quandoquidem sub Martis dominio constituunt, Planetæ calidi & sicci. Præter auctoritates tam gravium virorum, ipsa ratio, & ejus actiones id demonstrant: videmus enim ventriculi superfluas humiditates absumere, obstructiones aperire, menses provocare, absumere & desiccare, quæ sunt caloris opera. Sed animadverto Burgum ex jam dictis dubium esse redditum, nec adeò confidentem, ut antea erat. B. Verum id est; nam auditis tam gravium virorum sententiis, & adeò probabilibus rationibus ferrum esse calidum, valdè dubius sum redditus; ut statuere nequeam, cui parti fidem adhibere debeam. D. M. Sic etiam plerique alii de ferro scribentes, nihil certi statuere potuerunt, & de ejus temperamento siluerunt, ignari in quam partem vergerent, observatâ opinionum varietate quam enarravimus. B. Docti & ingeniosi viri officium esset, ut isti Auctores, qui tanto tempore discordes fuerunt, conciliarentur: atque meâ opinione dominus Doctor id commodè præstare posset, quandoquidem Græcos cum Arabibus conciliavit, in controversiâ de venæ sectione in pleuritide, & alias controversias de hac materiâ ortas. Cumque illud opus adeò æstimatum & acceptum ubique fuerit; sic etiam hoc commendabitur, si graves auctores adeò differentes conciliabuntur. D. M. Istud præstare posse, difficile videtur. B. Tanto præstantius & majore æstimatione dignum. D. M. Ut Burgi petitioni satisfaciam, meam sententiam proferam, certam veritatem eliciendi potiùs desiderio, quàm ut me judicem statuam, & definitivam sententiam pronunciem.

Auctorū conciliatio. Ex Avicennæ reliquorumque auctorum sententiâ jam diximus, omnia metalla ex sulphure & argento vivo fieri; ex sulphure quidem, ut patre; argento autem vivo, ut matre: uno tamquam agente, altero tamquam materiâ: quæ cùm ita sint, materia ex qua ferrum generatur, ex his duobus constat, ex sulphure nempe calidissimo, & argento vivo frigidissimo, quæ Natura in Terræ visceribus concoxit, & in metalla secundum singulorum qualitatem conflavit. Itaque ubi ista duo principia puriora fuerunt, aurum conflatum est: ubi autem crassa & impura fuerunt, alia crassiora: & ex maximè impuris & adustis ferrum est generatum, quod cùm ab impuris crassisque principiis originem trahat, omnium metallorum est durissimum, ut suâ soliditate & duritie reliqua metalla domaret, instrumentúmque fieret necessarium ad ea in usum convertenda: ferrum igitur ex duobus his principiis sulphure & argento vivo natum est, illo calido, hoc frigido: temperamentum itaque obtinere debet istarum duarum qualitatum particeps. Argenti enim vivi ratione frigidum est, & quia manifestâ humiditate cum istis qualitatibus mixtâ caret, siccum est, & proinde durum & frigidum. Sulphuris porrò ratione, calefacit, absumit, desiccat, aperit, roborat, orexin excitat, & admirabilia opera præstat, quæ à calore illi insito fieri infrà referemus. Argenti autem vivi, crassi, impuri, ex quo conflatum est, ratione, cum terrestri facultate ipsi permixtâ, refrigerat, sistit, densat, adstringit, coagulat, prohibetque omnis generis defluxiones; adstrictione, alvi profluvia sistit, refrigerat & calorem temperat, aliaque plurima præstat, quæ à frigiditate oriuntur: sic ut ex jam dictis appareat, ferrum tam contrariis facultatibus præditum esse, quia ex rebus contrariâ qualitate constantibus compositum est, quæ suas vires exerunt pro subjecti ratione: nam ubi apertione opus est, aperit; ubi verò restringendum est, restringit. Præter istas autem qualitates, aliam habet primariam, ut præ reliquis metallis sit siccissimum; cujus siccitatis ratione, pleraque ex prædictis operatur: itaque calefaciendi, refrigerandi & siccandi vim habet. Hinc factum est, ut nonnulli calidum illud dixerint, quia caloris munia obit: alii verò, frigidum, quoniam refrigerandi vi præditum esse observârunt: quod accidit, quia ex duobus principiis contrariis uno calido, altero frigido, compositum est. Ex his patet neutros hallucinari, qui vel frigidum esse & refrigerandi vi præditum, vel calidum, & calefaciendi facultate donatum dixerunt. B. Dextrè & prudenter dominus Doctor controversiam quæ in hoc negotio versabatur, & cum magnâ nostrâ satisfactione conciliavit: sed superest adhuc unus scrupulus; nimirum an Argentum vivum sit frigidum, quemadmodum dicit. Nam quidam frigidum esse asserunt, atque id probant ex ejus gravitate, colore, contactu, & quem præstat effectu, quandoquidem qui illud tractant, paralytici redduntur, & in animi deliquium, nervorum tremorem, artuumque relaxationem incidunt, & multi intereunt apoplectici, qui omnes morbi à frigidis causis oriuntur. Alii, qui Argentum vivum calidum constituunt, ab effectu suam opinionem confirmant: quia articulis aliisque corporis partibus eo inunctis calores excitantur, os faucesque inflammantur, tum etiam gingivæ & palatum incenduntur, & vehementissimi sudores excitantur: ex illo pariter potentissimum illud corrosivum effici videmus, Sublimatum appellatum, omnes partes, quibus applicatur, incendens ac corrodens; ex eo item conficitur causticum illud corrosivum, pulvis videlicet Præcipitatus: dubium igitur est negotium & difficile, quandoquidem adeò contrarias facultates obtinet

Argentum vivum an frigidum.

Argentum vivum an calidum.

obtinet refrigerandi & calefaciendi. D. M. In eâdem difficultate hæremus, in quâ de Ferro. Sed quid præterea requirit Burgus? B. Ut cùm ex priore dubitatione nos exemeris, istam alteram etiam adimas. D. M. Tam seriò id expetere Burgus mihi videtur, ut negotium expedire cogar; in omnibus enim illi gratificari cupio: sed paucis verbis, quia jam advesperascit.

Argentum vivum ex diversis partibus compositum est: nam aqueæ quibus præditum est, terrestribus permixtæ sunt, quæ illi vim & robur addunt: sulphureas etiam partes admixtas habet, quod deprehenditur si manibus tractetur, nam illæ sulphuris odorem contrahunt: est igitur Argentum vivum ex diversis partibus conflatum: aqueæ & terrestres refrigerandi vim illi tribuunt, unde operationes quas enumeravimus oriuntur: & sulphurearum aërearumque partium quas obtinet, ratione, calefacit, penetrat, aperit, extenuat & sudorem provocat, abundantem humorem per os & alvum expellit calefaciendo, exulcerando, aliosque calidos effectus præbendo: itaque mirum non est, si contrariarum sit facultatum, cùm diversis partibus constet: & illud ipsum obtinet quod ferro inesse diximus. Istâ ratione solutum est propositum à Burgo dubium. B. Mihi quidem abundè satisfactum est jam prolatâ oratione, non tamen adeò, quin aliquid relictum sit, quod dominum Doctorem perconter, majoris momenti, quàm reliqua supra dicta, facultates nimirum, quas ferrum & chalybs in medicâ arte obtinent, quas magnas esse prædicant. D. M. Tot Auctorum cùm veterum, tum neotericorum qui de Ferri & Chalybis facultatibus scripserunt, sententias repetere molestum erit: nam magno numero sunt, & varia prodiderunt: nihilominus, cùm nobis incumbat ea provincia, tempore utamur, ut maturiùs absolvamus. Ex jam dictis intellexistis ferrum & chalybem idem esse metallum, in eoque solo duntaxat differre, quòd chalybs ferrum purius sit, ideoque magis solidum & forte. Veteres autem, ut chalybem non noverunt, de ferro solummodo egerunt, illique medicas facultates quas enarrabimus attribuerunt: ferri autem nomine chalybem intelligemus, cùm ab eo non differat, nisi quòd purius sit, & ab omnibus impuritatibus liberum; eam ob causam chalybs magis refrigerat & exsiccat, quàm ferrum: sed ubi calefaciendum est & aperiendum, majore facultate præditum est ferrum, quia à sulphureis partibus nondum est liberum, quas valdè amittit in chalybem conversum.

Ceterùm antè quàm ulteriùs progrediamur, ad ferri facultates faciliùs explicandas, quâ ratione præparandum sit, sciamus necesse est: nam nisi præparatum sit, neque in medicamenta recipi potest, neque ullius est efficaciæ, cùm durum sit metallum: eam ob causam, cùm nobis adsit Burgus, qui in suâ arte totâ Hispaniâ nulli cedit, ejus præparandi rationem nobis declarare poterit, ut porrò in hac materiâ pergamus. B. Cum magnâ animi attentione ea quæ hîc de ferro & chalybe sunt proposita audiebam, meque ab illorum tractatione liberum fore existimabam: sed quandoquidem domino Doctori placet, ut utriusque hujus metalli præparationem edisseram, id faciam, ut etiam pro meâ parte laborem: tametsi, si domino Doctori hunc laborem suscipere luberet, id non minùs dextrè explicare posset, quàm alius quispiam in universo orbe, cùm ejus rei peritus sit, nec illum quidquam in medicâ arte fugiat: tam commodum ergò censorem cùm habeamus, si quâ in re hallucinatus fuero, me admonere poterit.

Singula nisi calcinentur, & ut decet præparentur, nullius sunt in medicinâ usus, neq; eas facultates quas obtinent, propter crassitudinem & duritiem exercere possunt. Chymistæ in iis calcinandis & præparandis sunt industrii, quandoquidem aurum & argentum potabilia efficere, & in pulverem redigere illos videmus: idem præstant in plumbo, ære, stibio, & aliis metallis, quæ calcinant & præparant, ut ea in pulverem redacta, in medicamenta recipi possint. Ferrum similiter calcinandum & præparandum in eundem effectum, sed longè aliâ ratione, quàm cetera metalla, ut insigniter docet Bulcasis medicus Mauritanus, qui ferri præparandi peculiarem rationem docet. Sic enim ait: Ferri limatura pura & ab omni mixtione libera (si enim æs, plumbum, aut vitrum admixtum haberet, & sic alicui bibendum propinaretur, occideret) eâ quantitate sumenda est, quæ placebit: ea probè abluatur, deinde in limpidum vas infundatur, & aceto superinjecto, vas benè obturatum securo aliquo loco reponatur, & per triginta dies, aut ad minimum * septem adservetur: iis elapsis, eximatur; & æruginosum colorem limatura contraxisse conspicietur; quæ reficcanda erit, deinde in pollinem reducenda, cujus usus est: nonnulli aquâ dulci, aut aceto eluunt, & per lineum pannum transcolantes, puro vase recipiunt, & cooperiunt donec putrescat, deinde illam lotam adservant. Quod hic Mauritanus dicit, ex Averroë desumptum videtur in quinto Colliget, ubi ejus præparationem his verbis describit: Ferrum tenuissimè tritum, frequenter aceto aut caprino lacte eluatur. Eum sequutus Christophorus de Honestis, Commentariis in Mesuem, ait: Chalybis limatura per multos dies aceto

Utriusque opinionis conciliatio.

Ferrum præparandum, ut eius in medicinâ sit usus.

Ferri præparandi ratio.

Bulcasis.

** Mendum in Hispanico exemplari esse arbitror, & fortassis XXVII legendum.*

Averrois.

Christophorus de Honestis.

maceretur, quia aliâ ratione inutilis erit ejus usus, licet nonnulli in caprino lacte, aut sero macerent, aliqui etiam in oleo amygdalarum dulcium, atque ita sumunt. Eâdem præparatione utitur Clemens Clementinus. Ceterùm vix credibile videtur, ferrum aut chalybem calcinari aut putrescere posse, ut necessarium est, in ullâ ex prædictis rebus; solum acetum acre calcinat, & putrefacit, ut in pollinem, quemadmodum decet, ad illud usurpandum, reduci possit: majoris autem elucidationis causâ, meam præparandi rationem indicabo. Quam maximè purum eumque album chalybem nancisci possum, sumo; idem de ferro ago; limâ in tenuissimam scobem redigo, eam scobem tantisper eluo, donec aqua clara & limpida remaneat: in fictile vitratum elotam scobem injicio, & tantum aceti albi adfundo, quantum ad scobem bene commiscendam satis est: vas probè obturatum & securo loco positum, per triginta dies quiescere sino, singulis septimanis probè commiscendo, & addito aceti momento, si opus sit: post hos dies, cùm exactè calcinata fuerit scobs, in ampliore vase illam spargo, vel in mensam, ut in umbrâ siccetur: siccam in æreo mortario molo, & per densum cribrum bis trajicio: in pollinem ita reductam, in pictoriam concham limpidam repono, atque istic cum pistillo ita remolo, ut digitis sumpta, nullum corpus habere deprehendatur. Nisi hac ratione præparetur, nunquam rectè in pollinem reducetur, quod tamen necessarium est, ut suas vires exerere possit: pulvis hac ratione paratus vitreo vase adservatur. Aliqui cum gummi tragacanthæ macerato pastillos formant, quod mihi valdè probatur, quoniam meliùs adservari possunt, & gummi aliquid siccitatis adimit.

Clemens Clementinus.

Præparatio.

Non incommode hîc inserendam arbitror eam præparandæ chalybis limaturæ rationem quam C. V. Joannes Heurnius Medicus mihi indicabat (facilis enim est) quâque felici successu plerumque se usum asserebat. Chalybis, inquit, limaturam accipio, hanc aceto lotam cum caryophyllorum parte commisceo. Istius misturæ libram indo vini Hispanici, quod à Petro Ximenez vulgo nomen obtinet, sex vel septem libris: phialæ vitreæ hanc miscellam indo, & æstivis solibus expono, ac sæpe vas moveo. Hac ratione in liquorem abit tota ferè chalybis limatura. Ejus liquoris cochlear unum manè præbeo admistis aquæ endiviæ vel fumariæ aut alterius duobus cochlearibus, atque ut æger horæ spacio ambulet, jubeo. Ventriculum recreat, lienem à duritie vindicat, ac menses abolitos movet.

Alia facilis præparandæ limaturæ ratio.

Enarratâ chalybis præparatione, & ferri, quæ similis esse debet; Doctoris munus erit, ut ejus facultates nobis dicat. D. M. Diligentem metalla præparandi rationem, quam Burgus retulit, libenter audivi: & cùm ad eorum medicas facultates enarrandas obstrictus & devinctus sim, ea dicam, quàm commodè fieri poterit, quæ ex auditu & lectione percepi, quæque longa experientia me docuit.

Duobus modis in medicâ arte utilia sunt hæc metalla: uno, ut ex iis instrumenta parentur in cheirurgicis operibus necessaria, sine quibus neque cheirurgi, neque tonsores sua munia exequi possent: instrumenta verò illis necessaria velle enumerare, infiniti laboris esset. Ceterùm ferri & chalybis in medicinâ sunt magni & admirabiles effectus: variis enim & diversis ægritudinibus medentur. Plinius Historiæ Naturalis lib. XXXIV. cap. XV enumeratis multis de ferro rebus ad humanos usus & alia pleraque necessariis, medicas ejus facultates etiam recenset, prodito primùm illius temperamento & qualitate. Ait enim: Vis ejus (rubiginis videlicet) ligare, siccare, restringere. Emendat alopecias illita. Vtuntur & ad scabritias genarum pustulasque totius corporis cum cerâ & oleo myrteo: ad ignes verò sacros ex aceto: item ad scabiem, paronychia digitorum, & pterygia in linteolis. Sistit & feminarum profluvia imposita velleribus, aut cum xylo. Plagis quoque recentibus vino diluta, & cum myrrhâ subacta, & condylomatis ex aceto prodest. Podagras quoque illita lenit rebus convenientibus admixta. Sanguinem sistit, cùm vulnera maximè ferro fiant. Propinatur contra lienis vitia, absumit enim illa. Hæmorrhoidas compescit, hulcerumque serpentia. Genis prodest farinæ modo aspersa paulisper: præcipua tamen commendatio ejus in hygremplastro ad purganda vulnera fistulasque, & omnem callum erodendum, & rasis ossibus carnes recreandas. Hactenus Plinius. Galenus in Theriacâ ad Pisonem, valdè commendat ferrum, cùm quòd ad hominum usum valde necessarium, tùm quòd sit medicamentum ad resiccandas defluxiones, & lacrymas oculorum præstantissimum. Libro autem de Dissolutione continuâ scribit ferri laminas ignitas in lac injectas, nimiam ejus humiditatem absumendo, alvi profluviis prodesse: præsertim autem dysenteriis. Decimo porrò de simplic. med. facult. ad dysentericos fluxus lac in quod injecta sint candentia ferri fragmenta præberi jubet, quia ferrum majorem siccitatem lacti imprimit, quàm igniti lapides injecti. Alexander Trallianus eum sequutus, quâ ratione in alvi profluviis lacte utendum sit, scribit, si febris adsit: ne enim lac in febre noceat, sed profluvio commodum sit, cum quartâ aquæ parte coqui jubet ad dimidias: istâ enim ratione, sine noxâ præberi posse in febribus quibus conjunctum alvi profluvium, & ferri candentis laminas præstare

Ferri & chalybis facultates.

Plinius.

Galenus.

Alexander Trallianus.

injici dum lac coquitur, quàm lapides. Paulus ferè idem cum Galeno dicit, ferri pollinem cum acri aceto mixtum, & ad lævorem redactum, mirificè eos juvare, quibus aures longo jam tempore sanie fluxerunt: & efficax remedium esse adversus sumptum aconitum: aquam item, in quâ extinctum sit candens ferrum, epotam, spleneticis competere, cholerâ morbo vexatis, & cœliacis stomachoque exolutis. Dioscorides capite de Rubigine ferri vinum, aquámve in quâ candens ferrum restinctum sit, potu cœliacis, dysentericis, lienosis, cholerâ laborantibus & stomacho dissolutis auxiliari scribit. Aëtius de pastillis agens, ad lienis obstructiones valdè commodis: Lienosis, inquit, præstantissimum sunt remedium, aqua, vinum aut posca, in quibus ferrum extinctum fuerit, per multos dies sumpta: aqua quidem iis qui febricitant, vinum autem illis qui febre non laborant, & imbecilles sunt: ferrum verò quod restingui debet, Stomoma sit, quod nos chalybem vocamus; ut ex ejus Auctoris multis locis patet. Oribasius cœliacis & lienosis multum conferre auctor est. Scribonius medicus Latinus vetustissimus, aquam chalybeatam valdè commendat ad tumores, ad ulcera quoque & dolores vesicæ, præcipuè si frequens sit ejus usus. Rasis in Continente, de ferro agens, eadem scribit quæ Galenus & Paulus, illud addens, ferrum immoderatos mulierum fluxus sistere, & conceptum, erysipelata & panos curare, pterygiis oculorum & palpebrarum asperitatibus mederi, hæmorrhoides sanare, putrescentibus gingivis auxilio esse, podagricis cheiragricisque utilem esse, alopecias explere, etiam inveteratas: aquam verò in quâ candens ferrum restinctum sit, alvi profluvium sistere, licet inveteratum, & prodesse alvi profluvio in quo cibus indigestus egeritur, atque etiam dysenteriæ: lienis tumoribus utilem esse, ventriculi relaxationibus & debilitatibus. ex Mariceris veteris medici porrò auctoritate scribit, ferri pulverem cum serapio sumptum, imbecillem ventriculum roborare, quod etiam Mesue medici auctoritate confirmat: adiiciens multâ experientiâ comprobari, ad hæmorrhoides conferre, atque ad urinæ fluxus, & immoderatas mensium purgationes. Hæc Rasis. Serapio eadem ad verbum sequutus est: quapropter repetenda non duxi. Avicenna quoque per omnia Rasin sequitur, his tamen additis: aquam in quâ ferrum restinctum sit, internas partes, & ventriculum suâ proprietate & qualitate manifestâ roborare, quia illa aqua superfluos ventriculi humores absumendi vim obtinet, qui appetitum deiiciunt ventriculi orificium relaxando, & naturalem calorem extinguunt: ferrum quoque, ob frigidum & siccum suum temperamentum, orificii ventriculi corrugationem juvat, quâ generatur appetitus: roborat item jecur & reliquas interiores partes: naturalem calorem juvat, & villos eâ ratione condensat & firmat, ut ad obstructiones dissolvendas vires adquirat: eam ob causam lienem absumit, & generativam facultatem fortiorem reddit, humiditatem, quæ impedit, absumendo, & naturalem calorem, ad id valdè necessarium, adgregando: si verò hoc suâ qualitate non præstat, per accidens id agit. Hæc omnia sunt Avicennæ in secunda parte Primi. Idem secundo Canone ferrum valdè commendat ad erysipelas, apostemata & podagram, atque cum aceto tritum, auribusque impositum, saniei antiquæ ex auribus fluenti medetur: utile etiam ad palpebrarum asperitates & oculorum ungulas: addit, vinum in quo id extinctum, splenis apostemati, stomachi mollificationi & debilitati conferre, superfluam uteri humiditatem abscindere, hæmorrhoides exsiccare, inveterata alvi profluvia & dysenterias sistere, ani mollificationi, involuntario urinæ fluxui, immodicisque menstruorum purgationibus, tum ad venerem proritandam conferre. Hactenus Avicenna. Ali abbas Theoricæ quinto: aqua in quâ ferrum restinctum, alvum sistit, membra roborat, si eâ laventur, & lienis doloribus atque apostematibus conducit. Albucasis, Ferri præparati usum conferre ait illis, quibus facies est decolor & pallida, atque corpora pinguefacere; quod accidere puto, quia recuperatâ sanitate vir pinguescit. Idem ferè referunt Alzaravius & Isac.

Æginetа. *Dioscorides.* *Aëtius.* *Oribasius.* *Scribonius.* *Rasis.* *Mariceris.* *Serapio.* *Avicenna.* *Ali abbas.* *Albucasis.* *Alzaravius.* *Isaac.*

B. Tractarúntne hanc materiam Neoterici medici? vix arbitror, quandoquidem veteres adeò multa scripserunt. D. M. Imò plerique & illi valdè eruditi. B. Nobis igitur gratum erit, si dominus Doctor, quid singuli dixerint, referat, ne quid de hac materiâ prætermittatur. D. M. Faciam, quia nonnulli diligenter & accuratè de ferro, ejus usu & insignibus facultatibus scripserunt, tum etiam de chalybe. Vitalis de Furno, medicus & Cardinalis, peculiari capite de Ferro agens, Ferri ramenta reficcatoriam & attenuatricem facultatem habere ait, quâ lienis obstructiones aperiunt & curant, dysenteriam & quodvis alvi profluvium sistunt, in cibo aut potu sumpta: vinum in quo ferrum sæpiùs extinctum sit, lienis obstructionibus convenit: utile quoque lac in quo chalybs extinctus sit. Nulli rei cedit ferrum, præterquam Adamanti ipso potentiori, & à quo absumitur. Nullum metallum rubigini magis obnoxium quàm ferrum, præcipuè si humano sanguine fuerit infectum; à quâ liberatur, si expolitum cerusâ, aut medullâ cervinâ, vel oleo olivarum, vel aceto in quo

Neoterici. *Vitalis de Furno.*

quo alumen maceratum, inungatur. Hæc ſcribit Cardinalis Montagnana Conſilio centeſimo ſexageſimo primo; atque magni ſecreti loco addit, craſſum lineum pannum acri & calenti aceto intinctum, in quo chalybis fragmentum extinctum ſit, per multos dies obſtructi ſplenis regioni impoſitum, admirabiliter conferre. Michaël Savonarola libro quem de Balneis inſcripſit, Ferrum, inquit, frigidum & ſiccum eſt; eam ob cauſam adſtringit & conſtipat: aqua igitur in quâ ferrum extinctum fuerit, eaſdem facultates obtinebit, & ceteras quibus ferrum eſt præditum, quia aqua ejus facultates in ſe recipit, teſte Galeno, qui ſcribit aquam in ſe recipere temperamentum & facultatem earum rerum quas in ipſâ maceramus aut coquimus, propterea iisdem viribus pollere. Aqua igitur in quâ ferrum reſtinctum ſit, aut chalybs, adſtringit, defluxiones ſiſtit, rupturis impoſita, glutinat & conſolidat: aurium purulentam materiam antiquatam abſumit: ferri vel chalybis ſcobs palpebrarum aſperitatibus prodeſt, maculam in oculo tollit, & laxas gingivas adſtringit: panniculus hoc pulvere præparato imbutus, & in uteri os immiſſus, fluxum ſiſtit, idem præſtat in hæmorrhoidum ſanguinolentis fluxibus: is pulvis aconito etiam adverſatur: vinum in quo reſtinctum ferrum candens aut chalybs, utile eſt in lienis obſtructionibus, & ventriculi imbecillitate & relaxatione, in omnibus quoque defluxionibus, præcipuè bilioſis, convenit hydropicis, urinæ ſtillicidio, ejuſque fluxui involuntario, immoderato menſium profluvio, anuſque procidentiæ. Hæc Savonarola. Nicolaus Florentinus chalybem in ſplenis obſtructionibus valdè commendat, atque etiam aquam in quâ chalybs fuerit reſtinctus. Bartholomæus Anglicus ferri & chalybis uſum plurimum extollit, atque auro & argento ad humanos uſus præfert, quia ſecuritatem binis iſtis pretioſis metallis præſtant, illa defendendo ab his qui aſſiduè ipſis inſidiantur: tutam reddunt Iuſtitiam, Reſpublicas conſervant: per illa caſtigantur mali, defenduntur boni: in omnibus mechanicis artibus neceſſaria ſunt: iis enim coluntur agri, ex quibus alimenta habemus, & majores facultates medicas obtinent, quam aliud quodlibet metallum: quia ejus ſcobs deſiccat & extenuat, ſplenis obſtructiones tollit, quamvis alvum lubricam ſiſtit, tametſi ſanguis etiam reiiciatur, ad pleroſque alios quoque uſus utilis eſt. Hæc omnia eruditus ille Anglus. Gulielmus Salicetus in curâ obſtructionis lienis, chalybis ſcobem ad lienem ab obſtructionibus liberandum propinari jubet, idque magni ſecreti loco ponit. Platearius cap. de Ferro, Ferri ſquama, inquit, & rubigo, chalybs quoque, ejuſdem ſunt temperamenti & facultatis: ſcobis ejus præparatæ, ut decet, quinque ſcrupuli ex vino calido ſumpti, hepar & lienem ab obſtructionibus etiam inveteratis liberant. Matthæus Silvaticus ferri rubigini & ſquamis eaſdem facultates tribuit quas chalybi: horum præparatorum & in pollinem redactorum quodlibet, inveteratis obſtructionibus cum vino tepido ſumptum medetur: idem pulvis xylino ellychnio cum verbaſci ſucco exceptus & hæmorrhoidibus impoſitus, eas curat: ad anum procidentem, præcipuè à causâ calidâ, vini rubri adſtringentis ſupra ferrum candens affuſi fumus ſeu vapor exceptus utilis eſt. Clemens Amerinus, deſcriptâ pulveris chalybis præparatione, dimidiam ejus drachmam cum ſaccharo roſato miſceri, & jejuno ventriculo ſumi jubet, ad prohibendum ne pravi humores in corpore generentur; illorum enim putredinem arcet, & ventriculi nimiam humiditatem exſiccat, orexin excitat, internas partes roborat, jecur infirmum & reliquas partes ad temperiem reducit, præſertim ſi pulveri addantur aromaticæ ſpecies, faciei colorem emendabit, & lucidum reddet. Chriſtophorus de Honeſtis traditâ præparandi chalybis ratione, admirabilis efficaciæ eſſe ait pulverem præparatum cum ſaccharo roſato ſumptum matutino tempore, quia orexin excitat, ſtomachi villos roborat, ejuſque ſuperfluos humores abſumit: quâ re efficitur, ut digeſtiva facultas ſuas vires magis exerat: cachexiam curat, & tumores ex obſtructione, aut malâ jocinoris temperie provenientes: utilis eſt iis qui faciem decolorem & pallentem vel cineraceam habent, roborando jecur: hydropiſin prohibet, eamque incipientem tollit: breviter, omnibus corporis putredinibus reſiſtit, & omnes corruptos humores, internarum præcipuè partium, ad temperiem reducit. Matthæus de Gradi, ad immoderata menſium & alvi profluvia valdè commendat, & ex Avicenna viceſimâ Tertii ſumit, qui diverſis locis ſcribit ſimilibus prodeſſe fluxibus; GonorrhϾ item, veneri excitandæ, urinæ abundantiæ & albis mulierum purgationibus. Cùm porrò ſim defeſſus (in longum enim de rebus magni momenti ſermonem produximus) finem huic negotio imponam, & cùm dies jam nos deficiat, etiam ſi adhuc alia ſeria in medium proferre vellemus, tempus deeſſet. B. Solem curſum ſuum diſtinuiſſe cuperemus, ut longior dies fieret, ad ea percipiendum, præſertim ſi, his quæ dicta ſunt, ſimilia eſſent: nunquam enim cogitaſſem de re adeò neglectâ in medicinâ, ut ferrum eſt, tam multa dici potuiſſe, aut cognoſci: nam ſi quæ dicta ſunt memoriâ repetamus, nullus eſt in homine morbus à plantâ pedis uſque ad ſummum capitis verticem, in quo ferrum utile non ſit: & præ ceteris mihi probatur,

Savonarola. *Nicolaus Florentinus.* *Bartholomæus Anglicus.* *Salicetus.* *Platearius.* *Matthæus Silvaticus.* *Clemens Amerinus.* *Christophorus de Honestis.* *Matthæus de Gradi.*

batur, auctorum adeò eruditorum in rebus tanti momenti conciliatio. D. M. Ne miretur Burgus, si Gentilis, observans quantâ difficultate auctores conciliare posset, ad occultas causas negotium traduxit: sed ex jam dictis appâret, quantum hallucinatus fuerit, quandoquidem diversæ partes quibus ferrum constat, manifestæ sunt causæ, cur diversorum affectuum sit & operationum. B. Vnus scrupulus mihi restat, videlicet, an Magnes in pollinem tritus & præparatus ferri & chalybis instar (ejusdem cum ferro naturæ quum sit) easdem cum illis habeat facultates. D. M. Magnetis natura cum ferri natura valdè convenit, ut ex ejus colore, pondere, & substantiæ ratione appâret, atque ipsius cum ferro sympathiâ; quandoquidem illud, etiam si longè absit, ad se veluti rem sibi peculiarem attrahit: neque solùm Magnes ipse hoc facit, sed etiam instrumenta illo contacta, ejus facultatis participant non minùs quàm ipse lapis: atque ista contingunt ex magnâ similitudine & sympathiâ quæ illi cum ferro est, occultâ similiter proprietate quam illi tribuunt: nam istam attrahendi facultatem obtinet vel à similitudine, vel à proprietate quibus hic lapis præditus esse debet: Adamas ejus hostis est, adeò ut dicant nonnulli, in ejus præsentiâ ferrum non attrahere. Longè majore vi pollet, inquit Galenus, Magnes quàm ferrum, quandoquidem hoc ab illo trahatur, cùm sint ejusdem speciei. Quapropter veteres eandem illi cum ferro facultatem tribuunt, ad lienis & aliarum internarum partium obstructiones. Galenus auctor est, ejus usum hydropisin curare, & crassos humores educere. Serapio, cum melicrato sumptum, alvum subducere, præcipuè verò crassos humores evacuare: plerique ad hydropem commendant cum mulsâ: sed magnetem ut in usum recipiatur, non secus quàm ferrum, præparari debere intelligo. B. Porrigitne interdum dominus Doctor ferri scoriam præparatam? illam enim ex peregrini cujusdam medici præscriptione paravi, qui ejus pollinem in obstructionibus propinabat, & chalybis pulveri præferebat. D. M. Ex Plateario & Matthæo Silvatico jam diximus, ferri scoriam, rubiginemque, ferrum & chalybem, eâdem facultate pollere; eam ob causam, illa præparata, iisdem rebus conveniet: & ad resiccandas consumendasque ventriculi humiditates & lentos humores, magnam efficaciam habere audio, quia ferri & chalybis scoria eorundem metallorum sunt pars calidior & siccior: itaque Galenus cum aceto præparari jubet, & in tenuissimum pollinem reduci, qui mirum in modum desiccat, ut nono de simplicibus, & quinto methodi refert. Mesue quoque ad aurium ulcera medicamentum præscribit, in quod scoria præparata iniicitur; deinde ex eâdem scoriâ in aceto præparatâ & in tenuissimum pollinem tritâ linimentum parat ad aurium ulcera. Rasis nono capite earum rerum quæ ventriculum roborant, propositis multis compositis medicamentis, addit, si non profuerint, ferri scoria cum vino propinetur. Idem in libro de Divisionibus, cap. de ventriculi humidi morbis, tripheram minorem præscribit, & illicò ferri scoriam: deinde infrà eodem capite, ad ventriculi imbecillitatem, & nativi caloris defectum, tripheram præscribit, deinde ferri scoriam: & in fine ejusdem capitis, illos qui terram carbonesque mandunt, aloë purgari, deinde tripheram cum ferri scoriâ præparatam dari jubet. B. Probè & copiosè quidem ista: sed dominus Doctor nos doceat, quâ ratione pulverem earum rerum administrare debeamus. D. M. Quandoquidem cum istâ re sermoni finem imposituri sumus, paucis verbis expediam, cùm tempus longiorem moram non concedat.

Gentilis lapsus. *Magnes.* *Adamas.* *Galenus.* *Serapio.* *Ferri scoria.* *Galenus.* *Mesue.* *Rasis.*

Cognitâ causâ & origine morbi, ægro vena secanda erit, aut purgans medicamentum exhibendum, si medico consultum videbitur, & ægri vires ferre queant: nonnulli enim adeò imbecilles sunt, ut evacuationibus sit abstinendum. His peractis, è pulvere magis conveniente de tribus jam dictis, ferro videlicet, chalybe, aut eorum scoriâ sument eâ quantitate, quæ medico commoda videbitur, pro ægri ætate & viribus. Mediæ ætati drachmam exhibeo, atque inde quantitatem augeo & minuo, pro ætatis, viriumque ægri ratione, aut morbi longitudine: dosis tamen neque infra binos scrupulos, neque supra drachmam cum semisse esto: variis porrò modis præbeo, vel cum sacchato rosato mixtum, vel conservâ violarum, vel adianthi, vel radicum serapio, aut in catapotia cum conveniente serapio redactum, deinde inaurata, & in os injecta: quocunque autem modo sumatur, statim propinandum paululum vini albi, quod neque nimis tenue sit, neque valdè generosum: sin æger abstemius sit, aqua cui cinnamomum incoctum, tametsi vinum præstet: manè verò jejuno ventriculo sumendus est, & illicò à sumpto pulvere, deambulandum, & corpus ad binas horas exercendum, si vires permittent: sin minùs, ad unam, aut quantum licebit: deambulatio porrò ne sit vehemens & præceps, ne nimium defatigetur: sin defatigabitur, subinde considere poterit: nam, quemadmodum qui sumunt, obstructionibus laborant, etiam levi exercitio fatigantur illicò: omnis autem difficultas primis diebus suboritur, nam deinde minore cum molestiâ deambulabunt, neque adeò fatigabuntur. Commodius fiet hoc exercitium extra ædes, vel per plateas & in agris. Deambulatio autem

Pulveremi administrandi ratio. *quantitas.* *tempus.* *Exercitium.*

adeò necessaria est, quò hic pulvis suas vires exerat, & utilis sit, ut, nisi probè exercitium fiat, expetitum beneficium non præstet. Peracto exercitio, domi quiescat, aut eo loco ubi hæserit, non se exuendo, sed retentis vestibus se cubitum conferat; probeque tectus, istic ad horam quiescat: quatuor horis à sumpto pulvere prandebit, aut cùm ventriculum à pulvere liberum animadvertet: prandium autem sit pullus gallinaceus assatus, nullâ additâ re acidâ, aut viridi injectâ, sed additis duntaxat quibusdam fructibus siccis aut conservis. potus sit corporis dispositioni conveniens, vinum aquâ dilutum, si vinum bibendum erit, aut aqua in quâ cinnamomum incoctum: abstineat eo die ab omnibus rebus quæ ipsum offendere possint: inter pastum non bibat, cæna levis sit & è rebus siccis. Ut autem singulis diebus hunc pulverem ægri sumant, non consulo, sed tertio quoque die, præsertim initio, & delicatiores, quia si quotidie sumant, nimium fatigantur, at, interjecto die, roborantur, viresque sumunt in sequentem diem. Quo die abstinebunt, si febris adsit, commodè propinabitur vas capax seri lactis caprini adhuc tepentis, addito saccharo, plenũ, quo deficiente, tabella aromatici rosati: eo quoque die, jecoris regio unguento aliquo commodo; splenis autem, cum obstructiones aperiente; ventriculi verò cum roborante inungetur, quod matutino tempore fieri debet, dum adhuc recubat: aliquanto tempore post adhibitas inunctiones, post unam scilicet aut alteram horam, clyster è rebus evacuantibus confectus iniicietur singulis diebus quibus à pulvere abstinebit (multum enim interest) nisi alvum lubricam haberet: tum enim clysterem eluentem iniicere præstaret: quo similiter die à pulvere abstinebunt, elixas carnes cum acido jusculo edere possunt, atque virentibus herbis; quotidie parum bibant. Præbetur iste pulvis per multos aut paucos dies, pro ægri necessitate, & pro operis ratione: nonnullis enim quindecim dies sufficiunt, aliis viginti sunt necessarii, quibusdam etiam triginta. Quidam, primis binis aut ternis diebus, cum multâ bile admixtâ vomitu reiiciunt, ex quo magnopere levantur, & manifestum accipiunt commodum: elapso autem biduo aut triduo, cum pulveri adsueverint, nihil amplius vomitu reiiciunt: sunt etiam quibus vomitus non excitetur. Commodè quoque post decimum aut duodecimum diem levi aliquo medicamento purgantur, deinde biduo à purgatione quiescunt, deinceps ad pulverem redeunt, donec prorsus sumere desinant.

Victus ratio.

Dierum præscriptio, quibus hic pulvis sumendus.

Chalybis eâ ratione parati usus communis est viris, mulieribus, atque omni ætati, præterquam decrepitæ, aut nimium tenellæ: præcipuè autem confert mulieribus iste pulvis, quia maximâ ex parte obstructionibus, & menstruorum suppressione laborant; quo sanè in affectu, admirabilium facultatum est hic pulvis, nam & ab obstructionibus liberat & menses ciet: datur etiam hic pulvis in lentis febribus, & decolorem faciem ex quavis causâ provenientem restituit: eaque omnia præstat, quæ ex Auctoribus adeò gravibus, eruditis, atque experientiâ præditis enarravimus. Hoc ergò pulvere, cum omni securitate, & sine ullâ offensione uti possunt, ut quotidie experimur. B. Indicet, quæso, nobis dominus Doctor, an Confectionis illius Chalybem præparatum recipientis (quam cuidam mulieri multo tempore viro junctæ, sed quæ nullos liberos pariebat, præscribere memini, quamque postea peperisse vidi) in aliis quoque mulieribus periculum fecerit? D. M. In plurimis utilis fuit: nam multæ sunt quæ eam ob causam in partu compatrem me eligunt. Admirabilis sanè in isto negotio est ejus operatio, quia obstructiones tollit, menses suppressos ciet, uterum emundat, aptumque ad concipiendum reddit. B. Quandoquidem tam præclara de Ferro dicta sunt, & quàm sit necessarium ad humanos usus demonstratum est; unum cuperem, ut dominus Doctor etiam nobis significare non gravetur, an Aurum aliquas facultates obtineat: quia ab eruditis quibusdam medicis præscribi, iis qui imbecilles sunt & morti proximi, observavi; illis præterea qui cordis palpitatione, quique melancholiâ laborabant. D. M. Quo argumento nitantur eruditi illi viri quos hæc facere ais, nescio: neque video quam utilitatem aut commodum imbecillibus Auri usus adferre possit: nam quò imbecilliores sunt, eò minùs auri usus prodesse potest. Si enim magna fornax ardentibus prunis plena, illud immutare aut alterare nequit: quâ ratione imbecillis ventriculi calor immutare illud poterit, ut commodum ex illo aut ejus facultatibus sentiat? nam quantò morti viciniores erunt, tantò minùs utilitatem percipient: si verò aliquas facultates obtinet, illæ hactenus sunt nobis ignotæ. Præcipiunt nonnulli ut aurũ cusum vel non cusum in fictilia in quibus ad ægrorũ usum cibus coquitur iniiciant, & magnum ex eâ re cõmodum pollicentur: calor tamen qui cibos excoquit, immutare illud nequit, neque aliud commodum accedit, nisi quòd aurum à sordibus expurgatur: eâdem enim gravitate, quâ fuit injectũ educitur, quia tam levis coctio in tali metallo nihil præstare potest. Facultatem tribuere ad cordis palpitationem & animi deliquium, ridiculum est; quin potiùs ab illo cor damno afficeretur, utpote ex sulphure & argento vivo genito, utroque cordi noxio: sic Hippocrates malam judicat aquam per auri venas decurrentem, ob jam dictas causas. Neque video

Pulveris facultates, & quibus conveniat.

Confectio ex Chalybe præparato.

An Aurum medicis facultatibus sit præditum.

Inepta quorundam de Auri viribus persuasio.

Hippocrates.

quâ

quâ ratione aurum melancholicis convenire possit, quandoquidem metallum est, eaque de causa valde siccum, res illis adeò contraria, ut, nisi in nummos cusum, quos ad suos usus expendere possint, & inde voluptate afficiantur, quam aliam medicam utilitatem illis adferre possit, non video. Plerique medici vas aquâ plenum ad ædes mittunt, in quibus aurei nummi cuduntur, in quâ massam auri candentem sæpe extinguant, illique aquæ plures facultates tribuunt, quàm Rorimarino, vel Libanotidi coronariæ; cùm tamen maximè suspecta illis esse deberet: quia cùm aurum ab argento & ære, quæ illis permixta reperiuntur, separatur, aquæ fortis beneficio id fit, veneno corrodente & lethali; unde fieri nequit, quin malam aliquam qualitatem aqua adquirat. Præterea quo tempore aurum in laminas funditur ad cudendam monetam, aut alium quempiam in usum, cùm in urceo liquatur, sublimatum in pulverem redactum iniiciunt, ut magis purgatum puriusque evadat: considerate ergo an aurum ejus veneni adeò perniciosi particeps non fiat, etiam si parva quantitate: itaque miser æger medici verbis confidens, remedium ad cordis palpitationem se habere arbitratur, & illud ipsi in perniciosum toxicum vertitur. Mihi credant ægri, neque sumptus faciant aurum iniiciendo in medicamenta quæ sumunt, neque aurum in vino aut aquâ restinguant: neutrâ enim ratione medicam facultatem adipiscentur, quæ eorum morbis utilis sit. solum aurum cusum magnis facultatibus præditum est: nam cor exhilarat, tristitiamque & melancholiam adimit, omnes quoque hominis vires & potentias reparat: robur addit ubi deest, & ad omnia universale remedium est, præterquam adversus mortem, quæ illi haud cedit. Quandoquidem igitur jam advesperascit, & tempus nos deserit, atque etiam si superesset, ætas quietis me admonet, nam defessus sum. Valete Ortunne & Burge, ad quiescendum me confero.

DE NIVE,

& ejus efficacia:

Tum quâ ratione potus cum illâ, vel sine illius admixtione frigefaciendus.

Auctor D. NICOLAVS MONARDVS Hispalensis Medicus,

CAROLVS CLVSIVS *interpres*.

DEVS, ut suam sapientiam, & infinitam potentiam demonstraret, totius Mundi machinam condidit, omnes eas perfectiones continentem, quas homo in suo intellectu imaginari potest. Ea in duas partes dividitur, in regionem videlicet Ætheream, & Elementarem. Ætherea sive cælestis lucida est, immutabilis, omnis alterationis aut corruptionis expers, atque undecim cælos in se continet, in quorum septem sunt Sol, Luna, & reliqui Planetæ: in Octavo, sunt Stellæ: Nonum, appellant Crystallinum: Decimum, Primum mobile: ultimum, Cælum empyreum, hoc est cælum igneum, propter ingentem splendorem ab eo procedentem: fixum id est, neque movetur, & in eo est domicilium beatorum. Altera pars Elementaris regio, perpetuò & indesinenter mutationibus obnoxia; quæ in quatuor Elementa dividitur, Ignem, Aërem, Aquam, & Terram, ex quorum commixtione omnia hæc inferiora generantur. Terræ elementum in medio est, tanquam centrum totius machinæ: deinde, Aqua: super Aquam & Terram, est Aër: supra Aërem, Ignis, orbi Lunari proximus. Omnia ista elementa moventur, ut ex impressionibus in illis factis agnoscimus: sola terra est immobilis tamquam omnium centrum. Ea magnam

Mundi machina bifariam divisa.

Ætherea pars.

Elementaris pars.

gnam aquæ & aëris mixtionem habet: solus Ignis mixtionis alterius elementi expers est. Inter ista porrò elementa præstans est Aër, qui in tres partes dividitur: Unam supremam, regioni ignis proximam, quæ calida & sicca est, ob ignis vicinitatem, quia ejus qualitatis valde fit particeps, quæ clara est, pura, ad quam neque venti, neque nubes perveniunt; atque eam vocant partem aut regionem cælestem: Aliam infernam, aquæ & terræ vicinam, quæ crassa & turbida est, atque vaporibus plena; sed à Solaribus radiis percussa, calida fit ut suprema: Media aëris regio valdè frigida est, cùm sit inter duo ista adeò calida, media, in eâ enim adgregatur frigus, duorum extremorum jam dictorum calorem fugiens. Cæterùm hæc media pars, magis aut minùs, frigiditatis particeps est: ea enim quæ nobis vicina, minùs frigida est quàm illa quæ igni juncta: itaque quò vapores magis subeunt, eò magis condensantur. In hac mediâ aëris regione generantur Nubes, Ros, Gelu, Pluvia, Nix, Grando, Nebulæ, & aliæ impressiones, quales tonitru, fulgur, fulgetra & Cometæ. Nubes præcipua est materia ex quâ generatur nix, grando & reliquæ impressiones jam enumeratæ, quæ fiunt ex multis vaporibus sublatis ex inferiore ad aëris mediam regionem, ibique junctæ, in corpus coëunt & densantur, ob illius loci frigiditatē: propterea Nubes est quasi mater & communis materia omnium impressionum quæ in aëre fiunt: sic etiam Nivis veluti genitæ in media aëris regione. Nihil enim aliud est nix, nisi vapor frigidus & humidus ad mediam aëris regionem sublatus, in nubis corpore genitus ex temperatâ frigiditate, non adeò vehemente ut illa quæ grandinem facit, neque tam miti, ut quæ pluviam generat. Itaque talis vapor ante quàm in aquam evadat, congelatur, & cadit comminutus in alba fragmenta, quia frigus magis in illis dominatur, quàm in Pluviâ, teste Galeno libro de Historiâ Philosophicâ, ex auctoritate Anaximenis philosophi. Ex aëre denso, inquit, fiunt Nubes, & ex eodem magis condensato generatur Pluvia: idem si congeletur ob aëris frigiditatem, fit Nix; si magis intendatur frigiditas, fit Grando. Idem Galenus Libro de utilitate respirationis, ait, Nubes gelu concretæ, fiunt Nix, materia ex qua generatur pluvia. Nix cadit in sublimia loca, quæ suâ naturâ frigida sunt, & isticdiu conservatur: rarò in valles decidit, vel, si cadit, tenuis est, & illicò dissolvitur: in mare (nisi rarò) non decidit, ob calorem cujus particeps est, tum etiam ob ventos, qui perpetuò in illud incumbunt. Ei adversantur calor & humiditas, & magis etiam Eurus. Galenus nono Simplicium scribit, Philosophos quosdam fuisse, qui Nivem calidam esse affirmârint, quia in manus sumpta eas calefacit & instar ignis urit: idem Galenus quarto ejusdem libri ait, per nivem iter facienti pedes aduri: verùm ejus rei causa à nivis calore non procedit, sed quia suâ frigiditate poros manuum & pedum constipat, & impedit quo minùs internus calor egredi possit, qui retentus, eum calorem excitat, ut incendi videantur. Contrà observamus: si manus ita accensæ in calidam aquam immittantur, illius calore poros aperiri, &, exhalante calore interiore, frigidas manus effici. Nix maximâ ex parte hiberno tempore cadit, præsertim flante Circio, & in montana loca: in valde calida loca non cadit, nisi ostentum sit. Cadens elegantis & speciosæ est formæ, quia per candidissimos glomos blandè & sine tempestate cadit: cadendo veluti in tenues plumas plebem exhilarat: nulli noxia est; & si terram indurat, eadem, dum dissolvitur, molliorem & pinguiorem reddit; inutiles herbas tollit, utiles crescere & fructificare facit, teste Aulo Gellio: propterea vulgo dicitur *Año de nieves, año de bienes*, hoc est, Annus ille fertilis, in quo crebræ cadunt nives. Grata est venatoribus, quia nivoso tempore plures feras capiunt. Galenus auctor est nivem pisces à putredine præservare: & verum quidem est, multo tempore à putrefactione conservare, quemadmodum etiam carnes: nam observatum est in montibus corpora humana & animantium congelata reperiri sub nive, adeò incorrupta, ut condita viderentur. Somniare de Nive, frigidi morbi indicium est, teste Galeno. Quo vetustior est nix, eo durior & minùs alba: adeò autem indurescit, ut in montanis ædificia & cellæ ex nive confectæ reperiantur, adeò firmæ, ut multas ætates duraturæ videantur.

Multa alia commendatione digna de Nive dicenda essent, quæ subticeo, de primariâ facultate quam obtinet verba facturus, quâ etiam nunc in usu est per universum orbem: nam illâ refrigeratur potus quo utimur eâ ratione quæ nostræ sanitati & gustus voluptati convenit, atque cum majore securitate, quàm cum ullâ aliâ re. Primùm itaque (quandoquidem nivis effectus est refrigerare) quid sit potio refrigerans, & quibus conveniat, cùm in tuendâ sanitate, tum in curandis morbis, dicemus. Potus à necessitate, quæ nobis incumbit ad nostri conservationem, originem trahit: nam naturalis appetitus est omni homini innatus ad humidi, quod assiduè deperditur, restaurationem: propterea aquam frigidam & humidam produxit Natura communem omnibus animantibus, ad reparandum illud amissum. Eam ob causam Hippocrates, Galenus, Dioscorides scribunt aquam non modò sine sapore, odore, & colore, limpidam & claram esse debere, sed etiam frigidam, quia

Aëris tres partes. Suprema. Inferna. Media. Nix quid sit. Nix in quæ loca cadat. Galenus. Nivis commoda. Aulus Gellius. Galenus. Nix refrigerat. Potus. Aqua. Hippocrates. Dioscorides.

quia talis aqua humidum amissum restaurat, cibumque diluit, ut facilius ad jecur penetret, & istic sanguis fiat. Galenus inquit aquæ non infimam dotem esse, ut frigida sit, plures enim adfert commoditates quàm calida. Avicenna, ad ejus sententiam accedens, lib. secundo de aquâ agens, frigidam valde commendat; sic enim scribit: Certum est aquam frigidam non modò ventriculum roborare, sed etiam convenire iis quibus lubrica est alvus & qui defluxionibus sunt obnoxii, quibusvis etiam defluxionibus, & morbis à defluxione prognatis. Quibus nos docet Avicenna, quàm commodus sit aquæ frigidæ usus iis, qui defluxiones in ventriculum illabentes patiuntur, præcipuè si ab humoribus calidis originem habeant: videmus enim eos qui ab humoribus biliosis laborant, curari, si magnum aquæ frigidæ haustum sumant; atque alios ventriculi doloribus & cruciatibus vexatos, solo frigidissimæ aquæ haustu liberatos. Galenus septimo methodi, Observastis, inquit, ut uno die, imò unâ horâ, haustu aquæ frigidæ multos ægros & imbecilli ventriculo præditos sanaverimus, eorumque nonnullos, non modò cum aquâ fontanâ frigidâ, sed etiam cum aquâ nive refrigeratâ, ut moris est Romæ. Cornelius Celsus libro primo, eos qui imbecilli sunt stomacho, à sumpto cibo haustum aquæ frigidissimæ bibere jubet. Idem in alvi profluviis biliosis, aquam frigidissimam præscribit: & in calidorum humorum defluxionibus, ad eas sistendum utitur. Avicenna loco suprà memorato ait, Aqua frigida confortat omnes virtutes in operationibus suis, scilicet digestivam, attractivam, retentivam & expulsivam: itaque singulas explicando, nobis demonstrat, quantum omnes has virtutes roboret aqua frigida, ut faciliùs suis muniis fungantur. Idem Avicenna Secunda Primi de Aqua agens, scribit: Aqua temperatæ quantitatis frigida, sanis melior est, omnibus aquis; nam appetitum excitat, stomachumque fortem efficit: & paullo post: Quæ verò non fuerit frigida, digestionem corrumpit, cibum natare facit, neque illico extinguit sitim, hydropisim generat, quia primam concoctionem corrumpit, & suo calore corpus absumit. Idem confirmat Tertia Primi: Aqua frigida, inquit, iis qui temperatæ naturæ sunt, convenit: nam calida ventriculum debilitat. Isac, Aliabas, Rasis, eadem cum Avicenna scribunt, quæ, ne sim prolixus, prætereo. Unum requirit Avicenna Tertia Primi, ut, qui valde frigidam potare velit, aliquem cibum primùm ingerat; & addit, affatim vel magno haustu non esse bibendum, sed sensim: ex quo bina commoda consequuntur; quia quod bibitur magis sapidum est, & naturalem calorem non extinguit: ut in fervente ollâ observare licet, in quam si affatim aquam adfundas, fervere desinit; sin sensim instilles, non interrumpitur ejus opera. Propterea dicit idem Avicenna: Si quando bibenda est frigida, ut ex angusti oris vase bibatur, quales sunt lagenæ aut vitra oblongo collo: quod sanè eorum opinionem valdè confirmat, qui è simibus vasis bibere delectantur. Si verò simul aërem attrahunt, aut non, Doctori Villalobos discutiendum relinquo, qui copiosè hanc materiam tractavit.

Galenus. *Avicenna.* *Galenus.* *Cornelius Celsus.* *Avicenna.* *Isaac.* *Aliabas.* *Rasis.* *Avicenna.* *Sensim frigidam bibendam.* *E vasis oris angusti.* *Villalobos D.*

Ex jam dictis apparet Avicennæ mentem non esse, ut qui valdè frigidam bibere velint, initio pastus eam bibant: nonnulli enim cibum sumere incipientes, frigidissimum potum statim ingerere volunt, cùm ventriculus inanis & vacuus sit. Quod non potest non noxium esse: deinde noxam quam ex eo sentiunt, frigiditati potus tribuunt, non suæ intemperantiæ. Quod Avicenna innuit de Aquâ frigidâ sermonem faciens, ex intemperato illius potu, multos morbos oriri, tempestivo autem ejus potu & conveniente quantitate, commoda, quæ enumeravit, adferre. Propterea quilibet consideret quæ conveniant, & per se experiatur: si frigidam potare conveniet, & sine offensione ferre possit, eam bibat, quia utilitates quas diximus consequetur. Sin æger sit, aut symptomatis laboret, quibus frigidæ potionem ipsum manifestè offendere agnoscet, ne illam ingerito: meus enim scopus duntaxat est, ut demonstrem & persuadeam eis qui frigidam bibunt, noxiam non esse, neque illos offendere. Nam qui frigidæ nunc sunt assueti, & se frigidæ potu non offendi, experientiâ didicerunt; iis, nisi frigidam bibant, appetentia deiicitur, cibus non sapit, & cum mœstitiâ atque inviti cibum sumunt, quia potus illis displicet; potu etiam tepido ventriculus flatibus impletur, & proba concoctio fieri nequit.

Non initio prandii. *Avicenna.*

Itaque, quis mediocriter sanus, per magnos æstus, aut æstate, ut prandium sumat, domum adveniens, exercitiis aut negotiorum mole fatigatus, æstuans, linguâ siccâ, & anhelosus à frigidæ potu abstineat? quum bibendo commoda quæ diximus consequatur, suæ necessitati & labori succurrat, alacerque evadat, nullâ in re offensâ suâ sanitate? præsertim ad id nos hortante Galeno in libro de cibis boni & mali succi. Æstivo, inquit, tempore, quo corpus nostrum calidum est, & interdum etiam inflammatum, refrigerantibus uti debemus, etiam si mali sint nutrimenti, ut sunt pruna, mora, mala, cerasa, melopepones, cucurbitæ, & alii frigidi fructus. Tali, inquit, tempore possumus uti cibis frigidis, ut suillis pedibus in aceto coctis, lacte coagulato, iique cibi sunt refrigerandi: & potus etiam, seu aqua sit, seu vinum aquâ frigidâ dilutum, refrigerandus est aquâ fontanâ frigidissimâ, vel, si ea

Exhortatio ad frigidæ potionem. *Galenus.*

si ea desit, nive; præcipuè tamen potus. Deinde postquam multis verbis declaravit quantum conveniat æstate frigidus cibus & potus, docet qui simili victus ratione uti debeant. Frigidam, ait, bibere debent, qui multis negotiis intricati sunt, quibusque magnæ incumbunt curæ, ut sunt quibus urbium & rerum publicarum commissa est administratio, quique illis in eo munere sunt adjuncti: ii qui corpus valde exercent, præcipuè militaribus exercitiis, aut aliis gravibus occupati, qui longum iter faciunt; omne videlicet corporis & animi exercitium intelligens. Deinde suam sententiam hac ratione moderatur. Verùm qui ab his curis liberi sunt, atque in otio & delitiis vivunt, neque exercitio utuntur, cùm nullo calore vexentur, qui eos ad valdè frigidum potum sumendum stimulet, aquâ frigidâ, qualem natura producit, contenti sint, neque illam aliâ re infrigident, quandoquidem ipsis frigidissima non convenit. Insuper addit, Licet verò vivant in otio, neque se exerceant, & nullâ solicitudine molestentur, si æstate fuerit molestus calor, frigidam bibere poterunt. quod sic intelligendum puto: in locis in quibus frigida non reperitur, refrigerari posse, non tamen extremè. Idem confirmat lib. de Alimentis, atque lib. de renum affectibus. Scribit enim qui valdè calidi sunt temperamenti, & bene habito corpore, quique multo exercitio utuntur, aquam valdè frigidam bibere posse, præsertim si illam bibere insueverint: ii enim hanc minore cum noxâ ferunt, quàm qui non sunt assueti, quorum est eam cum majore observatione & consideratione bibere.

Qui frigidam bibere debent.

Præter illa porrò commoda, quæ in conservandâ sanitate aquam habere diximus, majoribus prædita est in febribus & aliis ægritudinibus curandis. Et Hippocrates atque Galenus de eâ valdè sigillatim scripserunt: præcipuè Galenus nono Methodi, & lib. de causis catharticis, Erasistratum reprehendit, & ejus sequaces, qui aquæ frigidæ usum febricitantibus inhibebant: eandem ob causam Thessalum reprehendit primo Methodi. Et lib. septimo se multos curasse gloriatur, ventriculi morbis afflictos, aquâ frigidissimâ, etiam cum nive refrigeratâ. Octavo item, nono, decimo & undecimo Methodi, febres & alios morbos, frigidissimæ aquæ potu curat: & certè præstans est remedium, si decente conditione sumatur. Libro undecimo scribit acutas febres, sanguinis missione & aquâ frigidâ curari, præsertim sanguineas febres, aut quæ illarum magnam mixtionem habent. Ex jam dictis apparet, quàm utilis sit aqua (quando non invenitur tam frigida quàm nostræ conservationi & voluptati conveniat) nive refrigerata, ad curandas multas ægritudines. Hæc omnia breviter diximus, ut sint quasi præludium nostri instituti de declarando aquam cum nive refrigerandi modo. Et quoniam quod refrigerari debet, est aqua, sub illâ vinum etiam comprehendemus, & cetera quæ refrigeranda erunt.

Hippocrates. *Galenus.*

Aqua porrò duobus modis frigida est. Uno naturali, quemadmodum ex fontibus & scaturiginibus fluit: atque hanc, si frigida est quantum convenit, refrigerare non est necesse. Alia est aqua minùs frigida quàm convenit, tùm ad nostram conservationem, tùm ad nostram satisfactionem: imò quia minùs est frigida quàm decet, illa incommoda adfert quæ antè diximus. De eâ aquâ quæ non est adeò frigida ut convenit, vel suapte naturâ, vel quia per calida loca decurrit, nostrum institutum est ostendere, quâ ratione refrigerari debeat, ne suo calore nos offendat, tum, ut refrigeratâ quemadmodum cōvenit, cum satisfactione uti possimus sine nostro incommodo. Omnes itaque refrigerandi rationes, quæ hodierno die per universum orbem sunt usitatæ, (declaratis incommodis quæ singulæ adferunt) describemus, & optimam maximeque securam seligemus.

Aqua bifariam frigida.

Quatuor igitur sunt refrigerandi modi nunc in orbe cogniti: aëre videlicet, puteo, nitro, aut nive.

Aquam refrigerandi quatuor modi.

Primus refrigerandi modus, qui fit aëre, valdè vulgaris fuit, & adhuc nunc est apud Ægyptios, quia neque puteos habent, neque nivem, & nitro refrigerandi rationem nunquam agnoverunt. Galenus multis verbis aëre refrigerandi modum declarat. Alexandrini, inquit, & Ægyptii, ut aquam quam æstate bibunt, refrigerent, primùm calefaciunt aut coquunt, deinde in fictilia vasa infundentes totâ nocte aëri exposita relinquunt, aut in fenestris, aut tectis, aut è malis navium suspensa, quæ ante Solis ortum adimunt, & elotis aquâ frigidâ fictilibus extrinsecus, pampinis, lactucis, & aliis herbis frigidis ea involvunt, & in frigidissimis ædium locis humi reponunt, ut frigida conserventur. Iste refrigerandi modus per universum orbem vulgaris est, tametsi non adeò exquisitus, quia aqua non coquitur, sed duntaxat aëri exponitur. Alius est refrigerandi in aëre modus. Implentur aquâ utres coriacei, qui in aëre suspensi, assiduè agitantur: is per totam Bæturiam vulgaris est. Alii vasa aquâ plena aëri exponunt, & ante Solis ortum pannis aut velleribus involvunt, ut solent pastores & ruricolæ.

I. Aëre refrigerādi modus. *Galenus.* *II. modus.*

Hæc refrigerandi in aëre ratio, multis incommodis obnoxia est: quia cùm aër elementum sit, qualemcumque alterationem & corruptionem facilè suscipiens, propterea aliquâ malâ

Incommoda ex tali refrigerandi modo.

malâ qualitate affectus, suam malignitatem aquæ ad refrigerandum ipsi expositæ communicare potest: quod Avicenna Secundâ parte Primi probè demonstrat, dicens: Aër is malus est, cui commixti sunt mali vapores, odores, aut fumi, præsertim parietibus inclusus, aut per loca transiens putridis plantis & arboribus, aut cadaveribus infecta, quia istis rebus alteratur, & malam qualitatem recipit. Eam ob causam veteres medici nolunt ut sæviente peste, aqua aëri refrigeranda exponatur, ne aër corruptus aquam inficiat. Aliud insuper incommodum accedit, quòd aqua non possit semper aëre refrigerari: cùm plurimæ noctes, & etiam maximâ æstatis parte adeò calidæ sint, ut aërem non modò non refrigerent, sed etiam aquam calidiorem reddant, quàm dum aëri exponeretur; aut, si refrigerat, id fit duntaxat matutino tempore cùm non est necesse. Sic etiam autumno vel hieme, tempestates, pluviæ, nebulæ aut aliæ alterationes impediunt, quo minus aëri, ut refrigerari possit, exponenda veniat. Hæc quotidie experimur. Alius verò est in aëre refrigerandi modus, omnium maximè sanus, hoc est, qui minùs noxius, & quo nulla mala qualitas adquiritur: eo utuntur spectabiles viri, ad refrigerandum suum potum. Eo enim quod bibere debent in fictilia aut ærea vasa infuso, vehementem ventum jugiter faciunt linteis madentibus toto eo tempore quo cibus sumitur: quia calidus aër istâ perflatione à vasis tollitur, cui succedit frigidus, quemadmodum accidit, ventulum faciei flabellis faciendo, qui calidum aërem faciei inhærentem aufert, & recentem frigidumque inducit.

Avicenna.

III. Aëre refrigerãdi modus, qui magis sanus.

Secunda refrigerandi ratio fit in puteis, in quos vasa vino aut aquâ plena demittuntur, isticque suspensa magnam diei partem detinentur: ea etiam multa habet incommoda, cùm ab aquâ in quam vas immittitur, tum à loco, præsertim in urbibus & civitatibus, in quibus putei magnâ ex parte impuri & sordibus pleni sunt: putealis enim aqua terrestris, crassa, & dura est, quia stagnans, & in terræ visceribus retenta, propterea putrefactioni obnoxia, cumque à Solis radiis non feriatur, neque ab aëre perfletur, plena est fumis & noxiis vaporibus, à quibus facilè putredinem adquirit, tum etiam cœno lutoque, & noxiis insectis. Cùm igitur talis sit, aqua vel vinum multo tempore in impurâ aquâ retentum, quam aliam qualitatem adquirere possunt, quàm noxiam? Propterea dicit Galenus, vas in puteum demittendum, plenum & probè obturatum esse debere, ne, si plenum non sit, aqua putealis aut ejus vapor in vacuum penetret: contrà verò si in aëre refrigerandum, vas plenum esse non debet, sed paullulum vacuum, ut aër frigidus noctis in vacuâ parte vasis inclusus, aquam magis infrigidet.

II. refrigerandæ aquæ ratio. Eius incommoda.

Galenus.

Vasa quæ ad refrigerandam aquam in puteos demittuntur, plerumq. ex ære aut Mediolanensibus laminis sunt conflata. Æs nisi stanno internè probè sit inductum, malam qualitatem in id imprimit, quod in illo refrigeratur, quia putei humiditas illicò in ære noxiam & perniciosam generat æruginem. Mediolanenses laminæ cùm ex ferro sint conflatæ, à putei humiditate rubiginem statim contrahunt, quæ noxia est, malamque qualitatem imprimit in potum istic adservatum. Hanc ob causam, meâ opinione, si in puteis refrigeranda est aqua, in vitreas lagenas illam infundi præstaret, aut fictiles vitratas, aut argenteas: tametsi aquam è puteo haustam in vasa infundere præstabit, in quæ reponantur infrigidanda, subinde effusâ ex vase aquâ, & recente adfusâ: nam aqua è puteo hausta, à malis vaporibus purgatur ex aëris adflatu. Ex jam dictis apparent incommoda, quæ refrigerationem in puteis factam sequuntur: & præter illa, experientia nos docet, eam aquam terrestre quidpiam resipere, mali gustus, & mali odoris esse, postquam eam ebibimus.

Commodior in puteis refrigerandi ratio.

Tertius cum nitro refrigerandi modus, à nautis inventus, illis præcipuè qui triremibus vehuntur: nam cùm aër istic non refrigeret, præsertim dum malacia est, & puteis atque nive sint destituti, necessitas hoc remedium eos docuit, licet non bonum, propter adnexa incommoda. Ex quorundam autem sententiâ refrigeratur, quia frigus ad interiores ejus rei quæ refrigeratur partes fugit, ob ingentem nitri calorem ex forti agitatione nitri cum aquâ: ex aliorum autem opinione, quòd aqua nitro condensata & crassior effecta, majorem refrigerandi vim adquirit, quæ ope nitri calidi adjuta, magis penetrat. Nam omnis res frigida, quò densior est, eò magis frigefacit. Eam ob causam Galeno teste libro de simplicibus medicamentis, Nulla res frigidissima esse potest, quæ tenuium sit partium: sed quo densior est, eo potentior est. Non desunt, qui nitrum facultate valdè frigida esse asserant, & agitatione cum aquâ magis frigidum effici: quemadmodum in muriâ observamus, cùm sal cum aquâ valdè commixtum est & agitatum, frigidiorem reddi: quod etiam in aquâ aluminosâ videre licet.

III. refrigerandæ aquæ ratio cum nitro.

Galenus.

Verùm hæc refrigerandi ratio multos morbos generat: nam hepar incendit, inextinguibilem sitim excitat, ardentes febres generat, pulmones inflammat, appetentiam cibi prosternit, atque alios morbos inducit, quos enumerare longum esset. Alii sunt refrigerandi modi, ut fluminibus & frigidissimis fontibus, de quibus Galenus: sed de iis ut ser-

Incommoda ex eâ refrigerandi ratione.

Galenus.

monem faciamus, non est necesse, quia ubi sunt aquæ frigidissimæ, refrigerandæ non sunt, sed illis utendum.

Iam diximus, ut aqua, quæ in pluviam converti debebat, frigiditate in mediâ aëris regione concreta in nivem transeat: parum itaque inter se differunt aqua pluvia & ex nive dissoluta, quia utraque ex eadem materiâ genita: quæ tamen ex nive soluta paulo crassior est, ob compressionem ab aëre frigido. Adeò igitur mala non est, ut illam judicant: imo teste Hippocrate, Scythis quotidiano in usu est. Ex liquatis etiam nivibus magna flumina fieri observamus, è quibus illorum accolæ sine noxâ bibunt. Hujus generis multa sunt in Hispaniâ, Germaniâ, multoque plura in Occidentali Indiâ, in quâ major fluviorum pars ex nive solutâ ex montibus & rupibus decurrente oritur, è quibus bibunt omnes, quia in totâ regione nulla alia est.

Hippocrates.

Romani, voluptatis causâ aquam è nive liquatam bibebant, quam, ut tenuiorem redderent, per saxa colabant. Athenæus Sopitæ vetustissimi Poëtæ versus citat, in quibus dicit, nivem & aquam è nive liquatam, suo tempore bibere solitos. Pericrates Historicus Græcus celeberrimus ait suâ ætate non modò nivem in urbibus bibi solere, sed etiam in castris. Euticles vir eruditus in quadam epistolâ eos reprehendit, qui potum nive refrigerare non contenti, ipsam etiam nivem bibebant. Sciates Historicus frequenter meminit nivis, cujus suâ ætate multus cum voluptate erat usus. Xenophon in memorabilibus, multas nationes non modò nivem, sed ejus etiam aquam assiduè bibere scribit. Romani plurimum eâ usi sunt. Plinius enim libro XXXI. suæ Historiæ, Neronem primum fuisse scribit qui aquam coxerit, ut eam nive refrigeraret; quod Galenus septimo Methodi confirmat, his verbis: Nero primus aquam coxit, deinde nive refrigeravit: quia aqua hac ratione refrigerata, magis intensum frigus & citiùs recipit, fitque magis sana: nam decoctione terrestres aquæ partes segregantur, & tenuior pars remanet, eam ob causam facilius è ventriculo descendit. Plinius epistolâ quadam ad amicum scribit, se, inter ea quæ in prandium parata habebat, magnam nivis copiam curasse, ad refrigerandum quod biberent. Plinius lib. XIX. Naturalis Historiæ queritur de solicitudine quam sui temporis homines in adservandâ nive adhibebant in æstatem calidam. Invertuntur, inquit, montes, servatúrque algor æstibus, pervertendo Naturæ ordinem, ut in mensibus calidissimis, in quibus æstus & siccitas viget, tanta est hominum curiositas, ut tanta sit nivis abundantia, quanta in mensibus, in quibus Natura illam in terram effundit. Fuit autem ejus ætate, & postea, vulgaris consuetudo, nivem hieme conservandi in æstatem & æstus. Heliogabalus Imperator magnam specum in sui horti colle uno habebat, in quam hieme nivis ingentem copiam è proximis Romæ montibus delatam congerebat, quâ æstivo tempore in suis lautissimis cænis uteretur. Chares Mitylenæus in suâ de Alexandro historiâ, quo loco Petræ urbis Indorum obsidionem enarrat, scribit, Alexandri jussu fossas triginta, parum inter se distantes, excavatas fuisse, easque nive impletas in æstivum tempus ad Alexandri & suorum usum.

Athenæus. Pericrates. Euticles. Sciates. Xenophon. Plinius. Galenus. Plinius iunior. Plinius senior. Heliogabalus. Chares Mitylenæus.

Idem nunc etiam fit, non in Asiâ modò, sed in magnâ Aphricæ parte, & totâ Europâ, præsertim in omnibus Provinciis Turcico Imperio subjectis, præcipuè autem Constantinopoli,* in quâ tantus ejus est usus, ut toto anno venalis reperiatur. Passim etiam in Germaniâ superiore & inferiore, tum in Vngariâ & Bohemiâ, * aliisque regionibus, quibus nivem in ædes & cellas hieme inferunt ad refrigerandum æstate. Ex Flandriâ glaciei magna fragmenta Lutetiam vehunt pluribus quàm sexaginta milliaribus. In nostrâ Castellâ hieme congregant & adservant in æstivum tempus. Multi Principes viri peculiaria ædificia in montanis habent, in quæ nivem hieme conferre jubent in eum usum: multique non minùs hieme quàm æstate illâ refrigerant, tametsi (præcipuè in Castellâ) frigidissimis aquis hieme abundent.

Nix adservatur multis locis.
**Consule cap. XXII. lib. III. Observat. Petri Bellonii.*
**In iis provinciis, non nivem, sed glaciem adservant.*

Nivis helluones frigidissimæ potu cum nive se offendi negant, quemadmodum aliis rationibus refrigerata: nam si haustum frigidæ ex puteo aut fonte biberint, noxam sentiunt; si cum nive refrigeratam bibant, non offenduntur.

Refrigeratio cum nive, ceteris modis minus noxia.

Sed satis mirari nequeo, cùm hæc urbs Hispalis una sit ex primariis totius orbis, in quâ multi principes viri & nobiles vixerunt, tam ibidem nati, quàm extranei, neminem curasse nivem invehi in æstivum tempus: quandoquidem calores hujus loci ab æstatis initio in extremum quasi Autumnum, adeò ingentes sunt, ut vix tolerari queant, & omnes aquæ sint calidissimæ, ut bibi nequeant, & incolarum maxima pars negotiis & curis sit implicata. In regione tamen adeò calidâ, in quâ curæ & labores abundant, ubi aquæ sunt adeò calidæ, atque desit quo potus refrigerari possit; meritò admittendus esset nivis usus, cùm frigiditas sit tam secura quàm diximus, & commoda adferat quæ Galenus & Avicenna nobis prodiderunt.

Singuli

Singuli ſuam naturam conſiderent. Qui ſanus eſt, vel mediocriter ſanus, æſtivo tempore impensè frigidam bibere poteſt, aut minùs frigidam, prout ipſi conveniet. Nam frigidæ potio jecur temperat, calorem mitigat, cibi appetentiam adfert, ventriculum roborat, omnes quatuor virtutes confirmat, ut faciliùs ſua munia exequi poſſint; efficit ut cibus cum alacritate ſumatur; ſitim ea ratione extinguit, ut exigua potus quantitas ſufficiat, neque inter prandium & cœnam ſit neceſſarius: ne calculus in renibus generetur prohibet, eorum calorem temperando; ebrietatem arcet, multaque alia commoda adfert, quæ uſus & experientia demonſtrant. *Frigidæ potùs utilitates.*

Cùm porrò optima refrigerandi ratio cum nive fiat, ut retulimus, illa gravium Auctorum ſententiâ nobis eſt confirmanda, quorum primus ſit Avicenna Tertiâ Primi: Complexionibus temperatis, inquit, aqua convenientior eſt, cujus infrigidatio cum nive de foris fit, præcipuè ſi nix mala fuerit: malam dicit, quia extrinſecus adhibenda erat: bona enim in id quod bibitur, iniicitur, ut ipſe Avicenna demonſtrat Fen Secunda 1. cap. XVI. Nix & aqua glacialis cùm munda fuerit, & non commixta alii rei virtutem habenti malam, glaciesque non ſit concreta ex malâ aquâ, ſive ſolvatur & fiat ex eâ aqua, ſive de foris infrigidetur aqua, ſive ipſa mittatur in aquam, erit bona, quia aqua ex illis proveniens non diverſificatur ab aliis aquis. Quibus verbis nos docet Avicenna, eas aquas quæ ex nive & glacie liquantur, ſi limpidæ & puræ fuerint, bonitate ab aliis aquis non differre: ſed in eo ſolo conſtare differentiam, quòd nivis & glaciei aqua ſpiſſior ſit quàm reliquæ, quia vaporibus in aëris mediâ regione condenſatis conſtant, ut retulimus. *Avicenna.*

Raſis, inter Arabes doctiſſimus, tertio libro ad Almanſorem Regem ait aquam nivis calidum jecur refrigerare, à ſumpto cibo ventriculum roborare, appetitum excitare, ſed paucâ quantitate ſumptam: & paullò poſt, Aqua, inquit, quæ adeò frigida non eſt, ut bibentis appetitui ſatisfaciat, ventrem inflat, ſitim non ſedat, comedendi appetitum deiicit, corpus abſumit; breviter non convenit; ad ſalutis videlicet humanæ conſervationem, de qua Raſis eo libro verba facit. Idem libro quarto ad Almanſorem, de præſervatione contra peſtem agens, aquam nivis præcipit: & eodem cap. repetit. Capite autem XXVI ejuſdem libri, æſtivo tempore nivem cum ſaccharo manè propinari jubet. *Raſis.*

Multos morbos curârunt Arabes, nivis, & aquæ nive refrigeratæ uſu. Avicenna in calidis ventriculi morbis potum nive refrigerari præcipit, tum etiam in Hepatis doloribus calidis valdè acutis imponi: certè in cauſis valdè calidis ſæpenumerò conferre deprehenſa eſt. In dentium doloribus, aquam nive refrigerari, eaque dentes ſubinde collui jubet. Sed & idem Avicenna XI Tertii, de Cordis tremore agens: Si vehemens fuerit, & inflammatio adſit, aquam frigidam bibi præcipit, & nivis aquam cum aquâ vulgari mixtam, guttatim, non magnis hauſtibus, ob cauſas antè recitatas. Illud ipſum dicit Raſis ſeptimo Continentis, tribus locis de eodem morbo verba faciens. Primò loco, iis qui ſimili morbo laborant, aquam nivis aſſiduè bibendam præcipit, præcipuè ſi is morbus ab humore melancholico procedat. Secundo loco, ut ad frigidas regiones ſe transferant, conſulit; ſin minùs, ut perpetuò nivem, uel aquam è nive bibant. Tertio loco, ut qui ſunt deplorati, ad ſe conſervandum, aquam nivis jugiter bibant. *Morborum curationes nivis uſu. Avicenna. Raſis.*

Cùm porrò hæc ſcriberem, ad nobilis cujuſdam viri curam vocatus, qui vix reſpirare poterat, totuſque tumens, jam multos dies ſomnum non ceperat, & cordis dolore correptus erat, ſanguinem detrahi curavi, & nivis aquam aſſiduè propinari: curatus eſt, non ſine omnium admiratione, qui illum deploratum judicabant. *Exemplum.*

Amatus Luſitanus ſeptimâ centuriâ, cujuſdam hiſtoriam refert, qui ardente febre correptus, ob ſummum calorem & gutturis inflammationem nihil deglutire poterat: is glaciei fragmentum indeſinenter ſugens, deglutiendi difficultate & gutturis inflammatione non ſolùm liberatus eſt, ſed etiam febris manifeſtè remiſſa eſt. *Amatus Luſitanus.*

In omnibus regionibus in quibus nivem conſequi licet, potum nive refrigerandi conſuetudo eſt: quia major ſecuritas, majorque voluptas in iſtâ refrigerandi ratione reperitur, quàm in reliquis. Propterea, ejus uſum in Regum, Principum, Magnatumque, & Nobilium virorum aulis, atque etiam plebis quæ in aulis verſatur, eſſe communem videmus: neque hactenus animadverſum eſt, ejus uſu quemquam periclitatum eſſe: nam ſi noxius fuiſſet, & morbum aliquem, licet vulgarem aut peculiarem, induxiſſet, tam multorum annorum ſpatio, quo illâ uſi ſunt, fuiſſet deprehenſum. Imò multa exempla habemus utilem fuiſſe, & ſanos præſervaſſe, ne in morbum inciderent, atque ægros à morbis curaſſe. Multos noui, qui ægri & multis ſymptomatibus obnoxii, frigidæ cum nive potu ſanati ſunt; poſtquam verò eâ uti deſierunt, denuo in illa inciderunt. Hæc omnia nobis demonſtrat ipſa experientia, tum ipſe Galenus medicorum Princeps multis locis. Nam tertio de Alimentis ait; Quibus ventriculus eſt calidus, potus nive refrigeratus propinandus eſt. Idem *Refrigeratio nis cum nive uſus magis ſecurus. Galenus.*

confirmat libro de cibis boni & mali succi; & septimo Methodi: Conspeximus, inquit, ventriculi morbos & dolores aquâ nive refrigeratâ curari: & sexto Epidemiorum frequenter utitur aquâ primùm coctâ, deinde nive refrigeratâ. Multis etiam locis jubet medicamenta sumenda, nive refrigerari. Idem etiam faciunt Arabes.

Ex prædictis appâret, quàm celebris fuerit Nix apud Veteres, atque quemadmodum illâ utebantur in conservandâ suâ sanitate, tum etiam in morborum curatione, quia optimus est refrigerandi modus, magisque purus & securus: nam frigus à nive adquisitum salubre est, & quod illâ refrigeratum est, nullam noxam aut alterationem recipit, cùm id quod infrigidat, aqua concreta valdè bona sit.

Quâ ratione nive utendum. Verum quidem est ejus usum non esse continuandum, nisi necessitatis tempore, tamquam pro medicamẽto. Quia ejusdem nivis usus, vel eam ex aquâ potando, vel cum vino, multa morborum genera parit, qui tametsi illico non sentiantur, in senectute tamen sese *Galenus.* produnt: de quibus multa Galenus libro de morbis Renum, & libro de cibis boni & mali *Avicenna.* succi. Et quoniam Avicenna illos magis distinctè explicavit, quæ Fen III. Primi cap. VIII. scribit, proferam. Eos qui assiduè nivem aut ejus liquatæ aquam bibunt, multa incom- *Incommoda nivem immoderatè ingurgitantes comitantia.* moda consequuntur: nervos enim offendit, noxia est pectori & internis partibus, præcipuè anhelosis; neque quisquam eam bibet, quin damnum sentiat, nisi sanguineus sit: quod si præsenter incommodum non sentit, postmodum sentiet. Ex his appâret quàm noxius sit nivis & aquæ illius usus, nisi medicamenti vice. Potu cum illâ refrigerato duntaxat uti licet, quia is non offendit, ut diximus: neque in eo Veteres noxam posuerunt, neque etiam nunc ullam observamus; sed contrà, commoda & utilitates enarratas: fruentes, ut inquit Plinius, delectatione & voluptate frigiditatis, nullam noxam accipiendo à nivis vitio: quemadmodum nos docet Martialis libro quartodecimo:

Non potare nivem, sed aquam potare rigentem
De nive, commenta est ingeniosa sitis.

Quibus non convenit frigidæ potus. Bibere refrigeratum cum nive valdè senibus non convenit, præsertim quod impensè frigidum est, nisi pro consuetudine habeant: quia consuetudo facit ne offendantur: ne tamen impensè frigidum bibant, præstat, sed contenti sint mediocriter refrigerato, licet etiam cum nive. Infantibus etiam & pueris non convenit ut nive refrigeratum bibant, cùm propter nervorum & internarum partium debilitatem, præsertim cùm illis vinum propinandum non sit, sed aqua: nam ætas vinum illis non concedit; &, si aquam frigidissimam biberent, manifestè læderentur. Vini nive refrigerati frigiditas non est tam noxia quàm aquæ refrigeratæ: nam vini vis & vehementia refrigeratione maximè infringitur.

Tribus modis vini vehemẽtia infringitur. Itaque tria vini vim infringunt: si diu antè quàm bibitur diluatur: si panis fragmentum iniiciatur quod vini fumos & subtilitatem ad se trahat: denique si per aliquod temporis spatium in aquâ frigidissimâ aut nive refrigeretur: quia quò impensiùs refrigeratur, eò magis fumi ejus & vapores infringuntur, eamque ob causam minùs caput offendit, & minùs ad juncturas penetrat: id ex ipso vino deprehenditur, quod refrigeratum, multum suarum virium deperdit, atque impensè refrigeratum, aqua appâret.

Plerique sine consideratione infrigidationem cum niue valdè damnant, cùm ignorent bonáne sit, an mala: quia cùm illis res nova appareat, præsertim in hac regione, ne ejus usu offendantur, metuunt. Nobilis quidam apud Satrapam prandens, cui lanx cerasis plena adposita erat, inspersâ supra cerasa nive, ne unum quidem degustare sustinuit, quia nive *Nix fructibus inspergi solita.* refrigerata erant: tametsi vetustum sit nivem fructibus inspergere, teste Galeno, qui mora nive conspergebat. In causa autem est, quòd in hac regione nullus nivis usus, imò ne nix quidem conspecta: propterea ejus usus semper suspectus est, & soli Illustres viri (nec illi tamen omnes) sed qui duntaxat in aulâ versati sunt, quique ex ejus usu commodum senserunt, nive utuntur: reliqui enim dicere solent, Hactenus sine nive viximus, sine illâ etiam in posterum vivamus. Neque animadvertunt se etiam bubulâ carne, allioque & porro vivere posse: sed ii cibi malè nutriunt, neque voluptatem adferunt: nam aliud est vesci perdicibus & vitulinâ carne suo tempore, aliud vervecinâ & avibus suo: atque differt carnis esus cum suo jusculo, à perdicis usu cum succo limonum: nam alter cibus rusticanus est, alter delicatus & suavis: sic etiam potus frigidus differt à calido: quia potum cum nive refrigeratum subsequitur sanitas, calidum autem ægritudo & mœstitia.

Apud veteres frequens refrigerationis cũ nive usus. Observandum quantam felicitatem Veteres constituerint in frigido potu, cum nive refrigerato inprimis: qui sanè cùm sapientes & prudentes fuerint, magnam conservandæ valetudinis curam adhibuerunt, quùm in illâ, honoribus, & suis actionibus, felicitatis culmen ponerent. Si igitur eâ solicitudine, quâ diximus, nive refrigeratum potabant in regionibus istâ minùs calidis, cur nobis non liceat frui isto commodo & voluptate, quandoquidem ex eo nobis magna utilitas proveniat, si nive, ut decet, utamur?

Vnus-

Unusquisque videat quid suæ sanitati, ætati, & consuetudini conveniat: quia, ex commodo aut damno accepto, usus eum docebit, quo modo se gerere debeat. Advertendum tamen est, cùm quis ex nive refrigeratum bibit, interdiu sitim initio excitari: sed elapsis septem aut octo diebus, illam tolli, nec inter prandium & cœnam ullam sitim molestam esse, aut potum necessarium.

Ex nivoso monte sex leucis à Granata urbe distante nix huc advehitur: carè autem venditur, cùm propter itineris longitudinem, tum quia per calidam regionem delata valdè minuitur, sic ut è magnâ quantitate pauca huc inferri possit. *Unde nix Hispalim advehatur.*

Illud admiratione non caret, Granatenses istos montes semper nive abundare, eamque istic perpetuò durare, & eodem statu manere, licet ardentibus Solis radiis feriantur: quod in Pyrenæis montibus accidere non videmus, qui singulis quidem annis hieme teguntur nive: sed sub æstatis initium tota dissolvitur, & liquescit, ut nulla persistat. Granatenses Reges, regiâ magnificentiâ mensibus æstivis & summis caloribus, aquam nive refrigeratam potare solebant, teste nostro Historico Alphonso de Palentia, libro quem de bello Granatensi conscripsit. *Granatenses montes nivosi.* *Alphonsus de Palentia.*

Adservatur nix frigidis & siccis locis: humiditas enim & calor sunt illi adversa, & maximè Eurus, qui ventus est calidus & siccus. Calcatur nix & premitur dum colligitur, ut diutiùs persistat, minusque liquescat. Chares Mitylenæus meliùs conservari nivem dicit, si calcata quercinis frondibus tegatur. Huc autem advehitur cum stramine, quo melius quàm ullâ aliâ re conservatur, & minùs liquescit. Quod nobis demonstrat Divus Augustinus libro de Civitate Dei, scribens, Quis stramini tantam vim refrigerandi dedit, ut nivem, frigidissimam seu rigentem conservet: quis contrà tantam vim calefaciendi, ut immaturos fructus, mala, & similia ad maturitatem perducat, ut edi possint? Ex quo patet quàm diversis facultatibus stramen sit præditum, quandoquidem contrarios effectus præbet, nivem conservando, & virides fructus maturando. Majore autem pollet facultate, quàm aqua aëri exposita, aut alia res, quia vas cum illâ in stramine repositum, suam frigiditatem toto die retinet. *Nivis conservandæ ratio.* *D. Augustinus.*

Duobus autem modis nunc fit cum nive refrigeratio. Uno, ut vasa seu lagenæ refrigerandæ in nive sepeliantur, quod fieri potest ubi nivis est copia: eaque ratione citiùs & magis refrigeratur; quod etiam glacies præstat. Altero, faciliore, & cum paucâ nivis quantitate, implendo vas eâ re quæ refrigeranda est, deinde operiendo lance argenteâ aut vitreâ cavâ & profundâ, ut attingat quod refrigerandum est, in quam cavitatem nix injiciatur, subinde liquatam effundendo, nisi enim illa effundatur, magis adhuc liquescet. Istâ ratione valdè refrigeratur, etiam tam intensè quàm quis desiderat, temperando frigiditatem, prout quisque cupit. *Refrigerandi cū nive modi.* I. II.

Alii refrigerant injectâ in labellum nive, quod in eo quod refrigerandum est ponunt, natareque aut stare sinunt, subinde aquam liquatam effundendo. Idem faciunt cum tubulo è Mediolanensi laminâ conflato, quem nive repletum in eâ re ponunt, quæ refrigeranda est, stareque permittunt; quod fit in cantharis aut urnis. Sed postremæ istæ duæ refrigerandi rationes lentæ sunt, & tardæ, illasque diu ante cibum sumendum apparari necesse est, neque tamen valde refrigerant. Alii nivem in canistrum iniiciunt supra paullulum straminis positum (sic enim nix diu conservatur) deinde supra nivem labrum continens quod potandum est, constituunt: ex istâ ratione pleraque sequuntur commoda; nam neque effundenda est liquescentis nivis aqua, effluit enim per canistrum, deinde nix non tam facilè liquescit: postremò labrum replere non erit necesse, quoniam qualiscumque fuerit in eo quantitas refrigerabitur. Iste refrigerandi modus mihi videtur omnium optimus cum paucâ nive: alter cum lance etiam bonus est. Unusquisque pro nivis quam habet copiâ refrigerare poterit, atque etiam magis vel minùs, pro sanitatis necessitatisve ratione. De qua prolixam orationem habuimus, tametsi meus scopus duntaxat erat, ut affirmarem, optimam magisque salubrem refrigerandi rationem esse cum nive: & reliquas propter multa, ut diximus, incommoda adjuncta, cum eâ non esse comparandas, quia quidquid in aëre, puteis, aut cum nitro refrigeratum est, calidum apparet, si cum nive refrigerato comparetur. Itaque valdè æstimandum est, quod per æstus & æstatem, quando calore incendimur, cùm adeò ingens sitis nos torquet, ut animo deficiamus, & incensa sunt corpora, atque sudore diffluunt, tam facile remedium habeamus, ut cum paucâ nive bibere possimus quàm frigidum nobis convenit, aut quàm rigens expetimus, cum omni salubritate, & cum summa voluptate, quæ nec æstimari, nec explicari potest. Quam ob causam, quicumque frigidum aut rigens mediante nive biberit, judex esse poterit hujus meæ orationis. III. IV. V.

Ex jam dictis constat quid sit nix, quàm celebrata apud veteres fuerit ad refrigerandum *Epilogus.*

cum illâ; quòd melior quoque & magis conveniens nostræ sanitati refrigerandi modus fiat cum illâ: præterea quantas utilitates adferat frigida potatio: contrà quas noxas calida, quandoquidem elanguescit ventriculus, innatare in eo facit cibum, concoctionem corrumpit, unde corpus imbecille fit & consumitur, flatus generantur, elanguescit hepar, sitis inextinguibilis oritur, nostræ necessitati non fit satis, dolor & mœstitia inducitur, & alia damna, quæ facilè in se deprehendet, qui calidâ utetur. Quod è contrario experietur, qui frigidum suâ naturâ aut nivis ope biberit: nam ventriculus roborabitur, si illum languidum & laxum habuerit: calidas in ipsum defluxiones prohibebit, propterea biliosos vomitus & alvi profluvia curabit, quatuor virtutes confortabit, sitim extinguet, orexin ciebit, concoctionem juvabit, efficiet ut minus quidem, sed cum majore voluptate bibatur, quòd parva frigidæ quantitas nostro appetitui magis satisfaciat, quàm multa non frigida; à calculo præservabit eos qui calido sunt temperamento, ebrietatem arcebit, jocinoris calorem temperabit, incendium & æstum in impensè calidis & inflammatis ex qualibet causâ tollet, summum æstatis calorem temperabit, à peste præservabit, post cibum sumpta naturalem calorem augebit, ut faciliùs cibos concoquat, acutos dolores à calidâ causâ provenientes tollet, cordis tremori medebitur, melancholicos exhilarabit, & vino fumos ac vapores adimet: fructus in nive positi à corruptione præservabuntur; breviter gaudebit eâ voluptate quam frigiditas illius adfert, quæ nec explicari, nec ab humano ingenio satis comprehendi potest.

Quibus frigidum bibere liceat.

Cæterùm, quibus frigidum aut nive refrigeratum bibere licet, sunt; qui temperatam habent naturam, corpulenti, biliosi, calidæ & inflammatæ naturæ, quibus calida sunt jecur & ventriculus, sanguinei, qui multo labore sese exercent, qui magnis curis & solicitudinibus laborant, quibus urbium & Rerumpublicarum gubernatio est credita, & ministri iisdem laboribus & curis implicati, tum qui militaribus exercitiis occupati, qui longa itinera conficiunt & multum laborant, febribus ardentibus correpti, & acutis morbis ac inflammationibus, atque ii potissimum qui illam potare sunt assueti. Horum singuli frigidum aut rigens bibere possunt, prout cuilibet magis convenit. Neutrum autem valde convenit senibus, neque iis qui in otio & sine solicitudine vivunt; qui ventriculi cruditatibus laborant, qui morbis è frigidis humoribus natis vexantur, quibus pectus debile est, qui nervorum doloribus sunt adflicti, qui cibum concoquere nequeunt, multis flatibus obnoxii, infantes & pueri, & alii quos tempus & usus edocuit quid ipsis conveniat. Atque his finem nostræ orationi imponimus.

Quibus non liceat.

FINIS.

DE

DE ROSA ET PARTIBVS EIVS,

deque ſucci Roſarum temperatura.

CAROLVS CLVSIVS *Candido Lectori.*

MVLTIS annis antequàm D. Nicolaus Monardus Hiſpalenſis Medicus Librum de Medicamentis ſimplicibus ex America delatis Hiſpanico idiomate ſcriptum evulgaret, alium quendam perbrevem Libellum de Roſa & partibus ejus Latino ſermone componebat, cui Diſſertatiunculam addebat de Citriis, Aurantiis, & Limoniis malis. Ejus porrò Libelli quum nulla ampliùs ſupereſſent exempla, ſi aliis quibuſdam ejus libellis Hiſpanico ſermone editis, quos ego recens Latinos faciebam, adjungerem, & publici juris denuo facerem, rem tibi non ingratam, Candide Lector, me facturum exiſtimavi. Vale, & hoc etiam Monardi beneficio fruere.

Præſtantiſſimo doctiſſimoque viro,

DN. LVDOVICO GOTHOMANO

D. NICOLAVS MONARDVS

Hiſpalenſis Medicus, S. P.

SVPERIORIBVS *diebus cùm de everſione ſcientiarum ſermonem fecerimus, ſatis jam illic deploratum eſt, quàm ab hominum uſu longè diſceſſerint: ſed & quo pacto ad nos tandem redierint, planè oſtendi: quæ quidem velut ex tenebroſo antro ad ſuperiores auras videntur prodire. Ac Medicinæ maximè ars, quippe quæ poſt egregiam illam eximiámque priſcorum catervam, adeò conculcata jacuit, atque à mortalium utilitate aliena jam & ſopita videbatur, ut meritò periiſſe dicatur. Noſtra verò tempeſtate ita jam ſurrexit è tenebris, ut quaſi Hippocratis, Galeni, Pauli, aliorumque Græcorum fortunata huc remeaverit ætas. Illi nanque ita præclara viguere doctrina, ut memoria eorum, famaque in æternum vivat. Nullus jam locus eſt, nullaque regio, ubi non omnes Medici magno cum honore ipſorum methodum profiteantur, ſimulque eam ad hominum utilitatem inconcuſſè teneant. Arabica autem ſcientia, tametſi magna & propemodum verax fuerit, nonnunquàm tamen à veritatis tramite deviat. Cujus errores, Arabibus ne imputem, an potius iis, qui ex Arabico illam in Latinum vertêre ſermonem, incertum habeo. Atque hæc quidem non ſine noſtro periculo in uſum venerunt. Quapropter operæpretium eſt, ut Medici in curandis morbis ab illis ſcopulis declinent, ſemper præ oculis habeant: quorum unum præ ceteris maximum graviterque vitandum nuper inveni. Quidam namque Arabs, inſignis quidem in hac re medica, & cui univerſa Medicorum caterva Evangeliſtæ nomen imponit, Roſarum ſuccum calidum eſſe ſcribit, quod Medicorum ferè omnium ita animis inſidet, ac ſi ea una raráque in arte medica ſit*

veritas. Atque primò statim studii mei tempore sic mihi hoc habebam persuasum. Vbi autem cum ætate simul accrevit scientia, frigidum potiùs esse ex Græcorum voluminibus excepi. Quantum autem ad humanam salutem conferat, medicinarum temperaturam agnoscere, doctissimo cuique censendum relinquo. Ut enim artificis cujuslibet est, congruentia ad munus suum instrumenta cognoscere, ita quoque medicinas quasque, earumque qualitates discere, ad Medicum spectat. Quare necesse est, qui Medicam artem profitentur, eos diligenter agnoscere, quæ quibus herbis medicinísve attribuantur qualitates. Sunt enim, qui sæpiùs moniti in viam redire recusant, qui tanquam cæcutientes à veritate discedunt, & viris sapientibus assentire nolunt. Quibus nec hanc nostram lucubrationem exaravimus, sed iis potius, qui candido animo ad veterem medendi rationem aspirant. In hoc opusculo hæc mihi expedienda sunt: Quid sit Rosa, quod paucis admodum aperiam: & quas contineat partes, & quæ illis sint indita nomina: quod utile spero futurum. Deinde, ratione atque complurium Medicorum auctoritatibus, quo pacto Rosarum succus non sit calidus, sed frigidus, monstrabimus. Postremò verò, quia de Rosa cœptus est sermo, quid de Alexandrinis Rosis intelligam, exponam, quasque habeat vires. Hoc itaque quàm potui brevissimis verbis apertum, ac examinatum, tibi nuncupandum censui, quod ea benignitate accipies, qua tui similes aliorum dedicationes solent admittere, ut sub tanti viri patrocinio protectum, dum nihil pretii, nihilque gravitatis ex se fert, eruditorum auribus non indignum, nostrorumque manibus gestandum, ex tuo limine prodeat. Quod mihi promittit progenitorum tuorum clarissimus sanguis, præsertim quòd nobilitas ista tua literis Latinis, & Græcis, tanquam gemmis, auroque vestita, majus aliquid, & quod debeant Gentiles tui, pollicentur. Atque haud dubiè intelligo, tuam mihi non defuturam bonitatem, qua nostram hanc opellam admittas, in quo satis habebit patrocinii contra invidos osores: quæ si tibi non displicebit, animum mihi ad majora tibi dicanda concitabis.

NICOLAI MONARDI
Medici Hispalensis,

De Rosa, ejusque succi temperamento.

HERBARUM inventum tanti olim exoticis exterisque gentibus momenti fuit, ut earum inventores primos principesque non tantùm humanis honoribus, verùm & divinis extulerint: quosdam enim ex iis pro Diis coluerunt. Quoniam Æsculapius Apollinis filius sub Chirone in re herbaria peritissimo magistro, sic doctus evasit, quòd inter Deos in cælo relatus est, quia Panace herbâ quàm plurimos homines ex morte ad vitam revocavit. Hac forsan ratione Mercurius, qui herbam Moly invenit, apud Priscos pro Deo habetur. Et de Orpheo, ob herbarum inventionem, miranda prædicârunt antiqui. Quippe qui, & alii quàm plurimi, ut majorem famam gloriamque attingerent, teneris herbis nomina sua committere non gravantur: quemadmodum Nicander narrat de Alcibio, sic dicta ab inventore, & de Lysimachia à Lysimacho, uno ex Alexandri principibus. Mithridation verò à Mithridate rege Cratevas esse inventum affirmat: sicut Gentianam à Gentio rege Illyricorum. Climenos herba atque Eupatorium regia nomina possident. Artemisiam verò, Mausoli uxor suo nomine consecravit. Hoc diversi populi, regionesque factitârunt: Quorum nomina insita herbis usque ad nostram ætatem perennia sunt: Quod multi Principes, præclarique viri summâ curâ elaborârunt. Quoniam magnis sumptibus supremis ædificiis, metallicisque tabulis, sui recordationem posteris committere undique legimus: Et temporis vetustas (quæ omnia consumit) potuit abolere. Sed qui teneris herbis tremulisque foliis se commendârunt, famam memoriamque usque ad nostram ætatem consequuntur. Quorum nomina Plinius satis diffusè meminit,

inter

inter quos præcipuus & cui in hoc negotio datur palma, Dioscorides fuit, qui ceteris omnibus antecellit: graphicè enim, ut aiunt, veris suis iconibus, propriisque depinxit coloribus. Huic Galenus in herbarum cognitione magnam adhibuit fidem. Quod ceteri prædicant, & omnes testamur. Ex iis quàm plurimi de unicâ herbâ ampla volumina edidere, de qua mirandas facultates scripserunt. Inter quos Apuleius Madaurensis philosophus Platonicus de sola Betonica librum in medica facultate non spernendum conscripsit, quem à Chirone & Æsculapio dicitur accepisse. Iuba rex & diligens herbarius celebravit inter alia Euphorbium. Themison auditor Asclepiadis, etiam vulgarem herbam Plantaginem extulit: Pythagoras Scyllam: Chrysippus Brassicam: Zeno Stoicorum sectæ conditor, Capparim: Marchion Græcus Raphanum: Hesiodus Malvam: sicut Archigenes Castoreum. Vites & vina, ornatâ eloquentiâ Euchronius, Coniades, & Aristomachus propriis codicibus extulerunt & probè laudarunt. Nos autem hos doctissimos vetustissimosque viros imitati, non de herba, sed de unico flore has lucubrationes construximus. Hunc enim florem si defecatis oculis prospexeris, inter omnes magnopere laudare debes. Quoniam ad multa, & diversa in re medica conducibilis videtur. Quapropter, viri studiosissimi, de Rosa & partibus ejus erit impræsentiarum nostrum institutum.

Plutarchus, ille Philosophorum suo tempore maximus, Rosam à Græco vocabulo ῥόδον, nomen duxisse refert: quia largum spirat odorem: ideoque fragrante pulchritudine celeriter emarcescit, refrigeratque, non ineleganti conspectu, cujus planta Rhodonia appellatur, sicut & Rosarium eandem dicimus. Inter arbusta connumeratur. Amat ruderata loca. Seritur ut arundo: quandoque etiam radices ejus vivæ integræque transplantantur. Aduruntur, aut inciduntur, ut per plures annos longius durent. Soletque ea ipsa è loco transmutari, ut melior planta fiat. Florem emittit jucundissimum, inter rubeum & album colorem medium habens, ceterisque floribus odoratior, atque in sua juventa florida longum ex se latumque diffundit odorem. At è senecta exarescens, comminus odorem tribuit. Tempore verò sereno diffusiùs fragrare solet. Cujus folia per initia albicant, pòst verò prærigido nimium Solis æstu in purpureum ac puniceum colorem abeunt. Quare poëtæ ipsius pulchritudinem admirati, jocandi fabulandique sumpsere ansam, Rosam prius albam fuisse referunt, postea verò cruore sauciæ Veneris infectam, in eum qui nunc in ipsa cernitur colorem transivisse. Hac ratione Veneri sacra est, & fortasse non absurdè, quia sicut Rosa brevi viget, & ita Venerea voluptas. Præcoces quoque ipsas ac intempestivas oriri faciemus, si unius palmi spatio à planta fossuram in gyrum feceris, & aquam calidam bis in die infundas. Hic flos apud veteres celeberrimus extitit, tam in coronis quàm in medicamentis. De quo multi multa referunt. Plinius autem in sex partes Rosam dividit, quæ si nomine, virtute tamen parum differunt. Dividit Rosam in flores, folia, & capita. In folia divisa duas rursus habet partes, alteram quæ extremitates vocantur, quas Lobos Asclepiades, & Dioscorides Onychas appellarunt: nos verò Vngues, quæ sunt partes illæ albæ, quæ capiti ipsius Rosæ proximæ sunt. Altera pars est rubicunda, quam Seplasearii ad Rhodosaccharum conficiendum præparant. Unde hujusmodi rosæ Exungues à resectis unguibus solent appellari. Exungulantur verò rosarum folia cùm in condituris adhibentur, ne facilè putrilaginem aspergine contracta ducant. Flores verò ut omnes prædicant, sunt partes illæ habentes colorem luteum, quæ quasi capillamenta sunt in earum medio, sub quibus lanugo quædam existit, in qua est semen. Caput, sunt partes illæ solidæ, ex quibus flores & folia prodeunt, quod calix nominatur. Sunt Rosæ species complures, juxta regionum diversitatem. In alia enim regione sunt rubicundiores, alibi autem plurium foliorum, apud quosdam odoratiores & rubicundiores, quales sunt quæ Toleti leguntur. superant enim hæ omnes Hispaniæ rosas & fragrantiâ & rubore. Rosæ usus in arte medica, Homero teste, quondam extitit, pòst verò in diversis medicamentis ob tantam ejus excellentiam usi sunt illa Medici. Fiunt ex Rosis complura medicamenta, sicut Oleum rosaceum, quod virtutem habet refrigerandi, ac medendi calidis morbis: Etiam unguentum ex Rosis fit quod inflammationes placat: Syrupus, qui calorem febrium arcet: Saccharum rosaceum, quod stomachum & cor calidum firmat. Melli verò rosaceo nullam vim calefaciendi, neque infrigidandi Mesue adscripsit: de hoc verò posteà. Aqua verò rosarum, quæ per sublimatorium extrahitur, mirum in modum frigefacit, & inflammationes repellit. Etiam Rosæ ipsæ diversa antidota ac medicamenta, quæ ad salutem humanam non parum conducunt, constituunt, quibus rosæ sunt basis & fundamentum totius compositi, velut Diarhodon à rosis nuncupatum, utrunque Aromaticum, Rosata novella, Syrupus qui Diarhodon inscribitur. Pastillos etiam suo nomine consecravit, qui ex Rosis fiunt, & quos Diarhodon vocant. Omnia hæc Rosarum sibi vendicant nomen: aut quia majorem partem constituunt compositi,

aut quia ipſis vigorantur, vel ad temperamentum, & correctionem aliquarum medicinarum commiſcentur. Velut Meſues pro rectificatione Scamonii ſucco Roſarum utitur, in quamplurimis locis. Quod factitavit Avicenna, lib. 3. quo Syrupum roſaceum laxativum, ex Scamonio & ſucco Roſarum, cum Saccharo condidit. Et alia quàm plurima, quæ brevitatis cauſſa dimittimus. Quæ omnia medicamenta, quæ ex Roſis fiunt (ſi attentè proſpicias) tam apud Græcos, Arabesque, ad nihil aliud videntur prodeſſe, quàm ad inflammationes, & calidos morbos expellendos. De aliis Roſæ partibus, quas Plinius dividit, non memini me legiſſe illas ad aliud prodeſſe, quàm ad refrigerandum, comprimendúmque. Et nullam earum partem calefacere adhuc in monumentis Medicorum invenio. Meſues Arabum doctiſſimus ſuccum Roſarum eſſe calidæ temperaturæ ſcribit: quòd nullum attingat gradum caliditatis (ut ipſe retulit) impræſentiarum oſtendere inſtituimus. Quapropter veſtrum erit, meam hanc lucubrationem, qualiſcunque ea ſit, diligenter ſpectare: ut tanquam veritatis amatores veram rei contemplationem potiùs, quàm opinionem proſpiciatis. Hoc negotium habuit anſam à Ioanne cognomento Meſues, qui lib. de Simplicibus medicinis capite de Roſa, ponit ſuccum Roſarum eſſe calidæ temperaturæ; quod eſt præter omnem rationem, & contra omnium Medicorum doctrinam atque opinionem. Quamobrem ut hujus rei veritas clarius eluceat, advertendum eſt, quod ad cognitionem temperaturæ medicinarum, Medici omnes duo nos præcipuè docent, Rationem & Experimentum. Quorum neutro ſuadere mihi poſſum, quòd Roſarum ſuccus gradum caliditatis attingat: cùm guſtus, neque experimentum ſint, quæ hoc mihi demonſtrent, nec ratio, quæ ad hoc convincat: maximè cùm Roſa ipſa, ut Meſues teſtatur, & ceteri prædicant, infrigidet in primo ordine, & omnes ejus partes hunc ordinem ſervent. Succus verò Roſarum, qui per expreſſionem ſubducitur, manifeſtiſſimè virtute frigida pollere videtur: cùm partes aqueæ ſint eæ, quæ per expreſſionem ſubtrahuntur, ex unguibus, & foliis ipſius Roſæ: quapropter eaſdem vires, & facultates habere debet, quas & folia & ungues, quæ ejuſdem naturæ ſunt. Quoniam Ariſtotele teſte, Omne quod dividitur ſimile eſt illi à quo derivatur. Folia nanque Roſarum, ut Galenus, & Aëtius docent, componuntur ex aqueis partibus, quæ ſunt quæ per expreſſionem extrahuntur: & nihil mirum, ſi ſunt eæ quæ ventrem expediant, velut Pruna, ut Galenus teſtatur ſecundo Alimentorum, quæ humiditatis ſuæ cauſſa alvum emolliunt. Et licet in parte ſuperiore Roſæ inhæreat aliqua caliditas, adeò exigua eſt, ut in extractione ſucci fermè tota evaneſcat: & ſi qua permaneat, ob magnam aquoſitatem deperditur. Vnde & ſi Roſa ſit in primo ordine infrigidantium, hac ratione ſuccus remanet in ſecundo, quoniam illæ partes calidæ, quæ erant in Roſa, deperditæ fuerunt in ſucci expreſſione: quod experimento cognoſces, ſi vel pauxillum ex eo biberis, ſaporem acerbum atque auſterum in eo ſenties, qui conſtrictivam virtutem manifeſtè demonſtrat. Per guſtum enim diiudicantur naturæ medicinarum, ut Galenus libro quinto de Simplici medicina nos docuit. In guſtu autem, inquit, omnes ſimiliter guſtabilium corporum particulæ in linguam incidunt, ſenſumque movent pro ſua natura ſingulæ. Et ſi per odorem dijudices calidam temperaturam Roſam habere, in eodem libro ipſe Galenus capite 22. affirmat ex odore de ſenſibilium temperatura cognoſcere non poſſumus, ut ex guſtu. Quòd ſi cavillator arguat, quòd partes rubeæ ſuperiores Roſæ, ſunt eæ, quæ calorem miniſtrant ipſi ſucco, hoc potiùs eſſet attribuendum infuſioni Roſarum, in qua tantummodo permeant partes illæ ſubtiles rubeæ, quæ dant ei amaritudinem & ruborem, quæ quidem tranſeunt in infuſionem: quod cognoſces ex ſapore, quo amaritudinem manifeſtam ſenties. Quapropter potiùs dijudicarem infuſionem habere vim ſolutivam, quàm ſuccum: cùm in infuſione ſint partes illæ ſubtiles, quæ poſſunt facere ſolutionem. Meſues autem non ad aliud Infuſionem ſaccharo confectam comprobat, quàm ad morbos calidos, febrium aduſtiones, pectoriſque calorem. Et ſuper colorem, ſuccum Roſarum, quoniam rubeus eſt, dices calidam temperiem poſſidere. Audi Galenum libro de Theriaca ad Piſonem, ab hoc errore nos avertentem: Neque enim calcem, inquit, quòd candida ſit, quemadmodum nix, viſu duntaxat frigidam judicare, ſatis eſſe cenſemus: neque Roſam quòd rubea ſit, ideo illam calefacere, ſtatim pro certò habemus: ſed unà cum viſu ſenſum quoque tactus adhibentes, calidam quidem illam, adeò ut urat, certò invenimus: Hanc verò quòd frigiditatem econtrario in ea tactu percipiamus, ex refrigerantium numero eſſe, firmiter habemus perſuaſum. Hæc Galenus. Quod ſi ulterius hoc cognoſcere cupis, lege eundem Galenum libro primo de Simplici medicina, in quo Galenus nos docet, non debere dijudicari temperaturam medicinarum per colorem: Et quòd Roſa, licet rubra ſit, inter medicinas frigidas connumeratur: quod etiam congruum videtur ejus ſucco. Sunt complures rationes, quæ poſſunt ad hoc probandum in medium adduci, quas brevitatis

gratia missas facimus. Sat namque est viro erudito viam aperire. Sed ad antiquorum doctrinam accedamus, quid in hac re nos doceant. E quibus Aëtius Amidenus, vir sanè in re medica à Galeno secundus, is primus me ab hoc errore illustravit; qui capite primo libri primi, cùm de medicinarum simplicium facultatibus, ex mente Galeni differeret, sic scripsit: Disponantur ergo insignioris doctrinæ gratiâ ordines isti, & singulis ordinibus, peculiares medicinæ constituantur; ut sub primo infrigidandi ordine, Rosaceum oleum, aut Rosa ipsa colloccetur; Et sub secundo ejusdem Rosæ succus. Hæc Aëtius. Quidnam evidentius monstrare potuit, succum Rosarum frigidum esse? Hic quidem cùm de Melle Rosaceo, libro quinto scripsit, hunc in modum confirmat: Mel Rosaceum, tres quidem partes ex colati succi Rosarum exectis unguibus, mellis verò admittit partem unam; conficitur calido Soli pluribus diebus expositum: id verò leniter adstringit, refrigerandique potestate pollet, & ad morbos calidos, æstuantesque febres affirmat subvenire. Avicenna verò Arabicæ sectæ princeps, hujus negotii non immemor, insequens Aëtii vestigia, sicut & in aliis multis, Fen quinta tertii canonis, de cura corizæ & catarrhi, sic inquit: Oppositio autem caussæ efficientis calida quidem est, ut sis solicitus in infrigidando caput, cum eo quod est infrigidans, frigidum potentia: & reliqua. Et postquàm ipse Princeps longam digressionem medicinarum frigidarum, tam interius quàm exterius, cum irrigationibus, unctionibus, ex rebus refrigerantibus monuit, inquit: Et declinatio cum cibis ad illud quod alleviat & infrigidat & humectat, & administratio mellis Rosati omni die. Hæc Avicenna. Quibus verbis confessus est, Mel rosaceum potentia pollere infrigidandi, postquam inter medicinas frigidas connumerat, ac tanquam præsentaneo remedio ad catarrhos calidos omnibus diebus uti jubet. Quod Mesues videtur assentire, quando in Anginæ curatione sic docet: Et in calida quidem materia administretur, sicut mel Rosatum. Et parum pòst: Et ex eis est, succus solani cum melle rosato. Præterea Galenus errorem hunc omnino destruens, libro decimo, qui Methodus medendi inscribitur, Succum Rosarum esse intensæ frigiditatis nos docuit. Quando curando per initia Erysipelas, Phlegmones, postquam usus est, sempervivo, mandragora, lenticulis ex lacunis, succo intubi, quam nos cichoreum vocamus, atque aliis quàmplurimis medicinis, quibus est frigiditas summa. Est verò, inquit, ad talia salutare medicamen Rosarum succus frigidus, unà cum polenta. Quod ejusdem Therapeutices quarto, inter medicinas constringentes & infrigidantes succum Rosarum constituit, dum dicit: Ergo internis ulceribus opitulantur hypocistis, & balaustium, cytinus punicorum, & galla, & malicorium, & rhois, & rosarum succus. Quibus Galenus & ceteri Medici clarius Sole ipso demonstrant Mesuem hallucinari in cognoscenda tēperatura succi Rosarum. Et ut evidentius hoc negotium animadvertas, afferam, quo pacto Mesues in hoc sibimet repugnet, qui multis in locis demonstrat, Succum Rosarum frigidam temperaturam possidere. Ipse enim in libro suo de Rectificatione medicinarum, cùm de correctione scamonii scriberet, laudat scamonium (quæ quidem medicina valdè calida est) coctum in succo Rosarum, non propter aliud, nisi quia obviat sua frigiditate caliditati superfluæ scamonii. Hoc etiam confirmat cùm de Rosa loquitur, Et ingreditur, inquit, Succus Rosæ, & Rosa ipsa, & similiter Oleum ejus, in rectificatione medicinarum acutarum, sicut est scamonia, & euphorbium, & similia. Atque idem hoc evidentius insinuat cap. de Scamonio, in ejus correctione, sic docens: Secundum est, quoniam insunt in ea caliditas, & aqueitas, habiles inflammare, propter quod est facile faciens cadere in febrem, & sitim. Et paulò pòst, inquit: Obviamus ei quod diximus in secundo, miscendo ei in decoctione aliquid virtute refrigerantium, & operando, ut frangatur acumen, & inflammatio ejus: & ad hoc auxiliatur nobis coctio ejus cum eis quæ extinguunt, & leniunt, sicut est muscilago psyllii, & aqua, & carnes prunorum, & succus Rosarum. Quibus satis lucidè monstrare videtur, potiùs frigidam tēperaturam succum Rosarum, quàm calidam possidere: quoniam ipse ad morbos calidos biliososq. tanquā frigidissimum medicamentū adhibet: & multis in locis, ad febres cholericas, & inflāmationes extinguendas, affirmat subvenire: & ad repellendum, cōprimedumque, veluti in Angina, pro ultima infrigidatione, succo Rosarū utitur.

Quapropter si Galeni, Aëtii, Avicennæ, & aliorum doctrinam profiteri vis, nullam aliam temperaturam in succo Rosarum constitues, quàm frigidam. Propterea non est auctoritati ejus tantum tribuendum, ut veritas deseratur, quæ sola multò charior debet esse cuilibet bono viro: Siquidem ratio ipsa, ac deinde tantorum virorum testimonia, econtrario versentur. Neque omnino in hoc est culpandus Mesues, qui suo tempore in re Medica, inter Arabes palmam obtinuit, sed potius, (ut existimo) interpres, qui sicut alios, hunc locum vitiavit: pro frigido enim, calidum esse succum interpretatus est, quod aliis locis, ut nosti, satis manifestè ipse Mesues dictitavit. Hæc igitur ad cognitionem temperaturæ Succi Rosarum sufficiant.

DE

DE ROSIS PERSICIS, SEV ALEXANDRINIS.

QVONIAM ad hoc congruere videtur (quia de Roſa hucuſque diximus) nonnihil etiam de Roſis Perſicis, quæ Alexandrinæ communiter appellantur, tractare exiſtimavi oportere. Quoniam etſi apud magnates, omneſque alios Gentiles celeberrimum ſit ſolutivum, tamen apud aliquos noſtræ rei medicæ profeſſores earum facultates occultantur. Sunt ergo Roſaria hæc veluti noſtra, ſed magis arbuſta, inſtar arboris magnitudine, ſed viridiorem colorem habentia. Aculeos plurimos emittunt, quin & acutiores. Folia velut noſtra, ſed ampliora. Florum numeroſiorem quantitatem effundunt, quæ quina, aut ſena habent folia. Inter album & rubeum medium colorem ſortiuntur. Ruderatum amant locum: ſeruntur, inciduntur, cremantur, transferuntur, ſicuti noſtra. Differunt tamen à noſtris effectu, quoniam hæ per inferna ventrem laxant, illæ verò fluidum retinent. Dicuntur Perſicæ à regione Perſica, unde prius originem duxerunt. Alexandrinæ autem ab Alexandria, quia illuc, ſicut cetera medicamenta, tanquam ad totius Perſiæ emporium deferuntur, unde & ad nos uſque devenerunt, quapropter Alexandrinæ à nobis nuncupantur. Deferuntur enim ad nos complures medicinæ ex Perſica regione, quæ habent vim diſſolvendi, & per inferiora humores ſubducendi: ſicut Scamonium, Rhabarbarum, Aloë, ac conſimilia medicamenta. Et ſic arbor quæ à nobis Perſica vocatur, quæ Perſiæ venenum pernitioſum erat, Romam tranſlata præbuit ſalutarem & ſuavem fructum. De qua Columella meminit his verſibus:

Et pomis quæ Barbara Perſis
Miſerat, ut fama eſt, patriis armata venenis;
At nunc expoſiti parvo diſcrimine læti
Ambroſios præbent ſuccos, oblita nocendi:
Quinetiam eiuſdem gentis de nomine dicta,
Exiguo properant miteſcere Perſica malo.

Et non amiſerunt adeò vires ſuas, quòd apud nos flores hujus arboris ſic diſſolvunt ventrem, velut aliud pharmacum violentum. Harum roſarum apud Italos, Gallos, Germanos, diverſaſque gentes, nunc eſt frequens uſus, quas Damaſcenas vocant, quoniam ex Damaſco nobiliſſima Syriæ urbe credunt deveniſſe. Apud nos verò, triginta ferè ſunt anni, de qua notitiam attingimus. Apud magnates, & nobiles fuit in primis æſtimabile medicamentum: nunc verò ubique habetur. Ita ut non ſine Seplaſiariorum jactura perierit uſus pharmacorum: quoniam in deponendis humoribus per inferna abſque moleſtia mirum in modum alia medicamenta antecellit. Sic laudatus eſt earum uſus, quòd in omni genere hortorum, ruderatiſque locis multum æſtimetur. In primis velut Mel roſarum cum foliis habuit uſum. Modus conficiendi hoc medicamentum eſt, ex una parte foliorum roſarum, & tantundem mellis. Sunt qui duas partes roſarum ponunt, & unam mellis. Poſt verò ob nimiam curam hominum in modum Syrupi ſic conficiunt: Excolati Succi Roſarum partes duas, mellis partem unam, reducantur lento igne ad mellis formam. Alii autem ut ſit majoris ſolutionis, macerant folia Roſarum in aqua calida per aliquot horas, & expreſſis roſis, iterum alias roſas ponunt in eadem aqua, & inde alias, donec aqua rubeat, & Saccharo Syrupum conſtruunt: Sunt, qui ad ſextam & nonam vicem roſas infundunt, ut exquiſitiſſimè pharmacum ſolvat. In foliato debent poni folia unguibus reſectis. Datur ex eo ſecundum ſtomachi robur: communiter exhibentur tres unciæ tam de foliati, quàm ſucco conſtructi. Sunt, qui adhibeant cum hac roſarum conditura Diachartamum, Diacidonium, Electuarium ex Succo Roſarum, ut vigoroſior ſit operatio, quod tu conſidera. Cooperiuntur aliquando Roſæ iſtæ ſaccharo: aliquando fit ex eis Tragema, ut delectabiliores ſint. Non exhibentur ſummo mane velut ceteræ medicinæ ſubductivæ, ſed per unam horam ante prandii acceptionem. Faciles enim miteſque medicinæ, non multum à cibo diſtantes ſumi debent, quod Galenus nos docuit ſecundo de Alimentorum facultatibus, ubi poſt prunorum decoctum (quod ob ventris ſolutionem ſumitur) cibus non multum differri voluit: hoc præceptum univerſale eſſe, omnium medicinarum lenientium, eodem in loco retulit: Quod libro quinto de Tuenda valetudine confirmat. Nos autem de hac re ſæpè periculum fecimus, hoc pacto: Nam integra pulpæ Caſſiæ (quam fiſtularem vocant) uncia exhibita, paulò pòſt cibo accepto efficaciùs atque fortiùs operabatur, quàm ſi prolixo poſtea temporis ſpatio cibus ſumeretur. Hoc verò non injuria dictum exiſtimet quiſquam, cùm fiſtularis Caſſia adeò benigna medicina ſit, quòd ſi ſpatium intercedat, in nutrimentum convertitur, quæ cùm à natura ad actum paretur, in vapores facilimè reſolvitur, qui per totum corpus permeant. Quando parum ante cibum ſumitur, unà cum cibo ad actum ducitur; unde ventrem emollit, & per inferna humores ſubducit: quoniam per dulcedinem ciborum fortiùs ab hepate attrahitur, ac deinde poteſt faciliùs penetrare, & vires ſuas meliùs exercere. Arnoldus de villa nova, libello de Conſervanda juventute, hanc rem, ceteris omnibus, clariùs nos docuit, cùm de Caſſia loquitur. ibidem ſic inquit: Et melior acceptionis modus eſt comeſta per horam ante cibum. Et parum pòſt dans rationem: Et dum recipitur, inquit, ante cibum, trahitur de virtute ejus ad remotas partes cum virtute cibi. Et ipſe libro, quem de Vinis condidit, hoc negotium in hunc modum confirmat: Et quidam in medio cibi granum Aloës recipiunt, & etiam Caſſiam fiſtulam; & ſtatim recepto, ſuperponunt cibum, & operatio bona & laudabilis conſequitur: & nota quòd medicinæ quæ non ſunt violentæ, & ſunt tardæ operationis, & modicæ effuſionis, vigorantur & meliorantur ſi ſumantur cum cibo. Ipſe autè in libro de Conſervatione ſanitatis, quem ad Regem Arragonum ſcripſit, capite ultimo, Caſſiæ fiſtulæ partem internam, parum ante cibum, ob ventris lenitionem, exhibet. Quam rem Vitalis de furno Medicus & Cardinalis, commendatitiam relinquit, quum de Caſſia fiſtula tractat: Plus etiam, inquit, operatur, ſi ſtatim ante prandium ſumatur. Non ob aliam cauſſam Carpius, quum de anatomia matricis ſcriberet, ſic docuit: & quamvis Caſſia fi-

ftula fit in numero medicinarum non multum agitantium, nec multum à remotis trahentium, propter hoc non obftat, quòd non fit timorofa in prægnantibus, quia eft ventofa: quam tamen ventofitatem aliqui corrigunt cum cinamomo & cum anifo, vel cum aliis ventofitatem corrigentibus: & detur Caffia pro minori ventofitate generanda ante primum cibum affumendum in prandio, quia cibus fupra affumptus removet. Hæc ille. Sed Mefues Arabum decus, Canonibus univerfalibus de medicinis tardè operantibus, quæ fuum opus efficiunt lambificando, aut lubricum faciendo, poft earum exhibitionem, ilico, abfque intervallo fumi cibum præcipit, ut natura roboretur. Qui ampliorem doctrinam de medicinarum miftione cum alimentis voluerit, legat Galenum,Rafim, Avicennam, qui non tantùm medicinas has mites alimentis præparant, fed ufque ad elleborum tranfeunt.

Sed tempus eft,ut ad Rofas Perficas nos vertamus, quarum vires & facultates funt,humores & excrementa per inferna fubducere, fine fymptomatis illis, quæ frequentiùs medicamenta exoluentia folent facere. Cetera verò medicamenta, quæ Benedicta nuncupantur, etfi falubria fint, non exfpoliantur ab aliquo nocumento: Hoc verò quod Rofis Perficis fit, non tantùm ab his noxis vindicatur, verùm etiam membris præcipuis vim addit, quòd ventriculum & interiora corroborat, & abfque moleftia operatur. Vtramque bilem, pituitamque deponit, humores fubtiles, & aquofitates potenter attrahit, licet aliqui putent folum ventrem lenire: Sed nobis experientia edoctis, ac Avicennæ auctoritate monitis, à venis, & à toto corpore potiffimùm trahere videtur: in affectibus ventriculi, tam calidis quàm frigidis, & quibus ob ventofitatum multitudinem, moleftantur, mirabiliter fubvenit. Muliebribus malis, uterinisque morbis medetur. In omni morbo, tempore, & ætate, abfque moleftia per inferna humores fubducit. Vnum præ oculis habeas, quòd fi ilicò poft cœnam, unciæ tres hujus conditurae fumantur, mirè operantur: cujus fæpè periculum fecimus.

De Rofæ hujus facultatibus memini me legiffe apud Avicennam, qui ut Perficus de his Rofis fæpe commemorat. Voco hic Avicennam Perficum,& non Hifpanum,Cordubæ Regem,ut ferè omnes prædicant, quoniam Andreas Bellunenfis medicus Venetus, ab hoc difcrimine propemodùm liberavit, qui affirmat Avicennam effe Philofophum & Medicum fuo tempore fummum in Perfia,ex civitate Bochara oriundum, quod in monimentis de vitis Arabum invenit,quod ipfe Avicenna videtur demonftraffe, Fen fecunda primi, capite tertio, de Naturis temporum: Et fecundo Canone. Commemorat ipfe de his Rofis Perficis, Fen prima, quarti libri, de cura febris phlegmaticæ, poftquam medicinas attenuantes humores proponit, fic docet: Et eft poffibile, ut confequatur per eam illud quod quæritur de lenificatione naturæ, & propriè cum folutivo facto de Sacchаro Rofato ex Rofis rubeis nominatis Perficis, quoniam eft lenitivum & folutivum. Et quando tale folutivum ex Rofis, indiget majori folutione, tunc enim nofter Avicenna confuluit, ut vigoretur cum aqua volubilis, loco cujus damus coctionem aliquam medicinarum, quam apozemam Medici vocant. Aut poft ipfas Rofas Caffiæ medullam cum penidiis confectam, ad majorem lenitionem, exhibemus. Et ipfe nos docuit in cap. de cura tertianæ non puræ, quando de evacuantibus medicamentis fermonem facit: Et de folutivis in principiis ejus quæ funt propinquiora æqualitati eft aqua Algeleniabin, decocti. Et deinde ponit Caffiam, poftea verò Turbith: quia dat tres modos leniendi ventrem in principio morborum. Hoc factitavit Serapius fexto Breviarii,quando dixit: Et evacuamus ipfum, fi virtus eft debilis, & caliditas vehemens valdè, cum aqua Algeleniabin. Et ipfe de nothæ tertianæ curatione, agens ferè ea quæ Avicenna in eadem cura docuerat, fic dixit: Si autem neceffaria eft lenitas naturæ, tunc oportet ut fiat illud cum aqua Algeleniabin, & Caffia fiftula. Avicenna verò in eodem capite, de tertianæ curatione, inter medicamenta per inferna humores ducentia,Geleniabin factum cum Rofis Perficis, ufque ad drachmas quindecim admittit. Et paulò pòft conficit Scamonium & Turbith cum Geleniabin jam dicto. Tertia verò Fen primi Canonis, de Regimine ejus quod comeditur & bibitur, curando repletionem poft Trypheram, ponit Saccharum rofatum egeftionem faciens, quoniam ventrem fuaviter folvit. Ipfe enim Fen terdecima tertii, de cura malitiæ complexionis ftomachi, cum materia & cura oppilationum, inter evacuantia medicamenta has Rofas conftituit. Poftquam verò catapotia, diacidonium folutivum,fcamonium cum lacte, pro ftomachi mundificatione, ac humorum euacuatione admittit, fic inquit: Et Geleniabin folutivum eft maximi juvamenti in hoc. Et parùm pòft, Et Syrupus rofatus folutivus etiam. Et propriè in æftate. Si ampliorem doctrinam vis, audi ipfum Principem, Fen vigefima prima, tertii libri, qui adverfus appetitum corruptum prægnantium, pro earum ftomachi mundificatione,(quæ fummo opere Medicus intendere debet)fic nos docuit. Quod fi ejus appetitus malus fiat, fuperfluè ftude in mundificando ftomachum ejus, cum eis quæ funt, ficut aqua Algeleniabin, facta cum Rofis Perficis. Hoc prætenire nolui, quòd per aquam Algeleniabin, non fublimationem illam, quam nos more chymico fecernimus, intelligas: fed illam, qua antiqui Medici utebantur. Noftris verò temporibus herbæ, radices, flores, per inftrumentum quoddam, quod Alembicum Chymici vocant, fecernuntur: à quibus partes aqueæ funt eæ, quæ fegregantur, & partes aëreæ calidæ evanefcunt vehementis ignis incendio: feculentæ verò in fundo vafis remanent: tandem quòd fi bene profpexeris,folam aquofitatem herbarum, fublimatorium nobis tribuit; aliæ autem partes aperientes, & confimiles, omnes deperduntur, ac nimio calore evanefcunt. Quoniam fi Abfinthium cum fua aqua conferas, non idem odor & fapor eft in aqua, qui in herba ipfa erat. Maximè hoc evenit noftris partibus, quibus cauffa majoris lucri tanto incendio fubducuntur, quòd non tantùm vires,ac facultates tenerarum herbarum confumunt,fed Milonis taurum decoquerent. Vfurpabant autem antiqui pro aquis, non has fublimationes, fed ex herbis fuccos fubtrahebant, & poft levem fervorem, vel coctionem,excolabant, & fedimine facto, fupremam ac defecatam partem fecernebant, & illo utebantur pro Aquis. De hac Aqua intellexit nofter Avicenna in hac parte. Quantum differat à noftris,vos animadvertite. Rafis Pœnus medicus excellentiffimus, Galeni fimia, decimo octavo lib. fui Continentis, de iis Rofis quæ ventrem emolliunt, fatis diffusè in medium adducit, maximè cùm de amphemerina febre, quam quotidianam vocat, fcriberet: ibidem quanta fit intentio medici in deponendo pituitam in hac febre non parum monuit: de Effer Medico Arabe dixit: Mollifica ventrem in hac ægritudine cum aqua volubilis,

volubilis, & saccharo, aut cum uncia una Sacchari rosacei. Et parum pòst ad hoc confirmandum addidit: Et si vis laxare ventrem, sit cum duabus unciis Sacchari Rosati,& tribus unciis mannæ. Ipse etenim de hoc Saccharo rosaceo solutivo passim commemorat. Et qui ultra scire appetit, legat suum vastum pelagus. Quibus omnibus præfati Arabes instituerunt, quòd Rosæ Persicæ deponant humores per inferna: & quotidianas,tertianasque patientibus,sit salutare,& domesticũ solutivum. Et prægnantes (quibus exoluentia medicamina sunt prohibita) possunt tam salubri medicina evacuari. Quòd si defecatis oculis hoc negotium mavis judicare,conspicuè videbis,quàm salubria medicamenta nostris temporibus natura germinet. Tempore nanque Apollinis, Æsculapii, Hippocratis, aliorumque antiquorum, ignotæ erant medicinæ, quas Benedictas nuncupamus. Vtebantur enim scamonio, veratro, colocynthide, lathyride, & his similibus: aut quia homines erant robustiores, aut quia hæ medicinæ mites, erant tempore illo incognitæ. De quibus ipsi non absque cautela,& meditatione utebantur. Propinabant autem has medicinas hominibus jam conclamatis, & in ægritudinibus fortibus, velut epilepsia, elephantiasi, ac consimilibus morbis. Quare Plato ille libro de Vniverso, his verbis nos monuit: Nullo modo sanæ mentis homini suscipienda illa medicorum purgatio est, quæ pharmaciis, id est, solutivis medelis fieri solet: morbi enim nisi periculosissimi sint, pharmaciis irritandi non sunt. Hæc Platonis verba intelligi debent de solventibus medicinis jam dictis, quæ suo tempore fuerunt. Quam rem ceteri Medici, tam Græci quàm Barbari, commendatitiam reliquerunt. Nostris verò temporibus natura ipsa melior, velut saluti nostræ consulens,infirmitatem nostræ ætatis respiciens,complures adhibuit medicinas,cum mites, tum salubres: quibus sine labore atque molestia expelluntur humores, & corpora sanantur. Nunc verò obtulit nobis Rosas Persicas, quæ inter medicinas benedictas, benedictissima meritò nuncupari potest. Placuit adhuc de rosis Persicis seu Alexandrinis commemorare, quò facilè pernoscatis, quod nec parvi certè momenti est, medicinam solutivam absque damno, & periculo ægrotanti propinare, suavem quidem ad suscipiendum, atque utilem ad medendum. Hæc candide Lector, sub brevibus annotavi: quæ tamen si parva videntur, sensu tamen virtuteque, multa suboccultantur: Quæ obsecro amicè legens, fideliter corrigas:ejus enim caussa tibi damus. Quòd si ostentandi gratia ædidissem, opportunam sanè ignorantiam fatendi ansam præberem. Vale.

DE CITRIIS, AVRANTIIS, AC LIMONIIS.

D. NICOLAVS MONARDVS QVADRÆ SVO S. P.

Qvantvm exhilaratus tuis literis fuerim, non possum scribere: est enim epistola tua tam tersa, tam varia, tam denique omnigena eruditione ac reconditiore litteratura inspersa, ut à Musis ipsis concinnatam esse, credere par sit: quam cùm legendi cupiditate avidius relego, illud Poëtæ contigit, ut cùm cupio sedare sitim, sitis altera creverit. Quod autem ad nostram amicitiam pertinet, tua virtus, tuæ literæ, ac doctrina, non tantum me, sed exteras gentes ad id invitant. Quantus virtutis tuæ sit splendor, vna eademque omnium accipimus voce, quin palam Senatus hujus inclytæ Civitatis, qui te inter omnes Hispaniæ pro Archichirurgo elegit, confessus est. Nec immeritò: cùm omnibus iis, quæ ad hanc facultatem conducunt, sis imbutus: tum quæ ad medicinam pertinent, apprimè eruditus. Antiquo autem Hippocratis, Galeni, aliorumque antiquorum tempore, Chirurgia conjuncta erat medicinæ: postea verò quàm deducta est ab aliis, habere professores suos cœpit, in qua præstantes principesque fuerunt Podalirius, ac Machaon Æsculapii filii, qui ab Homero referuntur, vulneribus tantùm ac abscessibus externis medendis insignes. In Ægypto quoque increvit, Philoxeno maximè auctore, qui plurimis voluminibus hanc partem diligentissimè cõprehendit, & multi alii viri singula quædam reppererunt, de quibus apud Celsum libro primo satis diffusè scribitur. Inter quos, Vir doctissime, ascribi potes: cùm in te luceant ea, quæ Galenus noster omnium bonarum artium coripheus nos docuit, Qui operationem manualem artificiosam, ad commodum finem pertinentem, Chirurgiam esse prodidit, quam tu unà cum Medicina à primis unguiculis professus es. Oportet enim, qui Medicæ artis scopum attingere debet, à teneris annis summo opere insudet; quod Soranus Ephesius, medicorum suo tempore summus, cùm de probatione Medici scriberet, satis lucidè demonstrat. Nos tamen, inquit, principium sumimus ab eo, qui imbui arti medicinæ inchoat: sit autem ætate illa, ex qua maximè è parvis homines transeunt ad magnitudinem, quod est in annos undecim. Hæc enim est ætas apta ad sumendam sacram artem medicinæ. Hæc ille. Sic enim ad fastigium Medicæ facultatis devenisti, ut in Complutensi Lyceo Lauream Coronam Doctoratus, non sine multo labore ac eruditione gloriaque adeptus sis, ita ut artem ipsam more antiquo in unum redegeris. Cujus candoris tuæque laudis partibus ne videar assentari, atque adulari, in præsenti missas faciam.

Quæris literis tuis, quid de Aurantiis sentiam,& quid de eis sentiant antiqui, an apud Priscos sit habita earum cognitio. Miror tamen, mi Quadra, cùm habeas in hac inclita urbe doctissimos viros, de medicina universa optimè meritos, qui majore eruditione, literisque in hoc negotio possint satisfacere, ad me unum venias, cùm eruditione & usu rerum sim multò inferior. Præsertim quod ad Aurantias attinet, potius divinator sim, cùm non habeam ducem. Sed ut amico & doctissimo obsecundem, non quod velim,

velim, sed quid sentiam in hac re, paucis aperiam. Citri, Limones, consimilesque arbores ejusdem sunt naturæ, quæ insitionis caussa in alium colorem ac figuram abeunt: & quia de Aurantiis est sermo, opportunum est, ut de Citro tanquam de primo earum parente in primis sit nostrum institutum. Arbores, quæ Citri nomen habent, duæ sunt, una cupresso similis, de qua celebres illæ mensæ quas memorasti fiebant. Altera verò quæ Citria mala ferebat. Hæc enim humilis est, omnibus nota, omni tempore pomifera, semper prægnans, fœcundaque, ut trium annorum fructum habeat: flores emittit jucundissimos, pomum oblongum, interdum rotundũ, aliquantulum rugosum, colore aureũ, odore gratum. Arbor est non multæ proceritatis, folio lauri consimilis; aculeos habet acutos vehementer, & rigidos: Apud Medos & Persas imprimis frequens, deinde Palladii diligentia in Italiam translata fuit: posteà verò in Hispania in usum devenit, ut nemora & campos occuparet. Antiquitas non vescebatur, sed odoris caussa in usu erat: & magna hominum cura, ex acri dulcem cibum fieri docuit. Alexipharmacâ etiam virtute pollet, quanquam Marcellus dubitet, an semen aut pomum sit: quoniam Dioscoridis relativum, tam ad semen quàm ad pomum refertur, sed Plinii doctrina monitus, tam semini, quàm pomo attribuit virtutem. Theophrastus verò totam vim integro pomo assignavit, cujus vestigia Paulus secutus est. Hoc enim malum inimicum est venenis, quod Virgilius secundo Georgicorum, satis pulchrè his versibus prodidit:

Media fert tristes succos, tardumq; saporem
Felicis mali, quo non præsentius ullum,
Pocula si quando sævæ infecêre novercæ,
Miscueruntq; herbas, & non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.

Quæ omnia videntur convenire cum Theophrasto, & Plinio, & aliis: quoniam est contra omnia venena præsentaneum remedium & contra ictus animalium venenatorum: ut Ruellius narrat eleganti historia, in hunc modum: Quin & (ut Athenæus refert) omnibus perspicuum est, Citrium malum adsumptum veneficii cujuslibet amuletum esse, quod à fidem faciente cive didicerat, qui secundum leges ab Ægyptiorum magistratibus latas maleficos quosdam damnaverat nebulones, quò suorum facinorum luerent pœnas, feris in prædam exponendos, quos oportebat omnibus bestiis obiici. Verùm antequàm in theatrum descenderent, in quo fures & prædones supplicia pendebant, in itinere caupona quædam vicem eorum dolens, sortisque miserta, quæ in manibus tenebat edens, dedit Citria, quæ recepta manducarunt: nec multo pòst immanibus & ferocissimis bestiis oblati, & ab aspidibus demorsi, nihil molestiæ senserunt. Tum præfectum dubitatio cepit: rogans denique militem, cui reddita fuerat custodia, si quidpiam edissent, aut bibissent: ubi certior factus est, Citrium ex integra simplicitate donatum, postridie jubet uni præberi, & alteri denegari: qui comederat, demorsus nihil incommodi passus est, alter illato ictu confestim interiit: Qua re multis probata, factoque frequenter periculo, tandem inventum est, omni exitiali medicamento præsenti esse remedio. Hactenus Ruellius. Sic enim ad diversas regiones propter remedii præstantiam devenerunt, & cùm non vescerentur, propter odorem & medicamenta tantùm erant in usu, quod Plutarchus retulit, & Athenæus affirmat. Tunc enim inculta arbor erat, & maximam amaritudinem & acetositatem Citria habebant, ut non absque ratione Solinus Plinii simia, miræ amaritudinis esse scribat, quod homines magna cura perverterunt, ut Constantinus Cæsar docuit: nam in ovillo lacte semina priùs quàm ponerentur, maduerunt: sic autem ad dulcedinem mutata sunt. Et non amiserunt in totum suam amaritudinem, nam cortices hujus pomi intensam amaritudinem adhuc possident: quoniam si solas degustaveris, illud Solini illis satis convenire videtur. Non solùm ad domesticitatem sunt redacta, sed insitionis caussa ad diversas formas devenerunt, ut diversitatis ratione, elegantiores gustu, & conspectu fuissent: tunc verò, ut per insitionem mortalitati arboris succurrerent. Arborum sationem aves primùm docuere, devorato raptim per famem semine, & alui madido tepore, cum fœcundo simi medicamine, in mollibus arborum lecticis abjecto, & ventorum impetu sæpius in hiulcas corticum rimas translato. Vnde enata visitur platanus in lauro, laurus in aliis arboribus: Quo exemplo antiquiores insitionem invenerunt: qua mediante miranda in arboribus & fructibus undique cernuntur, quoniam ex utraque arbore aliud distinctum enascitur, quod utriusque facultatem ac similitudinem possidet: nam Persica arbore in malo Cidonio inserta, malum Cotoneum enasci vidimus, de quo non memini me legisse, nec prisci meminerunt. Sic evenit Citro arbori; nam in Malo Punico inserta (ut agricultores docent) in rubrum colorem & diversam formam abit. Vnde videntur enatæ Aurantiæ, quoniam Aurantiæ malo Citrio non absimiles sunt, & cùm Malis Punicis in rotunditate & colore, corticéve, satis convenire videntur. Et hoc maximè mihi persuadeo, quoniam eæ frequenter cùm Malis Punicis conjunguntur, tanquam non multum viribus & potentia ab illis deficiant: quod certè experientia etiam hodie cognoscere, cuique datur: Quum Punicorum penuria Aurantiæ in plerisque locis in usum veniant, ad corroborandum videlicet os stomachi, ad bilis fervorem, ad sitim, atque alia quamplurima; in quos sanè usus à medicis Aurantiæ probantur: Sic enim ab auri colore eas voco, sive Arantiæ ab oppido nominentur, impertinens est. Has vocant Græci Poma aurea, unde ego Aurantias appellavi. Quàm sit difficile nomina rerum derivare, unicuique doctissimo relinquo. Vnum habeas persuasum, quòd per insitionem advenerunt, veluti alia complura fructuum genera, quæ insitionis opere habemus, sicut tot genera prunorum, malorum, persicorum, aliorumque fructuum. Quis non videat tot genera Limonum, & alia, quæ nec Citrio, nec Limonibus conveniunt? quemadmodum Zamboas, Toronjas, Limas, Limones, quæ omnia nec Prisci cognoverunt. Sic magnificatus est insitionis usus, ut Aurantiarum sint plura genera; nam aliquæ sic habent corticem dulcem, ut totæ comedi possint: aliæ autem in uno pomo duo genera botrorum habent: aliæ verò absque semine sunt. Quanta diversitas saporum in eis degustatur, communi relinquo judicio. Sat sit quod multa sunt apud nos, & fieri possunt per insitionem, quæ in monumentis antiquorum non memorantur, quod nostris Aurantiis evenit, ut Antonius Nebrissensis, (vir in omni literarum genere valde eruditus) in procemio sui Dictionarii, sic prodidit: Multa sunt nostro seculo, quæ antiquitas illa aut penitus ignoravit, aut genere tantum indistinctè cognito differentias

rerum

rerum non intellexit: Mala Citria unius tantum generis ac nominis, atque ita vix cognita apud antiquos fuisse legimus: Nos verò ejus pomi variis generibus nomina diversa indidimus, Cidras, Naranias, Toronias, Limas, Limones, appellantes. Hactenus Nebrissensis. Non solùm arborum fructus, sed arbores ipsæ in alium modum per insitionis curiositatem devenerunt: Nam Citrus arbor in Aurantio inserta, ad magnam proceritatem provenit, & Aurantius in Citro ad tam humilem formam, ut magnitudinem unius cubiti Aurantius non excedat. Et ut unico verbo hoc negotium absolvam, per insitionem Aurantias ad nos devenisse, pro certo habemus persuasum: has enim antiquiores non cognoverunt. Auicenna verò commentario de Virtutibus cordis, & lib. 1. de Vrinis, & lib. 5. de Antidotis de Citrangulis commemorat: Quod & Mesues factitavit, quando Oleum de pomis Citranguli scripsit, qui an sint Aurantiæ, nondum nobis constat. Sed tempus est, ut ad aliam Citrum sermonem vertamus. Mensæ verò illæ, mi Quadra, à veteribus decantatæ, quæ ex Citro antiquitus conficiebantur, ob arboris proceritatem, quòd ex Aurantio possint fieri tuis literis affirmas, qua ratione à veteribus Aurantias esse cognitas deducis, cùm ex Citro nostrâ fieri non possint, quoniam infima arbor est, non apta ad tale opus. Non miror quòd in eandem difficultatem incidas, ad quam complures antiquiores devenerunt. Mensas illas tam pretiosas, præsertim Ciceronianas, non fuisse ex hac Citro, pluribus conficimus argumentis, quoniam Citrus hæc alia est omnino ab ea quæ Citria mala producit: est nanque illa cupresso similis. Multum enim differt Citrus nostra à cupresso. Citrus folia lauri habet, cupressus verò juniperi, sabinæque. In cultu non parum dissentiunt, quoniam Citrus illa montes & loca frigida amat, Aurantius verò frigora supra modum odit, calidisq. locis familiaris: omitto alia quamplurima, in quibus differt Citrus nostra mala Citria ferens, à Citro arbore ex qua mensæ illæ fiebant, quæ tanto in pretio habitæ fuere apud antiquos, ut Iuba Rex duas mensas emeret, quarum alteri pretium fuit quindecim librarum, alteri paulò minùs. Dion (ut Hermolaus refert) in Neronis vita, non Citrias sed Cedrinas mensas nuncupare maluit, ut Cedro potiùs quàm Citro similes viderentur arbores.

Quibus indiciis manifestissimum est, alteram esse arborem Citrum, ex qua mensas illas tanto pretio fabricabant, alteram verò esse mala Citria producens. Aurantius verò licet ingens arbor sit, per insitionem advenisse talem, pro certo habemus. Multa enim monstra contingunt in natura, ut Aristoteles lib. 2. de Generatione animalium retulit: Animalibus videlicet & Arboribus. Animalibus propter diversorum eorum commistionem. Quod quidem in Libya juxta Nilum fluvium plurimæ ferarum species bibendi gratia convenire cogantur, inibique varia mistura varias monstrorum formas, subindeque novas nasci. Vnde venit adagium, Semper Africa novi aliquid apportat. Arboribus verò accidunt monstra per insitionem: nam talea alicujus arboris in alia arbore certo modo affixa, producitur tertium, quod monstrum dici potest. Sic evenit Aurantio, quoniam per cõmistionem diversarum arborum (quod per insitionis opus fit) Aurantius ad nos devenit. Quod de Theophrasto dubitatur, si Aurantias cognoverit: Ipse enim lib. iv. de Historia plantarum sub nomine Mali Persicæ & Medicæ, arborem describit, quæ cum Citro non parvam similitudinem habet, & in omnibus quibus Græci & Arabes de Citro & Citria deliniarunt, nihil differt: certum quidem est, arborem Citria ferentem inibi Theophrastum intellexisse, & non Aurantium: quoniam de ejus proceritate non meminit, quæ his magna, illis ita deest, ut arbusta potiùs judicari possint. Nec figuram pomo dedit, quoniam Aurantiæ rotunda, Citri verò oblonga videtur. Ianus Cornarius in commentariis Galeni de Compositione medicamentorum localium, Aurantias sub malis Cestianis Galenum intellexisse, indubitanter affirmat: quod nec rationi, nec judicio consentaneum est. Quoniam (ut ego existimo) Cestianum, itemque Matianum malum idem esse oportet, sub pomis comprehensis, & Cestiana mala à Cestio, sicut Matiana à Matio appellari possint: Vnde nos Hispanica lingua Mançana à Matio nuncupamus. Sed tempus est, ut frenum calamo imponamus, ne epistolæ limites excedamus.

Hæc sunt, Quadra doctissime, quæ de Malo Citrio, atque Aurantiis impræsentiarum occurrunt, quæ pro oraculis non prodo. Et si non probaveris, culpam in te reiiciam, qui arbitrum me inter tam celebratos viros esse voluisti. Vale.

FINIS.

ALTERA
APPENDIX
ad Rariorum Plantarum Historiam
CAROLI CLVSI.

CAROLVS CLVSIVS

Benevolo Lectori.

Post evulgatam meam rariorum Plantarum Historiam, quædam necessaria circa illarum nonnullas adhuc observabam: aliquot præterea plantas videre, aut earum icones nancisci contingebat, quarum historia à nemine hactenus, quod sciam, est prodita. Eam ob causam, tum illa quæ observabam, tum plantarum non proditarum historiam, in alteram Appendicem congerere operæpretium esse ducebam, ut iis qui meam Plantarum historiam sibi comparârunt, ista Appendix etiam usui esse posit.

ALTERA APPENDIX ad Plantarum hiſtoriam CAROLI CLVSI.

RARIORVM PLANTARVM HISTORIÆ C. CLVSI

LIBRO PRIMO.

Cap. V. *pag.* 8. *adde ante Sectionem* VETERIBVS, *ſequentia*,



CETERVM anno à nato Christo ſexcenteſimo tertio ſupra milleſimum mittebat ad me Viennâ Auſtriæ Generoſa Dn. de Heuſenſtain hujus arboris apud ſe natæ ramum ſuis floribus onuſtum, in pagina vivis coloribus expreſſum, ut florum, quos antè numquam conſpexeram, formam obſervare poſſem: & ſanè longè diſſimiles eſſe deprehendebam iis quos Cl. V. Petrus Andreas Matthiolus ſuis in Dioſcoridem Commentariis exhibet. De iis igitur in hac Appendice agere volui, & rami ad me miſſi iconem in tabella expreſſam Lectoris oculis proponere, confidens rem illi non ingratam me facturum.



Caſtaneæ equinæ flores.

NASCI porrò obſervabam in oblongo ramulo, ex ala folii extremam rami partem occupantis prodeunte, multos flores longiuſculis petiolis ſubnixos, quatuor foliis non valdè amplis conſtantes, candidis, quorum bina ſuperiora, reliquis paullò ampliora, violaceas ex puniceo maculas orbiculares in medio impreſſas habebant, eleganti ſpectaculo, quas ſculptor corrupit: è florum autem umbilico plura flava ſtaminula prodibant in aureos apices deſinentia: ſíntne verò illi flores aliquo odore prædìti, & an omnes ad frugem perveniant, me latet, quia in epiſtola picturæ adjuncta nihil erat ea de re adſcriptum.

Cap. VII. *pag.* 12. *ad capitis calcem lege*,

imò neque etiam anno M. D. XCV. neque binis ſequentibus, licet in magnam altitudinem excreviſſet, ut ad me ſcribebat, cui arborem diſcedens reliqueram: contrà quàm à Generoſo Davide Vngnad mihi relatum fuerat, niſi fortè ex cæli mutatione hæc diverſitas accidat. Erat verò ejus caudex multò candidiore, & magis ſcabro cortice tectus, quàm vulgaris avellanæ caudex eſſe ſoleat. Anno porrò ſexcenteſimo ſecundo ſupra milleſimum, ſcribebat ad me honeſtus vir Ioannes Mullerus pharmacopœus Francofurtenſis, cui ante meum ex ea urbe diſceſſum pumilam arbuſculam ſemine natam donaveram, eam valdè excreviſſe, nullum tamen adhuc fructum protuliſſe; ſperare tamen eo anno fructum ex illa adquiſiturum, quia ſuos iulos produxerat inſtar vulgaris: illorum etiam aliquot mittebat, quoſdam firmos & benè compactos ante brumam lectos, alios novo ejus anni Vere jam explicatos & multò longiores: inſequente etiam anno fructum, ſed plenam maturitatem nondum adeptum, illi tamen formâ ſimilem qui in Plantarum hiſtoria ramulo ad- *Avellanæ Byzantinæ juli.*

jectus: anno verò cum præcedente Cl. V. D. Pawio arbusculam mittebat propagine adquisitam, quæ in Academico horto Leydano conspicitur, at quæ nondum, quùm hæc scriberem, julos aut fructum protulerat.

ad finem cap. XIII. *pag.* 21. *adde*;

Palma marina. SIMILIS plantæ iconem cap. IV. libri VI. Exoticorum Lector reperiet: & apud doctissimum virum Ferdinandum Imperatum, ejus Historiæ Naturalis lib. XXVII. aliquot icones extant ad hanc materiam pertinentes.

Cap. XLII. *pag.* 63. *versu secundo ante periodum*, Sunt qui, *adde*,

Mahalab historia. Hic frutex interdum ad arboris magnitudinem assurgit, & in ramulis profert tubercula, è quibus inter exigua folia plerumque emergunt dilutè virescentes pediculi, & ex illis uvæ in formam dependent octoni aut deni caliculi in quinque lacinias orbiculares & virescentes divisi, continentes albos flores quinque foliolis albis constantes, cerasi floribus similes, sed minores, è quorum umbilico stilus prodit multis staminibus albis cinctus, quorum apices initio purpurascunt, deinde flavescunt, odoris jucundi, ad florum Spinæ appendicis odorem quodammodo accedentis: in summis deinde ramulis nascuntur folia viridia & splendentia, Cerasi foliis similia, sed minora, & in ambitu aliquantulum serrata.

Florebat ea arbuscula semine nata & adquisita inter alias ante hortum Academicum, Maij initio, ubi sponte nascitur, paullò interdum præcociùs: fructum istic non tulit, sed aliis locis sæpè legere memini granis piperis non majorem, orbiculatum, nigrâ membranâ tectum.

Cap. L. *pag.* 79. *post Hispanicum proverbium Latinam interpretationem paullulum immuta, hoc modo,*

Quisquis montem vel silvam adit, potiùs quàm inanis redeat, vel Ardivieja (plantam videlicet vulgarem & vilissimam) colligat.

Cap. LXXXI. *pag.* 114. *ante Sectionem*, CETERUM, *adde*,

Et certè paucis post annis intelligebam non modò Matronam illam similem plantam adquisivisse, sed etiam Pragæ in Cæsareo horto ali: tum in quibusdam Germaniæ locis reperiri apud eos qui in colendis peregrinis & elegantibus plantis operam collocant. Inter illos Fridericus Maierus Armamentarii Argentinensis præfectus & vir doctissimus, anno Christi millesimo sexcentesimo primo digitalis longitudinis ramulum binis foliis præditum & florem sustinentem flavum multiplici foliorum serie constantem ad me mittebat ut conspicerem, sed prorsus aridum: anno insequente ab eodem accipiebam similis rosæ surculum sine radice, qui, ut malè in pyxide compositus fuerat, & accesserat longa in itinere mora, prorsus exaruerat: observabam autem surculum illum frequentibus spinis esse armatum, perinde ac hi qui florem flavum simplici quinque foliorum texturâ constantem ferunt, atque ejus folia illius foliis prorsus esse similia.

Cap. LXXXVI. *pag.* 121. *ante Sectionem*, Ad eorum, *adiice sequentes versus*,

Clematis altera flore pleno. CETERUM intra paucos annos nova Clematidis alterius species reperta est, illius quidem generis quod florem habet ex cæruleo purpurascentem, sed alterius formæ; atque à quibusdam rei herbariæ studiosis ali in suis hortis intelligo: certè doctissimus vir Fridericus Maierus, Armamētarij, ut paullò antè dicebam, apud Argentinenses Præfectus, se plantam habere scribebat, illiusque florem, ut conspicerem, mittebat anno à nato Christo millesimo sexcentesimo secundo; erat autem ille multiplici foliorum texturâ constans. Mittebat etiam anno insequente bina sarmenta, sed sine radice, & adeò resiccata, ut etiam si terræ credita sint, non sperem comprehensura & radices actura: nulla autem in re differebant à vulgaris Clematidis alterius sarmentis. Similem etiam plantam Bruxellæ in Brabantia conspici audiebam apud Nobilem virum Lamorallium de Tassis Cursorum Præfectum.

RARIO-

RARIORVM PLANTARVM HISTORIÆ CAROLI CLVSI LIBRO SECVNDO.

Cap. III. *pag.* 132. *ante Sectionem Memini, adde,*

HANC plantam, ob floris venustatem & elegantiam plerisque Italiæ locis *Rizo de la Signora* appellari intelligo. Rizo de la Signora.

Cap. IV. *pag.* 133. *ante Sectionem* LILII *porrò, adde,*

Illius floris colorem plurimum ad mali aurantij præmaturi colorem accedere observabam: odorem autem non adeò suavem ut ejus quod præcedente capite descriptum est, sed potiùs Lilij montani flavo flore odorem referre. *Lilium miniatum tenuifol.*

Habebat porrò amplissimus vir Nicolaus vanden Branden Consiliarius Bruxellensis plantam similem Somerianæ, quæ anno à Christi nativitate secundo supra millesimum & sexcentesimum sex & quadraginta flores, imò etiam longè plures tulisse fertur in unico, sed illo plano caule: anno autem insequente non minorem florum numerum tulisse ad me scribebat.

Ceterùm aliud ejus genus reperitur etiam præcox & angustifolium, longè nitidioribus floribus quàm Somerianum præditum; nam prorsus miniatos illos fert ut Byzantinum, certè magis saturos quàm Somerianum, nec eos inodoros. Præfectus Cursorum Bruxellensis sub extremum annum millesimum sexcentesimum secundum, pusillum bulbum ejus generis mittebat, quem ex Italia recenter accepisse scribebat: & licet is bulbus nucis avellanæ magnitudinem vix superaret, sequente tamen anno quatuor flores tulit ejus quem dixi coloris: ejus etiam folia licet angusta ut alterius, magis tamen saturâ viriditate prædita, & magis splendentia mihi videbantur, atque inordinatè quemadmodum flores in caule nascebantur: observabam etiam ejus caulem & folia non adeò brevi marcescere ut alterius, sed diutiùs perdurare. *Aliud ejus genus.*

Utrumque genus, ab iis qui diu aluerunt, *Martagon* Pomponij vocatur, & hac appellatione ex Italia se accepisse asserunt. Rarum adhuc est in his Provinciis, quia adnatis difficilimè se propagat, nec apud quempiam ipsam plantam semen præbuisse intellexi. *Martagon Pomponij.*

Pag. 134. *ante Sectionem* EST *etiam, adde,*

HABVI etiam à doctissimo viro Ioachimo Venerio similis plantæ bulbum Burdigalâ missum, cujus forma ab illius bulbo non differebat, sed ejus caulis & folia magis candicabant, flores autem antè quàm expanderentur multâ candidâ lanugine erant obsiti, explicati verò prorsus nivei, nec ullis maculis infecti; staminum apices non ferruginei coloris ut alii, sed flavi. *Lilium montan. albo flore.*

Cap. XI. *pag.* 152. *ante Sectionem Sponte, in extrema pagina, adde,*

præcocior videlicet; nam genus etiam invenitur magis serotinum, & cum Tulipis serotinis flores explicans, eosque vel saturatiores maculas habentes, vel dilutiores, quemadmodum genus magis præcox, magna autem ex parte saturatiores. *Fritillaria serotina.*

Ceterùm repertas esse plantas intelligo quæ album florem gestent, præcocioris ne generis eas an serotini, ignoro, quia nullam similem plantam hactenus videre mihi licuit, & rarissimè inveniri intelligo; videlicet inter aliarum myriades unam interdum aut alteram plantam. *Fritillaria albo flore.*

Pag. 153. *post versum duodecimum ante Sectionem N.V. adde*

Postea in variis Galliæ provinciis sponte nasci intelligebam, apud Pictones (ubi circa urbem Villefagna *des Peslonnes* appellant) apud Britannos, Aquitanos, & alios. *Fritillariæ diversi natales.*

Ante caput XII. *adde integra duo subsequentia capita.*

Narcissus vernus præcocior flavo flore.

NARCISSI genus reperitur ineunte vere flores producens, prorsus novum, in his præsertim regionibus: mihi certè ante annum à Christi nativitate millesimum sexcentesimum primum videre non contigerat: propterea ejus historiam & iconem dignam judicabam quæ in hac Appendice adponeretur.

Narcissi verni præc. flavo flo. historia.



PRODUCEBAT autem ille Narcissus quaterna aut quina folia aliorum Narcissorum instar, plana, digitum pæne lata, surrecta, viridia, Narcissi medio-lutei foliorum æmula, inter quæ prodibat caulis ferè dodrantalis, planus, non valdè firmus, lævis & enodis, sustinens summo fastigio membranaceum folliculum, reliquorum Narcissorum modo, è quo emergebat unicus flos coloris flavi, Narcissi autumnalis majoris flavo flore præditi formâ non valdè dissimilis, sex etiam foliis constans sescunciam longis, semunciam latis, mucronatis, quorum terna interiora paullò longiora erant externis, totidem ex umbilico prodeuntibus staminibus candicantibus in flavum apicem desinentibus, atque illorum quidem tribus brevioribus quàm cetera, cum medio stylo omnibus staminibus longiore: radicem habebat crassam, rotundam, è multis tunicis constantem (quarum internæ albæ, externæ verò ex spadiceo nigricantes) & infimâ sede multis fibris præditam.

PRÆCOX erat hic Narcissus: nam quum ejus bulbum ab Illustri viro Ioanne Vincentio Pinello, missum Patavio sub initium Novembris anni à Christi nativitate millesimi sexcentesimi accepissem, illico in fictili terræ committebam, ut à cæli inclementia per hiemem faciliùs præservare possem: atque insequente Februario florem producebat, & illum quidem nullâ odoris gratiâ præditum; quod an acciderit, quia liberum aërem non habuerit, ignoro: nam diligentiùs observare non licuit, propter subsequentis anni hiemem asperiorem, quæ plantam prorsus corrumpebat; tum quia aliam similem postea nancisci non potuerim, tametsi summam diligentiam non semel adhibuerim.

Narcissus oblongo calice.



MITTEBAT ad me anno à Christi nativitate sexcentesimo primo supra millesimum eruditissimus & humanissimus vir Ioachimus Venerius Burdigalâ inter plerasque plantas quatuor Narcissi bulbos, quos duorum generum esse, & unicum florem gestare scribebat, è singulis videlicet generibus binos. Illorum unus insequente Aprili florem tulit. Quum verò similem antè videre non meminerim, illius iconem in tabella exprimendam curabam quam Lectoris oculis proponerem; atque ejus historiam adiiciebam.

Narcissi oblongo calice historia.

HABEBAT porrò is Narcissus terna oblonga & satis angusta, carinataque folia, cæsii quodammodo ex viridi coloris, inter quæ prodibat caulis pedalis longitudinis aut amplior, lævis, enodis, satis gracilis, firmus tamen, summo fastigio folliculum membranaceum sustinens, è quo emergebat unicus flos longiusculus, summâ parte in sena folia alba

satis

satis ampla & in mucronem desinentia divisus; cujus umbilicum occupabat calix flavus semunciam longus, oris aliquantulum incisis & quodammodo fimbriatis, habens in medio stilum pallescentem, ejusdem cum calice longitudinis, cinctum sex staminibus flavâ veluti farinâ conspersis, eorum præsertim apicibus. Semen observare nequivi, quia florem carpebam, ut à pictore commodiùs exprimi posset: valdè autem suavis erat odoris, & Muscari floris odorem pænè referentis: radix bulbacea, oblongiuscula, digitalis crassitudinis, alba, è multis tunicis constabat, quarum exterior subfusca, aliquot crassioribus fibris albis infimâ sede donata.

Alter ab eodem Venerio missus florem dabat etiam Aprili altero post superiorem anno, illi prorsus similem: calicis tamen ejus oræ magis erant croceæ. *Varietas.*

Unum etiam non valdè dissimilem videbam apud honestissimum virum Christianum Porretum, qui à Venerio acceperat: illius tamen sena folia ex albo pallescebant, aut ὠχρόλευκα erant, calix verò multò latior & oras planè croceas habens.

Iacobum etiam Plateau similem habuisse eodem anno florentem intelligebam: illum autem à rhizotomis quibusdam Gallis redemerat cum aliis bulbis è Pyrenæis montibus erutis.

Cap. XII. pag. 159. ad cap. calcem addendum,

imò illos ipsos nullo modo auctos anni à Christo nato millesimi sexcentesimi asperum gelu, quod Februario mense valdè apud Belgas sæviit, prorsus corrupit, cum plerisque aliis rarioribus plantis.

Cap. XVII. pag. 165. ante Sectionem Est *etiam, adde subsequentem historiam cum icone.*

Pseudonarcissus pleno flore.

Anno Christi nostri redemptoris sexcentesimo tertio supra millesimum, scribebat ad me Venerius se illo ipso anno profectionem ad montes Pyrenæos instituisse, elegantium plantarum quæ in illis nascuntur, conquirendarum causâ, verùm propter morbum quo in itinere corripiebatur, non licuisse voto suo satisfacere: nihilominus observasse Pseudonarcissi genus quoddam sibi antè non conspectum, cujus paucos reperisset bulbos. Illum autem vivis coloribus depingi curabat, & exemplar mittebat: quia verò similis formæ à nemine hactenus observatum esse arbitror, in tabella ejus iconem exprimendam curabam, quam in hac Appendice locum habere volui.



Qvantvm porrò ex pictura quam ad me mittebat observare poteram, crescebat hæc planta Pseudonarcissi vulgaris modo, quatuor oblonga viridia folia ex bulbosa radice producens, inter quæ prodibat caulis lævis, enodis, viridis, pedem altus, summo fastigio membranaceum folliculum sustinens, è quo emergebat flos duodecim foliis pallidis geminâ serie dispositis præditus, prominente ex ejus umbilico calice sive tubo oblongo, oras habente nonnihil reflexas easq. crispas & incisas, aurei prorsus coloris, veluti Pseudonarcissi majoris Hispanici tubus, attamen non simplici ut ille, sed triplici, hoc est, continente alterum tubum qui tertium comprehendebat: radix erat bulbosa, ex multis tunicis constans, quarum externa subfusca, multis fibris extimâ sede prædita. Si unicam dumtaxat plantam reperisset, nihil novum videretur, quia natura interdum sic in floribus ludere solet: sed quum aliquot similes observaverit, peculiare quoddam genus esse credendum est. *Pseudonarcissi triplici tubo historia.*

 Scribebat

Scribebat etiam unam Pseudonarcissi vulgaris plantam binos flores in eodem caule gerentem observasse, quæ alioqui unicum solummodò proferre soleat.

cap. XVIII. *pag.* 167. *ad cap. calcem adde,*

Narcissus marinus. Mihi certè alterius coloris flores videre non contigit quàm albi: quandoquidem verò non nisi in maris litore sponte nascitur, Narcissum marinum commodè appellari posse arbitror.


cap. XIX. *pag.* 168. *ante Sectionem Illius porrò, adde,*

Narciss. montan. sive marin. alter, qui Matthioli III AN porrò hic Narcissus Orientalis dici queat, valdè dubito, tametsi fieri possit, ut in Oriente etiam nascatur: quotquot tamen illius bulbi in hanc regionem vel etiam in Galliam perlati, non ex Oriente advecti, sed in Europa sponte nascentes reperti fuerunt. Nam ante biennium plurimos ejus bulbos ex Illyrico adferebat Ioannes van Ophem Bruxellensis, quos ipsemet eruerat. Hoc verò anno millesimo sexcentesimo tertio, scribebat ad me Bononia Frater Gregorius de Reggio, Ordinis Capucinorum, sese ab eodem Ioanne van Ophem litteras accepisse Florentiæ exaratas, quibus significabat Corsicam & Sardiniam insulas se perlustrasse, atque elegantissimas plantas reperisse, inter quas hunc Narcissum in altissimis Sardiniæ montibus nascentem, in uno eodemque caule quinque & triginta flores gerentem, Dictamum præterea Creticum odoratissimum, minoribus & candidioribus foliis præditum, & multa elegantissima Croci genera, & illa quidem locis etiam maritimis: quâ sanè ratione hic Narcissus vel montanus, vel marinus nuncupari posset.

post cap. XXV. *adiicienda Hyac. sequentis historia cum icone.*

Hyacinthus minor Hispanicus.

Hyac. minoris Hisp. natales. CVM plerisque variorum generum bulbis, quos ab eruditissimo humanissimoque viro Ioachimo Venerio Burdigalâ accipiebam anno à Christo nato millesimo sexcentesimo primo, erant etiam perpusilli quidam Hyacinthi bulbi, quorum nonnullos cæruleum florem gestare scribebat, alios candidum, eosque in Hispania legisse, priores quidem apud pontem *de Suert*, posteriores in monte *Seove de S. Tourains.* Duorum autem qui, de tribus quos conservari, florem tulerunt, videlicet illius qui cæruleum illum habet, & alterius qui album, icones in una tabella exprimendas curabam quæ hîc adponeretur.



Hyac. minoris Hisp. historia. Is porrò qui anno insequente florem proferebat, ex radice bulbosa olivæ pusillæ magnitudine, fuscâ membranâ tecta & multis fibris donata, quina aut sena promebat folia, longa, angusta, striata, & supinâ parte carinata, viridia, humi plerumque sparsa, infernâ parte quæ telluri proxima, nonnihil purpurascentia, nec valdè absimilia foliis Hyacinthi botryoeidis: inter quæ exiliebat gracilis cauliculus dodrantalis longitudinis, obsoletè purpurascens, lævis, summo fastigio sustinens senos aut septenos flosculos concavos, in sex parvas lacinias per oras divisos instar florum Hyacinthi Orientalis, sed longè mi-*Cæruleo flore.* nores, inodoros, subcæruleo & tandem cæruleo colore præditos, sex subflavi coloris staminulis ex umbilico prodeuntibus, in quorum medio exiguus stilus: his succedebant trigona capitula mucronata semen continentia.

Reliquorum verò duorum qui altero post jam descriptum anno floruerunt, unus florem illi cujus modò historiam de-

di prorsus similem habuit; alter verò totum niveum, formâ quidem à superiore non differentem: sed ipsius plantæ folia paullò angustiora mihi videbantur, cauliculus etiam dilutiùs virere. *Albo flore.*

Florebat uterque Maio mense, semen maturum præbuit Iulio: quod in utroque genere prorsus simile fuit, rotundum videlicet, nigrum & splendens.

CETERVM illo ipso anno Nicolaus le Quilt Parisiensis rhizotomus, varios bulbos in Hispania & Lusitania (ut ipse asserebat) erutos huc venales adferebat, inter quos istius etiam Hyacinthi aliquot, quos vel album florem vel rubrum gestare aiebat: & sanè cùm albi tùm rubri flores suis cauliculis adhuc inhærentes inter pagellas repositos mihi ostendebat, quos formâ non differre à modò dictis observabam; eum autem qui dilutè suavitérque rubebat, venas quasdam saturatiores obtinere deprehendebam per trium foliorum externorum longitudinem excurrentes. *Rubro flore.*

cap. XIX. *ad pag.* 177. *calcem, ante Sect.* CVM, *adde,*

conspicerentur, quidam etiam pænè virentes.

CETERVM mittebat jam dictus Venerius anno à Christi nativitate sexcentesimo secundo supra millesimum Hyacinthi cujusdam bulbos in Cantabris erutos, quorum flores ex albo cineraceos & ex albicante virescentes esse scribebat: illorum unus insequente anno flores dedit, hujus obsoleti floribus prorsus formâ & colore similes, sed meâ opinione paullò minores (quia forsitan bulbi nimium afflicti fuerant) folia etiam similia & valdè longa, quæ ad mensem usque Novembrem ferè viridia permanserunt. Decembri autem subsequente quatuor alios ab ipso accipiebam, quorum flores obsoletos scribebat: si Deus vitam produxerit, & hiems bulbos non corrumpet, observare poterimus an ejusdem sint generis. Sed etiam cum superioribus illis quorum unum florem protulisse dicebam, alios quinos bulbos mittebat, quorum scheda quâ involuti, inscriptionem habebat, Hyacinthus minimus serotinus cæruleo flore: ex his terni folia produxerunt, Hyacinthi minoris Hispanici jam descripti foliis non dissimilia, sed florem nullum: Decembri etiam insequente alios ab eo accipiebam simili nomine inscriptos: proxima autem æstas nos certiores faciet (si vivemus) an ejusdem sint generis. *Hyac. Hispanic. obsoleto flore.* *Hyac. serotin. minim. cærul.*

cap. XXVII. *pag.* 179. *ante Sectionem,* AD Hyacinthi, *adde,*

IN illis porrò plantis quæ flavum proferunt florem, discrimen quoddam observabam. Nam ex quæ pallidas ab initio proferunt florum gemmas, ante hiemem plerumque germinare solent, & præcociores producunt flores, quàm illæ quarum gemmæ ab initio nigricant, aut saturatiùs purpurascunt. Ex illius autem semine natas mihi esse plantas memini, quarum flores colore non referebant matris flores, sed alium quendam peculiarem nanciscebantur, ex viridi scilicet flavescentem; matris tamen florum odorem retinebant. *Muscari flavo flo. differentia.*

cap. XXX *pag.* 183. *ante Sectionem,* TERTIO, *adde sequentia,*

Similes porrò bulbos ad me mittebat Burdigalâ anno à Christi nativitate millesimo sexcentesimo & eum insequente doctissimus idemque humanissimus vir Ioachimus Venerius, quos partim in Pyrenæis, partim in monte Galliæ Aquitanicæ, cui nomen *Hos*, eruisse scribebat, ubi à pastoribus *Sarahug* appellaretur, qui etiam assererent, animalibus eam plantam depascentibus caput intumescere, deinde mortem subsequi: addebat etiam illis unicum, quem valdè rarum inventu significabat, & illum niveos flores proferentem, atque in monte *Pujole* in Hispania legisse scribebat. Omnes quidem, præter unum aut alterum, biennio pòst germinârunt, sed nullum florem tulerunt: tertio demùm anno unus cæruleum florem dedit: ejus verò florem qui niveus esse debet, nondum videre contigit. Humentibus locis eas plantas gaudere scribebat. *Hyac. stellatus Liliifolio.* *Sarahug.*

pag. 184. *ante sectionem,* CETERVM, *adde,*

Aprili: paullò tamen seriùs vulgari: illius etiam semen quod in trigonis capitibus nascitur, maturitate nigredinem & splendorem adquirit.


ante cap. XXXI. *pag.* 185. *inserenda Hyacinthi stellati æstivi historia.*

Hyacinthus stellatus æstivus.

HOc Hyacinthi genus suis floribus onustum, primùm Maio mense anni à nato Christo primi & sexcentesimi supra millesimum conspiciebam in cultissimo horto perurbani & ornati viri Honesti Lopez civis Leydani, quod è Lusitania allatum esse asserebat:

asserebat: deinde illo ipso anno videbam etiam in hortis Ioannis ab Hogelande, & Christiani Porreti. Quum autem neque ejus iconem, neque historiam quispiam hactenus (quod equidem sciam) exhibuerit, operæpretium me facturum arbitrabar, si in hac Appendice proponerem.

Hyac. stellati æstivi historia.



ERAT autem hæc planta quaternis, senis, aut pluribus foliis prædita, viridibus, carinatis, palmum longis, satis angustis, humique quasi in orbem stratis, alioqui satis firmis, instar foliorum Hyacinthi illius stellati qui cineraceos flores profert, superiore capite descripti, inter quæ assurgebat palmaris cauliculus satis firmus, sustinens in oblongis petiolis inter appendiculas purpurascentes prodeuntibus, denos aut duodenos flosculos ex cæruleo purpurascentes, nullius, aut certè perexigui odoris, sex foliis constantes, umbilicum occupante umbone, sive capituli rudimento mucronato, cincto sex staminulis ex albo purpurascentibus, quorum apices cærulei: fiebant tandem ea capitula triangula & mucronata, qualia ferè in Hyacintho Belgico sive Anglico; quæ maturitate dehiscentia, semen continere deprehendebantur rotundum, nigrum, splendens, Hyacinthi Belgici sive Anglici semini prorsus simile: radix erat bulbosa, pænè orbicularis & candicans, infimâ sive sessili parte in ambitu frequentibus & tenuibus albis fibris in latera sese spargentibus donata, & interdum unâ etiam crassiore digitum pænè longâ, atque in profundum se mergente, ut aliquoties in aliis etiam Hyacinthorum generibus observare memini.

cap. XXXII. *pag.* 186. *ad extremum caput, pro his verbis* licet Matthiolus, *& his quæ sequuntur, repone,*

Jacintho del Paternostro.

Italos nunc *Iacintho del Pater nostro* appellare eam plantam intelligo, ob capitulum sive orbiculum in medio flore conspicuum, ut opinor. Nonnulli autem Narcissis, cum quibus nullam affinitatem habet, à Matthiolo adnumerari censent, & ab eo Narcissum quartum appellari: sed falluntur. In eorum numero me aliquando fuisse ingenuè profiteor, sed istam opinionem nunc revoco: nam alia est planta ab hac diversa quam pro Narcisso quarto Matthiolus proponit; ea tamen etiam inter Ornithogali genera referenda, ut in proxima plantæ historia demonstrabimus.

ante cap. XXXIII. *pag.* 186. *reponenda hæc Ornithogali historia.*

Ornithogalum Neapolitanum.

NOVUM Ornithogali genus, certè mihi antè incognitum, Neapoli ad me mittebat anno à Christi nativitate M. DC. doctissimus Ferdinandus Imperatus, & illud quidem non inelegans, pro Arabico quod ab ipso petieram: ut autem Lector intelligere queat de qua planta mihi sermo, illius historiam cum icone in tabella expressa hîc subiiciendam esse ducebam.

Ornithogali Neapolit. historia.

PROFEREBAT autem illud anni insequentis primo Vere terna aut quaterna folia carinata, longa, Hyacinthinis non valdè dissimilia, verùm angustiora, viridia; inter quæ prodibat caulis satis firmus, dodrantem altus, lævis, viridis, sustinens supernâ parte quinos vel etiam plures interdum flores, in anteriorem partem propendentes, tametsi alternis in singulis caulis lateribus nascentes è cujusdam membranulæ sinu, sex foliis constantes unciam longis, quadrantem verò unciæ latis, internâ parte candidis, externâ autem ex cineraceo virescen-



virescentibus, orasque albas habentibus: floris umbilicum occupabat alter flosculus sex etiam foliis minoribus præditus, quæ extimâ parte quodammodo coibant, & veluti tubulum formabant, in quo apparebant sex alba staminula flavescentibus apicibus donata, & medius stylus albus: flores porrò erant prorsus inodori, quibus succedebant trigona capita crassiuscula, in obtusum mucronem desinentia, quæ caulem propter gravitatem deprimentia, semen nigrum rugosum continebant: radix erat bulbosa, candicans, fuscâ tamen membranâ tecta, in conum supernâ parte fastigiata, infernâ autē plana, perinde ac Ornithogali Arabici radix, minùs tamen amplâ sede, sed multis candidis fibris in ambitu prædita.

Flores proferebat insequente Aprili, quia videlicet in fictili per hiemem adservata: altera minor, quam horto credebam, & totius hiemis inclementiam in illo bellè perferebat, dumtaxat Maio, quemadmodum & illa prior, quæ etiam in horto reposita, altero anno florebat.

Ceterùm hanc plantam cum Narcissi speciebus quarum icones Matthiolus exhibuit suis in Dioscoridem Commentariis, historiam verò non dedit, diligenter conferens, non absimilem reperio ejus Narcisso IV. qualis saltem extat in Commentariis anno M. DLXX. Venetiis editis. *Narciss. IV. Matthioli.*

pag. 188. ante sectionem, QVINTVM, *adde,*

ANNO porrò Christi millesimo sexcentesimo tertio sub Kal. Decembres accipiebam Burdigalâ paucos Ornithogali bulbos, quos in Pyrenæis montibus erutos esse adscriptum erat: cujus autem generis sint, proximus annus (si vivemus) nos docebit: quantùm verò ex bulbi forma coniicere poteram, non videbantur dissimiles Ornithogali Pannonici flore albo jam descripti bulbis, quales etiam in aliis provinciis nasci verisimile est. *Ornithogal. Pyrenæum.*

ante cap. XXXVII. ponenda Moly latifolii flavo flo. historia.

Moly montanū latifol. flavo flore.



Allium Moly L.

HOC Moly genus nunquam antè mihi conspectum, mittebat anno redemptæ salutis humanæ sexcentesimo primo supra millesimum Ioachimus Venerius Ioanni Hogelandio, in cujus horto insequente annò flores protulit. Illius iconem, & historiam, quia à nullo alio hactenus, quod sciam, tradita, hîc adponere libuit.

HABEBAT verò illud bina dumtaxat folia, infimâ parte sese mutuo amplectentia, decem aut plures uncias longa, unam lata, surrecta, firma, supinâ parte nonnihil carinata, porracei coloris, & odoris allium refe- *Moly montani latifolij histo-ria.*

rentis;

rentis: inter quæ aſſurgebat caulis enodis & ſatis gracilis, firmus tamen, vireſcens, pedem altus, aut paullò amplior, ſuſtinens ſummo faſtigio prodeuntes ex membranaceo folliculo bifariam diviſo triginta aut plures flores uncialibus vel longioribus pediculis, iiſque firmis ſubnixos, ſenis foliis ſtellæ in modum expanſis conſtantes, foris palleſcentes, interiore parte prorſus flavos; occupante umbilicum triangulari capitulo ſex flavis ſtaminibus cincto, quorum apices etiam flavi: floribus, qui menſe Iunio explicabantur, ſuccedebant trigona capitula ſemen nigrum inæquale continentia.: radix erat bulboſa, gemina, ut orchidis radicem quodammodo æmularetur.

Subſequente anno aliquot ſimiles plantas ab ipſo Venerio etiam accipiebam, & illas quidem vel ſingulari, vel gemino bulbo præditas, quarum ternæ aut quaternæ germinârunt & florem tulerunt anno M.DCIII. aliquæ quidem unico dumtaxat folio præditæ, aliæ autem binis, uno ampliore alterum anguſtius amplectente; inter quæ prodibat caulis enodis, flores è folliculo membranaceo emergentes ſuſtinens.

Similes etiam bulbos eodem anno, cum pleriſque aliis Plantis in Pyrenæis montibus erutis, venales adferebant in hanc Provinciam rhizotomi quidam Galli.


eodem cap. pag. 195. adde ad extremum caput,

Moly Pyrenæum purp. flore. Aliud etiam Moly montani genus ab iſto non valdè diverſum mittebat Venerius cum latifolio illo flavum florem ferente, quod etiam cum eodem flores protulit in meo horto, ſed in Honeſti Lopez horto multò ſeriùs, extremo dumtaxat Septembri: paucioribus tamen floribus præditum eſſe videbatur, quàm vel Pannonicum, vel Neapolitanum, vel Francofortenſe, iiſque minùs etiam elegantibus.

ante cap. XLII. pag. 203. adde Colchici verni hiſtoriam,

Colchicum vernum.

Colchicum biflorum. QUADRAGESIMO PRIMO capite lib. II. meæ Rariorum Plantarum Hiſtoriæ Colchici verno tempore florem proferentis mentionem faciebam, quod tandem biflorum eſſe exiſtimaſſem: quia novo Vere cum ſuo flore acceptum, deinde Autumno cum aliis Colchici generibus florere conſpexiſſem. Quùm autem non niſi Autumno flores geſtare poſteà obſervaverim, iſtam appellationem illi convenire non ſum arbitratus, ſed præter naturam inſolito tempore primum illum florem tuliſſe cenſebam, ut in aliis plantis interdum contingere videmus.



Verumtamen peculiare Colchici genus reperiri, quod novo dumtaxat Vere, cum Croci verni & dentis Canini generibus, non autem alio tempore flores gerat, præſtantiſſimus idemque doctiſſimus vir Ioachimus Venerius anno à Chriſti nativitate ſexcenteſimo primo ſupra milleſimum Iulio menſe ad me ſcribebat, & ſex ejus bulbos mittebat, quos illo ipſo anno è monte *Sotou* in Hiſpania eruerat. Horum quatuor, inſequente Vere apud me flores tulerunt: unius florentis, atque alterius cum ſuo capite trigono ſemen continente iconem in ſubjecta tabella exprimendam curabam.

Colchici verni hiſtoria. NOVO porrò Vere cum Dente canino, Crocoque verno, ut dicebam, hoc Colchici genus prodire, & unum aut alterum florem unà cum foliis producere ſolet, primis quidem diebus, ante quàm ſeſe explicare & pandere incipiat, coloris albi, ſed qui paullò poſt in purpureum dilutiorem mutetur, brevi pediculo ſubnixum, ſex foliis conſtantem minoribus & anguſtioribus quàm in vulgaris flore, & Croci verni

albo

albo flori formâ valdè similem, singulis foliis ex infima sede album stamen proferentibus, cujus apex flavus: exteriorum trium foliorum stamina interiorum staminibus sunt breviora: è medio floris umbilico oblongiusculus exilit stylus, staminum longitudinem superans, albus, in tres partes summo divisus. Nascebatur verò flos ille inter terna folia carinata sese mutuo complectentia, Colchici vulgaris foliis longè angustiora, montani tamen Hispanici foliis paullò latiora: flori succedebat triangulare membranaceum capitulum haud magnum, semen continens rotundum, subrufum: radix, Colchici vulgaris radici sive bulbo formâ quidem similis erat, & fuscâ pelle obducta, sed longè minor, multas candidas fibras ex infima sede protuberante spargens.

Plures similes bulbos anno insequente cum aliquot aliis elegantibus plantis ad me mittebat idem Venerius, atque ad Hogelandium & Porretum: sed meos cum iis qui priùs missi, & plurimis aliis selectissimis plantis subsequens hiems corrumpebat: ut plusquam Cannensem cladem meus hortulus illâ hieme acceperit, tametsi etiam non vulgarem duabus præcedentibus passus esset.

cap. XLIII. *pag.* 208. *ante sectionem*, ALTERVM, *adde*,

POST verò Christum natum anno millesimo sexcentesimo secundo, à Gallo quodam ῥιζοτόμῳ, qui multas plantas in Pyrenæis montibus erutas adferebat, aliquot redimebam, inter quas binos aut ternos Croci bulbos: horum unus insequente anno Septembri florem ferebat, Primi Croci montani flore ampliorem, colorisque saturatioris & quodammodo medij inter illum & alterum in mea Plantarum historia descriptum, cujus medius stylus multifidus summâ parte perinde ac illius, magis tamen diluti coloris, & prorsus flavi: hujus item folia marcescente flore non statim prodibant ut in primo. An porrò alij istius generis sint futuri, dies nos docebit, si non peribunt. *Crocum Pyrenæum autumnale.*

cap. XLIV. *pag.* 211. *ante sectionem*, TERTIÆ,

Multos post annos, eruditissimus vir Ioachimus Venerius me monebat hanc plantam maximâ abundantiâ sponte nasci in Pyrenæis montibus, atque anno à Christi nativitate sexcentesimo primo supra millesimum, inter multas myriades earum quæ cæruleum sive violaceum florem gerunt, unicam plantam reperisse, quæ florem prorsus niveum haberet: anno autem insequente, quum denuò montes illos conscendisset, venustarum plantarum quæ in illis nascuntur conquirendarum causâ, paucas similes reperisse scribebat, quarum unam Ioanni Hogelandio, alteram mihi mittebat. Ea præter meam expectationem (nam valdè adflicta) anno M. DC. III. binos flores tulit prorsus nivei coloris, præter parvam maculam flavam, quæ, ut in iis quæ violaceum colorem habent, terna repanda folia inficiebat; illosque, ut violaceos, odoris expertes. *Iris bulbosa latifol. cæruleo flore. Eadem albo flore.*

ad ejusdem capitis calcem, *extremâ pag.* 215. *adde*,

CETERVM ex epistola quam ad me dabat idem Venerius illo ipso anno quo Iridem illam niveo flore mittebat, varia alia Iridum bulbosarum genera ab ipso in Pyrenæis montibus observata fuisse intelligebam, quæ scripto comprehenderat, ut ad me mitteret exactam earum plantarum descriptionem: verùm, dum in variis illorum montium jugis, quæ pænè sexagena conscendit, perlustrandis erat occupatus, scriptum illud ipsi excidisse & periisse magno cum suo dolore: se enim non probè meminisse quænam inter illa esset differentia, certò tamen se scire, viginti sex generum descriptionem fecisse: eam autem Iridem quæ flavum aut rubrum habet florem, in earum numero non comprehendi, quoniam in illis montibus nullam similis coloris repererit. *Ingens Iridum bulbos. varietas in Pyren. mont.*

cap. LIV. *pag.* 242. *ante sectionem*, Et hæc, *adde*,

Ranunculus Creticus grumosa radice, flore niveo.

RANVNCVLI grumosâ radice plantam semine è Creta accepto natam, ad me mittebat anno à Christo nato millesimo sexcentesimo primo Iacobus Plateau, quæ insequente anno florem proferebat, qui, licet Ranunculo peregrino formâ non valdè sit dissimilis, quia tamen dum florebat, ejus iconem in tabella exprimendam curabam, illam cum plantæ historiâ hoc loco ponere volui.

Ranunculi grumosa radice albo flore histor.



Ex radice porrò grumosa instar illius quæ ex Asia adfertur, aliquot folia producebat satis ampla, humi quasi in orbem sparsa, succulenta, viridia, supinâ tamen parte albicante colore in viridi veluti conspersa, in tres lacinias, per oras aliquot crenis incisas, divisa: inter illa quaterni aut quini prodibant cauliculi graciles, firmi tamen, brevi quadam lanugine obsiti, quique ex foliorum magis incisorum, quibus ambiebatur, alis, alterum plerumque, nonnunquam etiam tertium ramulum producebant parvo uno aut altero folio ornatum, qui summo fastigio sustinebant subfuscum caliculum in quinque foliola fusco villo obsita divisum: is deinde explicatus florem ostendebat quinis foliis unciam amplis, prorsusque niveis constantem (licet interdum quædam conspicerentur raris venis suave-rubentibus per oras sparsa) è quorum umbilico emergebat capitulum, subfuscis staminulis infimâ sede cinctum, quod magnam gratiam candido flori conciliabat.

Flores explicabat mense Maio cum Asiatico phœniceum florem gerente, quibus succedebat simile capitulum, non dissimili paleaceo & aceroso semine obsitum, quod inutile esse arbitror.

cap. LVII. *pag.* 252. *sectione*, Floret, *lege*,

in quo plantæ repositæ, ubertate, ampliores vel minores flores proferunt.

cap. LIX. *pag.* 265. *ante sectionem*, Habui etiam, *adde*,

Cyclamen fol. hederaceo variis locis nascitur.

Foliorum ejus varietas.


Ceterùm non modò è Britannia Galliæ, sed etiam ex aliis ejus Regni Provinciis postea inferri cœperunt Cyclaminis hederaceo folio plantæ, tum etiam ex Italiæ diversis locis. In illorum autem foliis magna conspicitur varietas: nam quædam frequentibus angulis sunt prædita, quædam raris: rursus eorum quæ angulosa, nonnulla valdè longos & mucronatos habent angulos, alia breves, & obtusos: in quibusdam etiam frequentia & valdè conferta nascuntur folia, in aliis verò valdè pauca & rara: quinetiam macularum varietate discreta sunt folia, quia plurima albam illam maculam in folii umbilico impressam non habent, & quæ habent, illam vel parvam & vix conspicuam, vel mediocrem, alia contrà valdè amplam eam habent; & hoc sanè genus, meâ opinione, omnium elegantissimum, id, ut plurimum, ex Italia adfertur. Sed & in hujus Cyclaminis flore quædam varietas observari potest, non in formâ quidem, licet quædam plantæ eos aliis longiores proferant, sed in frequentia & colore: nam nonnullæ plantæ eos valdè frequentes præbent, aliæ valdè raros & paucos: in quibusdam color valdè dilutus & quodammodo exalbidus est, in nonnullis verò saturatior, & ad florum Cyclaminis orbiculato folio, & odorato flore præditi colorem pænè accedens.

Florum ejus varietas.

ante cap. LXIII. *pag.* 271. *reponenda sequens descriptio,*

Phalangium Allobrogicum majus.

PRIMUM in Belgicam illata hæc planta à nobilissimo viro Philippo Marnixio, anno à Christi nativitate nonagesimo septimo supra millesimum & quingentesimum ex Allobrogibus, illaque lecta apud celebre illud & primarium Carthusianorum cœnobium, vulgò *magna Cartusa* appellatum, ubi sponte nascitur, & ab incolis, ut ipse referebat, Lilium appellatur. Flores autem dumtaxat proferre cœpit (nam longâ vecturâ valdè afflicta) apud Belgas tertio demum insequente anno: ego anno millesimo sexcentesimo primo conspiciebam, describebam & in tabella exprimi curabam, quæ hîc adposita.



QVINA vel sena producebat hæc planta folia, carinata, satis firma, surrecta, viridia, summâ parte mucronata, infernâ sese invicem amplectentia instar aliorum Phalangiorum: inter quæ prodibat caulis pedalis aut amplior, viridis, teres, firmus, summo fastigio inter singulares appendices denos aut plures gestans flores prorsus niveos, majores quàm in majore Phalangio vulgari, in anteriorem partem propendentes, sex foliis constantes (quorum terna interiora paullò latiora & crispa, exteriora verò viridi mucrone prædita) florum parvi Lilij formam quodammodo referentes, odoratos, è quorum umbilico sena gracilia prodibant stamina unciam longa, terna tamen aliis paullò longiora, extimâ parte curva, & flavis apicibus donata, oblongiore gracili in medio stilo, ut commodiùs meâ opinione comparari posse non videantur, quàm parvo Lilio albo: floribus succedebant trigona capitula, fuscum semen & inæquale continentia: radix in multas crassas candidas & longas fibras, aliorum Phalangiorum radicibus non dissimiles dividebatur, & adnatis se propagabat. Ego quidem sobolem ab amico nanciscebar, quæ insequente anno senos flores proferebat, sed subsequens proxima hiems cum plerisque aliis elegantibus plantis corrumpebat. *Phalangii Allobrogici historia.*

RARIORVM PLANTARVM HISTORIÆ CAROLI CLVSI

LIBRO TERTIO.

Cap. VII. *pag.* 300. *ad capitis finem, adde,*

SED quum diligentiùs hanc plantam considero, magnam affinitatem habere videtur cum *Galastivida* Cretensium, cujus meminit Cl. V. Honorius Belli epistolâ I V. ad calcem meæ Plantarum Historiæ adpositâ, si non sit illa ipsa: nam notas certè Galastividæ suæ easdem tribuit quas in hac planta reperio; eam autem Galastividam intelligo quæ lac non effundit. Lectorem dispicere ne pigeat quæso; meam opinionem forsitan non improbabit. *Galastivida.*

cap. XIV. *pag.* 311. *ad finem capitis.*

Istam plantam in Pyrenæis montibus etiam nasci, mihi relatum est: quemadmodum & Gentianarum varia genera.

RARIORVM PLANTARVM HISTORIÆ CAROLI CLVSI

LIBRO QVARTO.

Cap. XVI. *pag.* 27. *ante Sectionem,* Hujus etiam, *adjice,*

CETERVM anno à Christi nativitate millesimo sexcentesimo, similis plantæ caput recens allatum ex promontorio Æthiopum longè sanè majus conspiciebam, quàm ad illam usque diem videram: nam quatuor uncias longum erat, totidem ejus ambitus juxta pediculum, & decem angulis erat præditum, quùm magna ex parte in aliis hujus generis plantis pentagona dumtaxat esse soleant: semen tamen quod in illo continebatur, ejus quod hoc capite descriptum est, magnitudinem non superabat. *Bamiæ Æthiopicæ siliqua decagona.*

RARIORVM PLANTARVM HISTORIÆ CAROLI CLVSI

LIBRO QVINTO.

cap. VII. *pag.* XCIII. *statim initio paginæ quædam immutanda: & usque ad Sectionem* Hujus plantæ, *legendum, quo sequitur, modo.*

Papaveris spinosi florum diversitas.

FLOS sese ostendit senis ut plurimum (quemadmodum in planta sponte in meo hortulo nata anno à Christi nativitate millesimo sexcentesimo tertio observabam) foliis, interdum verò quinis dumtaxat aut quaternis constans; hanc enim florum varietatem eadem planta habuit; flavus ejus color, corniculati papaveris vulgatioris quod flavo flore est, floris instar; odor verò, Chelidonii majoris odorem quodammodo referens: ejus tamen flos non adeò caducus est ut antè scripseram, sed nonnunquam in tertium diem permanet; in cujus medio sese exerit spinosum capitulum pentagonum, interdum etiam hexagonum, vel tetragonum, quod summo fastigio rubescit initio, deinde altera die post florem deciduum, nigrescere incipit: id multis flavis staminibus est cinctum: spinæ verò illæ, quibus capitulum est armatum, temporis successu fiunt rigidæ & valdè pungentes; ipsum autem caput magnâ ex parte pollicarem crassitudinem adquirit, rarò autem superat, & quum maturum est, summâ parte dehiscit, seminaque numerosa ostendit rotunda, rugosa, fusca & nigra, seminis Papaveris ceratitis rubello flore instar, cui etiam non dissimilem habet radicem, eamque satis duram & lignosam; quam tamen perennem esse non arbitror, tametsi pænè in mensem vsque Decembrem viridis in meo hortulo permanserit, subinde recentes ramulos & novos flores proferens, donec gelu illius luxuriem cohiberet: copiosum sanè maturum semen ea planta mihi præbuit. Tota autem planta flavescente succo abundat, quali Chelidonium majus, qui vel leviter vulneratâ plantâ copiosè effluit, & tandem concrescit, fuscumque colorem contrahit.

Florere incipiebat Iulii initio, deinde, ut dicebam, totâ æstate & autumno flores proferre non desiit.

cap. XXI. *pag.* CXIX. *ante sectionem,* Ceterum, *adde,*

Lunaria minor ramosa.

SED in aliis Provinciis etiam reperiri hanc plantam certissimum est: nam anno à Christi nativitate MDCIII. ex eruditissimi præstantissimique viri Doctoris Ioannis Bierdumphelij Procerum Austriæ Medici epistolâ ad me Viennâ Austriæ missâ intelligebam, istam plantam sponte nascentem ab ipso fuisse observatam & lectam circa arcem Weichselbach Illustris Baronis ab Aursperg, ubi vulgaris etiam illa minor copiosè nascitur, cum plerisque aliis elegantibus plantis.



cap. XXXIV. *pag.* CXXXVI.

Ruta montana legitima.

Nescio quâ negligentiâ factum sit, ut pro legitimâ Rutæ montanæ icone, quam Typographo miseram, alia minùs elegans & spuria supposita fuerit, non sine animi mei molestiâ: eam ob causam, ut huic errori quâ ratione possem mederer, necessarium esse judicavi legitimam Rutæ montanæ iconem in hanc Appendicem inferre, ut Lector ejus aspectu frui, & illam cum spúria ejus loco supposita conferre possit.

cap. LIII. *pag.* CLXVIII. *ante Sectionem,* De hujus, *insere sequentia,*

Cerinthe V. folio non maculato.

QVINTVM Cerinthes genus Quarto formâ proximum observabam in cultissimo horto Doctissimi viri Ioannis ab Hogelande, anno à Christo nato sexcentesimo tertio

supra

ſupra milleſimum : verùm hujus rami quos ſtatim è radice plures proferebat, non valdè attollebantur, ſed humi quodammodo procumbebant. Iſtius folia nullis albis maculis erant conſperſa, ſed prorſus viridia & mollia, nullâ tamen lanugine pubeſcentia, ne recens nata quidem, Iſatidis foliis non valdè diſſimilia : è foliorum quæ caules amplectebantur alis naſcebantur tenelli infirmique rami, ſuſtinentes ut in aliis generibus frequentium foliorum comam, inter quæ oriebantur tenues ſaturè purpuraſcentes petioli, ſuſtinentes caliculum in quinque anguſta foliola diviſum, amplectentia oblongiuſculum floſculum concavum, infimâ parte flavum, mediâ purpureum, extimâ etiam flavum, in quinque lacinias diviſum, continentem aliquot rigida ſtaminula, & inter illa oblongum tenuem ſtylum. Florebat Maio.


RARIORVM PLANTARVM HISTORIÆ CAROLI CLVSI

LIBRO SEXTO.

Cap. IV. pag. CLXXXIII. addenda Anagallidis tenuiore folio hiſtoria.

Anagallis tenuifolia Monnelli.

ANAGALLIDIS duo genera Veteres deſcripſerunt, unum phœniceo flore, alterum cæruleo: hoc feminam eſſe cenſuerunt, illud marem, omnium vulgatiſſimum, quodque in omnibus quas adii provinciis obſervabam : alterum etiam illud cæruleo flore Valentino Hiſpaniæ regno frequentiſſimum, tametſi in aliis etiam provinciis creſcat, ſed non adeò abundè. Præter hæc duo genera, bina alia obſervabam : unum in Auſtriacis Stiriacíſque montibus, amplioribus tum foliis tum flore, qui flavus : alterum ſponte in meo horto Francofurti ad Mœnum natum, obſoleto flore : utriuſque hiſtoriam & iconem in Rariorum Plantarum hiſtoria dedimus. Verumtamen de Quinto quodam genere me monebat anno à Christo nato millesimo ſexcenteſimo tertio Nobilis idemque doctiſſimus vir Ioannes Monnellus Tornacenſis, quod in ſuo horto alebat, flore quidem cæruleo præditum, ſed ab eo, quod cæruleum florem habere dixi, diverſum: cujus quum iconem mihi miſerit, additis aliquot notis ad ejus hiſtoriam pertinentibus, illam in adpoſita tabella ſubjecimus. *Anagallidis multæ ſpecies.*



ILLVD porrò genus Gadibus accépiſſe ſcribebat, cujus deinde ſemen in ſuo horto ſatum plantam protulerit ſemine deciduo quotannis renaſcentem, & plures ramos ſtatim à radice ſpargentem pedalis longitudinis, quadrangulos, ut aliæ anagallides, qui deinceps alios minores à latere procreant cinctos per intervalla longiuſculis & anguſtioribus foliis, quàm aliæ anagallides habeant, & ad Gratiolæ foliorum formam plurimum accedentibus, atque ex adverſo ſemper naſcentibus, ut plurimum binis numero, interdum etiam ternis, rarò pluribus, iiſque aliquando in eodem ramulo; è quorum alis magnâ ex parte totidem exiliunt petioli, quot folia cauliculos per intervalla ſimul ambiunt, ſummo faſtigio ſuſtinentes flores quinque foliis præditos, coloris cærulei, umbilico tamen purpuraſcente, & phœniceis majores, è quibus exiliunt exigua ſtaminula ut in aliis generibus: Abundè flores profert & plerumque toto trimeſtri ſpatio: floribus ſuccedunt orbiculata vaſcula ut in aliis anagallidum generibus, ſimile ſemen etiam continentia, quo deciduo, ſequente anno novæ plantæ generantur: annua enim ſive æſtivalis dumtaxat eſt planta. *Anagallidis Monnelli hiſtoria.*

cap. V. *pag.* CLXXXIII. *ad capitis calcem, adde,*

Yerba de las almorranas. Almorranera. Alsine repens. ACINOS porrò, hujus plantæ acinis valdè similes, ad me mittebat anno à Christi nativitate secundo & sexcentesimo supra millesimum eruditissimus vir Doctor Ioannes Castaneda Hispalensis Medicus, *Yerba de las almorranas*, sive *almorranera Yerba* appellatione insignitos, quia mirabiles illius plantæ, quæ ejusmodi acinos proferret, esse facultates scribebat adversus hæmorrhoides, quas Hispani *almorranas* vocant, si hujus herbæ decocto foveantur aut abluantur: atque initio sanè quum eos acinos ad me misisset, istius plantæ, quæ hoc capite descripta, semen esse existimabam: propterea illi significabam, alsines repentis majoris acinos mihi videri quos ab ipso accepissem: verùm ille respondebat, aliam penitus esse plantam quæ acinos illos sive semen ferret, ab alsine repente. Quod si mihi aut iis quibus communicabam ex accepto semine nata fuisset aliqua planta, omnis dubitatio sublata fuisset.

Hæmorrhoidalis. Ceterùm aliud semen quod ex Italia missum Cl. V. Doctori P. Pawio Hæmorrhoidalis nomine, prorsus diversam ab hac plantam protulit, ut quæ ad Caryophylleorum silvestrium classem referri veriùs debeat, meâ quidem opinione. An porrò ab effectu talem appellationem adquisierit, ignoro.

cap. XX. *pag.* CXCIX. *ad capitis calcem, adde,*

Anisomarathrum. CETERUM anno à Christi nativitate millesimo sexcentesimo & tertio Cl. V. Fabius Columna litteras ad me dabat, in quibus significabat, se hanc plantam magnâ copiâ crescentem Cerignolæ observasse & eruisse, illamque in nova suarum in Dioscoridem Observationum editione Anisomarathrum appellare, ob odorem quem cum suavi gustu mixtum habet. Quoniam porrò non dubito quin plurima scitu digna in iis Commentariis sit prolaturus, illorum editionem ego & plurimi alii avidè expectabimus.

capite XXVIII. *pag.* CCVII. *ad capitis calcem, adde,*

Delphinium arvense flore versicolore. ISTIUS verò generis simplici flore semen ad me mittebat Vienna Austriæ Generosa Domina de Heusenstain anno à Christo nato sexcentesimo secundo supra millesimum, quod ex planta versicolores flores gerente legisse scribebat; & ne dubitarem, plantæ flores etiam addebat. Ex illo sato natæ mihi aliquot plantæ quæ insequente anno flores quidem tulerunt, sed binæ dumtaxat versicolores, reliquæ vel suaverubentes & carnei coloris, vel prorsus cærulei, una etiam multiplici foliorum serie constantes carnei coloris: in illarum autem plantarum floribus qui versicolores fuerunt, insignem observabam varietatem: nam Florum varietas. quidam media ex parte cærulei erant coloris, ex altera suaviter rubentis, in quibusdam florum folia alternis diverso colore erant distincta, unum videlicet cæruleum, sequens carnei coloris, tertium deinceps cæruleum, & sic consequenter, quidam flores singula folia habebant suaviter rubentia, sed quæ essent parvis quibusdam cæruleis maculis confusè sparsis notata; breviter vix bini flores in eadem planta similes conspiciebantur, licet duobus jam dictis coloribus dumtaxat constarent: & ista sanè varietas magnam venustatem ipsis plantis conciliabat.

cap. XXXVII. *pag.* CCXVI. *ante Sectionem*, SED & hic, *addenda quæ sequuntur,*

Panicum Æthiopicum. Similes etiam oblongas Panici spicas ex Guinea relatas mittebat ad me honestissimus vir Willelmus Pardunius anno à Christi nativitate millesimo quingentesimo nonagesimo nono: quinetiam nautæ parvos illos virides psittacos rubro capite insignitos, quos ex illa Provincia advehebant, simili semine in itinere aluerant.

cap. LVIII. *pag.* CCXLVII. *ante Sectionem*, CETERUM, *adde,*

VARIA in omnibus Europæ provinciis Trifolii genera nasci, nemo est qui ignorat: nam nullus est Historiæ Plantarum Auctor, qui, præter vulgaria, peculiare aliquod genus non describat ab aliis minimè observatum: superesse tamen nonnulla arbitror quæ à nemine adhuc sunt prodita, ut istæ minutiæ interdum contemni solent. Nam Reverendus Pater Gregorius à Reggio anno à Christi nativitate millesimo sexcentesimo tertio ad me scribebat Trifolij quoddam genus se reperisse, quod à nullo auctore hactenus descriptum existimaret, in summo quodam colle arenoso ipsorum cœnobio vicino, cui nomen *Mons Calvariæ* ad Bononiam, cujus etiam ramulum palmarem, sed foliorum & florum expertem atque prorsus aridum, exigua tamen cornicula adhuc retinentem mittebat, in quibus exile semen. Scribebat autem ejus ramulos circiter binos palmos esse longos, & humi spargi, folia verò habere trifolio similia, flosculos exiguos, flavos & inodoros: ex ramulo porrò misso siliquulas sive cornicula retinente, observabam illa alternis jam in hoc, modò in altero ramuli latere per brevia intervalla confertim nasci, & cauliculo sive ramulo adhærere, nullo Trifolium falcatum. ferè

ferè petiolo, & in singulis nodis quinque plerumque conjunctim, semunciam longa, & falculæ modo curva: quam adeò ob causam ipse Trifolium falcatum appellabat.

cap. LVIII. *pag.* CCXLVIII. *ad capitis calcem*,

Anno deinde millesimo sexcentesimo primo & cum insequente eadem Generosa Domina singulares illius Hepaticæ trifoliæ pleno cæruleo flore plantas ad me Viennâ Austriæ mittebat, quas tamen virentes nondum videre mihi licuit: nam quùm in pyxidulis, quibus inclusæ, negligenter fuissent compositæ, deinde diuturna & longa temporis quo in itinere hæserant mora accessisset, prorsus aridas & corruptas illas accipiebam. Nunc tamen similes plantas Bruxellis Brabantiæ reperiri intelligo apud quosdam peregrinarum & elegantium plantarum diligentes cultores, præsertim verò apud N. V. Lamorallium de Tassis Veredariorum Præfectum, & paucos alios. *Hepatica trifolia cæruleo pleno flore.*

RARIORVM PLANTARVM HISTORIÆ CAROLI CLVSI APPENDICE.

pag. CCLIII. *ante Sectionem*, An verò,

VT porrò evulgatâ jam meâ Plantarum cum priore Appendice historiâ, me monebat eruditissimus vir Doctor Castaneda Hispalensis Medicus, hujus arboris flores confertim in summis ramulorum fastigiis nascuntur, deni, duodeni, aut plures è brevibus pediculis ab eodem exortu prodeuntibus dependentes, quorum quidem iconem mittebat, sed adeò rudi arte delineatam, ut ex ea florum cognitionem adipisci nequivissem, nisi binos flores aridos adjunxisset, è quibus qualemcumque illorum formam observare licebat: erant verò illi flores valdè angusti, binas uncias aut amplius longi, tribus foliis constantes, quorum supernum bina illa quæ in lateribus angustissima, longitudine & latitudine multum superabat, duplicatumque erat: sed ante quàm flos explicaretur, corniculi, sive siliquæ formam veriùs referebat, quàm floris, breviq. viridi calice comprehendebatur infimâ parte: è medio autem flore sub superno folio quod complicatum, supinâ verò parte apertum, latens prodibat planus stilus extimâ parte in novem stamina divisus, quorum apices cujus coloris fuerint, & ipsa etiam stamina cum stilo, me latet, quia ex arido flore, cujus color prorsus evanuerat, conjecturam facere nequibam, & pictura ipsa nullam in flore foliorum separationem, nullam staminum formam exprimebat, sed flores dumtaxat clausos & corniculi potius quàm floris alicujus formam referentes, eosque coloris rubri valdè saturi. At si mihi eos recentes videre licuisset, paullò exactiorem ejus descriptionem dare potuissem: boni ergò consulat lector quæ profero. *Arboris Coral. flores.*

pag. CCLVI. *ante Sectionem*, CETERVM, *adde*,

Ex illis verò quos mihi retinebam nonnullos habui, quorum flores paucioribus maculis erant insigniti; deinde paucos alios mittebat, quorum flores nullis prorsus maculis distinctos esse scribebat: verùm tamen illorum florem nondum videre mihi contigit, nam eos bulbos quos flores prolaturos sperabam subsequens rigida hiems corrumpebat. Ioannes autem ab Hogelande unam habuisse plantam dicitur quæ anno Christi sexcentesimo tertio supra millesimum florem purum & nullâ maculâ aspersum tulerit, insuper aliam plantam illius generis cujus flores maculis distincti, quæ quadraginta aut plures flores eodem caule sustinuerit: sed is planus erat, ut plerumque in omnibus plantis bulbosâ radice præditis, quæ præter earum naturam tam numerosos flores proferunt, contingere solet. *Lil. montanū flavo puro flore.* *Aliud multiflorum.*

eadem pag. CCLVI. *ad cap. calcem adde*,

SINE difficultate, & semine terræ commisso nascitur, & adulta hæc planta adnatis sese propagat.

Postea verò me monebat Venerius similes bulbos non modò locis in ea pagina notatis sponte crescere, sed etiam ipsum eruisse natos in monte *Campsaure* vocato, & alio loco qui à *Lilio* nomen sumpsit: isticque à rusticis *Consol* appellari, id est, Consolidam, quòd ejus radice contusâ & impositâ, tam hominum, quàm animalium vulnera, mirum in modum curari referant; atq. adeò Pyrenæorum montium incolas nullum aliud remedium usurpare. *Consol.*

pag. CCLVII. *ante Sect.* Florebat Maio,

IN earum porrò Fritillariæ plantarum quæ è Pyrenæis montibus eruuntur, floribus, non minor

minor observatur diversitas quàm in illis quæ vulgares in diversis Galliæ Provinciis reperiuntur: nam licet omnium quos mihi quidem conspicere licuit forma quodammodo similis sit, sex videlicet foliis constans, eorumque terna interna folia magnâ ex parte tribus externis sint latiora & ampliora, quidam tamen flores illa repanda habent, hoc est, illorum extimas oras reflexas habent: nonnullorum verò oræ vel non sunt reflexæ penitus, vel certè quam minimùm; rursus illi flores qui extimas foliorum oras reflexas habent, alii aliis saturatioris sunt coloris, quidam etiam adeò saturi, ut nigri videantur, præsertim externâ foliorum parte, quæ nec splendet nec tessellis distincta appâret; at interna purpureis quibusdam maculis distincta vel frequentioribus vel minùs frequentibus, aut magis saturis, aut dilutioribus, eaque splendet. Illi verò flores qui folia repanda non habent, vel quorum oræ paullulùm dumtaxat sunt reflexæ, externâ parte ut plurimum virescentis sunt coloris, internâ autem ex viridi flavescentis & splendentis, quali pænè præditus est tenuior ille sericeus pannus vulgò tafetas vel cafat nuncupatus, ex flavis & viridibus sericeis staminibus contextus; atque in illis tessellarum illa distinctio obscuriùs appâret: singulorum autem foliorum ungues interni nonnihil cavi subviridem maculam impressam habent: ex floris verò umbilico sex alba stamina prodeunt, quorum apices pallidi, inter quæ trifidus exilit stylus paullò supra stamina sese exerens.

Fritillaria Pyrenæa varietas.

Florent paullo seriùs quàm vulgares serotinæ Fritillariæ, & semen ferunt in thecis sive capitibus triangulis, vulgaris Fritillariæ instar, planum, vulgaris semini prorsus simile, in quo nullum etiam germen conspicitur. Interdum hæc planta binos flores in eodem caule profert, quemadmodum vulgaris.

Audio hujus generis plantas reperiri quæ proferant florem pænè flavum, nonnullas etiam quæ prorsus flavum, quas nondum videre mihi contigit.

pag. CCLIX. *ante Sectionem*, Id autem,


Croc. vernum capillari folio.

& certè illius quod cæruleum habet florem aliquot bulbos semel atque iterum misit: at illius quod albo est flore, ne unum quidem bulbum ab ipso impetrare potui; in alios tamen magis liberalis fuit: certus enim sum eos, qui illud habent, ab ipso accepisse. In Hogelandii horto, anno Christi millesimo sexcentesimo tertio aliquot plantas conspiciebam, quarum tres apertum florem habebant, eumque candidum, reliquas quæ erant contiguæ, ejusdem generis fuisse opinor: nam ex plantæ quæ cæruleum florem habebant, quarum vicenas aut plures numerabam, seorsim certo spatio ab illis erant segregatæ.

Flo. albo. *Flo. cæruleo.*

pag. CCLXXXVII. *ad genus* XXV. *perniciosorum fungorum.*

HANC etiam iconem Vicesimi quinti generis perniciosorum fungorum, habuit Moretus Typographus, quam suo loco reponeret: verùm eâdem negligentiâ prætermissa fuit, quâ legitima Ruta montana cap. XXXIV. lib. V. pag. CXXXVI.



FINIS APPENDICIS.

Candido Lectori.

Typis jam expressâ alterâ Appendice ad Rariorum Plantarum Historiam, quasdam plantas adhuc videre mihi contigit, quarum neminem hactenus mentionem fecisse arbitror: adeò enim immensum est hoc Rei Herbariæ studium, ut multæ plantæ à diligentibus perquisitoribus quotidie reperiantur, quas in rerum natura minimè extare putabamus. Quum verò quæ ad meam notitiam pervenêre sint elegantes & valdè raræ, earum qualemcumque historiam & nonnullarum icones affabrè delineatas ad alteram illam Appendicem adjunctam esse volui. Benevolus lector etiam propensum hoc nostrum de ipso benemerendi studium boni consulat.

Rosa semper virens.

ante Rosam campestrem lib. I. Plant. Hist. cap. LXXXI. pag. 116.

Mittebat ad me Patavio doctissimus vir Ioachimus Iungermannus, C. V. Ioachimi Camerarii Noribergensis poliatri ex sorore nepos, anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo secundo aliquot semina, & inter illa cujusdam Rosæ semen, cujus schedæ inscriptum *Rosa semper virens*: ex eo Francofurti ad Mœnum terræ commisso natæ sunt mihi insequente anno quinque aut sex plantæ, quas inde discedens, Lugdunum Batavorum adferebam, & amicis donabam. Mirificè quidem luxuriârunt illæ plantæ annis subsequentibus, sed nulla florem protulit, præter eam quæ in Academico ejus urbis horto alebatur: ejus enim flos isto demum anno millesimo sexcentesimoquinto conspectus est Iulio mense, duodecimo videlicet post quàm planta nata est, anno, non sine magna sanè mea lætitia: quia tametsi semine terræ commisso eas plantas adquisivissem, observans tamen adeò adultas nullum florem proferre, valdè metuebam, ne soli mutatione steriles evasissent. Nunc autem, quum ejus florem conspexerim, facere non potui, quin illius in hac altera Appendice ad meam Rariorum Plantarum Historiam, mentionem facerem.

Multis porrò hæc Rosa statim à radice luxuriat sarmentis flexibilibus & caducis, nisi quis palo sustineat, aut ad parietem applicet: nam non valdè crassa sunt, sed lenta, viridia, spinis rubescentibus, hami instar aduncis & mucrone versus terram converso obsita, ut pleraque ferè omnia Rosarum genera, eaque alternatim ambiuntur à foliorum alis, septem interdum, sed quinque ut plurimùm, foliis præditis, ex adverso sese spectantibus: horum duo quæ latiori alæ sedi, quâ ramum amplectitur, proxima, minora sunt, bina alia quæ succedunt illis duplo pænè majora, quintum extremam alam occupans, & imparem numerum faciens, omnium maximum: singula autem à nervo medium folium occupante aliquot venas habent ad folii oras excurrentes, in ambitu sunt serrata, & præ viriditate splendent; nec defluunt ut in aliis Rosis, sed etiam hieme (licet viridis ille splendor aliquantulum marcescat) permanent: eam ob causam Rosæ semper virentis nomen illi inditum. Novo vere ex flagellis illis sive sarmentis è foliorum alis multi oriuntur nouelli rami, initio quidem cum foliis nonnihil purpurascentes, deinde verò colorem viridem contrahentes: quorum nonnulli summo fastigio ternos aut quaternos gerunt flores uncialibus gracilibus petiolis subnixos, quinque foliis pænè uncialibus constantes prorsus nivei candoris, è quorum medio plurima staminula prodeunt candida, flavis apicibus insignita, & inter illa capitellum hirsutum albicans. Floris odor suavis est, & ad Rosæ moschatæ simplicem quinque foliorum seriem habentis odorem valdè accedit; sed nec ipsius floris forma valdè dissimilis.

Ad Appendicem alteram ad cap. XI. pag. 152. ubi de Fritillaria alba ago, adde,

Mittebat verò eruditissimus Venerius anno Christi millesimo sexcentesimo tertio, aliquot hujus Fritillariæ albo flore bulbos amicis: quos accipiebam, perierunt cum plerisque aliis selectioribus plantis: quos verò accipiebant Hogelandus & Porretus, conservati sunt, & Hogelandus quidem altero post anno binas habuit plantas, quæ flores tulerunt notis quibusdam discretas: unius enim flos totus albus fuit, alterius foris etiam albus, internâ autem parte venis quibusdam purpurascentibus distinctus: Porretus unicam habuit, cujus flos totus albus fuit.

*** Narcissus

Narcissus juncifolius flore albo reflexo.

ad cap. XII. Lib. II. Rariorum Plantarum Historiæ.

PYRENÆI montes multas plantas elegantes proferunt, quarum pleræque eorum qui de re Herbaria scripserunt notitiam effugerunt, quia nullius adhuc tanta & tam exquisita fuit diligentia, ut omnes quæ in illis montibus nascuntur, observare potuerit: paulatim tamen qui viciniora iis loca inhabitant viri docti Herbarum studio sese oblectantes, plurimas observârunt, inter quos primarium locum meritò obtinet eruditissimus vir Ioachimus Venerius, cujus beneficio his proximis annis aliquot accepimus: sed & rhizotomi quidam Galli spe lucri illecti, plerasque in has provincias attulerunt. Præter eas porrò, quarum in mea Rariorum Plantarum Historia, ejusque altera appendice memini, duo Narcissi genera hoc anno Christi sexcentesimo quinto supra millesimum apud amicos flores protulerunt nunquam antea mihi conspecta, quorum Primi iconem subjecta tabella expressam habet, & addita est brevis ejus historia.

PRIMVS igitur è radice bulbosa nucis ponticæ magnitudine, candida, fuscâ membranâ obducta, cujus sedem plurimæ tenues albæ fibræ occupabant, quaterna aut quina exiliebant folia dodrantem longa, angusta & pænè juncea, aliquantulum striata, & supinâ parte nonnihil carinata, viridia, inter quæ prodibat dodrantalis caulis viridis, lævis, non valdè crassus, summo fastigio sustinens in membranaceo involucro binos, ternos, interdũ quaternos oblongos flores nivei quidem candoris, sed odoris expertes, deorsum propendentes & nutantes, sex longiusculis & satis angustis foliis præditos, sursum reflexis florum cyclaminis instar, è quorum umbilico prominebat calix semunciam longus, vel etiam longior, inæqualibus oris, continens tria staminula alba, quorum apices flavescentes, & tenuem longum stilum extremas calicis oras multum superantem: succedebant triangulares siliquæ sive thecæ, exiguo, orbiculari, nigroque & splendente semine plenæ. Florebat autem Aprili.

NARCISSVS *Iuncifolius albo flo. reflexo.*



Istud Narcissi genus redimebant biennio antè à rhizotomo quodam Gallo cui nomen Nicolaus le Quelt sive Quilt, elegantes & raras plantas in has Provincias quotannis adferre solito, quas per suos in Pyrenæis & etiam in Hispaniis conquirere jubet. Inter eos autem qui redemerunt nonnulli hujus Narcissi plantas habuerunt paullo latioribus foliis præditas, quarum flores etiam oblongiores erant.

ALTERIVS Narcissi juncifolii unicam plantam habuit Christianus Porretus pharmacopœus Leydensis diligentissimus à Petro Gassano sive Plantino missam, cujus multò longiora erant folia quàm præcedentis, & viridia; caulis etiam longior, summo fastigio sustinens binos aut ternos flores, diversæ tamen à superiore formæ: nam Narcissi juncifolii minoris floribus valde similes erant; horum tamen color albus tam ipsius calicis quàm sex foliorum ipsum ambientium. Florebat etiam Aprili: radix erat non valdè magna, longiuscula, membranâ eam cingente prorsus fuscâ. Accipiebat etiam ab eodem alios bulbos simili nomine insignitos, crassiores tamen, quorum folia ejus foliis quos Nicolaus adferebat valde similia erant; sed florem nondum tulerunt.

CETERVM anno superiore nobis mittebat non solùm Venerius, verùm etiam Nicolaus adferebat plantas Narcissi juncifolii albo flore nomine donatas: eæ autem quum florem nondum protulerint, nihil de ejus formâ vel colore pronunciare possum; nam bina dum-

dumtaxat habuerunt hoc anno folia cùm eæ plantæ quas nactus sum, tùm quas alii redemerunt, & illa quidem angusta, supinaque parte aliquantulum plana, valde longa, non tamen surrecta, imò potiùs humi quodammodo procumbentia: illorum item color, meâ opinione, non unus. Nam plantarum quas Venerius mittebat, magis viridis videbatur; earum quas Nicolaus adferebat, magis ad cæsium tendens, pænè ut foliorum Pseudonarcissi. Si quam porrò dabunt florum differentiam, proximus aut eum subsequens annus nos (si vivimus) certiores efficiet.

Pseudonarcissus albo flore.

ad cap. XVII. *Lib.* II. *Rariorum Plantarum Historiæ.*

INTER Narcissos reponendam esse eam plantam quæ Pseudonarcissi appellationem vulgo obtinuit, nullum esse opinor mediocriter in re herbaria versatum, qui dubitet. Multæ autem ejus sunt differentiæ: nam præter eas quas in mea Rariorum Plantarum Historia describebam, cùm majores tum minores, atque alias multos jam ante annos vulgatissimas, Pyrenæi montes & loca illis vicina nobis adhuc suppeditârunt alias majores & minores, formâ & colore dissimiles: nonnullæ enim flores habuerunt sex foliis tubum amplectentibus perpallidis & quasi albicantibus constantes, aliæ pallidis, aliquot etiam paullò saturatioribus; tubum verò aut valdè amplum, aut angustiorem, eumque vel pallidum, vel valdè flavum & quasi aureum, aut oris fimbriatis, aut quodammodo æqualibus & minimè crispis. Verum enim verò proximis his annis novum quoddam genus repertum est, quod valdè rarum censeo, cujusque binos bulbos anno Christi millesimo sexcentesimo quarto ab eruditissimo Venerio accipiebam cum Cyclaminis novo vere (ut adscriptum erat) albos flores proferentis paucis bulbis, & aliquot aliis plantis non vulgaribus. Horum alter florem mihi protulit insequente Aprili, quemadmodum etiam aliis quibus similes plantas communicauerat. Sed & eodem anno mense Decembri rhizotomus quidam Gallus similes plantas venales adferebat, à quo ego & etiam alii redimebamus. Quoniam porrò valdè elegans est planta, nec à quoquam (quod equidem sciam) adhuc descripta, aut ejus icon exhibita, rem non ingratam me facturum existimavi, si illam Lectoris oculis in subjecta tabella proponerem, & ejus brevem historiam adiicerem.

TERNA autem è radice bulbosa oblongiore nigroque cortice sive membranâ tecta (à cujus sede frequentes tenuesq. oriebantur candidæ fibræ) proferebat folia, dodrantem vel paullò amplius longa, Narcissi angustioribus foliis valde similia, supinâ parte carinata, inter quæ nudus prodibat caulis satis exilis, non crassus, dodrantem altus, summo fastigio membranaceum folliculum gerés, è quo propendebat flos totus albus, Pseudonarcisso vulgatiori, quem Germani **Gelbe Hornungs blumen**/ Belgæ verò **Geele Tijloosen** appellant, formâ quidem similis, paullò tamen minor, sescunciam longus, sex foliis tubum amplectentibus similiter constans, tubo autem paullò angustiore, & oras nonnihil fimbriatas habente, in quo sex alba stamina flavescente apice prædita, & medius stilus longior: nullum verò peculiarem odorem in eo flore observabam, qui aperiebatur Aprili, deinde Iunio semen proferebat in triangulari capite sive thecâ, orbiculare, nigrum & splendens, quale Narcissi juncifolii albo flore reflexo, sed majus.

PSEVDONARCISSVS *albo flore.*



ad calcem cap. XIX. *lib.* II. *Hist. Rarior. Plant. hæc etiam addenda.*

QVVM anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo secundo Narcissi istius iconem accipiebam, eam illico exprimen-

dam curabam; & ex aliquot notis à Iacobo Plateau ipsi additis, illius historiam concinnabam. Septimo insequente anno Illustris idemque eruditissimus vir Ioannes Vincentius Pinellus piæ memoriæ, unicè mihi charus, ejus bulbum cum aliis quibusdam Narcissis ad me mittebat, qui singulis annis flores protulit, & hoc quidem anno millesimo sexcentesimo quinto quatuordecim summo caulis satis crassi & trigoni fastigio. Tametsi porrò iconem missam non adeò feliciter, ut decebat, expressam esse viderem, mutandam tamen non putabam, quia ex illa lectorem satis perspicuè animadversurum confidebam, de qua planta sermonem instituissem. Plantam quam mittebat Pinellus unde habuerit, ignoro: certum tamen est jam multo tempore in Italia fuisse notam, quia Matthiolus Narcissi tertii appellatione eam donavit; & in Serenissimi Ducis Hetruriæ horto cultam fuisse scio, unde Iacobus Plateau semen nactus erat. Anno autem Christi sexcentesimo supra millesimum, ut antè dicebam, multos ejus bulbos adferebat Amstelredamum Ioannes ab Ophem Bruxellâ Brabantiæ oriundus, quos ipsemet in Illyrico eruerat: insuper capsam iis & Scillæ bulbis aliisque rebus plenam ad fratrem mittebat, qui Bruxellæ commorabatur, sed quum Middelburgum esset perlata, & istic ad aspiciendum quid contineret, aperta; fiscus manum in eam injecit, quòd nonnulla contineret, quorum transvectio erat prohibita. Bulbi qui inerant, inter multos divisi: Ornatissimus vir Simon Parduynus aliquot etiam habuit: is unum ad me Lugdunum Batavorum mittebat, qui demum hoc anno flores ferre cœpit, binos autem caules habuit, unum octo floribus præditum, alterum decem: successit deinde in crassiusculis, trigonis, & unciam longis thecis semen orbiculare, nigrum, splendens, Pseudonarcissi flo. albo semine majus. Planta verò quam à Pinello accipiebam, quamvis quotannis, ut dixi, flores protulerit, nullum tamen semen dedit, nisi hoc etiam anno. Sed biennio antè semen similis plantæ Amstelredamo ad me mittebat ornatissimus & perhumanus vir Theodoricus Coornhart ejusdem urbis civis, lectum in iis plantis quas à Ioanne ab Ophem redemerat, è quo terræ commisso natæ mihi sex aut octo plantulæ.

Hæc autem proferre libuit, ut omnes intelligant, plantas quæ primùm huc advectæ, ex Oriente aut India non fuisse petitas, ut quidam sibi persuadent, & aliis etiam persuadere conantur, sed in Europa natas.

Bulbus μονόφυλλος.

an Βολβίνη *Theophrasti?*

Bulbus unifolius.



Valde rara est hæc planta: certè ante annum millesimum sexcentesimum quintum ejus flos mihi non conspectus. Eam autem redimebam biennio antè à Gallo rhizotomo Nicolao le Quilt Lutetiæ Parisiorum commorante, cum aliis bulbis, qui in Lusitania, ut ipse asserebat, eruti. Quum verò non sit inelegans, imò valdè raram esse mihi persuadeam, ut qui unicam illam plantam habeam; nec apud aliũ quempiam, similem conspexerim, dignam existimabam quæ in hac Appendice locum haberet: propterea in tabella exprimendam curabam, ut ejus icone lector frui posset.

Unico autem è terrâ prodibat folio tenui primùm & prorsus junceo, quod tandem pedalem adquirebat longitudinem: duabus autem supra terram unciis paullo majorem adquirebat latitudinem, & canaliculatum fiebat, extremâ tamen parte manente junceâ: ubi verò latiorem adquirere incipiebat latitudinem, ex ejus medio exiliebat triuncialis longitudinis cauliculus, tenuis, lævis, dilutiùs virens, in cujus fastigio alternatim siti erant tres flores non valdè magni (ut ex icone observari potest, in qua volui florum magnitudinem expressam) qui sex foliis candidissimis erant præditi, non multum absimiles floribus

Grami-

Graminis Parnassi Herbariorum, sive Hepaticæ albæ Cordi, sed nullo caliculo, ut illi, inclusi: è quorum medio prodibant sex alba stamina flavis apicibus prædita, & umbilicum occupabat capitellum triangulare, summo fastigio sustinens exilem stilum albũ, staminum longitudinem non excedentem. Odoratus autem erat iste flos, & Spinæ appendicis florum odorem æmulabatur. Ejus bulbus orbicularis erat formæ, nec avellanæ nucis magnitudinem excedebat, fuscâ membranâ tectus, sedeque illius multis tenuibus candidis fibris obsitâ. Bina folia totidemque cauliculos habuit, ut in tabella ad plantæ normam expressa videre licet: flores autem aperiebantur medio Iunio: quale semen prolatura fuisset, nihil pronunciare possum, quandoquidem plantam è terra eximere coactus fui, ut pictori exprimendam traderem; & tametsi bulbus postea terræ denuò fuerit commissus, caulis tamen cum flore brevi emarcuit.

Qvo nomine appellare debeam hanc plantam dubito, nisi quis fortè Βολβίνην esse censeat, cujus Theophrastus lib. VII. Historiæ Plantarum cap. XIII. meminit: sed quùm eam non describat, & dumtaxat reponat inter plantas quæ bulbosâ radice constant, difficile est certi quidpiam statuere. Sive autem Βολβίνην, sive Βολβὸν μονόφυλλον quis appellare malit, per me semper licebit: satis mihi est ipsius plantæ historiam, quàm integrâ potui fide, cum illius icone Lectori proponere.

Alteri Appendici ad cap. XXX. *lib.* II. *Rariorum Plantarum Historiæ pag.* 183. *adjunge*

Cetervm anno millesimo sexcentesimo quinto mihi & aliis aliquot bulbi qui flores cæruleos gerunt, plures flores, vel longiorem florum comam protulerunt, quàm præcedente anno: qui tamen pro eo missus, cujus flores essent albi, nullum florem tulit quàm illo ipso anno. Hogelandio planta una, Porreto planta una, Honesto planta una, mihi etiam unica quam habebam planta: nam quam Venerius anno præcedente mihi mittebat, hiems corrupit.

Hyacinthus stellatus æstiuus minor.

subiiciendus Hyac. stel. æstiuo majori in Altera Appendice.

Qvvm primùm è terra prodit hæc planta, septena aut octona à radice promit folia angusta, plana, viridia, & quodammodo splendẽtia, circiter septem uncias longa, quæ sese humi diffundunt & in orbem spargunt, atq. veluti contorquent: inter quæ assurgit cauliculus teres, brevis, binarum unciarum longitudinem non excedens, summo fastigio senos aut septenos flosculos alternatim ferens, veluti in spicam congestos, iis formâ & colore pænè similes, quos profert Hyacinthus stellatus æstivus, cujus paullò antè memini, sed longè minores: his succedebant triangula etiam capitella extremo mucronata, nigrum semen continentia: radix erat bulbosa, ferè orbicularis, crassæ avellanæ Hispanicæ magnitudinem æquans, candida, sed fuscâ membranâ tecta, è cujus infimâ sede numerosæ exiliebant fibræ, magnâ ex parte valdè tenues, iis tamen admixtæ septenæ aut octonæ paullò crassiores. Florebat Maio mense cum majore.

Vnicam hujus generis plantam, eamque ἀνώνυμον accipiebam anno Christi millesimo sexcentesimo tertio à Nicolao le Quilt sive Quelt Gallo rhizotomo cum bulbo unifolio, & aliis quibusdam è Lusitania, ut asserebat, petitis.

Cyclaminus vernus albo flore.

ad cap. LIX. *lib.* II. *Rariorum Plantarum Historiæ.*

Anno Christi millesimo sexcentesimo quarto, mense Augusto, à Venerio paucos Cyclamini bulbos, quos scribebat verno tempore florem album proferre, accipiebam cum aliis quibusdam raris plantis: acceperunt & alii ejus amici, quibus omnibus insequente anno folia quidem protulerunt, sed nullum florem: alioqui non prætermisissem ipsius plantæ iconem in tabella expressam Lectoris oculis proponere. Erant verò ea folia circinatæ pænè rotunditatis, non valdè ampla, sed satis densa ac crassa, pronâ parte impensè rubra (pronam autem partem intelligo quæ terram spectat, & in eâ procumbit) supinâ verò viridia quidem, albis tamen maculis per totam superficiem respersa. Quòd florem non tulerint, an id acciderit propter aëris & soli mutationem, an quòd nondum satis adultæ fuerint plantæ, ignoro: nonnulli tamen bulbi nucem juglandem cum suo pulvinato calice, aut exigui mali magnitudinem æquabant, & orbiculari erant formâ, quidam etiam magis compressâ & planâ, instar radicis Cyclamini hederaceo folio.

Sub extremum illum ipsum mensem adferebat etiam similes Cyclamini bulbos Nicolaus le Quelt Gallus, cujus antè facta mentio, à quo binos habui, redemerunt etiam alii; sed nec illi aliud præter folia insequente anno produxerunt.

Planta pro Cyclamino verno spurio missa.

PORRÒ biennio ante miserat idem Venerius aliam plantam è Pyrenæis montibus erutam, quam flavos flores proferre scribebat, & Cyclaminum vernum spurium nominabat, quia ejus radix diversam habebat formam à legitimi Cyclamini radice: tuberosa quidem erat, sed cordis, ut vulgo pingitur, formam quodammodo referebat, sive illorum loculorum quos tenuis fortunæ mulieres apud Belgas gestare solent ad aciculas in eorum ambitu excipiendum; & illa quidem satis duro crassoque cortice constans, fusci coloris, & ferè circumquaque in lateribus, frequentissimis iisque duris & rigidis fibris stipata. Hogelandio singulis annis aliquot folia protulit: at hoc anno millesimo sexcentesimo quinto, etiam flosculos. Prodibat autem ex hujus plantæ radice uncialis longitudinis cauliculus tubi pennæ gallinaceæ crassitudine, purpurascens, qui summâ tellure in ternos aut quaternos ramulos dividebatur, tenues, virides, quorum nonnulli uncialem longitudinem habebant; longissimi, tres uncias non excedebant; quos obsidebant folia viridia, longiusculo pediculo subnixa, hederaceorum foliorum quidem formâ, sed nullis angulis prædita, sive, ut veriùs comparationem instituam, violæ martiæ montanæ foliis persimilia, variæ tamen magnitudinis: nam quæ maxima, sescunciam erant longa, unciam lata, eaque septem nervis prædita; quædam, unciam longa, & quinque nervos habentia; minora semuncialem longitudinem non excedebant, & in iis tres dumtaxat nervi apparebant; omnia tamen in extremo mucronata: longiores ramuli circa summum fastigium, binos aut ternos flosculos herbacei coloris Iunio mense ferebant, iis ferè similes, quos Ribes vulgare fructu rubro ferre solet, in quibus flava quædam stamina apparebant.

Ranunculus Pyrenæus albo flore.

ad cap. LII. *lib.* II. *Historiæ Rariorum Plantarum.*



PRORSVS novum censeo hoc Ranunculi genus, certè ante annum Christi millesimum sexcentesimum quintum mihi non conspectum, & illud cultum suisque floribus onustum sub Maii initium in hortis Ioannis ab Hogelande & Christiani Porreti, quorum uterque à Ioachimo Venerio plantas acceperat præcedente Autumno è Pyrenæis montibus erutas. Quum verò ejus historiam à nemine adhuc proditam arbitrer, gratum me facturum existimavi botanico studio sese oblectantibus, si illius descriptionem additâ icone ad vivum expresâ illorum oculis proponerem.

PEDALI autem, imò etiam ampliore assurgebant plantæ quas videbâ altitudine, caule rotundo satis firmo, viridi, per quem alternis terna aut quaterna sparsa erant folia, satis latâ basi caulem amplectentia, ternas aut quaternas uncias longa, unciam verò lata, mucronata, multis venis ab infimâ sede ad extimum mucronem procurrentibus distincta, viridis coloris, qualis ferè est foliorum Brassicæ campestris, quorum oræ tenui molliqúe albâ lanugine obsitæ: summo caule ex foliorum quæ minuscula erant alis exibant terni, quaterni, vel etiam plures oblongiores pediculi calicul um quinque foliolis constantem sustinentes, è quo flos prodibat quinque foliis præditus

semun-

semuncialibus, tenellis, prorsus niveis, cujus medium occupabant frequentissima parva stamina flava cum orbiculari capitello, nullius aut perexigui odoris. Quum verò primùm è terra emergebat hæc planta, & ante quam in caulem excresceret, bina dumtaxat, aut ad summum terna proferebat folia tres uncias longa, unciam lata, crassiuscula & firma, multis etiam venis secundum longitudinem distincta, ut quodammodo ad plantaginis latifoliæ foliorum formam accederent: caput radicis hirsutum erat (ut eam ob causam perennem plantã esse mihi persuadeam) quod deinde in multas crassiusculas albas fibras dividebatur.

ad cap. IX. lib. III. Rar. Plant. Hist. pag. 305. post Sectionem Crescit

IN Pyrenæis etiam montibus crescunt plantæ ab Herbariæ rei studiosis Auriculæ ursi nuncupatæ: nam Venerius Burdigalâ quoddam genus mittebat anno millesimo sexcentesimo quarto, Ioanni ab Hogelande, & Christiano Porreto, quale antè conspicere non memini: ejus enim folia reliquarum Auricularum mihi quidem notarum foliis erant dissimilia, satisque ampla, & hirsuta, ad Borraginis, aut Hormini silvestris, quod in mea Rar. Plantarum Historia tertio loco repono, folia quodammodo accedentia: neutra tamen planta anno insequente, quo hæc scribebam, adhuc florem protulerat; eam ob causam de ejus forma & colore nihil pronunciare possum.

Sub extremum eundem annum aliud præterea genus adferebat rhizotomus quidam Gallus, etiam in Pyrenæis erutum, cujus florem videre nondum mihi contigit: ejus autem folia valde accedebant ad illius Auriculæ folia, quam in Rariorum Plantarum historia quinto loco repono, in cultissimo Illustrissimi Principis Cattorum Willelmi horto Cassellis observatam, iis tamen minora: ex radice autem serpente, & multis fibris in lateribus prædita, conjecturam faciebam, ejus plantam summâ tellure sese propagare, perinde ac Quartum genus à me propositum eodem cap. IX. lib. III.

Stœbe peregrina.

ad cap. IV. Lib. IV. Rariorum Plantarum Historiæ.

PEREGRINAM quandam plantam Illustrissimum Ducem Croyum & Areschotensem in cultissimo suo horto, quem in Bellomonte habet, alere scribebat ad me anno Christi millesimo sexcentesimo quarto Iacobus Plateau, vir in Plantarum cognitione & cultura egregiè versatus & Stœben spinosam fruticantem appellabat; ego autem inter Scabiosarum sive Iacearum (quibus Salmanticenses Stœbes adjungo) genera potius recenseam, tametsi hujus flores ad Cyani flores proximiùs accedere videantur: cuilibet verò per me semper licebit ad quam volet classem referre. Quoniam autem huic similem antè videre non memini, dignam ducebam cujus brevem historiam (qualem videlicet ex mutila pictura & paucis notis illi adjectis concinnare licuit) Lectori communicarem.

Illam porrò scribebat Illustrissimum Ducem alere, trium circiter pedum altitudinem æquantem, quamque, si, angustiis non conclusa, liberè excrescere posset, ad majorem altitudinem pertingere posse arbitrabatur. Fruticosam autem esse, ramulosque satis duros & quodammodo lignosos habere scribebat, foliis valde laciniatis obsitos; summos verò ramulos flores sustinentes minoribus iisque singularibus foliolis instar foliorum lavendulæ esse septos, & plerumque in spinas desinere. Præterea totam plantam candicantem esse ferè ut Iacobæa marina, quæque Cineraria appellatur: squamosos item esse florum alabastros & calices, ipsos autem flores candidos, cyani florum formam quodammodo referentes: addebat radicem lignosam, multifidam atque perennem esse; plantam verò flores producere Iulio, Augusto, & toto adeò Septembri: nam eo mense abruptum ramulum spinosum, folia & flores adhuc retinentem iconi adjunxerat, ut formam tanto faciliùs describere possem.

Ascyrum supinum ἑλῶδες.

ad cap. I. lib. VI. Historiæ Rariorum Plantarum.

ASCYRI quoddam genus supinum palustribus locis apud Batavos reperitur, quod prorsus molle & lanugine obsitum, caule non quadrangulo, sed tereti & rotundo præditum, quẽ alternis bina semper ambiunt folia ex adverso nascentia, ut in Ascyro vulgari, aliquantulum tamen magis orbiculata, summo caule gestans flores quinque foliis constantes flavi coloris, qui triti, sanguineo succo non inficiunt, ut illius quod siccioribus locis nascitur; quod humidioribus natalibus tribuo: procumbunt autem singuli cauliculi, &, recenter lecti, humore turgent, ad singula pænè internodia fibras agentes, & subinde novellos ramulos producentes, sub aqua tamen latentes, quâ ratione feliciter sese propagat. Hanc plantam extremo Iunio florentem primùm observabat C. V. Doctor P. Pawius,

Artis


Artis Medicæ primarius Professor in Lugduno-Batava Academia, anno Christi quarto supra millesimum & sexcentesimum, mihique communicabat.

Fungus coralloeides cancellatus.

post XXV. *genus Fungorum perniciosorum.*

NON omnis fert omnia tellus, inquit Poëta: & sanè constat nullam Provinciam reperiri, quæ peculiare quidpiam nō alat aliis Provinciis negatum. Scripseram Commentariolum de Fungis, quos mihi in Pannonia versanti observare licuerat, non dubitans quin illorum pleriq. etiam alibi reperiantur, certò tamen mihi persuadens, illam provinciam quosdam etiam habere sibi peculiares. Hunc libellum quum legisset Nobilis vir N. de Callas, Peirets toparcha, pro animi benevolentia quâ me prosequitur, cōmittere noluit, quin ex his quos inter venandum mense Octobri anno Christi millesimo sexcentesimo quarto observasset, aliquos ad me mitteret, in quo sanè ipsum rem gratissimam mihi fecisse, ingenuè profiteor. Nam unum inter reliquos, quem peculiarem illis locis esse opinor, numquam antè videram, ideoque dignum arbitrabar propter admirabilem ejus structuram, ut publicè spectandum in hac Appendice proponerem.

Fungus Coralloeides cancellatus.



NASCITVR autem, ipso referente, gallinacei ovi formâ, dum è terra primùm erumpit, colore prorsus niveo; radicemque habere ait tenuem, candidam, in multas fibras valdè tenues divisam, quâ firmatur & alimentum sibi necessarium attrahit: ovum autem illud sive volvam, dum maturescit, sensim disrumpi & dehiscere, & inde exilire tamquam marsupium aliquod distinctione cācellatim reticulatâ constans, & in obliquos veluti ramos invicem sese secantes atque summâ parte in unum coëuntes formatum, rubri coloris: ut totidem corallini rami simul implexi videantur: sed admirabilem illam externam venustatē & elegantiam prorsus deformari & corrumpi à fœtidissimo quem exhalat odore: illum autem odorem oriri suspicabatur à crasso cineraceoque quodam liquore rubentes illos ramos supinâ parte obsidente, quem simulatque ex sua volva exclusus est fungus, varii generis parva insecta mirificè appetūt, & tandem etiam absumunt, omnē alium cibum præ isto spernentes; imò multos alios fungos, quos alioqui optimos esse nobis persuademus, & in deliciis habere solemus.

EOS porrò fungos sub extremum Aprilem hoc anno millesimo sexcentesimo quinto accipiebam, Aquis Sextiis xv. Feb. sive xv. Kal. Martii ad me missos, quos in silvis Belgenteriensi agro interdum, frequentiores autem inter harundines secundū fluviolum magna ex parte agrum illum rigantē consitas reperisse scribebat: & certè quos accipiebam virosum quidpiam adhuc spirabant (tametsi resiccati & aridi) & crassum etiam illum liquorem, sed præ ariditate durum, nigrum, splendentemque adhuc retinebant. Verùm enim verò, quia rami illi ob siccitatem valdè contracti & imminuti erant, atq. eorum color longè remissior factus: ante quàm in tabella exprimendum curarem, ex ejus præcepto, in aqua macerabam, ut nativam formam & colorem aliqua ex parte reciperet, quò pictor faciliùs exprimere posset; & sanè post quàm macerassem, denuò intumuisse rugasque deposuisse, & nativi coloris magnam partem resumpsisse conspiciebam, atque crassum illum liquorem supinam ramulorum partem occupantem mollem lentumque factum esse observabam.

Inter perniciosos autem fungos hoc etiam genus referendum esse, nemo, ut opinor, inficiabitur; quemadmodum & bina alia quæ addiderat genera. Unum corticis fragmentum adhuc retinens in arbore aut arboris ramo humi jacente natū; aureo colore, nec valdè absimile Quarto generi perniciosorum à me descripto & exhibito, cujus variæ species magnitudine & colore inter se discretæ. Alterum autem magnam similitudinem cum prima specie Vigesimi generis perniciosorum habere mihi videbatur, magnitudo enim & forma respondebant; hujus verò extremas oras atque pediculum liquore quodam, dum recens erat, obsita fuisse apparebat, qui nunc in arido fusci coloris erat & splendebat.

FINIS.


PETRI BELLONII
CENOMANI

Plurimarum singularium & memorabilium rerum in Græcia, Asia, Ægypto, Iudæa, Arabia, aliisque exteris Provinciis ab ipso conspectarum

OBSERVATIONES
tribus libris expressæ.

CAROLVS CLVSIVS
Atrebas
è Gallicis Latinas faciebat, & denuò recensebat.

Altera editio, longè castigatior, & quibusdam SCHOLIIS illustrata.



EX OFFICINA PLANTINIANA
RAPHELENGII.
M. D. CV.

Illuſtriſſimo Principi ac Domino, Domino

MAVRITIO,

LANDGRAVIO HASSIAE,

Comiti in Catzenelenbogen, Dietz, Zigenhain & Nidda, &c.

CAROLVS CLVSIVS ATREBAS.



VEM ante decennium, Illuſtriſſime Princeps, ad Ill^mam V. C. ablegaveram, ad eandem redit P. Bellonius, paullò tamen honeſtiore veſte cultus, quàm quùm in ejus conſpectum initio prodiret; tunc enim adeò properè in publicum venire geſtiebat, ut, quam illi concinnaveram veſtem, non licuerit, uti volebam, & decebat, ornatam reddere. Hinc forſitan factum, ut vilitate veſtis offenſa Illuſtriſſima V. C. minùs gratus fuerit illius conſpectus: paullò igitur cultiore veſte eum ornare volui; mihi perſuadens, gratiorem aliquantulum futurum, ſi minùs propter veſtem, certè propter doctrinam quam continet de variis rebus quas tribus libris deſcribit in ſuis peregrinationibus magnâ ſedulitate & ſingulari judicio obſervatas. Fuit enim vir ille indefeſſi ſtudij, quemadmodum ex ejus lucubrationibus (ut tum commemorabam, & nunc denuò repeto) quas partim Latino, partim Gallico ſermone ipſi naturali, evulgavit, perſpicere licet. Nam extant Libri de Coniferis arboribus & perpetuâ fronde virentibus, de Admirandâ veterum fabricarum ſtructurâ, de Medicato funere, Latinè ab ipſo conſcripti: Gallicè verò, Libri de Avibus, de Piſcibus, & hoc Itinerarium, cum Libello de Neglectâ plantarum culturâ: Librum etiam de Serpentibus peculiarem (quorum nonnullos in hoc opere interdum inſerit) & Inſectis: tum etiam Commentaria in Dioſcoridem, & de Agriculturâ Librum, alia prætereà quædam meditabatur: ſed laudabiles ipſius conatus, in-

opina mors, nefarij latronis manu illata interrupit, non sine magno litterariæ Reipublicæ dispendio.

CETERVM Itinerarium illud ante quindecim annos Latinum faciebam; sic apud me statuens, ejus lectionem haud inutilem futuram illis qui Gallicam linguam ignorant, quandoquidem miram rerum ab Auctore totâ suâ peregrinatione observatarum, & in tres libros congestarum varietatem continet. In eo enim non modò Regionum, quas adiit, situs, indigenarumque ritus & mores describuntur: verùm etiam multarum exoticarum plantarum in illis Provinciis nascentium nomina enumerantur, & diversorum, quæ alunt, animalium historia explicatur.

CVM porrò Exoticorum Libros publici juris facere haberem in animo, quibus adjungendos etiam putarem eos Libellos quos è vernaculo sermone aliquando Latinè loquentes feci; hoc Itinerarium haud negligendum, sed in manus iterum sumendum, paulloque accuratiore limâ expoliendum esse censebam, ut aliquanto cultiore veste in Ill^mæ V. C. conspectu apparere posset: volui enim rediret ad eum, cujus nomini primùm fuerat nuncupatum. Confido autem Ill^mam V. C. pro ingenitâ suâ clementiâ illud non gravatim suscepturum; ipsi intereà à Deo opt. max. felicissimum rerum omnium statum exoptans, ad Divini Numinis gloriam, & Ill^mæ Hassiacæ familiæ decus sempiternum. Lugduni Batavorum Kal. Sextilib. cIↃ. IↃ c.

DE

DE

PETRI BELLONII

Observationum libris

à CAROLO CLVSIO
donatis Latio,

CARMEN.

BELLONIVS varias Orbis lustraverat oras,
Regnáque vix ipsis cognita nominibus;
Viderat undosi septem-gemina ostia Nili,
Viderat altarum culmina Pyramidum;
Nulláque non illi visa insula sparsa per æquor,
Sive per Ægæum, sive per Jonium.
Viderat hæc: & digna notâ quæcumque tulisset
Fors, promtis navus scripserat in tabulis.
Quæ, simul ad patriam ut rediit, persolvere votum
Pro reditu cupidus, cuncta dedit patriæ:
At patriæ tantùm & patrio sermone, suúmque
Sic fetum angustis cluserat ipse locis.
Tu, CLVSI, meliùs docti monimenta recludis
BELLONII, faciens ore loqui Latio:
Quo jam perpetuum, nullâ peritura senectâ,
Durabunt scriptis æmula Romuleis.
Durabunt factúsque tuo merito immortalis,
Plus tibi jam debet quàm sibi BELLONIVS.

F. F. F. Raphelengius.

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.



VDOLPHVS SECVNDVS diuina fauente clementia, electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, &c. Comes Tirolis, &c. Agnoſcimus, ac vigore præſentium notum facimus vniuerſis: Quod cùm Doctus noſter & ſacri Imperij fidelis dilectus Carolus Cluſius humillimè nobis exponendum curauerit, præ manibus ſe habere ſcripta quædam, quæ in publicam vtilitatem edere ſtatuerit, vereri autem ne cùm magnos ſumptus in Pictores & Sculptores fecerit, lucri cauſa alij, quod fieri ſolet, ſibi in fraudem eadem imprimant, aut imitentur, ſicque laboris ipſe atque induſtriæ ſuæ præmio fraudetur ac deſtituatur; nos conſiderantes, quàm præclaram iam antè operam in quibuſdam lucubrationibus, quæ iam antè fuerunt editæ, poſuerit, & quàm nobis exquiſita ipſius ac varia eruditio, præcipuè verò etiam in indaganda ſtirpium & herbarum natura ſedulitas atque induſtria commendentur, quòd multa peregrinis ac remotis in locis didicerit & obſeruauerit, multa ſecum attulerit, quæ rara & luce digna ſint, quòd aſſiduis adhuc ſtudiis in hoc incumbat, vt quæ in antiquis auctoribus abdita & obſcura ſunt, eruat atque illuſtret, vt præclaram nominis ſui memoriam poſteritati relinquat, benignè ipſi, quod rogat, Priuilegio noſtro aduerſus omnem fraudem conſulere cupientes, præſentium vigore ſcienter animóque bene deliberato, pro autoritate noſtra Cæſarea ſeriò decreuerimus, edixerimus ac ſtatuerimus, quemadmodum præſentium vigore decernimus, edicimus ac ſtatuimus, ne quiſquam Typographorum, Bibliopolarum aut aliorum, qui ſiue imprimendis ſiue vendendis libris aliâve quacunque ratione negotiationem exercent librariam, intra viginti annos, à prima editionis die numerandos, Caroli Cluſij opera duobus tomis expreſſa, quorum prior Stirpium, &c. hiſtoriam continet, altero plerique libelli, &c. ab ipſo Latini facti comprehenduntur, & quæcunque præterea idem Cluſius edet opera, ipſo inſcio aut inuito typis ſeu quocunque alio modo aut charactere, ſiue integra, ſiue aliquam eorum partem imitetur, exprimat vel in publicum edat, néve ab aliis edita vel expreſſa vel aliunde allata intra Sacri Romani Imperij fines vendat, ac diſtrahat apertè vel occultè. Si quis autem præſens edictum noſtrum tranſgredi aut violare, & prædicta opera recudere & in fraudem prænominati Caroli Cluſij edere aut vendere auſus fuerit, eum non ſolùm eiuſmodi libri exemplaribus, tanquam quæ in commiſſum ceciderint, memorato Carolo Cluſio eiúsque hæredibus, vel mandatum ab iis habentibus, ope Magiſtratus

gistratus eius loci, vbi deprehensa fuerint, vendicandis priuari, verum etiam mulcta decem Marcharum auri puri fisco nostro Imperiali fraudum vindici, ac parti læsæ ex æquo soluenda ac pendenda puniri volumus; ea tamen lege, ne quid ea opera Orthodoxæ Catholicæ Religioni contrarium habeant, & vt tria cuiuscunque operis aut libri exemplaria, vbi excusa fuerint, ad Imperialem nostram Cancellariam transmittantur. Quod si negligatur, hac nostra gratia ac Priuilegio ipse, ipsiúsque hæredes excidisse censeantur. Mandamus proinde vniuersis & singulis nostris & Sacri Romani Imperij subditis & fidelibus dilectis, tam Ecclesiasticis, quàm Secularibus, cuiuscunque status, gradus, Ordinis & Conditionis extiterint, præsertim verò iis, qui in Magistratu constituti sunt, ac vel suo vel superiorum suorum loco ac nomine Iuris vel Iustitiæ administrationem exercent, ne quemquam hoc Priuilegium seu interdictum nostrum impunè violare, spernere aut negligere patiantur. Sed si quos contumaces compererint, præscripta pœna plecti, & quibuscunque rectè fieri potest modis, coërceri curent. Quatenus & ipsi grauissimam indignationem nostram euitare voluerint. Id quod testamur præsentibus literis manu propria subscriptis & Cæsarei sigilli nostri impressione munitis. Datum in Arce nostra Regia Pragæ, die decimaquinta mensis Februarij. Anno Domini millesimo, quingentesimo, nonagesimo tertio: Regnorum nostrorum Romani decimo octauo, Hungarici vigesimo primo, & Bohemici itidem decimo octauo.

RVDOLPHVS.

Ad mandatum S. Cæsareæ M[tis] proprium.

Iacobus Curtius à Senfftenaw. Io. Baruitius.

VOBIS, *Raphelengij, qui haud exiguos sumptus pingendis & sculpendis Iconibus mecum pariter impendistis, tum ob eam quæ mihi cum Patre vestro & Avo fuit arcta amicitia, vobis inquam permitto, vt hanc meam Observationum Petri Bellonij, & adjuncti huic libelli versionem, typis vestris excudatis ac evulgetis: nec alibi alius quispiam intra viginti annos, cupio, sive jubeo, sub pœnis & mulctis, quæ S. Cæsareæ Majestatis litteris mihi concessis continentur.*

Carolus Clusius A.

INDEX CAPITVM

quæ tribus Obſervationum PETRI BELLONII Libris continentur.

LIBRO PRIMO.

CAP. I. SINGVLOS *diverſis rationibus à natura in hac vita duci, nec omnium inſtituta ad eundem ſcopum tendere.* pag. 7

CAP. II. *Rerum appellationibus nimis fidendum non eſſe, tametſi vulgares ſint, niſi veterum deſcriptionibus reſpondeant, & rebus quæ deſcribuntur conveniant.* pag. 8

III. *Brevis ſingularium Cretæ narratio, & peculiaris Græcanicorum morum obſervatio.* pag. 10

IV. *Græcos qui exterorum Principum dominio ſubjecti ſunt, ad ipſorum Principum quibus parent, ritus & vivendi conſuetudinem ſeſe componere.* pag. 11

V. *Celebriorum inſulæ Cretæ locorum obſervatio.* pag. 12

VI. *Pſeudolabyrinthus Cretenſis, & rudera quarundam urbium ejus inſulæ.* pag. 14

VII. *Qua ratione Cretenſes Ladanum colligant.* pag. ead.

VIII. *Scarus piſcis in Cretæ litoribus admodum frequens, aliis tamen regionibus valde rarus.* pag. 15

IX. *Varij generis avium in Græcia obſervatarum Gallica nomina cum Veterum appellationibus collata.* pag. 16

X. *Multarum aliarum avium Græca nomina cum Gallicis appellationibus collata.* p. 17

XI. *Vetera & recentia, Gallica, Græcáque multarum aliarum avium nomina.* pag. 18

XII. *Inſecti cujuſdam Cretæ familiaris Phalangium nuncupati deſcriptio.* pag. 19

XIII. *Hirci feri quoddam genus Cretæ familiare, quod Galli Bouc-eſtain appellant.* p. 20

XIV. *Cretenſis aries Strepſiceros nominatus: diſceptatio præterea edocens quid ſit Unicornu.* pag. eadem.

XV. *De Cretenſi quodam lapide, cujus Solinus meminit, Dactylus Idæus nuncupato.* pag. 21

XVI. *Celſiſſimi totius Cretæ montis, qui Græcis vulgo Pſiloriti dicitur, Veteres Idam nominabant, deſcriptio: tum quæ plantæ in eo naſcantur.* pag. 22

XVII. *Rariorum arborum & herbarum quæ ſponte circa Idam montem in Creta naſcuntur, nomina:* colligendi cocci baphici ratio. *pag. eadem.*

XVIII. *Plurimarum aliarum ſtirpium in inſula Creta ſponte naſcentium brevis narratio.* pag. 24

XIX. *Cretenſe Malvaticum vinum, Pramnium dictum: illudque nuſquam alibi confici.* pag. 26

XX. *Veterum ſaltandi cum armis ratio, quam Pyrrhicam ſaltationem nominarunt.* pag. eadem.

XXI. *Quotquot mandatum ſive diploma liberi tranſitus à purpurato aliquo Bacha, vel à Turcarum Imperatore impetraverint, modò Turcico veſtitu incedant, ducemque itineris habeant, qui interpretis vice fungatur, tutò per omnes Turcæ provincias cõmeare poſſe.* pag. 27

XXII. *Turcas eandem dictionem ſuis characteribus multifariam exprimere.* pag. 28

XXIII. *Variarum ſpecierum Terræ ſigillatæ deſcriptio; atque de ſigillis ipſi impreſſis.* pag. eadem.

XXIV. *E Conſtantinopoli in Lemnon maris Ægæi inſulam, Italico ſermone Stalimene vulgo nuncupatam, profectio.* pag. 29

XXV. *Urbium & ruinarum Lemni inſulæ deſcriptio.* pag. 30

XXVI. *Stirpium in inſula Lemno vulgarium nomina.* pag. 31

XXVII. *Turcarum Satrapas ſuo more viventes, viliter & ſine deliciis epulari.* pag. 32

XXVIII. *Loci in Lemno, unde terra ſigillanda eruitur, deſcriptio.* pag. 33

XXIX. *Res viles & parvæ æſtimationis celebriores fieri ceremoniis; & exigui precij rebus auctoritatem conciliari, ſi ſuperſtitione nobilitentur.* pag. ead.

CAP.

CAP. XXX. *Piscium ad littus insulæ frequentium nomina.* pag.35

XXXI. *Chondrillæ gummi, aliáque singularia, tum serpentum qui in insula Lemno reperiuntur nomina.* pag.ead.

XXXII. *Ostrea quæ vulgo in Lemni insulæ littoribus capiuntur.* pag.36

XXXIII. *Calidarum aquarum in Lemno scaturigo, & Græcorum monachorum monasteria.* pag.37

XXXIV. *E Lemno in Thason insulam navigatio.* pag. ead.

XXXV. *Montis Athou descriptio, & res in eo memorabiles.* pag. eadem.

XXXVI. *Quinque vel sex nunc esse Caloierorum Græcorum in Atho monte degentium millia, hinc inde per monasteria sparsa.* pag. 39

XXXVII. *Omnia monasteria in monte Atho firma & munita esse adversus Piratarum incursiones, licet illis non admodùm iniqui aut molesti sint.* pag. eadem.

XXXVIII. *Montem Athou in eadem æstimatione apud Græcos esse, quâ Roma apud Latinos.* pag.40

XXXIX. *Monasteriorum nomina serie quadam enumerata, sumto ab iis initio quæ continenti sunt proxima.* pag. ead.

XL. *Cur plerique libri in Græcia perierint: de monasteriorum in monte Atho fundatione, atque summa in qua Græciæ Ecclesiastici versantur ignorantia.* pag.41

XLI. *Græcanicæ Ecclesiæ ceremoniæ.* pag.42

XLII. *Rariores montis Athou stirpes, sponte nullaque culturâ adhibitâ provenientes.* pag. eadem.

XLIII. *Ferarum arborum perpetuò virentium in montis Athou vallibus sponte provenientium nomina.* pag.43

XLIV. *Arborum & fruticum, quos in variis provinciis perpetuâ comâ virere observavimus, nomina.* pag. ead.

XLV. *Vicinorum locorum observatio, quæ ex summo montis Athou vertice conspici possunt.* pag.45

XLVI. *Montis Athou Caloieros sive monachos, mechanicas artes exercere.* pag.ead.

XLVII. *Cancri aquæ dulcis in montium rivulis versantes, à nostris fluviatilibus Cammaris, quos vulgo Cancros appellant, diversi.* pag.46.

XLVIII. *Portentosa vivendi inter Græcos sacris addictos ratio; quáque asperitate, superstitione & ceremoniis in cibo atque potu utantur.* pag.47

XLIX. *E monte Atho in Saloniki profectio; & rari pisces qui istîc capiuntur.* pag.ead.

L. *Auri & Argenti fodinæ Turcarum Imperatoris, atque de obrizi auri origine disceptatio.* pag.48

LI. *Qua ratione metallici aurum depurant ex quo Turcici Ducati cuduntur; unicúmque esse Ducatorum auri genus per universum Turcarum Imperatoris dominium.* pag.50

LII. *Unde fabulæ de aureo vellere originem sumserint: deque Perüano & Indico auro disceptatio.* pag.51

LIII. *Multarum aliarum rerum singularium in iisdem fodinis & circa ejus regionis montes observatarum descriptio.* pag.54

LIV. *Plurimorum ferorum animalium nomina.* pag.56

LV. *Profectio à Syderocapsa in Bucephala. De flumine Strymone, & piscibus qui in eo capiuntur.* pag.58

LVI. *Plurimarum antiquitatum & ruderum urbium Macedoniæ descriptio, atque de Philippis & Philippopoli.* pag.59

LVII. *Bucephalæ urbis, olim Chalastrea, nunc verò la Cavalla nuncupatæ descriptio.* pag.61.

LVIII. *Muros qui supra Cavallam adhuc supersunt, Macedoniam à Thracia dirimere.* pag. ead.

LIX. *Nulla apud Turcas esse diversoria, sed Nosocomia inveniri, ad quæ divertere liceat.* pag.62

LX. *Itineris quod è Cavalla Constantinopolim ducit, descriptio.* pag.63

LXI. *Cypsella vetustissimum Thraciæ oppidum; & aluminis conflandi ratio.* pag.64

LXII. *Regia via quæ olim Româ Constantinopolim ducebat.* pag.65

LXIII. *Marissa flumen, veteribus Hebrus dictum: & Turcarum expilationes seu rapinæ.* pag.ead.

LXIV. *Plurimas nationes certo anni tempore natale solum relinquere, deinde domum redire.* pag. 66

LXV. *Terebinthos arbores, gallarum quoddam genus producere, quæ apud Turcas magno in usu sunt.* pag.67

CAP. LXVI. *Turcas viatores admodum frugales esse.* pag.68

LXVII. *Turcas agilitate & industriâ reliquas nationes longè præcellere, in imponendis supra jumenta, deponendísve impedimentis.* pag.ead.

LXVIII. *Perinthus veteribus dicta, nunc Rodosto. & de Heraclea.* pag.69

LXIX. *Turcarum iter facientium insigne silentium & modestia.* pag.ead.

LXX. *Pera & Constantinopolis urbes.* pag.70

LXXI. *Ruinarum Nicomediæ, & rerum quæ istic nunc conspiciuntur descriptio.* pag.71

LXXII. *Orientales nationes libentiùs piscibus vesci quàm carnibus.* pag.ead.

LXXIII. *Piscationis in Propontide rationem magnum quæstum adferre.* pag.72

LXXIV. *Aliæ piscandi in Propontide rationes.* pag.ead.

LXXV. *Piscandi noctu ad lumen cum tridente ratio; & varij alij in Propontide pisces capiendi modi.* pag.74

LXXVI. *Vetusta monumenta, & alia singularia quæ Constantinopoli conspiciuntur.* pag.75

LIBRO SECVNDO.

CAP. I. PEREGRINATIONVM *quæ mari peraguntur, incertum tempus esse; atque de Constantinopolitano itinere in Alexandriam.* pag.78

II. *Veteres urbes ad Propontidis littus sitæ in Thracia: & Callipolis.* pag.79

III. *Bosphori Thracici, Castellorum Sesti & Abydi, atque ruderum Scamandriæ descriptio.* pag.80

IV. *Quæ apud Abydum observavimus.* pag.82

V. *Troiæ rudera è mari esse conspicua.* pag.eadem.

VI. *Ruderum Troiæ descriptio.* pag.ead.

VII. *Insula Lesbos, & Promontorium Sygæum.* pag.84

VIII. *Brevis descriptio eorum quæ in insula & urbe Chio observavimus: solàque in ea Insula Mastichen inveniri.* pag.85

IX. *Samos insula.* pag.86

X. *Disceptatio de piratis, eorumque definitio.* pag.87

XI. *Patmos Insula.* pag.88

XII. *Cos Insula Hippocratis patria.* pag.89

XIII. *Singularia quædam Rhodi observata.* pag.ead.

XIV. *Onocrotalus avis, Iaculus serpens: Turcicorum militum modestia.* pag.90

XV. *Profectio è Rhodo in Alexandriam.* pag.91

XVI. *Veteres navigationem sine pyxide nautica instituisse, & magnetis usum ignorasse.* pag.92

XVII. *Duo duntaxat esse magna Nili ostia quæ navigari queant, & majoribus sive onerariis navibus aditum præbeant.* pag.ead.

XVIII. *Brevis Constantinopolitani in Alexandriam itineris narratio.* pag.93

XIX. *Binæ Alexandriæ urbes, una in Ægypto, altera (quæ Romanorum erat Colonia) in Phrygia.* pag.ead.

XX. *Hyena veteribus nuncupata, nunc autem Civetta.* pag.94

XXI. *Plurima in Alexandria conspicienda: Obelisci, & magni Ægyptiorum colossi.* pag.95

XXII. *Ichneumonem hodierno adhuc tempore in multis ædibus cicurem adservari: & alterius Ichneumonis vespæ adversus Phalangium certamen.* pag.96

XXIII. *Turcarum Alexandriam incolentium mores; Divi Macarij solitudines, variáque alia in Alexandriâ res.* pag.97

XXIV. *Ex Alexandria in Cairum profectio.* pag.98

XXV. *Singularia quædam in Alexandriâ & Rosettâ reperta.* pag.ead.

XXVI. *Rosetta urbs ad Canopicum Nili ostium sita.* pag.99

XXVII. *De Nili piscatoribus.* pag.100

XXVIII. *Navigatio è Rosetta in Cairum: & multa secundum Nilum observanda.* pag.eadem.

XXIX. *Ægypti urbes & pagi ad Nili ripas siti ob aquæ commoditatem.* pag.101

XXX. *Nilum, si cum alio flumine comparare licet, Pado ferè similem esse.* pag.102

XXXI. *Singularia quædam de Ægypto & Ægyptiis.* pag.103

XXXII. *Plurimarum avium, atque aliorum*

rum animalium secundum Nilum observatorum descriptio. pag. ead.

CAP. XXXIII. *Navigiorum quorum in Nilo usus est, differentia, atque arborum quæ in Cairi hortis vulgariter aluntur, nomina.* pag. 105

XXXIV. *Plurimos hallucinatos esse, qui Chamæleones solo aëre victitare crediderunt.* pag. eadem.

XXXV. *Noster in Cairum appulsus; quid præterea istic viderimus.* pag. eadem.

XXXVI. *Cairi ædificia & horti: turris Nili incrementum designans, ex qua ejus anni fertilitas cognoscitur.* pag. 107

XXXVII. *Urbis Cairi, atque ejus arcis, descriptio.* pag. 108

XXXVIII. *Ingens aquæductus inter Babylonis rudera & urbem Cairum, per quem Nili aqua in arcem decurrit.* pag. 110

XXXIX. *Balsami descriptio.* pag. ead.

XL. *Arbores in Matereæ horto nascentes: & magnus Obeliscus erectus apud Cairum.* pag. 112

XLI. *Errones illos quos vulgo Ægyptios appellamus, perinde in Ægypto inveniri atque in aliis regionibus.* pag. 113

XLII. *Pyramidum observatio.* pag. ead.

XLIII. *Alterius Pyramidis observatio.* pag. 115

XLIV. *Tertia sive minor Ægyptiaca Pyramis.* pag. ead.

XLV. *Plurimæ aliæ in Ægypto Pyramides.* pag. 116

XLVI. *Ingens Colossus ab Herodoto Androsphinx nuncupatus, & à Plinio Sphinx, ante Pyramides excisus.* pag. ead.

XLVII. *Mumia, & vetus condiendorum sepeliendorumque corporum in Ægypto ratio.* pag. 117

XLVIII. *Lyra Ægyptiorum.* pag. 118

XLIX. *Gyraffa, quam Arabes Zurnapa, Græci & Latini Camelopardalin nominant.* pag. ead.

L. *Elegans & parvus Africanus Bos, quem veteres Græci Bubalum appellarunt.* pag. 119

LI. *Cervigenus Platyceroti simile, olim Axis nuncupatum: & Gazella veteribus Oryx dicta.* pag. 120

LII. *Varias gesticulationes in Cairo fieri: Simiæ genus Callitriches nuncupatum.* pag. 121

LIII. *Qualis sit eorum apparatus qui Cairo Mecham proficisci volunt.* pag. ead.

LIV. *Profectionis nostræ ex Cairo in montem Sinai descriptio: & de singulari carnis præparandæ ratione in eorum usum qui longum iter suscipiunt.* pag. ead.

LV. *Altissimi in Arabia deserta putei descriptio.* pag. 123

LVI. *Plantæ quæ arenosis circa Sues locis nascuntur.* pag. 123

LVII. *Duodecim amari fontes Mosis, quorum Plinius meminit.* pag. 124

LVIII. *Rubri maris sive Sinus Arabici canalis.* pag. ead.

LIX. *Rhamni frutex ad Sinus Arabici littus nascens.* pag. 125

LX. *Chamæleones, laniferæ, & variæ aliæ arbores, in Arabia nascentes.* pag. ead.

LXI. *Primus pagus quem, in montem Sinai tendentes, invenimus.* pag. 126

LXII. *Mons Sinai.* pag. ead.

LXIII. *Montis Oreb descriptio.* pag. 127

LXIV. *Aliud monasterium ad radices montis Oreb situm, & saxum ex quo aqua effluxit filiis Israël.* pag. ead.

LXV. *Loca sacra in Monte Sinai.* pag. 128

LXVI. *E Monte Sinai in Taurum iter.* pag. 129

LXVII. *Tauri oppidum & arx: tum singularia ad rubri maris littus observata* pag. ead.

LXVIII. *Naves & cymbæ rubri maris.* pag. 130

LXIX. *Itineris à Tauro in Cairum dietim confecti supputatio.* pag. 131

LXX. *Portus Sues ad Maris rubri littus.* pag. 132

LXXI. *Murrhina vasa in Cairo venalia; & de Nitro.* pag. 133

LXXII. *Succinum non esse fossile, ut plerique existimârunt, sed arboris gummi.* pag. 134

LXXIII. *Nostræ profectionis in Hierusalem apparatus.* pag. eadem.

LXXIV. *Ægyptiacus quidam frutex semper virens, qui rubro colore inficit.* pag. 135

LXXV. *Plurimi Ægypti pagi, secundum viam quæ Hierusalem ducit, siti.* pag. 136

LXXVI. *Admirabile difficileque iter inter Cairum & Hierusalem.* pag. eadem.

LXXVII. *Nitrum: Cancer quidam exiguus, mirandæ naturæ.* pag. 137

LXXVIII. *Arbores, aves, aliæque res singulares*

gulares in Palestina nascentes. pag. 138
LXXIX. Urbs Gaza. pag. 139
LXXX. Urbs Rama. pag. ead.
LXXXI. Hierusalem in montanis sita. pag. 140
LXXXII. Brevis itineris inter Cairum & Hierusalem supputatio. pag. ead.
LXXXIII. Succincta descriptio sacrorum locorum Hierusalem. pag. eadem.
LXXXIV. Divæ virginis sepulchrum in valle Iosaphat. pag. 141
LXXXV. Christi Domini nostri sepulchrum; & Hyerosolymæ rudera. pag. 142
LXXXVI. Desertum in quo tentatus fuit Christus; & Jordanis fluvius. pag. ead.
LXXXVII. Bethlehem & Ebron. pag. 144
LXXXVIII. Terrestre iter ab Hierosolyma Damascum: & quæ arbores spinosæ Hierosolymitano agro frequentes sunt. pag. 145
LXXXIX. Nazareth, ubi Divæ virgini annuntiavit Angelus, ipsam Christum parituram: & viri Arabis descriptio. pag. 146
XC. Lacus Genezareth, vel mare Tiberiadis. pag. ead.
XCI. Rerum in Damasco observandarum descriptio. pag. 147
XCII. Lustratio eorum qui turmatim ex Damasco discedunt, ut Mecham proficiscantur. pag. 149
XCIII. Damasci ædificia, aliáque singularia. pag. ead.
XCIV. Iter è Damasco in Libanum montem. pag. 150
XCV. Cæsareæ urbis, nunc Balbec appellatæ, antiquitates. pag. 151
XCVI. Antiquum manducandi semina Terebinthi morem etiamnum in Cilicia & Syria perdurare. pag. 152
XCVII. Hamous urbs, veteribus Emissa dicta. pag. ead.
XCVIII. Turcicæ cauponæ, in quibus conveniunt ad potionis genus bibendum Posca vel Zythum nominatum, à Cerevisia differens. pag. 153
XCIX. Urbs Tharsus D. Pauli patria. pag. eadem.
C. Ciliciæ plana, & cisternæ in terrâ reconditæ, quæ aquâ pluviâ implentur. pag. 154
CI. Ruinarum Marat descriptio. p. ead.
CII. Urbs Halep, antiquitus Berrhœa dicta: & Rhabarbarum atque Rhaponticum. pag. 155
CIII. Peculiaris platearum per ditionis Turcicæ pagos & oppida descriptio. pag. 156
CIV. Iter ex Halepo Antiochiam. pa. 157
CV. Antiochia urbs. pag. 158
CVI. Singularium rerum in Antiochia observatio. pag. ead.
CVII. Iter per summa Amani montis juga. pag. 159
CVIII. Asiaticum animal Adil nuncupatum, & urbs antiquitus Adana appellata. pag. 160.
CIX Apparatus peregrè profecturis idonei. pag. 161
CX. Ex Adana in Taurum montem profectio. pag. 162
CXI. Thermæ in monte Tauro, & urbs Heraclea. pag. 163
CXII. Ex Heraclea in Iconium profectio: de Capris delicatam illam lanam, ex qua undulatus pannus conficitur, ferentibus. pag. 164
CXIII. Urbs Iconium. pag. 165
CXIV. Turcarum aurifabri. pag. eadem.
CXV. Urbs Achara. 166

LIBRO TERTIO.

CAP. I. De origine Turcicarum legum peculiaris ratiocinatio. pag. 167
II Quâ astutiâ initio usus fuerit Mahumetes, ut rudem plebem ad suam legem pelliceret: & qui in hac re ipsi auxilio fuêre. pag. 168
III. Omnem Turcarum fidem in Alcorano à Mahumete condito contineri. pag. eadem.
IV. Diversæ sectæ inter Mahumetanos de ipsorum religione subortæ. pag. 169
V. Pœnarum Inferi formidinem Mahumetes Turcis incussit: & eorum sepultura. pag. 170
VI. Variæ aliæ nugæ & deliria à Mahumete de extremo Iudicio scripta. pag. ead.
VII. Amœna in paradisum profectio, quam Mahumetes noctu dormiens se confecisse nugatur: & insignia deliria quæ de Turcarum Paradiso refert. pag. 171
VIII. Cur Mahumetis lex Turcis permiserit, ut se cum feminei sexus mancipiis, cujuscunque

cunque tandem sint religionis, permiscere possint. pag. 173

IX. *Brevis, paradisi quem Mahumetes Turcis pollicitus est, narratio, quámque ridicula sint quæ de eo recenset.* pag. ead.

X. *Turcarum connubia: & cur illis data licentia quatuor simul uxores ducendi.* pag. 174

XI. *Liberos educandi apud Turcas ratio.* pag. 175.

XII. *Armenij, & plures aliæ nationes Christianæ sub Turcico dominio viventes.* pag. 176

XIII. *Iudæi per Turcicum dominium habitantes.* pag. ead.

XIV. *Negotiationes & fora Turcici Dominij.* pag. 178

XV. *Admiratione res maximè digna in Turcis, qui Opio vescuntur ut in bello sint animosiores.* pag. ead.

XVI. *Quibus signis soleant Turcæ suas amicas solicitare; & Turcicarum mulierum ornatus.* pag. 179

XVII. *Turcas, plures habere uxores, quæ sine rixa & zelotypia etiam cum concubinis & servis feminis vivunt.* pag. 180

XVIII. *Turcarum Imperatorem quinquies centena hominum millia faciliùs in aciem producere, & ducentarum triremium classem parare posse, quàm alium Principem centena millia.* pag. 181

XIX. *Securicula Turcis familiaris ad varias res pacis & belli tempore admodum commoda.* pag. 182

XX. *Turcas plurimas res ex antiquitate retinere.* pag. 183

XXI. *Turcarum monachi.* pag. ead.

XXII. *Nivis & glaciei per totam æstatem more Turcico conservandæ ratio.* pag. 184

XXIII. *Consuetudo Turcarum sese in altum impellendi.* pag. 185

XXIV. *Honorum apud Turcas distinctio, cúm ex barbæ gestatione, túm ex tiaræ varietate petita.* pag. ead.

XXV. *Plumarum ornamenta Turcis familiaria.* pag. ead.

XXVI. *Vehemens eorum exercitium qui Turcicum arcum intendere discunt.* pag. 186

XXVII. *Varius ciborum apparatus apud Turcas.* pag. ead.

XXVIII. *Turcarum circuncisio.* pag. 187

XXIX. *Mancipia suos heros cogere posse, optionem sumant, velintne pro ipsorum redemptione servitutis certum tempus præscribi, an aliquâ pecuniæ summâ pacisci.* pag. 188

XXX. *Turcarũ sacerdotes & scientiæ.* p. 189

XXXI. *Turcarum sacerdotes horologiorum vicem præstare, horarum spacia altâ voce ex summâ templorum turri proclamantes.* pa. 190

XXXII. *Itineris suscepti continuatio: & nonnulla de Turcarum moribus.* pag. ead.

XXXIII. *Nullas mulieres sub Turcico dominio viventes, cujuscunque tandem sint religionis, obscœnarum partium pilos novaculâ demetere, sed psilothro auferre.* pag. 191

XXXIV. *Turcicas feminas singularis esse formæ & munditiei.* pag. 192

XXXV. *Quâ ratione feminæ sincipitis capillos & supercilia, viri autem senes barbam nigro colore inficiant.* pag. 193

XXXVI. *Elegantis formæ secundum Græcos commendatio.* pag. 194

XXXVII. *Creditu difficilia esse, quæ Turcici circulatores in publico faciunt.* pag. ead.

XXXVIII. *Turcarum lucta.* pag. 195

XXXIX. *Turcas imperterritos esse funambulos.* pag. ead.

XL. *Turcarum canes, eorumque venatio.* pag. 196

XLI. *Stirpium in monte Olympo observatarum nomina.* pag. ead.

XLII. *Prusa urbs, quæ Turcarum Imperatorum Regia esse solebat.* pag. 197

XLIII. *Turcarum vestes elegantissimè esse concinnatas & consutas.* pag. ead.

XLIV. *Ephippiarij & sutores Turcici.* p. 198

XLV. *Fabri ferrarij Turcici.* pag. ead.

XLVI. *Turcici laniones: & lapides qui in bubulo felle inveniuntur.* pag. ead.

XLVII. *Arcuum Turcicorum nervi, & testudinum fides.* pag. 199

XLVIII. *Testudo cava, & concentus Turcarum.* pag. ead.

XLIX. *Turcas latrunculorum ludum adprimè callere, magnumque usum gummi tragacanthæ apud illos esse.* pag. 200

L. *Flores quibus Turcæ delectantur: eorum horti, & variarum rerum apud illos experimenta.* pag. 201

LI. *Stellæ animalibus per Thraciam noxiæ: tum quorundam animantium atque plantarum in Ponti littore collectarum, & in foro Cõstantinopolitano conspectarũ nomina.* p. 202

INDEX PROBLEMATUM

quæ in PETRI BELLONII Libello De neglecta Plantarum cultura, &c.

PROBL. I NVLLAM *temporis longitudinem esse prætexendam, quo minus ea quæ ad Reipub. commoda augenda pertinent, Silvestrium arborum culturâ procuremus.* pag. 211

II. *Quantam utilitatem consequi liceat ex Silvestrium arborum cicuratione, modò cultores laboris non pigeat.* pag. ead.

III. *Nec silvestrium, nec mitium & domesticarum arborum altitudinem certam posse constitui.* pag. 213

IV. *Quempiam idoneum fore ad magni alicujus Principis prædia colenda, qui ineptus esset ut tenuis fortunæ homini inserviret.* p. 214

V. *Tolerandum esse artificem, cujus opus venale non est, nisi Rebus publicis & Principibus.* pag. ead.

VI. *Hujus culturæ finis cùm magni sit momenti, fieri non posse, quin summa utilitas inde accedat.* pag. 216

VII. *Arborum satio, foliorum defluvij tempore facienda: & loci qui conserendus est, præparatio.* pag. 218

VIII. *Neque homines, neque solum, neque etiam animalia graviorem laborem tolerare posse, quàm iis naturæ leges constituerint.* pag. 219

IX. *Disceptatio, silvestrium arborum cicurationem comprobans.* pag. 220

X. *Quæ causa sit, cur neque in civium, neque Principum hortis, exoticæ plantæ vulgo conspiciantur.* pag. 222

XI. *Exempla diligentum Agricolarum, quibus probatur, quod virens supra terram conspicitur, quódque novo vere transplantatur, id omne vel locis incultis, vel domesticis semine natum esse.* pag. 223

XII. *Silvestrium & urbanarum arborum secundum earum altitudinem & magnitudinem nomina.* pag. 224

XIII. *Silvestrium arborum quas ali & cicurari posse demonstratum est, nomina.* p. 226

XIV. *Præcepta iis qui hac cicuratione in campestribus & planis uti volent, sive illa sint in Insulis, sive in mediterraneis, accommoda.* pag. 230

XV. *Ignorantiam & negligentiam Colonorum nostri temporis, argui ex scientia & diligentia veterum Agricolarum.* pag. 231

XVI. *Quo anni tempore paranda sint necessaria ad silvestrium arborũ culturam.* p. 232

XVII. *Non fore difficile, Cedros iis pares quæ in Cilicia & Syria nascuntur, atque alia pleraque arborum genera, etiam sine impendio educare, si quis id negocium suscepisset.* pag. 233

XVIII. *Si Galli nonnullis locis petrosa & confragosa arbustare vellent, multorum censum auctiorem futurum.* pag. 234

XIX. *Impedimenta in stirpium culturâ & earum cognitione occurrentia.* pag. 236

XX. *Admonitio ad Galliæ respublicas de opulentia & facultatibus quorundam externorum, qui suâ diligentiâ ex plantarum culturâ eas sibi compararunt.* pag. 238

XXI. *Seminum omnis generis arborum, quarum mentio facta est, adquirendi ratio, sine magno impendio.* pag. 241

XXII. *Insignis elegantia Florentini Ducis horti de Castello cognominati.* pag. 242

Illustrißimo

Illustrissimo ac Reverendissimo Domino

FRANCISCO CARDINALI A TVRNONE,

singulari atque liberali omnium virtutis studiosorum Mæcenati,

PETRVS BELLONIVS, EIVS HVMILIS DOMESTICVS CLIENS,

Salutem & prosperam valetudinem.



ON immeritò, Ill^me ac Reverend^me Domine, apud doctos viros, atque exteros nostræ Reipublicæ faventes, magnâ es in admiratione, cùm & Galli magnoperè æstiment tuum singulare iudicium, & laudibus efferant tuam prudentiam & virtutem: nam præ reliquis illustribus Præsulibus, unus singulari amore prosequutus es & honore affecisti politiores literas, atque literatos evexisti, & speciali quodam favore excitasti, ac eorum studia promovisti, dum bonæ spei pueros atque adolescentes deligis, quos ali atque in omnibus artibus erudiri curas, cùm in publicis Academiis, tum in tuis Turnonensibus Collegiis, aliisque quæ exstrui jussisti, & experientiâ doctrinaque claris viris egregiè instruxisti. Scientiæ & disciplinæ nunc nostris hominibus familiares & vulgares, meritò te Patronum appellant; quoniam dum gravissimum nostræ Reipub. onus sustines, volupe tibi fuit illas producere, & fecunda ingenia excitare atque promovere pro illorum meritis, hisque uti in iis rebus ad quas vel proclivia vel apta reperta sunt ut publicæ utilitati servirent. Hinc factum est, ut hominum ingenia, antea quodammodo somnolenta atque inveteratæ ignorantiæ somno torpentia, excitari, & è tenebris quibus tam diu sepulta fuerant, emergere cœperint, atque in ipsa pullulatione eduxerint in publicum omnia bonarum disciplinarum genera; quæ in ipso eo felici & optato exortu (haud secus ac novellæ plantæ, quæ fugatâ jam asperâ hiemis intemperie, Solis calore foventur, atque veris tempore recreantur) incomparabilem Mæcenatem, & adeò idoneum restauratorem nactæ, illico germinarunt, & suos turiones produxerunt: deinde ipsarum virgultis colore addito, caudicibusque novo virore intectis, ad gratum æstatis tempus pervenientes, singulæ elegantissimis flosculis sese exornârunt, atque tandem jucundissimos atque incomparabiles fructus produxerunt, quos singulæ certatim, tanquam census primitias, suo summo Ornatori, & gratissimo Soli, cujus benigno aspectu recreatæ fuerant, obtulerunt. Is autem erat Magnanimus, sapientissimus, & prudentissimus Rex FRANCISCVS hujus nominis primus, cui tanquam liberali Mæcenati hominum virtutis studiosorum, nemo fuit qui non omni ratione conaretur aliquod honestum munusculum offerre, præsertim verò fructus ex amœnissimo horto arboribus Minervæ selectissimo calamorum genere consitis frequenti decerptos, quos singulari affectu prosequebatur. Fuit etenim adeò benignæ & liberalis naturæ, ut nemo unquam sive peregrinus, sive in ipsius regno natus, quidquam quantumvis

etiam exile illi obtulerit, quod non humaniter exceperit, & quin donantem regio munere, & laudata mercede honorarit. Eam ob causam omnes istius tam insignibus virtutibus prædіti, atque incomparabilis Principis scientiarum parentis exemplum imitabantur: sic ut ejus Aula elegans quædam Academia, aut veterum Philosophorum schola, in qua omnis generis virtutum theoria & praxis doceretur, videri posset. Cùm igitur, Illustriss. Domine, te Musæ agnoscant præ cæteris ignorantiæ capitalem hostem, & probè norint quàm multæ scientiæ in tuo divino ingenio sint infusæ; communi consensu palmam tibi detulerunt, perspecta tui pectoris nobilitate; atque ex eo tempore te pro suo Præside delegerunt, summumque Phœbum constituerunt supra instrumentorum suorum Musicum concentum resonantium harmoniam, ut in hac excellenti Musica, elegans regium ipsius theatrum tua præsentia decoraretur: nam sciebant tibi adeò familiares esse Græcas ac Latinas literas, ut quoscunque Auctores legere tibi cupido incesserit, Theologos, Philosophos, Astrologos, Cosmographos, aut Historicos, illos ea lingua qua scripti sunt legas: in quibus scientiis & Græcanicis literis tanto magis excellis, quòd ab ineunte ætate plurimum ad eas ediscendas insudaveris, atque in iis eleganter instructus sis; tum etiam quòd nunc summa tua ista est voluptas, ut succisivas horas colloces in præstantissimorum veterum Auctorum lectione. Itaque hanc naturalem excellentiam divini tui ingenii ducem sequens, quæ naturalium rerum, quarum summus es admirator, contemplatione semper delectata est; postquam intellexisti magno me desiderio flagrare perveniendi ad materiæ medicæ stirpiumque cognitionem (quam tamen nisi longâ peregrinatione, minimè adipisci possem,) libuit tibi præcipere ut peregrinas regiones adirem, atque ipsa medicamenta locis natalibus requirerem: quam provinciam sine tuo auxilio suscipere nec potuissem nec ausus fuissem, cùm non ignorarem, omnem difficultatem in expensis quæ mihi faciendæ fuerunt, consistere. Absoluta igitur Dei beneficio, & vestra liberalitate, mea peregrinatione, quæ mihi non minus vtilis & amœna fuit quàm difficilis & laboriosa, atque quiete & ocio nunc tuâ benignitate fruens, inutiliter illud transigere nolui, sed nostro idiomate res memorabiles & singulares conscripsi, quemadmodum eas hinc inde observavi & selegi, atque dignæ visæ sunt ut scriptis traderentur, quo tibi constaret, me non prorsus irritam tuam spem fecisse: tum etiam ut nostri homines, qui norunt quantum Reipubl. utilitas tibi cordi sit, nonnullos hujus meæ peregrinationis, cujus auctor fuisti, fructus carpere queant. tanto enim magis commendabilis utilitas censetur, quanto pluribus communis est. Nostra vulgari Gallica lingua has Observationes conscripsi, atque summa qua potui fidelitate in tres libros contraxi, nullo affectato aut ornato dicendi genere usus, sed vulgari duntaxat, res ipsas nudas exponens uti eas in exteris prouinciis observavi, tribuens singulis Gallicam suam appellationem, quantum mihi licuit vulgare nomen illis adaptare. Quarum rerum notitia non minùs forsitan vtilis & jucunda erit, quàm veterum abusus, ex rerum, quarum veritatem detexi, ignoratione procedens, periculosus & perniciosus fuit. Liberum porrò esse mihi existimans meas disceptationes ulteriùs promovendi, peculiares locorum quæ memorabilia mihi visa sunt, topographias adiicere volui, illas, quantum fieri potuit, ad vivum exprimens, & Lectoris oculis subiiciens, uti eas ipse conspexi. Ago præterea de moribus & vitæ ratione, quibus nunc temporis Turcæ, Iudæi, & Græci utuntur. Quem meum tenuem & immaturum

adhuc

adhuc fœtum tibi exhibere non sum veritus; non quòd hoc levidensi munere meam fidem, quæ tibi obstricta est, liberari posse cogitem; sed quòd, Deo juvante, sperem (quandoquidem nostro maximè magnanimo felicissimoque & clementissimo Regi in alumnorum suorum numero me habere, atque benignitati & liberalitati Domini Cancellarij Francisci Oliverii facultates suppeditare ad mea studia alenda placuit) brevi te conspectu-rum aliam meam elucubrationem; Dioscoridis scilicet versionem in nostram linguam, atque in ipsum Commentarios; quo ex parte satisfaciam tuo nunquam satis laudato desiderio, quod circa exoticarum stirpium quas per Europam, Asiam, & Africæ partem observavi, tum etiam Avium, Serpentum, Piscium, aliorumque terrestrium animalium, quæ terra & mari, atque in ipsis portubus in Oriente conspexi, cognitionem versatur. Ceterùm in toto hoc opere nihil propono, quod ipse priùs non viderim; ut cùm ex mandati tui præscripto, omnia ad vivum, ita ut natura produxit, expressero, singuli sibi persuadere & certi esse possint, se vera legere. Quod reliquum est, Ill[me] ac Reverend[me] Domine, ab omnium rerum Conditore tibi omnia prospera ardentissimis votis opto.

E tuis ædibus Divi Germani ad prata,
Parisiensi suburbano. 1553.

PRÆFATIO.

Q VEMADMODVM *homines corpore & anima constant; similiter eorum conatus & actiones aliæ corporis, aliæ ingenij naturam sequuntur: & si corporis atque ingenij actiones excellunt; ita etiam sunt perennes. Nam ut homines ad gloriam & laudem concupiscendam natura proclives sunt; sic ut eam adipisci queant, diversas rationes ineunt, nonnulli corporis viribus, alii vivacitate ingenii. Herculis vires omnibus historiis sunt decantatæ. Alexander & Pompeius Magni cognomen adepti sunt, & Cæsar strenui & audacis: At Plato, Aristoteles, & alii Philosophi rerum contemplatione gaudentes, ingenii subtilitate & summâ eruditione nomen sibi compararunt. Alii similiter honestâ spe freti, diversis periculis sese exponere non dubitantes, cùm nimirum ingenij facultatibus laudem sibi quærere, longè magis rationi consonum censerent, immortale nomen adepti sunt. Quod Democriti testimonio probare possumus, qui, cùm artes discendi, hoc est, earum usum non minùs quàm theoriam perdiscendi, præsertim Astronomiæ & Geometriæ summo desiderio flagraret; suam hæreditatem fratribus vendidit, ut iis pecuniis longinquas per Ægyptum, Indiam, & Chaldæam peregrinationes obire, & ad Gymnosophistas pervenire posset, deinde Athenas reverti cum magna nominis gloria, & istic ob doctrinam in precio esse. Plerique alij celebres facti sunt levem admodum ob causam, attamen plurimum publicæ utilitati contulerunt. Imò multi Reges ob imposita nonnullis stirpibus sua nomina, & aliarum rerum inventionem, immortale sibi nomen compararunt. Mithridates, Ponti & multarum aliarum Provinciarum Rex, licet multas variis bellis victorias obtinuisset, & viginti duas linguas calleret, quibus suos subditos & audiebat, & illis responsa dabat, nónne celebrior & illustrior factus est ob unius medicamenti ab ipso denominati compositionem, quàm ob opes vel regnorum amplitudinem? Quamdiu terra Centaurium producet, Chironis centauri, qui Æsculapii præceptor fuit, nomen, hominum memoriæ insculptum hærebit. An non Gentiana Illyriorum Regem Gentium celebriorem reddidit, quàm omnes ejus opes? Lysimachus Macedoniæ Rex, & Eupator Thraciæ, nónne ex plantis immortale nomen adepti sunt? An non Iubæ Mauritaniæ Regi, Achilli Græco, Teucro, Clymeno Regi,*

& plurimis aliis Principibus viris, ob indita certis herbis sua nomina, æterna nominis memoria parta est? Plurimi deinde alii omnes difficultates superare conantes, simili desiderio longinquas peregrinationes susceperunt, quibus nec naufragii per periculosa maria metus, nec typhonum naves quatientium & confringentium tempestates, aut crudelium piratarum libertatem hominibus adimentium formido, nec asperarum rupium periculosus conscensus, neque summi solis ardores, neque extremi frigoris intemperies, neque noctes nimbis obscuræ, neque horrenda fulgura & tonitrua, neque inhabitatarum solitudinum ob ferorum animantium occursum, periculosi accessus, ardorem generoso illorum pectore conceptum extinguere potuerunt, quin finem suis votis imponerent. Ulysses ob eam causam sapientior & prudentior reliquis Principibus habitus est, cùm quòd multorum hominum mores observasset, tùm quòd varias urbes & exteras provincias lustrasset. Herodotus, Diodorus, Strabo, Arrianus, & plerique alii veteres, longinquas suas peregrinationes scripto tradiderunt, è quibus homines summa beneficia hauserunt; quandoquidem omnes illorum labores in posteritatis solamen & quietem cedunt. Nam in otio & securitate viventes, sine periculorum & incommodorum formidine, historiam legimus plurimarum rerum, immensis aliorum laboribus & ingentibus calamitatibus partarum cognitionem nobis adferentem. Porrò cùm singulares quæque res ex plantis, animalibus, & fodinis desumptæ, magna ex parte peregrinationum beneficio ad nos perveniant; sine quibus difficile est, immo impossibile, donorum & divitiarum ab exteris provinciis petitarum quempiam participem fieri: eas locis quibus sponte nascuntur investigare decrevimus. Quoniam verò illarum notitia difficilis futura nobis fuisset, earum effigies primùm è majorum nostrorum monumentis petere voluimus, ut ipsarum ideâ nostræ memoriæ infixâ, tum demùm illas in exteris regionibus investigandi provinciam suscipere auderemus, nullam inde nostrorum laborum compensationem sperantes, quàm ut eas vigentes contemplaremur. Cùm igitur spontaneum desideriũ nos eò impelleret, ut eas cùm in montibus & convallibus, tum in campestribus & umbrosis silvis per varias Orbis regiones perquireremus; nostrum institutum non fuit planè frustraneum. Nam eas investigando & agnoscendo, pleraque alia insuper sese nobis obtulerunt in Asia & Græcia, digna quæ nostræ nationis hominibus communicarentur; quæ observare & breviter scripto comprehendere libuit. Nam si integram rerum quarum nomina subiiciemus, historiam conscripsissemus, nimiâ prolixitate lectorem offendere potuissemus. Eas porrò Observationes tribus libris comprehendere animus: quorum primus singularia quædam Athou montis, Lemni insulæ, & alia plurima Græciæ complectitur: alter ruinarum Ilii & aliarum multarum illustrium in Asia urbium descriptionem continet; cui adiicimus profectionem marino itinere à Constantinopoli Alexandriam, inde in Cairum, atque ad montem Sinai, deinde in Hierusalem, & demum Byzantium usque: tertius mores & rationem qua nunc Turcæ vivunt docet, prout in meditullio Turciæ hærentes, descripsimus. Atque ne Lector ignoret quo tempore has Observationes conscripserimus, profectionem vivo Rege Francisco I, anno 1546. suscepisse, & anno 1549. rediisse sciat: itaque tota peregrinatio triennio absoluta est. Quod superest, cogitanti mihi, homines in dies fieri doctiores, aliosque aliis præcellere, quidquid scribimus, si à nostra duntaxat auctoritate pendeat, non admodum æstimari; decere existimavimus, probatorum Auctorum testimonia nonnunquam adducere, ut nostris scriptis auctoritatem in posterum conciliemus.

PETRI BELLONII CENOMANI

Singularium & memorabilium Rerum, per varias exteráſque Regiones obſervatarum,

LIBER PRIMVS.

Singulos diverſis rationibus à natura in hac vita duci, nec omnium inſtituta ad eundem ſcopum tendere.

CAPVT PRIMVM.



AMETSI res memorabiles & ſingulares exterarum Regionum, veluti eas obſervavimus, hoc libro deſcribere conſtituerimus; alios tamen qui meliora præſtare poterunt hoc prætextu excludere nolumus, quinimo ad rem capeſſendam eos excitare animus eſt. Et licet pleriq. veteres & recentiores, ante nos ſimilia in ſuis hodœporicis & navigationibus deſcripſerint; quia tamen omnia, quæ hîc traduntur, obſervavimus, ea in publicum emittere non ſumus veriti, aliorum calumnias contemnentes. Nam ſi quis noſtra cum illorum ſcriptis contulerit, certi ſumus non poſſe nobis meritò obiici, ab altero quidpiam mutuatos eſſe, licet probatorum veterum auctorum auxilio nonnunquam uſi ſimus, in exprimendis animalium, ſtirpium, aliarumq́; ſimilium rerum propriis nominibus, addita noſtra vulgari Gallica appellatione. Quia verò ejuſcemodi res anteà nec examini ſubjectæ, nec noſtrâ linguâ redditæ, nec cum veterum Auctorum ſcriptis collatæ fuerunt, tanto difficilior laboriſque plena fuit ea provincia. Qui longinquam peregrinationem privati commodi gratia in exteras regiones ſuſcipiunt, plerumque in neceſſariarum rerum inquiſitionem magis incumbunt, ut ſuis votis ſatisfaciant, quàm in aliarum ipſis incognitarum obſervatione tempus terant: ut ex mercatorum negotiatione manifeſtum eſt, qui, licet in Indiam & Novum orbem commeent, attamen quia illorum unicus ſcopus eſt, ut pecunias in mercium coëmptione bene collocent, multas res ſingulares, quas diligens & curioſus quiſpiam obſervare poſſet, conquirere negligunt: excuſationem in promptu habentes, ſimiles res illis utiles non eſſe: huc accedit hominum ingenia & affectus adeò inter ſe differre, ut ſi plures, ejuſdem etiam itineris comites, per eandem provinciam ſimul proficiſcantur, vix bini reperiantur, qui ad eandem rem obſervandam animum applicent: contrà hic illud adnotabit, alius aliud: adde neminem adeò eſſe diligentem, qui ſingula minutim & exquiſitè expendere poſſit: attamen res memorabiles attentè conſiderari debent, antè quàm certi quidpiam de illis ſtatuatur: neceſſe eſt enim ut notæ à veteribus proditæ cum rebus quæ deſcribuntur conveniant. Si porrò de iis rebus, quæ apud viciniores nobis provincias inventæ ſunt, tanquam apud nos natis, agere noluimus, id non ſine ratione factum eſt: nam de rebus exteris commentari magis libuit, quoniam mirus affectus nos ſtimulavit ut longinquas peregrinationes ſuſciperemus. Cùm igitur apud Græcos & Turcas perveniſſemus, omnia diligenter ſcribere cepimus: nam comperimus ea, in quorum diſquiſitione eramus, & quorum, niſi iſtîc, notitiam minimè conſequi potuiſſemus, ſua etiamnum retinere apud illos nomina, quemadmodum à veteribus Autoribus tradita fuiſſe ex illorum monumentis intelligimus. Sed quoniam plurimas res in noſtro uſu admodum vulgares conſpicimus, quarum appellatio adeò communis eſt, ut nemo ſit (ne mulieres quidem) qui aſſerere non dubitet, eas eſſe quarum nomen referunt, tametſi falsò illis attribuitur; hoc loco demonſtrare non dubitavimus, magnum errorem committi in multarum rerum admodum trivialium nomenclatura.

Rerum appellationibus nimis fidendum non esse, tametsi vulgares sint, nisi veterum descriptionibus ad amussim respondeant, & rebus quæ describuntur conveniant.

CAPUT II.

MULTAS vulgares stirpes, & cognita animalia exempli gratia proponemus, ut vulgaria nomina falsò illis esse imposita demonstremus: quod fortassis non fiet sine quorundam offensione. Si quis tamen graviùs feret, nobis id indicet, illi, ut decet, respondere conabimur. Nos igitur asserere non dubitamus, Gallos, & magnam eorum qui Romanæ ecclesiæ obsequuntur partem, hactenus Thymi plantam ignorasse: quandoquidem ea quæ in hortis nostris colitur, neque thymus est, neque ejus species, sed Serpilli genus. Hyssopus præterea atque Satureia, quæ nobis vulgari in usu, non sunt eæ, quibus veteres Græci in medicamentis utebantur. Itaque dicimus, nisi res quas propriis nominibus exprimimus cum veterum jam dictorum descriptionibus quadrent, concludendum necessariò, eas quas ipsi intellexerunt non esse. Exemplo sit noster Thymus, cujus nomen omnibus adeò notum est, ut nemo, cujuscumque etiam conditionis sit, Thymum appellare non norit; & tamen ea appellatio perperam illi donata est. Nam ei plantæ quam Thymum nuncupamus, hoc nomen convenire non potest; at alteri quæ vulgariter in Græcia nascitur. Et necesse est, herbam, quæ Thymi nomen obtinere debet (ut ex Theophrasto & Dioscoride patet) capitulis acuminatis, & secundum pediculum angustis, onustam esse, ut sunt Stœchadis capita illis comparata: ad quorum etiam similitudinem, pensiles verrucæ, nonnullis in naso & in inguinibus succrescentes, θύμια à Græcis teste Celso fuere appellatæ. At herba quam Thymum nuncupamus, eas notas non habet, propterea Thymi nomen illi convenire nequit, è quo videlicet apud Athenas monte Hymetto, & in Sicilia monte Hybla apes præstantissimum mel colligebant, Auctoribus eam ob causam Atticum & Hyblæum cognominatum. Simili de causa, illa planta, vulgo Thymus dicta, in Galliæ Narbonensis atque Provinciæ solitudinibus abundanter sponte nascens, hortensique similis (cùm prædictis notis careat) legitimus Thymus esse non potest. Verus autem Thymus per universam Græciam adeò frequens est, ut montes vix alia herba virescant; & istic libentissimè sponte nascitur, floresque profert pro soli, quod obsedit, ratione, ut interdum toti nivei sint, nonnunquam toti cærulei aut purpurei, aliquando utroque colore mixti. Sed quoniam in nostris hortis nondum colimus, nobis idcirco incognitus est. Ut verò Thymus pensilibus verrucis nomen dedit, sic etiam pisci cuidam in Athesi fluvio, veteribus Thymus vel Thymalus appellato, quem *Ludæ* apud Insubres incolæ *Themero*, vel *Themalo* appellant.

Ad Satureiam quod attinet, Græcis θύμβραν appellatam, vulgo autem *Tribi*; ut id nomen obtinere possit, spicis onusta esse debet, sic enim scribit Dioscorides. At quoniam in nostra hortensi nullas spicas conspicimus, fateri oportet, minimè eam esse quâ Veteres in medicamentis usi sunt. Haud negamus, quin, quam in hortis colimus, eadem sit quæ ab omni vetustate in cibos recepta fuit, atque ideò culinis dedicata. Sed quæ medicamentis admiscebatur, nobis incognita est: quia illâ caremus, licet per universam Græciam silvestris sit & vulgaris notitiæ.

Idem censendum est de Hyssopo, quæ duorum est generum: unum campestre, omnibus orientalium regionum locis indifferenter nascens, cùm in collibus, tum secundum vias in Cilicia, Thracia, Phrygia, aliisque plurimis regionibus: alterum hortense, nobis cognitum, & in hortis cultum, sed plurimum à silvestri differens, è quo Græci olim sua medicamenta confecerunt.

Harum stirpium admodum vulgarium & omnibus cognitarum exempla in medium protulimus, ut omnes intelligant, nos non adeò fidisse perpetuò vulgaribus appellationibus, quas provinciarum incolæ nos docebant, res quas describere volebamus exprimendo, quin priùs eas diligenter perpenderemus: alioqui sæpe decepti fuissemus. Nam quemadmodum vulgus Gallorum hanc vocem *Plane* exprimens, multis ansam præbuit ut Platanum esse cogitarent, cùm tamen Aceris sit species: sic apud alias nationes contingere potest. Et licet ne unica quidem Platanus, cultis locis, sive incultis, per universam Galliam nascatur: omnibus tamen communis appellatio imponit; imò viri docti, & alii non postremæ auctoritatis, conspicientes nostri *Plane* folium vitigineo simile, quale Platano ejus descriptio tribuit, ex unica nota *Plane* esse Platanum statuerunt, cùm tamen fallantur: nam Platanus rotundas pilulas fert, Xanthii fructui similes, cui Dioscorides eas comparavit,

nucis

nucis magnitudine, & racematim dependent: quas *Plane* non habet, sed femina alato huic instrumento quo aucupes revocare falcones solent, paria. Et ut experientia comprobemus nos in universa Gallia Platanum minimè habere, ejus iconem ad vivum expressam hîc subjecimus.



Ea item planta quam Iovis barbam nuncupamus, hactenus pro Sempervivo habita est, cùm tamen minimè sit: nam Sempervivum copiosè nascens conspeximus in Creta, Corcyra, & Zacintho, arbusculæ in modum, cubitum, atque etiam binos altæ, caule pollicaris crassitudinis, extrema parte foliis eum undique cingentibus onusto; omnino Dioscoridis descriptioni respondens. Itaque mirum est eos qui similium rerum descriptiones & effigies exhibent, non animadvertisse: nam quam recentiores pro Iovis barba pingunt, Veterum Cotyledon altera est.

Idem accidit Moro albæ, atque cuidam alteri arbori ex Aceris generibus, quas multi communi consensu Sycomorum esse dixerunt. Et tamen Sycomorus adeò rara est, ut nec domestica nec silvestris in Græcia aut Italia sit conspecta. Nónne igitur difficile sit, nascentem in Gallia videre?

Idem dicimus de avibus, serpentibus, aliisque terrestribus animalibus: de fodinis, lapidibus, & metallicis. Nostra Carduelis quæ à carduo nomen sumpsit, Græcorum Acanthis censeri posset, attamen acanthis carduelis non est. Ita si vulgus Gallorum quosdam serpentes appellat Aspides, non sine errore hoc fit; etenim nullæ in Gallia reperiuntur; uti neque murenæ, quas vulgus Lampetras esse æstimat, neque fluviatiles cancri; quæ appellatio ineptè nostris *escrevisses* indita est. Sic singuli existimant Salpetræ esse Nitrum; sed erroneam esse eam opinionem, libello cui titulum fecimus *De medicato funere*, probavimus. Et quemadmodum falsa nomina indimus nonnullis rebus nobis vulgaribus; sic etiam nonnullas habemus admodum communes, quarum appellationem legitimam ignoramus. Nullus est rusticus, qui in Gasconia Salamandram *Myrtil* nominare non norit, apud Allobroges sive Sabaudos *Pluvine* (nam pluvio tempore conspicitur) apud Cenomanos *Sourd* (surda enim esse videtur) & tamen Salamandram esse omnes ignorant. Itaque in rebus exprimendis fides non est adhibenda vulgaribus provinciarum appellationibus, ante quàm Auctorum scripta collata & exactè perpensa fuerint. Horum autem exemplorum productione, ignotarum rerum veritatem ex iis quæ probè cognitæ sunt, perquirendam esse, dicere volumus. At quemadmodum homines generosi & bene nati infamiam obiicere soliti, his qui sese efferunt quòd nobili stemmate sint nati, cùm tamen ignobilia facinora perpetrent, vulgari proverbio dicunt, nullam affinitatem esse inter villanum & nobilem virum: Eadem ratione dicemus nullam esse comparationem inter solidæ eruditionis virum & ignarum; quemadmodum nec inter eum qui liberalis est ingenii, & invidum. Sic quorundam malè feriatorum & morosorum hominum calumnias repellemus, à quibus nihil unquam prodiit, unde docti nomen mereri queant: ut qui inter eos maximè mihi nocere conatus est, crassum animal esse deprehendatur, quòd nostram diligentiam & exactam disquisitionem adeò damnârit. Is veterem consuetudinem obiiciebat, inquiens nostros majores feliciter vitam traduxisse, licet has nugas minimè necessarias neglexissent:

glexiſſent: itaque quemadmodum illi his abſtinuerunt, & ſine illis ſalubriter vixerunt, atque ſuas ægritudines curârunt: nos etiam illorum veſtigiis inſiſtere poſſe : talia enim relinqui debere iis qui ocio abundant, aut his qui res nimiâ potiùs curioſitate, quàm utilitatis gratiâ perquirunt. Huic aſino reſponſum volumus, priſci ſeculi homines antè quàm ratio conficiendi panem inuenta eſſet, ſanos vixiſſe, atque à morbis curatos eſſe, tametſi glandibus dumtaxat veſcerentur, ut Arcades. Cuperemus igitur tales ignari, veteri conſuetudine, ſola glande veſcerentur, aut ſolis ficis ut Athenienſes, vel ſolis agreſtibus piris ut Tyrinthii, canníſve aut arundinibus quemadmodum Indi, vel palmulis ut Carmanni, vel milio ut Sarmatæ, vel Terebinthi granis uti Perſæ: nobis autem frumentaceum panem relinquerent, quandoquidem illius inventores damnant tanquam nimium curioſos. Cuperemus ſimiliter, ut architecturam contemnentes, tanquam rem curioſam, & qua etiam veteres caruerunt, ſuis ædibus relictis in antra & ſilvas habitatum concederent. Quòd ſi his nequaquam ſibi ſatisfactum eſſe autumant, eâdem operâ Ariſtotelis curioſitatem damnent, qui animalium differentias nos edocens, non ſatis exiſtimavit exteriores notas deſcribere, ſed factis ſingulorum diſſectionibus, ſerpentum coſtas obſervare, piſcium & auium inteſtina, atque reliquorum animalium interiores corporis partes enumerare voluit. Sed nec Hippocrates nec Galenus ſuorum majorum placitis fuere contenti. Tales ergo ignari oculos de induſtria ſibi perſtrinxerunt, ut nobis ridendi materiam præberent: de quorum vita, fabula componi poſſet ſingulis horis exhibenda: nam aulicorum more ignorare volunt, quæcunque nec videre nec ſcire cupiunt: cùm tamen vſu & ætate omnia ad publicam vtilitatem immutentur & meliora fiant. Nam qui homines ſunt, vitam ſuam prout natura eos docet inſtituere norunt, deteriora relinquentes, & optima ob ſuum commodum amplectentes, ſic ut è ſilveſtribus & campeſtribus urbani & cicures facti, in contrarium planè ſuos affectus mutârint: unde prudentiores ſingulariter ſeſe oblectantes in rerum naturalium perquiſitione, certique eſſe cupientes de legitimarum perfectione, in hoc toti incubuerunt ut verum à falſo diſcernerent: ſi quis enim artificio gemmam aut metallum, aut aliud quid ſimile tam exactè imitari norit, ut legitimum non modò formâ ſed etiam aliis qualitatibus referat: ingenii tamen perſpicacioris acumen in eo non conſiſtit, ſed contemplari, experiri & perpendere non deſinit, donec falſúmne & adulterinum, an verò legitimum & verum ſit, intelligat. Et ob id factum, nemo eſt qui meritò reprehendere aut accuſare poſſit, aut illi curioſitatem utilitatis expertem obiicere. Itaque concludere poſſumus, ignarum nobis inutilem & minimè neceſſariam curioſitatem meritò obiicere non poſſe. Sed prætermiſſis eorum levibus & ocioſis cavillationibus, & ad intermiſſam de exterarum regionum ſingularibus rebus narrationem redeuntes, præter inſtitutum non fore exiſtimavimus, ſi antè quàm Turcarum res adgrediamur, nonnihil quaſi curſim agamus de Creta inſula, quæ nunc Candia vocatur, quandoquidem una eſt ex noſtræ peregrinationis ſtationibus, in qua diutius hæſimus.

* *Legitimum thymum in Bœtica Hiſpaniæ provincia, circa Hiſpalim præſertim, frequentiſſimum. Sedum majus Olyſipone & vicinis locis. Murena in Galliæ Narbonenſis maritimis.*

Brevis ſingularium Cretæ narratio, & peculiaris Græcanicorum morum obſervatio.

CAPVT III.

OMNIVM artium & diſciplinarum inventores quorum memoriam hodie colimus, magna ex parte ex Græcia oriundi fuere, quæ (ut fortuna permittente res ſubitò immutantur) ex divite & opulenta, qualis olim fuit, viriſque in omni diſciplinarum genere excellentibus abundante, & ob virtutem, magnæ orbis parti imperante, in eum ſtatum nunc redacta eſt, ut ne unicum quidem pedis veſtigium retinuerit, quod vel tributario Turcarum jugo, vel Venetorum ſervitute non ſit oppreſſum. Turca maximam ejus partem obtinet cùm in continenti tum in mari. Quod Venetis ceſſit, in mari eſt. Græci Venetis ſubjecti, paulo meliore conditione ſunt, ad religionem quod attinet, quàm qui Turcæ tributarii: & utrorumque factâ comparatione, comperimus eos qui Turcæ ſubſunt, Turcorum moribus & conſuetudine vivere, quemadmodum qui Venetis parent, Venetorum mores imitantur. Tam inſignis apud utroſque regnat barbaries, ut nulla apud eos urbs inveniatur in qua ſit academia: nemo eſt etiam qui ſuos liberos artes liberales aut literas edoceri curet. Omnes promiſcuè idiomate loquuntur ex veteri corrupto: ſed alii aliis ornatiore: eorum tamen vocabula majorem habent affinitatem cum legitimo

Græco idiomate, quàm Italicæ voces cum Latinis. Urbium quæ Venetis subsunt incolæ, Italicam linguam perinde callent atque Græcam: at rustici, sola Græca utuntur. Græcorum qui Turcæ dominio subsunt, eadem est ratio: nam qui majores urbes incolunt, Turcicè & Græcè loquuntur: rustici verò, duntaxat Græcè. Græci rerum proprias nomenclaturas adhuc retinent, præterquam iis locis ad quæ exteræ nationes frequentiùs commeârunt; ac multo magis in urbibus maritimis, quàm mediterraneis. Nam quum jam diu cum exteris, tum Turcis tum Italis commercia exercuerint, dictiones ab iis mutuati sunt, quas cum vulgari sua lingua commiscuerunt: quod verum esse probabimus, dum plurimos pisces, qui passim circa Cretensis insulæ litora capiuntur, nominabimus. Nam piscis qui veteribus Sphyræna dicebatur, quemque Smyrnæ & Lesbi incolæ *Sphyrna* nominant, Massilienses verò, quòd gubernaculi clavo similis sit, *Pes escome*, vulgari Græca lingua, ad Italorum imitationem à Cretensibus *Luczo marino*, hoc est, Lucius marinus appellatur: idque ad differentiam veterum Aselli, ab illis nunc *Gaidero psaro* nuncupati. Similiter Græciæ provinciæ Turcæ subjectæ, veteribus Græcis nominibus immutatis, nova Turcica receperunt. Exempli gratia piscem proponamus, quem Barbum vocamus, cuique antiquitus Mystus nomen fuit, eum nunc *Mustachato*, dictione partim Italica partim Turcica appellant, quoniam mystaces habet. Carpam nominantes, quæ Cyprinus ab eis nuncupari solebat, *Sasanbaluk* nunc appellant. Idem etiam Turcæ fecerunt, à Græcis multa vocabula mutuantes, ut res quas in Græcia invenerunt, exprimerent, quarum neque appellationes neque notitiam habebant: nam peculiares quosdam Græciæ pisces nominantes, sua lingua *Glanos baluk*, & *Chella baluk*, hoc est Glanin piscem, & Anguillam piscem dicunt: *baluk* etenim illorum lingua piscem significat. Sed illud mirum videri non debet: nam exteri ad ea loca pervenientes, in quibus aliquid inveniunt, cujus proprium nomen sua lingua exprimere nequeunt, cùm nova vocabula effingendi auctoritas illis desit, ab inquilinis nomina mutuari possunt. Quemadmodum facere solemus in animalibus & aromatis quæ ex Indiis adferuntur, quæ nominibus, ipsis apud suos inditis appellare consuevimus: ut ex parvo animali constat ex Bresilia delato, & *Tatou* nuncupato, erinacei fortè generis, veteribus ignoto: sed à nonnullis qui ejus exuvium fœno suffultum (duro etenim corio integitur) viderunt, Ichneumon credito. Erronea tamen ea est opinio, quandoquidem hoc animalculum cum Ichneumonis natura nihil commune habet. Nónne ipsimet Galli quasdam voces ab Arabibus mutuati sunt? Nam veterum Cedriam *Cotran* vel *Catran* dictione Arabica nominant. Nullus est navium aut lemborum architectus, qui eam ignoret, atque picandis stipandisque navibus utilem esse nesciat. Nullus est ferramentarius, qui eam in sua officina venalem non habeat. Et licet Græci non perinde constanter eandem rerum appellationem in una regione servent, quemadmodum in alia, plurimum tamen ad veterum dictiones accedunt, præsertim in rebus quæ propria habent nomina.

Græcos qui exterorum Principum dominio subiecti sunt, ad ipsorum Principum quibus parent, ritus & vivendi consuetudinem sese componere.

CAP. IV.

SCIENDUM est præterea omnes Græcos eadem vulgari lingua non uti: nam in una provincia purior ea est, quàm in alia. Et quia accentus in omnibus non conveniunt, pueros Peræ Constantinopolitanæ urbi contiguæ incolas sæpiùs audire meminimus advenarum idioma ridentes: imò ipsi etiam viri sese mutuò rident, quemadmodum Galli Picardicam linguam, aut aliam quæ pura Gallica non sit, imitantes.

Hominum Græcanico modo viventium ritus generaliter descripturi, opifices & rusticos à nobilibus & civibus sejungere voluimus. Nam qui opulentiores sunt, & qui auctoritatis titulo delectantur, vestibus utuntur consuetudini ipsius Principis respondentibus: Qui Venetis subsunt, Venetorum vestiuntur more: qui Turcæ, Turcicis similes vestes gestant. At vulgus utriusque partis, sive insulas, sive continentē incolens, antiquitatis nonnihil retinet: nam promissam plerumque gestat comam, anterioremque capitis fronti imminentis partem tondere solet, duplicatoque & crasso pileo utitur. Insulani easdem ferè in religione observant ceremonias, præsertim Cyprii, Rhodii, Lemnii, Chii, Imbrosii, Thasii, Pathmii, Coi, Lesbii, Corcyrenses, Zacynthii, Naxii, Cretenses, & alii qui Christianam fidem retinent, tametsi sub Turcæ dominio degant, quemadmodum & reliqui continentis Europæ & Asiæ incolæ. Omnes generaliter paucâ supellectile, uti Turcæ, contenti sunt, nec supra plumeos lectos cubant: sed culcitras sive centones lanâ aut panni tonsurâ

suffultos substernere solent. Odiosum omnes censent vinum aquâ diluere: & etiamnum poculis sese invitant; præsertim Cretenses. In eo autem à Germanis discrepant cùm sese mutuò provocant, quòd Germani magnis poculis plenisque haustibus, Græci verò minutioribus & frequentioribus poculis generosissimum Creticum sive malvaticum bibunt. Eam ob causam apud veteres Græcari (quemadmodum & nunc) dicebatur pro inebriari. Sed quoniam Græco more bibendo, ceremoniæ quædam observantur, eas hîc adjungere visum est. Græcorum mensæ humiles sunt admodùm; atque ex ordine (minimè eum confundentes) bibere solent: quòd si quis præter ordinem vinum postularet, incivilis haberetur. Qui in fundendo vino agilior & expeditior est, vini cantharum tenet, atque omnibus infundit. Moris est è vitro pusillo, pede carente, bibere, & quidquid infusum fuerit evacuare, ne minima quidem vini guttula in eo relicta. Nonnunquam Germanico more ad pocula sese invitant, & mutuò amplectuntur, dextras præbentes, quas deinde osculantur & fronti admovent, postremò oscula malæ utrique figunt: at tum nullus in bibendo servatur ordo. Et quia generosa vina minutioribus haustibus bibentes, sitim sibi conciliant, ejus sedandæ gratiâ vas aquâ plenum perpetuò apud se habent, è quo magnis haustibus aquam bibunt. Mulieres eorum symposiis non intersunt, neque accubant cùm simul convivantur. Fuit verò hic mos apud eos ab omni sæculo: cujus testis est Macrobius antiquus autor. Fuit & similis consuetudo ipsius tempore Romæ, qualis in Græcia fuit Platonis ævo. Nam idem Macrobius libro secundo, capite nono, recitans ea quæ Plato scripserat, inquit: *Et non magis inter minuta pocula*, &c. *Primis mensis post epulas jam remotis, & discursim variantibus poculis minutioribus, solet cibus quum sumitur tacitos efficere, potus loquaces.* Paulo pòst addit ex Herodoto Parthos in symposiis uxores minimè admisisse, sed solas concubinas: sic inter pocula, res serias tractari non vult.

Vetus mortuos deplorandi consuetudo apud Ethnicos, etiamnum hodie perdurat in Græcia, Epiro, Bulgaria, Croatia, Servia, Wallachia, Illyrico, Dalmatia, aliisque provinciis Græcos ritus observantibus. Sed res magis ridicula est quàm ut credi queat: nam sublato aliquo è vivis, mulieres designato quodam loco conveniunt, & à summo diluculo ululare incipientes, pectora tundunt, malas lacerant, crines vellunt, ut spectatori commiserationem excitare queant; atque ut meliùs pompa procedat, feminam conducere solent benè vocalem, & crassiore reliquis voce intonantem, ut pausæ & accentus faciliùs intelligi queant; sicque ejulatum continuant, laudes defuncti ab ipsis usque natalibus ad ejus interitum continuâ serie enarrantes. Accidit plerumque in hoc luctu, ut mulieres sese seriò verberent, atque virgines totam faciem unguibus lacerent. Et tametsi Venetus Senatus, qui plerisque locis dominatur, ubi incolæ hanc mortuos deplorandi consuetudinem habent, ut in Corcyra, Cypro, Creta, aliquando vetuerit, ne ampliùs more Græco deplorarent; attamen incolæ minimè eam deseruerunt: nam ipsi etiam viri aliquid sibi decedere hoc edicto existimabant. Moris enim est, ut Græcorum uxores in publicum non prodeant: attamen si quæ formosa sit mulier in ea urbe in qua mortuus defletur, suæ formæ præstantiam demonstrandi datam sibi occasionem gaudebit, dum reliquas per urbem comitatur: quandoquidem passis capillis atque nudato pectore turmatim incedere solent. Ad hoc spectaculum conveniunt etiam viri, istâ saltem oblectatione fruentes, quòd vicinorum uxores & filias pro suo arbitratu conspicere queant, quas alioqui alio tempore vix videre liceat: verum quidem est viros diversis de causis ad hujusmodi spectacula confluere, quoniam alios stimulat zelotypia, alios impellit amor.

Celebriorum insulæ Cretæ locorum observatio.

CAPUT V.

PRIMARII tres Cretæ montes vetera nomina immutàrunt: nam qui olim Leuci vocati sunt, nunc *de Madara*, aliàs *la Spachia* appellantur: Ida jam *Psiloriti* dicitur: & Dicta nominatur *Setbia*, & quibusdam locis *Lasti*. Adeò celsi sunt, ut nix totâ hieme eos operiat: tametsi cupressi hinc inde inter saxa convallium nascantur. Hujus insulæ ambitus quindecies centena & viginti passuum milia continet: & quoniam adeò frequentes in ea sunt montes, rara sunt campestria. Itaque multa sunt inculta loca, non minorem tamen censum adferentia dominis quàm fertile solum: quia pecudes uberes pastiones illîc inveniunt. Illîc magnos greges alunt *Sriphocheli*, arietum & caprarum, qui illis ex caseis & lana singulis annis magnam pecuniæ vim reddunt. Ex Idæ montis summo vertice, mare insulæ utrumque latus alluens facilè conspeximus. Non immeritò Cretenses olim Dianæ fuêre dicati: nam etiam hodie veterem consuetudinem sequentes, naturæ impulsu &

ab ipsa

ab ipsa pueritia Scythico arcu sese exercere solent: quin & ipsi pueri in cunabulis si irascantur & ejulent, ostenso illis arcu, aut sagitta in manus data placantur: propterea ipsos etiam Turcas arcus jaculatione superant. Quemadmodum autem antiquitus strenui erant in pugnis marinis: sic etiam nunc adeò dextri, agiles & strenui sunt, ut è suis naviculis quas *Squiraces* appellant, magno animo hostibus resistant. Hæc ideò referimus, quoniam experti sumus, & vidimus illos à Piratis oppugnatos inter Zacynthum, nunc *Zante*, & *Cerigo*, olim Citheram, tam fortiter pugnantes, ut bini myoparones, etiam in malacia, parvam Cretensem naviculam adgredi cominus non sint ausæ. Hæc Insula Creta difficilè vi oppugnari potest; nam cùm ad eam nullus sit aditus nisi per mare, & incommodos habeat portus, munitior propterea est. Verum quidem est urbium & castellorum muris cinctorum incolis non deesse commodos portus, ut in Canea, Candia, Setia, Voulismeni, Chisamo, Selino, Spachia: sed præterquam in prædictis urbibus, rari admodùm sunt in littore portus: atque omnes illi, procul ab urbibus: è quorum numero unicum dumtaxat in tota insula commodum novimus, *la Suda* nominatum, qui pone Caneam urbem est: in quem Ariadeni Barbarossa cognominati triremes appulerunt, postremo quod Turca adversus Venetos gessit bello. Sed, ut dictum est, re infecta, imò vix conspecto quidem hoste, militem in triremes recipere coactus fuit, ob exiguum numerum, & loci incommoditatem. Tres solummodo celebres urbes nunc sunt in insula Creta. Primaria *Candia* nominatur (olim Matium) à qua universa insula appellationem desumpsit. Amplitudine secunda post Candiam, *Canea* vocatur, olim Cydon, à qua cotonea mala cydonia dicta sunt. Tertia est *Rhetymo*, quam veteres Rhithymnam nuncupabant: paulo incommodiorem habet illa portum pro navibus & triremibus, quoniam minoribus solùm naviculis aditus in eum patet: at Canea & Candia commodissimos habent, pro omnibus navium generibus, eosque egregiè clausos, & ab omnibus ventis tutos. Hæc de tribus primariis populosis urbibus: de castellis autem hinc inde per insulam sparsis transcursim agemus. Voulismeni castrum olim Panormus dictum, adhuc integrum est, inter Cytiam & Candiam ad littus maris in edito situm, ad cujus latus sinistrum horrenda est maris vorago. Cytia, olim Cyteum, quartum est Cretæ propugnaculum: nam oppidum pusillum est, populosum tamen, ad infimam insulæ cuspidem, è regione Rhodi, ut centum duntaxat milium passuum interstitium sit inter Rhodum & Cytiam urbes. Duo sunt præterea alia castella in summo capite insulæ. Unum mare Ægæum spectans ad Septemtrionem, *Chysamo* nunc, olim Cysamum appellatum, omnino ferè dirutum, cujus tamen veteres muri adhuc integri permanent: sublimi loco non est situm, sed humili, teli jactu à littore. Dimidio à Chysamo miliari, versus Canospata, vel Capospada, vetustæ cujusdam urbis in colle sitæ rudera inveniuntur, dimidio à mari miliari, ubi adhuc murorum restant vestigia, & tantus elegantium cisternarum numerus, ut nemo sine magna admiratione eas contemplari queat: incolæ Paleo Helenico castro appellant. Portus muri qui jam ferè arena oppleti sunt, magno indicio sunt, eam urbem antiquitus fuisse potentem. Ex adverso Chysami, insula transversim dimensa, aliud est castellum in colle situm ad maris littus, nomine Selino. Aliud est præterea oppidum Spachia nominatum, quod muris non est cinctum, sed ædificiis hinc inde sparsis magnum quendam pagum efficit ad celsissimorum montium, olim Leuci nominatorum, nunc verò de la Spachia, radices in declivi situm: ibi parva quædam arx solummodo est extructa adversus piratas perfugium, in qua præfectus vix commodam habitationem habet. Hujus pagi incolæ belli scientia & sagittandi peritia reliquos insulanos longè superant: delectantur propterea validioribus arcubus, quàm reliquarum provinciarum incolæ. Quidquid olim de Cretæ fluminibus dictum sit, persuaderi mihi non potest, unicum in tota insula reperiri quod navigabile sit, aut parvam solùm naviculam ferre possit. Certum est multos inveniri magnos rivos, in quibus sponte & sine cultura Colocasia crescit: quod mihi non mediocrem admirationem attulit tantam ejus quantitatem istic conspicienti. Inveniuntur & in illis fluviatiles cancri. Aëris temperies, & rivorum fluentium commoditas occasionem præbent incolis cultissimos hortos instruendi, & elegantia vireta, eaque magno numero ingentem illis censum adferentia. Horum nonnulla adeò amœno loco sunt, ut eorum contemplatione nunquam quempiam tædium capiat, præsertim in possessionibus nobilis cujusdam Veneti, cui nomen Ioannes Franciscus Baroczo, qui nos in omnibus suis prædiis & villis honorificè excipi curavit, & quæ in illa regione singularia erant, demonstrari. Vireta maxima ex parte sunt consita amygdalis, oleis, malis punicis, ziziphis, ficis, aliisque fructiferis arboribus, inter quas vastæ magnitudinis aureæ mali, citriæ, & Adami poma ferentes, è quorum fructibus Græci succo expresso dolia implent, quibus suas naviculas Squiraces nuncupatas onerant, & Constantinopolim, vel in alias Turcæ subjectas provincias vehunt; eo enim

BB succo

ſucco Turcæ plurimum in cibis utuntur agreſtæ ſive omphacii loco: & in officinis ex dimenſo venalis reperitur, in quibus ſalſamenta & garum proſtant. Nonnullis Cretæ locis proveniunt Palmæ majores, & pumilæ, præſertim ad rivi cujuſdam ripam qui ex fonte decurrit in aquæ ſalſæ gurgitem, quem Cretenſes ſua lingua Almiro nuncupant: ſed non ſunt fructiferæ; cælum enim Cretenſe nimis frigidum eſt pro Palmis.

Pſeudolabyrinthus Cretenſis & rudera quarundam urbium ejus inſulæ.

CAPUT VI.

LABYRINTHUS qui nunc in Creta conſpicitur, is non eſt cujus Veteres meminerunt. Nam qui nunc oſtenditur, ad radices montis Idæ vulgo Pſiloriti nuncupati ſitus eſt: nil aliud quàm Latomia fuit: omnes tamen Cretæ incolæ eam adulterino Labyrinthi nomine demonſtrare norunt. Latomia autem fuit ſolidi admodùm & elegantis ſaxi, è qua lapides diverſis locis exempti ſunt, cùm Gortinæ & Gnoſi vrbium ædificia extruerentur, quæ olim primariæ totius inſulæ urbes fuerunt, ut ex earum ruderibus appâret. Quemadmodum autem majorem Pyramidem Ægyptiacam Buſiridem nuncupatam acceſſuris è proximo illi pago duces ſumendi ſunt, qui viam demonſtrent, & in ipſa Pyramide præluceant: ſic duces è pago quodam, ubi olim vrbs Gnoſos fuit, huic Latomiæ vicino, ſumendi ſunt, qui Latomiam ingredi volentibus viam demonſtrent. Verum quidem eſt multos ineſſe mæandros obliquè admodùm, modò ad dextram modò ad ſiniſtram ſeſe contorquentes, quales in arte elaborato Labyrintho eſſe poſſent: at iſtud duntaxat provenit è locorum, unde lapides exemti ſunt, cavis: quod probari poteſt è veſtigiis & orbitis rotarum, atque è lapillis hinc inde muro incluſis ad viæ latera. Gortinæ rudera admodum ſunt magna; at nunc paucæ quædam columnæ erectæ, ſolo infixæ, reſtant, & exiguus quidam pagus vulgo Metaria dictus. Murorum lapides, quoniam elegantes & quadrati erant, omnes ex jam dicta latomia olim exciſi, avecti fuerunt, idque facilè, propter mare vicinum. Eſt etiam torrens è monte delabens, quem eſſe exiſtimo Strabonis & Solini Lethyum: is cùm vado tranſiri queat, nec ponte nec cymba opus eſt. Aquæductus etiam adhuc integer magnis fornicibus ſubnixus, & plurimarum molarum rotas verſans. Frequentes item ſunt Platani in valle ad fontis ſcaturiginem: ſed nullæ hieme folia retinent. Perſiſtunt adhuc inter rudera quidam validi arcus & muri cujuſdam templi, tum etiam multæ fornices tenaci cemento & latere conſtructæ ſupra rivum Lethyum, quæ noſtra opinione factæ ſunt ut locum planum & æqualem redderent, ad inſtituendum urbis forum.

Qua ratione Cretenſes Ladanum colligant.


CAPUT VII.

LADANI, è præcipuis quæ noſtra ſuffumigia ingrediuntur medicamentis, colligendi ratio, inter memorabiles res quæ in Creta obſervari poſſunt, cenſenda eſt. Non colligitur è Ledo, ut veteres æſtimarunt, ſed alia arbuſcula Ciſto nuncupata, cujus tanta eſt abundantia, ut ejus regionis montes iſto veſtiantur. Natura ea eſt, ut defluentibus floribus vernis, abjectiſque hibernis foliis, novis frondibus amiciatur quaſi lanugine pubeſcentibus in proximam æſtatem, quæ per Solis æſtus vliginoſo quodam rore pingueſcunt: quoque ardentiores ſunt calores, tanto abundantior ille ros foliis innaſcitur. Invenitur Ciſti genus incultis Oyſe locis, ducatu Cenomano, ſponte naſcens, præſertim circa pagum Fouletourte, apud Soulletiere (natalis noſtri locum) omnibus notis Græcanico reſpondens, præterquam quòd Cenomanus ciſtus pingui rore non oneratur, quemadmodum Græcanicus: ſed illo etiam longè minor eſt. Græci colligendo Ladano peculiare inſtrumentum parant, vernaculo ſermone illis Ergaſtiri dictum. Eſt verò inſtrumentum raſtro dentium experti ſimile; huic affixæ ſunt multæ ligulæ ſive zonæ è corio rudi neque præparato confectæ. Eas leniter adfricant ladaniferis fruticibus, ut inhæreat liquidus ille humor circa folia concretus, qui deinde à ligulis per ſummos Solis ardores cultris eſt abradendus. Itaque Ladanum colligendi ſummus, imò intolerabilis eſt labor, cùm totos dies ardentiſſimo caniculæ æſtu in montibus hærere neceſſe ſit: neque verò facilè quiſquam alius ad id colligendum operam ſumit præter Calohieros, hoc eſt, monachos Græcos. Nuſquam autem majore copia per totam inſulam cogitur, quàm ad montis Idæ radices, pago Cigualinus nuncupato, & apud Milopotamo.

Scarus piscis in Cretæ littoribus admodum frequens, aliis tamen regionibus valdè rarus.

CAPVT VIII.

PISCIS est muli barbati magnitudine, Cretæ admodum familiaris, Scarus dictus, cujus veteres Auctores sæpe meminerunt: nam apud Romanos olim in deliciis fuit, primarium locum inter reliquos pisces facilè obtinens. In nostris sive Oceani sive mediterranei maris littoribus conspici non solet: & asserere audemus, neque in Propontide, neque in Hellesponto, neque in Euxino, neque in Adriatico inveniri: nam eum istîc frustrà requisivimus. Attamen adeò frequens est in nonnullis Cretæ littoribus, ut nullus alius vulgatiùs capiatur. Quoniam verò eâdem insulæ regione, quâ Ladanum, invenitur, & ejus maxima captura incidit in tempus quo Ladanum colligitur; contigit ut eâdem profectione utrumque observaremus, idque casu potiùs & fortuito, quàm dedita opera. Iam diu in insula hæseramus, quia tamen cōmodo tempore in eam non appuleramus, neutrum videramus. Sed nave conscensa, ut ex Rhetymo ad Candiæ urbem navigaremus, piratæ nobis vela facientibus obvii facti, compulerunt ut fugam capesseremus ad littus inter Milopotamo & Cigalinus. Quò appulsi nautæ, deserta navi, in montem profugerunt: quoniam tamen piratæ suas naves egredi non solent, ut eos qui in terram fugiunt persequantur, direptis solùm nostris impedimentis, abierunt, relicta istîc nostra navicula, & aliis nonnullis quæ tollere non potuerunt. Nos verò perterriti, per montes currere non desiimus, donec ad Calohierorum monasterium in valle juxta littus situm perveniremus, ubi tùnc nassas sublevabant quas ad capiendos Scaros demiserant. Et quia istîc aliquot dies hæsimus, satis nobis ocij fuit, ut, cur hi pisces alibi rari, istîc adeò frequentes essent, percontaremur. Comperimus Scarum piscem saxatilem, prætérquam quòd inter rupes & saxa versari gaudet, alimento ipsius ventriculo cōvenienti etiam opus habere, pusilla videlicet quadam herba alibi non nascente, cujus cùm Scarus admodum sit appetens, libenter in ea insulæ parte versatur, ut illam depascatur. Calohieri igitur, aliique ejus loci rustici, Scari, qui phasiolorum plantâ delectatur, naturam non ignorantes, eam in agris serunt, ex qua escam parant ad Scaros capiendos idoneam, folia (reservatis in suum usum lobis) interdiu nassis imponunt, hasque in mare demissas Scari ingressi, capiuntur; aliàs difficilis foret eorum piscatio: nam linea aut sagena rarissimè capi possunt. Quia autem Phasiolorum herbam Scaris dedicarunt, vulgo eam Scarovotano appellant. Scari gregatim natant, uti Salpæ; & mulis barbatis sunt colore proximi. Omnes Scari notas hîc recensere minimè necessarium est: eum enim satis fusè cum reliquis piscibus descripsimus. Sed tamen notatu dignum quidpiam prætermittendum non duximus: quòd nobis hac fuga usque in multam noctem jejunis, Calohierus Scarum attulit ipsorum more veru infixum & coctum (solent enim ligneo veru in os infixo per corporis longitudinem eos terebrare, & supra prunas assare) qui quodammodo ridentem hominem ementiebatur: nam Scarus dentes more humano dispositos habet; cumque labra ignis calore contracta essent, hominis ridentis os aliquatenus referebant. Præfertur in hoc pisce, herba quam depastus est, cujus magna in ipsius ventriculo semper invenitur copia. Iecur illi magnum est, ad jusculum ipsi faciendum accommodum: nam cum intestinis, sale, & aceto tritum, gratiorem reddit totum piscem. Vt autem quivis intelligat de quo pisce egerimus, illius effigiem hîc adposuimus.



* *Scarum tamen non procul Maßiliâ, præsertim verò circa Stœchades insulas capi, testis est C. V. Gulielmus Rondeletius lib. VI. de Piscibus cap. 11. illum inter saxatiles enumerans; atque illius historiam fusè & accuratißimè describens: sed & cùm apud illum viverem anno quinquagesimo secundo supra millesimum & quingentesimum, eum secantem Scarum & illius anatomen facientem, ut commodiùs describeret, observabam, ut etiam plerosque alios, quorum in eo libro mentio.*

Varij generis avium in Græcia observatarum Gallica nomina cum veterum appellationibus collata.

CAP. IX.

VT peculiariter de avibus nunc ageremus, impulit, quòd parva navicula inter Zacynthum & Cytheram novo vere navigantibus, varia avium genera volando defessa apud nos consederunt, quas vulgaribus nominibus exprimere tum didicimus. Sed cùm eas septem libris prolixè descripserimus, de singulis duntaxat aliquid nunc agemus. Quoniam porrò non ignoramus plurimos dubitare, an animalia in oriente degentia ejusdē magnitudinis & formæ sint cum his quæ apud nos conspiciuntur, eos docere voluimus, similia esse omnia quadrupedum, avium, serpentum, piscium, & plantarum genera, iis quæ in nostris provinciis habentur: atque si ulla est differentia, eam in toto genere conspicuam inveniri. Verum quidem est multa genera istìc esse nostris ignota, quæ Veteres propriis nominibus appellarunt, quorum cognitionem ut adipiscamur, elaboramus. Quo modo igitur Germanus, Gallus, aut alterius nationis quispiam nomen vulgare in sua lingua reperiet, quo peregrinæ avis appellationem exprimat, si ipsius regio eâ careat? Exempli gratiâ, proferemus quam Græci Meropem, Latini Apiastrum nominarunt, Cretæ adeò familiarem, ut nullo non loco volare conspiciatur, attamen alibi adeò raram, ut ipsismet Græcis mediterranea incolentibus ignota sit. Vix unquam in Italia volare visa est: attamen Galli, Germani, & alii Europæi, eam avem quam nos *Mesange* appellamus Meropem esse censentes, valde hallucinantur. Nam Merops avis est Sturni magnitudine, esui minimè apta, Alcioni, quam nos Galli *Martinet pescheur* nuncupamus, ferè similis. Cretensibus ampliùs non dicitur Merops, sed Melissophago, dictione Latinæ Apiastri quodammodo respondente: nam volans in aëre apes depascitur Hirundinum instar. Solus non volat, sed gregatim, & præsertim secundum montes, in quibus genuinum Thymum provenit, ut apes aucupetur, à quibus appellationem sumsit. Licet autem Gallorum Mesange, quam Græci Parum vocant, Itali Sparnoczolo, multum illis damni inferat, & *Rubeline* sive *Gorge rouge*, Rubecula Latinis, *Petto rosso* Venetis dicta, apes voret, neutra tamen Apiastri nomen adepta est, quemadmodum hactenus existimatum est. Vt verò hunc errorem tollamus, veram ejus figuram hîc proponere libuit.



Elegantissimo colore prædita est hæc avis, nec minùs florido quàm sit Psittaci color. Procul auditur ejus vox, illi ferè similis, quam vir ore in rotundum clauso sibilans caneret grulgrurururrul; nec minus sonora quàm Vireonis, *Loriol* Gallis dicti. Ejus singularis elegantia pueros Cretenses invitat ut illum cum cicadis venentur, quemadmodum & majores hirundines Apodes nuncupatas, hac ratione: aciculam hami instar incurvam, cujus caput filo alligatum, per mediam cicadam figunt, extremum filum manu retinentes: cicada sic transfixa nihilominus in aëre volat, quam conspiciens Merops, impetu in eam ruit atque devorat cum acicula, qua retentus capitur. Avem quæ Gallis Coqu, veteribus Græcis Coccyx dicta est, Cretenses nunc Decocto appellant: Decocto autem significat octodecim. Ejus appellationis causa, quòd Coccyx suo cantu Decocto exprimere videtur. Avis quam nominamus Bergeronnette, Lavendiere similis, Latini Culicilegam, Veteres Knipologum, Græcis nunc Susurada dicitur. Attagen verò Taginari: licet nonnullis Attagas, quemadmodum & Constantinopoli. Cùm verò Attagenem nostræ Canne-petiere, quam Veterum Tetracem esse arbitramur, admodum similem noverimus, aliquam notam perquisivimus qua discerni possent. Cannepetiere autem deprehendimus plumosa non habere crura, uti Attagen (cui & rostrum nigrius, brevius atque firmius; minorque est quam Cannepetiere) aliàs colore non multum differunt, tametsi Attagen interdum variet: nam & omnino candida invenitur. Eam esse existimamus quam Sabaudi sive Allobroges Perdicem albam vocant, Plinius Lagopodem: nam prorsus alba est, cruraque habet plumis onusta, ut Attagen, tametsi minoribus. Cùm Venetiis essemus apud Dominum de Morvilliers, Regis tum Legatum, vidimus Attagenes albas: Itali autem utrumque genus Francolin vocant. Quem

Romani Tetraonem nuncuparunt, nunc verò Itali Gallocedrone, Arverni Faisant-bruyant, Sabaudi Coc de bois, frequenter in celsiorum montium Cretæ silvis conspicitur, capone duplo major, macula rubra utrinque circa oculos ad tempora insignitus, ut Fasianus, cujus plumæ in pectore præ nigredine splendent, ut palumbis collum: nihil albi toto corpore obtinet præterquam in alis; cruraque habet plumosa, ut Attagen, perdix alba Sabaudica, & Gelinotte de bois Gallorum.

Multarum aliarum avium Græca nomina cum Gallicis appellationibus collata.

CAPVT X.

Aves veteribus Græcis Ciclæ nuncupatæ, Latinis Turdi, nobis Griues, Mauvis, Trasles & Tourets, nunc in Græcia nominantur Schynopoulli, quasi Lentiscinas aves dicas: & quia Myrti baccas etiam devorant, à nonnullis Myrtopoulli. Sed tales aves plurimum damni inferunt locis olea consitis. Quem Aristoteles Viscivorum adpellavit, Galli Grande Grive nominant, quoniam primaria in suo genere, & reliquis major est. Secundus Aristoteli Pilaris dictus, nostra lingua vulgari Litorne nuncupatur: magnitudine est Merulæ. Tertius, illi Iliacus, nobis Mauuis, omnium minimus est, Sturni crassitudine, in alarum complicatione & sub ventre nonnihil flavescens. Avem nobis Roitelet dictam, vernacula lingua Trilato vocant, appellatione veteri Trochilos quodammodo respondente: quam ab altera minore probè distinguere norunt, illis Tettigon dicta, Latinis Tyrannus, & Gallis Poul, Soucie aut Sourcicle, flavas plumas utrinque in capite gestante, cristæ instar, quæ illis (ut nobis supercilia) oculos tegunt; unde hanc appellationem Gallicam invenit; locustam crassitudine non superat. Gallorum Chouettes aut Choucas, quas Picardi Belgicæ populi Craucs nominant, rostro & pedibus rubris, Aristoteles Corakias appellavit, Plinius Pyrrocoraces, frequentes sunt admodum in summis montium insulæ iugis: Græci nunc Scurapola vocant. Aristotelis Cyanos, & Plinii Cæruleus, quoniam in celsorum montium scopulis degit, & Merulæ similis est, nomen nunc mutavit & Petrocossipho dicitur: minor est Merula, & omnino cæruleus, ad alendum in cavea cantus gratia aptissimus, habet etiam vocem Merulæ proximam. Nullum Gallicum nomen illi indere possumus, quia apud nos non reperitur, uti nec in Italia, nisi forte in caveis allatus: nam interdum pulli è nidis tolluntur, ut humana verba sonare edoceantur. Quemadmodum porrò Aristoteles tres Merulæ species agnovit: sic illi Merulas habent nigras & albas quas veteri Græcorum nomine Cossiphos appellant: tertiam præterea speciem cujus Aristoteles meminit, quam Galli peculiari nomine Merle au collier, id est, Merulam torquatam dicunt, quoniam albam lineam habet sub gutture versus pectus, collum omnino cingentem: ejus magna frequentia in valle Morienne, & per reliquas Allobrogum valles. Quàm multis Galliæ locis Dixhuict, Lutetiæ Vanneau dicunt, veteres Romani Parcum nominarunt, Itali nunc Paoncello, vulgari Græca voce ut antiquo nomine Aex appellatur, quoniam sæpè capræ modo vociferatur: Nonnullis Taos agrios, id est Pavo silvestris nuncupatur, quoniam cristam Pavonis instar capiti imminentem gestat, ut & Galerita. Nullæ in Creta cinereæ sive minores perdices sunt: sed aliæ rubentes Gallinæ crassitudine, quas vulgo Coturno appellant, voce ut apparet ab Italis mutuata. Veterum Curuca, sive Gallorum Fauuette brune, nunc istic Potamida vocatur. Nobis asseverarunt eam vulgo Cuculi pullum alere, licet plurimæ aliæ eum etiam alant: hæc tamen peculiariter magis quàm reliquæ aves. Non desunt qui Potamida, Gallorum Rossignol, sive Lusciniam esse velint: atque ut ingenuè fateamur, nostra etiam fuit ea opinio: attamen postea deprehendimus Lusciniam istic Adoni aut Aidoni nuncupari. Rossignol appellatione Galli binas aves norunt, aliam nemoralem, alteram muralem, quæ veterum Græcorum Phœnicurus, & Latinorum, Gaza interprete, Ruticilla est. At Potamida à Rossignol sive Luscinia differt, pedesque & rostrum plumbei coloris ad cinereum vergentis habet. Gallis Fauuette brune, aut Grāde Fauuette dicitur, ad alterius, quam ipsi Fauuette rousse nominant, differentiam, Troglodytes veteribus dictam. Veterum Græcorum Ægotilax, & Latinorum Caprimulgus, * in Creta vulgo notus est, præter Solini & aliorum opinionem: quem quoniam per urbes noctu volat, horrendamque vocem emittit, Fresaye vel Effraye appellavimus: Interdiu non magis videt quàm Noctua, Galli Cheveche aut Chahuant nominant. Nonnulli Orfraye pronunciant: sed id nomen alteri avi convenit, Ossifrago nimirum, cujus mentionem libro de Avibus faciemus in Nycticoracis descriptione. Caprimul-

 gus hic

gus hic Cuculi ferè magnitudine & crassitudine est, & apud nos in celsis turribus & templorum foraminibus nidulatur: apud Cretenses autem in scopulis mari imminentibus, ubi magnum damnum pastoribus, qui Capras sub tectum noctu cogere non solent, inferunt. Nam è caprarum uberibus lac exugunt. Ovidius 6. Fastorum eorum meminit his verbis:

Nocte volant, puerósque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis.
Carpere dicuntur lactentia viscera rostris,
Et plenum poto sanguine guttur habent.
Est illis Strigibus nomen: sed nominis hujus
Causa, quòd horrenda stridere nocte solent.

* *Hanc avem appellant Flandri* eene Dwaes. *De hac ave lepidam fabellam narrat Illustris Busbequius in Epistolis.*

Vetera & recentia, Gallica, Græcáque multarum aliarum avium nomina.

CAPUT XI.

INTER aves nobis notas nullam conspeximus quarum pedes quatuor digitos non habeant, præter Pluvier, Guillemot, Canne petiere, Ostarde, & Pie de mer, quæ olim Hæmatopus nuncupabatur. Rara est hæc avis in nostris littoribus, tametsi aliquando visa sit. Corpore est ardeolæ, Gallis Aigrette dictæ; alis Lari sive Mouëtte Gallorum; & eorundem Flambant, sive Phœnicopteri Latinorum forma; rostro quatuor digitos oblongo instar Beccasse Gallis dictæ (quam ob causam à nonnullis Beccasse de mer etiam dicta est) sed à reliquarum palustrium rostris, quibus rotundum est, differente: nam hujus planum est in extremo & mucronatum, & aliquantulum nigricans, reliquâ parte rubente: caput cum collo nigrum est: nigræ sunt & alæ superiùs, nisi albæ plumæ eas transversas secarent, unde Gallicam appellationem sumsit Picæ marinæ: interior alarum pars & venter alba sunt: extrema cauda nigra, ejusdemque cum Anate longitudinis: binos habet pedis digitos simul cohærentes, interior verò ab aliis sejunctus est: calcar in pedis calce ut reliquæ aquaticæ aves non habet: ejus præterea pedes molliores sunt & delicatuli, non sicci & duri ut in aliis: crura tres digitos oblonga; digiti breves, ungulæ fornicatæ ut in Tardis. Carne est insipida, dura, & admodum nigra, gulamque habet admodum magnam, amplam & robustam. Becasse nostra, veteribus Ascolopax dicta, retinet etiamnum nominis affinitatem quandam cum veteri Græcorum appellatione: nam hodie Xilornitha ab illis vocatur, voce conformi cum Latina dictione Gallinago. Alaudas Chamochiladi nominant, & Palumbes Phassa. Magis proprium vocabulum non habent, ut Elorium sive Corliz exprimant, quàm Macrimit, hoc est, oblongus nasus. Græci vulgaribus dictionibus carent, quibus tam aptè propriis nominibus aquaticas aves distinguere possint, ut nos: nam Sarcelles & Morillons indifferenter ut Cannes, id est, Anates appellant, nomine Pappi. Mergi marini peculiare quoddam genus in Creta reperitur sub aquis natans, à Cormarant Gallorum, & à reliquis Mergis diversum: Aristoteles Ethiam nominavit. Littoris accolæ Cretenses Vuttamaria & Calicatezu appellant: magnitudine est Querquedulæ sive Sarcellæ Gallorum, ventre albo, capite, quod planum est, dorso, alis & cauda nigris: nullum calcar in calce habet, quod illi soli inter reliquas planipedes aves peculiare est: ejus plumæ nihil aliud sunt quàm tenuissima lanugo firmiter cuti inhærens: ejus rostrum utrinque admodùm incidit, concavum & fermè planum, lanugine magna ex parte intectum, nigrum supernè, album infernè. Fluviatilis ille minor Mergus, quem Galli *Chastagneux* nominant, Cretæ ignotus est. Gallorum *Verdier*, Græcis Chloris & Latinis Lutea dicta, vulgari Græcorum sermone Assarandos appellatur, nomine satis affini illi quod apud Cenomanos obtinuit, *Serrant*. Latinorum Fringillæ, sive Gallorum *Pinsons*, nunc Fringilari dicuntur, voce prorsus à veteribus aliena, Veteribus Spizæ nuncupabantur. Veterum Orospizæ, quas *Montains*, aut *Pinsons d'Ardene* vocamus, à Vulgari Fringilaro, ex Italica Fringuello appellatione deducta, non discernunt. Nostri *Bruants* illis etiam vulgares sunt: sed veteris Græci nominis Anthi obliti, Latinam Flori appellationem usurparunt. Vulgo etiam vocant Passerem Sporguitis, & Gallorum *Mouette* Laros. Veterum Pikilis, sive Latinorum Carduelis, & Gallorum *Chardoneret*, ab illis Guardelli aut Stragalino dicitur: licet hoc vocabulum Chardoneret conveniat alteri avi quam Græci Acanthin, Latini Spinum nuncuparunt, nos verò Serin dicimus, ipsi nunc Spinidia. Nulla avis in Creta frequentior Gallorum

lorum *Pivoine*, quæ per vepres & dumos volat: quoniam autem avicula eſt capite, cauda, & aliqua corporis parte nigris, plerique vulgo Aſprocolos nominant, hoc eſt, albus podex. At hoc nomen non rectè illi tributum eſt: nam alia eſt avis quæ apud Gallos hoc nomine *Cul blanc* peculiariter inſignitur, Latinorum videlicet Vitiflora, & Græcorum Oenanthe. Nonnulli, Gallorum *Pivoine*, aptiore vocabulo exprimunt Melanocephali, hoc eſt, Caput nigrum: Veteribus Græcis Melancoriphos dicta eſt, Latinis Atricapilla, eadem cum Zikalis, quam Galli *Papafighi* aut *Becafigui* nominant, Latini Ficedulam. Veterum Ortigometra, hoc eſt Coturnicum mater, rara eſt in Cretâ: ſed reliquis Græciæ provinciis non minùs frequens, quàm in Italia aut Gallia: nonnullas notas cum Coturnicibus communes habet: & quia hoc vitium habet ut commodè volare nequeat, natura illi celerrimum curſum tribuit: Galli *Raſle* appellant, Itali Regem Coturnicum. Quoniam verò nigra eſt, & in aquis perpetuò verſatur, quodammodo ſimilis Gallinæ aquaticæ, Italis Foulica dictæ: longè tamen minor, neque adeò nigra, ſed albo colore in alis & lateribus variegata, caudaque ſubtus ruffa, & ut in reliquis aquaticis avibus brevi, roſtro binorum digitorum longitudine; ſed ſi cum Becaſſe, *Chevalier*, & *Corliz* Gallorum roſtris admodùm oblongis comparetur, brevi. Vultures, Aquilæ, & Falcones in Creta nidos exſtruunt, non in quercubus aliiſve arboribus, ut reliquæ aves ſolent, ſed in ſcopulis mari imminentibus & propendentibus, locis admodùm difficilibus & præcipitiis. Vix conſpici queunt niſi è navibus & mari. Itaque cùm eorum pullos habere volunt, longo fune opus eſt ſecundum ſcopuli longitudinem demiſſo, cujus caput palo in montis vertice terræ infixo firmiter adligatum ſit: per eum ruſticus quidam ſe demittit, donec ad Vulturis nidum perveniat, deinde per eundem funem denuò in altum ſubit. Vel puerum magno corbi impoſitum ex ſummo ſcopulo demittunt: qui ad nidum perveniens, pullos eximit, & corbi imponit, quem poſtea rurſus ſurſum attrahunt. Vultures tum furvi, tum nigri, Cretæ montes incolunt, in quibus greges paſcuntur, agnoſque & hœdos, tum etiam lepores, ſi quos in aperto deprehendant, rapiunt. Idcirco paſtores iis capiendis invigilant ob quæſtum: nam alas ſagittarum artificibus vendunt, ad eas plumis exornandas: cutem autem detractam pellionibus, qui adparatam magno vendunt. Falcones vulgo Falconi nuncupant, Aucupem, Hieracari, voce ex Hierax deducta, quæ omnibus rapacibus avibus communis: eas enim tam aptè propriis nominibus diſtinguere non norunt quemadmodum noſtri Aucupes: nam *Sacre*, *Autour*, *Gerfault*, *Lanier*, & *Tiercelet*, cum Falcone apud illos confunduntur, nulla ſpecierum diſtinctione facta. Milvius ſeu Gallorum *Milan*, quem Veteres Ichtynon nuncupare ſolebant, nunc apud eos Licadurus dicitur. Sed quoniam de omnibus avibus in alio opere egimus, in quo ſingulorum effigies exhibemus; de iis plura dicere nunc ſuperſedebimus.

Inſecti cujuſdam Cretæ familiaris Phalangium nuncupati deſcriptio.

CAPVT XII.

CRETENSES Phalangia appellare norunt Sphalangi; inſecta parva, admodùm perniciosa, Araneo paulo majora, octo pedibus prædita, utrinque quatuor: ſinguli pedes ſeu crura quatuor articulis conſtant, binoſque ungues habent incurvos: bina utrinque crura anteriora illis data ſunt ad progrediendum, bina poſteriora ad retrocedendum; obliqua in terra foramina inhabitant binos pedes alta, quæ retrocedentes ingredi ſolent, cibum ita attrahentes: aditum ſuorum foraminum ſtramine muniunt, ne obturentur, ſed aperta maneant. Corpore ſunt ſuperiore parte cinereo, binis rubentibus maculis anteriore dorſi parte inſignito: reſupinata autem, nigris maculis notata conſpiciuntur qua ſinguli pedes corpori inhærent: venter flavet. Si quis autem ſcire cupiat qua parte noxii, os intueatur, & binos exiles nigros aculeos deprehendet, iis ſimiles quos Scolopendra obtinet, quibus mordent atque cibum retinent: telas Araneorum more texunt, muſciſque & papilionibus veſcuntur. Circiter ſexaginta ova ponunt, & pectori adhærentia fovere ſolent, pulloſque excluſos ventri inhærentes geſtant donec adoleſcant. Piloſo ſunt corpore: quoniam autem magnitudine differunt, foramina pro corporum magnitudine excavant: variare autem inter ſe pro Inſularum diverſitate obſervavimus. Immortale eſt diſſidium inter exiguum hoc animal & Veſpæ cujuſdam genus à Latinis Ichneumon vocitatum: quod libro ſecundo, ubi de Ichneumone Ægypti agemus, ex noſtra obſervatione deſcribemus.

Hirci feri quoddam genus Cretæ familiare, quod Galli Bouc-estain appellant.

CAP. XIII.

INSVLA Creta Lupis caret; eam ob causam magna cum securitate animalium greges noctu in arvis pasci sinunt, præsertim ovium & arietum Striphoceri ab illis appellatorum. Si insulani, Hirci feri, quem Galli *Bouc-estain* nuncupant (quorum istic magna est copia) hœdos capere queunt montibus oberrantes, cum domesticis seu cicuribus capris educant, ut deposita feritate mitescant. At feri, iis cedunt, qui primi eos apprehendunt aut occidunt. Cicurem capram magnitudine non excedunt: sed non minus carnis obtinent quàm Cerui, similibus pilis fulvescentibus & brevibus præditi, non caprinis. Mares prolixam nigricantem barbam gestant, quod nulli alteri animali Cervinis pilis prædito accidit, præterquàm (ut arbitramur) Hippelapho. Senectute canescunt, & secundum dorsi longitudinem nigram lineam excurrentem habent. Hunc etiam nostri montes alunt, præsertim præcipitiis & accessu difficilibus locis. Admiratione profectò non caret, tantulum animal adeò grauia cornua ferre, quæ aliquando manibus tractavimus quaternos cubitos longa: tot autem transversos radios habent, quot hircus & capra annos nata sunt. Duo ejus diversa invenimus genera, ut ex eorum cornibus Cypro & Creta delatis demonstravimus, quæ Domino Ioanni du Choul, montium Lugdunensis agri Præfecto reduces dedimus. Illorum venationi aliquando interfuimus. Rustici quidam in summis Cretæ montium jugis inveniuntur adeò jaculandi periti, præsertim circa montem Spachiæ & Madaræ, ut viginti quinque passuum intervallo eos ferire norint. Capras à se educatas, & à paruulis cicuratas, loco quodam in monte alligant, qua mares transire solent. Sagittarius verò inter vepres seorsim latitat adverso vento, non ignarus Hircum alias centum passuum intervallo odoratu percepturum. Mas feminam inveniens, consistit; tum rusticus sagitta illum petit. Si Hircus leve acceperit vulnus, aut alioqui sagittæ ferrum vulneri inhæserit, illico sibi mederi novit: nam ad Dictamum confugit, herbam Cretæ scopulis inhærentem, quâ depastâ brevi curatur. Miræ agilitatis est hoc animal, ejusdem cum Caprea naturæ: nam ambo in asperis scopulis & aditu difficilibus degunt: at Hircus ferus ex scopulo in alium desilire solet sex etiam passuum intervallo distantem, quod qui non viderit, difficilè admodum credat. Quoniam porrò iis locis fuimus, ubi ejus veram & genuinam effigiem nancisci potuimus, eam ad vivum expressam hîc posuimus.



Cretensis aries Strepsiceros nominatus: disceptatio præterea edocens quid sit Unicornu.

CAP. XIV.

ARIETVM genus est in Creta, cujus magni greges aliis haud minores vulgo conspiciuntur, præsertim in monte Ida, quos pastores Striphoceri nominant, nostris in hoc dissimiles, quòd nostri cornua inflexa & contorta gestant, illi verò omnino erecta, ut Vnicornu, in ambitu canaliculata. Cùm primum tantos eorum greges conspiceremus, ignari Veteres ejus meminisse, in mentem subiit inquirere, si quid cum Vnicornu commune haberet. Quæ causa fuit ut hoc loco de Vnicornu disceptationem institueremus, quod nunc in tanta æstimatione & precio esse conspicimus, ut valde mirandum sit, præsertim cum apud Veteres in usu medico nullius fuerit autoritatis: nam si quam habuisset, Auctores proculdubio eam non reticuissent. Aristoteles inter ea animalia quæ bisulcam ungulam habent, Orygem recenset unicornem: at facultatum cornu non meminit. Columellæ etiam fuit Oryx cognita, quando scribit cum reliquis animalibus muro & viuariis includi solere. Quòd si Romani, res exoticas plurimum æstimantes, tam insignes Vnicornu (quales nunc illi tribuuntur) facultates intellexissent, haudquaquam eas silentio pressissent. Non negamus quin Vnicornu rarum & preciosum æstimarint, sed non ut in medica-

medicamenta reciperetur, quemadmodum nunc fit. Eam ob causam, ut ingenuè quid de eo nobis videtur dicamus; comperimus unicornu Veteribus cognitum, nigrum esse debere: id tamen quod apud nos in usu est, candidum est. Quisnam obsecro è veteribus Græcis & Latinis fidem faciat, rei incognitæ portiunculam, quam tamen plerumque scimus esse dentis piscis illius Gallis *Rohart*, Septemtrionalis maris accolis Morss appellati, trecentis ducatis æstimari debere? Etenim data nobis sunt fragmenta inspicienda, an agnosceremus, quæ pro Unicornu trecentis ducatis emta fuerant, quum tamen orbiculi essent è dente piscis *Rohart*. Unus Ælianus auctor est Unicornu medicum usum præstare: attamen illud nigrum facit: cùm verò nostrum alterius coloris sit, dicemus ab eo quod Veteres descripserunt diversum esse: præsertim cùm ipse Ælianus scribat asinum Indicum, cornu in fronte gerere, cujus inferior pars alba sit, superior phœnicea, media verò planè nigra. Plinius Aristotelis verba expressit: Unicorne (inquit) Asinus tantùm Indicus, solida ungula. Deinde paulo pòst: Vnicorne bisulcum Oryx. Ex quibus verbis colligitur, duo esse animalium genera Vnicornia, quorum alterum est Asinus Indicus solidâ ungulâ, alterum Oryx bisulcâ. Certum Asinos feros, qui Latinis Onagri dicuntur, cornu carere: necessariò itaque consequitur, monocera alicujus alterius esse animalis, cujus descriptionem non habemus. Sed cùm variis locis Vnicornua conspiciantur, negari nequit quin reperiantur: etenim in nostra Europa viginti integra inveniri queant, & totidem non integra, sed confracta. Duo integra ostenduntur in Divi Marci thesauro apud Venetos, sesquicubitalis utraque longitudinis, crassiora infernè quàm supernè, crassiore tamen parte tres pollices conjunctos non excedente; quæ notæ satis respondent iis quas Veteres Asini Indici cornu tribuunt: attamen reliquæ notæ non conveniunt. Scimus etiam ea quæ Angliæ Rex habet, striata & in gyrum canaliculata esse, quemadmodum & illud quod apud Dionysii Phanum est, quod omnium maximum existimamus inter ea quæ hactenus conspecta fuerunt. Majus præconium meretur quàm aliud quodvis cornu quod in animali procreatum viderimus. Naturale enim est, haud artificiale, in quo omnes notæ quæ alterius animalis cornu conveniunt, reperiuntur: & quoniam concavum est, existimandum est non esse deciduum, ut nec Gasellarum, Chamoix, Bouc-estain cornua, contrà quàm platyceris, Cervis, & Hinnulis, quibus decidunt. Nullus est proceræ quantumvis staturæ, qui ad illius summitatem pertingere queat: septem enim magnos pedes longum est. Decem & tres duntaxat libras & uncias quatuor pendet: si quis tamen sublevet, plus quàm decem & octo libras pendere existimet. Ejus figura recta est instar cerei, inferiore parte crassa, deinde paulatim usque ad mucronem gracilescens: ejus etiam crassitudinem manus complecti nequit, cùm quinque digitos in diametro habeat: atque si quis funiculo circumferentiam metiatur, palmũ & tres digitos inveniet. Inæquale nonnihil est ea parte quæ capiti inhæsit, tota deinde reliqua lævi & polita. Tenuibus canaliculis striata est cochleæ in morem ab infima parte ad extremum mucronem, à dextera ad sinistram, omnibus striis in gyrum vergentibus, quemadmodum in Limacum testis, aut fuste quem periclymenum ambierit. Ejus color non omnino albus est: nam temporis injuriâ fuscum nonnihil redditum. Integro pede cavum est aut eo magis infimè, qua ossi, quod capiti firmiter adhæsit, insertum fuit. Hinc judicare licet, minimè deciduum esse. Cùm porrò tantum onus animalis capiti incumbat, animal quod illud gestat, ingentis corporis nec bove minoris esse coniiciendum. Strepsiceros (cujus antè meminimus, cujusque cornua recta, canaliculata, & cochleæ in modum contorta sunt) arietem magnitudine non superat. Illius effigiem hìc subjecimus, non ab aliquo Auctore desumptam; nemo enim de eo quidquam tradidit (uno Plinio excepto, apud quem ejus nomen legimus) ejúsve iconem præbuit.

Lib. 4. cap. 52



Strepsiceros.

De Cretensi quodam lapide, cujus Solinus meminit, Dactylus Idæus nuncupato.

CAPVT XV.

ADDICERE hìc libuit, lapidem quem Solinus, Dactylum Idæum, alii Belemniten appellant (nos verò non sine errore Lapidem Lyncis,) ab Ida Cretæ monte, ubi primùm inventus fuit, nomen sumsisse. Verùm non modò in Creta invenitur, sed

etiam

etiam quodam monte Luxemburgo vicino, Divi Ioannis nomine nuncupato videre meminimus, cùm Rex Franciſcus Literarum parens, eum montem muniri juſſit: nam poſtquam Calones trium pedum altitudine ſolum excavarant, nihil ferè niſi Dactylum Idæum eruebant. Mercatores in ſuis officinis pro Lapide Lyncis vænalem exponunt: cùm id nomen flavo ſuccino, de quo poſtea agemus, debeatur.

Celſiſſimi totius Cretæ montis, qui Græcis vulgo Pſiloriti dicitur, veteres Idam nominabant, deſcriptio: tum quæ plantæ in eo naſcantur.

CAPUT XVI.

In ſummo montis Idæ culmine conſiſtentes, eum ſubſequente modo deſcripſimus. Summus montis vertex ferè mucronatus eſt Strobili ſive pineæ nucis inſtar, ſummis aliorum montium iugis imminens. Licet autem totius montis moles & amplitudo, utrimque maris littus attingat; nihilominus ea pars quæ cæteris ſublimior eſt, peculiariter hoc nomen obtinuit. Certum eſt Madaram montem in majorem amplitudinem & craſſitudinem extendi quàm Ida: attamen non æquè ſublimis eſt. Cretenſes Idæ nomen immutarunt, & Pſiloriti nunc vocant. In ſummo ejus montis faſtigio ſacellum eſt, quod ædificiolo duntaxat conſtat ſaxis ſibi invicem impoſitis & ſine calce cohærentibus fornicis in modum conſtructo, ad tectum præbendum. Sublimi adeò loco eſt, & à vehementioribus ventis interdum ita perflato, ut lapilli inde transferantur. Paulo infra id ſacellum planicies conſpicitur montibus undique cincta, in qua multa ſunt paſcua, ubi arietes & capræ Cretenſes æſtate pingueſcunt. Si quis ex ſummo montis vertice undique proſpiciat, parum aberit, quin totius inſulæ ambitum videat cum aliis vicinis inſulis Milo, Cerigo, ſive Cythera, reliquiſque Archipelagi. Aëris intemperies in hoc monte adeò magna eſt, quemadmodum & in ceteris præcelſis montibus, ut in ipſis Caniculæ ardoribus meridie, nullo etiam ſpirante vento, ingens ſentiatur frigus: qua de cauſa nec hieme nec æſtate quiſquam eum incolit. Nam licet paſtores interdiu ovium greges iſtuc ad paſcua agant, noctu tamen in valles ſe recipiunt. Ea montis parte quæ ad Orientem ſpectat, magnæ planicies ſunt ad ipſius uſque radices pertingentes, in quibus plurimæ amœnæ & frigidæ aquæ ſcaturigines. Quæ verò ad urbem Candiam obverſa eſt, nemora eam muniunt, in quibus Acer admodum criſpâ materie, Ilices plurimæ, & Acylacæ naſcuntur. Pars Meridiei oppoſita, ſilvoſa non eſt: attamen nonnullas arbores alit, quæ alibi duntaxat frutices ſunt, nimirum Arbutos, Adrachnes, Elæprinos, hoc eſt Philycas, quæ Latinis Alaterni dicuntur, Ciſtos, & alias hujuſmodi arbores quæ apud nos non inveniuntur: ea autem parte colligitur Ladanum. Pars Meſſariam ſpectans, hoc eſt, eam planicem in qua ſita eſt Gortina, Cupreſſis abundat, Piceis, * Gallis *Pignets*. Iſtic etiam naſcuntur Chamelæa, Thymelæa, & Oxycedri: Pſeudolabyrinthus eadem parte ſitus eſt. Magnos ferorum Hircorum greges in eodem monte conſpicere eſt, & plurimos lepores. Tribus diverſis temporibus eum conſcendimus, & diverſis ſemitis; attamen nullum locum invenire potuimus in quo Rubus Idæus naſcatur. Nerion flore albo Aprili floret, medio quaſi montis aſcenſu, apud pagum Camerachi, qua Candiam iter eſt. Qua occidentem ſpectat, difficilimus aſcenſus eſt & admodum præceps, perinde ferè ac ſi per erectam ſcalam aſcendendum eſſet. Iſtic ad radices montis pagus eſt, à quo ſubire incipientibus ſeptem paſſuum milia ad ſummum uſque jugum conficienda ſunt. Pars Orienti objecta, reliquis temperatior videtur: nam ad montis radices ſolum undiquaque admodum pingue & humectum; ibi etiam frequentiſſimi ſunt pagi, & omnia excultiſſima, cùm arbores fructiferæ, tum vites & oleæ, agrique omni leguminum genere & frumento ſunt conſiti. Tota illa moles quacunque tandem patet, poſſidetur à Dominis Calergis, nempe ab Antonio & Matthæo fratribus, qui jam à mille annis primum dignitatis & nobilitatis gradum in tota inſula ſemper obtinuerunt: de quibus adhuc poſtea.

* *Monendus lector Bellonium hoc loco, atque adeò toto hoc libro, piceam pro pinaſtro, ſive πεύκην ἀγρίαν perperam reponere.*

Rariorum arborum & herbarum quæ ſponte circa Idam montem in Creta naſcuntur, nomina: colligendi cocci baphici ratio.

CAP. XVII.

De Stirpibus circa montem Idam naſcentibus commodè agere nequimus, quin Dominorum Calergorum, qui hunc poſſident, & in univerſa inſula Creta ſummæ ſunt auctoritatis, inſignem humanitatem & liberale ingenium prædicemus. Quem-

Quemadmodum enim Dominus Ioannes Franciſcus Baroczo ex urbe Rhetimo à ſuis miniſtris ſecurè nos conduci curavit in montes Spachiæ & Madaræ: ſic Magnificus Eques Dominus Antonius Calergo patritius Venetus,Candiæ habitans, ſuos miniſtros nobis duces dedit in Idam montem, atque victui neceſſaria deferri juſſit, ut aliquot dies in eodem monte conſiſtere poſſemus: nam ſtirpes inquirentes, noctu ad paſtorum tuguria, in quibus caſeos conficere ſolent, redibamus, & iſtic pernoctabamus. Iovis ſepulchrum, quale Veteres deſcripſerunt, etiamnum oſtenditur, integrum adhuc. Latè porrò patet hic mons, ejúſque radices utrinque maris littora, ut antè diximus, attingunt; nam licet urbi Candiæ ſint vicinæ, meditullium tamen inſulæ occupat ipſe mons, adeò in ſublime evectus, ut nives ejus verticem perpetuò tegant; tamque frigida aura mediis etiam æſtatis ardoribus iſtic eſt, ut vix ferri queat: tametſi in convallibus magnus ſit æſtus. Illic inter ſtirpes memoratu dignas, creſcit Salvia poma ferens eſui apta, quæ ruſtici legere ſolent, hiſque ſaccos plenos in proximas urbes venum deferunt. Initio Maij foliis inhærentia inveniuntur gallarum magnitudine, lanugine obducta, dulcia, & grati ſaporis. Eodem tempore ſpinoſarum Capparum flores leguntur, atque in foro venales proponuntur, non conditi, ſed elixi duntaxat & nonnihil ſaliti. Mandragora mas & femina; Pæoniæ duo genera, vulgo Græcorum Pſiphedile nuncupata in omnibus vallibus humidis naſcuntur candido flore. Tragium ſecundum rivulos creſcit luteo flore, Cecilianæ ſemine. Leontopetalon craſſa radice iſtic hieme floret, ut Mandragora. Vera Melilotus odorata in collibus herboſis provenit, Ononidi ſive Arreſtæ bovis ferè ſimilis, Majorana noſtræ, quam in hortis colimus, reſpondens, ſponte creſcit ſub finem Iunii, rubentes flores proferens, ruſticis Matherina dicta. Nihil vulgarius Trifolio mœnianthe. Heliochryſon extremo Iunio floret, adeò frequens in montibus, ut vix (ubi naſcitur) alia planta conſpiciatur: quòd autem leporibus cubilia grata præbeat, vulgus ejus inſulæ Lagochimithia appellare novit. Heliochryſi autem nomine noſtram Stœcadem citrinam non intelligimus: nam ut Hieronymus Hungarus Medicus nobis in Creta demonſtravit, ea eſt quæ Ageratum nominatur. Nerion candido flore, tota inſula non invenitur, niſi in Montis Idæ convallibus apud pagum Camerachi. Acer in frigidis montibus naſcens, à ruſticis Aſphendannos nuncupatus, in monte Ida criſpiore eſt materie, quàm uſquam alibi. Adrachnes frutices genuinum nomen retinuerunt; ſic etiam Acylaca, & Phylica, quæ magnæ ſunt arbores glandiferæ. Cupreſſi in ſilvis non creſcunt, ut plerique exiſtimarunt, ſed ſparſim variis montium locis, licet iſtic ſatæ non fuerint: meridiano tamen ſole gaudent, ejuſque ſunt naturæ, ut infima parte reciſæ, ex parte tamen radicibus proxima multis ramis repullulent. At eo loco in altum non attolluntur, ſed in craſſitudinem excreſcunt. propterea capſæ ex cupreſſo inveniuntur in Candia urbe paratæ admodum latæ. Naſcuntur etiam perinde in Leucis montibus, Spachia vocatis, atque in Ida dicto Pſiloriti. Tragacantha in montium ſuperciliis abundè creſcit: cujus duo genera obſervavimus. Aſſerimus autem ejus gummi minimè iſtic colligi, licet nonnulli ſatis temerè id ſcripſerint: quam noſtram aſſertionem, ſi opus eſſet, auctoritate primarii inſulæ Domini Equitis Antonii Calergo, probare poſſemus, coram quo de ea re verba feciſſe meminimus. Staphis agria ſpaſſim ſponte provenit. Coris admodum frequens eſt, quæ noſtro judicio inter reliquas ſtirpes radicem habet ingratiſſimi ſaporis, utpote quæ deguſtata vomitum nobis provocârit, quod nulla alia unquam fecit. Anagyridis arbuſtum paſſim ferè ſecundum Regias vias naſcitur, tam fœtido odore ut capitis dolorem inducat, antiquum nomen etiamnum retinens; nam Anagyros vulgo dicitur: adeò ingrati eſt ſaporis, ut ne famelicæ quidem capræ deguſtare ſuſtineant. Iſtic Tithymalum dendroidem duorum hominum altitudinem, caudice humanæ coxæ craſſitudinem æquantem conſpeximus. Thapſia, ferula, Libanotis & Seſeli iſtic abundant. Provenit etiam frutex Agriomelea vulgo nuncupatus, exiguorum malorum pyris forma ſimilium ferax. Nuſquam hic frutex in Gallia reperitur, præterquam in ſcopulis Fontainebleau arci Regiæ vicinis, quibus delectari videtur. Fruticem Sabaudis ſive Allobrogibus *Malancier* dictum, Cretenſes Codomalo appellant. Veratrum nigrum in inſula Creta diligentiſſimè perquiſivimus: at nunquam invenire potuimus; eaque noſtra eſt opinio, neque album neque nigrum iſtic naſci. Ariſtolochiæ porrò quartum quoddam genus, à tribus reliquis veteribus deſcriptis diverſum invenitur, arbores ſcandens & premens Ephedræ & Smilacis modo, alioqui conveniens foliis, floribus, ſemine, radice, ſapore & odore cum Clematitide. Cocci baphicæ cenſus ingens eſt in Creta, ſed ejus collectioni cùm potentiores operam impendere nolint, paſtoribus & pueris iſtam provinciam relinquunt. Invenitur menſe Iunio in exiguo quodam frutice ex Ilicis genere glandem ferentis, ſine pediculo inhærens illius fruticis ſtipiti, colore ex cinereo albicante. Sed quia iſtius fruticis folia ſpinis horrent, uti Aquifoliæ, paſtores furculam ſiniſtra geſtant, qua ramulos deprimunt

& incli-

& inclinant, dextera autem falcem putatoriam, qua illos demetunt, & rotundas vesiculas exigui pisi magnitudine auferunt, qua parte ligno adhæserunt apertas & hiantes, pusillis rubris animalculis lende minoribus plenas, qui per hiatum istum effugiunt, & vesiculam inanem relinquunt. Pueri coccum jam collectam ad Quæstorem deferunt, qui ex dimenso ab illis redimit. Is animalcula à vesiculis cribro segregat, deinde summis digitis leniter ea prehendendo in pilas efformat ovi gallinacei magnitudine: etenim si nimium comprimeret, tota in succum resolverentur, & color periret. Itaque duo infectionis genera, unum pulpæ, alterum vesicularum: quoniam autem pulpa ad inficiendum commodior est, ejus precium quadruplo majus, quam vesicularum. Aliud præter jam commemorata genus adhuc invenitur, cujus neque veteres neque recentiores meminerunt: excrementum est, eâdem quâ coccus ratione, in Myrtis nascens, unico animali vivo vesiculâ inclusa præditum.

Plurimarum aliarum stirpium in insula Creta sponte nascentium brevis narratio.

CAP. XVIII.

INTER reliquas stirpes quas Creta alit, insigne est Dictamum, quod vix in terra nasci vult, sed sponte in scopulorum fissuris semper provenit, nusquam alibi, soli etiam Cretæ peculiare: at Pseudodictamum non modò in Creta, sed aliis etiam locis nascitur. Vulgo Cromido filo nuncupatur: Sonchus Zucho, Alnus Schlitro, Lactuca Maroulla, Periclymenum Agioclima, Viburnum Gallorum Clemaczida, Cichorium Picra, Vrtica Zuchnida, Lotus arbor Cacavia, Iujubæ Zinziphia, Ferula Artica, Polium Denaida. Tria Origani diversa genera Iunii initio florent: at Onitis peculiariter inter scopulos colliculorum siccissima parte Meridiei objecta: Heracleoticum contrà humentibus locis gaudet: quod silvestre appellatur, neutrius naturæ particeps est; nam libentius circa sepes crescit quàm apertis locis. Spinæ genus est in Creta, quam omnes vulgari Græco idiomate Ascolimbros appellare norunt: Veteres Latini etiam nomine græco Glycyrrhizon vocarunt, à Glycyrrhiza tamen diversum. Sponte passim nascitur, flavo flore, lacteo succo abundans. Radix & folia edi solent antè quàm in caulem abeat. Ravennæ cum aliis herbis in foro venalem conspeximus; & Anconæ, ubi mulierculæ eam eruentes, Riuci nominabant. Sed & agro Romano colligi observavimus, & ab incolis Spinaborda nuncupari. Ea est quæ recentioribus Græcis Ascolimbrous dicitur. Plinius variis locis & libro 21. cap. 16. de spinis agens, ubi Carduum à Scolymo distinguit, per Carduum Artichocam intelligere videtur: deinde ait, Scolymus quoque floret serò & diu. Postea subiicit: Scolymus carduorum generis ab iis distat, quòd radix ejus vescendo decocta. Sed Galenus ipse nónne de Scolymo & Cinara eodem capite meminit? Itaque assentiri possumus iis qui Artichocam silvestrem nominari debere Carduum contendunt, & hortensem cultumq́. Scolymum: quoniam silvestris semper spinis horridus est. Spina quam Veteres Græci Acanon appellarunt, rusticum nomen ab Acanou derivatum nunc mutuata est, nimirum Aconachia: quæ vox illi propriè convenit: nam cùm præ cæteris spinis horreat, inde factum ut aculeatæ plantæ Acanaceæ dicantur. Thymelæa qualis Dioscoridi describitur, in Creta provenit, ab ea differens quam Germani in suis picturis nobis proponunt. Gladiolus sive Xiphion in arvis nascitur, & cùm Vere germinat, unicum folium non admodùm latum & octonos digitos longum, mucronatum, septem nervis distinctum promit: è cujus sinu aliud minus exit, deinde tertium, postremò caulis onustus floribus serie quadam propendentibus, adeò nitentis coccinei coloris, ut nullam comparationem admittat: terra erutus cum sua radice sagittæ instar coniici potest; quandoquidem ejus radix crassa & rotunda est, ut sagittarum crassiora capita, & ejus folia terna utrinque in caule disposita pennarum vicem præbent. Tithymalus myrsinites cùm in Cretæ montanis tum maritimis crescit: quemadmodum & Paralios. Securidacâ agri abundant, illisque Peleki dicitur. Terebinthi, Lauri, Arbuti, Lentisci, & pumilæ Cedri veterem appellationem retinent: uti & Aspalathos, & alia ei valdè similis Achinopoda illis dicta. Marina littora Gnaphalio candicant: nam quod ab Herbariis depingitur, adulterinum est. Iisdem littoribus frequentes sunt Theophrasti bulbi littorales, quos nostri Aromatarij Galli pro Scilla vendunt. Silvestres brassicæ in scopulis ad portum Sudæ nascuntur. Chamæsyce & Soldanella littorali arena delectantur. Dracunculus hederæ folio in humidis Spachiæ locis solummodò reperitur: at alter nobis notus plurimis insulæ locis indifferenter exit. Halimi frutex nunc Halimatia appellatur; tota insula adeò

adeò frequens, ut maximâ ex parte ſepes eo conſtent: hujus cymæ edules ſunt. Noſter Agnus caſtus, ſive, Veterum Agnos, Lija appellatur. Sedum iſtic fruticeſcit. Legitimum Thymum adeò frequens eſt, ut alterius ligni loco uratur. Thymbra vulgari nomine Græcis Tribi dicta, hoc eſt, Satureia ſilveſtris, macilenta & ſterilia loca amat, præſertim autem apud Rhetimo: in his duabus ſtirpibus, potiſſimùm autem Thymo, naſcitur Epithymum. Tribulus terreſtris quem illi vulgo Atrivolo vocant, agris maximè eſt noxius, præſertim autem leguminibus. Hoc autem loco reticere non poſſum; eos qui hunc ſacræ ſcripturæ locum interpretantur de *Tribulis ficus*, hallucinari, dum Tribulum eſſe exiſtimant carduum: nam Tribulus univerſæ * Galliæ ignotus eſt, ſaltem terreſtris: aquaticus autem is eſt quem nos *Macles* aut *Chaſtagnes d'eau* nuncupamus. Heliotropium nominatur Heliocrota, Atractylis Ardactila, Orobanche Lycos. Hyſſopo cùm hortenſi tum ſilveſtri carent: ejus autem loco pharmacopœi inutilem quandam puſillam adulterinam plantam ſubſtituunt. Stœchas ſponte plurimis locis naſcitur. Inter rariores ſtirpes, ſingulares quaſpiam conſpeximus in Franciſcanorum horto urbe Candia, nimirum Scammoneam & Apion, quæ alioqui ſponte in montanis naſcuntur, uti & Styrax. Ricini planta quoniam iſtic hieme non corrumpitur, multoſque perdurat annos, in arborem evadit adeò ſublimem ut non niſi ſcalis admotis conſcendi poſſit. Xylum & Seſamum magnum cenſum adferunt; atque Aprili ſeruntur. Cogitur iſtic & Cedria ſive Katranum, & pix, præſertim in Leucis montibus, vulgo Spachia dictis, in quibus plurimæ ſilveſtres pini, alias Piceæ, proveniunt. Inter res memorabiles, planiciem in Creta obſervavimus, Sethia & Laſti nominatam, magnæ longitudinis in ſublimium montium jugo, paulo ſupra Vouliſmeni in media inſula, quâ Sethiam iter eſt. Reſtibile autem eſt ſolum, in quo multæ ſegetes, leguminaque naſcuntur, & Orobus, leguminis genus nobis quidem in uſu, ſed quod nullum nomen Gallicum invenit. Eam planitiem uberem reddunt riuuli è collibus illam undique cingentibus decurrentes. Naſcuntur apud Cretenſes ſilveſtria quædam exigua pyra, ab incolis Achladas nominata, à noſtris diverſa: aliàs pyra ſilveſtria apud eos Aguſaga appellantur. Vix in Creta reperias Aſparagi genus illud quod in hortis colimus: ſilveſtrem enim Corruda nuncupatum paſſim ſponte naſcentem dumtaxat habent. Sed aliud præterea genus apud ipſos conſpicitur, antiquâ & vulgari appellatione Polytricha nominatum. Inconſtans Anemones flos pluribus quàm decem coloribus variat. Cicadæ Symphogna nuncupantur, qua etiam voce lyram appellant, Symphytum majus Stecouli. Supra Chiſami arcem, ea montis parte qua Calohierorum monaſterium, cui nomen D. Ioannes de Predermos, ſitum eſt, Artichocæ ſilveſtris genus creſcit, paſtoribus Agriocinara appellatum, cujus radicem cubitalis longitudinis, & humani cruris craſſitudinis, foris & intùs nigram, pyri in modum turbinatam, Coſti indici loco in Aromatariorum officinis venalem eſſe aſſerimus. Intelligimus autem nigram illam radicem quam Coſtum nominant, quamque ab omni antiquitate in uſu eſſe credimus. Capita fert inſtar Cinaræ ſive Artichocæ, quæ paſtores cruda mandunt. Ejus flos maxima ex parte candidus eſt (licet & purpureus inveniatur) & ſuavis odoris. Ipſius radices Chamæleonis albi radicibus ſimiles ſunt, & folia Chamæleonis nigri foliis. Differt ab aliis Artichocis ſilveſtribus multis Italiæ locis naſcentibus. Fruſtrà inter reliquas noſtrates ſtirpes Chamæleon albus & niger depicti fuere: nam neuter nec in Germania, nec in Gallia, nec etiam in Italia naſcitur: unde certum eſt (cum venia ſit dictum) iſtas tres nationes hallucinari: neque enim Carlina, neque alii ſimiles cardui, Chamæleon albus vel niger ſunt. De nigro autem aliàs agemus. Albus porrò radicem producit humanæ coxæ craſſitudinem æquantem, pedalem, interdum etiam cubitalem longitudinem, adeò odoratam, ut conclave in quo repoſita, violæ odore ita repleat, ut capitis gravedinem inducat. Cretenſes paſtores, & ruſticani pueri, præſertim apud Rhetimo, ejus gummi colligunt, quo feminæ pro maſticatorio utuntur, uti maſtiche in Chio, & Chondrillæ gummi in Lemno. Cola vel Chamæleous vulgo nuncupant Chamæleonem album. Acanthus mollis variis humidis locis frequens eſt: at ſpinoſus in agris & juxta ſemitas. Anonidis cymas condiendi conſuetudo apud Cretenſes nondum abolita eſt, neque etiam Eryngij tenella germina edendi: at Eryngium illud marinum eſt, maris littoribus naſcens, à mediterraneo diverſum. Breviter Creta inſula multas ſtirpes profert, atque alias res ſingulares, quas alibi non reperias. Ab omni etiam antiquitate generoſarum ſtirpium iſtic naſcentium nomine celebrata eſt. Macrobius cap. 5. lib. 7. Saturnalium idem teſtatur his verbis: Sed nec mon- „
ſtroſis carnibus abſtinetis, inſerentes poculis teſticulos Caſtorum, & venenata corpora Vi- „
perarum: quibus admiſcetis quidquid nutrit India, quidquid devehitur herbarum, qui- „
bus Creta generoſa eſt. Serpentum dumtaxat tria genera in Creta obſervavimus, primum „
Ophis, alterum Ochendra, tertium Tephloti à ruſticis nominatum. At affirmare aude-

mus verum esse quod antiquitus proditum est, Cretam nullum venenatum animal alere. Nam cùm serpentis illud genus, quod proprio nomine Ophin dici retulimus, persequeremur, dux nostri itineris sublevans lapidem sub quo latibulum quærebat, ab eodem præmorsus fuit in manu: attamen licet sanguinem etiam elicuisset morsura, nullum aliud malum sequutum est, quàm leve vulnus.

* *Gallia tamen Narbonensis copiosum tribulum terrestrem alit.*

Cretense Malvaticum vinum, Pramnium dictum: illúdque nusquam alibi confici.

CAPUT XIX.

VINUM quod Malvaticum vocamus in sola Creta fit: atque asserere non veremur, quod in exteras regiones etiam longissimo dissitas intervallo defertur, puta Germaniam, Galliam, & Angliam, primùm fuisse decoctum. Nam naves quæ Malvatici vini in exteras regiones transferendi causa Cretam appellunt, potissimùm id quod in Rethymo natum est, tollunt, cùm constet illud generosissimum diu conservari posse, atque longa vectura majorem adhuc præstantiam adquirere. Porro in urbe Rethymo quæ Veteribus Rhythymna dicta est, magni sunt lebetes ad littus maris dispositi, in quibus Vindemiarum tempore vina decoquunt: omnia tamen Malvatica vina decocta esse non dicimus. Nam quæ circa Caneam, & urbem Candiam, colliguntur, & in Italiam duntaxat transvehuntur, decoquere non est necesse, quia periculum non est ut acescant. Sed singulis annis vina commiscentes, vetera novis admistis meliora faciunt, & horna veteris admistione generosiora reddunt. Cretica vina olim quemadmodum & nunc dulcia fuere. Malvaticum proprio nomine Pramnium vinum dictum est, ut ex Dioscoride patet, cujus hæc sunt verba: *Creticum cognomine aut Pramnion aut Protropon.* Huc accedit quòd Homerus magnopere commendârit Creticum, illud Pramnium appellans. Insula Creta etiam eximium Muscatellum vinum præbet: cujus duo sunt genera; unum præcocius ante vindemias confectum, alterum ipsis duntaxat vindemiis: sed neutrum vix ultra fretum Herculeum transvehitur. Ceterùm duo etiam sunt Malvatici genera; dulce, & acerbum quod Itali garbum appellant, Galli viride, sive rude: illud autem ad nos non devehitur, quia cùm (ut dulce) non sit coctum, diu conservari non potest.

Veterum saltandi cum armis ratio, quam Pyrrhicam saltationem nominarunt.

CAPUT XX.

CUM in campestri quodam pago versaremur apud Dominum Ioan. Antonium Baroczo non procul ab urbe Spachia, vicinorum pagorum incolas ad diem quendam festum convenisse conspeximus, alios cum uxoribus, alios cum amicabus, ut magna hominum esset frequentia. Bene poti, saltare ceperunt summo totius diei æstu; non in umbra, at sub dio, tametsi is dies totius mensis Iulii esset ardentissimus: eamque saltationem usque in noctem protraxerunt, licet suis armis essent onusti. Solent isti rustici ferè perpetuò incedere alba interula amicti, quam lato cingulo magna fibula prædito constringunt: deinde femoralia linea applicant, quibus interulam non includunt, sed liberam fluitare permittunt: postmodum ocreas caligarum & calceorum vicem supplentes inducunt, ad cingulum usque pertingentes, cui ita alligantur, ut interula anteriore & posteriore parte propendeat. Sic ornati, atque pharetram centenas & quinquaginta circiter sagittas quadam serie dispositas continentem ex tergo propendentem gestantes, tensum item arcum brachio inducentes, aut transversum gerentes, & gladio latus accincti, altissimos saltus facere nituntur; neque decoram suam saltationem esse existimarent, nisi his omnibus essent onusti. Hæc Cretensium armatorum saltatio veterum Curetum saltationem nonnihil resipere videtur, quam Latini Pyrrhicam nominarunt. Græci sic saltantes tribus mensuris uti solent: nempe progressu, anteriùs subsiliendo altero pede sublevato, ut Germani solent: altera orbicularibus saltationibus, quæ in pagis per Gallias fiunt, non est dissimilis: tertia mira est, nam modò alterum pedem in anteriorem & posteriorem partem vibrantes, mox altero similiter facientes, atque sibi mutuò respondentes, cantando, & saltationes cantilenis accommodando; modò in gyrum, modò in longum, atque interdum bini &

bini;

bini; omni conatu interea saltant. Ab omni antiquitate Græci saltando cantare consueverunt. Ipse etiam Aristoteles id testatur primo capite, lib. septimo, his verbis: *Vox iis qui rem veneream incipiunt agere, mutari in sonum asperiorem inæquabiliorémque incipit. Abstinentibus verò, à contrario fit, & si curam adhibeant (quod aliqui faciunt ex iis qui choreis indulgent,) vel longo servari*, &c.

Mulieribus moris est velum dumtaxat capiti imponere liberum nec adnexum; pectus verò & humeros perpetuò nuda habere (nullum enim amictorij usum norunt) ea de causa fuscæ sunt & sole adustæ: nulla etiam tibialia gestant, rusticanæ videlicet, quas publicè conspicere licet: Nam urbanæ perpetuò latent, & vix prodeunt nisi noctu, sive templa aditura, sive sese mutuo visitaturæ. At quoniam nostrum institutum aliò nos revocat, de Cretensibus rebus plura differere supersedebimus, cùm navigatio in eam insulam adeò trita sit ut nunquam desint qui eò commeent, & inde redeant; atque de Turcicis rebus agere incipiemus.

Quotquot mandatum sive diploma liberi transitus à purpurato aliquo Bacha, vel à Turcarum Imperatore impetraverint, modò Turcico vestitu incedant, ducémque itineris habeant, qui interpretis vice fungatur, tutò per omnes Turcæ provincias commeare posse.


CAPVT XXI.

TAMETSI Turcæ magno numero per turmas, quas ipsi Caravannas nominant, convenire soleant, ut securiùs profectiones suas suscipiant, quilibet tamen eorum vestitu amictus, diplomaque habens ex aula Turcarum Imperatoris, comite interprete qui illi dux itineris sit, liberè quocunque libebit proficisci poterit, exceptis desertis & extremis Provinciarum limitibus. Si quis porrò eodem desiderio, quo nos, impulsus, idem experiri vellet, abs re facturi non videmur, si quidpiam hîc adscribamus. Cùm primò Byzantium appulissemus, & ocium in socordia transigeremus, singulis diebus portus canalem sive sinum, qui Peram à Constantinopoli separat, traiiciebamus, ut ea quæ Turcæ in suis officinis venalia proponere solent conspicientes, observaremus quæ ipsi haberent nostris officinis incognita. Utque id commodiùs facere possemus, conquisito docto Turca, qui Arabicam linguam adprimè calleret, de precio cum illo convenimus, ut omnis generis mercium, aromatum, atq. aliarum rerum quæ in officinis Turcarum venales habentur, indicem conscriberet, qui nihil aliud continebat quàm Avicennæ indicem Arabica lingua descriptum, omnia quæ illis peregrè advehuntur complectentem. Absoluto indice, Turcam nobis singula vocabula sigillatim & distinctè pronunciare jussimus, eaque cùm pronunciaret, nostris characteribus exarabamus, ut erant Arabicè prolata: deinde rem prolatam nobis demonstrari curabamus; ut ea conspecta, rem cognitam vocabulis ab ipso descriptis, nostra lingua subscriberemus, cupientes ea ratione, aliis locis, quotiescumque opus esset, ipsa etiam petere posse: &, ut verum fateamur, in quibuscumque Turcarum Provinciis fuerimus, plurimum nobis profuit is index, ad rerum quas desiderabamus cognitionem adipiscendam. Nam interdum evocati ad ægrorum curam, cùm quidpiam ex aromatarii taberna (nullos enim pharmacopœos habent) expeteremus, si ipsorum idiomate probè exprimere nequibamus, indicem scriptum proferebamus, ut mercator conspecto vocabulo meliùs intelligeret. Ista profectò ratione multa simplicia conspeximus, quæ à nostris mercatoribus Turcarum provincias adeuntibus jam advehi desierunt. Hanc itaque laudem mercatorum negociationi tribuimus, quòd ei accepta referre debeamus, omnia singularia è procul dissitis regionibus advecta. Atque ut rem sic se habere comprobemus; num sine negotiatione aromata haberemus canellæ, carophyllorum, myristicæ nucis, piperis, aliarúmque similium rerum? Cur tot præclara medicamenta, & alia singularia veteribus adeò trita, nunc sunt incognita, nisi quòd illorum negotiatio fieri desiit? Num tellus Amomum, Terebinthinam, Calamum odoratum, Ammi, Costum, Acaciam, & alia hujuscemodi veteribus adeò trita proferre destitit? Non profectò: sed caremus, quia nemo est qui illa cis mare advehat. At cùm in Oriente essemus, plurimarum cognitionem negociatoribus impertiimus, quæ antè illis ignota istic remanebant, nunc verò vulgo vænalia esse incipiunt cùm Venetiis, tum plurimis aliis locis: potissimum autem legitimum Nitrum, Cardamomum majus, vera Terebinthina, & alia similia, de quibus fusiùs nostris in Dioscoridem Commentariis. Certi autem sumus nobis non defuturos probatos testes, si demonstrare vellemus nos omnium primos retulisse plurima medicamenta nostris ignota, quæ neque auro neque argento alioqui comparare potuissemus.

Turcas eandem dictionem suis characteribus multifariam exprimere.

CAPUT XXII.

VETERES Terræ quoddam genus in plurimis medicamentis admodum commendarunt;quod nunc etiam minore non est in usu,quàm olim: Latini Terram Lemniam, sive Sigillatam appellant, Galli *Terre sellée.* Adeò celebris est hæc terra, ut Principum Legati Constantinopoli redeuntes,eam referre,& muneris loco Principibus viris offerre solcant. Nam inter alia singularis est adversus pestem & omnes defluxiones. Venalis reperitur in Aromatariorum officinis Terræ sigillatæ nomen obtinens,sed quæ magnâ ex parte adulterina sit: in universo etiam orbe non invenitur nisi in unâ Lemno insulâ. Et quoniam nobis animus erat in Lemnum nauigare, eam ob causam antè quàm Constantinopoli excederemus, diligenter inquisivimus quibus rationibus negotiatores illam adipisci queant ; nostraque diligentia duodeviginti diversis impressionibus signatam invenimus. Pastillos igitur omnis generis impressione notatos nacti, cuidam Turcæ Arabicæ linguæ perito ostendimus, ut intelligeremus cur tot genera invenirentur. Ille omnibus perlectis, respondit singulos orbiculos duas dumtaxat Arabicas dictiones continere, *Tin imachton*, quæ significant Terra sigillata : & pastillum qui plures haberet notas, eandem dictionem expressam habere, idemque significantem, quam ea quæ paucioribus notis esset exarata: & licet pastillorum characteres inter se varient,id dumtaxat inde procedere,quòd Turcæ, eandem rem exprimere volentes, variè suos characteres miscere queant: Alia item est ejus rei ratio, nimirum diversos magnates ei rei præfuisse, ideoq. diversis sigillis impressisse. Omnis autem hæc terra, in pastillos, hoc est, exiguos panes circiter quatuor drachmas pendentes, vel paullo graviores interdum, nonnumquam & leviores formata est. Non desunt impostores qui eam adeò dextrè adulterare norunt, ut legitimæ quàm simillima videatur. Vt verò characterum vario modo pastillis impressorum diversitas conspici possit, eos prout variè impressi fuere exprimi jussimus.



Variarum specierum ejusdem Terræ sigillatæ descriptio; atque de sigillis ipsi impressis.

CAP. XXIII.

COLLECTIS igitur quibuscunque sigillis, terræque generibus quæ nancisci licuit, in Lemnum navigare constituimus, ut rei veritatem expiscaremur, atque legitimam ab adulterinâ dignoscere disceremus : ea autem sic descripsimus : Antiquissimum sigillum, referentibus Græcis & Turcis, inter varias Terras id est quod pollicis latitudinem non excedens quatuor duntaxat characteres continet, quorum qui latera occupant, hamulis similes, alii verò medii valde intricati sunt, characteris ℥ ferè instar, qui medicinalem unciam denotat ; in medio autem sigillo inter universos characteres quatuor duntaxat puncta sunt addita : hujus sigilli terra adeò pinguis est, ut è sevo constare videatur, dentibus cedens quando manditur, atque minimum arenæ continens ; ejus color in rubedine ad obscurum accedente pallet. Aliud genus in minores pastillos superioribus respondentes efformatur, cujus characteres impressi paulo grandiores sunt, numero tres, septem punctis interpositis : hoc paulo magis rubet priore, gustuque est nonnihil acido; atque præmansum, calculis arenaceis abundare deprehenditur; minùs pingue quidem superiore, sed bonitate illi non cedere creditur. Est & tertium genus exiguorum pastillorum, superioribus magnitudine respondentium, cujus characteres differunt : nam veluti uncum hamo piscatorio similem habet medium inter binos alios characteres notæ ℥ similes. hujus color à superioribus differt, quoniam veluti parvis albæ terræ rubræ permixtæ maculis conspersus est. Quartum genus reliquis dilutiùs rubet : hujus, tria sigilla differentia eidem terræ generi impressa observavimus. Terra sigillata quæ Constantinopoli magis vulgaris invenitur, maximâ ex parte adulterina est, atq. in majores pastillos formata quàm reliqua; ejus etiam color diversus: nam reliquorum generum ad rubedinem tendit, hujus

verò

verò flavescit. Et quoniam adulterina est, propterea majore quantitate reperitur. Inveniuntur & duo alia genera cum forma tum characteribus dissidentia, quæ in selectissimorum numero habentur, & rara sunt: in eo discrepant, quòd alterum magis arenosum sit, alioqui idem est sapor. Aliud item genus bolo armeno dissoluto adulteratum, cui impressæ sunt duæ notæ admodum contortæ, ejusdem cum postremis duabus magnitudinis, sed ab illis diversæ. Est præterea aliud genus in pastillos rudes & impolitos formatum, cæteris rotundiores, nucis juglandis magnitudine, globis ferè similes, nisi ea parte qua sigillum impressum est, sessiles & planiores essent. Hos omnium purissimos comperimus. Sed & alia est sigilli species in officinis admodum rara, utpote quam duabus dumtaxat locis Constantinopoli reperimus: cujus precium, reliquis majus est; aromaticum habet saporem, ut aliquid admixtum quod eum saporem conciliet, quispiam opinari possit; cùm tamen naturalis sit ipsius terræ: hujus color saturatius rubescit; & habet plures impressas notas. Perspicuum itaque est omnia terræ sigillatæ genera ejusdem coloris non esse: nam sæpe contingit ut in ipsa vena candidioris coloris reperiatur, nonnunquam magis rubescentis, interdum etiam ex utroque colore mixta. Qui sphragidem Lemniam ex gustu discernere cupiunt, certius judicium de ea ferre possunt, quum eam in ore aromaticum quidpiam spirare, atque arenaceam nonnihil esse deprehendunt, quàm qui an linguæ adhæreat periculum faciunt. Omnes porrò eas differentias, dum Constantinopoli essemus, descripsimus, & depingi curavimus, atque in Lemnum insulam nobiscum detulimus, unde hæc terra eximi solet: sed unico dumtaxat totius anni die, sexto videlicet Augusti huic rei consecrato, eruere moris est. Antequam verò Byzantio solveremus, ab omnibus nautis cujusdam navis quæ è Lemno advenerat perquisivimus, an Lemniam terram detulissent: omnes responderunt, eam non posse haberi, nisi ab Insulæ Gubernatore: atque si eam nativam conspicere vellemus, in Insulam nobis navigandum: nam omnibus incolis capitis pœna prohibitum est, ne quis eam efferat. Addebant præterea, si quispiam incolarum unicum duntaxat pastillum vendidisset, aut domi servare inscio Gubernatore deprehenderetur, magna pecuniæ summa mulctandum: nam nemini, nisi Soubachi, eam distribuere licitum esse, qui Insulæ proventum obtinet, atque ejus rei causa censum Turcarum Imperatori persolvit. Hæc omnia cupidiores nos effecerunt, ut ipsam terram in sua vena & fodina conspiceremus. Primùm autem saluus quem vocant conductus, ipsi mandatum appellant; nobis impetrandus fuit, quò securius per Turcarum Provinciam proficisci possemus: eum autem favore & auctoritate Domini du Fumet, in Domini d'Aramont absentia tum Legati, facilè obtinuimus.

E Constantinopoli in Lemnon maris Ægæi insulam, Italico sermone Stalimene vulgo nuncupatam, profectio.

CAPVT XXIV.

CELOCEM nacti quæ Salonichi, amplam urbem, olim Thessalonica nuncupatam, proficisceretur, & in Lemnum appellere debebat, necessariis omnibus rebus ad profectionem paratis, eam conscendimus, atque vela fecimus. Secundo autem vento minus quatuor dierum navigatione Constantinopoli in Lemnum perveniri potest. Per Propontidem navigantes, Galipolim appulimus, ubi unicum diem hæsimus. Sed quandoquidem in navigationis per Propontidem mentionem incidimus, asserimus illud mare esse omnium commodissimum: cujus hæc est ratio; quòd totius Euxini maris atque Propontidis aqua nec incrementum sumat nec decrescat secundum Lunæ motum, uti in Oceano, & magna mediterranei maris parte: tum etiam quòd naves habeant huic mari (quod nec fluit nec refluit) accommodas. In Propontide, Hellesponto, Bosporis, atque etiam in Cycladibus insulis, & magna Ægæi maris parte, æstus perpetuò profluit: adeò ut navis pleno illo mari malacia correpta, singulis diebus plus quàm decem passuum millia de suo cursu decedere deprehendatur, propter aquas ab Euxino in Propontidem, & inde per Hellespontum & Cyclades in Mediterraneum mare rapidè profluentes. Cujus rei plurimos antiquitus admirationem cepisse comperio: quam nec etiam Plinius subticere voluit, qui 13. cap. 4. libri sic scribit: *Non est omittenda multorum opinio, priusquam digrediamur à Ponto, qui maria omnia inferiora illo capite nasci, non Gaditano freto, existimavere, haud improbabili argumento, quoniam æstus semper è Ponto profluens, nunquam reciprocetur.* Quod ad me attinet, in ea sum opinione, locum illum omnium marium esse originem, quoniam inde magna aquarum quantitas profluit, quæ nunquam refluunt: sed eas necesse est transitum & egressum habere per Gaditanum fretum, alioqui terram inundarent, & omnes vicinas circum

regiones submergerent. Ex Hellesponto egressis,& maris Ægæi planum æquor ingressis, ventus nos, qui tribus celocibus navigabamus, destituit, atque sub noctis crepusculum, tribus Piratarum navibus conspectis, in portum Imbri insulæ confugere coacti sumus, ubi ventus adversus exoriens, duobus diebus nos detinuit. Tertio die in planum æquor progressi, magna remorum contentione inter duo promontoria, alterum Lemni insulæ, Blava nuncupatum, alterum Imbri, Aulaca dictum, sibi invicem opposita, & duodeviginti passuum millia inter se distantia, cursum dirigentes, in Lemnon maturè appulimus. Navem egressis, & significato insulæ Gubernatoribus nostro adventu, qui potissimum erat, ut terræ sigillatæ fodinam conspiceremus, ejus videndæ spes omnis ademta, nisi ad sextum Augusti rediremus. Sed cùm multo tempore in plurimis insulæ pagis subsisteremus, in quibus sæpenumerò acciti fuimus, ut ægros Græcos & Turcas visitaremus, magnam occasionem nacti sumus conspiciendi varietatem terræ, præsertim in urbe Lemno. Nam unus ex primariis totius insulæ, domicilium habens in arce supra rupem exstructa, tum æger, nobis commoditatem præbuit videndi omnes species quæ in ea urbe adservabantur, cùm illi persuasissemus, ad medicamentum quod parabamus, selectissimam inter ceteras terram nobis esse deligendam: maxima verò earum pars nullum sigillum impressum habuit.

Urbium & ruinarum Lemni insulæ descriptio.

CAP. XXV.

LEMNON Italicè Stalimenen vocari comperimus, nomine è duabus dictionibus vulgaribus Græcis Sto & Limni, corrupto: Sto enim Ad significat, & Limni Lemnon. Urbs nunc Lemnos dicta, olim Myrina nuncupabatur, parum celebris, licet adhuc integra. Forma arcem Corcyrensem refert, aut Bucephalam urbem, vulgo Cavalla nuncupatam: in colle enim in mare prominenti sita est, & utrimque à mari cingitur, ut ingressus continentem spectans admodum angustus sit. Collis in quo urbs sita, vetustis muris cinctus est; in cujus supercilio arx in rupe exstructa, ubi præsidiarii plerumque sunt milites; non quòd urbs aut arx munitionum loco habeantur, sed ut Piratis & triremibus resistere queant, si fortè illos inopinantes adorirentur: Verumtamen præsidia Turcica istic duntaxat in speciem sunt collocata, ut totam insulam in officio contineant, néve rebellare possint incolæ, & eam Christianis tradere. Ceterùm Hephæstia nunc Cochyno dicta planè deserta est & destructa: accidit enim plerumque ut urbes olim sterili solo structæ & difficili, incommodoque, ob rerum necessariarum ad vitam sustentandam penuriam, præsertim aquæ dulcis, sponte corruerint, nec posteà restauratæ sint. Istic deprehendimus mensuram generosi vini sex libras continentem uno aspro æstimatam, quæ respondet tribus pintis Parisiensibus, pro carolino, aut decem æreis minutis denariis. Ejus urbis incolæ, ut commodiùs habitarent, in planicie ædes urbis portis contiguas exstruxerunt, eo numero ut ingens & maximè amœnus pagus conspiciatur, in quo magna sit vinearum quantitas. Universa insula tumulis abundat, & inæqualis est; inter quos tamen elegantes & bene culti agri interjacent. Reliquæ insulæ Lemno viciniores, ut Thassos, Scyros, Tenedos, & Imbros, altiores habent montes. Arx urbis Lemni duas solùm portas obtinet; ea quâ in inferiorem urbem descenditur, aditu difficilis est, quoniam in rupe excisa, pontemque habet sublicium; quo sublevato, ingens est præcipitium ad mare usque: altera in summo colle sita, accessum adeò præcipitem habet, ut equo conscendi non possit. Neque urbs, neque arx ædificiis abundant, neque ita munitæ sunt ut oppugnationi vehementi resistere queant. Uterque portus malè tutam habet stationem, quoniam ventis naves expositæ sunt. Oppidum Lemnos sive Myrina minùs est nunc habitata quàm olim: insulæ tamen solum multo fertilius, & omnibus rebus magis abundat quàm unquam antea. Tametsi autem insulæ magnus ambitus non sit, quinque & septuaginta tamen pagos continere observavi, incolis diligentibus & opulentis præditos, qui legumina & pleraque alia colunt, veluti pisa, fabas, cicer, cicerculam, lentem, triticum, linum, & cannabim: vinoque carneque, caseo & lana abundant. Porro sciendum est, omnium Græciæ insularum quæ in Mediterraneo mari sitæ sunt, & in quibus Græco idiomate utuntur, incolas, cùm securi sub Turcæ dominio vivant, ad nullam aliam rem animum applicare, quàm ut vitæ necessaria comparent, omni conservandarum arcium & propugnaculorum abdicatâ curâ, quâ Turcæ eos sublevare solent. Inde fit ut perinde ruri habitare cupiant atque in oppidis. Ad terræ itaque culturam animum applicant, neque vulgare idioma aut suam religionem ob Turcarum adventum mutârunt. E quinque & septuaginta pagis quos in Insula contineri diximus, binos duntaxat aut ternos deprehendimus, in quibus Græcè non loquerentur,

aut non

aut non essent Christiani. Verum quidem est eos qui propugnacula inhabitant, Turcas esse, sed pagorum incolæ Græci sunt. Senex quidam insulæ inquilinus nobis referebat, eam nunquam adeò cultam aut opulentam, frequentioresque incolas habuisse quàm nunc. Quæ sanè res diuturnæ paci & quieti, qua illis sine aliqua molestia frui licuit, adscribenda est. Insula equis coloris gilui abundat; gradarii sunt omnes natura, nulli succussatores; adeò humiles, ut vix inveniatur cujus precium decem ducatis æstimari possit: attamen compacto sunt corpore. Insula magis in longitudinem quàm latitudinem patet, ab oriente in occidentem, ut circiter Solis occasum Mons Athos qui plus quàm octo leucis inde distat, umbram in portum extremâ insulâ situm, ad sinistrum urbis Lemnos latus, ejaculetur, quod secundâ Iunii à nobis observatum est. Nam adeò celsus est mons Athos (ut licet Sol nondum occasui vicinus esset) ejus umbra sinistrum insulæ cornu pertingeret. Rivum quendam sequuti sumus, è rupe ab oppido dimidia leuca distante labentem, & pagum qui in planicie juxta portum est, alluentem. Ejus fons qui è loco sublimi decurrit, vulgo Cataracti nuncupatur. Nulla vulgarior est in insula planta Chamæleone nigro, florem cæruleum gestante adeò elegantem, ut ipsum cæruleum colorem provocare possit, & adeo intensum est, ut ipsum cælum, ipse cyanus flos, & cyaneus color cum illo collata pallescere videantur. Qui à nostris vulgo Carduus Benedictus appellatur, sponte in agris nascitur, nec aliquâ culturâ indiget: Græci nomine corrupto Gaideracantha, hoc est, Asininam spinam nuncupant. Asphodelo montes abundant. Quæ in Creta Ascolymbros dicitur, istic Scombrovolo vocatur, hoc est, Scombri carduus: est autem lacteo succo prægnans ille carduus, cichorii modo, flavo flore, esui admodùm aptus, adeò ut nullam radicem in hortis cultam noverimus, quæ cum Ascolymbro sapore conferri queat, etiam si in earum numero siser & pastinacam comprehendas. Quoniam verò Plinius scripsit Lemni insulæ incolas Gracculos ob id colere, quòd locustas insulæ vorarent; occasionem nobis præbuit inquirendi quænam avis esset Gracculus: sed de eo agemus in libro, quo omnium avium icones exhibebimus.

Stirpium in insulâ Lemno vulgarium nomina.

CAP. XXVI.

CONSPEXIMVS in arvis Lemni insulæ nascentia Psyllium, Thlaspi, Drabam; Cyperum verò longum & rotundum, atque Conyzæ species secundum rivos: præterea Lampsanam, nusquam neque in Gallia neque in Italia nascentem, propterea nostris ignotam. Inveniuntur etiam plures Iunci species, Pulegium, Helxine, Cotyledon, Apium majus & minus, quod Græci Pattimendilla nunc nuncupant, Attractylis, Scorpioides, Scorpiuros, Chrysanthemum, quod crudum edunt, Menthastrum, Majorana silvestris, Aspalathus, Synonis, Filicis omnia genera, Anagallis, Ruscus, Adianthon, Phyllitis, Hemionitis, Tragopogon, Tithymalus mas, Cichorium, Scordium, Anchusa, Dracunculus, Melanthij variæ species, herba Millegrana nuncupata, ab aliis Herniaria, Lactuca silvestris, Brassica silvestris in scopulis ad littora maris nascens, Brassica marina, Chamæsyce, Daucus, Anonis, Scabiosa, Medica, quam Atrivola vocant, sive Atrivolo, eodem quo Tribulum terrestrem nomine, Oxalis, Papaver corniculatum, Rumex, Nerion, Hipposelinon, Ascyron, Ilex, Pimpinella, Cucumis silvestris, Phalaris, Vrtica Romana, Polypodion, Apocynon, Peplis, Populus alba & nigra. Nascuntur & plurimæ aliæ stirpes, quas nec Latinis, nec Gallicis, nec veteribus Græcis nominibus exprimere quimus; earum tamen vulgaria nomina prodidimus, ut intelligi possit quænam stirpes in ea regione nascuntur, quibus hîc caremus. Inter ceteras autem, una est quam Archipelagi Cretæ & Nicomediæ incolæ vulgo Sarcophago nominãt, at in Lemno Phrocalida appellatur, Phryges, & Lesbij Mauronia nominant, Itali Crabonella. Alia est Andrayda nominata, alia Aguroupes, alia Coutuzusonnada à Papavere rhœade differẽs, altera Achinopoda vel Cachynopoda, quam incolæ struendo igni colligunt. Congerunt & herbam Aguroupes, & Asphodeli siccos caules, quia ligni penuriâ laborant, tum etiam quia ipsum solum alendis arboribus nisi domesticis haudquaquam est accommodum. Insulæ pars Orientem spectans siccior est, & producendis arboribus minùs apta. At quæ ad Occasum & Meridiem tendit, paulo humidior est, & virentior: loca in quibus arbores nasci queunt, & humida inter colles sita, fructiferas proferunt, uti ficus, iuglandes, amygdalas, & paucas oleas: istic nascuntur & Ziziphi duo genera, quorum alterum satis in Gallia notum est, plurimis locis, cùm Lutetiæ tum alibi Oleaster perperam nuncupatum: attamen Ziziphus alba est, Columellæ non ignota. Quæ Lutetiæ viciniſque oppidis frequens nascitur, nullum fructum fert, aut si quem fert,

non maturescit. Lemni incolæ Nerii flores spargere, & Punicæ mali ramis infigere solent; ista ratione quodammodo indicare volentes, facultatem habere punicas conservandi, ne flores abiiciant: imo sibi persuadent id prohibere quo minus mala punica findantur. Omnes incolæ Origani penuria quandam herbam inter vepres & sepes magna quantitate colligere solent, quam singuli domi conservant, & cum piscibus edunt: eam vulgo Lagochymeni, * hoc est, Leporis cubile nominant, ejus sapor & odor Origani heracleotici sunt, foliaque Millefolio similia, semen globosum, ut pilulæ Vrticæ Romanæ. Diu illam diligenterque perpendimus, & degustavimus: at nihil unquam comperimus quod legitimum Ammi magis referret, istâ plantâ. Non immeritò igitur ea utuntur condiendis piscibus cùm recentibus tum salitis. Græci vulgo Paliurum vocant fruticem quem plurimi Rhamni tertium genus esse existimarunt; quod certo asserere possumus: nam cùm insulanus quidam dolore se affici diceret ex punctura spinæ Apaliura nuncupatæ, eum in montem comitati sumus ut fruticem videremus: ac comperimus nihil aliud esse ejus Apaliura, quàm Paliurum. Eorum sepes ex Rhamno constant, qui sponte istic nascitur, vetusque nomen retinet: nam vulgus Rhamnos vocat. Altissimi totius insulæ montes Macedoniam spectant, littore Occidenti objecto in sinistro Insulæ cornu: eos Veteres Soace appellarunt. Cùm Chamæleonis nigri radices apud pagum quendam Livadochorio nuncupatum erui curaremus, plurimi Græci & Turcæ spectatum venerunt quid ageremus: eas verò frustulatim sectas filo traiiciebamus, ut faciliùs exsiccari possent. Turcæ in eo negocio occupatos nos videntes, similiter radices tractare & secare voluerunt: at cùm summus esset æstus, & omnes sudore maderent, quicunque eam radicem manibus tractaverant, sudoremque absterserant, aut faciem digitis scalpserant, tantam pruriginem iis locis quos attigerant postea senserunt, ut aduri viderentur: Chamæleonis enim nigri radix ea virtute pollet, ut cuti applicata ipsam adeò inflammet, ut nec squillæ, nec urticæ ullæ centesima parte ita adurant: prurigo tamen non adeo celeriter sese prodit. Post unam aut alteram porrò horam, singuli variis faciei locis cutem adeo inflammatam habere cœpimus, ut tota sanguinea videretur; atque quo magis eam confricabamus, tanto major excitabatur prurigo. Fonti assidentes sub platano, pro ludo habuimus initio, & risimus: at illi plurimum indignati sunt; & nisi asseverassemus nunquam expertos tali virtute eam plantam pollere, haud dubiè malè nos multassent. Attamen nostra excusatio fuit ab illis faciliùs accepta; cùm eodem incommodo nos affectos conspicerent. Mirum sanè, tantillæ radicis tam ingentem efficaciam nostro malo expertos esse. Chamæleon albus non minore copia in ea Corcyræ parte quæ Leschimo appellatur, & Cretæ planis nascitur, quàm niger in Lemno. Galli & Germani medici frustrà laborarunt in depingendo Chamæleone albo & nigro, quem non conspexerunt; & dicere audemus neutrum in Italia nasci: nam præterquam quòd stirpes per Italiam perquisivimus, nobis etiam fidem facit D. Aloisius herbarius, horti Patavini præfectus; qui asserit, utrumque conquisivisse, sed nondum istic reperisse.

* *Dispiciendum, an id Lagochymeni, cuminum Æthiopicum Matthioli sit.*

Turcarum Satrapas suo more viventes, viliter & sine deliciis epulari.

CAPUT XXVII.

QVI Soubachi loco erat, vulgo Vaivoda appellabatur: à quo cùm obtinenda esset licentia, locum unde terra sigillata eruitur, adeundi, nos ad prandium invitavit, & suæ mensæ adhibuit; quæ res occasionem præbuit, ut describerem qua ratione Turcæ suos convivas privatim in familiaribus epulis excipere soleant. Non dubium est, quin si Legatum quempiam delicatiùs tractare vellent, lautiore ciborum apparatu uti possint, quàm in eo epulo quod nobis dedit: sed narrare duntaxat volumus, quibus ordinariè vescantur. Prima patina fuit crudorum cucumerum absque oleo & aceto, quos cum solo sale edere solent: Deinde adpositæ fuere crudæ cepæ, & cruda Mouronia: tum jusculum tritici elixi, mel & panis. Et quoniam aderant Christiani Græci, vinum bibimus, quod Calohieri vicini attulerant. Hi sunt Turcarum in suis epulis apparatus: mantilium aut mappæ nullus usus. Turcæ nulla difficultate cum Christianis versantur, longeque malunt cum eis commercium habere quàm cum Iudæis. Admodùm sunt avari, nec abs re; at nobis dolet toties expertos esse. Nam & postridie cùm ex Livadochorio discedere cogitaremus, ut locum unde terra eruitur conspiceremus, Vaivoda nobis denunciari jussit, ne eò proficisceremur, nec nostros duces passus est nos deducere, nî primùm binos

aureos

aureos ducatos persolveremus; quos tandem illi dare oportuit, nihil utilitatis in hac re diplomate nobis adferente: nam apertè nobis indicavit, si locum videre cuperemus, binos aureos numeraremus, alioqui abiremus. Hujus rei mentionem facere voluimus, ut pateret quantæ sint Turcarum expilationes, si cuipiam cum illis est negocium. Nemini gratificantur, nisi parata pecunia, & præ reliquis orbis nationibus sunt pecuniæ avidi: imò si unicus duntaxat denarius expilandus restaret, eum habere volent, nec teruntium remittent. Id verò accidit, quoniam unico forsitan mense vel anno, plúsve aut minus uni provinciæ quispiam præerit, quam deserere cogetur, & ad alterius gubernationem ablegabitur, mille leucis à priore distantem: itaque nullam expilandi occasionem vel minimam negligunt.

Loci in Lemno, unde terra sigillanda eruitur, descriptio.

CAP. XXVIII.

Accepta à Vaivoda licentia, iter ad montem institui: ille tamen aliquot pastillis terræ sigillatæ me antè donavit, & Ianissarum comitem addidit. Concessimus in proximum pagum nomine Rapanidi, qui à portu Hecatoncephales appellato non procul abest. A Livadochorio usque ad Rapanidi, trium leucarum est distantia: cumque quinque essemus numero, primùm Hephæstiæ rudera videre voluimus: conspicitur adhuc vetus arx, omnino ferè disiecta, cujus muros mare alluit; omníque habitatione caret: attamen ejus portus elegantior est Lemni portu, magísque fidam navibus stationem omni tempore habet. Hephæstia directè Samothraciæ opposita est, quæ vix quatuor leucis ab insula distat. A destructo castello digressi, secundum ejus murum ad sinistram progressi sumus, versus collem iter facientes, qui non longiùs inde abest quàm quaternis sagittarum jactibus. Inter montem & portum, sacellum est Sotira nuncupatum, ad quod Calohieri oppidi Lemnos conveniunt sexta die Augusti, quo terra è suâ fodinâ erui solet. Id sacellum exiguis quibusdam parietibus solummodo constat, tectum lapideum sustinentibus. A sacello digressi, rectaque ad montem tendentes, in binas semitas incidimus, quarum altera dextra, altera sinistra ad binos fontes ducebant teli circiter jactu inter se dissitos. Quæ ad dextram est scaturigo, æstate non deficit: at quæ ad sinistram, omnino exarescit; & cùm locus sit humidus, soli junci ibi proveniunt. Nos ad dextram equitavimus, ubi nullæ arbores crescunt, præter siliquam, sambucum, & salicem, umbram fonti præbentes; quo autem faciliùs perveniatur in eum locum unde terra signanda desumitur, lapidei gradus sunt additi. Ascensus est supra terram ipsam, & ad alterum locum humidum via ducit, atque paulo suprà ad sinistram est locus terram sexto Augusti die eruendam continens. Et quoniam eruitur vena aperta, nihil aliud conspicitur quàm obliquum foramen, quod terrâ denuò tegitur. Licet verò peregrinus eò proficiscatur, atque illi locus demonstretur, nunquam coniicere queat ubi nam sit fodinæ os, quia terrâ obturatum; nec ulla ratione efficere potuimus, ut fodina aperiretur: cùm unico dumtaxat die in anno conspici soleat, non sine magno apparatu & ceremoniis.

Res viles & parvæ æstimationis celebriores fieri ceremoniis; & exigui precij rebus auctoritatem conciliari, si superstitione nobilitentur.

CAP. XXIX.

Per hanc terram demonstrabimus, quantam auctoritatem rebus vilibus & nullius alioqui per se momenti, ceremoniæ concilient: nam licet terra de qua agimus magnæ sit efficaciæ; si tamen adeò vulgaris esset, ut cuilibet eam sumere liceret, dos quam illi mortales ob ejus efficaciam tribuunt, vilesceret, nisi ceremoniis nobilior reddita esset: ita ut non dubitemus, quin, etiam si in aliâ insulæ parte similis terræ vena illi quæ in Cochino est, inveniatur, Græci eâ uti nolint, nisi dum eximitur adfuissent Calohieri, & solitas ceremonias adhibuissent: imò etiamsi ex eodem Cochino erutam haberent alio die quàm sexta Augusti, ea uti aut aliis utendam dare nolint, existimantes aliquam efficaciæ partem, ex rebus hominum ceremonias celebrantium, vel qui illis adsunt, artificio factis, accedere: atque ejus vim nullius esse momenti putarent, nisi erui conspicerent. Aliis exemplis demonstrabimus, ceremonias & superstitiones eâ quam diximus facultate pollere; & quoniam peregrini ejus rationem nondum intelligunt, exempli gratiâ Iridis radicem proponemus; quæ licet abundè in Macedoniæ montibus sponte nascatur, & vili in officinis vendatur,

vendatur, eam tamen cuivis colligere non licere creditum est, sed solis castimonia prædi-
tis, & terra unde eruenda erat, tribus antè mensibus mulsa circumfusa, hoc veluti placa-
mento terræ blandientibus. Aliis insuper multis superstitionibus rem peragebant, à Theo-
Imò Plin. lib. 21. cap. 7. phrasto descriptis: quam ob causam à veteribus Consecratrix nuncupata est. Idem dici po-
test de Visco quercino, quod Druides aurea falce demetebant, aliasque ceremonias adhi-
Lib. 16. cap. 44. sub finem. bebant quas Plinius commemorat. Ceremonias in terra sigillata variis modis fuisse adhi-
bitas certum est, illique pro ætatum ratione diversa signa fuisse impressa. Nam Dioscori-
dis ætate, qui diu ante Galenum vixit, hircinus sanguis pastillis formandis admisceri con-
sueverat: unde colligere licet quasdam ceremonias fieri solitas dum occidebantur hirci Ve-
neri sacri, quæ, ut narrant fabulæ, efficiebat, ut Lemni mulieres hircum olerent, cujus rei
causa à viris despectæ, uno consensu omnes insulæ mares trucidârunt. Inde factum ut sa-
cerdos pastillos capræ imagine signaret, unde nomine Græco Sphragida ægos, hoc est, si-
gillum capræ appellavere. Quoniam autem capræ & hirci vulgo in insula immolabantur,
eorum sanguis terræ admiscebatur. Meminit Aristoteles conspectum esse in Lemno hir-
cum, atque secundum ab illo generatum, qui lac in uberibus caprarum instar habuerint;
at pro prodigio illud refert. Galenus hujus terræ mistionis modum cognoscere cupiens,
dum Roma in Alexandræam Troada Romanorum Coloniam navigaret, Lemnum appu-
lit, & ad locum memoratum perveniens, perquisivit an hircinus sanguis etiamnum terræ
admisceretur, antè quàm signaretur: at eam consuetudinem jam desiisse comperit, &
quæ in ejus locum successerat, describit; nempe Sacerdotem conscenso colle certum quen-
dam tritici & hordei numerum in terram conjecisse, aliisque quibusdam pro religione pa-
tria perpetratis, plaustrum totum terra implevisse, atque in urbem Hephæstiada convehi
curasse. Adjecit pleraque alia, quæ brevitatis causa prætermittimus. Mirum sanè Lem-
niam sphragida tam longo ævo in usu fuisse; atque inter homines adeò fama celebratam,
etiam ipsius Homeri & Herodoti ætate, qui Dioscoridem & Galenum multis seculis præ-
cesserunt, adeò celebrem fuisse, ut ceremoniis & patriis ritibus augustior redderetur. Hoc
porro nostro seculo, utrique illi ritus, quantum observare & intelligere potuimus, planè
obsoleverunt, aliique sunt inducti, quos quidem non vidimus (nam sexta Augusti in insula
non fuimus) sed veros esse asserere non verebimur; quandoquidem plus quàm sexcenti
viri toto suæ vitæ cursu eos ita celebrari viderunt. Totius ergo insulæ primæ auctoritatis
viri cùm Turcæ tum Græci sacerdotes & Caloieri, in sacellum nomine Sotira conveniunt,
celebrataque Liturgia more Græcanico, precibusque fusis, omnes simul, Turcis comitan-
tibus, collem (qui à sacello, gemino teli jactu duntaxat abest) conscendunt, atque quin-
quaginta aut sexaginta viros ad fodiendum adhibent, donec venam terræ aperuerint: de-
tectâ venâ, Caloieri sacculos quosdam ex animalium pilis confectos terra implent, quos
Turcis astantibus tradunt, nempe Soubachi, aut Vaivodæ: cùmque tantum terræ exeme-
rint, quantum in illum annum sufficere existimant, iisdem operis, qui illic adhuc præsto
sunt, venam denuò tegi curant aggestâ terrâ. Tum Soubachi maximam effossæ terræ par-
tem ad Turcarum Imperatorem Constantinopolim devehi curat. Reliquum mercatori-
bus vendit. Et ne quis nisi eorum operâ illam habere queat, severis legibus incolas coër-
cent; neque fieri etiam posset, ut quispiam (licet viginti operas integrâ nocte adhiberet) ad
terræ venam usque pertingat, quin facile animadvertatur. Qui dùm effoditur circumsi-
stunt, singuli in suum usum, ejus pauxillum sumere possunt: at eam divendere non audent.
Turcæ minùs scrupulosi sunt Græcis & plerisque aliis nationibus: permittunt enim, ut
Græci Christiani suas imprecationes supra terram sigillatam ipsis præsentibus faciant; eós-
que etiam adjuvant. Porrò si verum est quod seniores insulæ nobis narrârunt, ritus ille de-
ligendi certam diem in anno, primùm inductus fuit Venetis imperitantibus Lemno, &
reliquis Ægæi maris insulis. Ipse collis non adeò sterilis est, quin triticum satum optimè
proveniat. Nullus est incolarum qui de Vulcano quidpiam recitare non norit. Atque
quemadmodum in insula Corsula, pueri historiam Delphini recensere sciunt, tanquam
si recens accidisset: sic & in Lemno de Vulcano fabulantur, sed non uno modo: nam alii
referunt ipsum equi lapsu crus confregisse, atque eodem loco, terræ vi & efficacia sanitati
restitutum fuisse: alii, coxendicem fregisse solum, isticque hærere coactum donec curare-
tur; quæ opinio antiquitatis aliquam scintillam retinet. Nulli sunt homines designati ad
terram conservandam, neque ulla murorum vestigia conspiciuntur, quibus ille locus ad
faciliorem tutelam septus fuerit, ut olim creditum est.

Piscium

Piscium ad littus insulæ frequentium nomina.

CAPVT XXX.

Cvm montem circumivissemus, in pagum Rapanidi, sexto globi jactu à Cochino monte solùm distantem pervenimus: montem appellamus, non quòd præaltus sit, sed tumulus duntaxat collis instar, ascensu non adeò difficilis, & media ex parte humilior Monte martyrum, vulgo *Mont-martre*, Lutetiæ vicino, & per quem boves currum ad summum usque verticem trahere queant. In Rapanidi existentibus, plurimi pisces nobis delati fuere, capti in proximo portu, vix tertio globi jactu inde distante. Ex his nonnulli hamo capiuntur, ut Veterum Cana, quem ipsi Cano, Massilienses Serran, & Genuenses Bolasso appellant; alius item vulgo illis Ropho dictus, veterum Orphus. Sagena capti pisces erant Blenni, Glini, Atherinæ, Sargi, Gobij, Merulæ, Turdi; & veterum Græcorum Iulides, vulgo verò *Sgourdelles*, ii nempe quos Veneti ob elegantiam Donzelle vocant, Genuenses Zigurelle. Nunquam impetrare potuimus ut Græci ejus pagi incolæ, nobis terram ostenderent, ob Turcarum metum: tandem unicus repertus qui ejus sacculum clam traderet, atque totâ nocte iter faciens in oppidum usque Lemnos deferret: qui si proditus fuisset, Soubachi sive Insulæ Præfectus magna facultatum parte eum multasset. Varia terræ genera in diversis insulæ pagis invenimus: at nemo unquam sigillatam ostendit, præterquam in nonnullis ædibus Myrinæ, nunc Lemnos nuncupatæ. Nobis etiam certo affirmatum est, jam ab omni ævo terram eodem loco eximi solitam, nec fodinæ locum immutatum. Nulli labori & diligentiæ pepercimus, ut Labyrinthi vestigia in insula Lemno inveniremus: quæ si ulla superessent, ea nos perinde atque reliqua reperturos fuisse arbitramur. Insula Lemnos magna arborum penuria laborat: nam nullæ feræ abundanter crescunt, nisi apud pagum Rapanidi, ubi Esculi arborum siluula est, quæ ad struendum ignem non cæduntur, sed conservantur, pharmaci cujusdam, à Græcis & Italis *Velonie* nuncupati, ex illis exstillantis gratiâ: calicibus verò & glandibus ejus arboris (quæ perpetua fronde viret) ad curanda coria utuntur. *Velonie* ex Insula non transferunt, verùm in suum usum & commodum servant. E loco unde terra in colle effoditur, usque ad oppidum Lemnos, mille & ducentorum duntaxat passuum est distantia. Peragratis omnibus insulæ locis, in pagum Livadochorio rediimus, & nostrum Ianisarum dimisimus. Subsequentibus diebus, errabundi per insulam vagati sumus, navim vectoriam expectantes, & quendam virum è Chio oriundum reperimus in Lemno medicinam exercentem, at ipsius artis adprimè rudem, qui nihilominus breviore quàm biennii spacio plus quàm trecentos ducatos lucratus erat: arbitramur enim nullos unquam ad medicamenta sumenda procliviores fuisse ejus insulæ incolis. Illi mercedem non persolvunt præsente pecunia, sed ex iis quæ possident largiuntur; hic hordeum, alius caseos, tertius allia & cepas, lini semen: quæ res æquè nobis erant utiles, ac præsens pecunia, quandoquidem eas in nostrum usum comparare oportuisset.

Chondrillæ gummi, aliáque singularia, tum serpentum qui in insula Lemno reperiuntur nomina.

CAPVT XXXI.

Interea dum per Insulam iter facio, negocium quibusdam incolis dedi ut omnia serpentum qui in insula reperiuntur, genera viva caperent, quorum diligentem sectionem & anatomen feci. Et quoniam vernacula istic nomina obtinent, ea subsequente ordine descripsimus, Cenchriti, Laphiati, Ochendra, Sagittari, Tephliti, vel Tephlini, Nerophidia: quæ omnes appellationes, licet vulgares sint, antiquas tamen nonnihil resipiunt. Nam Cenchriti, Veterum Cenchris est, cujus iconem ad vivum expressam, hîc subiicere libuit.



Laphiati, illorum est Elaphis. Ochendra nihil aliud est quàm Echis aut Echidna, quæ tamen non est legitima vipera. Amphisbæna vetustum nomen retinet. Sagittari veterum est Iaculus. Andri tamen & Pari incolæ in hujus serpentis appellatione non conveniunt: nam Iaculus maculis nigris oculi picturam affabrè referentibus, in dorso insignitus est, uti Torpedinis piscis dorsum, quam Plinius

Oculatam

Oculatam nuncupavit,ad Melanuri differentiam. Tephliti,vel Tephlini convenit nomine cum veterum Typhlino. At omnium icones & historias libro de Serpentum natura exhibemus. Phalangia Lemni, unius solùm sunt coloris; eam ob causam à Cretensibus & Zacynthinis discrepant. Conspecta tanta Chamæleonis nigri in Lemno abundantia,existimavimus albi Chamæleonis gummi facilè nos invenire posse; eaque de causa incolas percontati sumus an Collam haberent: Chamæleonis enim gummi, ipsiusque Chamæleonis albi planta, Græcis Colla vocatur. Capsarum quidam opifex respondit se proferre posse, & quod Colla vocabat, nobis attulit: verùm Chamæleonis albi gummi id non erat, sed Chondrillæ, qua in testudinibus & tessellatis operibus glutinandis uti solent; idque ad radicem ipsius plantæ generatur operâ vermiculi cujusdam, ipsam prærodentis, deinde tuberculo quodam fabæ magnitudine, è lacteo succo ex radice profluente conflato, sese includentis. Id Lemni incolis notum est, &, ut dixi, proprio nomine illis vulgo Colla dictum. Ceræ genus illud quod veteres Propolim appellarunt, magis flavum est in Lemno, quàm vulgaris propolis, quæ plerumque alibi nigricat. Stirpes in insulæ parte ad Orientem spectante, proximè collem unde terra eruitur, nascentes, sunt Thapsia, & Centaurium minus. Seduli sunt in Xylo serendo atque Sesamo. Nullus illorum ignorat Andraida herbæ decoctum epotum, adversus stomachi & pectoris dolores utile esse. Rustici diligenter observant aspera & montana loca, in quibus caprifici nascuntur: horum etenim ramos, die, illum qui D. Ioanni Baptistæ sacer est præcedente, demetere, & domesticis ficubus imponere solent, illorum fructus ab omni noxa conservatos iri hac ratione sibi persuadentes. Aquarum scaturigines diligenter etiam ab illis excoluntur; quoniam hortos alunt, in quibus inter cetera, allia & cepas libenter serunt, atque cucumeres, quibus non memini edere suaviores. Illis verò cum solo pane, nullo addito oleo aut aceto, vesci solent. Quòd si quis familiaris hortum ingrediatur, tum rusticus selectiorem aliquem cucumerem decerpet, eique manu sinistra apprehenso, & recto detento corticem secundum longitudinem usque ad pediculum adimet, quem supra manum stellæ instar propendere sinet; deinde cucumere in quatuor partes fisso, eum honoris gratia astantibus partietur, sine alio condimento edendum. Hæc ideò adscripsi, quoniam nostris nova erunt: at apud illos summæ civilitatis æstimatur; quemadmodum cùm apud nos pyrum aliquod optimi succi alicui præbetur.

Ostrea quæ vulgo in Lemni insulæ littoribus capiuntur.

CAPUT XXXII.

In Lemno nullum est flumen: eam ob causam incolæ nullum fluviatilis piscis nomen nobis indicare potuerunt: sed quia insignes habent in littore maris piscationes, marinis piscibus abundant. Et quandoquidem Ostreorum, quæ Gaideropoda nominant, piscationem vidimus, ejus rationem hîc adiicere libuit. Piscator oblongam perticam, (cujus extrema pars cuspide ferreâ planâ munita) manu tenet, quâ magnis ictibus Ostrea scopulis inhærentia verberet, hæc in mare dejecta, manu ferrea (quâ pertica alterâ extremitate prædita est) sublevat & eximit: eâdem ferreâ manu Erinaceos marinos piscari etiam solet. Differunt illa Ostrea plurimum à nostris: nam eorum testæ duobus tuberculis tam firmâ articulatione connexæ sunt, ut difficillimè aperiri queant: ea quoniam magnam similitudinem habent cum asini vngula, Græci vernacula lingua Guaideropoda, hoc est asini pedem, appellant. Nullum parvum Cancrum alunt, quemadmodum nostratia. Myrina discedentes, rivulum quendam sequuti sumus nomine Salinari, atque iter ad molam vento versatilem, in tumulo qui ad dextram est, sitam, instituentes versus Candiæ portum, sterilem locum invenimus, in quo nihil nisi Chamæleon niger, & quibusdam etiam locis albus: atque terram rubram conspicientes, fodere cœpimus, & venam quandam terræ aperuimus, cujus quantitatem desumptam cum Hephæstiana diligenter contulimus, ipsamque omnibus notis illi quam rusticus è Rapanidi attulerat, respondentem deprehendimus. Nam quemadmodum diximus, omnis terra sigillata unius coloris non est: sed interdum fit ut vena inveniatur candidior, nonnunquam magis rubra, aliquando utriusque coloris particeps. Coriarij in Lemno ad glutinanda coria, glutinis loco, pingui terrâ utuntur: Attamen propterea haud dicimus terram Cochini montis pinguem esse: sed ut plurimum magis macram, quemadmodum ferè marga.

Rondeletij Spondylos est sive τράχηλος. Contrà Rondeletius lib. 1. de Testaceis cap. 40.

Calidarum aquarum in Lemno ſcaturigo, & Græcorum monachorum monaſteria.

CAP. XXXIII.

NVLLA eſt in Archipelago ſive Ægæo mari inſula, quæ Calohierorum Chriſtianorum monaſterium non habeat. Lemni monaſterium à pago Livado chorio non procul abeſt, & Agio Paulitico appellatur. Calidarum aquarum ſcaturigo eſt in inſula, quam Græci vulgo Thermes nominant: adeò tamen calidæ non ſunt, ut pleræque aliæ; nam ad ipſam etiam ſcaturiginem ſeſe in eas immergere licet: quod in reliquis, quas per Phrygiam, Ciliciam, Arabiam, Macedoniam, Italiam, Germaniam & Galliam vidimus, Thermis obſervare non potuimus, quandoquidem eæ aquæ primùm refrigerari debeant. Nulla propterea iſtic ingens eſt ſtructura, ſed ſolùm exiguum tuguriolum, in quo quilibet veſtes exuere poteſt, & inde in fornicem ingredi, ubi ſola ingens eſt lapidea pila, quæ olim ſepulchri uſum præbuit. Exiguam ſcaturiginem habet hæc aqua; eam ob cauſam unicus ſolummodo, aut bini ſimul lavare poſſunt.

E Lemno in Thaſon inſulam navigatio.

CAP. XXXIV.

INDE in Thaſum Lemno admodum vicinam cum duobus Calohieris trajicere volui. Ante auroram è portu ſolventes, illuceſcente jam die tantum progreſſi eramus, ut medio quaſi itinere inter Lemnum & Thaſum eſſemus: verùm adverſus ventus adeò vehemens exortus eſt, ut etiam invitos in Scyrũ inſulam quinquaginta miliaribus infra Lemnum ſitam appellere cogeret. Tanta tempeſtate quatuor horarum ſpatio noſtra navis deferebatur, ut ante noctem in Scyrum appelleremus: in ea altiſſimi ſunt montes. Subſequente die vela vento committentes, ut Thaſum perveniremus, ſatiſque ſecundo vento in navigatione uſi ſumus. Iſtic triduo hæſimus, hac illac errabundi, deinde navem conſcendere oportuit quæ in Montem ſanctum, alio nomine Athos nuncupatum, curſum tenebat. Non mirum eſt ſi Romani olim Thaſium marmor in precio habuerunt: nam ipſi montes & ſcopuli illius inſulæ ex elegantiſſimo candidiſſimoque marmore conſtant. Oppidi portus fidem præbet olim id admodùm excultum fuiſſe. Inſulæ montes abietibus & piceis abundant, frequenteſque in iis naſcuntur Thapſia & ferula. Nonnullis adhuc inſulæ locis magni Scoriæ, hoc eſt, metallicorum recrementorum cumuli reperiuntur, ex quibus manifeſtum indicium eſt, olim iſtic divites fuiſſe fodinas; quod cum his quæ Herodotus ſcripta reliquit, convenire videtur, Thaſum auri argentique fodinis illuſtrem fuiſſe urbem. Nobis demonſtrata fuerunt vetera numiſmata argentea, quorum inſcriptio Græca erat Thaſiorum. Thucydides Græcus Auctor Thaſi fodinis Præfectum ſe fuiſſe ſcribit: Erant verò ſub Alexandro Macedone Thaſii: nam licet inſula ſit Thraciæ vicina, Macedoniæ tamen admodùm etiam propinqua eſt, non procul à Bucephalæ portu; Thaſi autem portus ſolùm duobus miliaribus & ſemiſſe diſtat à Macedoniæ continenti. Thaſi fodinæ olim ſingulis annis octoginta talenta Philippo & Alexandro pendebant: at nunc planè deſertæ ſunt. E Thaſo ſolventes ut in Montem Athon traiiceremus, quatuor horarum ſpacio ad monaſterium Liatopedi appulimus, quod inter reliqua in totius montis Athou Iſthmo conſiſtentia monaſteria facilè primarium eſt.

Montis Athou deſcriptio, & de rebus in eo memorabilibus.

CAP. XXXV.

QVEM nunc deſcribemus montem, Græcè Athos, Italicè Monte ſancto appellatur. Nihil ſcribere meminimus, quod, hoc monte, magis ſigillatim deſcribi mereatur: nam veteres Auctores illius adeò frequenter meminerunt, ut eorum ſcripta meritò celebrem illum reddiderint. Et ſanè mira eſt ejus forma. Quod olim Herodotus de Perſarum rege & hoc monte ſcripſit, nimirum Xerxem eum in ipſius iſthmo, quà anguſtiis quibuſdam continenti conjungitur, fodiſſe, ut claſſem iſtac traiiceret; planè à veritate alienum nobis videtur: attamen certò ſtatuere non audemus. At cùm iſtac tranſiremus, de induſtria locum diligenter perluſtravimus: nam ex Hieriſſo oppido digreſſi, ut an inciſio-

num & fossarum aliquot vestigia exstarent conspiceremus, nulla observavimus: vel si olim fuerunt, nunc planè obruta & adæquata sunt.

Tametsi in diversis totius orbis partibus plurimæ sint nationes Christianam religionem variis ritibus colentes, omnesque Christum agnoscentes; nulla tamen est, quæ summum aliquod caput in sua Ecclesia non constituerit. Atq. asserimus Græcanicæ Ecclesiæ ritus latiùs patere quàm Latinæ: Græci autem cùm à Romana ecclesia secessionem fecerint, alios ritus sibi delegerunt, à Latinis admodũ differentes. Quemadmodũ autem Latini unicum Ecclesiæ caput agnoscũt, quod Romæ suam stationem habet, eiq. omnes nationes ejus doctrinam sequentes obediunt: similiter Orientalium Ecclesiarum capita, Patriarchæ nuncupantur, quorũ sedes variis locis designatæ sunt: nam plurimi populi, etiam Græco sermone non utentes, Patriarchis subjecti sunt. Poëtæ & Historici hunc montem mirum in modum illustrarunt; fuit etiã ab omni antiquitate Græcis religiosis dedicatus: & arbitramur Ethnicorum etiam tempore à sacrificis idola colentibus habitatum fuisse. Unica est per universam Græciam Religiosorum differentia, quorum masculini sexus Caloieri, feminini verò Calogriæ appellantur; quæ appellatio nostro idiomate reddita, tantum valet, quantũ apud vulgus bellus pater: Attamen Caloieros probum senem, & Calogria bonam vetulam propriè significat. His mons Athos olim dedicatus fuit, & privilegium datum, quod etiamnum hodie retinent, nempe, neque Græcum, neque Turcam hunc montem habitare posse, nisi Caloierus sit. Caloieri nunquam matrimonium contrahunt, licet Græci sacerdotes conjugati sint. Per omnem vitam carnium esu abstinent, atque etiam frequentissimè piscium sanguine præditorum, præsertim quadragesimæ ipsorum tempore. Duriter admodum vivunt, & vix vllum ferculum illis est usitatius olivis conditis, non nostris similibus, sed nigris & maturis, quæ sine muria, instar prunorum exsiccatorum servantur. Ceterum quoniam sex ferè Caloierorum millia variis ejus montis locis habitant, in quo propemodum quatuor & viginti ampla vetustaque monasteria validis altisque muris septa, hinc & inde sparsa cùm maris litore tum continente, quæ ingressi sumus; tum etiam quod qui ea adeunt gratis alantur: præter institutum facturus non videor, si ipsa eo ordine quo sita sunt recenseam, propriisque nominibus appellem: namque certus sum, Græcas ceremonias istic diligenter observari, eamq. ob causam istos Caloieros maius sanctimoniæ nomen adquisivisse, reliquis qui in monte Atho educati non fuerunt. Provinciæ autem quæ Græcorum religionem sequuntur, sunt Circassi, Walachi, Bulgari, Moscovitæ, Russi, potior Poloniæ pars, & Mingreliæ, Bosniæ, Albaniæ, & Illyrici sive Sclavoniæ, cum nonnullis Tartaris, deinde Serviani & Croatæ. Breviter omnes provinciæ circa pontum Euxinum sitæ, cùm circa ipsius littora, tum continente, Græcorum religionem sequutæ sunt. Hi omnes montis Athou Calohieros majore in honore atque æstimatione habent, plusque illis tribuunt quàm aliis qui in eo monte non fuerunt. Imò ipsi Turcæ qui in omnes pænè suprà enumeratas provincias imperium obtinent, magnas illis eleëmosynas conferunt ob vitæ sanctimoniam & strictam ceremoniarum observantiam. Monachi montes Sinai & Libani incolentes, Divi Antonii solitudines oppidum Tauri, exterioraque loca ad Erythræi maris littora sita, Antiochiam item, Alexandriam, Hierosolyma, Prusam, Damascum, atque pleraque alia monasteria, passim per Asiam & Turcarum ditionem sparsa, etiam apud Christianos majore in precio habentur, cùm in monte Atho habitarunt. Omnia monasteria & monachorum genera per Asiam sparsa, à nobis enumerata, sub Turcarum imperio quæ sunt, sua sacra idiomate Græco peragunt. Atque licet Græcanicæ ecclesiæ caput, Patriarcha nuncupatus, Constantinopoli sedem habeat, plerique tamen alii idem nomen, similemque potestatem obtinent, in iis provinciis quibus præsunt. Nam Patriarcha Alexandrinus absolutam habet potestatem in eos qui Græcos ritus observantes in Ægypto & Arabia vivunt, magnificasque in Memphi sive Cayro habet ædes (quas vidimus) ædibus Patriarchæ Constantinopolitani (quæ peculiari nomine Patriarchatus nuncupantur) non multum inferiores. Alius Patriarcha Damasci residet, qui absolutè imperat omnibus monasteriis & hominibus Græcæ religionis Syriam incolentibus: is singulis annis decima quinta die Augusti in Monasterio supra montem Libanum adesse cogitur ad liturgiam celebrandam. Est præterea alius Antiochiæ, qui Monasteriis & aliis Christianis Græcis præest, qui Barut, Tripolin, Haleb, aliaque plurima Asiæ loca inhabitant. Turcarum Imperator hos Patriarchas sua religione uti permittit, modò tributum persolvant. Dicitur verò Constantinopolitanus pro monasteriis in monte Atho sitis, aliisque per Europam sparsis, duodecies mille ducatos aureos pendere. Porrò cum istorum Patriarcharum quispiam è vivis excessit, Episcopi & Metropolitani, qui nostrorum Cardinalium instar sunt, conveniunt ut alium eligant: perpendendum autem est, neminem Patriarcham creari posse, nisi primùm Metropolitanus fuerit; quod cum Pontificia constitutione convenit.

Ceterum ex sex Religiosorum quos Caloieros appellavimus milibus in monte Atho degentium, ne quem otiosam vitam traducere existimetis: nam summo diluculo è suis monasteriis egressi, singuli sua instrumenta gestant; alii bipalium, alii ligonem, alii falcem, peramque habentes ex humero dependentem, in qua panis biscoctus & cepæ. Singuli pro sui monasterij œconomia sustinenda laborant; alii vineas fodientes, alii arbores cædentes, alii naves fabricantes. Neque aptiorem eorum comparationem facere possemus, quàm cum Principis cujusspiam familia œconomicè & bene constituta: alii etenim sartores sunt, alii fabri murarii, alii lignarii, alii alia opificia exercentes in communem omnium utilitatem, ad lanæ usque pensa etiam ducenda, è quibus sibi interulas texunt, & vestes comparant: vili profectò vestitu amiciuntur, isto ferè modo quo Heremitæ à nostris vocati, & qui furva veste utuntur, Galli *Enfumez* & *Bons hommes* nominant. Ipsos nuncupassemus monachos vulgari nostro loquendi more, nisi hac dictione abuteremur: nam monachi vocabulum, unicum designat, qualis nobis Heremita, sive in monte Atho Phileremos dictus.

Ad hujus montis (cujus longitudo trium dierum itinere patet) formam rectè exprimendam, proponenda est nobis hominis resupini in mari ab occidente in Meridiem extensi Idea. Quemadmodum verò si quispiam resupinus natans pedibus littus contingeret, id spacium quod pedes occuparent, angustius efficeret, quàm quod reliquæ corporis partes, atque inde paulatim in latitudinem sese explicaret ad scapulas usque, & inde denuo, ubi collum est, in angustias coiret, deinde caput rotundum magisque eminens reliquo corpore appareret: sic etiam summum jugum in extremo monte Atho attollitur, quod à navigantibus plus quàm triginta miliarium intervallo conspici potest; estque illa eminentia totius montis caput. Atque si quis procul è Macedoniæ montibus ipsum conspiciat, supini hominis formam referre videtur: nam ut mentum atque nasus supini hominis magis eminent, deinde paulo pòst intervallum conspicitur inter mentum & pectus, expressum eo cavitatis spacio quod à mento ad guttur descendit: eadem planè ratione conspicitur mons dilatari, humerorum altitudinem ostendens, deinde in arctum quodammodo sese cogens: sic ut corporis medietas in ipso umbilico constituatur: postea denuò intumescit, ut in corpore coxendices, atque progressionem faciens usque ad genuum locum, quæ attolluntur non secus ac si resupinus crura nonnihil contrahat. A genubus deinde crura extensa in arctum ita desinunt, ubi videlicet continenti junctus est mons; ut Cherronesus illa montis Athou, hominum industria expresè facta videatur, ut humani corporis resupini formam exprimeret. Eam ob causam facilè accedimus ad id quod de Dinocrate architecto dictum est, qui Alexandro persuadere conatus est ut supini hominis formam ædificaret, una manu oppidum sustinentem, & altera craterem, ex quo proflueret aqua omnibus advenis potum subministratura.

Quinque vel sex nunc esse Caloierorum Græcorum in Atho monte degentium millia, hinc inde per Monasteria sparsa.

CAPVT XXXVI.

VNIVERSVS hic mons cùm peditibus tùm equitibus aditu perdifficilis est: in quo recenseri possent quinque aut sex Caloierorum millia in monasteriis habitantia, quæ vigesimum tertium aut quartum numerum explent. Nullum verò est cœnobium quod plures ducentis Caloieris pro portione non habeat: etenim in quibusdam trecenti aluntur, in nonnullis ducenti, in aliis centum & quinquaginta, in aliis centum, atque in aliis similiter plures vel pauciores.

Omnia monasteria in monte Atho firma & munita esse adversus Piratarum incursiones: licet illis non admodum iniqui aut molesti sint.

CAP. XXXVII.

EX viginti tribus vel viginti quatuor monasteriis in hoc monte exstructis, nullum est, quod munitum & muris probè cinctum non sit, cùm ut hostium vi, si eos invaderent, tum piratarum excursionibus, si opus foret, resistere queant. Nam cùm maris littora incolant, divexare possent piratæ, nisi munita haberent monasteria. Attamen illi ipsi piratæ, licet etiam sint Turcæ, ab omni humanitate alieni, Caloieris vix molesti esse solent, aut illos offendere magnopere conantur. Iustitia nimirum etiam inter latrones

locum obtinente, atque ratione inter sceleratos imperium habente. Etenim licet omnium mortalium sint nequissimi, & religionis maximi hostes; conscientiâ tamen illorum animos urgente, montis Athou Caloïeros minimè lædunt: imò qui neque patri matríve, neque fratri aut sorori, aut cuivis sanguine juncto, neque amico parcerent, quin eos venundarent, naturæ quodam modo instinctu Caloïeros observant. Illi verò piratæ hominibus insidiantur non modò ob eorum facultates, sed etiam ut ipsos in servitutem redigant: nam singula mancipia quinquagenis ducatis aureis æstimare solent.

Montem Athon in eâdem æstimatione apud Græcos esse, qua Roma apud Latinos.

CAP. XXXVIII.

IAM ab eo tempore quo Græci scriptores celebres esse cœperunt, fuit hic mons magnoperè commendatus: quod etiam nomen illi datum indicat. Græcis enim vernaculo sermone ἁγίων ὄρος appellatur, apud quos in ea est sanctimoniæ opinione, quâ Roma apud Latinos. Quibus per eum montem iter facere contingit, cujuscumque negotii causa, victus per monasteria gratis subministratur: verùm à Caloieris nihil aliud sperandum est, quàm quo ipsimet vesci solent, videlicet olivæ conditæ, crudæ cepæ, fabæ aquâ maceratæ deinde salitæ, panis bis coctus, rarissimè recens panis, & nonnumquam salsi vel recentes pisces; quoniam maris littora accolunt. Omnia porrò monasteria usque adeò vicina non sunt: duo verò duntaxat inter ea sunt primaria, unum Vatopedi nuncupatum, alterum Agias Laura. Magnâ verò maris opportunitate utuntur, cùm propter navigationem qua illis omnia necessaria aliunde advehuntur, tum propter piscationem quæ illis perutilis est. Temporis etenim fallendi gratia piscationi indulgere solent; quam ut commodiùs exercere queant, naviculas ex crassis Platani truncis conficiunt sine magnâ difficultate, atque sine impendio, ex singulis videlicet truncis excavatis, singulas fabricantes, illis scaphis ferè similes quibus Ararim aut Sequanam traiicere solent. Aliàs binos truncos excavatos ligneis clavis in navicularum formam conjungunt: quibus (dum venti silent & malacia est) tam altè in mare progrediuntur, quantum ad piscationem requiritur: illorum verò retia, suberis defectu, cucurbitis, uti in Propontide pini corticibus sublevari solent. Monasterium Agias Laura nuncupatum, inter reliqua totius montis monasteria facilè principatum obtinet, atque ad radices celsissimi jugi (quod verus Mons Athos est) situm est, qua parte Lemnon spectat: in eo sunt circiter trecenti Caloïeri. Monasteria igitur per montem sparsa, ea parte qua Macedoniæ continenti conjunctus est, recensebo.

Monasteriorum nomina, serie quadam enumerata, sumto ab iis initio quæ continenti sunt proxima.

CAP. XXXIX.

MACEDONIA digressis, & magnum quendam pagum Hierizos nuncupatum paulo supra isthmum situm ingressis: atque inde secundum maris littus progredientibus, in isthmum nomine Aladiesna pervenitur, deinde ulterius in Prulacas: postea in collem Megalivigla appellatum ascensus est. Eo loco interdiu & noctu fiunt excubiæ, præsertim quando piratarum excursiones metuuntur. Nuper admodum Hierizos ingens duntaxat pagus fuit: at abhinc octennium Turcarum Imperator muro includi & muniri jussit, ob piratarum metum. E Megalivigla progressis, primus fons in ipsa via occurrit, Græcis Protonero nuncupatus; quo prætergresso, & isthmo superato, in montis Athoû ditionem est aditus, atque monasterium nomine Sguraf occurrit. Littus deinde versus Orientem legentibus, aliud monasterium invenitur Chelandari appellatum, postea monasterium Simeon elegans & peramœnum, nequaquam tamen magnitudine, amœnitate aut opulentia cum sequente Vatopedi nuncupato comparandum. Quinto ad Pantocratorou, sexto ad Yvero supra tumulum in littore situm pervenitur; septimo ad Philotheou, octavo ad monasterium Caracoul omnium ferè postremum: nam quod in extremo monte ad radices altissimi jugi Athou situm est, Agias Laura nominatur. Ex Agias Laura monasterio digressis, atque ad aliud montis latus obversis, alia similiter monasteria cùm in littore, tum in continenti occurrunt, quemadmodum in eo quod descripsimus latere. Montis igitur ambitum sequentibus, & ex Laura digressis primum occurrit monasterium

Agiou Paulou, quod insulæ Scyro objectum est, deinde monasterium Dionysio, tertiò Glygoriou, quartò Russio, Russiæ peculiare. Postea inveniuntur monasteria Xenopho, Archangelos, Diocherio, & Castamoniti: quæ monasteria in montis ambitu secundum mare sita sunt. Quæ longiùs à littore absunt, vel in planicie aut vallibus, aut silvis, sunt Castamoniti, Simon petra, Ichares protato, Cothleomus, Philotheou. Nemo porro mirari debet, tot monasteria in eo monte exstructa: nam trium dierum itinere in longitudinem, dimidii verò diei in latitudinem patet. Habent hæc monasteria in suis templis sacras reliquias, ad quas frequens fit concursus. Templa egregiè ornata & exstructa, in quibus Caloieri singulis diebus Liturgias canunt, omnia Græco sermone proferentes. Olim in eo monte boni libri Græci manuscripti inveniebantur: nam ejus montis Græci tum temporis multo doctiores erant quàm nunc sunt. At jam omnes indocti, vixque in singulis totius Montis Athou monasteriis unicum eruditum Caloierum reperias. Theologici libri manuscripti, fortassis inveniantur: at nulli poëtici, nulli historici, nulli philosophici.

Cur plerique libri in Græcia perierint; de monasteriorum in monte Atho fundatione: atque summa in qua Græciæ Ecclesiastici versantur, ignorantia.

CAP. XL.

HVNC Græcorum librorum interitum, Græciæ populorum, qui à suis majoribus prorsus degenerârunt, negligentiæ & ignorantiæ adscribendum esse necesse est. Nam non solùm nostrâ memoriâ, sed etiam jam multo tempore, neminem per universam Græciam, aliquâ eruditione præditum reperias. Concedimus quidem aliquos Græci & Latini sermonis peritos: at de doctrinâ & eruditione studio adquisitâ intelligimus, quemadmodum nunc apud Latinos plerique inveniuntur. Inter sex Caloierorum millia, qui nunc in eo monte versantur, vix binos aut ternos in singulis monasteriis invenias qui legere aut scribere nôrint. Nam Græcanicæ ecclesiæ præfecti, & Patriarchæ, Philosophiæ hostes, omnes sacerdotes aut religioni initiatos, qui alios quàm Theologicos libros legerent aut describerent, anathematis fulmine petierunt: atque aliis persuaserunt nemini Christiano operam in Poëtica aut Philosophia navare licere. Ecclesiastici autem fulmine excommunicationis icti, absolvi non poterant, nisi arctissimis quibusdam iejuniis, & certâ pecuniæ summâ, aliisque corporeis quibusdam punitionibus præcedentibus & pœnitentiæ loco inflictis. Omnia monasteria suprà enumerata olim à diversis nationibus cùm peregrinis tum Græcis fuere instituta, suosque reditus in variis orbis regionibus adsignatos habuerunt. Multa adhuc exstant quæ censum annuum ex Russia usque, Walachia, Trapezunte, Italiaque & Roma missum accipiunt. Caloieri enim Vatopedi, suum monasterium ex Romano quodam templo censum accipere solere referebant, unde nihil amplius ad eos perferretur. Atque licet Russi, Walachi, Bossenæ, Mengreliæ & Circassiæ incolæ atque Moscovitæ sermone, eoque à Græco dissimili, inter se differrent: nonnullum tamen adhuc censum ab illis recipere: eum autem qui à Latinis provenire solebat, intermissum esse. Omnia quæ enumeravimus, ritu Græco, non autem Latino, sese habent. Per Latinum ritum intelligimus eum quem Romani Pontificis mandata tradunt. Ceterùm quoniam inter Caloieros nulla est vestium varietas, omnes inter se ferè sese norunt; quorum vivendi ratio sanè mira est. Neque canabeas neque lineas gestant interulas, sed laneas, quas ipsimet nere solent: eorum amictus colore & forma convenit, ut diximus, cum eorum vestitu quos Galli Infumatos nominant. Nec quispiam est in quocunque etiam monasterio, qui artem aliquam mechanicam non exerceat; nunquam enim operas externas conducunt ad sua negotia peragenda: sed si quid in communem monasterii usum agendum est, omnes simul in id incumbunt; aut peculiaribus quibusdam negotium committetur, veluti, vitium putatio, agrorum cultura, lignorum invectio, hortorum cultura, piscatio. Alii etenim sunt sutores, qui calceos aliis consuunt, & laceros concinnant: alii sartores, qui talares vestes parant: alii fabri lignarii, ad lembos, naves, atque alia opera lignaria fabricanda: alii molitores: alii murarii & cementarii: alii similiter alia opificia exercent. Vera est inquam œconomia in monasterii utilitatem instituta, plurimum differens cùm moribus tum victus ratione à Latinorum monasteriis. Religio Græca sic inter eos instituta est, ut si quispiam pauper celebs aut alioqui adolescens sese mundo abdicare vult, & Caloierus fieri, & aliquam facultatulam obtineat, ea

in communem totius monasterii usum cedet. Fratris nomine inter se non compellant, sed patris & filii. Singuli recipiuntur ad ea munia exequenda, ad quæ magis sunt idonei. Si quis autem Græcè legere norit, aut eruditior aliquantulum sit, plus auctoritatis interdum obtinebit quàm reliqui: nam ad aliis præcinendum adhibebitur: cùm in suis templis eam consuetudinem observent, ut quispiam publicè legat, quod alii canendo pronunciare debent. Pauci Caloieri inveniuntur qui sint sacerdotes, & Missam celebrent: & si qui sint, non magis à manualibus operibus liberantur, quàm reliqui Patres: singuli enim manus operi adhibere debent. Inde fit ut studiis & scriptioni vacare nequeant: imò ne vernaculam quidem linguam legere discunt; in tanto ignorantiæ regno versantur.

Græcanicæ Ecclesiæ ceremoniæ.

CAP. XLI.

IAM dictum est omnes in universum Græcos, eosque qui illorum ritus observant, Patriarcharum mandatis obsequi: singulasque Provincias peculiarem habere; atque eum qui Alexandriæ præest, Memphi habitare, alterum Damasci esse, tertium Constantinopoli, cui omnes Caloieri montis Athou per omnia obsequantur, non secus ac nos Romano Pontifici. Hujus item montis Athou Caloieros in quæcumque monasteria per Græciam aut alias orbis provincias sese conferant, semper majore in precio haberi, quàm qui in eo monte non vixerint: imo Caloieros Ierusalem, montis Libani, Cairi sive Memphis, Damasci, Bulgariæ, Russiæ, Bosniæ, Wallachiæ, Moscoviæ, Epiri sive Albaniæ, Illyrici sive Sclavoniæ, aliosque per alias provincias sparsos, in quibus idiomate utantur à Græco diverso, montis Athou Caloieros magni facere; quoniam ceremonias diligentiùs observare feruntur reliquis qui ritu Græco vivunt. Cereis etiam & accensis lampadibus utuntur in suis templis, statuasque atque picturas, instar Latinorum, habent, & campanis utuntur. Porro Græci qui sub Venetorum ditione vivunt, majore libertate fruuntur quàm quibus Turca imperat. At cùm hi, tum alii, ferrum habent è templi valvis clavo suspensum trium digitorum crassitudine, & brachiali longitudine, arcus modo nonnihil inflexum, quod campanæ ferè instar sonorum est, aut æris modo tinnit: alium verò in monte nolarum sonitum non habent, quàm hujus ferri strepitum: & ad preces hujus ferri sonitu omnes convocantur. In toto monte neque Gallinas, neque columbas, alteriúsve generis aves, neque vaccas, neque capras, neque arietes alunt, quoniam carnibus non vescuntur. Aves duntaxat nomine tenus, quòd illarum appellationem interdum audiant, norunt: nam quoniam iis non vescuntur, nullas aucupantur. Nihilominus tamen observavimus, eam avem quæ apud Cenomanos *Pinson royal*, Lutetiæ *Vn gros bec*, (quæ ab Aristotele & Græcis *μαλακοκρανεύς, à Latinis Molliceps nuncupatur) ipsorum lingua, id est, Crassi rostri appellationem invenisse: atque aviculam illam per arbores repentem, quam Galli Terco vel Turcot nominant, & Latinis Torquilla, Græcis Iynx dicta fuit, vulgarem istic etiam esse, & Alcionis appellationem obtinuisse. Nullum autem in universo orbe locum monasteriis aptiorem novi, ipso monte Atho.

* *De hac re vide ipsius Bellonii historiam de avibus lib. 6. cap. 7. & lib. 7. cap. 30. ubi Mollicipem à Pardalo distinguit.*

Rariores montis Athou stirpes, sponte nullâque culturâ adhibitâ provenientes.

CAP. XLII.

MONTEM Athon præ reliquis, ubi unquam pedem fixerim, locis, herbosum observavi: nullaque in eo rarior est planta, quæ eodem antiquo nomine non sit cognita, quo à Theophrasto, Dioscoride, & Galeno donata: Planta illa, parvula radice prædita, quam Veteres Apion nominabant, nunc Chamæpydia nuncupatur; nullusque est Caloierus in toto monte, qui eam laxandi facultate præditam esse non norit. Quoniam verò multos magni nominis viros hallucinatos comperio, qui ipsius loco aliam sumunt, atque spuriam ejus iconem exhibent, ejus vivam imaginem oculis subiicere libuit, quam ex ea exprimi jussimus, quæ ex radice per octo menses integros à nobis extra terram servata, tandemque telluri commissa, folia, flores, & semina produxit, qualia in sequenti figura conspiciuntur. Montis Athou Caloieri hoc privilegium obtinuerunt, ut nemini toto monte præter ipsos habitare liceat: hanc ob causam fructiferis arboribus, vitibus & oleis



eum excolunt. Merito illis dicatus est, quoniam hominibus secessu & solitudine gaudentibus convenit; dignusque est qui cum deliciarum quodam paradiso comparetur, iis qui rure delectantur. Hippoglosson istic admodum frequens est, quod ipsi Coraco Votano, hoc est, cornicis herbam nuncupant. Veratrum nigrum in multis vallibus crescit. Nemo est in toto monte, cui arbor quam Plinius Alaternum appellavit, veteri legitimo nomine, quo ipse Theophrastus usus est, Phylicæ, nota non sit: Corcyrensibus verò & Cretensibus Elæprinos dicitur, quoniam, ut Plinius scribit, folia habeat inter Ilicem & Oleam media. Fagus quam Galli *Fousteau* nominant, in eo monte frequens est, ab omnibus Oxya appellata; de qua postea plura, quia diu per eum montem oberravi, illam quærens, Oxyam à Fago differre existimans. Quæ veteribus Ostria dicta fuit, antiquam appellationem istic adhuc retinet, eâque mons abundat; illa ipsa est quam Galli *Haistre* vocant. Mirari verò subit quosdam meos populares doctos & rerum peritos, adeò hallucinatos esse, ut eam quam vernacula lingua *Haistre* appellamus, Latinorum Cerrum esse putarent; quandoquidem *Haistre* nullam glandem ferat, & Ostria à Theophrasto tam graphicè sit descripta. Aria etiam vetustum nomen retinet, licet Idæ montis in Creta incolis Acylaca dicatur. Quandoquidem autem tanta est rivorum è numerosis limpidis fontibus defluentium commoditas; quoquò te obvertas, & in umbra deambulare voles, tanta elegantium stirpium frequentia oculis obiicitur, ut nullus quantumvis tristis aut melancholicus, ilicò non recreetur tam numeroso arborum perpetua fronde virentium aspectu; tanquam is locus de industria pro deliciarum quodam viridario exstructus fuisset. Sed quoniam in mentionem incidimus arborum in isto monte perpetuò virentium, eas ordine recensebimus.

Ferarum arborum perpetuò virentium in montis Athou vallibus sponte provenientium nomina.

CAPVT XLIII.

CELSÆ Lauri atque Oleastri istic summos Solis æstus perpetuò reprimunt: Arbuti verò, quæ aliis in locis plerumque duntaxat fruticant, ingentes istic fiunt arbores. Adrachne istic abundat. Aria, Phylica, seu Alaternus, Ilices, in celsam magnitudinem excrescentes, montes istic vestiunt, quemadmodum & Piceæ & Abietes. Myrti latifoliæ cùm steriles tum fructiferæ, Rhododendri rubro flore in summam celsitudinem attolluntur, earumque caudices crassitudine Ficubus non cedunt. Smilax lævis ad summum usque celsarum Platanorum fastigium perreptat, perpetuam gerens virentem comam adversus ventorum injurias & Solis ardores. Sed quandoquidem aliæ sunt arbores perpetua fronde virentes, præter eas quas in monte Atho inveniri diximus, non immeritò illas hoc loco subjungemus.

Arborum & Fruticum, quos in variis provinciis perpetua coma virere observavimus, nomina.

CAP. XLIV.

QVANDOQVIDEM stirpes perpetuò virentes describendi occasio datur; rationi consonum videtur, ut à celsissimis totius orbis arboribus, videlicet Cedris, auspicemur. Eas verò sigillatim describere non est animus: sed breviter hoc loco enumerare sufficiet. Præter jam dictas Syriæ præaltas Cedros, aliæ pumilæ inveniuntur Lyciæ, quarum folium spinosum: ob id à Græcis Oxycedri cognominatæ; atque hac nota ab aliis Cedri Phœniceæ generibus differentes, quæ obtuso mucrone prædita folia habent. In eo numero recensentur etiam Myrti, licet ejus varia sint genera; nam aliæ candidæ, aliæ nigræ, aliæ angustiore folio, aliæ latifoliæ: quintum insuper est genus nobis admodum frequens, nempe quod in frigidarum regionum hortis colitur. Omnes coniferæ sive resiniferæ arbores, excepta Larice, eo etiam numero comprehenduntur: quas Gallicis nominibus efferemus, prout ab urbium & pagorum Sabaudiæ & Arverniæ incolis ea didicimus.

Quo verò faciliùs intelligi possit, quales eæ sint, illis antiqua nomina adiiciemus. Quæ nunc Gallis Aleuo dicitur, Pinastri nomen obtinebat, arbor Græcis incognita, atque à Pino silvestri differens. Quæ Gallis Suisses dicuntur è genere abietum sunt, quarum aliæ mares aliæ feminæ, eas Sapinos sive Abietes feminas appellabimus. Nam quæ veteribus Abies dicebatur, à Sapino differt. At Abies tribus gallicis nominibus donata est: nam alij *du sapin*, alij *du Vergno*, tertii *du Sap* vocant: verùm Sapinus Latinorum, Gallis *de la Suisse* dicitur. Atque ut faciliùs discerni queat, ejus iconem hîc adposuimus.



Quæ universæ Græciæ adeò familiaris est, & veteribus Picea dicebatur, plurimas appellationes Gallicas obtinet: nam Lugdunensis Galliæ incolæ in Tarare mõte, partim *Pignets*, partim *Pins sauvages* nominant: at gallica appellatio qua & Sabaudi & Arverni utuntur, constantior est in *Pignets*, quam *Pins sauvages*. Larix in Græcia non nascitur, Galli *Melese* nominãt, sola inter coniferas folia hieme abiicit: sed hæc sigillatim in libro, cui titulus est de Arboribus coniferis, scripta sunt. Aureæ mali, Poma Adami, Citria sive Poncires, Citrones & Limones eo etiam numero recensentur. Multa quoque Capparum genera perpetuo virent: quorum nonnulla in rupibus & scopulis Cretæ crescunt alia spinosa, alia spinis carentia. Aquifolia, Acacia, Aria* sive Acilaca, Cassiæ solutivæ arbores, Palmæ, Sena, Thamarindi, Adrachnes in Græcia frequentes, Philica, Balsami arbor, Buxus, Cupressus, Trapesuntina arbor cerasifera, Esculus & Cerrus aliâs Volagnida, Ephedra sive Anabasis, Erica, Phana, Cisti frutex, Ledon, & Glans unguentaria perpetuâ fronde virent: Item Hedera cúm alba túm nigra, Halimus, Hennæ frutex in Ægypto nascens alio nomine Alcanna, à Ligustro differens, quod Gallis *du Troesne* dicitur, & hieme foliis spoliatur; at Alcanna ea retinet. Ilex arbor, Gallis *Chesne verd* dicta; Ilex coccifera, Gallis *Graine d'Escarlate* nuncupata, Iuniperi cùm majores tum minores, Lauri quinque genera, quorum vnum odoris expers est, Lentiscus è qua Mastiche fit, Lycium, & Lanifera arbor, Libanotis coronaria, Sebeste, Sycomorus Ægypto peculiaris, Sabina prima & altera, Thuya, Suber, Taxus, Siliqua sive Ceratia, Nerion & Oenoplia, quæ alio nomine Napeca dicitur, & in Ægypto atque Syria crescit, Persea, Polemonia, Genistæ quoddam genus in Arabiæ solitudinibus nascens, Tragium Cretæ familiare, Acacia altera, Myrobalani, & Salvia Cretica, poma gestans edulia, & Anapala arbor dicta, perpetuò virent. Idque non ex alterius scriptorum lectione, sed ex nostramet observatione cognovimus: nihil etenim scripsimus quod ipsi non viderimus. Prætermisimus multas pusillas stirpes quæ hieme etiam folia non abiiciunt, quale est Gallorum *Frelon*, Thymum verum, Satureia græca; & alias similes; cùm arbores & frutices duntaxat enumerare animus fuerit. Nonnullæ aliæ, ut Terebinthus, in arborum perpetuâ fronde virentium numero habitæ sunt: adiicere tamen noluimus, cùm aliter rem sese habere experientiâ didicerimus.

* *Aliam, ab ea quæ vulgo creditur, Ariam novisse debuit Bellonius, cùm eam inter perpetuò virentes reponat: nam arbor ab omnibus rei Herbariæ scriptoribus pro Ariâ habita, hieme perinde folia abiicit, atque reliqua Sorbi genera.*

Vicinorum

Vicinorum locorum observatio, quæ ex summo montis Athou vertice conspici possunt.

CAPVT XLV.

CANTHARIDVM genus est in Atho monte à nostris vulgaribus diversum, quod Græcis Buprestis dictum est, vulgaribus Cantharidibus alioqui forma similium, nisi crassiores essent, pallidi sive lutei coloris, & admodum putidæ, indifferenter vescentes, vel rubo, vel cichorio, vel urtica, vel conyza, vel aliis herbis. Caloieri eas antiquo nomine appellant Vouprifti: alis ad volatum aptis præditæ sunt, ut muscæ. Ejus nominis rationem satis manifestam nobis dederunt, quam suo magno malo experti sunt. Nam si jumenta aut alia animantia ruminantia, simile insectum devorent, vel herbas quibus inhæserunt depascantur, intumescunt & moriuntur. Quemadmodum autem Viperæ cui nomen *Prester* est, morsus hominibus perniciosus est: sic cantharis illa lutea suprà dicta, bobus præsens est venenum, atque etiam, ut credimus, hominibus: eam ob causam Græci olim Buprestin nominarunt. Alia adhuc ejus veteris appellationis etyma in variis Auctoribus inveniuntur. Montis Athou Platani altitudine cum Libani Cedris, & montis Olympi & Amani Abietibus comparari queunt. Smilax aspera in dumetis nasci gaudet, & per ejus montis sepes, quemadmodum & Smilax lævis (quæ à domestica sive culta, quæ varii coloris fabas profert, distinguenda est) in summam altitudinem monte Atho libenter excrescit, ut etiam ad celsarum Platani arborum cacumina pertingat, ipsisque supremis ramis sese convolvat. Vitis silvestris naturam obtinet, quæ semper in altum tendit, præsertim si inveniat cui innitatur, quemadmodum & Ephedra. Si Smilax, cujus nunc meminimus, pumilam arborem cui incumbat nanciscatur, supra illius altitudinem nec attolletur nec excrescet ut illam deprimere possit: contrà verò si vastam arborem nacta fuerit, perpetuò attolletur donec ejus cacumen occupet, licet ipsa etiam arbor sidera petat. Nunquam à rustico, à quo Smilacis nomen percontati sumus, adò propriam dictionem expectassemus, qua antiquum ejus nomen exprimeretur: eam etenim vulgari Græca appellatione Smilachia nominabat. Altissimum montis Athou jugum, magisque celebre, in extrema Cherroneso, propter summam altitudinem, perpetua ferè nive tegitur, quæ in æstatem usque permanet: summum fastigium sterile est, asperrimis difficilimisq. scopulis constans. In eo cùm essemus, atque montis partem Septentrioni obversam, in qua etiam nix diutissimè antè quàm dissolvatur, permanet, contemplaremur, uberiorem, atque arboribus magis abundantem, pluresque stirpes in convallibus producentem observavimus. Quæ verò Meridiem spectat, arida est, sterilis, nullas arbores habens, præsertim circa ipsum verticem. Summum montis jugum pyri formam refert; nam & acuminatum & rotundum est: in cujus summo vertice sacellum, quò monasterii Agias Laura ad montis radices siti Caloieri, certa anni die conscendunt, ibique liturgiam canunt: eam autem diem certo inter ipsos constitutam omnes norunt, illamque esse existimo quæ mense Augusto Divæ Virgini sacra est. Cùm porrò in summo montis jugo essemus, insulas & provincias vicinas, veluti Cassandriam, quam Schiatho vocant, Scyron, Lemnon, Thasson, Samothracen, Imbron, adeò facilè conspiciebamus, ac si viciniores nobis fuissent. Semper istic aura est frigidissima, quam diu perferre nequivimus. Inde descendentes per partem Meridiei objectam, & ad montis radices vicini, Abietum & Picearum silvas invenimus, quæ à Cretensibus & Arvernicis nonnihil differunt: nam earum coni adeò firmiter ramis inhærent, ut si vi detrahantur, rami fragmentum cum coni pediculo sive hastula semper simul evellatur: præterea politi sunt, neque ut alii scabri. Istic etiam Ferulam, & Peucedani Centauriique majoris abundantiam invenimus. Quocunque per montem pergas, nullam viam reperies, qua ascendendum aut descendendum non sit: nam tota regio inæqualis est.

Montis Athou Caloieros sive Monachos, mechanicas artes exercere.

CAP. XLVI.

IAM antè scripsi Caloieros ipsos suam lanam in fila ducere: eam ob causam, qua ratione id faciant, describere consentaneum duximus; quandoquidem eorum colus, fusus, & verticillum nostris dissimilia sint. Colus ex canna sive arundine constat quæ Donax dicta est, & intra tres nodos duntaxat resecta, ut foramine facto tres in id lævæ manus digitos

digitos inserere possint, nempe minimum, & binos ab illo proximos, liberum relinquentes pollicem & indicem, ad lanæ pensa trahenda, & fuso applicanda. Summa cannæ articulatio furculæ in modum incisa est, ut lana illi imposita firmiùs cohæreat. Caloierus suæ regionis more fila ducens, colum lateri non applicat, sed tribus digitis sublevatam sustinet. Lanam magno apparatu non præparant, sed eam calida duntaxat lavant, & paululum carminant; propterea fusus colui quodammodo respondere debet. Mirum igitur non est si veteres nonnullas stirpes colus, fusi, & verticilli nomine donarunt: nam & hodie Attractilis herba fusi vicem illis præbet: ejus enim caulis rectus est & lævis, tamquam arte expolitus esset. In ejus penuria bacillo minimi digiti crassitudinem non æquante, sed æquali ubique utuntur, cui ferrum hamuli piscatorii modo formatum infigunt, ut filum comprehendat è quo fusus dependeat. Verticillum etiam colui & fuso respondere necesse est, quod cum nostrarum mulierum verticillo nihil commune habet. Quoniam autem solummodo excogitatum est ad fila commodiùs ducenda, atque ut fuso pondus addat; indicare voluimus Græcorum verticillum, etiam nunc illi simile esse, quod veteres descripserunt, quodque eam auctoritatem obtinuit ut & herbæ, & pisci nomen daret Sphondylion, quem piscem frequentiùs in Anglia quàm in Gallia reperiri scimus. Græcorum verticillum dimidiato pyro in binas partes per medium secto simile est: per medium perforatum est, dentibusque caret. Id verticillum superiori fusi parti infigunt, inferiore fusi parte deorsum propendente: fila autem nostro more torquent.

Nullam unquam in totius montis ambitu urbem muro cinctam fuisse credimus: quia nulla murorum vestigia exstant: Vranopolis, Palæotrium, Thyssus, Cleone, Apollonia, Cassera, à Plinio enumeratæ, solummodo exigui pagi fuisse videntur, ubi nunc monasteria sita sunt.

Caloierum inter reliquos invenimus, qui recens ex Sophia in montem Athon habitatum advenerat, lagenas è salicis amerinæ virgultis, aut tiliæ cortice, aut castaneæ summis surculis, aliòve ligno sequaci ut est ulmi cortex, texendi admodum peritum. Absoluta & probè contexta lagena, aliqua materia, ne perflueret, inducenda erat: ad eam igitur rem Piceæ resinam, Græcis πισσέλαιον, & Latinis Spagas dictam dictione Plinio usitata, sumebat, quam (cùm pinguis & lenta sit) paululum decoquebat, & calidam in lagenam iniiciebat, quæ foramina & surculorum corticúmve interstitia complebat & indurabatur; hacque ratione lagenæ stipabantur ne exstillarent. Ejusmodi lagenæ viatoribus sunt commodissimæ: nam neq. Solis ardore facilè finduntur uti ligneæ, neque fragiles sunt ut terreæ, neque graves ut stanneæ. Quoniam verò leves sunt, atque diu conservari possunt, iique qui illas conficiunt Sophiæ (in Servia Græciæ Provincia ea urbs est) habitant, & inde per Græciæ insulas venales circumferre solent, Sophiæ lagenas appellant. His Walachi, Bulgari, & Circassi libenter utuntur.

Cancri aquæ dulcis, in montium rivulis versantes, à nostris fluviatilibus Cammaris, quos vulgus Cancros appellat, diversi.

CAPUT XLVII.

PEDESTRI itinere per montem euntibus (nam equiti, nisi qui regiam viam sequeretur, non liceret, imò ne pediti quidem, nisi quis agilitate præditus, animi gratia spretoque omni labore & molestia id faciat) itineris dux à via nota aberravit, sic ut quo destinaveramus eo die pervenire nequiremus; nec commeatum ullum nobiscum sumseramus. Tandem sub noctis crepusculum ad quendam rivum pervenimus cancris, nostris cammaris dissimilibus, adeò abundantem, ut mille temporis momento capi potuissent. Caloierus eos crudos manducare cœpit, asserens coctis meliùs sapere. His etiam cum illo vescebamur, neque jucundiorem saporem ullo in cibo invenire memini, sive fame urgente, sive cibi novitate id accideret. Cùm autem eos cancros à nostris cammaris diversos esse observaremus, eos è mari perreptasse arbitrabamur: at obvertentes nos, & regionem ad mare descendentem contemplantes, locum adeò sublimem & aditu difficilem animadvertimus, ut nullo modo perreptare eò potuisse iudicaremus: deinde cùm exactiùs illos observassemus, inter eos & marinos magnam dissimilitudinem deprehendimus; & isthic expresse annotavimus cancros esse fluviatiles à cammaris diversos. Stirpis genus quoddam in valle invenimus Elegia nuncupatum, cujus ramis pro calamis scriptoriis utuntur: nam neque Turcæ neque Græci anserum pennis uti norunt.

Porten-

Portentosa vivendi inter Græcos sacris addictos ratio; quáque asperitate, superstitione & ceremoniis in cibo & potu utantur.

CAPUT XLVIII.

PORTENTOSAM cujusdam Caloieri vivendi rationem describere volo; ut qua ratione reliqui vivant, faciliùs intelligi queat. Postridie cùm in monasterium Simeon pervenissemus, Caloierus quidam, ferrariam artem exercens, asthmaticus, lenta febre laborabat, quem ingens tussis vexabat,& magna sitis perpetuò torquebat: is ad prandium nos invitans, Saracosti, hoc est, unius ex illorum quadragesimis sive angariis tempore, ciborum delicias quibus uti solebat nobis adposuit. Isti Caloieri quadragesimarum suarum tempore piscibus sanguine præditis non vescuntur: itaque herbis, alioque hujusmodi modico apparatu uti necesse est. Nobis igitur erucam, eleoselini radices, porri bulbos, cucumeres, cepas, atque pusilla allia virentia apposuit. Hæc omnia ex communi monasterii horto desumpta erant, tametsi nonnulli etiam privatos hortos colant. Herbas prædictas crudas sine oleo & aceto edimus: quoniam apud istos miseros ea est consuetudo. Nobis præterea adposuit olivas nigras conditas, quas Dermatias appellant, atrum panem biscoctum, atque vinum. Biscocto pane utuntur Caloieri, ne sæpius clibanum calefacere cogantur. Invitavit & binos è suis sodalibus, qui salitos & desiccatos nonnullos pisces attulerunt, sepias, polypos, lolligines. Eo autem tempore omni cancrorum genere, marinis cochleis, aliisque testa inclusis, quales sunt mytuli & ostreæ, illis vesci licet, quoniam sanguine carent. Miser æger conquerebatur appetitum planè esse dejectum, ajebatque, nisi nuces sibi à morbi initio reservasset, jam diu terra obrutum fore: atque istis solis vitam conservatam referebat, quoniam illi orexin excitarent ad paululum panis aquâ intincti cum olivis salitis edendum. Isti Caloieri à crudis cepis & alliis cœnas suas inchoare solent, atque erucâ & nasturtio finire; media & primaria cœnæ fercula olivæ salitæ, & fabæ aquâ maceratæ sunt: atque cujuscunque tandem conditionis sint, sani vel ægri, vinum aquâ temperare non solent. Hujus Caloieri victus ratione consideratâ, persuadere conati sumus ut boni succi pisce aliquo recente uteretur; nam admodum macilentus erat, & toto corpore valdè extenuato: at ille respondit, etiam si statim moriendum esset, illo vesci nolle, nedum carne. Ea vivendi ratio non modò apud Caloieros locum obtinet, aut apud sacerdotes, aliósve sacris initiatos in Græcanica ecclesia; sed etiam apud plebem, quæ mortis etiam pœnâ propositâ, quadragesimæ ipsorum tempore piscibus sanguine præditis, aut aliâ re pingui vesci nolit: adeò rigidi sunt hujusmodi superstitionum observatores.


E monte Atho in Saloniki profectio, & de raris piscibus qui istic capiuntur.

CAPUT XLIX.

MONASTERIA ad maris littus sita, ut sunt Laura, Yuero, Vatopedi & pleraque alia, noctu suas naviculas in portu aut maris littore non relinquunt, præsertim ubi portus minimè tutus est: sed eas è mari subductas locis quibusdam concludunt, quorum valvæ sunt ferreæ, ut igni quem piratæ inicere possent, resistant. Pauci sunt tuti portus in montis ambitu, exceptis qui in Vatopedi & Laura sunt: propterea frumentum rariùs serunt. Sed cùm vites, oleas, ficus, cepas, allia, fabas & legumina colant, permutationem cum Nautis faciunt qui illis triticum advehunt, vel illud præsenti redimunt pecunia. Molas in hoc monte vidimus tam pauca aqua impelli, ut rivi canalis profluentem aquam continens vix brachialem crassitudinem æquaret. Piscinam autem humili loco struunt, partem superiorem amplam & capacem habentem, inferiorem verò paulatim in angustum coactam infundibuli modo: in ea foramen est tanto impetu aquam emittens, ut in exiguam rotam, aliâ ratione quàm nostræ sunt, fabricatam, incidens, quamtumvis magnum molarem lapidem impellere possit. Lauri cujus in convallibus magna est copia, baccas colligere solent, è quibus oleum exprimunt, quod venum exportant per Wallachiæ, Bulgariæ, Serviæ urbes atque loca vicina. Marinos ursos, quos Neapolitani & Masanenses Massacara nominant, istîc capiunt, Astacis marinis sive Homar Gallorum ferè similes; sed invalidi sunt ut Locustæ, & aculeis carent ut Astaci: nam Locustæ dorsum aculeatum habent ut marina Aranea: atque adeò hunc piscem intellexit Suetonius Tiberii Cæsaris crudelitatem describens, qui aspero Locustæ cortice misero piscatori os dila-

cerari

cerari jussit. Nos Gallicè *Sauterelle de mer* reddere possemus. nam quæ Massiliensibus corrupto sermone Langouste dicitur, puro sermone Gallico *Sauterelle* appellari posset. Itaque excusatum volumus errorem ab operis typographicis nostra absentia commissum, quæ hujus piscis iconem in aliud caput Libri piscium transtulerunt. cujus rei admonitum lectorem volui.



E monte Atho digressi vt Saloniki proficisceremur, facilè biduo istuc pervenimus. Saloniki ingens est oppidum, celebre & opulentum, olim Thessalonica nuncupatum, cujus D. Paulus meminit: in Thessalia proximè Macedoniam sita est: in ea pestis adeò grassabatur, ut plurimi mercatores urbem desererent, & suas facultates negligerent. Turcæ inter reliquas nationes omnium minimè à pestis contagio sibi metuunt; ideoque nulla formidine inter eos qui peste icti sunt versantur, quod in Saloniki observavimus. Biduum dumtaxat in itinere à Saloniki ad Siderocapsæ fodinas insumsimus, quæ in loco sunt à Veteribus Chrysites appellato: nunc autem pagus est, tam magni proventus Turcarum Imperatori, ob auri & argenti copiam quæ ibi colligitur, quàm maxima urbs universi ejus imperii: attamen non diu est quòd fodina erui cæperit, ex qua aurum & argentum conflatur. Antea paucis ædificiis pagus instructus erat: nunc verò, oppidi formam refert. Siderocapsa inter valles sita est, ad radices montis cujusdam in edito siti ad majoris cujusdam montis clivum; quam aptiùs cōparare nesciremus quàm cum oppido Ioachims Thal in Bohemia sito, quod Latinè Vallis Ioachimica dicitur. Metallica quæ ex Siderocapsa eruuntur, in causa sunt, ut qui huic rei student eò confluxerint, & magis populosam eam reddiderint. Peramœnos hortos & vireta istic instituerunt, & ubique adest aqua quæ hortos multo commodiores reddit: præsertim autem vineta vicinis locis sita egregiè exculta sunt. Siderocapsæ fodinarum incolæ hominum est colluvies, linguæ varietate inter se differentium, ut sunt Illyrici, Bulgari, Græci, Dalmatæ.

Auri & argenti fodinæ Turcarum Imperatoris: atque de obrizi auri origine disceptatio.

CAPUT L.

SIDEROCAPSA in Macedonia sita est Serviæ contigua: eumque esse locum, in quo Philippum Alexandri Magni patrem, aureos Philippicos primùm cudisse Diodorus scribit, puta cùm Crenidas fodinas invenisset, atque eas excoluisset: namque refert illa ætate singulis annis, mille & amplius auri talenta reddidisse. Metallicæ quæ nunc istic laborant operæ, magna ex parte Bulgari sunt. Vicinorum pagorum eò ad mercatum confluentes rustici Christiani sunt, atque Servianicè & Græcè loquuntur. Iudæi similiter istic adeò aucti, ut Hispanicam linguam quodammodo vulgarem reddiderint: etenim inter se versantes & sermones conferentes nulla alia lingua utuntur. Siderocapsæ diutiùs substitimus, ut fodinas observaremus, tum etiam quòd magnoperè conspicere cuperem qua ratione aurum è sua vena eximeretur. Cùm verò aurum omnium metallorum sit perfectissimum & purissimum, atque tam varia nomina in Europa adquisierit; perpendere voluimus, an illa in sua vena adipisceretur: at ipsius impuritatem aliunde, quàm eorum, qui id commiscent, infidelitate, non procedere comperimus. Aurifabri, & Monetarii diversa illi nomina tribuunt, atque aliud altero vilius constituunt; inde factum ut aliud aurum ducatorum, aliud aurum coronatorum, aliud aurum scutatorum, aliud aurum rhenense dicatur; unum viginti karatis, aliud octodecim, reliquaque in hunc modum pluris vel minoris æstimantes. At ejuscemodi nomina & precia in variis regionibus nata sunt, in quibus eorum qui illud commiscuerunt & aliorum metallorum ipso viliorum miscellanea multiplicarunt, infidelitate adulteratum est. Ea porrò multiplicatio, ex eorum, qui illius precium in nummorum recentiorum generibus augent, arbitrio, excogitata est. Ducati etenim, Scutati, Philippei, Angeloti, Portugallici diversimodè ex puriore vel impuriore auro cusi sunt. Id autem inventum non est recens: legimus enim jam vigente Romanorum imperio, Rempublicam, cùm graviores bellorum impensas tolerare nequiret, nummorum pondus interdum minuisse, ut id lucri accederet, atque purum argentum, admixta æris octava parte adulterasse & auxisse.

Natura

Natura numquam oblectata est perfectiorem substantiam elementarem condere, quàm aurum: nam non minùs purum & sincerum est in sua qualitate, quàm ipsa simplicia, ex quibus compositum est, elementa. Non igitur immeritò præ reliquis divitiis illud æstimamus, atque reliquis metallis præcellere censemus. Nam Natura, æquâ quantitatis proportione cum elementorum symmetriâ respondente illud condens, ab ipsa origine jam expurgatum reddidit, ipsorum elementorum simplicium instar: atque istâ elementorum, in virtute pari, conjunctione adeò delicatam & perfectam indissolubilis unionis mixturam generavit, ejus colligationem tam fideliter fabricans, ut incorruptibilem massam conflârit, quæ in sua excellentia & bonitate in æternum permanet. Eam ob causam neque à temporis injuria vinci, neque ullam excrescentiam, aut rubiginis superfluitatem in se continere aut ferre potest aurum. Nam tametsi multo tempore aquâ mersum aut igne sepultum maneat, nullam tamen inde maculam contrahit, neque aliam qualitatem, aut ponderis imminutionem adquirit. Illud singulare privilegium præ reliquis metallis obtinet.

Ex Siderocapsæ fodinis ingens auri & argenti summa Turcarum Imperatori accedit: nam singulis mensibus, deductis operarum stipendiis, pro sua portione decies octies mille ducatos, nonnunquam triginta millia, interdum plus, aliquando minus accipit. Qui censum pendunt, non meminisse affirmârunt iam inde à quindecim annis minus pendisse novem aut decem ducatorum milibus in singulos menses pro Turcarum Imperatoris jure. Metalla verò istic purificantur labore & industriâ Epirotarum, Græcorum, Iudæorum, Wallachorum, Circassiorum, Servianorum & Turcarum. Circiter quingentæ aut sexcentæ fornaces per Siderocapsæ montes sparsæ sunt: neque ulla est quæ peculiarem dominum non habeat, qui suis expensis omnia necessaria in ea peragi curet. Porrò cùm fossores, tùm qui effossam fodinam educunt, Caducæo sive virgula divina non utuntur, sed sine sorte aut supputationis calculo, fossionem prosequuntur prout illam commodam & utilem initio invenerunt. Pyritis sive Marcasitæ genera variis prædita sunt coloribus. Aurum verò atque argentum purum non reperiunt, quin priùs fusum fuerit. Neque Chrysocolla istic est, neque Cobaltum: neque fossilium carbonum apud illos usus: aliâ verò ratione metalla excoquunt quàm in Germania. Eorum fodinæ fluoribus carent. Leges inter Metallicos sancitæ diligenter ut in aliis provinciis observantur. Qui argentum ab auro aquæ fortis beneficio separabat, Christianus erat Armenius. Vocabula quibus nunc Siderocapsæ res metallicas exprimunt, neque Græca neque Turcica sunt: nam Germani qui primùm eas fodinas excolere cœperunt, incolas metallicarum venarum, & instrumentorum quibus in eruendis venis utendum, nomina Germanica edocuerunt, quæ deinde exteri cùm Bulgari tùm Turcæ observarunt. Eorum officinæ à Germanicis differunt: in quibus tota hebdomada laborare solent, initium à die Lunæ facientes & die Veneris finientes, quoniam Iudæi die Sabbati feriantur. Omnes camini seu fornaces secundum riuulos exstructæ sunt, quia rotas quibus folles sublevantur aquæ impetu versari necesse est. Septem autem sunt ii riuuli; quorum hæc sunt nomina, Pianize, Amerpach, Kyprich: qui verò ad Orientem spectant, Roschetz & Isvotz nuncupantur. Fornaces in quibus Pyrites colliquantur, viliter exstructæ sunt: ut quæ duntaxat tignis & asseribus plutei sive tabulati in modum coopertæ sunt: Ampli sunt camini & in ædificii meditullio exstructi, valido muro posteriore parte constantes, at anteriore levi materia clausi, quam die Veneris sub noctem diruunt: nam cùm fornicis quodammodo in modum exstructi sint, fumum sive candidam fuliginem recipiunt, Veteribus Spodos appellatam, ex metalli vapore exhalantem, & quo flamma maximè ferit loco, dum vena colliquatur, camino adhærentem; Græcorum vulgus Papel, alii Papula nominant, cujus apud illos nullus est usus, aut pretium. Invenitur & Pompholyx, supradictâ paulo candidior: utriusque si quis colligere vellet, facilè singulis septimanis decem libras cogeret. Folles erecti statuuntur ore in terram ad camini imum obverso: sublevantur verò & deprimuntur brachiis è rota quæ aquæ impetu extra ædificium versatur, immissis. Rota binas cruces habet, quæ octona brachia constituunt per medium rotæ infixa. Quatuor priora brachia folles comprimunt: reliqua verò quatuor perpetuò non exercentur, quoniam ad alios folles, quibus plumbum ab argento separatur, impellendos sunt destinata. Caminus sive fornax ingenti ore hiat, per quod carbones & vena colliquanda alternatim iniiciuntur: atque bina foramina habet, alterum infernè juxta terram, per quod liquefacta vena effluit, alterum paulo suprà in ipsius camini quodammodo meditullio, qua ventus exspirat, & ignis, exhalatione opus habens, aërem recipit. Materia per imum foramen effluens, cum suo excremento, quod semper supernatat, delabitur: perpetuoque id excrementum à metallo, quod in imo subsidit, parva quadam fossa fornaci contigua, eximendum est. Quoniam verò leviora excrementa inutilia sunt, operæ illa paulatim auferunt & abiiciunt: nam cùm frigescunt, crustam supra

metallum inducunt, quam virga ferrea decutiunt: at aurum, argentum, atque plumbum, quæ simul mixta, gravioraque sunt, in imo subsidunt. Plumbi autem ab argento separatio ignis è carbonibus conflati calore non fit, sed flammæ ignis è crassioribus lignis violenter conflati vi. Ad eam rem folles aliâ ratione quàm primos collocari necesse est: primi enim erecti sunt atq. ori innituntur: qui verò ad plumbi separationem sunt destinati, obliqui jacent, atque quatuor, ut diximus, brachiis aquæ impetu rotatis sublevati inflantur. Plumbum flammæ ignis è lignis conflati vi colliquatum, ab eo quod ignis è carbonibus constantis ardore liquatum est differt, neque plumbum videtur, sed potiùs metalli recrementum. Vulgus Græcorum Molini appellat, nihilque aliud est quàm plumbum in Lithargyri substantia, quod Molybdæna nominatur, quæ postea denuò colliquatur vt plumbum fiat. Quanto autem magis ab ea repurgatum erit argentum, tanto purius reddetur. Latini, argenti recrementum Scoriam nuncuparunt, idque est quod Galli parum honesto vocabulo *merde d'argent* appellant, quam metallarii ut omnino inutilem abiiciunt. Græci dictione à Germanis sumtâ, vulgo Leschen nominant. Cùm Galenam excoquere volunt, eam nonnihil comminutam supra ignem è lignis & carbonibus constantem, quem in areâ struxerunt, coniiciunt: nam nisi excoqueretur, cùm alioqui marmoris instar dura sit, à fornace non domaretur. Illam igitur excoquunt magnâ lignorum & carbonum congerie, Galenæ copiam illis iniiciendo, atque alternatim alia aliis permiscendo, deinde ignem subiiciendo, donec colorem mutaverit: tum demum in fornace colliquandam, inferunt. Livius Siderocapsæ, olim Chrysite nuncupatæ, fodinas describens, ait Macedonum reges sua bella feliciter gessisse, ob ingentia tributa quæ ex fodinis accipiebant, eosque auro & argento Macedonico illustres evasisse. Credibile etiam est Philippi conatus sine eo non adeò feliciter cessuros fuisse: neque ejus filium Alexandrum tam ardua moliturum. Sed per illud Reges multa præclara gesserunt. Itaque hæc laus soli auro & argento tribuenda est, quòd plerique ardui conatus felicem exitum habuerint, atque ingentibus bellis, quorum auctores fuerant, optatus finis sit impositus. Paulus Æmilius Romanus, victo Perseo Rege, Macedonas ne ampliùs auri fodinas exercerent inhibuit, ut hac ratione Macedonum opes imminuerentur, atque Romanorum augescerent. Solinus etiam auctor est, Macedoniæ fodinas puro auro opulentas fuisse.

Qua ratione metallici aurum depurant, ex quo Turcici Ducati cuduntur; unicúmque esse Ducatorum auri genus per universum Turcarum Imperatoris dominium.

CAPUT LI.

SERIUM mandatum dedit Turcarum Imperator, ut aurum argentumque Siderocapsæ summa fide atque ut decet expurgetur. Modò retulimus qua ratione plumbum ab auro & argento separari soleat: auri verò ab argento separatio non est magni negotii: etenim ea solummodò fit aquæ fortis beneficio: eique rei præfectus est Armenus quidam; qui postquam aurum ab argento segregavit, in quadrangulas laminas pedem latas, binosque pedes longas, atque novaculæ dorso haud crassiores malleo diduci jubet. Eas in vasculum diligenter componit, atque pulvere quodam aspergit, hac ratione. Pulverem primùm è sale, alumine, contritisque tegulis constantem, in vase spargit, deinde quadratam auri laminam illi imponit, quam simili pulvere etiam tegit, ei rursus aliam laminam imponit simili pulvere conspersam; atque ita consequenter aureas laminas & pulverem alternatim commiscendo, atque aceto conspergendo donec vas plenum sit. Postmodum vi ignis è carbonibus conflati, per integrũ diem artificialem calcinantur & excoquuntur, donec probè aurum expurgatum sit; ex quo cusi ducati, postea Constantinopolim perferuntur. En igitur ut mortales suasmet leges observantes, ducatorum aurum, reliquis auri generibus præferri voluerunt, quandoquidem certum sit illud purius esse quovis alio auro cuso, quod plerumque commixtum est. Aurum apud Turcas cusum, purissimum aurum est ducatorum; quod adeò molle & delicatum est, ut facilè inflecti queat. Cujus, quemadmodum & ceteri auri splendor, etiam si impuris manibus tractetur, ilicò non inficitur, sed perpetuò splendet & in naturali suo colore permanet. At reliqua metalla cuipiam rei adfricata, suæ tincturæ notam relinquunt: quod minimè facit aurum, quod neque luteo neque nigro colore inficit. Mirum itaque non est, si solus color ad ipsius amorem nos rapiat; præsertim cùm communionem quandam cum Solis radiis habere videatur, eaque virtute polleat, ut quemadmodum ejus elegantia nostris oculis placet, singuli etiam illo

frui

frui desiderent. Aurum quacunque ratione, sive solidum, sive limâ contritum, sive in folia diductum, intrò assumtum, vitalem facultatem non offendit, ut reliqua metalla; imò ipsam & cor plurimum reficit: cujus quidem facultatis licet Græci scriptores non meminerint; Arabes tamen ipsâ experientiâ didicerunt. At ejus facultatum prætextu, nonnulli impostores, magnas fraudes comminiscendi occasionem sumserunt: qui excellentius quidpiam quàm medici nomen affectantes, Curatores sese appellârunt, novam quandam facultatem in auro se invenisse simulantes: etenim duplices ducatos pueris mandendos præbuerunt, eos suo more educantes, quorum salivam curiosè excipientes, ægris sumendam præbuerunt. Sed cùm meræ & crassæ sint imposturæ, eos in posterum puniendos censemus.

Vnde fabula de aureo Vellere originem sumserint: deque Perüano & Indico auro disceptatio.

CAPVT LII.

SÆPIVS inter eruditos viros disputationes exoriri intelleximus, utrum in fluminibus aurum arenis permixtum inveniretur, quemadmodum vulgo creditum est: ea res nos impulit, ut nonnihil hoc loco de eo ipso ageremus. Certum est mortales ab omni antiquitate quibus fieri potuit commodioribus rationibus aurum scrutatos: Experientiâ autem edoctos, aurum quod fluviorum arenis permixtum est, ponderosius cùm sit & minutis granis constet, ad imum subsidere, atque cum difficultate separari. Itaque industriam segregandi rationem excogitantes, arietinis velleribus illud exceperunt. Hinc conjecturam facimus, argenti vivi usum apud eos nondum invaluisse, qui nunc maximè viget: cùm per vellera separandi ratio nunc exoleverit. Ex ea porrò auri ab arena segregandi ratione, nata est de aureo Vellere fabula; nempe Iasonem cùm in Pontum cum Argonautis navigasset, atque ad Phasin flumen pervenissent, ubi indigenæ velleribus aurum separabant, occasionem sumsisse multa de ea re, cùm ad suos redissent, referendi: sed quod de illis vulgatum est, non multum dissimile est iis, quæ de Perüano auro referemus. Nam arietinum vellus Argonautas celebres non reddidit; sed aurū quod in navibus reportarunt. Licet verò quorundam fluminum auriferorum nomina jam à Plinio sint tradita; ea tamen hoc loco inserere minimè dubitavimus. Tagus in Hispania, Hebrus in Thracia, Rhenus & Danubius in Germania, Ganges in India, Pactolus in Lydia, Ticinus è Verbano lacu, & Abdona è Lario effluentes, Ada præterea & Padus in Italia aurum arenis suis permixtum habere perhibentur. Ceterùm, quoniam plurimæ provinciæ sibi persuadent eos pisces qui in auriferis fluminibus capiuntur, auro vesci, occasio nobis data est, quædam de eâ re commentari; dignumque nostrâ observatione censuimus, rei veritatem exquirere. Pesqueræ incolæ ad Benacum Lacum, atque etiam qui Salo accolunt, sibi persuadent eos pisces quos ipsi Carpiones appellant, è puro auro alimentum sumere. Et ne tam longè exempla petamus, Lugdunensis provinciæ incolæ certò statuunt, pisces quos Humbles & Emblons nominant, alio cibo non vesci quàm auro. Nullus est rusticus Lacus Bourget accola, qui non asseveret pisces Lavarets, quos perpetuò in piscario foro Lugduni venales reperias, alium cibum non degustare præter aurum. Lacus autem Paladrou in Sabaudia accolæ Emblon piscem atque Vmbram auro sustentari arbitrantur. Similiter Laudenses Mediolanensi Ducatu nobis retulerunt piscem Themolo, vel Themero illis dictum, veterum Thymalum, auri depastione pinguefieri. Sed singulorum anatome facta, & illorum ventriculis diligentiùs inspectis, comperimus alio cibo vesci, non auro: atque Lavaretos, Humbles, Vmbras, Emblones, Carpiones, Thymalos, tali ventriculo nequaquam esse præditos, ut aurum concoquere queat: licet incolæ communi proverbio dicant pisces aurum devorantes reliquis præstare, jam enumeratos innuere volentes, qui reliquos fluviatiles pisces succi bonitate superant: sed vulgus, rerum imperitum cùm sit, verum esse asseverat.

Porrò certissimum est, aurum, quacumque tandem mundi regione inveniatur, non nisi magno labore & ingentibus expensis expurgari, sive in Peru provincia natum sit, sive in India. Rem exaggerent ut volent Hispani Historici, qui de Perüano auro admiranda scribunt: attamen ex quibusdam locis historiæ illorum de Navigatione insularum Occidentis liquet, ejus venam fundi debere, quemadmodum in reliquis Europæ provinciis. Si illis fides adhibenda esset, quilibet in Indiam appellens (modò eruendi laborem sumat, non secus ac si quis vetustum parietem diruat) posse liberè tollere, & naves eo onerare videretur. Sed id fabulosum esse liquet: nam maxima auri à mercatoribus advecti pars, aliarum rerum quas intulerant, præsertim verò muliebris mundi per-

mutatione adquisita fuit. Atque licet magnam ejus vim primâ illâ navigatione retulerint, si nunc denuò navigationem instituant, non est quod se tantundem adquisituros sperent: nam cùm primùm eò appellerent, id invenerunt longo jam tempore ab incolis collectum, atque eadem ratione qua in Europa fieri solet, repurgatum. Itaque sciendum est, eos prima navigatione in Perüanas insulas summa diligentia & omnibus mediis aurum & argentum quod Insulani diuturno tempore paulatim collegerant, perquisivisse. Sed concedamus illos denuò tantundem adquirere velle; an non tempus illud colligendi Insulanis tribuere debebunt? Multo sanè tempore illis exspectandum erit, multæ deinde operæ adhibendæ quæ illud eruant; & necessarii faciendi sumtus: nam Indi è metallicis venis vi ignis id collegerant, non secus atque in Europa fieri solet: quod illorum ipsorum scriptis probabimus. Quoniam autem Indi nullum pecuniæ usum habent, eorum argentum & aurum in vasa conflatum fuisse credendum est. Nam licet Indorum fodinæ uberiores sint quàm alibi, atque faciliùs minoribusque expensis excoquantur quàm in Europa, vel licet eorum flumina plus auri arenæ permixtum ferant, quàm nostra; magno tamen artificio, ingentibusque expensis opus fuit in utroque genere, & longâ temporis morâ ad illud à suis spurcitiis expurgandum: minimè autem (ut plerique antè arbitrabantur) inventum est in laminas conflatum, neque cuilibet tollere licuit, & in fasciculos componere ut faciliùs in naves deferretur. Rem autem sic se habere, ipsi Scriptores de Indorum Rege captivo sermonem facientes testantur, cùm plurimas ædes ad aurum & argentum fundendū exstructas esse tradunt, aurique venam multo difficiliùs in planis colligi, quàm in montibus qui in divitibus Peru provinciis sunt: montanumque aurum stanno & sulphuri permixtum esse; à quibus ut separetur, ingentem in monte struunt ignem, qui suo calore sulphur calefaciendo, argentum à reliquorum metallorum permixtione dissolvat, & fluidum reddat. E quibus verbis ab ipsis supradictis Auctoribus desumtis, liquet, aurum & argentum eâdem ratione quâ apud nos, è suis venis erui & expurgari: ubicumque etenim eximatur, semper judicandum minerale esse, atque consequenter multis aliis metallis permixtum. Itaque si aliquando ingentem ejus quantitatem una vice retulerunt, illud ex Regum redemptione atque suarum mercium permutatione adquisiverunt. Nos hæc ideò retulimus, quòd plerique existimarent, aurum istic adeò vulgare esse, ut equorum soleæ ex puro auro fierent, & plaustrorum aratrorumque rotæ eo munirentur. Aurum porrò non minùs è suis venis in Orientali India eruitur, quàm in Occidentalibus insulis Peru. Per Orientalem Indiam intelligimus Æthiopiam, cui dominatur Presbyter Ioannes. Literæ Latinæ, Regi Lusitaniæ ab ipso inscriptæ & typis expressæ fidem faciunt, ipsum millies centena millia drachmarum auri Regi Lusitaniæ polliceri, si bellum adversus Turcas gereret. Et sanè Presbyter Ioannes & pecunias & milites illi dedit, ut Turcæ bellum moveret. Ingens profectò auri summa, millies centena drachmarum millia una vice à Presbytero Ioanne Lusitaniæ Regi præberi: attamen non idcirco dicendum est, quin plurimum impendendum fuerit ut ex suis venis erueretur. Idem Presbyter Ioannes quadriennio aut quinquennio pòst, alias literas ad Lusitaniæ Regem dedit, quibus illum rogabat, ut è Christianorum provinciis omnis generis artifices illi mitteret, præsertim autem eos qui aurum in tenues laminas diducere, numismata incidere, pecuniam cudere, atque in auro & argento sculpere nossent: item bonos typographos, qui libros typis exprimerent: sed præ reliquis expetebat magnum numerum eorum qui in fodinis eruendis experti essent, quique omnia quæ ad metallicas operas necessaria sunt, callerent, puriores metallicas omnis generis venas à vilioribus dignoscere nossent, & aurum atque argentum à reliquis metallorum generibus exactè separare non essent ignari. Ex jam dictis igitur literis patet, omne aurum & argentum Orientalis Indiæ metallicarum operarum artificio, industriâ, & magno labore è suis venis erui: sed alias operas aliis in sua arte magis peritas, & artem non æqualiter omnes callere, non modò istic, sed etiam in Europa & Asia. Et sanè plurimi metallarii è Bohemia, Saxonia, & reliqua Germania discesserunt ut in Æthiopia laborarent, eoque Regis Lusitaniæ sumtibus perducti fuerunt. Itaque patet, in utraque India aurum è suis venis erui solere magnis sumtibus & longo tempore, quemadmodum in Europa; atque illos culpâ non vacare, qui tam magnifica de iis scripserunt, cùm se à veritate aliena scribere non ignorarent. Atque ut exactiùs de hac re agamus, probare volumus, aurum è venis Occidentis erutum & expurgatum, non minùs præstans & perfectum esse, illo quod ex Oriente erutum est: in Septentrione verò erutum, æquè perfectum esse, ac in Meridie desumtum. Nam licet Oriens Occidente calidior & siccior sit, atque Septentrio frigidior & humidior Meridie; propterea tamen aurum æquè perfectam concoctionem habere non desinit in uno loco quàm in alio: nam quod in frigidissima orbis regione eruitur, non minùs perfectum est, eo quod ex calidissima Æthiopiæ provincia

vincia collectum est. Sola experientia ad id probandum contenti erimus: quandoquidem omne aurum ex quacunque vena sit erutum, modò sit repurgatum, æquè sit perfectum in una mundi plaga ac altera, nulla habita temperaturæ loci, calidæ aut frigidæ, siccæ aut humidæ ratione. Et ne hæc disceptatio nimium rudis & aspera videatur, rationibus rei prædictæ respondentibus probare volumus. Dicimus enim, quòd si quispiam nobis aurum ex Æthiopia, quæ est calidissima totius orbis regio jam expurgatum è sua vena erutum adferret, deinde cum altero compararet quod ex Septentrionis frigidissima regione delatum esset, atque itidem fieret de auro in Oriente, atque Occidente eruto: singularum regionum aurum repurgatum, ejusdem precii esse comperietur, atque eundem colorem in Lydio lapide relinquet. Nam vi & calore ignis excoctum cùm sit, massa è Septentrione petita neque deterior, neque purior erit eâ quæ in Meridie nata est, neque ullo modo ab ea differet: atque omne aurum è quatuor orbis partibus petitum, ejusdem qualitatis reddetur. Reliqua metalla, etiam perfectissimè repurgata, alterius sunt naturæ: nam vel levi injuria alterantur. At aurum, licet in tenuissima & aranearum telis subtiliora fila diductum sit, atque inter maximè corrodentia medicamenta, ut sunt sublimatum, ærugo æris, sal & acetum, sepultum, etiamsi istic bis mille annos permaneat, non ideò corrumpetur, quinimò perfectiùs expurgabitur. Quòd si quis forsitan ista neget, nobisque animantia, plantas, vel earum fructus in exemplum adducat, fructus perfectiores in una regione quàm in alia esse dicens, atque animantia istic quàm alibi esse saniora, vel ferrum, chalybem, æs, plumbum, argentum, præstantiora & puriora in uno loco reperiri quàm in alio: ita se rem habere fatebimur; sed etiam negabimus quidpiam in rerum natura reperiri, quod æternum sit, atque omnibus injuriis sic resistat ut aurum. Nam omnia prædicta corruptioni subjecta, levi de causa mutantur, & bonam sive pravam qualitatem in ipso ortu vel in interitu adquirunt. Hinc fit ut cùm maximè vigent, ejusdem qualitatis non sint. At aurum neque corruptioni neque similibus alterationibus est obnoxium: sed quamdiu hæc mundi machina consistet, perdurabit: quinimò neque aër, neque reliqua elementa, neque venti, neque mare, ejus maturitatem promovent aut retardant, sed suâ naturâ tale est.

Priùs quàm Syderocapsa discederemus, proximi montis celsissimi fastigium conscendimus, unde apertè insulam Lemnon & Athon montem in mari Ægæo sita conspeximus. Deinde ad Macedoniæ continentem nos obvertentes, regionem inæqualem & montosam esse videbamus, quantum oculorum acies prospicere valebat: binos præterea lacus, dimidii diei itinere inde distantes. Facilè etiam conspici poterant fodinarum loca, camini, atq. fornaces, hinc & inde per eos montes sparsa, cùm ad Orientem tum ad Occidentem. Insuper utrumque littus ad radices montis Athou, qua parte Macedoniæ contiguus est, discernere poteramus: videbaturque ejus isthmus admodum exiguus: sed cùm istic essemus, plus quàm quadrante miliaris patere deprehendimus. Maxima pars arborum quæ sponte silvestres in montibus nascuntur, sunt ostriæ, fagi, Græcis oxyæ dictæ, quercus, castaneæ. Domesticæ sive hortenses, sunt pyri, mali, amygdalæ, juglandes, oleæ, cerasi. Syderocapsæ pagus ab omni antiquitate viguit, postea aliquandiu neglectus fuit: sed ab hinc duodecimum aut decimumquintum annum, denuo valdè auctus est. Istic superstitiosum fieri vidimus medicamentum, quod præsentibus nobis cùm sit factum, commemorare hìc libuit. Turca quidam Iudæum splene laborantem curare volens, ejus mensuram supra alvum, charta excepit, quam ad novellam juglandem deferens, ex ipsius cortice tantundem excîdit, quanta erat splenis chartacea mensura: deinde obmurmuratis plurimis turcicis verbis, atque ceremoniis quibusdam peractis, ad Iudæum regressus, corticem ejus alvo imposuit, deinde filo trajectum è camino suspendit, Iudæo affirmans ejus malum diminutum iri, prout cortex exsiccaretur. Sed Turca nobis imperitus medicus atque Anatomen minimè intelligere visus est, qui splenis mensuram in media alvo atque ipso etiam umbilico sumeret.

Istic duo Serpentum genera invenimus, nusquam antè nobis conspecta: Græci vulgari ipsorum lingua nobis Sapidi vel Sapiti nominabant, quæ dictiones plurimum accedunt ad eas quæ veteribus Seps vel Sips dicebantur. Pyrites sive Marchasitæ Syderocapsæ appellationem Græcam cum peregrina commutarunt: nemo etenim incolarum est, quisquis tandem sit, sive peregrinus sive Græcus, qui Ruda non appellet. Alii Quitz vel Kitz, Germanorum more vocant. Excrementum verò, Latinis Scoria dictum, metallici, Serviani, Bulgari, Albani, Iudæi, Turcæ, & Græci, vocant Schlackna, quæ appellatio potiùs Germanica quàm Græca nobis videtur. Aliud est porrò excrementi genus, à Schlaken differens, ab illis Lesken nominatum, gravius quàm Schlaken, quod spuma quædam spongiosa & levis est, uti metalli spuma: nam eximitur innatans venæ auri & argenti fusæ & colliquatæ, & abiicitur, quoniam nusquam ubi metalla funduntur, ejus usus est necessarius,

non magis quàm alicujus excrementi inutilis. Sed Lesken sive Leskena gravis admodum est, ejusque usus magis est necessarius: nam Germani & Bohemi aliis metallis permiscent. Quemadmodum verò Stimmi, quod Latinis Antimonium dicitur, metallicum est vulgare, Lesken ferè in omnibus referens, eadem ratione atque ex eadem materia nascens, videlicet ex Pyrite auri & argenti, valde utile campanarum fusoribus, iis qui stannea pocula conficiunt, præsertim verò speculorum confectoribus, & typorum fusoribus; sic etiam illud Lesken aliis rebus mixtum utile esse posset. Sed nemo est in Syderocapsa, qui eo uti velit: attamen certi sumus commodissimè colliquari posse cum ferro ad tormentarios globos efformandos; qui præstantiores inde redderentur, & multo minoribus sumtibus fieri possent. Nulli tamen illorum id indicare voluimus, quoniam graviter peccare arbitrati fuissemus: quandoquidem ejus tanta est, in diversis ejus montis locis copia, ut facilè bis millies centena millia pondo colligi possent: eaque non modò ubi nunc excoquuntur metallicæ venæ, sed diversis etiam ejus montis locis in quibus olim excoquebantur. Aliud nomen indere nequivimus, quia ejus appellationem antiquam minimè intelleximus: nam Græci qui in metallicis venis versantur, pauca vetusta nomina retinent. Syderocapsæ incolæ magnam foliorum ejus fruticis quem Græci Rhus, Arabes Sumach appellarunt, copiam colligunt; crescit enim in iisdem montibus: iis pelles & coria densant; ut Ægyptii siliquis cujusdam arboris apud eos frequentis, Acaciæ vocatæ; Græci & Asiæ minoris, quam Natoliam vocant incolæ, calycibus Esculi; Illyrici myrto nigra; Galli quercus corticibus; Lesbii & Phryges picearum cortice. Et quoniam eo frutice abundant, lembos ejus foliis onerant, atque aliò transvehunt. Sed & ejus fructum diligenter colligunt, cui (nonnihil desiccato) corticem illum tenuem & rubrum adimunt, abjecto duro qui subest nucleo, atque per vicinos pagos vendunt ad condiendum & inspergendum cibis, sive ii ex oryza constent, sive offæ, juscula aliáve ejusmodi edulia sint.

Multarum aliarum rerum singularium in iisdem fodinis & circa ejus regionis montes observatarum descriptio.

CAPUT LIII.

SPIRACULUM deinde inspicere voluimus quarundam fodinarum, quæ non multo antè prædivites fuerant, magnumque censum domino, qui Iudæus erat, referre solebant; sed quas, tametsi metallis abundarent, deserere coactus fuerat ob dæmonem metallicum, qui illas obsederat: is quoniam in capræ aurea cornua gerentis forma sese mortalibus ostenderat, idcirco spiraculo *Hyarits cabron* nomen inditum, in monte situm supra pagum Piavitz, apud rivum nomine Rotas. Is dæmon adeò malignus erat, ut nemo vel solus, vel aliis comitantibus eas fodinas ingredi vellet: metu tamen cur minus ingrederentur haudquaquam impediebantur: nam & alii sunt metallici dæmones, ut nobis relatum est, minimè noxii, & alii etiam qui operas iuvabunt. Machinæ quibus vena extrahitur, ejusdem generis perpetuò non sunt. Nam aliquando vena adeò profunda est, ut duobus equis ad machinam versandam opus sit: cùm verò non admodum alta est vena, quatuor viri sufficiunt. Interdum etiam ipsa vena in superficie & aperto est. Metallici quondam venam colliquantes, plurimum circa suas fornaces laborabant, quoniam foramen quod in media fornace est, & per quod follium flatus exspirat, continuò obturabatur abs excremento metallico, sic ut opus deserere cogerentur. Sed quodam die peregrinus quispiam istac iter faciens experimentum eos docuit quo huic incommodo subvenirent: attamen illum minimè prudentem existimárunt, quòd gratis eos id remedium docuisset. Nam si precium artis petiisset, facilè illi omnium nomine bis mille ducatos dedissent. Remedium autem tale est. Caminus, ut diximus, die veneris sub vesperam singulis hebdomadis diruitur, atque die lunæ subsequente restauratur, qua temporis intercapedine fornax & focus frigescunt: anteriore camini parte restituta, magnam carbonis congeriem in imam fornacem coniiciunt, cui venam superaddunt, deinde rursus carbones; & sic alternatim venam & carbones superiniiciunt, donec fornax plena sit. Id semper primaria vice facere solent; deinde ignem carboni subiiciunt, & aquam supra rotam immittunt; quæ versata, folles ignem excitantes, attollit; subitò carbones incensi, dum paulatim absumuntur, venam colliquant. Ista follium inflatio dies & noctes non intermittitur: absumentibus verò se carbonibus & colliquante se vena, in fornacem iniiciunt album quendam lapidem, in parva fragmenta contusum, ne spiraculum in fornace obturetur. Splendens est hic lapis & arenosus: quem duplici nomine insigniunt, pro nationum diversitate. Nam

Serviani, Bulgari, Wallachi & Turcæ *Varovitticos*, vel *Varovitnicos*, aut alia Græca appellatione *Assueit* vel *Asueit* dicunt. Is est lapis, qui illis, ut suprà dictum est, demonstratus fuit: cumque ter aut quater singulis diebus in fornacem majore aut minore quantitate iniicere debent, prout metallum colliquescens foramen per quod ventus exspirat, obturat. Pagus est supra Syderocapsam in summo montis vertice, qua Orientem spectat, situs, nomine Piavits, admodum incommodo loco; propterea quædam dumtaxat tuguria habet, tignis & asseribus tecta. In ipso monte magnos Scoriæ sive Schlaken acervos supra Piavits invenimus. Et quoniam à rivulis procul abest, subdubitavimus, an olim venti beneficio, non autem aquæ uterentur ad fornacem incendendam. Nam cùm nullum istic rivum conspiceremus, metalla autem istîc fuisse colliquata certissimum esset; cogitavimus tunc ignotum fuisse usum adaptandi rotas, quæ nunc vi aquæ versatæ inflant folles ignem incendentes ad colliquandam metallicam venam; sed folles hominum labore agitari solitos. Sciebamus tamen, veteres in extrahendis & repurgandis metallis magnâ commoditate usos, atque eorum magnam quantitatem colliquasse.

Istîc incidimus in pueros quosdam Græcos, qui Ericæ genus colligebant, quod totâ Græciâ vulgari nomine *Phana* dicitur. Cùm verò qua ratione inter se Erica & Phana differrent, scire cuperemus, facilè nos unicâ notâ edocuerunt. Nam Phana collectum profecturi, ad ignem struendum, nullum instrumentum ad eam eradicandam circumferunt, quoniam facilè & minimo conatu cum suis radicibus, quæ summa tellure sparguntur, ut in cisto, & ligustro, evellitur: erica verò minimè; quam sine ligone eruere non licet.

Ad radices verò montis, alius est ingens pagus Seriné dictus, à quo mare veteribus Chalcis appellatum, duntaxat quadrante miliaris distat: portus istîc est satis tutus carinis, in imo litore ejusdem sinus, Chalcis nomine dicti. Plus quàm sex hominum millia ut plurimum laborant in fodinis Syderocapsæ: quoniam autem Seriné pagus ferè mari contiguus est, & fornaces illi viciniores sunt, operæ eò confluunt, annonæ comparandæ gratiâ, quæ variis locis istuc navibus infertur. Postquam totâ hebdomadâ colliquata sunt metalla, plumbóque ab auro & argento separato, bene repurgata, atque, cui cura commissa est, reddita; superest ut ab invicem aquæ fortis beneficio sejungantur. Et licet aurum purum sit, iterum tamen repurgatur eâ quâ antè diximus ratione: deinde in laminas funditur, illæque in virgas duarum orgyiarum longitudinis, & digitalis crassitudinis & rotunditatis: hæ deinde parvis & levibus sulcis designantur, ut cultro & malleo in paruos orbes ponderis unius ducati scindi queant: qui postmodum magis complanati ad libram appenduntur, cuduntur, & in ducatos exprimuntur eodem ipso loco: postremò Constantinopolim deferuntur.

Lacus illis vulgari nomine Peschar vel Covios dictus, solummodo duorum dierum à Saloniki, & dimidii diei itinere à Syderocapsa distat. In eo varia piscium genera inveniuntur, quæ sigillatim observare voluimus. Capitur in eo piscis quidam ab incolis Laros appellatus, à quo avis Græcis λάρος dicta, nomen sumsit, quòd eo pisce plurimùm delectetur. Latinis Gavia, Gallis *Mouette*, Diepanis & Novi portus incolis *Mauue*. Retulimus alium piscem, illis Claria dictum. Eum cùm publicè ostenderemus, convenerunt plurimi Iudæi, qui squamis præditum affirmabant, eamque ob causam illo vesci ipsis licere (etenim Iudæi, quocunque loco habitent, nunquam piscibus vescuntur qui squamis carent.) Sed cùm nullas squamas in Claria conspiceremus, in summam dubitationem illos conjecimus, imò in talem inter sese altercationem, ut parum abesset quin pugnis & verberibus se mutuò exciperent. Qui recens ex Hispaniis advenerant, alios accusabant, & istam consuetudinem improbabant. Quidam eorum sacerdotes qui istîc aderant, piscem accuratiùs considerantes, quædam squamarum rudimenta in pisce deprehenderunt. Tum in eam sententiam itum est, sine scrupulo illis licere eo pisce vesci. Attamen nullas squamas Clariam habere observavimus; estque is quem Lugdunenses *vne Lotte*, Parisienses autem *vne Barbotte* appellant. Invenimus etiam pisciculum ab incolis Liparis, hoc est, pinguis, vocatum; quem Auctores minimè descripserunt, & solum ejus nomen apud Plinium exstat. Reliqui pisces qui in Covio lacu capiuntur, ab incolis Peschar, Redina, & Covios, juxta ripas lacus habitantibus, vulgari proprio nomine dicuntur, Perchi, Plesti, Platanes, Lipares, Turnes, Grinadi, Schella, Schurnuca, Posustaria, Cheronia, Claria, Glanos. Vidimus etiam alios pisciculos marinos, qui ad ostia riuuli cujusdam capiuntur, in forum delatos: Græci nominant Gyllari; quem ab Euthydemo Gelarin appellatum existimo: sed ij pisciculi nihil sunt quàm parvi muli, quos Propontidis accolæ Cephalopola vocant.

Cùm valles ejus provinciæ humidæ sint, & regio sit montana, omnes capillares herbæ, Asplenon, Lonchitis altera, Cotyledon etiam, & reliquæ quæ humiditate gaudent, libenter innascuntur. Cotyledon autem sive Vmbilicus Veneris, adeò rarus non est, quin in plurimis Galliæ locis reperiatur: quoniam tamen eum florentem exprimi jussimus, & à ne-

mine adhuc exhibitus est ejus picturam hîc subjecimus. Harum stirpium nomina recensuimus, non quòd istic plura alia genera non nascantur: sed quia cùm istic essemus, plures non adnotavimus. Et ubicumque tandem fuerimus, animadvertendum est, me singulis diebus scripsisse, quæ in hoc libro annotavimus. Quando autem stirpium quas singulis diebus conspiciebamus nomina memoriæ mandare volebamus, singularum ramulos aut folia in sacculum diligenter inferebamus; & cùm sub vesperam in diversoriũ advenissemus, aut in vmbra quiesceremus, singulas ex sacco eximebamus, & describebamus, ut hîc videre est: quæ adeò causa est, ut multarum vulgarium & omnibus notarum nomina, tum suprà recensuerimus, & infrà adhuc referemus. Idcirco autem illa sic descripsimus, ut notum faceremus, ea non minùs in iis locis quàm apud nos inveniri. Sed & instrumentum ferreum semper circumferebamus, cùm ut stirpes erueremus, tum ut serpentes è terra educeremus, cùm eos in sua foramina irrepsisse conspiceremus.



Plurimorum ferorum animalium nomina.

CAPUT LIV.


REQUISITI ejus regionis incolæ ut ferarum quas in planis & montibus errare cognoverunt, propria nomina vulgaria nobis indicarent, illa sic retulerunt: Platagoni, Gouuidia agria, Agrimia, Zorcadia, Agriomochtera, Squamzocheros, Laphi, Alopus, Lycos, Lagos. Per Platagoni, nostras vulgò dictas Damas intelligunt; per Gouidia agria, boves agrestes & feros; per Agrimia Capream sive Boucestain Gallorum; per Zorcadia capreolos; per Agriomochtera Aprum; per Squamzocheros histricem, vel erinaceum; per Laphi ceruum; per Alopus vulpem; per Lycos lupos; per Lagos lepores. Quoniam porrò ea Gallicè vel Latinè exprimere satis difficile esse scimus, non alienum ab instituto nostro existimavimus, nonnihil de illis scribere, initium à Capreolo facientes, qui in montanis frequentior est quàm in planis. Zorcadia igitur appellationem ad Dorcada accedere videmus. Solinus Capream Latinè describens, Gallorum Boucestain intelligit. Attamen Theodorus Plinium sequutus, Aristotelem Latinè exprimens, pro Dorcada semper Caprea reddidit. Omnino tamen liquet, Gallorum *Cheureul* (quem Romani Italicâ dictione Capriolo vocant, cujusque carnes hieme Romæ ad libram væneunt) exigua ramosa cornua gestare, cervinis ferè similia, & singulis annis decidua. Corpore ceruum refert, minor tamen, & hanc peculiarem notam habens, quòd cauda omnino careat, ut etiam ab Aristotele est annotatum, cui δορκὰς est. Probare autem volumus, convenire cum eo animali quod Plinius Capream nominat, nisi in textu nonnulla appareret difficultas: quæ nulla
» erit si hoc modo legatur: Capreis ramosa dedit natura, sed parva (deinde pro nec legen-
» dum &) & fecit ut cervis decidua. Aristoteles in eandem sententiam de Capreolo scribit:
» Inter cornigera, inquit, omnium quæ explorata habemus, minimum Dorcas est, in cervi-
» no quoque genere numerandus; ut qui cornua habeat omnibus annis decidua. Græci diversis appellationibus nominarunt: nam quibusdam Dorcas dicitur, aliis Zax, vel Dorx, vel Dorcalis. Columella Capreolum dixit. Videmus igitur *Cheureul* Gallorum, veteribus minimè fuisse ignotum; cujus cùm appellatio omnibus ferè locis vulgaris sit, omnibus notus est. Gallorum *Chamois*, qui Græcis Cemas dicebatur, Rex, veteri dictione Gallica,

Ysard appellat, Latini Rupicapram nominârunt; quòd ejus habitatio sit in duris & asperis saxis, quò se noctu recipit, atque etiam interdiu, postquam convallium herbas depasta est. Vt autem de quo animali agimus omnes intelligant, ejus iconem ad vivum expressam hîc subjecimus.



Rupicapra.

Si hujus Ysard aut *Chamois* cornua ramosa essent, dici posset Plinium hoc animal intellexisse cùm de Caprea loquens, sic ait, Nec fecit ut Cervis decidua: nam hieme cornua non abiiciunt, ut nec Gallorum *Bouc-estain*: sed cùm ea ramosa non habeat, Caprea esse non potest. Corpus quidem Capreoli habet, & pilorum colorem etiam similem, diversæ tamen est naturæ. Ejus cornua sunt nigra, parva, rotunda, ad frontem inter oculos erecta, extremitate incurva: hinc fit ut sæpenumerò accidat eum mori, dum nates scabere volens cornua adeò altè infigit, ut ea denuò eximere nequeat; unci enim instar incurva sunt. Minore est corpore quàm platyceros, aut Bouc-estain, atra linea spinæ dorsi longitudinem notante. Ejus aures arietinis longiores sunt, color gilvus; atramque lineam utrinque habet rectà à cornuum radice supra oculos ad extremum os ductam, & in labro superiore desinentem. Frontem etiam veluti stella insignitam habet. Caudæ superior pars nigra est, & satis pilosa, rotunda, & ut Dorcadis longa. Gallica appellatio *Chamois* nobis recens non videtur, sed à Græca Cemas deducta, cujus Ælianus meminit. Nobis præterea agendum est de alio hujus generis animali, cujus nullam aptam Gallicam appellationem invenientes, veteri quo Auctores donarunt nomine exprimere coacti sumus, quod ex Hirco & Cervo compositum est, nempe Tragelaphus. Simili pilo præditus est quo Gallorum *Bouc-estain*, sed barbâ caret. Ejus etiam cornua non decidua, similia sunt Capræ cornibus, quæ interdum contorquentur ut in Ariete. Os, anteriorem frontis partem, & aures Arietinis pares habet, præterea etiam scrotum, quod amplum & propendens est. Quatuor crura illis etiam similia, alba; coxæ sub cauda albæ sunt, cauda nigra. Colli superior & inferior pars atque pectus adeò longis pilis obsita sunt, ut barbatus videatur. Villi autem in scapulis & pectore oblongi, nigri: utrimque in lateribus maculam cinerei coloris habet: nares nigras, os album, ut & totam inferiorem alui partem. Ceterùm quoniam postea de Hippelapho agemus, sciendum est, Franciscum I. Regem equum habuisse, qui posteriores corporis partes Cervinas haberet, ideoque plurimos cogitasse Hippelaphum vocari debuisse: sed fallebantur. Aiebant porrò eundem equum à cervo qui in silva equam iniisset fuisse prognatum, quod Hippelaphi non est: Nam Hippelaphus animal est sui generis, quale postea dicemus. Superest ut Tragelaphi iconem proponamus, quandoquidem nusquam alibi conspecta est.



Tragelaphus.

Diximus Græcos vulgari lingua animalia Gallis *Dains* dicta Platogni nominare, quæ Veteres platycerotas nuncupabant: attamen Platyceros vocabulum in Aristotele non invenitur, sed semper Prox dixit, quod interpretes Dama verterunt. Corpore quidem Cervum refert, & Capreolo major est, sed colore differt. Platyceros minus caput habet Cervo: cornua illi etiam omnibus annis decidua ut Cervo, quæ antrorsum protensa habet præter aliorum consuetudinem: gilvam habet dorsi spinam, atramque lineam secundum dorsi longitudinem excurrentem: cauda longa est, ad poplites usque propendens, uti vitulo. Sæpè contingit ut ejus latera candidis maculis aspersa sint, quæ vetustate pereunt: accidit etiam sæpenumerò ut feminæ omnino albæ sint, sic ut capræ existimari possent, nisi pilum admodum brevem haberent. Ostenduntur ejus cornua ingentis magnitudinis variis locis, qualia sunt ea quæ in gradibus & ascensu Ambosianæ arcis conspiciuntur. Istic etiam conspicitur effigies in lapide expressa alterius animalis hujus generis, cui adposita sunt vera ipsius animalis, quod effigies refert, cornua: cujus rei ut mentionem faceremus, operæpretium visum est; arbitramurque id esse animal quod Aristoteles Hippelaphum nuncupavit, quandoquidem barba præditum est, ut

eſt, ut *Bouc-eſtain* Gallorum. Ut ut ſit, animal fuit admodum rarum; & niſi in Galliâ conſpectum eſſet, ejus ſtatuam cornibus ipſius animalis impoſitis in ipſo Regis palatio erectam iri non arbitramur.

** Quando porrò Bellonius mentionem facit ſtatuarum animalium, quibus vera ipſorum cornua fuerunt impoſita; operæpretium me facturum exiſtimavi, ſi de iis cornibus verba facerem, quæ, dum arcem regiam Blæſis anno M.D.LXI. luſtrarem, in eius horti ambitu ad parietem fixa conſpiciebam. Ea autem erant bina Cervæ genuina cornua, ſingula duodecim ramis prædita, (quam à Marchione Badenſi in venatione olim captam ferunt) & Galliarum Regi Ludovico eius nominis XII. dono miſſa, qui illa ſtatuæ cervæ adaptari iuſſit: de qua re Epigramma Gallicum additum: quod, quia eius animalis capti hiſtoriam continet, in Lectoris gratiam adiuiendum cenſui.*

Vous qui cherchez du monde les merveilles,
Voiez s'il eſt biches à moy pareilles :
Et ſi Nature, qui tout bâtit & œuvre,
Ne fit en moy un merveilleux chef d'œuvre,
Quand i'ay porté deſſus ſemblable corps
Ceſte ramure de vingt & quatre cors.
Et qu'ainſi ſoit, de Baude le Marquis
Au faict de chaſſe treſſcavant & exquis,
Si groſſe queſte deſſus moy entreprint,
Que malgré moy en ſa foreſt me print.
Lors me voyant ſi ſauvage & eſtrange
A ſon amy le Comte de Limange
Nommé Ennel ma rameure tranſmit
Avec lettres, dedans leſquelles mit
Son ſigne & ſeau, & atteſtations
De Gentilshommes faiſant probations,
Ainſi que ceux qui à ma priſe furent,
Que celles cornes deſſus ma teſte crurent.
Long-temps apres le bon Duc de Lorraine,
Bien cognoiſſant la choſe eſtre certaine,
Tranſmit mon chef, augmentant mon renom,
Au Roy Loys douzieſme de ce nom,
Qui m'a faict mettre icy, afin qu'on voie
Ceſte merveille, en paſſant par la voie.

Sed & multis annis antè, tempore videlicet Henrici II. Regis Angliæ, Nortmanniæq; Ducis & Aquitaniæ Cervam cornutam duodecim annorum cornua ferentem in Cambria Angliæ provincia captam fuiſſe, ejuſdemq; caput cum cornibus ipſi Henrico Regi miſſum fuiſſe, teſtis oculatus eſt Giraldus Cambrenſis in ſuo itinerario Cambriæ capite I.

Profectio à Syderocapſa in Bucephala. De flumine Strymone, & piſcibus qui in eo capiuntur.

CAP. LV.

MARI iter facientibus è Syderocapſa in Cavalla urbem, quæ antiquitus *Boucephala dicebatur, dimidio duntaxat die opus eſſet: ſed terreſtri itinere proficiſcentibus duo integri dies inſumendi, diuque maris litus legendum: nam iter inſtar arcus inflexum, quoniam ſinus profundus eſt, Chalcidis ſinum & Strymonium continens. Herbis & fruticibus abundat. Androſace, Chamæſyce, Soldanella aliâs Thalaſſocrambe dicta, Tithymalus myrſinites & paralius adeò frequentes ſunt in litore, ut nihil illis ſit vulgatius. Mare nobis ad dextram erat, & Continens ad lævam. Interdum ſuperandi fuerunt colles exigui, in quibus Terebinthi in celſas arbores non excreſcunt, ut in Corcyra inſula; ſed ob regionem aſperam & ſaxeam, Coryli altitudinem vix ſuperant. Altiores quas conſpexi arbores fuerunt Aria & Phylica, quæ apud nos cùm non naſcantur, Gallicâ appellatione carent. Ad littus reverſi, & nonnihil in ſilvas declinantes, ſub Cornis & Fraxinis iter faciebamus, non multo humilioribus quàm ſint Abietes. Rivum qui è lacu Peſchar, aliter Conios dictum, fluit, tranſivimus ſicco pede ad ipſum maris littus, quoniam media æſtas vigebat, & aqua ſub arenâ effluebat. In planitie ſubſtitimus ad eundem rivum ſub umbra præcelſarum Terebinthorum, non procul à maris litore; & jam ſub noctem piſcatores invenimus, qui uno ſagenæ tractu, circiter ſexaginta piſcium diverſa genera ceperunt, quos ilicò obſervavimus & deſcripſimus. Sinus monti Atho proximus, aliàs Strymonius dictus, adeò amplus eſt & altus, ut integro ferè die ſecundùm illum iter fecerimus: quo paulo pòſt relicto, per continentem defleximus verſus urbem Tricala, olim Trica dictam, (ubi nunc ſedes eſt Sangiac vel Præfecti Macedoniæ) quæ urbs nunc è primariis totius regionis eſt, in quâ magna tritici quantitas invenitur ad naves onerandas quæ ad Strymonis oſtium appellunt, à quo urbs non procul abeſt. Strymonis amnem è Tricalæ urbis conterminis fluentem, invenimus, qui multa nunc vulgaria habet nomina: nam ubi in lacus exſpatiatur, à pagis vicinis nomen ſumit. Plurimi Cygni, aliæque aquaticæ aves ejuſdem magnitudinis, quas Ariſtoteles Pelecanes, & Plinius Onocrotalos vocavit, iſtic conſpiciuntur, in illo flumine alimentum ſumentes. Lentè tamen fluit, nec profundus eſt ejus alveus, & humiles ripas habet; quam ob rem admodum herboſum eſt: tribulus aquaticus tantâ abundantiâ iſtic naſcitur, ut non abs re ſcripſerint veteres, ſuo tempore equos iſtic ali ſolitos tribulis. Latum eſt nonnullis locis, in quibuſdam etiam valdè anguſtum. Ejus curſus frequen-

frequentibus cataractis retinetur, ut molas versare possit, quemadmodum in Galliæ fluminibus fieri solet. Rotas autem aqua per alveum ducta non versat, sed similes iis quas molæ in Ligeri natantes habent, verùm ex angustioribus asseribus confectas. Molitores Græcè loquuntur, à quibus piscium qui in eo flumine capiuntur nomina didicimus ut sequuntur: Cherifcaria, Cephalos, Glaignon, vel Glanos, hoc est, Silurus, aliàs Hyena, Platanes, Chelli, Turnes, Grinadies, Moustacatos seu Mystus, qui *Barbeau* Gallorum est. Anguillæ sunt insignis magnitudinis. Id flumen etiam Marmara vocatur, quoniam magnum pontem ligneum habet sub pago Marmara, quem Ibrahim Bassa exstrui jussit, & quia ante pagum, magnum est stagnum eodem nomine Marmara dictum. Plurimæ naves, veluti è Ragusa, Chio, è Græcia, Venetiis, ac interdū ex Ægypto hujus fluminis ostium ingrediuntur: & istic brevi tempore tantum tritici reperiunt, quo onerari possint. Advehunt verò merces earum regionum unde solverunt, & ingresso fluminis ostio per integrum ferè miliare, interdum bimestri hærent hiemali tempore: mercibus autem quas advexerant venundatis, & tritico, lanâ aut coriis denuò oneratæ, primo vere ad suos revertuntur. Rudera cujusdam urbis ad Strymonis ostium conspiciuntur, quæ nunc planè deserta est; rustici incolæ Chrysopoli nominant. Plinius tamen Chrysopolim non procul Chalcedone ponit.

Conspectum deinde ivimus urbem vulgo Ceres nuncupatam, veteribus Cranon, amplam in planicie Thraciæ, & quasi in Macedoniâ sitam; in qua binos duntaxat dies hæsimus; deinde ex Ceres in Tricalâ profecti sumus, à quâ iter convertimus ut in urbem Philippos veniremus, ad latus habentes magnum montem vulgo Despota nuncupatum. Maxima planicies erat, frugum fertilis, & alveis irrigata, multisque pagis exculta. Ad dextram Pangæum montem reliquimus, in quo etiam nunc argenti vena eruitur. Omnes Tricala & Ceres incolæ Græca vulgari linguâ utuntur; sed Iudæi qui eas etiam incolunt, Hispanicum & Germanicum idioma callent. Rustici Græcè & Serviane loquuntur. Cùm in Macedoniâ essemus, nullam unquam urbem, aut pagum adiimus, in quibus rustici Selinum nostrum vulgare nobis non vocârint Macedoniki vel Macedonico: eodem nomine in aliis Græciæ locis dicitur, exceptâ Cypro, ubi Condomalo appellatur: sed Eleoselinum, quod vulgo apium dicitur, ab omnibus in genere Selino nuncupatur; idque humidis locis diligenter colunt, atque crudo vescuntur. In Philippos proficiscentes, & per fodinas Castagna iter facientes, intelleximus eas argentum duntaxat & plumbum dare, & interdum paululum quidpiam auri: eas solummodò in transitu conspeximus, nec ibi substitimus. Nullis locis à nobis antè peragratis, viscum in Quercubus nascens unquam videre contigerat: sed iter facientes per silvam quæ est in planicie in extimo sinu Chalcis nuncupato, magnâ copiâ invenimus. Nulla quercus est inter montem Athon & urbes Ceres & Tricala secundum publicam viam quæ viscum non alat, ab eo quod in malis, pyris, & aliis arboribus nascitur diversum, & ab omnibus rusticis Oxo nuncupatur: nam tenacissimum viscum ex ejus baccis faciunt. Ejus provinciæ culta arva, præsertim quæ circa radices colliculorum sunt, plurimum corrumpuntur Paliuri & Rhamni fruticibus: qui serpendo per cultum solum, multum loci occupant.

* *De hac vide nostri Abrahami Ortelij Thesaurum Geographicum, in dictione Bucephalos.*

Plurimarum antiquitatum & ruderum urbium Macedoniæ descriptio, atque de Philippis & Philippopoli.

CAPVT LVI.

DVORVM duntaxat dierum itinere à Trica sive Tricala distant Philipporum rudera, quæ urbs nunc omnino corruit: vix autem trium dierum iter est à Philippis Philippopolin, amplam etiam urbem in Macedonia. Sed quoniam Macedonia fluvio Strymone includitur, Auctores in Thracia eam reponunt. Philippopolis antea πονηρόπολις dicta est: quia verò Philippus Alexandri pater eam plurimum auxit, utramque suo nomine appellavit, unam Philippos, alteram Philippopolin. Philippi siti erant, ut & nunc, regia via quæ Roma Constantinopolim & in Asiam ducebat per continentem, non procul tamen à Mari. At Philippopolis in continenti sita est. Regia via, Romanorum tempore, euntibus Româ Constantinopolim ducebat Brundusium, deinde traiiciendum erat Hadriaticum mare, & appellendum Velonam aut Dyrrachium, deinde Philippos proficiscendum erat, postea in Bucephala mare denuò conscendendum, & deinde in Alexandriam Troadis appellendum. Biduo hæsimus ad conspicienda Philipporum rudera,

dera, ubi nunc duntaxat pagus est, continens quinas aut senas ædes extra muri circuitum, apud aquam exstructas. Idem est Philipporum situs eademque structura qualis in Philippopoli. Nam Philippi magnam planiciem cingunt, & proximi montis partem usque ad ipsum fastigium, ubi murus desinit in arcem elegantis structuræ in ipso monte sitam, quæ cisternas adhuc integras retinet. Philipporum muri, ferè omnino diruti sunt, qui ex lateribus & calce constabant, & nonnullis etiam locis quadrato lapide, sed neque vallo neque fossa muniti. Hujus urbis meminit Galenus: nam cùm Troiâ, quæ tum Alexandria dicebatur, Romam proficisceretur, ea via, quam antè diximus, incessit. Lemno enim relictâ, per urbem Philippos iter illi faciendum fuit, in plano sitam ab Orientali parte, montem verò ab occidente habentem, qui illi propugnaculi loco est. Planicies adeò humida est, ut quodammodo palus videatur: istîc Althæa flavum fert florem, quemadmodum ea quam Theophrastus apud Athenas Orchomeno lacu nasci refert. Cytisus frequens admodum est in Thraciæ & Macedoniæ pratis: quem neque Gallia, neque Italia alit. Nullus locus est, ubi majora marmorea sepulcra conspiciantur per agros sparsa, quàm in Philippis: solido enim & puro marmore albo constant. Restant adhuc variis montis locis pleræque inscriptiones rerum à Romanis gestarum in marmore Latinis literis incisæ. Insula Thasos dimidii diei solùm itinere inde distat, ex qua eruebatur candidissimum & elegantissimum totius orbis marmor: atque arbitramur marmorea illa sepulchra per agros secundum publicam viam sparsa, ex Thaso fuisse delata. Inter illa verò nullum restat magis integrum, quàm quod medici Alexandri fuit; in quo adhuc ejus epitaphium conspicitur inscriptum charactere Græco, sed ex parte corruptum Servianico; quæ causa est ut difficulter legi queat. Quemadmodum verò sepulcra unico constabant lapide excavato binas orgyias longo, dimidiam orgyiam lato, atque humana longitudine alto, sic operculum habebant unico lapide constans. Excellentia & amplitudo urbis æstimari potest magno illo sepulchrorum numero: nam antiquitus opulenti Græci recondebantur marmoreis sepulchris extra urbem in apertis agris, ne urbis incolæ pestilentem cadaverum odorem haurirent: Græci etenim cadavera non urebant, neque terrâ sepeliebant, ut in Italia, utque nunc in Gallia solemus. Itali porrò aliam sepeliendi cadavera consuetudinem jam habent à nostra diversam: nam fornicatas cryptas variis templorum locis exstruunt, quæ unicum in summo foramen habent, in modum oris putei fabricatum, quod unico orbiculari lapide claudunt: habet verò is lapis ferreum annulum appensum, quo cùm opus est, sublevari possit. Cùm autem cadaver adfertur, in cryptam per foramen demittitur, nulla terra superinjecta: deinde foramen denuò clauditur suo lapide, calceque in circuitu munitur. Pagus est in planicie, quadrante miliaris à Philippis, nomine Bolisce, ubi ingens marmoreum saxum vidimus, cum hac inscriptione: *Nevia musa in testamento*, quo alvei loco ad aquam è puteo excipiendam utuntur.

Paulo ultra Philippos secundum regiam viam ingens lapis est quadrâgulus, erectus instar supremæ partis obelisci cujusdam, Latinis literis inscriptus, sepulchrum olim C. Vibii Cor. Quarti. Fabulosa quædam de eo incolæ narrant, equæ Alexandri magni præsepium esse existimantes: per equam autem Bucephalus intelligendus est. Ad eum lapidem uti rarum quidpiam conspiciendum nos deduxerunt. Ingens autem & oblongus, erectus & summâ parte excavatus. Urbs Bucephala quæ ab Alexandri equo nomen sumpsit, vicina est, de qua postea. Philipporum rudera & ruinæ non minùs sunt admirandæ quàm ullius alterius urbis. Sed id lapidum commoditati tribuendum iudicamus, cùm ipsa marmoris fodina sive latomia ipsius urbis muris sit inclusa. Pulcherrimum istîc est Amphitheatrum, quod in hunc diem integrum conservatum est: possetque in multos adhuc annos perdurare, nisi Turcæ gradus, qui marmorei sunt, auferrent. Ovali formâ non est exstructum, ut quod in Otricholi aut Roma conspicitur: sed sphærica est figura veluti Nemausense aut Veronense: undique etenim clausum non est. Qua aditum præbet, meridiei obiicitur, atque à summo ad solum usque apertum, lumen admittit. Loco admodum commodo exstructum fuit: nam in ipso monte variis locis gradibus marmoreis incisum est. Antiquissima quæ istîc restant vetustatis monimenta sunt quatuor ingentes & crassæ columnæ, quæ templi Divo Claudio dicati sunt reliquiæ, in quo conspiciuntur adhuc plurimæ marmoreæ statuæ & columnæ Dorici & Ionici operis, insignis structuræ & summi artificii.

Nacti Caloierum è monte Castagna, Philippis discessimus, ut quatuor monasteria in eo monte sita conspiceremus. Alit verò is mons Platanos, Fagos, Arbutos, Adrachnes, Ilices, Ariam, Alaternum, Abietes, Pinastros, & Esculos. Cornus femina *veteribus Macedonibus, quam Galli Latinos imitati Sanguineum fruticem appellant, haud minor in eo monte nascitur, quàm majores nostræ Corni mares.

* *Multis Austriæ silvis nascuntur etiam Corni feminæ arbores, mare non minores.*

Buce-

Bucephalæ urbis, olim Chalastrea, nunc verò la Cavalla nuncupatæ descriptio.

CAPVT LVII.

POSTQVAM biduo integro per eum montem iter fecimus, uno die & semisse in urbem Cavallam pervenimus, quæ olim, ante quàm Alexander Bucephalam eam nuncuparet, Chalastrea dicta fuit: nec Philippos nobis regrediendum fuit, sed ad sinistram reliquimus. Cavalla urbs est à Bucephalo Alexandri equo sic denominata. Plerique ex Plinii lectione in dubium venerunt, in qua potissimùm provincia exstructa esset Bucephala. Nam cùm Indum fluvium describit, Bucephalam ait caput fuisse Asseniorum tres urbes incolentium, Alexandri regis equo (cui fuerat hoc nomen) ibi sepulto conditum. Sed idem Græciam describens, sub finem capitis in quo de Achaia agit, Bucephalum portum esse ait, quem Anthedoni conjungit. Mela etiam Græciam, præsertim autem Macedoniam describens Anthedonis meminit; & paulo pòst Peloponnesi sinus & promontoria recensens, Bucephalon ab Oriente numerat: unde liquet Bucephalon fuisse promontorium vel sinum. Sciendum porrò est, Bucephalam Græciæ urbem esse in promontorio sitam, quod in mare prominet; atque à Philippis duobus duntaxat miliaribus distare, & nunc amœnam habitationem præbere, tametsi paulo antè omnino deserta & diruta esset. Nam postquam Turcæ è bello Vngarico redeuntes, omnes Iudæos quos Budæ, Pestæ, & Albæ regali invenerant, abduxerunt, & in Cavallam, Tricalam sive Tricam, Ceres sive Cranon colonias deducere jusserunt, semper deinde habitata fuit: ut plures quàm quingenti Iudæi, Græci & Turcæ nunc istic vivant. Ejus situs Lemni urbis situi ferè similis est: nam pari modo undique mari cingitur, præterquam posteriore parte, admodum angusta. Magnum habet portum, sed malè fidum, quia frequentibus ventis expositus est: eam ob causam biremes, lembi & celoces (si diutiùs istic hærere debeant) subduci solent, urgente tamen necessitate naves in eo tempestatem quidem ferre possint, admodum tamen affligerentur. Plurimæ etiamnum integræ cisternæ supersunt intra urbis ambitum, quæ nobis alias veteres Cretæ ruinas in memoriam suggerebant, nomine Helenico paillo Castro, in monte sitas paulo supra Quissamus. Eæ cisternæ adeò tenaci rudere sunt exstructæ, ut non minùs marmoreo saxo sint duraturæ. Cavalla una est è Macedoniæ clavibus, uti Philippus dicere solebat Magnesiam Græciæ esse clavem.

Canastrarum promontorium.

Plin. lib. 4. cap. 10.

Lib. 6. cap. 20

Lib. 4. cap. 5.

Lib. 2. cap. 1.

Muros qui supra Cavallam adhuc supersunt, Macedoniam à Thracia dirimere.

CAPVT LVIII.

EXSTRVCTVS fuit aliquando validus murus supra Cavallam summo montis vertice, qui etiamnum integer conspicitur quadrante ferè miliaris longus: certum est eum Thraciam à Macedonia diremisse, hoc est, utriusque provinciæ dominium. Nam Cosmographi Philippos & Philippopolim è Macedonia excluserunt: quæ tamen urbes capita erant territorii Macedonum, licet cis Strymonem amnem sitæ sint. Murus ille qui supra Cavallam iter præcludit, multis fornicibus constat, binosque interiùs meatus habet, illi muro ferè similes qui Romæ à Divi Petri templo ad Hadriani molem sive S. Angeli arcem deambulacri in modum extructus est. Extremum murum in summo montis vertice claudit crassa turris, quæ propugnaculi vicem præbebat adversus Thraciam. Pauci sunt anni quòd Ibrahim Bassa aquæ ductum restituit, à Macedoniæ Regibus aliquando exstructum, per quem fons decurrit plus quàm tribus inde miliaribus ad Cavallam urbem usque: scaturiginem enim habet in præcelso quodam monte, ejusque semper latera per canalem stringit, donec ad vallem quandam perveniat; quam ut superaret, præaltarum fornicum structurâ opus fuit, ut in urbem deduci posset: triginta enim orgyiarum altitudinem eæ fornices superant. Ob summam porrò hujus aquæ fontanæ commoditatem, admodum populosa reddita est hæc urbs, quæ antè deserta erat. Idem Bassa urbem etiam novis mœnibus cinxit, in quibus lapides conspeximus Latinis literis inscriptos, eo quo Romani Græciæ dominabantur tempore. Vnam inscriptionem quæ ad basim crassi cujusdam muri erat, sic excepimus: *P. Hostilius P. S. L. Philadelphus petram inferiorem excidit, titulum fecit, ubi nomina cultor scripsit & sculpsit. Sac. Vrbano. S. P.* Thasos insula, in qua olim triremium Alexandri statio fuit, duobus duntaxat miliaribus à Cavalla distabat.

Hæc inscriptio mendosa.

FF *Nulla*

Nulla apud Turcas esse diversoria; sed Nosocomia inveniri, ad quæ divertere liceat.

CAPVT LIX.

SIGNIFICATVRI nulla apud Turcas esse diversoria, de magno quodam ædificio agemus, quod Ibrahim Bassa in Cavalla exstrui curavit, proprio nomine à Turcis Carbachara dicto (cui templum sive Mesquitam adjunxit) ad omnes qui istac iter faciunt excipiendum, & educandum. In eo, cùm essemus solummodo tres numero, cum nostris jumentis per tres dies commorati sumus, & necessaria accepimus, sine ulla eorum qui huic præsunt, molestia, idque gratis. Sæpius de hoc vocabulo Carbachara agemus: esto itaque hoc exemplar reliquorum. Nos Gallicè alio nomine efferre non possumus quàm Carbachara: quoque commodiùs intelligi queat, statuendum ante omnia est, nulla esse in iis provinciis quæ Turcæ imperio subsunt diversoria, aut loca quæ iter facientes excipiant, nisi publica illa ædificia Carbachara appellata; quæ diversis rationibus exstructa fuere, inter quas hæc maximè est usitata. Satrapæ qui in Turcarum Imperatoris aula vel aliqua alia ratione opulenti evaserunt, pium aliquod opus dum adhuc in vivis sunt facere volentes, quod ad ipsorum salutem conferre credant, tales structuras pio quodam zelo fieri curant: nam nemo ex sanguine conjunctis illis notus est, cui beneficium aliquod præstare velint. Ejus rei causam alias dicemus. Talibus ergo structuris summum aliquod bonum se facere existimantes, publicæ utilitatis gratia, multas egregias structuras restituunt, veluti elegantem aliquem pontem, vel amplum xenodochium Carbachara dictum, cui magnificum aliquod templum Mesquita appellatum adjunctum sit, & huic proximum aliquod balneum. Atque ut iis quibus in xenodochiis & templis distributa sunt officia, suppetant necessarii sumtus, ut sunt qui impenduntur ad comparanda ligna ad focum, stipendia sacerdotibus qui preces faciunt persolvenda, coëmenda ceram & oleum quorum in templo usus est, aliasque res ad culinam necessarias & in hospitum alimentum cedentes, annuos census instituere solent. At iis qui hospitio excipiuntur, omnem supellectilem circumferre necesse est, uti culcitras, lectum, & lineos pannos, aliaque ejuscemodi: nihil enim istorum illîc præbetur, præter cubiculum aliquod exiguum & inane: sed singulos iis quæ attulerint uti necesse est. Postquam aliquis advenit, illico supellectilem suam explicat: & si aquâ opus habeat, illam eodem quod attulerit vasculo ferre debebit: atque cùm offa in Carbachara cocta est, quisquis eâ vesci volet, suam scutellam præbere debet. Sed adduntur etiam carnes & panis. Nemo istîc excluditur, sive Iudæus sit, sive Christianus, sive Idololatra, sive Turca. Quoniam porrò Turcæ suas offas, sive pultes propriis nominibus exprimunt, sigillatim indicare volumus, quid facientibus iter erogare soleant. Imprimis liberaliter pultem præbent ex Trachana, vel Bohourt, vel Afcos, vel oryza confectam. insulæ Lemni incolæ ex frumento & oxygala commixtionem facere norunt: primùm enim decoquunt frumentum, postea ad solem exsiccant, & ex eo compositionem faciunt ab iis *Bohourt* nuncupatam, quæ inde per universum Turcæ dominium transvehitur, quoniam in pultibus parandis plurimus ejus usus. Aliam præterea istîc ex frumento commixtionem faciunt *Trachana* dictam, quæ minore in usu non est quàm superior. Eam esse censemus quam olim Græci & Itali Mazam vocabant. Duarum istarum compositionum Bohourt & Trachana adeò frequens est usus ut nihil supra. Nunquam enim bene epulantur, quin eas in suis pultibus decoquant. Oryzæ præterea tantum absumunt, ut singulis annis ad minimum sex naves ea plenæ ex Ægypto Constantinopolim advehantur atque exonerentur. Familiare etiam illis admodum leguminis quoddam genus ex Ægypto petitum, quod Græci corrupto ex Aphace vocabulo Afcos nominant. Hujus copiam commodo tempore sibi comparant, ut postea indifferenter distribuere possint. Culinariæ artis apud illos administrandæ ratio à nostra plurimum differt: carnes enim coctas ex olla eximunt, deinde quod commodum illis videtur, iniiciunt ad jusculum inspissandum. Et quoniam ejus magnam quantitatem parant, oblonga spatha lignea ad commiscendum utuntur. Mensarum usus apud illos nullus est: propterea humi sedent, deinde orbiculare quoddam corium in terra explicant mappæ loco, quod marsupii instar ligulis postea contrahunt. Nullus est Turcarum, etiam si Satrapes fiet, qui cultrum è cingulo propendentem non gestet: & singuli cochlear circunferunt: hinc fit ut digitos non admodum inquinent: nullus etenim apud eos mantilium est usus. Magna tamen strophiola gestare solent, quibus etiam digitos abstergunt. Neminem Turcarum, quicunque etiam sit, pudet ad hujusmodi xenodochia divertere, & alimoniam quo diximus modo inde petere: ea enim est regionis

consue-

consuetudo. Nec peregrinus minus quàm primarius quisque accipiet. Id verò intelligendum est de iis locis ubi tales erogationes institutæ sunt, ut in Cavalla. Præter eas structuras quas is Bassa in Cavalla instituit, fontem etiam in summam urbem, ut diximus, per aquæductum supra fornices maximis expensis exstructos non modò deduxit; sed eius aquam etiam in templum, balneum, & per omnia urbis fora distribuit. Tria præterea marmorea sepulchra ex agro quartâ milliaris parte ab urbe distante deferri curavit, quæ fontibus subjecit, ad aquam alveorum instar excipiendum, qua iter facientium jumenta adaquari queant. Tria hæc sepulchra hujusmodi habent inscriptiones. Primum: *P. C. Asper, Atrianius Montanus, equo publico honoratus, item ornamentis Decurionatus & Iuiuralicis Pontifex, Flamen Divi Claudi Philippis. An.* XXIII. *H. S. E.* Alterum: *Cornelia P. F. Asprilia sac. Divæ Aug. Ann.* XXXV. *H. S. E.* Tertium: *Cornelia Longa Asprilia mater, Ann.* LX. *H. S. E.* *Mendosa hæc inscriptio.*

Singula pedes undecim longa sunt, quinque alta, sex lata. Turcicæ interdum feminæ quæ opulentæ sunt, ejusmodi structuras etiam fieri curant, & suas facultates militibus testamento legant, ut se magis strenuos in prælis adversus Christianos præbeant: erroneam enim hanc opinionem habent, suas animas expiari morte Christianorum ab iis interfectorum quibus suas facultates reliquerunt. Medicamentum Splenetico cuidam in Cavalla confecturi, elaterii cogendi rationem invenimus, quale veteres conficere solebant, nempe leve & candidum, ejusque substantiæ, ut igne instar pinguedinis accendatur. Neminem arbitror nostrâ ætate gloriari posse, simile elaterium venale conspexisse. Plura de eo dicemus, cùm peculiarem stirpium historiam describam.

Itineris quod è Cavalla Constantinopolim ducit, descriptio.

CAPVT LX.

E BVCEPHALA Constantinopolim proficiscentes, alios in vertice Hæmi montis muros invenimus (iis similes qui supra Cavallam sunt) duobus milliaribus à Cavalla distantes, aditum ex Macedonia in Thraciam præcludentes. Inde in amplam planiciem descendimus, maris littori admodum vicinam, insulam Thason ad dextram habentes, & præcelsa Hæmi juga ad sinistram relinquentes, quæ jam prætergressi eramus, nulla usquam conspecta Cupresso. Flumen superavimus quod Græci vulgari lingua Mestro, Turcæ Charasou, id est, fluvium nigrum, nominant. Ejus appellatio satis convenit cum flumine Mela, à quo sinui nomen impositum Melanico, de quo postea acturi: Melas tamen non est, sed Nessus ex Hæmo monte delabens, uti Strymon amnis: est autem is mons quasi propugnaculum quoddam inter Macedoniam & Thraciam, ab una parte desinens inter utrumque flumen. Lentus est Nessus admodum, & Strymone paulo minor, multam tamen arenam secum trahit, & in mare influens paulo supra Thason, vicinior ei insulæ parti quæ Samothraciam spectat, quàm ei quæ monti Atho objecta est. Strymon autem in mare suas undas exonerat inter Athon montem & Thason, & illi nomen dat; appellatur enim Strymonicus sinus. Pons supra Nessum exstructus, ligneus est, uti qui supra Strymonem amnem, sed illo brevior. Ad extremum pontem in pastores incidimus, qui integros verveces assabant abscisso capite, saligneis perticis infixos, exemptis tamen prius intestinis, & consuto ventre. Nemo facilè credat ejusmodi carnis massam posse commodè assando coqui, qui ipse non vidisset. Turcis autem id novum non est: Nam cùm in Asia minore sive Natolia, puer aliquis circunciditur, cujus parentes re mediocriter lautâ sunt, integrum bovem, immisso in ejus alvum integro vervece, qui gallinam cui ovum insertum sit, etiam in alvo contineat, crassâ sude infigere solent, & luculento magnoque igne assare, sic ut omnia ad ovum usque percoqui queant. Omnia ista sic assa, à pueri sanguine junctis in epulo absumuntur. Illi quos diximus pastores, vervecem assum in frusta concidere solent, & iter facientibus divendere. Sub salicibus ad extremum pontem substitimus, ut nostra jumenta paululum conquiescerent, & ex his carnibus comparavimus, quas longè sapidiores judicavimus, quàm si frustatim concisæ assatæ fuissent. Sumpto prandio, satis longum iter confecimus: nam in urbem Bouron (quæ vetustum nomen adhuc retinet) pervenimus. Sita est apud eum lacum qui Bistonis appellatur. Iter fecimus per planiciem valdè herbosam, Cytiso, Halimo, & Rhamno (qui à Grossularia differt) tectam. Licet autem Halimus natura sua in fruticem ramosum sine spinis attollatur, uti in Creta; in hoc tamen prato, Capparis spinosæ instar, humi diffunditur. Scordium herbam invenimus apud Bouron urbem, quæ cùm in magna quadam & humida planicie non procul à lacu salso sita sit, cum Aigues mortes Galliæ Narbonensis oppido comparari queat. Lacus Bouron sive Bistonis, magnum ei regioni censum adfert. Nam istic sunt

Nessus Plin. lib. 4. cap. 11.

Stagnum Bistonum. Plin. lib. 4. cap. 11.

quæstuosæ piscationes. Ejus Aristoteles lib. VIII. de Hist. animalium cap. XIII. in hæc verba meminit: Quin etiam maritimis lacubus genera plura piscium marinorum gigni apertum est, &c: statimque addit: Et in Bistonide lacu plurima genera habentur. Pisciculorum istic capitur ingens quantitas similium Albiculis, quas Græci in Bouron Lilinga, Constantinopolitani Leucorini appellant, Galenus Leuciscum nominavit, Parisienses *Vandoise* dicunt, & aliæ provinciæ *vn Dard*. Eâdem ratione eos condiunt qua nos haleces: nam postquam eos paululum sale infectos fumo indurarunt, iis currus onustos & naves in varia Græciæ loca devehunt, etiam in Italiam usque. Pari etiam ratione eos præparant qua Boianæ incolæ Scourances: Albaniæ enim sive Epiri Scourances à Leucorinis differre non videntur nisi solâ magnitudine. Maxima pars incolarum Bouron piscatoriam exercet: nam cùm is lacus piscibus abundet, ad piscationem libenter animum adiiciunt. Mare istic nullum æstum habet, quemadmodum nec Pontus Euxinus, nec Propontis, nec Hellespontus, nec magna Ægæi maris pars. Græciæ Asparagi Corruda illis dicti, aculeatum habent folium (at in hortis culti folia obtuso mucrone sunt prædita) adeoque hujus planiciei solo delectantur, ut sint frequentissimi, nec aliud virere in ea conspiciatur præter Asparagos. In exilem deinde pagum pervenimus nomine Commercinæ, dimidii diei itinere à Bouron distantem; in eo omnis generis edulia venalia invenimus. Istic est ruinosa quædam parva arx, in qua Græcorum Christianorum templum: pagus à Græcis, & paucis Turcis incolitur.

Cypsella vetustissimum Thraciæ oppidum; & aluminis conflandi ratio.

Cap. LXI.

Postquam aliquanto tempore apud Commercinam sub Esculi & Ariæ arboribus commorati fuissemus, per planitiem denuo progressi, relictis ad sinistram montibus, in alium pagum Cypsella appellatum pervenimus, quo de industria divertimus, ut Aluminis conficiendi rationem observaremus: triduo itaque & paullo amplius ad ejus fodinam hæsimus. Vbicumque alumen conficitur, id semper fit aperta vena, quia ejus vena non est valde profunda: nonnullis tamen Cypsellæ locis, ejus lapides sex orgyiarum altitudine eruuntur. Cypsella in Thracia sita est, & vulgariter partim græco, partim turcico nomine Chapsylar dicitur. Ejus incolæ maximâ ex parte Turcæ sunt; pauci autem Græci. Sunt & nonnulli Iudæi, quorum unus Aluminis censum, persoluto annuatim certo precio, obtinebat: apud quem divertimus, ut certiùs ejus conficiendi rationem intelligeremus. Comperimus autem Alumen quod fit in Tolfa Pontificis Maximi dominio, cum eo convenire quod in Chapsylar fit, ut observare potuimus è Civitate Vetere Romam proficiscentes in creatione Pontificis Iulii tertii, paululum à regia via declinantes, ut per Tolfam iter faceremus. Alumen in Chapsylar colligitur, & expurgatur eodem quo ipsius vena extrahitur loco; eamque ob causam minoribus expensis fit, quàm Tolfanum, quod vehiculis deportandum est in eum usque locum in quo excoquitur. Et tametsi Alumen dumtaxat condensetur ex lixivio cinerum lapidis è vena eruti (qui primum urendus est) conflato: cuilibet tamen id facere non licet: sed iis solùm quibus certo precio venæ census traditus. Prima igitur vena eruitur ad ipsas radices montis, quem Serrium esse censemus. Oppidulum Cypsella ad latus regiæ viæ est quæ à Dyrrhachio Constantinopolim ducit, qua initium ascensus est in montem: relictis aliquantulum ad sinistram fodinis, è quibus maxima difficultate lapides eruuntur: nam cùm adeò duri sint, malleo & cuneis perfringendi, deinde urendi, simili planè ratione qua calx aut gypsum uritur. Quoniam verò istic magna lignorum est copia, nec lapides qui eruuntur longiùs deferendi sunt, apud ipsam fodinam uruntur, ad dimensum id facere paciscentibus operis. Nam singulæ suum tuguriolum habent, in quo terni aut quaterni alvei lignei in terra defossi, in quibus lixivium infusum relinquitur, donec alumen in glaciem coëat, fiatque quale vulgo conspici solet. Lapides ex quibus conflatur alumen, primùm in fornicem sive arcum componuntur, deinde levi flamma ustulantur, eadem ratione qua gypsum uri solet: nam si nimium urerentur, omnis aluminis substantia ignis calore evanesceret: at suam duritiem retinentes, & aëri per binos aut ternos menses expositi, sponte in pulverem resolvuntur. Quemadmodum enim Marga, qua agri pinguescere solent, non maceratur, aut in pulverem resolvitur statim ab initio, vel cùm primum ipsius gleba ex fodinâ eruta est; sed aliquanto tempore aëri exposita permanens paulatim dissolvitur cùm nocturno rore, tùm pluviis diurnis, & hiberno gelu; ac tandem colliquescens, & telluri sese commiscens fimi vicem præbet; eâdem ratione hic lapis levi duntaxat flamma vstulatus, durus permanet,

net, tamquam nullam ignis injuriam sensisset, sed aliquot diebus sub dio permanens, nocturno rore & diurna pluvia adeò tenerescit, ut brevi in cineres omnino resolvatur. Lapides hi è fodina eruti nec adusti, in fabricis aut muris exstruendis adhibiti, durabiles sunt ut cæteri lapides: in cineres autem redacti sive pluvia naturali, sive artificiali, adfusa aqua decoquuntur in lixiuium, quod in quadratos alveos ligneos, aut fictiles ollas effusum, decem aut duodecim dierum spacio coit & congelatur. Ea est conficiendi aluminis ratio in Chapsylar, quod in Italiam delatum, Lesbium sive de Metelin cognominatur. Quoniam porrò rubrum & album invenitur, profiteri audemus ex albi aluminis fodina, rubrum etiam erui posse: colorem enim duntaxat ex aluminis conficiendi ratione adquirit, prout cineres ab operis diligenter aut negligenter tractati fuere. Alumen spumam quandam reddit, quam plurimæ fodinarum operæ colligere solent, & ex eâ massam rubram pictoribus utilem conficere, quæ gallico nomine terra de Macharon dicitur: ea tamen in Chapsylar negligitur: inde fit ut valles hac spuma, quam torrentes cum pluviis abripiunt, omnino rubere videantur.

Regia via quæ olim Roma Constantinopolim ducebat.

CAP. LXII.

CONSTANTINOPOLIM tendentes, montem subire incepimus: aliquantulum in altum progressi, nos obvertimus; ut iter quod à Bistonide lacu emensi eramus, conspiceremus. Pagum Commercinam perspiciebamus in maxima planicie situm. Hujus planiciei iter, regia via olim fuit quæ Roma Byzantium ducebat, magnisque lapidibus excisis strata erat. Nam à Bouron Commercinam usque, & inde porro ad Chapsylar, quoniam solum pingue erat, difficilisque via; eam Romani lapidibus sterni curârunt, quæ hodie etiamnum integra restat. Inde probare volumus, Romanos hac via olim Româ in Asiam profectos. huc accedit quòd ejus viæ constratæ structura tenuis fortunæ cujuspiam hominis opus non sit: nam in directum strata est via: at nunc semitæ modò ad dextram, modò ad sinistram sunt quærendæ; quoniam nonnullis locis in silvas cæduas penetrat; magnæque arbores inter ipsa constrata saxa postea excreverunt. Conscendimus supradictum montem Serrium, qui nonnullis locis aditu admodum difficilis est, apparetque multis locis rupes cuneis atque aliis instrumentis excisa; quod sine magnis sumptibus fieri non potuit. Sed & ex hoc opere colligere licet, regiam viam Româ Byzantium ducentem olim frequenti hominum multitudine fuisse tritam. Plinius etiam Græciæ distantias & longitudines describens, illas semper à Dyrrhachio (quæ urbs est apud Vallonam, nunc Duras dicta, portus videlicet in quem appellebant qui ex Italia trajecto mari Adriatico solvebant) sumit; aitque Byzantium abesse à Dyrrhachio septingentis undecim millibus passuum, & tantum patere longitudinem terrarum inter Adriaticum mare & Propontidem vult. Pervenimus deinde in pagum verticem montis occupantem, à Græcis habitatum, ubi nobis sumendi fuerunt pedites viæ indices, ne per montem oberraremus; in quo magna est abundantia ejus herbæ quam Galli perperam Saturciam hybernam appellant, inter saxa sponte nascentis. Eam primùm observaveramus in Creta insula, & paucis antè diebus in Amphitheatro quod Philippis est: postea in montibus Spoleto Italiæ vicinis eruimus in Marcha Anconæ. Sed quoniam jam in nostris hortis vulgaris est, ejus vetustum nomen, quale à Cretæ & Cytheræ insularum incolis didicimus, proferemus. Id enim vulgo Tragarigani appellabant, quod nihil aliud est quàm Tragoriganum.

Marissa flumen, veteribus Hebrus dictum: & Turcarum expilationes seu rapinæ.

CAP. LXIII.

NVLLVS est pons supra Marissam amnem exstructus, sed cimbâ traiiciendus. Moris est ut quilibet pro se & jumento nummum Turcis Aspre dictum, pro trajectu persolvat; quindecim tamen pro nobis & itineris duce persolvendi fuerunt. Nam Turcarum avaritia eousque progressa est, ut si numero viatores superent, ab iis exigant quidquid possunt, & ingratiis persolvendum quidquid exigunt. Tantæ enim sunt eorum rapinæ, ut ne parentibus quidem suis parcituri sint, si prædæ occasio sese offerat. E regione trajectus ad quartam milliaris partem reliquimus elegans oppidulum nomine Vire, com-

modo admodùm loco ad radices collis cujusdam situm, veteribusque muris cinctum. Hic amnis nunc ab omnibus vulgò Marissa nuncupatus, olim Hebrus dictus fuit. Locorum huic amni vicinorum incolæ, æstate, quando fluminis alveus exiguus est, magnos arenæ cumulos aggerere solent, non ignorantes in eâ latêre nonnulla auri grana; quos satis procul à fluminis ripa submovent, ne exundans flumen arenam secum abripiat. Aurum ab arena separaturi, asseres pertusos simul componunt, deinde fluminis aquâ arenam eluunt: quòd si interdum nonnullam auri portionem inveniunt, id non fit sine magno labore & expensis, atque temporis longitudine: sed nec sine argenti vivi adminiculo quidquam efficere possunt. Strymon & Nessus amnes in mare labuntur eodem fermè loco; unus videlicet
Lib. 4. cap. 11 ad infimam, alter ad summam insulæ Thasi partem. Sed Hebrus ante Samothracen sese exonerat, quod Plinius etiam annotavit. Adeò lentus est hic amnis, ut in utram partem fluat, judicari non possit: Turbida ejus est aqua, attamen dulcis; & mediâ etiam æstate adeò frigida, ut glaciata videatur: multæ myricæ secundum ejus ripam proveniunt: frequentes habet mæandros, seseque incurvat uti Sequana inter Lutetiam & Pontoyse urbem. Tantum verò aquæ hiberno tempore è montibus delabitur, ut rapidior fiat, & amplum quoddam inundet pratum, olim Doriscus nuncupatum, in quo Xerxes in Græciam profecturus, exercitum recensuit. Quoniam porrò amplum illud pratum hieme instar paludum inundatur, nulli in eo pagi ædificantur, sed æstate equorum armenta aluntur. Ipse Turcarum Imperator plures mille istic alit, neque privatorum è vicinis pagis minus quingentis eò agi arbitramur. Pratum enim adeò repurgatum est, ut neque talpæ, neque mures, neque glires, neque aranei mures illud suffodiant, neque serpentes in eo inveniantur: hibernâ nimirum inundatione omnes abigente. Cytisus herba pluribus ejus locis nasci conspicitur. Pagi in pratorum circuitu exstructi, ad collium radices siti sunt: nam cùm colles & montes scaturiginibus prægnantes undique prata cingant, & propterea ad culturam valdè idonei sint, rebusque necessariis abundent, rusticorum magna frequentia eò confluxit. Amnis ripæ quibusdam locis sunt satis altæ, in quibus fluviatiles alcyones, à Gallis *Martinets pescheurs* nuncupatæ, & Hirundines quædam ab iisdem *Martinets* simpliciter dictæ, nidos exstruunt; quemadmodum & avis Merops sive Apiaster, quam Cretenses Melissophagon appellant. Ocium nacti ut eas Alcyones observaremus, comperimus ipsas ab his non differre quæ nostrorum fluminum ripas incolunt: sed & earum nidi ex pisciculorum spinis & squamis sunt confecti, uti nostratium. Viciniores amnis Marissa incolæ secundùm fluminis alueum in amplo illo prato hortos instruunt: nam aquæ commoditatem nacti & telluris ubertatem, Melones, Angurias, Copous vulgò ab illis dictas, Citrullos, Cucurbitas, Cucumeres, aliosque similes æstivos fructus colunt. Nobis affirmârunt Colocasiam etiam nonnullis locis nasci: at nihil certi pronunciare possumus. Pratum illud egressi, colles & montosa loca subire cœpimus, in quibus Aceris arboris genus observavimus à reliquis quæ hactenus videramus diversum. Sextum id genus fuit à nobis observatum. In arbusculam excrescit; de quo aliàs plura, cùm arbores describemus. Thermas in continenti reperimus è regione Imbri insulæ apud amnem Melanem, ejusdemque nominis sinum, apud Callipolim in Cherroneso includit; in qua deinde Sestos Abydo opposita. In his thermis duæ sunt calidarum aquarum scaturigines, altera viris dedicata, altera feminis: atque ut nihil ab iis qui istic se lavant exigitur, sic nemo est qui eas thermas repurget; hinc fit ut sordidæ admodùm sint. His vicinæ conspiciuntur urbis cujusdam à veteribus Macron-tichos nuncupatæ ruinæ, & in longum porrecti muri; qui hostes Thraciam depopulaturos excludebant & arcebant.

Plurimas nationes certo anni tempore natale solum relinquere, deinde domum redire.

CAP. LXIV.

In magnas miserorum Epirotarum rusticorum, quos Ergates appellant, turmas in jam dicta planicie incidimus, ex Turcia ab opere redeuntium in natale solum. Idem illis accidit quod Longobardis & Sabaudis, qui natale solum certo anni tempore relinquentes, postea domum redeunt. Turmatim suam regionem egrediuntur miseri isti Epirotæ, ob ejus sterilitatem; atque aliò proficiscuntur, ut operas suas Turcis locent lucri gratiâ. Ii cùm in Macedoniæ, & Thraciæ, vel etiam Asiæ minoris plana pervenerunt, à Turcis conducuntur ad segetes ipsorum metendas & frumentum expurgandum. Perfectâ messe domum redeunt, cum suis uxoribus & liberis vitam tracturi. Modum secandi segetes magis industrium habent quàm Galli: nam illorum messoriæ falces aliquantulum discrepant,

discrepant, suntque planæ, latæ, minusque incurvæ, & dentibus carent. Dextra manu eas tenere solent, atque sinistra lignum quoddam incurvum extremâ parte mucronatum, in quo tria sunt foramina, quibus tres sinistræ digitos inserunt, minimum videlicet & duos subsequentes; pollicem & indicem liberos conservantes, ut tritici manipulos commodiùs comprehendere queant: manum siquidem explicantes, & frumentum comprehendentes, multo majores manipulos abscindere possunt. Collectâ messe, frumentum triturant; haud flagellis, ut apud nos, sed bobus, quemadmodum per universam Græciam: idque facientes, asseres Chalcedonio lapide munitos post se trahunt, ut stramina & paleas confringant. Sed quoniam istos Albanos cum Sabaudis & Longobardis comparavimus, indicare voluimus, eos nobis occurrisse gregatim iter facientes veluti sturnos. Sabaudi in Italiam proficiscuntur ut ligna secent, populos videlicet secundum Padum amnem, atque ilices apud Forojulienses, & omnis generis quæ duram habent materiam alias arbores, per Tusciam & agrum Romanum. In hoc autem Sabaudi ab Epirotis differunt, quòd æstate abeunt Epirotæ, & Autumno revertuntur: Sabaudi contrà Autumno abeunt, & novo vere redeunt. Nam quia montana incolunt, nives illis omnem operarum exercendarum occasionem adimunt: huc accedit quòd in lignis per Italiam secandis ob duritiam multo labore opus sit, quem æstivo tempore præstare nequirent: si verò in patria manerent, totam hiemem in ocio traducerent. At sub æstatem domum regressi, Abietes, Piceas, Larices, atque alias ejusmodi molliores tenerioresque arbores habent, quæ minore difficultate etiam ipsa æstate & medio æstu secari possunt. Longobardi porrò, gregatim quidem, ut Albani & Sabaudi, domo egrediuntur, simulque persistunt, donec è sua regione excesserint: at in Germaniam, Galliam, Belgicam, Daniam, aliasque ulteriores regiones pervenientes, ab invicem segregantur, singulique loca destinata petentes, caminos hinc inde purgatum eunt per hiemem: domumque redeuntes, Ciconias imitantur, quæ sigillatim adveniunt. Istinc animadvertere licet varias nationes certo anni tempore, vitæ sustentandæ causa ad alias regiones lustrandas & obeundas cogi. Albani veteribus Epirotæ dicti, Christiani sunt, peculiaremque habent linguam à Græca diversam: religionem tamen Græcam colunt; & quoniam Græciæ vicini sunt, Græcum idioma etiam callent: domum regressi, per hiemem sese sustentant, ex eâ quam sibi æstate comparârunt pecuniâ. Omnes ferè nudis pedibus incedunt, admodum egeni, frugales, & in laboribus seduli: hinc fit ut facilè quod agant per totam æstatem nanciscantur in Turcarum agris & pagis: segnes etenim sunt Turcæ, ad agrorum culturam inepti, lenti, tardi, & qui in suis negociis moras semper nectunt. Reperimus in itinere Iaspides variorum colorum in agris, atque etiam Chalcedonios: immo nonnunquam & ipsi ædificiorum in pagis muri è Iaspidis & Chalcedoniis lapidibus exstructi sunt.

Terebinthos arbores, gallarum quoddam genus producere, quæ apud Turcas magno in usu sunt.

CAPVT LXV.

THRACIÆ atque Macedoniæ rustici, non ignari quantus sit usus gallarum in Terebinthis nascentium, quorum in collibus magna est frequentia, eam quæstus occasionem negligere non solent; at sub finem Iunii, gallas intùs concavas nucis ponticæ magnitudinem æquantes, aut sub foliis, aut in Terebinthorum, qui semen in vuæ modum congestum ferunt, ramulis nascentes sedulò legunt; easque maturiùs, dum adhuc exiguæ sunt: quoniam si in arbore diutiùs relinquerentur, oblongæ tandem instar corniculi cuiusdam evaderent. Harum usus est inficiendis in Prusa urbe tenuissimis sericeis pannis. Per Thraciam pergentes, Caravannam invenimus, vel frequentem mulionum turmam è Thessalonica Byzantium proficiscentium, atque in pago quodam Aignegic nomine pernoctavimus. Cæterùm quia Græci nullis testudinibus* sive marinis sive terrestribus, sive fluviatilibus vescuntur, adeò frequentes sunt per Græciæ agros, præsertim autem Thraciæ, ut secundum vias subinde magnæ & pingues inveniantur. Et nisi hortulanis plurimùm invisæ essent, quòd eorum olera germinare incipientia prærodant; præsertim autem melones, peponesque, xylon & sesamum appetant; nemo eas necaret. At illi in suis hortis inventas necant, atque palis per sepes affigunt.

* *Croatæ non modò testudinibus, cuiuscumque tandem sint generis, non vescuntur; sed eas etiam abominantur: quod re ipsa comperi. Nam anno 1579. cum Maio mense Illustrem Heroëm Dominum Balthasarem de Batthyan, Regni Vngariæ Archidapiferum hæreditarium, in Pannoniam interamnem, quæ nunc ex parte Vandalia sive Windisch-landt*

 nuncupatur,

nuncupatur, comitarer: integro die ſubſtitimus in ipſius arce quadam Turnizza, cui contiguus eſt pagus eiuſdem nominis, Muræ amni vicinus, ſupra ipſius & Dravi fluminis confluentes. Iſtîc dum fortè circa ruſticorum prædia obambulo, multas teſtudines palis affixas, & è ſepibus hortos ambientibus pendentes animadverto. In arcem regreſſus, eius rei cauſam percontor: maximè ab incolis exoſas intelligo: ego ridere illorum ſtultitiam: interrogatus an iis veſci cuperem, annuo: ſed cùm nemo ipſas adparare ſuſtineret, cocus quiſpiam Gallus Byzantio redux, qui in itinere nobis ſeſe adiunxerat, ferculum ex illis conficit: veſcor: ibi omnes ſumma cum admiratione me intueri, imò plerique non dubitare quin ea nocte extinguerer: at poſtridie, cùm me non modò vivum, ſed etiam alacrem conſpicerent, multo magis mirari, & plerique aſſerere, etiam è Nobilibus viris qui illum Heroëm comitabantur, ſi Viennenſem urbem præmii loco nanciſci queant, non tamen deguſtaturos.

Turcas viatores admodum frugales eſſe.

Capvt lxvi.

Poſtridie, comperimus agros ariſtolochia longa obſitos: obſervavimus etiam veram Hyſſopum, bina Polii genera, & Chamædryn. Omnia ad victum neceſſaria in pagis invenimus, uti butyrum, ova, aves, panem, caſeum, & lacticinia. Quicumque in Caravanna erant cùm viatores tum agaſones, genus quoddam aceſcentis lactis coëmerunt, nomine oxygala, quod lineis ſacculis impoſitum, è ſuorum jumentorum clitellis ſuſpendere ſolent: atque licet liquidum admodum ſit id lac, lineis tamen ſacculis incluſum permanet, nec exſtillat. Græci & Turcæ alliorum nucleos in ligneo quodam vaſculo contuſos oxygalæ permiſcere ſolent. Magnatum id edulium, adeò palato gratum eſt: eo non modò viatores, ſed etiam ipſi Satrapæ in Turcica aula veſci ſolent. Quod ſi quis adeò eſſe exquiſitum non credat, faciat modò periculum; facilis etenim eſt experientia. Vulgari admodum eſt in uſu apud Turcas; exiſtimantque eo ſe per æſtatem refrigerari, atque per hiemem calefieri. Viam quæ Callipolin ducit, ad ſiniſtram *reliquimus, & verſus Rodoſto perreximus. Interdiu ſubſtitentes ſub juglandibus, ut noſtra jumenta aliquantulum quieſcerent: deinde ſub veſperam in planicie quadam ſtationem habuimus, Caravannæ impedimentis nos in ambitu munientes, ut ſecuriùs pernoctare poſſemus.

* *Imò ad dextram: nam Callipolis in Cheronneſo eſt, ad Helleſponti caput, quam ad dextram relinquere oportuit Perinthum petentibus.*

Turcas agilitate & induſtriâ reliquas nationes longè præcellere, in imponendis ſupra iumenta, deponendíſve impedimentis.

Capvt lxvii.

Hoc loco mentionem facere voluimus ejus rei quam Turcas pacis & belli tempore induſtriè adminiſtrare obſervavimus: videlicet rationis qua uti ſolent in impedimentis ſupra equos, camelos, aut mulos imponendis aut auferendis. Quinque enim aut ſex viri duntaxat ea induſtria & agilitate omnia Caravannæ jumenta (quæ centum & quinquaginta numero erant) veſperi impedimentis liberârunt, atque poſtridie ſummo mane rurſus ea impoſuerunt, ut non animadverterimus. Tres ſolùm viri vix quadrantem horæ impendent ad centum equos onerandos, modò ſarcinæ ſecundum ipſorum conſuetudinem ſint colligatæ. Singulas autem ſarcinas decuſſatim crucis in modum per utramque extremitatem colligari neceſſe eſt, atque funes ſequenti ratione appendi. Cum bini viri ſarcinam ſublevârunt ſupra clitellas, tertius mulio alterius ſarcinæ, quæ adhuc humi jacet, funem, per ejus ſarcinæ quæ jam clitellis impoſita eſt, alteram crucem traiicit: impoſitæ verò ſarcinæ funem, per alteram ejus quæ humi eſt ſarcinæ crucem traiici oportet, & alterum ex his qui priorem ſarcinam ſublevârat, in alia etiam ſarcina ſublevanda auxilio eſſe (ſufficit enim unicus ad ſarcinam quæ clitellis impoſita eſt ſuſtinendam) atque ſingulos, funis quem ſingulæ ſarcinæ unicum habent, extremitatem capere, eamque denuò traiicere per crucis ſummum caput, funeſque deinde adſtringere aut laxare, prout illis commodum videtur, ut ſarcinæ pendeant: funes autem parte ſarcinarum exteriore connectuntur, ut faciliùs veſperi diſſolvi queant; ſarcinæque decuſſatim Burgundicæ crucis in modum ſupra clitellas collocantur. Unicus vir in adventu omnes totius Caravannæ equos ſubitò ſuis ſarcinis liberare poteſt, funium extrema diſſolvendo, atque ipſas ſarcinas æqualiter quaſi ad æquilibrium demittendo. Qui ſarcinas deponit, funem manu tenendo, poſſet etiam ad altitudinem unius pedis ſupra ſolum utramque ſarcinam æqualiter ſuſpenſam tenere. Imò puer quadrante horæ centum equos exonerare poſſet, ſine ullo ſarcinarum damno.

Perinthus veteribus dicta, nunc Rodosto. & de Heraclea.

CAP. LXVIII.

INTER Perinthum & Callipolin ponte amnem quendam trajecimus, quem Arzum esse arbitramur, Turcæ Chiaurlic appellant, in Propontidem labentem inter Gallipoli & Rodosto. Rodosto autem urbs in Propontidis littore sita, olim (ut putamus) Perinthus dicta veteribus: tametsi non desint qui Perinthum fuisse existiment eam quæ nunc Heraclea appellatur. Rodosto vetusta admodum est, nullis tamen muris cincta. Regiâ viâ quæ Byzantium ducit, gradientes, Heracleam ad sinistram reliquimus: etenim secundum viam non est, sed balistæ jactu ab ea distat. Heraclea vetustum nomen retinuit: quæ me causa movit ut diligenter inquirerem, cur mel cognomine Heracleum perniciosum esset. (Variæ autem Heracleæ sunt, sed hæc in Thracia est.) Nullam aliam rationem invenimus, nisi quòd ea regio Chamæleone nigro abundat, cujus radici excrescentia quædam adnascitur nomine Ixia, quæ perniciosum venenum est, & eos qui degustant illicò necat. Quòd si apes mellis substantiam ex ejus Chamæleonis floribus suscipiant, non dubitamus, quin id mel hominibus admodum sit perniciosum: non ignoramus autem apes mellis materiam ex ipsis floribus non colligere, sed ex foliis duntaxat, pingui rore cælitus delapso obsitis. Deinde profecti sumus ad urbem Selibriam, olim Selymbria dictam. Duorum dierum itinere à Byzantio, atque dimidio miliari à Selymbria distantes, in ipsa via & maris littore metalli cujusdam recrementa invenimus (indicium istic olim fodinas fuisse) quæ licet diligenter à nobis considerata, cujus tamen metalli essent, dignoscere non potuimus. Ædificiorum vestigia & rudera quæ istic adhuc supersunt, fidem faciunt metallicas fornaces istic aliquando exstitisse: multis etiam locis conspiciuntur magni cumuli scoriæ, quam Galli *Merde de metal*, hoc est, metallicum recrementum appellant. Olim cùm metalla liquarentur, non aquæ adminiculo, ut nunc fit, folles inflabantur, sed hominum viribus, ut antè diximus: sunt tamen vicini quidam rivi, quorum usus esse potuisset, nostra opinione, si tum temporis consuetudinem habuissent aquæ adminiculo rotas impellendi, quæ folles sublevarent & deprimerent, quemadmodum jam habemus. Dum agro Selymbriano plantas perquiro, lacte manantem quandam inveni Nerii foliis, & flore simili, sed longè per omnia minorem: procul aspicienti Tragio Cretico persimilem; at propiùs intuenti ad Lysimachiam purpuream magis accedere videbatur. Cytisum etiam invenimus, cujus semen abundanter collegimus. A veteribus illis fodinis secedentes, Selymbriam pervenimus, quæ elegans habet castellum in edito situm. Selymbria, commodè urbs nominari non potest, quoniam muris cincta non est. Ædificia, balnea, & templa supra arcem sunt: oppidulum ipsum in acclivi, multumque repræsentat Ryam Angliæ urbem, quemadmodum etiam Callipolis. Selymbriâ volenti in regiam viam quæ Byzantium ducit, pervenire, collis superandus est; deinde per planitiem iter faciendum. Maxima ædificiorum Selymbriæ pars longiusculè à portu est. Onerariæ naves Selymbriam magna ex parte appellunt, ut merces excipiant quæ ex Adrianopoli, Thraciæ continenti, & Bulgaria advehuntur. In cujus rei exemplum cùm istac iter faceremus, Veneta navis jam oneris expletionem accipiebat ex iis mercibus quæ non modò advectæ erant ex iis quæ nunc enumeravi locis, sed etiam ex Anatolia vulgò dicta, veluti lanâ, coriis, xylo. Anatolia sive Natolia ex altera Hellesponti parte est: Turcæ dictione Græca Anatoli appellant, quæ Orientem significat: sed vulgò regiones Asiæ, imperio Turcæ subditæ, quæque ab Europa separantur Bosphori freto, Propontide & Hellesponto, Anatoliæ nomine continentur. Sic cùm Græci Anatoliæ mentionem faciunt, varias alias provincias intelligunt, nempe Phrygiam, Galatiam, Bithyniam, Pontum, Lydiam, Cariam, Paphlagoniam, Lyciam, Magnesiam, Cappadociam, & Comagenen. Atque si illis sermo est de preciosis quibusdam mercibus ex aliqua istarum provinciarum, illas ex Anatolia delatas dixisse satis erit.

Turcarum iter facientium insigne silentium & modestia.

CAPUT LXIX.

QUO tempore Selymbriam pervenimus, exercitus istic circiter quatuor milium Turcarum fuit, quibus hospitia designata fuerant cùm in Carabachara, aliisque urbis locis, tum extra urbem sub arboribus. Omnes erant equites, atque in Turcarum Imperatoris, qui bellum adversus Persas gerebat, castra proficiscebantur: ii autem diu ante lucem tanto silentio discesserunt, ut nos, qui etiam ante lucem discedere constitueramus,

tueramus, minimè animadverterimus, tametsi essemus illis vicini. Hæc res nobis visa est digna relatu, tantam hominum multitudinem sine ullo strepitu discedere potuisse. Selymbria unius diei itinere à Byzantio solùm distat, peraperta regione, & nullis arboribus consita. Bini pontes lignei superandi sunt tribus cis Constantinopolim milliaribus, quorum primus admodùm brevis est, alter verò longior multo, Buyckchemeghy nuncupatus. Vniversa Thracia Picardiæ comparari posset; nam arboribus eodem modo caret, magnasque habet planicies, quas nonnullis locis colliculi intersecant. Pagus est inter utrumque pontem: in quo, quoniam frequens est admodum via, res ad victum necessariæ, omni anni tempore pecunia comparandæ inveniuntur. Vterque pons ligneus exstructus est supra salsæ aquæ stagna, è mari in continentem ingredientia, & veluti sinum efficientia: istic multæ sunt scaphæ, ad homines ex uno pago in alium transvehendos, tum etiam ad piscationem necessariæ. Secundum ejus stagni quod ad sinistram reliquimus ripas multæ sunt molæ, octo alis sive brachiis præditæ, quales sunt omnes in Turcarum ditione, quæ venti beneficio versantur, non quatuor ut nostræ. Quemadmodum autem bini pontes superandi sunt, sic etiam bini sunt lacus qui in unum coëunt; quorum census e piscium captura, magno æstimatur. Turcarum Imperatoris ædes quasdam delectationis causa exstructas supra pagum Buyckchemeghy videre licet in colle quodam cincto silvâ arboribus consitâ, quæ muro undique clausa est. Ejus arbores sunt Coryli, Quercus, Vlmi, Fraxini, Salices, Platani, Loti, quæ Gallis *Micacouliers* dicuntur. Tandem secundò Constantinopolim pervenimus, & nostræ peregrinationi finem imposuimus sub initium Augusti mensis.

Pera & Constantinopolis urbes.

CAP. LXX.

Ante quàm de Constantinopoli agamus, de urbe Pera primùm scribere commodum videtur, quæ sinu quodam vel canali à Constantinopoli sejuncta est, quemadmodum plurimas interdum urbes sibi invicem oppositas videmus ad fluminis alicujus ripas, ut Civitas & Carcasso, Beaucaire, & Tarrasco: eâdem ratione iis qui Constantinopoli Peram adire volunt, portus traiiciendus est. Propterea eam appellationem adquisivit: nam Pera nihil aliud significat, quàm trans aut ultra; in collis autem acclivi sita est. Quisquis peregrinus Constantinopolim aut Peram maritimo aut terrestri itinere advenit, nullum hospitium quò divertat reperit; itaque per Turcarum regiones iter facturos, impedimenta in quibus recumbat, secum deferre necesse est. Fieri tamen nequit, quin aliqua ratione tandem hospitium nanciscatur, præsertim cum Carabachara (quæ publica sunt Turcarum hospitia) in urbibus nunquam desint: præterea nemo est, cujuscunque tandem nationis sit, qui non magnâ ex parte ædes aliquas nanciscatur, sub quarum tectum se recipere queat. quoniam plerunque singuli ad eos confugiunt, quos ex sua provincia esse sciunt. Hinc fit, ut cùm singuli sciant, omnes Europæ Principes & Respublicas, suos Oratores Constantinopoli habere, præsertim cùm pax inter Principes est, eosque Oratores Rerumpublicarum & Christianorum Principum, veluti Gallicum, Venetum, Ragusanum sive Epidaurensem, Chium, Florentinum, Transilvanum, Hungarum, atque alios (præter Cæsareum qui in urbe Constantinopolitana degit) Peræ maxima ex parte habitationem suam habere, ad ipsos confluere soleant. At Gallorum peculiariter præ reliquis nationibus, felicior est fortuna: quia à nostro Legato semper meliùs excipiuntur, eorumque gratior est adventus, quàm reliquorum apud suæ nationis Oratores: huc accedit quòd Galli in exteris regionibus inter se meliùs conveniunt, & magis mutuò se diligunt, quàm reliquæ nationes. Domini Aramontii, Regii ad Turcarum Imperatorem Legati liberalitas ea quæ diximus maximè confirmat: nam adeò gaudebat beneficia conferre in Gallos aut Gallorum partes foventes, ut nemo unquam Constantinopolim adveniens, cujuscunque tandem conditionis fuerit, ipsum adierit, quin ab eo humaniter exceptus, & in ejus contubernium admissus fuerit. Ejus etiam liberalitas ex eo appàret, quòd magnum Christianorum mancipiorum numerum privatis pecuniis è Turcarum potestate liberàrit. Imò quibuscunque Gallis Constantinopolim advenientibus, non modò necessaria ad victum subministrabat, sed etiam vestes largiebatur, si iis carerent: omnibusque patebant ejus ædes. Quòd si quem Gallum tæderet diutinæ istic moræ; illi pecunias tribuebat pro conditionis ipsius ratione, quantum sufficerent ut in Galliam rediret. Si verò nobili stemmate prognatum intelligebat, illo honorificè excepto, jumenta & alias res necessarias etiam subministrabat. Atque uti nunquam molestæ illi fuerunt expensæ in gratiam eorum qui illustri genere nati erant factæ; nunquam similiter tenuis fortunæ hominibus gratificari dedigna-

dedignatus est. Cùm id porrò in nobis ipsi experti fuerimus, non immeritò ingrati censeremur, nisi ejus rei testimonium præberemus: certi enim sumus neminem nos mendacii arguere posse in his quæ recitavimus, nisi parum æquum, & veritatis hostem.

Ruinarum Nicomediæ, & eorum quæ istic nunc conspiciuntur descriptio.

CAPVT LXXI.

CONSTANTINOPOLI aliquandiu commorati, ad conspiciendas Nicomediæ, quæ vetustum adhuc nomen retinet, ruinas profecti sumus. Est Nicomedia in edito sita: murorum ambitus admodum amplus fuit: namque à portu incipiens, etiam collis verticem comprehendebat. Ipsa urbs omnino corruit, sed arcis ambitus in ipso colle situs, adhuc integer est, urbisque muris includitur: muri arcem ambientes ex coctis tegulis tenaci rudere junctis constant; quorum turres dumtaxat tribus orgyis aut sex ulnis inter se distant; adeò valida fuit arx ista. Amœnus ejus situs est, cùm in collis vertice exstructa sit, magnamque scaturiginum aquæ commoditatem habeat: quæ causa est ut frequentioribus habitetur incolis Turcis & Græcis. Epistylia & fragmenta columnarum, magnæque hujus arcis columnæ, indicio sunt, Nicomediam aliquando potentem urbem fuisse. Istic etiam nacti sumus elegantia numismata vetera, Græca & Latina. Navigantibus secundum oram maritimam, & circa littus sub aquam intuentibus, eos pisces quos Latini Pinnas appellant, humi ordine & serie quadam conspicere licet, quasi pernas suillas in terra defixas: eam ob causam Latino etiam nomine Pernæ dicuntur. Cùm aliquandiu versaremur in insulis veteribus *Demonesi nuncupatis, quæ sunt in sinu Nicomediæ, in ipsa Propontide, quæque ex urbe Constantinopolitana apertè conspici possunt, eas novem esse numero deprehendimus. Illarum prima nunc à Græcis Proto appellatur, Altera Bergus, Tertia Isula del Corbo. Reliquæ exiguæ sunt, & proprio nomine carent. Aliæ etiam sunt inferiores & viciniores Hellesponto: sed earum plurimæ nomina mutarunt. Nam quæ olim Proconesus vocabatur, nunc Marmara; & Besbicus olim quæ fuit, nunc Calomino dicitur.

*De Demoneso consule Ortelij Thesaurum geographicum.

Orientales nationes libentiùs piscibus vesci quàm carnibus.

CAPVT LXXII.

ANTE quàm à Propontidis divitiarum narratione recedamus, quandoquidem ea omnis generis piscibus abundat, non minorem censum illam reddere asserimus, quàm Continentis aliqua regio, pascuis & armentis abundans: hinc fit, ut omnes Turcæ & Græci piscibus magis delectentur quàm carnibus. Continentis in nostra Gallia incolæ, qui à piscium esu adeò abhorrent, persuasione potiùs id facere videntur, quàm ratione. Eos verò intelligimus qui pertinacia quadam carnibus in abdito vescuntur pisculentis diebus, & diebus Dominicis vix pisces habent quos vorent. Ex veterum præterea monumentis observare licet, carnes ab illis tanti non fuisse æstimatas, quin piscibus inferiores perpetuò sint habitæ. Ægypti monachi toto vitæ cursu piscibus abstinuerunt quidem, quasi inferrè vellent se ejusmodi deliciis privatos, quemadmodum qui apud nos carnibus abstinent. Carnium ille contemptus & piscium æstimatio, effecit, ut veteres, cùm Græci tum Latini, avium genera minùs noverint quàm piscium. Medici insuper in suis de alimentis libris varii generis piscium sæpiùs meminerunt quàm avium & quadrupedum: neque legimus Imperatores atque Primates Romanos aves in suis conviviis ita expetiisse, ut nos hoc tempore, præter turdos & attagenes. Nam omnis generis pisces in deliciis habebant, & præferebant omni aucupio: sic ut perdices, phasiani, ascolopaces Gallis *Becasses*, & illorum *Pluviers*, atque aliæ quæ primum tenent gradum in Gallorum deliciis, in veterum Imperatorum Romanorum etiam profusissimorum, vel ut Pliniano verbo utar, Gulæ procerum conviviis, in precio non fuerint habitæ. Illud præterea addemus, ipsum Turcarum Imperatorem, ejusque majores, atque etiam aulicos, pisces magis appetere quàm carnes: propterea raro conspiciuntur in foro Byzantino venales aucupio captæ aves: Quoniam cùm piscibus abundent, ad eos variis modis capiendos animum applicant, ut postea apparebit.

Piscatio-

Piscationis in Propontide rationem magnum quæstum adferre.

CAP. LXXIII.

QVANDOQVIDEM in piscationis mentionem incidimus, nunc de ejus ratione agemus quæ in Propontide fit, atque primùm de ea quæ majorem quæstum adfert. Mare Constantinopoli vicinum magis piscibus abundat quàm reliqua maria: idcircò incolæ ad eos capiendos magis industrii. Aqua dulcis è fluminibus in Pontum delabens, & marinis undis sese commiscens, alendis in Ponto & Propontide piscibus admodum accommoda est. Eæ porrò aquæ in mediterraneum mare effluunt, sed per Propontidem delabentes, nunquam augentur vel minuuntur, utpote nullum refluxum aut reciprocationem habentes. Pisces certo anni tempore ex uno mari in aliud transmeant, suasque habent quietis & motus horas: quod non ignorantes Propontidis incolæ, quorum plerique frequentiùs piscibus vescuntur quàm carnibus, ea loca maris observant, in quibus pisces, eorum judicio, frequentiùs versari soliti sunt, præsertim circa littora ubi aqua non admodum alta & profunda est. Istic binas trabes longitudinis mali navium rectas, & circiter quadraginta aut quinquaginta passus inter se distantes figunt, in quarum summis tuguriola exstruunt unius aut duorum hominum capacia, qui istic à solis ardoribus & imbribus tuti, pisces observare queant. Trabes ligneis palis hinc & inde transfixæ sunt, quo ascensum & descensum facilem præbere possint. In edito istic stantes, vinetorum custodes imitantur: nam si piscium gregem oberrantem animadvertunt, alter alterum ad diligentem piscium observationem adhortatur; ut simulatque eos in aream ingressos animadverterint, singuli funem ad se trahant reti adnexum; quod tali artificio dispositum est in imo fundo sub aqua, ut reti sublevato, pisces qui in area sunt, concludantur. Ut doceamus porrò quâ ratione rete dispositum sit; intelligendũ est, illud quadratum esse, & singulis angulis annexum funibus; binosque retis angulos, qui à præaltis trabibus longiùs absunt, longiùs etiam in mare protendi, atque summitati duorum palorum in mari defixorum, vix tamen supra summas undas apparentiũ affigi, ut immobiles permaneant. Alios item binos angulos funibus alligari necesse est, qui ad tuguriola illa in editis trabibus sita respondeant. Reti in eum modum quatuor angulis extenso, ejusque medio ad imam aquam propendente: simulatque piscatores qui excubant, pisces ad se advenientes animadvertunt, sese invicem admonent; at postquam illos in aream ingressos vident, ilico funes attrahunt, piscesque reti concludunt. Tum alter piscator, funem suum colligat, ut rete suspensum maneat; perque fibulas trabi utrinque infixas delabens, scapham suam ad trabem alligatam ingreditur, eamque solutam ad comitis sui trabem dirigit, qui funem suum paululum laxans, eum cum scapha in aream ingredi permittit: at ille ingressus, rete ab uno capite colligere incipit, & ita pergit, donec omnes pisces in unum angulum coëgerit; atque illos in scapham recipiens, ad speculam suam regreditur, alios pisces exspectans. Tali instrumento varia piscium genera indifferenter capiunt, uti Sphyrenas, quas Galli Narbonenses *Pesescomé* appellant, Melanuros, Lampugnes, Pelamides, Cholios, Auratas, Synodontes, Salpas, Sargos, Mullos, Cuculos, Percas, Saurides, Mænas, Smarides, aliosque similes, pro diverso anni tempore: sed præsertim æstate, quando malacia est, nec venti mare turbant. Nam per tempestates, excubiæ adeò commodè pisces adnatantes observare non possunt, ut mari placido, & minimè turbato.

Aliæ piscandi in Propontide rationes.

CAP. LXXIV.

MULTÆ sunt præterea aliæ piscandi rationes in Propontide, quæ omnibus etiam nationibus communes sunt, ut sagena, quam Galli *Traine* vocant, quæ omnium est securissima sive facilima, & aliis nationibus etiam nota. Sed quia nulli hujus maris piscatores subere utuntur, ut in Oceano & mari Tyrrheno; nonnulli vulgo cortices quosdam leves suberis vice usurpant, uti ex pino & pinastro, quos ex Ponto advehunt: plerisque aliis cucurbitæ in vsu sunt, ut in Macedoniæ lacubus. Sæpenumerò de industria Constantinopoli egressi, Piscatorum Perensium scaphas subiimus, eosque comitati sumus, ut pisces qui ad littus insularum Proconesi & Besbici, atque in Montaneæ sinu capiuntur, observaremus: nam simulatque multos pisces ceperunt, domum redeunt, & Constantinopoli divendunt. Piscandi per Tratte vel Traine, hoc est, sagenam, ratio ejusmodi est: Binis scaphis opus est, & multis funibus ad rete necessariis: littus præterea in quo piscari volunt,

volunt, æquale fit, & à fcopulis liberum: deinde rete explicantes in mare abiiciunt, fingularum deinde fcapharum funes extremis retis partibus alligantur; tum pifcatores cymbas fuas ad littus dirigunt, rete verfus continentem poft fe trahentes. Quòd fi funes breviores fint, quàm ut ad terram pertingere poffint, remis cymbas impellunt, donec ad littus perveniant: quo occupato, cymbis fuis, quæ circiter viginti paffus ab invicem diftant, egrediuntur, atque rete (cujus funes æqualis longitudinis effe neceffe eft) æqualiter trahere incipiunt; ex nodis enim qui in funibus funt, intelligunt utram in partem rete fit magis adductum, idque fibi mutuo indicant. Viciniore jam reti, pifcatores etiam paulatim contra gradiuntur: cumque ad extremos funes pervenerunt, omnes rete apprehendunt, & æquali paffu in terram trahunt; diligenter animadvertentes, ne pifces fub retis imo five facco elabantur. Polypis captis, illorum brachia diducunt & explicant, atque dentibus eorum roftrum, quod pfittaco fimile habent, confringunt; nifi enim occiderent, è cymba effugerent. Captis murenis, illarum cervicem ferreis forcipibus apprehendunt, atque fufte os & maxillas confringunt, totumque corpus contundunt: nam fi manu apprehenderent, morfu ab illis appeterentur; oblongum enim habent roftrum, & dentes inftar aculeorum. Captis paftinacis, illico caudas præcîdunt, quod noftri Oceani pifcatores facere negligunt, qui fuis aculeis adhuc præditas Lutetiam & Rotomagum tranfportari curant. Licet autem hæ paftinacæ nullum nomen Gallicũ adhuc invenerint, Parifienfes tamen Raias appellant, quòd Raiis fimiles fint. Omnia ferè pifcium genera denique capiunt præter Scarum, quem ab illis minimè capi fcimus. Alia eft præterea cum quadrangulo reticulo pifcandi ratio, quæ iis duntaxat qui littora Conftantinopoli vicina accolunt, præfertim finiftra, verfus Hariadeni five Ænobarbi fepulchrum, in ufu eft. Nam omnia Hifpanica mancipia, quæ libertate donata, Turcicam religionem amplexa funt, ad Propontidis littora fefe contulerunt, elegantibus ædificiis iftîc exftructis, atque hortis inftitutis: quoniam Turcarum Imperator quafdam immunitates & privilegia conceffit iis qui in ora maritima ædificarent. Eam ob caufam fupra tigna terræ infixa, atque faxa ufque ad marinam aquam aggregata ædificia exftruxerunt: nam, ut antè diximus, Ponticum mare, Propontis & Hellefpontus, magnaque Ægæi maris pars, nullum penitus habent refluxum, fed perpetuum profluentem. Rete porrò illud cujus modò meminimus, ad minutulos pifces capiendos duntaxat utile eft, veluti Atherinas, & Caballons Maffilienfibus dictos, Romanis Lavarona, aliofque fimiles, qui littore gaudentes, majores non evadunt: qua de caufa eius maculæ funt admodum exiguæ. Simile effet Truble, nifi longè major effet ipfius tela quàm illius cujus in fluminibus ufus effe folet. Ejus quatuor anguli affixi funt lignis incurvis, & crucis inftar tranfverfim difpofitis, quorum medio affixum eft manubrium five pertica, quæ trabi erectæ, & in fummo, furcæ inftar cavæ, incumbit, & quafi in æquilibrio pendet, fic ut reti in mare demiffo, extrema altera manubrii pars furfum attollatur: huic verò appenfus eft funiculus, quo deorfum tracto, rete ex marinis aquis fublevetur: tum pifces reticulo comprehenfi, in aëre pendentes manent. Pifcationis in Propontide commoditas & quæftus adeò Conftantinopolim auxit, ut undique in circuitu pagi exftruantur. Congri minus frequentes, quàm in Oceano: eorum etiam capiendorum ratio diverfa eft. Nam quia Oceanus defluit, pifcatores fcopulos accedunt, ibique pifciculos fub lapidibus latitantes reperiunt, maris fluxu in ficco relictos, nomine Exocetos: hos hamis è gemino funiculo appenfis infigunt, funiculos fcopulis alligant antè quàm marinæ aquæ refluant. Cùm deinde marinæ undæ fcopulos contexerunt, congri, raiæ, caniculæque marinæ, hanc pifciculorum efcam invenientes, cum hamis vorant, eaque ratione fcopulis alligati remanent. Marinis poftea undis recedentibus, pifcatores ad efcam reverfi, pifces in ficco relictos reperiunt. Natura hunc pifciculum exocetum in ejufcemodi efcæ ufum commodè formavit: nam ut in ficco hærere, & fub lapidibus fine aqua latitare gaudet, fic pifcatores eum invenire norunt & in fuum ufum capere. Hanc ob caufam veteres Græci Exocetum, recentiores Glinos appellant, quorum nonnulli in Propontide, criftam Galli gallinacei inftar in capite ferunt. Quoniam verò magnis dentibus præditi funt, & acriter mordent, Comafco incolæ ad Padi oftia, Vulpem nominant, Maffilienfes Bavecque: at nofter Oceanus nullum illi vulgare nomen adhuc indidit. Altera pifcandi ratio nautis vulgaris, eorum præfertim qui in triremibus & onerariis navibus verfantur, & nunquam fine retibus navigant, duorum eft generum. Aliàs enim in aqua explicantur atque ex fubere fufpenfa manent, nulli rei affixa: aliàs gemina funt atque duplicia, in quorum maculis pifces per marinas aquas oberrantes, fæpiffimè fefe implicant, atque capiuntur.

Piscandi noctu ad lumen cum tridente ratio: varij alij in Propontide pisces capiendi modi.

CAPUT LXXV.

PONTUS Euxinus, Bosphorus, & Propontis semper in eâdem undarum altitudine permanent; quorum accolæ piscandi rationem admodum quæstuosam noctu ad lumen ejusmodi observant. Bini viri cymbam sive navigiolum leve & exiguum occupant: alter binis remis hinc inde dispositis cymbam impellit: alter in extrema cymba genubus innititur, tedamque accensam habet, ex cymbæ orâ prominentem; quæ quoniam piscatoribus vulgari in usu est, per fora venalis invenitur, atque vulgo Dadi appellatur. Qui hujusmodi piscationem instituunt, Lunæ splendorem non desiderant: nam quò obscurior est nox, eò piscatori commodior. Is porrò qui genubus innititur, fuscinam quinque aut sex hamatis cuspidibus constantem manu tenet, & sedulò in aquam oculos intentos habet: si piscem quiescentem observat, manum sublevat, comiti, eâ apertâ aut clausâ, ut cymbam aliquantulum promoveat, aut retro impellat, innuens: ejusmodi enim signis intelligit quò cymbam impellere debeat. Sermones inter se commiscere illis non licet: nam aëris in aquam repercussio, ad dormientium piscium aures penetraret, illique excitati fugerent: etenim nonnulli pisces alii aliis faciliùs audiunt. Eapropter adeò lentè cymbam impellunt, & leniter remos aquæ imponunt, ut pisces non exaudiant. Necesse est etiam deligere tempus nullo flante vento turbatum, placidum mare, & locum non admodum altum: pisces enim non libenter quiescunt alto gurgite, tametsi quiescendo terram contingant, aut alicui saxo incumbant. Eos autem non minùs quàm terrestria animalia dormiturire certum est: nec desunt qui ronchos ducentes exaudiverint. Nam quemadmodum nulla animalia cerebro prædita, sine somno vitam traducere queunt: sic pisces cerebro præditos somno refici necesse est. Quod Plinius Aristotelis auctoritate fretus scriptum reliquit: tametsi Actuarius auctor Græcus dormiendi appetitum in ventriculo collocet. Piscator igitur dormientem piscem animadvertens, magno impetu tridentem sive fuscinam (quæ hamis recurvis constat) in ejus dorsum vibrat, prout videt piscem vel sibi rectè oppositum, vel obliquum: & confixum in cymbam attrahit. Ea piscandi ratio ad lumen cum tridente, ad polypos, loligines magnas & parvas capiendas maximè est accommoda, tum etiam ad alios omnis generis pisces squamis præditos, veluti lupos, umbras, mugiles, synodontides, erythrinos. Hamo etiam piscantur in hunc modum: Ducentos aut trecentos hamos longa quadam serie ex fune quem cucurbitæ sustinent, pendentes disponunt, quibus escam è carnibus aut piscibus constantem affigunt: eum deinde funem noctu ad integrum vel dimidium milliare in mare deferunt, isticque tota nocte relinquunt, ut pisces qui cibum quærunt, quales sunt murenæ, squatinæ, caniculæ, raiæ, atque alii similes, hamis capti hæreant. Postridie mane, nisi tempestas impediat, hamos, quos è longinquo propter adnexas ingentes cucurbitas statim agnoscunt, repetitum eunt, & prædam domum referunt. Quædam urbes Italiæ sunt, in quibus unicus vir quinque aut sex lineis eodem tempore piscatur, quas pontium ligneorum rimis infigunt; nam dum escam ad unam apponendo occupatus est, reliquæ trabium rimis infixæ, tantundem præstant, atque si ipse piscator eas manu teneret: nam interea dum piscis in una capitur, reliquis escam apponendi ocium habet. Scombros in Propontide capiendi ratio plurimum ab ea differt quam in Oceano usurpant. Nam qui Scombros in Oceano capere vult, lineas pendentes per tempestatem ducere debet: quanto etenim vehementior est tempestas, atque navis majore impetu vehitur, tanto uberior erit captura. At Græci sagena duntaxat aut reti eos capiunt. Nullus piscis frequentior in foro Constantinopolitano conspicitur Glanide; quâ Iudæi non vescuntur, quia squamis caret. Vulgò etiam conspicitur Xiphias sive Gladius. Turcæ, Græci, Iudæi, & reliquæ Orientales nationes Delphino non vescuntur, quem tamen Galli eo tempore quo carnes interdictæ sunt, in deliciis habent, & vulgò *Marsouin* appellant. Duorum verò est generum: nam quem *Oye* appellant Galli, legitimus est Delphinus, uti in libro 1. de Piscibus abundè demonstravimus. Certum est nostros Celerinos eos esse quos reliquæ nationes Sardinas & Sardellas appellant: omnes enim notas cùm in Propontide tum in Oceano examinavimus; nec ullam inter eos differentiam invenimus, præterquam in solâ magnitudine. Olim liquor quidam, nomine Garum, non minore in usu fuit apud Romanos, quàm nunc Acetum apud nos. Sed etiamnum tam frequenti in usu apud Turcas esse deprehendimus, quàm olim fuerit. Nulla enim piscatorum officina Constantinopoli est, quæ venalem non habeat. Hi Veteribus Cetarii dicebantur: apud Gallos nondum

nomen

nomen Gallicum invenerunt,nisi quis Harenniers appellare vellet: vulgarem tamen apud Italos appellationem invenerunt: Romani enim Piscigaroli nominant, voce ex piscibus & garo formata. Piscigaroli Constantinopolitani,magna ex parte in Pera habitant, & recentes pisces singulis diebus apparant: nam vel frixos divendunt,vel exemptis intestinis & capitibus, muria macerant, & in garum resolvunt. Plurimum tamen interest ex quo pisce garum fiat: nam ex solo ferè Trachuro, quem Veneti Suro nominant, & Scombris, commodè fieri potest. Garum veteribus tanti æstimatum fuit,ut Plinius exquisitum liquorem id vocârit, nec ullum penè majore in precio esse Romæ dixerit. Præterea ait, varii generis id esse. Credimus quidem etiam ex piscibus squamatis parari posse. Vt autem demonstremus Iudæos ab omni antiquitate in victus ratione summâ abstinentiâ usos esse,ipsius Plinii de hoc garo scribentis verba in medium proferemus. Aliud verò ad castimoniarum superstitionem, inquit, etiam sacris Iudæis dicatum, quod fit è piscibus squama carentibus. Nisi nobis constitisset,illos adhuc superstitiosè observare ne garo vulgari utantur,hæc non protulissemus. Peculiares enim habent apparatus in eorũ gratiam factos, quemadmodum confectum illud ex sturionum ovis, quod omnes Caviar appellant, adeò vulgare in Græcorum & Turcarum mensis,ut nemo sit qui eo non vescatur, exceptis Iudæis, qui sciunt Sturionem squamis carere. Sed qui Tana incolunt, quum magnam Cyprinorum quantitatem capiunt, eorum ova adempta ita salire norunt, ut optimi saporis Caviar rubrum ex iis conficiant in Iudæorum usum, quod Constantinopoli venundatur. Hæc peculiariter descripta sunt binis libris, in quibus omnium piscium icones exhibuimus.

Lib. 31. cap. 8

Vetusta monumenta, & alia singularia quæ Constantinopoli conspiciuntur.

CAP. LXXVI.

CONSTANTINOPOLITANA urbs eo loco sita est, ut commodior ad Monarchæ alicujus magnificentiam in universo orbe inveniri non possit: nam summam habet maris commoditatem. Nihil illic antiquius conspicitur, quàm id quod Romani Imperatores, deinde Græci erigi curârunt. Atque hoc addimus, unum Constantinum pluribus Antiquitatis ornamentis Romam spoliasse, ut Constantinopolim ornaret, quàm viginti alii Imperatores centum annorum spatio exstruxerint. Quidquid etiam istic elegantis atque vetusti operis conspicitur, olim è Româ transvectum fuit. Inter alia, columna est ex porphyritico lapide, non procul à D. Sophiæ templo. Est præter hæc Hippodromus, opus magnificum & sumptuosum, in quo duo sunt obelisci; quorum alter marmoreis lapidibus ferro & plumbo colligatis constans, olim æreis laminis inauratis tectus fuit: alter, nec is integer, ex Ægypto est advectus. In eo etiam est æneus serpens, opere fusili, ingentis magnitudinis, columnæ instar erectus. Constantinopolis septem montes murorum ambitu non minus claudit, quàm Roma. Triplici muro cincta est: sed eodem tempore eos non fuisse exstructos apparet: nam pleraque marmorearum columnarum fragmenta interjecta conspiciuntur, quæ indicant festinanter opus peractum fuisse. Divæ Sophiæ templum, pulchritudine omnes quæ adhuc extant structuras longè superat, etiam ipsum Romanum Pantheon: nam tota templi interior pars in fornices exstructa est, superiore parte patentes, & lucem admittentes, quæ columnis è selectissimo marmore variorum colorum confectis sustinentur: suntque in eo templo (si licet dicere) tot portæ quot in anno dies. Quoniam verò in Turcarum phanum sive Mesquitam cessit, Christianis ingredi non licet: ipsis tamen & Iudæis toto corpore in templum producto ex portis interiora spectare permissum est. Quisquis id templum viderit, Romanum Pantheon, vulgo S. Maria Rotunda appellatum, admirari desinet. Imo miramur Pantheon adeò extolli, cùm ejus structura tanto ut prædicant artificio non constet: nam quilibet vilis etiam faber murarius facilè & ex tempore illius fabricam animo concipere potest; quandoquidem ejus basis adeò firma, muri adeò densi sunt, & ex omni parte solidi, ut difficile nobis non videatur fornicem perviam superædificasse. At D. Sophiæ templi alia est sanè structura (foris quidem cocto latere uti Pantheon constans, & interius marmore incrustata) ampla & latè patens, & tenui materia undique exstructa. Turcæ ad ejus exemplum suas Mesquitas ædificarunt; nam circiter sex admodum splendidas & magnificas intra centesimum annum ad D. Sophiæ templi exemplar sunt factæ. Vetusti cujusdam palatii rudera conspiciuntur, quod vulgus Constantini palatium appellat. Turcarum Imperator in eò suos elephantos atque alia mitia animantia alit. Vicinus Hippodromo locus est, vetustum olim templum,

in quo Imperatoris Turcici fera animalia adſervantur: ad hujus ſingulas columnas, leones alligati, quod profectò ſine admiratione conſpicere haud potuimus; quandoquidem ſolvuntur, manibus tractantur, denuò alligantur, atque nonnunquam per urbem etiam circumducuntur. Quia porrò omnes Turcarum Imperatores, quantumvis etiam barbari, ſingularibus & raris animalibus delectati ſunt: ſingulæ provinciæ ipſorum Imperio ſubditæ, ſi ferum aliquod animal capiant, Conſtantinopolim mittunt, quod Turcarum Imperator ali & ſedulò curari præcipit. Iſtic catenis alligatos vidi Lupos, Onagros, Erinaceos, Hiſtrices, Urſos, Lupos cervarios, & Lynces: imò minuta animalia iſtic etiam ſedulò aluntur, qualia ſunt Pontici mures Latinis, Ermines Gallis dicti. Erant præterea bina animalcula, felibus adeò ſimilia, ut ab his differre niſi magnitudine non viderentur, quibus veterem appellationem adaptare nullam potuimus: Aliquando Lynces eſſe exiſtimavimus, quoniam pantheram pro lynce ſumebamus; tandem imaginari nequivimus, quænam eſſent animalia. Mirum ſanè eſt eos adeò leniter omnia hæc animalia curare, ut maximè domeſtica reddant: imò ipſas etiam Genettes Gallis nuncupatas, (quarum iconem ſubiicimus) liberè per ædes vagari non minùs quàm feles permittunt.



Ceterùm cùm Pera & Conſtantinopolis unica ferè urbs ſint, ſolo portu diviſa, ſæpe traiiciẽdum eſt. Eam ob cauſam frequentiſſimi inveniuntur naviculariii, (magna ex parte miſera mancipia) qui homines hinc inde tranſvehant. Qui verò è navibus in officinas onera tranſportant, omnes ferè ſunt Ægyptii, octoni aut deni ſimul conjuncti proficiſcentes: nam cùm plerumque magnas graveſque ſarcinas, quales ſunt quæ navibus vehi ſolent, educere, atque etiam vaſa vino plena portare debeant, illa geſtare ſolent pendula, eandem vocem & ſimiles accentus perſonantes ſimulque æquo paſſu gradientes. Multi ſunt Conſtantinopoli opifices, varias artes mechanicas exercentes nobis ignotas: cùm enim typographica careant, omnes in papyro expolita & levigata ſcribere ſolent, quæ apud illos quidem non conficitur, ſed ex Italia advehitur. Papyrum levigare volentes, aſſerem ſibi comparant ex buxi fragmentis ſimul glutine junctis conſtantem, nonnihil interiore parte concavum, cui papyrum levigandam imponunt; deinde chalcedonio lapide ſive iaſpide per medium baculum cubitalis longitudinis trajecto, ejus extremitatibus manu apprehenſis, papyrum buxeo aſſeri impoſitam lapide confricant, atque expoliunt. Turcæ ſuos enſes, quos Cimeterres appellant, geſtare gaudent, non lucidos ut nos, ſed damaſquinatos ut vocant, hoc eſt, utrinque ſubcæruleos: ejus rei gratiâ armorum expolitores ammoniacum ſalem cum ærugine æris in aceto macerant in vaſe aliquo, deinde enſis mucrone impoſito, ſublatum tenentes, illam mixturam integro die per enſem defluere ſinunt; nonnihil enim excedit ferrum ſive chalybem radiatim ſecundum longitudinem, cui magna venuſtas ex politurâ poſtea accedit. Qui cultrorum & enſium vaginas conficiunt, magnâ induſtriâ corium quaſi granis quibuſdam obſitum parare norunt, ut aliàs dicemus. Apud Turcas, nobiles gemmæ non minore, imo etiam majore ſunt in pretio, quàm apud nos: & plura genera apud illos inveniuntur, quàm apud noſtros gemmarios; è quarum numero eſt ſpurio nomine Lachryma cervi nominata, & alia Sultan Meheure dicta: ſed de his aliàs plura. Plurimæ ſunt officinæ, quarum domini ſolis lineis telis vario colore depingendis ſeſe & familiam alunt: qui quoniam ſuum opus ſubitò & magnâ facilitate peragunt, ejus modum hîc declarabimus. Primùm omnium telam xylinam vel lineam, pulte ex amylo facta inducunt, eamque ſive flavi, ſive cærulei, ſive alterius coloris ſit, validè extendunt, levigant, atque expoliunt: ligneam deinde formam elegantibus aliquot floſculis inſculptam, colore inducentes, (quemadmodum operæ typographicæ ſolent) lineæ telæ ita tenſæ imponunt, premunt, & fricant; quâ ratione pergentes, elegantes operas ſine moleſto labore abſolvunt.

Muſicum inſtrumentum apud Turcas invenitur ex arundinum calamis confectum; quod inflatum, non minùs elegantem reddit harmoniam Germanicâ fiſtulâ. Turcam forte ante Domini Aramontii ædes tranſeuntem, & hoc inſtrumentum inflantem, ſemel audientes ego & reliqui qui in legati triclinio erant, Germanicâ fiſtulâ ludere exiſtimavimus: ſed è feneſtra proſpicientes, obſervavimus id inſtrumentum, eadem ratione confectum, qua fiſtulæ eorum qui animantia caſtrare ſolent, quatuor tamen & viginti calamis conſtare, cùm illæ decem & octo ſolummodo habeant. Qui ipſe non audiviſſet, vix credere

queat

queat ex tam vili & ſordido inſtrumento, adeò ſuavem harmoniam prodire poſſe. Cui otium eſt viſitandi eorum officinas qui Conſtantinopoli cultellis manubria adaptant, magnam varietatem dentium & cornuum animantium conſpiciet: nos enim iſtic bubalidis, gazellarum, & aliorum variorum animalium cornua obſervavimus ex Ponti Euxini littori vicinis locis delata: duo præter hæc dentium, Elephantis videlicet, & Mors, Gallis *Rohard* vocatæ belluæ genera; aliorum etiam animantium, quæ vulgare nomen nondum invenerunt. Qui legitimum Calamum odoratum deſiderabit, in mercatorum officinis Caſſabouſerire * petat, & pro Acacia, Akakia pronunciet, Acacalis Keſmeſen; Amomum Amama; Ammi Ameos; Napellus Biſch; Saccharum Alhaſos, Tigala; Harmel Armala; Ben albi & rubri radices Behen amer & Behen abias: nam quas Ben album & rubeum eſſe arbitramur, plurimum abſunt à veterum deſcriptione. Hebulben ſemina venalia habent, quæ nobis in uſu non ſunt, quemadmodum nec nux quædam gemini pugni magnitudine, parvis granis eſui aptis atque avellanæ inſtar dulcibus, plena, quam Coulcoul, hoc eſt, nucem de Coulcoul nominant. Qui Calamum aromaticum noſtrarum officinarum expeteret, Acorum ab illis petendum eſſet. Colocynthide cui cortex ſit ademptus, non utuntur, ſed integrâ, magno errore. Ubique venale reperitur Terebinthi granum viſide, & ejus reſina dura. Bryon iſtic etiam venale eſt, à noſtro arborum muſco longè diverſum. Fallimur enim qui noſtrum muſcum Vſneam eſſe arbitramur; eam ipſi Vſnech nominant. Auctores Ponticum Abſinthium commendant: id in Conſtantinopolitanis officinis non modò venale, ſed etiam uſurpatum vidimus: ſed omnibus notis cum noſtro vulgari hortenſi conveniens, nec ab illo differens, niſi quòd Ponticum ſponte naſcens invenitur. Et nobis admirationis cauſam non levem præbuit, pleroſque in noſtra Europa, id Abſinthium in dubium vocare, ineptamque quandam herbulam Abrotoni potiùs genus, & nullius efficaciæ ei ſubſtituere maluiſſe, quàm vulgari uti, quod legitimum eſt Ponticum; ſimili errore implicati quo Veneti, qui legitimi Hyſſopi loco, herbulam quandam, magnâ quantitate in Forojulienſis provinciæ montanis creſcentem, in uſum receperunt, potiùs quàm domeſticâ & cultâ uterentur, levi & tenui errore in multo graviorem commutato. Conſtantinopolitani, qui tam diverſis aromatum & ſimplicium medicamentorum generibus in ſuis officinis abundant, ut mera ſit confuſio, neque ſilveſtri neque domeſticâ Hyſſopo utuntur, niſi in penuriâ; (eam enim pro Thymo habent) ſed ejus loco inutilem quandam herbulam veteribus ignotam uſurpant. Sic Thymi Cretici nullus apud eos uſus, ſed veram & legitimam Hyſſopum ejus loco ſubſtituunt. Rhaponticum nanciſci qui volet, Rhabarbarum ſibi demonſtrari curet (nam id diſtinguere non norunt, cùm utrumque Rhabarbarum nuncupent) atque radices oblongas & foris nigras, interiùs verò Centaurii majoris radicibus ſimiles ſeligat. Certum enim eſt, ſatis magnam eſſe inter Rhabarbarum & Rhaponticum differentiam. Quia autem de utroque, tum etiam de omnibus animalibus, plantis, & medicamentis in Commentariis quos Gallicâ linguâ in Dioſcoridem ſcripſimus, agemus; plura non addemus, ſed finem priori libro imponemus.

* *Hæc vox corrupta eſt ex Avicennæ* Caſſab *&* Aldirira *(quod referente Garcia, Calamum ex Aromatibus ſignificat) vel Serapionis* Aſſabeldiriri: *aut Bellonius mercatorum vocem non rectè expreſſit.*

PETRI BELLONII CENOMANI

Singularium & memorabilium Rerum, per varias exteráſque Regiones obſervatarum,

LIBER SECVNDVS.

LECTORI.



T variorum recentiorum, & veterum, qui terreſtria maritimáque itinera confecerunt, plurima de ſuis Peregrinationibus ſcripta legimus: ſic etiam deprehendimus eos qui de incompertis prorſuſque illis incognitis agere voluerunt, ſæpenumero vanitatis & mendacij argui. Exemplum proponemus eius rei quam nunc Mumiam vocant: de qua nonnulli nimium ſibi tribuentes, bonarumque literarum, & naturalium rerum ignari, prodere non ſunt veriti, eam conflari ex humanis cadaveribus, arenâ ſubmerſis in Africæ & Arabiæ deſertis. At cùm ſingulas res quas in Ægypto obſervavimus, deſcribemus, Mumiam longè aliud eſſe quàm quod vulgus cenſet, nec eam Græcis & Latinis ignotam fuiſſe demonſtrabimus. Itaque in hunc ſecundum Librum nihil nos relaturos profitemur, præter ea quæ noſtris oculis obſervata fuere, quorum pleraque veterum auctorum teſtimoniis confirmabimus. Liberum porrò nobis eſſe exiſtimantes, ea quæ ſeſe obtulerunt examinanda, plenè deſcribere; liberè & ſine diſſimulatione de iis noſtram ſententiam proferemus. Ceterùm quoniam favor & auctoritas Domini de Fumet, nobilis viri & Cubicularii Regis Galliæ, in iſtarum rerum obſervatione plurimum me iuverunt; ingratitudinis notam nullo modo effugere poſſem, niſi liberè faterer, plurimum me ipſi debere: nam multarum rerum notitiam adeptus ſum ex eius peregrinationibus, in quibus magnâ humanitate erga me uſus eſt. Ipſum autem Conſtantinopoli inveni, Regis Henrici II. ad Turcarum Imperatorem Legati munere fungentem, qui certè magno favore illum proſequutus eſt: nam aliquot ex ſuis Aulicis adiunxit, qui eius curam haberent, atque per omnes quas vellet adire provincias ipſius Imperio ſubiectas ſecurè deducerent. Itaque comitibus non infimæ nobilitatis viris Gallis, atque etiam Ianiſſaris, Chaous, & interpretibus, honorificè abſolvit longas & difficiles peregrinationes per Turcicas provincias, ut poſtea videre licebit.

Peregrinationum quæ mari peraguntur, incertum tempus eſſe; atque de Conſtantinopolitano itinere in Alexandriam.

CAPVT PRIMVM.

QVI marino itinere peregrinationem ſuſcipere volunt, nullum certum tempus præſcribere poſſunt: quoniam, cùm navigationes ventis ſint obnoxiæ, ſæpenumero contingit, quaſlibet naves magnas vel parvas, quæ velorum vel remorum beneficio aguntur, triremes, vel onerarias, vento ſecundo, octo dierum ſpacio iter abſolvere; adverſa autem tempeſtate, vix bimeſtri illud conficere poſſe. Verum quidem eſt, nautam qui navigationem inſtituit, illius tempus poſſe ſupputare; at illud certum ſpondere nequit: cùm ſecundis ventis iter inſtitutum, brevi confici poſſit, adverſis verò minimè. Nobis contigit ut trium & decem dierum ſpatio, è Propontidis freto Venetias perlati fuerimus, in quod iter nonnunquam ſex menſes ſunt impendendi. Nunc autem deſcripturi iter è Conſtan-

Constantinopoli in Alexandriam Ægypti, nostrum est demonstrare, Arabum naves & præsertim Ægyptiacas, certum anni tempus observare, quo Constantinopoli Alexandriam navigare solent: nempe circa Augusti finem; nam Septentrionales venti diutiùs in eâdem statione permanent Septembri, quàm ullo alio anni tempore. Ne igitur tam commodam navigandi occasionem negligant, pleræque naves Constantinopoli tunc solvere solent in Ægyptum navigaturæ. Qui verò ex Alexandria Constantinopolim proficisci cupiunt, sub vernum tempus discedunt: nam Australes venti constantiùs flant vere, quàm reliquis anni partibus. Vela igitur explicantes solvimus sub vesperam, totaque ea nocte & sequenti die navigantes, secundo vento boreali vecti sumus, unius diei & noctis spacio totam Propontidem emensi: eo nomine appellatur illud mare Constantinopoli vicinum, quod binis Bosphoris clauditur, binosque Sinus habet; unum Montaneæ, qui olim Nicopolitanus; alterum Nicomediæ, veteribus Astacenus. Sequenti igitur primam noctem die, plano æquore vecti, Phrygiam ad sinistram & Thraciam ad dextram relinquentes, Propontidem emensi sumus, quæ montibus undique cingitur, nec admodum lata est: nam si quis in media Propontide navigaret, facilè continentem utrimque conspicere posset, atque multas insulas præterea suprà enumeratas. Tertio die manè Callipolim appulimus, ubi anchoris in Sinu iactis constitimus.

Veteres urbes ad Propontidis littus sitæ in Thraciâ: & Callipolis.

CAP. II.

CALLIPOLIS à Byzantio distat quatuor dierum itinere, hoc est, circiter triginta sex miliaribus, nec ullum portum habet magnis navibus aptum. Verum quidem est, Sinum habere satis capacem: sed & tota Propontis & Hellespontus, ut verum fateamur, Sinus propemodum dici possent: nam ubique vadosi sunt. Terrestri itinere Constantinopoli Callipolim proficiscentibus, & oram maritimam Thraciæ legentibus, quatuor veteres urbes occurrunt, vetus nomen etiam hodie retinentes, nullo tamen muro clausæ; ut nec reliquæ urbes per eas provincias quibus Turca imperat. Prima est Selymbria, nunc Selibria dicta, ubi portus est navicularum capax, & sinus pro majoribus navigiis. Secunda est *Heraclea, olim Perinthus, elegantem & capacem portum habens onerariarum navium & triremium. Tertia est Rodosto. Quarta est Callipolis, nunc Galipoli, oppidulum nullis mœnibus cinctum, ubi Propontis desinit, & Hellespontus incipit: nam universum illud fretum à Callipoli ad Ægæum mare usque, Hellespontus appellatur. Turcæ eam nunc consuetudinem observant, ut omnes naves, cujuscunque regionis, fretum egredi volentes, sisti hîc debeant, & earum naucleri Callipolitana præsidia convenire, & licentiæ diploma ab eis petere, quod in Bosphori alterutro castello repræsentent. Quæ Constantinopoli licentiam acceperint, Callipoli aliam non expetent: fretum tamen egredi volentibus, licentiæ diploma in alterutro eorum castellorum præbere necesse est. Quælibet onerariæ naves ex Turcarum Imperio per fretum hoc egressuræ, integro triduo anchoris fixis hærere debent, ut Turcæ ocium habeant perlustrandi totam navem: nulla etenim ab hac visitatione immunis est. Veneti, Anconitani, Genuenses, Neapolitani, & Ragusæi id fretum navigare solent. Et quia clavis est, & primarius ex Turcarum dominio egressus quo mancipia effugere possent, eam ob causam adeò diligens istic fit perquisitio. Exteræ naves hoc fretum ingredientes, si secundo vento ferantur, hîc non subsistunt, ut licentiam petant; omnibus enim navibus liberè ingredi licet; at egredi minimè: nam si fortè fugitiuum mancipium in navi aliquâ latens, aut aliud quidpiam ex Turciâ efferri prohibitum deprehenderetur, gravi pecuniæ summâ mulctaretur. Biduo Callipoli hæsimus, & Augustinianorum monasterium accessimus, templum adhuc retinens iuxta Christianorum Latinorum normam, ubi vitem fructu suo semper onustam, vidimus; quam nobis affirmabant septies in anno fructum, eumque maturum præbere. Apud Callipolin in planicie, vetera quædam Regum & Imperatorum Thraciæ sepulchra in crassæ cujusdam & orbicularis metæ formam exstructa conspiciuntur; colles quosdam referentia, quibus vniversa Thracia abundat, alioqui inæqualis est. Procul plurima adhuc alia ipsis montibus imminentia apparent, sic ut colliculi montibus humanâ operâ impositi videantur, ut reverâ etiam sunt. Callipolitanus portus admodum angustus est pro onerariis navibus: at catascopiorum, biremium, myoparonum, & Maonnarum (navigii genus Latinis Græcâ voce Hippago dictum, quod transvehendis ex Europa in Asiam equis & Camelis usurpatur) satis capax est. Hujusmodi generis navium Maonnæ appellatarum, frequens numerus singulis diebus mane Constantinopolim appellit, quæ maximâ ex parte à Turcarum Imperatoris

prætorianis Ianiſſaris ducuntur. Poſteriore parte apertæ ſunt: eam ob cauſam equi & cameli ſine difficultate in eas tanquam ſtabula ingrediuntur. Secundum portus oram triremes in ſiccum pertractæ ſupra trabes ligneas impoſitæ, & aſſeribus tectæ, armamentarii marini in modum. Omnia eduliorum genera Callipoli in foro venalia non minùs quàm Conſtantinopoli reperiuntur. Vrbs à Græcis, Iudæis & Turcis culta. Frequens iſtic trajectus ex Europa in Aſiam. Cùm Callipoli biduum hæſiſſemus, vela explicantes, noſtrum iter proſequebamur: ſed ad Caſtella pervenientes, ſecundò anchoras fiximus: nam (ut diximus) nulli navi, exteræ ſive Turcicæ per fretum hoc egredi licet, quin primùm Callipoli, deinde iterum ad Caſtellorum anguſtias anchoras jaciat. Navi ſive triremi exteræ mercibus onuſtæ, triduo integro iſtîc hærendum, ut expeditionem exſpectet : Turcica autem vento nimirum ſecundo adflante, hac prærogativa gaudet (ne tempus elabatur) ut primo die expediatur.

* *Rectiùs hîc Bellonius quàm ſuperioris libri cap. 64. ubi Perinthum nunc Rhodoſto dici contendit : nam Rhodoſto olim Ptolemæo βισάνθη καὶ ῥαίδεστον dicta fuit. Conſule Ortelii Theſaurum geographicum.*

Boſphori Thracici, Caſtellorum Seſti & Abydi, atque ruderum Scamandriæ deſcriptio.

CAPVT III.

CASTELLORVM fretum circiter quadrantem milliaris in latitudinem patet: in eo olim, ut & nunc, Seſtus & Abydus ſitæ fuêre. Ex hoc Poëtæ fabulam de Leandro & Hero ſcribendi occaſionem ſumpſere. Abydus in Aſiâ eſt, paludoſo loco ſita, & quadrangulâ formâ reparata. Muri caſtelli ambitus præaltam turrim quadratam antiqui operis adhuc permanentem comprehendit, quam Turcæ ſummâ parte extulerunt, atque bellicis tormentis munierunt. Ea non ſunt rotis impoſita, at humi iacent, validoque muro poſteriore parte nituntur, ut nec retrorſum ferri, nec antrorſum progredi queant, eaque ſeptem & viginti numero, omnia ſerie quadam diſpoſita maris planiciem ſpectant. Quatuor propugnacula valde infirma quadranguli muri quatuor angulos occupant: & licet hæc arx una ex clavibus Turcarum dominii ſit, valida non eſt; firmior tamen quàm Seſtus: & ut majoris momenti, majore etiam quàm Seſtos curâ & diligentiâ adſervatur. Saxa quibus reparata eſt, è ruderibus vicinæ cujuſdam urbis deſumpta ſunt, quam antiquitus Scamandriam nuncupatam fuiſſe arbitramur in Aſiæ continenti ſitam; etenim dimidio duntaxat miliari abeſt à mari, & dimidii diei itinere à Caſtellis. Iſtîc magnificarum quarundam ſtructurarum eleganti candido marmore conſtantium rudera conſpiciuntur, & columnæ omnis generis opere elaboratæ, tum plurima quadrangula & ampla epiſtylia. Sita fuit in colle, quem utrinque ambiunt maxima lataque planicies & elegantia prata, hieme reſtagnantia, at æſtate ſicca. Iſtîc vidimus ingens ſaxum ſummo artificio ſcalptum, viri armati effigiem referens, thorace ſecundum veterem conſuetudinem induti, galeamque plumis exornatam in capite gerentis, ſub mento fibulis conſtrictam; oblongum & erectum clypeum manu tenentis, atque acinacem ſive enſem falcatum geſtantis, non corpori alligatum, ſed è collo propendentem ſub ala ſiniſtra. Hanc ſtructuram quoddam magnificum templum fuiſſe exiſtimamus, alicui Deorum conſecratum, cujus ſaxa, ut diximus, Turcæ nunc ad mare deferunt, ad ſupradictam arcem muniendam devehenda. Altera arx Seſtos in Thraciæ Cherroneſo ſita eſt, ingenti & amplo pago à Græcis habitato, nomine Maito, vicina, in collis cujuſdam acclivi, trifolij propemodum formâ. Hujus prima turris mediam arcem occupans, tres hemicyclos ſimul conjunctos refert. Altera primam ſimili forma ambit. Murorum ambitus triangularis eſt: primuſque ejus angulus monti oppoſitus, turrim in ſummo obtinens, quæ arcem eâ parte propugnat. Ab hac turri protenduntur utrinq. muri ad ipſum uſque mare, mediam turrim comprehendentes: deinde ſecundum maris littus progredientes clauduntur; validiſque tormentis bellicis egregiè muniti ſunt, explodendis (ſi neceſſe ſit) in eas naves quæ ſine licentiâ effugere, vel in Helleſpontum vi perrumpere vellent. Infirmior eſt Abydo, ob montem illi imminentem. Qui per Helleſpontum navigant, montes picearum [veriùs pinorum ſilveſtrium] ſilvis obſitos conſpicere poſſunt, quarum tedam incolæ legunt, atque accendunt; nam inſtar candelæ ardet. Ex hac etiam picem nigram conficiunt, atque cedriam, à Gallis voce Arabica Quodran ſive Quotran nuncupatam, ab Avenionenſibus verò Cade cerbin. Quoniam autem vilis iſtîc eſt pretii, exteræ naves eò appellentes, magnam ejus copiam avehunt, atque interdum etiam eâ explentur. Turcæ, quòd admodum ſit liquida, ovillis


aut

Imbros inſ. *Melanicus ſin.*

Mare Ægæum. *Europa.*

Tenedos inſ. *Gallipoli.*

Marmara inſ. *Besbicus.* *Propontis.*



Ruinæ Troiæ. *Ida mons Phrygiæ.* *Silva Picearum.* *Aſia.*

1. *Melas Fl.*
2. *Maito.*
3. *Helleſpontus.*
4. *Seſtus. ſed male expreſſa: nam media arx tres hemicyclos ſimul junctos referre debet.*
5. *Lampſacum.*
6. *Abydus.*
7. *Gymneſium.*
8. *Troia.*

aut caprinis utribus excipere ſolent: precium in ſingulos utres dimidius aureus. Multò autem liquidior eſt illâ, quæ in ligneis doliis ex montibus Burdegalæ vicinis advehitur. Eâ olim Ægyptij ſua cadavera conſervare ſolebant, unde id medicamentum conficiebatur quod Mumia vulgo appellatur, de qua poſtea plura. Nautæ nunc nauticos funes eâ cedriâ illinunt, atq. cum pice foſſili (Piſſaſphaltos nuncupata, ſupra Epidaurum naſcente) miſcentes, ſimul colliquant, ut Piſſaſphaltos mollior & liquidior reddatur, cùm ſuâ naturâ exſucca ſit, nec uſui eſſe poſſit, niſi cedriæ in Phrygia paratæ commiſceatur. Ut autem intelligi queat, quam arborem per Piceam intelligamus, picturam hîc exhibemus, licet ejus luculentam hiſtoriam libro de coniferis arboribus dederimus.



Helleſponti & Propontidis littora, magnam Algæ latifoliæ quantitatem projectam habent, quæ in mari naſcitur, ut in prato fœnum. Incolæ eam in littore legunt, atque argillæ commiſcentes, ſuas ædes illâ contegunt: cùm enim oblonga, lata molliaque habeat folia, facilè contorqueri poteſt & argillæ miſceri: quandoquidem ædium tecta plana habent. Mare per has anguſtias magno impetu fertur. Hinc fit ut excrementa in littus eiiciat non prorſus inutilia, veluti Alcionij quintum genus à Dioſcoride deſcriptum, quod Samothraces, Imbri, & Lemni incolæ vulgari lingua Arkeilli vocant. Hujus tanta quantitas in Besbico Propontidis inſulâ paululum ſub Marmara ſita invenitur, ut naves eo onerari queant: cùm tamen admodum magno ematur in Venetis, aliarúmque nationum officinis: veteri quidem nomine illis ignotum; ſed quia leve eſt, & ſpumam refert, Spuma maris nuncupatur. Nos iſtic etiam Antipathes invenimus.

Qua

Quæ apud Abydum observavimus.

CAP. IV.

ABYDO adjacet pagus, eo amplior qui Sesto vicinus est: in illo cùm essemus die martis, Augusti vigesima octava, magnam ciconiarum prætervolantium turmam vidimus, quæ multorum judicio trium aut quatuor millium numerum explere poterant. Ex Russia & Tartaria advenire credebantur; nam Hellespontum decussatim transvolabant. Hæ cùm supra Tenedon insulam quasi pervenissent, diu in gyrum sese vertentes aliis alias subsequentibus, quodammodo in orbem sese composuerunt: & inde, antè quàm à Propontidis ostiis longiùs abscederent, plus quàm viginti minoribus turmis distributæ; aliæ alias præcesserunt, omnes tamen versus meridiem tendentes. Abydenus ager Chamæleone nigro, vti Hellesponti littora, abundat. Incolæ ex Iberide, quam Græci vulgari appellatione Serapidi nominant, scopas conficiunt. Plures quàm centum Turcæ in nostra navi erant, qui Constantinopoli in Ægyptum proficiscebantur: longè etenim breuiús est iter marinum terrestri, ut postea demonstrabimus. Singuli viatores aureum pro vecturâ pendunt. Ægyptij mercatores divenditis Constantinopoli mercibus, ne inanes naves in patriam reuehant, magnum viatorum numerum Memphim aut alia Ægypti loca adire volentium, recipere solent. Nostra nave in Abydeno portu hærente, & donec omnia expedita essent exspectante, secundum riuulos quosdam aquæ salsæ deambulantes, terrestris cujusdam serpentis genus invenimus, magna ex parte interdiu in mari vivens, uti coluber in aqua dulci: sed noctu in continentem quietis causa progreditur: Rubro quodammodo colore, cui cinereus permistus sit, præditus.

Troiæ rudera è mari esse conspicua.

CAPVT V.

AB arcibus manè secundo vento, quem nautæ Maestro tramontano nominare solent, vecti, ex Hellesponti angustiis egredi cœpimus, & in Mediterraneum mare, quod trium milliarium duntaxat spatio ab Abydo abest, ingredientes, Cherronesum ad dextram reliquimus; in qua Promontorium est veteribus Mastusia dictum, ubi Hecubæ tumulus, & Protesilai sepulchrum erat: deinde Imbrum insulam, Lesbo paulo minorem, celsiores tamen montes habentem, Thraciæ enim littori valde vicina est. Longiùs porrò in mare progressi Lemnon insulam vltra Imbrum sitam conspeximus; quæ propter humilitatem, & quia altos non habet montes, vix nobis apparebat. Secundo vento longiùs in mare delati, ad sinistram secundum Asiæ littora deflexim us: nam si ad dextram navigassemus, ab insulæ Chio canali, ad quem tendere oportebat, aberrassemus. Continentis Promontorio Capo de Ianizzari, quod veteres Sigæum nominârunt, viciniores facti, satis apertè cujusdam vetustæ arcis olim Caput Gymnesium nuncupatæ, rudera conspeximus, ejus vetustatem demonstrantia: è longinquo autem videre potuimus, quia in summo Promontorio exstabat. Hujus arcis muri ex latere & tenaci intrita exstructi fuêre. Ingentes istìc sunt cisternæ, atque ampla penuaria, quæ Troiam profecturi conspectum ivimus: nostra navis cursum tenebat inter Tenedon insulam, quam ad dextram, & Troiæ rudera, quæ ad sinistram habebamus.

Ruderum Troiæ descriptio.

CAPVT VI.

TROIANA rudera procul aspicientibus satis apparent: nam urbis muri nonnullis locis adhuc supersunt. Quoniam verò ea terrestri itinere spectatum ivimus; quid istìc sit reliqui dicemus: deinde nostram navigationem prosequentes, quid etiam è mari conspici possit, declarabimus. Constantinopoli maritimo itinere illuc tendere volentibus, ad Abydi angustias appellendum est: nam dimidii diei itinere solummodo inde distant. Iis conspectis, cui cordi esset amœnam regionem videre, per montem Idam in Phrygia, deinde per Olympum & Orminium regiâ viâ quæ Prusam urbem ducit, progrediendum foret. Mons Olympus pari propemodum cum monte Senis est altitudine, aditu tamen nequaquam adeò difficilis. Qui istac proficisci nollet, Callipolim redeat, deinde terrestri per Thraciam itinere Constantinopolim. Troia in collis cujusdam acclivi

ſita eſt, è mari facilè conſpicui: nam ſecundum littus extenditur. Inter Tenedon inſulam & Troiæ rudera, inter bina promontoria tranſivimus: alterum infra Troiam, in conſpectu Leſbi inſulæ, quod nunc Cabo Sancta Maria, olim Iarganum nominabant: alterum eſt in extrema inſula Tenedo, iſticque ventus noſtram navem deſeruit. Ad radices collis ſive Promontorii, quædam fornices antiqui operis adhuc conſpiciuntur, ex arenato & latere conſtantes: deinde paullo infrà, ſecundùm littus maris, duarum Promontorii arcium quæ in urbe incluſæ fuerant rudera. Troiani agri incolæ, partim Græci ſunt, partim Turcæ, partim Arabes: omneſque eam regionem Troada vulgò nuncupant. Non abs re Troianæ urbis magnificentia (cùm adeò ampla ſit) à veteribus Poëtis fuit celebrata. Ædificiorum enim quæ adhuc conſpiciuntur rudera tam admiranda videntur intuentibus, ut eorum majeſtas non niſi longa oratione explicari queat. Murorum ambitus de urbis amplitudine ſatis magnum teſtimonium præbet: conſtabant autem ex magnis ſaxis, raris, & valdè ſpongioſis, nigris & duris, formâ quadrangulâ inciſis, quæ ex vicini Promontorii Aſſos dicti, latomiis exempta fuerant, à quo Salpetræ olim Flos Aſiæ petræ dictum eſt. Exſtant adhuc turrium quæ in muris erant rudera. Itaque minimè iis credendum qui omnia rudera periiſſe referunt. Murorum qui urbem cingebant fundamenta adhuc apparent nonnullis locis ſuffulta columnis & fulcris binas orgyias latis. Quatuor horas in iis circumeundis inſumſimus, nunc equites, modò pedites. Extra murorum ambitum ſecundum regias vias videre licet magna marmorea ſepulchra operis antiqui, ex unico lapide inſtar ciſtæ excavata, quorum opercula adhuc integra ſunt. Apparent & prædictarum duarum arcium rudera ex marmoreis lapidibus conſtantia, quæ omnino corrumpi nequeunt. Quæ infimo urbis Troiæ loco eſt, ſecundùm maris littus in longitudinem, duorum propugnaculorum inſtar, extenditur: ejus muri ex marmore cum albo tum rubro teſſellatim compoſito conſtant. Altera arx in ſummo colle ſita, ab alterâ muri parte in ipſo urbis ambitu continetur. Ex hac univerſa ferè urbs, atque etiam vicinus ager conſpici poteſt: illius muri paullum extra urbis mœnia eminent. Poſtquam mœniorum ambitum circumiviſſemus, interiora urbis obſervare cœpimus; ſed nihil niſi ruderum confuſa moles conſpicitur: inter quæ turris cujuſdam quadrilateræ baſis occurrit ex quadrato lapide ſtructa, magni operis, quam Phari cujuſdam noctu navigantibus lucem præbentis, baſim fuiſſe credimus. Inveniuntur inſuper multæ ciſternæ integræ, quibus aqua pluvia adſervabatur; quòd toto illo tractu rari eſſent fontes, imò unicus duntaxat loco inferiore apud portum. Conſpiciuntur etiam templorum quæ habitantibus iſtic Chriſtianis exſtructa fuerant, rudera, & magna adhuc murorum pars: in quibus marmorea ſaxa, crucem ſculptam habentia. Toties exciſa fuit hæc urbs, ut nulla integra remanſerint ædificia: eam ob cauſam prorſus nunc deſerta, cum nemo ibi habitare poſſit ob agri ſterilitatem, & aquæ penuriam. Intra primum milliare in circuitu nullus eſt vicus, nullæ ædes, adeò ſterile & arenoſum eſt ſolum, ut raras admodum arbores fructiferas alat. Pro loci tamen natura Eſculi arborum proventus ſatis quæſtuoſus eſt: nam vicini incolæ ejus glandes adhuc teneras cum ſuis calycibus perticis decutiunt, ut apud nos iuglandes decuti ſolent, quas ſub ipſis arboribus exſiccari ſinunt, nihil ſibi à ſuibus (nullas enim alunt) metuentes. Reſiccatas & aridas colligunt, ſaccis imponunt, camelos onerant, atque in proximas urbes vehunt & vendunt, ut Pruſam & Callipolin. His coria parant, ut nos querno cortice comminuto, Ægyptii Acaciæ ſiliquis, Itali Myrti, Græci Rhois foliis. In hoc capaci ruderum ambitu, ampla eſt planicies, quæ nunc Xylo & Seſamo conſeritur, quod magnum cenſum adfert, quia Turcæ ex eo oleum exprimunt. Iſtic etiam Melonum genus ſerunt, nullâ rigatione indigens: imò ejus naturæ, ut per integram hiemem ſine corruptione conſervari poſſit. Veri tamen ſunt melones, & ſimul atque à ſua planta revulſi ſunt, aliorum melonum modo edi poſſunt: in eo tamen differentes, quòd tota hieme, totaque ferè proxima æſtate conſervari queant. [a] Legitimos autem eſſe Melones aſſerimus, quoniam tota planta à noſtratibus non differt, & eorum ſapor ad noſtrorum ſaporem proximè accedit: non deſunt tamen alii noſtratibus ſimiles. Aliud fructus genus iſtic ſerunt, quod Turcæ & Græci Arabica vulgari appellatione Copous nominant: Græci antiquitatis ſtudioſi, Chimonicha, Latini verò, Græca quadam appellatione Anguria: Arabes, Napeca. Anguriæ tamen nomen impropriè illi attributum eſt: nam Anguria nihil aliud eſt niſi cucumis nobis notus. Magni coloſſi operis antiqui Troiæ humi proſtrati adhuc jacent: eſtque locus non procul ab arce mari vicina, in quo magna marmoreorum ſaxorum copia, iſtic de induſtriâ congeſta, ut arbitramur, cum ſine magno ſumptu id fieri nequiverit. Reſtant adhuc in mœniorum ambitu nonnullæ portæ ferè integræ, præſertim ea quæ in colle arci collateralis eſt, qua in planiciem egreſſus erat. Protenditur etiam oblongus & prætaltus murus, quem anterides foris fulciunt, ex ambitu progrediens ad planiciem verſus montem Idam. Altera porta per quam ad prata

aditus

aditus erat, & descensus ad thermas, integra etiam est. Reliquæ mare spectantes valdè corruerunt, paucaque restant earum vestigia. Columnam è candido marmore invenimus terræ quidem infixam, sed media ex parte procumbentem: quæ ab uno latere hanc inscriptionem habuit; vetustate adeò corruptam ut vix legi posset: *Imp. Cæsar Mar. Aur. Antoninus Pius Felix Parthicus Maximus, Germanicus Maximus, Trib. P. I. Imp. xv.* Cos. III. *provinciam Asiam per * viam & flumina pontibus* [b] *subjugavit.* Ab altero latere alia fuit inscriptio, cujus initium duntaxat legere potuimus: *Imp. Cæsar. Aug. Diocletiano regnante.* De fluminibus Simoi & Xantho adeò à Poëtis celebratis, quæ Troiana prata rigabant, nihil aliud referre possumus, quàm adeò exiguos riuulos nunc esse, ut vix minutulos pisces, *Loche* Gallorum aut Phoxinum alere queant: nam æstate omnino arescunt; hieme verò vix tantum aquæ ferunt, ut anser in iis natare possit. Nec mirum videri debet, si hanc dubitationem de iis fluminibus moverimus: nam nec Aristotelis[c] tempore inveniri poterant: inquit enim cap. 12. lib. 3. historiæ Animalium: *Scamander etiam amnis flavas reddere oves creditur: quam obrem Xanthum pro Scamandro nuncupatum ab Homero autumant.* Disquirendum ergo an Scamander & Xanthus idem flumen sint. Via quæ à Troia ad Thermas ducit, ad occidentem vergit; eò profecturi, faciem versus Lesbon insulam obvertere debent: quæ à calidis aquis vix binis milliaribus abest. Tenedos etiam admodum vicina est: canalis etenim dumtaxat traiiciendus. Thermæ verò dimidio miliari à Troia tantùm absunt: Adeò frequentia sunt secundum eam viam sepulchra, ut iis quodammodò septa videatur; nam plura conspiciuntur quàm secundum viam quæ à Philippis Gavallam ducit. Græcorum autem esse videntur, quia Græcis literis inscripta: licet etiam quædam Latinis, videlicet quæ Latinorum sunt. Viciniores Thermis facti, superbas structuras antiqui operis conspeximus, in quarum vna *Iulio* legebamus, in alia *Magistratus.* Brachium illud quod ex murorum ambitu in longum produci diximus, secundum urbem dumtaxat sequuti sumus: ad viginti tamen passuum millia extendi, nostri itineris duces affirmabant. Vt ut sit, præclarum quidpiam est, & propugnaculum aliquod fuisse adversus continentem credimus. Versus Idam montem, qui binis solùm tribúsve milliaribus à Troia abest, procurrere, atque ad sinum Sateliæ pervenire referebant. Verum quidem est, continuam haud esse ejus altitudinem, sed quarta milliaris à Troia parte disiectum perruptumque conspici: inde tamen eandem quam apud Troiam habet altitudinem obtinere aiunt. Thermæ porrò tres aquæ salsæ scaturigines habent, è quibus sal excoqui posset, quemadmodum ex aliis salsis scaturiginibus. Quod facilè ex eorum rivulis deprehenditur, quos solis calor æstate sale concretos reddit. De his intellexit Plinius libro 31. cap. 6. cùm ait Larissa, Troade: nam locus ubi illæ sunt, Larissa appellatur. Veteres fornices ex arenato & latere constructæ adhuc istic restant: sed in earum unâ non lavantur; quoniam murus collapsus fontem obstruxit: leve tamen & temporarium tugurium exædificatum est apud scaturiginem alteram ubi lavantur. Fornices autem illæ non adeò magnificè exstructæ sunt, ut ad calidas aquas Tauri montis.

[a] *Eiusmodi etiam melones Hispania profert,* Melones de ynvierno *appellatos, quos in totius anni usum adservant è laquearibus ædium suspensos: sunt verò ii optimi saporis, nec æstivis minus suaves; nam periculum non semel feci, cum Madritii & Compluti, tum aliis locis.*

[b] *Vtraque inscriptio parum integrâ fide excepta videtur.*

[c] *Male argumentatur Bellonius: nam istic Aristoteles non dicit, inveniri non potuisse: sed Scamandri aquam flavo etiam colore oves tingere, eam ob causam Xanthum pro Scamandro, &c.*

Insula Lesbos, & Promontorium Sygæum.

Cap. VII.

Vt porrò nostram navigationem prosequamur: cùm è regione Promontorii Cavo Santa Maria nuncupati, olim Iarganum dicti, essemus; rudera vidimus veteris arcis, quam Achillis fuisse suspicamur: nam ingens terræ tumulus instar collis cujusdam adhuc est, Achillis forsitan sepulchrum à Lesbiis constructum. Nos eo die longiùs progressi non sumus ab arcium angustiis, quàm donec insulam Lesbon in conspectu haberemus; lento enim vento ferebamur. Subsequens etiam nox quieta fuit. Altero die nostra navis adhuc hæsit è regione arcis urbis Metelin totius insulæ Lesbi primariæ, à qua insula denominata est. Ejus incolæ Turcæ sunt: sed qui rura inhabitant, eaque & vineta colunt, ferè omnes Græci. Lesbium vinum ceteris præfertur Constantinopoli, idque magna ex parte helvolum est. Vt verò saturatioris coloris reddant, ex Iudæorum doctrina ebuli baccas admiscere norunt. Alia vini genera quæ ex Chio & Cycladibus insulis Constantinopolim invehũtur, vilioris precii sunt quàm Lesbium, quòd etiam gustu ab aliis discerni potest. Lesbos Phrygiæ opposita est, validos & robustos alens equos, licet humiles.

Multi iſtic fiunt caſei,atque optimum frumentum naſcitur. ex quo materia duorum generum abundè paratur, quâ in pultibus ſuis Turcæ utuntur,Trachana & Bouhourt,*olim Crimnon & Maza appellata, magni apud Turcas uſus cum pacis tum belli tempore: quemadmodum in Romanis exercitibus Mazæ. Eo die longè non ſumus progreſſi: ſed hæſimus inter Chion & Tenedon, è regione ejus ſcopuli, qui ob capræ ſimilitudinem, quam procul intuentibus repræſentat, univerſo huic mari Ægæi nomen dedit: αἴξ enim Græcis Capram ſignificat.

Tertio die thracias ventus nobis ſecundus eſſe cœpit:ſed quia lenis, Lesbi inſulæ,quam ad ſiniſtram relinquebamus, littus duntaxat legebamus: ejus caſtellum è longinquo proſpici potuit, tum quoniam recens dealbatum, tum quòd in edito: in inſulæ occidentali parte ſitum eſt, [a]Tenedo inſulæ adverſum, veteri more fabricatum; eamque ob cauſam infirmum. Urbs portum habet elegantem & amplum, qui tutam omnibus navium generibus ſtationem præbet. Is ventus toto die nobis ſecundus fuit: & longiùs à Lesbo progreſſis apparuit Pſara ſive Pſyra inſula, quam ad dextram reliquimus. Exigua ea inſula, Promontorio Phanææ vicina, quæ onagros ſive aſinos feros alit, ab his qui in campeſtribus Aſſyriæ aluntur diverſos, & alium aërem non ferentes; nam aliò tranſvecti pereunt. Promontorio Maſtichi, veteribus Phanæa nuncupato, deſinente nobis apparere, idem ventus ſub veſperam paulo vehementior factus, ſub noctis crepuſculum non procul à Chio nos impulit. Per fretum vecti inter Chion & Magneſiæ cuneum, illi adeò vicini facti ſumus, ut facilè lapidem è noſtrâ navi in continentem conjicere liceret. Ea verò Magneſia, non eſt quæ in Theſſaliâ Mæandro amne alluitur, quindecim milliaribus ab Epheſo diſtans: ſed Chio vicina, nobiſque ad ſiniſtram ſita, Chios autem ad dextram. Præcelſum Chij montem nomine Pellenæum infra nos reliquimus, pervenimuſque Chion, in cujus canali noctu hæſimus, diem exſpectantes.

* *De Bouhourt & Trehan, quaque ratione paretur, vide RaWwolfii Itinerarium lib. 1. cap 8. ſub finem.*

[a] *Bellonius hallucinari videtur hoc loco: cùm Lesbi occidentalis pars, Tenedo, ad eius Septentrionem ſpectanti, adverſa eſſe non poſſit, ſecundum geographicas tabulas.*

Brevis deſcriptio eorum quæ in inſula & urbe Chio obſervavimus: ſolaque in ea Inſula Maſtichen inveniri.

CAP. VIII.

Ex ſuperiùs enumeratis diebus liquet, bidui duntaxat navigatione opus eſſe, ex Helleſponti freto in Chion inſulam, ſecundo vento aſpirante, quandoquidem tertio die nos eò appulimus. Simul atque illuxiſſet, ex nave deſcendimus, urbis conſpiciendæ gratiâ; quæ exigua eſt, & in littore maris ſita ad montis radices, Orienti expoſita & Natoliam ſpectans. Turcico Imperatori tributaria eſt,eique in ſingulos annos duodena aureorum ducatorum millia pendit, ut ſuas immunitates conſervet. Anguſtum habet portum,ſed ſatis commodum triremibus, aliiſque generibus navium minorum,& lembis. Majores naves anchoras in ipſo canali figere ſolent, nec portum ingrediuntur. Sola inſula Chios inter reliquas Maſtichen generat, tametſi Galenus lib. 2. ad Glauconem, Ægyptiacam maſtichen commendet: hoc autem tempore ſcimus in ſola Chio reperiri, ubi Lentiſci arbores tali diligentia & cura excoluntur, ut non minores in eam rem ſumtus fiant, quàm apud nos in vinetorum cultura. Cùm verò potiores incolarum hujus inſulæ opes in Maſtiche conſiſtant: eam ob cauſam in Lentiſci arboribus curandis majorem adhibent diligentiam. Quemadmodum enim Oleæ & fructiferæ aliæ arbores curam & culturam expetunt: ſic Lentiſci, niſi neceſſaria cura adhiberetur, exiguum gummi proventum darent. Lentiſci per Galliam Narbonenſem, Provinciam & Italiam naſcentes, iis quæ in Chio creſcunt ſunt ſimiles; nullam tamen Maſtichen præbent. Eruitur ex ea inſula peculiare genus terræ virentis, æruginis æris colorem admodum referens, quam in Turcæ dominio terram Chiam nuncupant: attamen veterum terra Chia non eſt,ſed Vitruvii Theodotion. Chii humanitate reliquos mortales ſuperant: nec alium locum ſcimus, in quo ſuavior vitæ ratio haberi queat, noſtro iudicio, & feminæ elegantioribus moribus & forma ſint præditæ, celebratæ olim pulchritudinis adhuc amplum teſtimonium præbentes. Ut enim quædam nympha hujus inſulæ ob inſignem candorem vocata eſt Chione à vocabulo Græco χιὼν quod nivem ſignificat: ſic inſula ab eadem nympha χίος vocata eſt. Sed & viri in ea inſula admodū humani ſunt: licet autem Græca ſit inſula, magnâ tamen ex parte Franko more, hoc eſt, Latino vivitur. Plurimi incolarum, Græci cùm ſint, Græca vivendi

 conſue-

consuetudine uti malunt, cuilibet tamen eam vivendi rationem deligere permissum, quæ magis arridet. Utriusque religionis observatio plurimum differt. Nam qui veri sunt Græci, si quem è suis in Quadragesima piscibus sanguine præditis vesci videant (similium enim piscium usus tali tempore iis interdictus) plurimum offenduntur. Quid illud est (inquient) an non Romeos es? quasi dicerent, Nónne tu Græcus es? (nam qui Græcam religionem sectantur, Romei appellantur: qui verò Latinam, hoc est, Pontificem Romanum agnoscunt, Franki) adeò suæ religionis observantes sunt. Chii autem cùm partim Genuenses & Itali, partim Græci, & Turcæ tributarii sint, in solitâ libertate vivunt, quam illis Turca conservat. Ante quàm hæc insula in ejus potestatem veniret, Genuensibus omnino parebat. At ab ipso occupata, Genuensibus non adeò subjecta est, quin administrationem Reipublicæ pro sua voluntate gubernet, haudquaquam ex Genuensium arbitrio: quemadmodum & Respublica Epidaurica, quæ similiter Turcæ tributaria est. Insulani partim lingua Græca, partim corrupta Italica, qualis est Genuensis, utuntur: Vestium autem forma & victus ratio Genuensium est. Mastiches proventus in ea insula tantus est, ut singulis annis Turcico Imperatori pro quaternis vel quinis millibus ducatorum pendant in deductionem ejus summæ quam illi tributi nomine dare debent: & singulas centenas libras centenis quinis ducatis æstimant. Quidquid ejus superest, sibi reservant. Galli mercatores Mastiches precium idem perpetuò esse considerantes, existimant atque etiam referunt incolas, collecta ejus certa quantitate, reliquam abiicere. Sed falluntur: nam, uti diximus, magnæ impensæ in Lentisci fruticibus colendis & curandis faciendæ. Quia verò Turcico Imperatori singulis annis pro quatuor aut plurium millium ducatorum æstimatione pendunt, ejus precium vel augere vel imminuere non licet.

Cessante Austro, qui nobis aliquamdiu adversus fuerat, vela expandimus, atque thracia satis secundo versus Alexandriam navigavimus. Prima è longinquo conspectui nostro sese obtulit insula Icaria, nunc Nicaria appellata, quam ad dextram reliquimus. * Exigua est insula, Reipub. Chiæ subdita, minimè lata, sed in longitudinem protensa, non admodum celsis montibus prædita, atque raris silvis, sed frumento, & optimis ad alendas oves pascuis abundat, è quibus ingentem caseorum numerum colligunt. Tutos portus habet hæc insula: atque nisi piratæ huic (quemadmodum & plurimis aliis parvis & desertis insulis) negotium facesserent, longè meliùs coleretur. Nam vilis etiam quivis pirata cò appellens, in incolas impetum facit, comprehensos in triremem coniicit, & vi abducit. Paulo pòst, procul admodum intuentibus Samos apparuit, quoniam præaltos montes habet. Deinde longiùs progressi, Ion inter Icariam & Naxon vidimus, in qua Homerum sepultum ferunt.

** Quæ hoc loco de Samo insula in Gallico exemplari inspersa fuêre, sustuli, atque sub capitis finem reposui: alioqui non constabat sibi Bellonius. Sed & Ion insulam malè collocare videtur inter Icariam & Naxon, si topographica tabula veræ sunt, quæ Ion longè infra Naxon reponunt.*

Samos Insula.

CAP. IX.

TAMETSI insula Samos ampla sit, utpote quæ quingenta & octoginta octo passuum millia in ambitu habeat: deserta tamen est. Mirum autem eam ita negligi; cùm olim adeò celebrata potensque fuerit, ut cum Atheniensibus decertare auderet: piratarum metus eam adeò desertam reddit, ut ne pagus quidem unicus supersit, cujus rei causâ nulla pecora in eâ aluntur. Orbicularis potiùs est, quàm longa aut in latum extensa, & solo canali sive angustiis ab Asiæ continenti separata. Insulæ pars Septentrioni & Occidenti objecta, celsissimum præruptumque & scopulosum habet montem, qui olim Cercetius dictus fuit: cujus scopuli penè inaccessibiles. Nauta Græcus in nostrâ navi vectus, qui eam insulam perlustraverat, multos istic conspexisse rivos referebat: nos enim (tametsi proxima nobis esset) è navi duntaxat conspeximus. Præaltarum arborum nemoribus abundat, è quibus brevi temporis spatio piratæ naves sibi fabricare possunt, ad prædas in mari agendum.

Disceptatio de piratis; eorúmque definitio.

Cap. x.

QVONIAM quid sibi hoc vocabulum Pirata velit, Mediterraneæ regiones non satis intelligunt, atque in ipsorum potestate fuimus; quid Pirata sit, edocere volumus. Vt id porrò paucis demonstremus, quomodo sese sustentare queat, atque unde originem sumat; imaginandum est, tres aut quatuor viros navigandi peritos, atque audaces, fortunæ sese exponere; qui cùm initio egeni sint, unicamque nauiculam prædatoriam aut vilem dromadem habeant, pyxide tamen navigatoria sive quadrante quod Bussolo vocant, præditos esse, atque bellico apparatu, videlicet levibus quibusdam armis ad eminus feriendum. Pro sua alimonia saccum farinâ plenum vehunt, atque nonnihil panis biscocti, utrem olei, mel, aliquot alliorum & ceparum simul colligatorum fasciculos, & salis modicum; quæ in menstruum spacium sufficiant. Rebus ita comparatis, mari sese exponunt, eò navem dirigentes ubi quæstum facere sperant. Si ventus adversus terram petere eos cogit, naviculam in continentem subducunt, eamque arborum ramis tegunt: tum ligna securibus cædentes ignem struunt, placentamque ex farina conficientes, eâdem ratione coquunt, qua olim Romani milites in bello solebant, æream aut ferream laminam gestantes, quâ binis lapidibus impositâ, ignem substruebant, sed supra extensa priùs placentâ, quæ, ignis ardore incalescente laminâ, percoquebatur. Cùm igitur ita parata omnia habeant, fieri non potest, quin uno aut altero mense opimam aliquam prædam nanciscantur. Quam si favente fortunâ adepti sint, brevi opulenti fiunt. Vt ut sit, nulla adeò exigua præda illis obtingere potest, quæ ad majora illos aspirare non faciat. Quia verò hæc pestis adeò contagiosa est, ut uno die ex Asia in Africam transvolet; nemo est qui non magnoperè eam metuat, sibique, quantum possit, ab illâ caveat. Id malum publicum, continentis incolas cogit ipsos in mari observare eâ quâ dicemus ratione. Nulla sunt in insulis, sive in continentis littore, montium iuga, in quibus interdiu non constituantur excubitores, qui observent an aliquos piratas in mari navigantes conspiciant. Quòd si navem aliquam viderint, facilè discernent sitne piratæ alicujus, necne: nam tam dextrè dissimulare non poterunt, quin suspectos sese reddant. Semper enim latibula quæritant, hinc inde observantes, ut aliquem inopinatum opprimant. Si excubiæ ejusmodi naves in mari conspexerint, subitò ignem accendunt; qui quoniam interdiu conspici non posset, de industria materiam aliquam præparatam habent, quæ ingentem fumum excitet. Si plures naves conspexerint, variis locis fumum excitabunt: nam multi fumi plures naves conspectas esse indicant. His signis omnes vicinorum portuum incolæ admonentur ut sibi caveant. Reliquæ quæ in aliis montium iugis sunt excubiæ, priorum exemplum sequuntur, tametsi nihil aliud quàm fumos viderint. Sub noctis verò crepusculũ, luculentum ignem excitãt, qui ab omnibus conspici queat. Nam ea nautarum est consuetudo, ut tum omnes ad loca ubi collocatæ sunt excubiæ, oculos convertant, scientes excubias singulis noctibus lucidum ignem excitare, in securitatis indicium: idq. appellant, littus marinũ atque ipsum etiam mare nitidum & purum esse; ut contrà cùm multi ignes conspiciuntur, maritimam oram nebulosam esse. Quòd si speculator binos ignes excitârit, duas hostium naves conspectas esse indicium est: idem fit de tribus, quatuor, aut pluribus. Quòd si tot ignes excitârit ut eorum numerus iniri nequeat, indicium est plures eum cõspexisse naves, quàm numerare valuerit. Illud ignis indicium omnibus locis tam in pace quàm in bello obseruatur: eaque certe res inter ceteras Reipublicæ maximè utilis est. Nam unius duntaxat speculæ exploratore opus, ad universam provinciam commonefaciendam. Speculatoribus enim sibi invicem respondentibus, is qui procul abest, non minùs admonet eum qui longiore adhuc intervallo distat, quàm si ipsemet vidisset: idque unicâ eiusdem diei horâ, ad plura quàm centum quinquaginta milliaria. Non est recens inventum. Herodotus enim refert, Scyri incolas admonere potuisse Græcos plusquam triginta milliaribus inde distantes, de tribus triremibus quas illis Xerxes ademerat. Similis ignium ratio non minus in Anglia observatur, præsertim belli tempore, quàm in maris Ægæi insulis. Nam ad unicum ignis signum in proximo monte editum, minus trium horarum spacio omnes vicinæ regionis incolæ cum armis congregantur; cumque singulæ tribus sciant quò illis proficiscendum sit ad hostes reprimendos, eos à suis littoribus arcentes, descendere non patiuntur. Hæc cùm piratæ non ignorent; eam ob causam noctu plerumque navigant, atque ad littus appellunt loco iis maximè opportuno, ut suum myoparonem in littus pertractum ramis tegere queant. Interea ocium habent insidiandi iis qui è pagis adveniunt, sive pascendi pecoris, sive aquandi, sive quidpiam aliud agendi gratia; comprehensis illicò compedes iniiciunt, ut iis remigibus

 utantur.

utantur. Si industrii fuerint, & bimestri solummodo spacio piraticam exercuerint, segnes admodum fuisse necesse est, nisi duodena mancipia nacti fuerint: quorum numerum ea ratione augendo, paulatim majores naves sibi comparant, donec triremis alicujus fiant domini. Quod si forte fortuna binæ Piratarum turmæ simul societatem ineant: tum liberiùs grassantur: non minùs enim hostes sunt sanguine junctorum quàm quorumlibet exterorum, nulli prorsus parcentes. Bini duntaxat piratæ impetum facere audebunt in Squirasse, Marciliane, Luc, & ejus generis minuta navigia. At onerariam navem adgredi non audebunt, modò aliquot tormentis bellicis prædita sit. Hac igitur ratione piratæ in mari grassantur, sensimque potentiores facti, omnibus insulanis sunt formidini, adeò ut miseri rustici perpetuò in majore metu versentur, quàm avicula cui auceps insidiatur: nam dum quispiam maximè securum se putat, ab illis opprimitur, imò ipsi etiam piscatores. Atque ut hujus rei exemplum adferamus: Cùm in Paxo, olim Ericusa dicta, insula essemus, non procul à Corcyra, & cum itineris duce stirpes aliquas perquirerem, piratæ eam navem quæ nos eò advexerat, cum ipsis nautis abduxerunt. Item alio tempore magna navis oneraria Veneta Priola appellata, in portu cujusdam insulæ maris Ægæi fixerat anchoras, cui nomen Zia, olim verò Cia, commodum ventum exspectans ut Constantinopolim proficisceretur: lembus quidam ex Andri insulæ portu solvens, secundo vento in nostrum portum delatus est, quo admodum serò pervenit. Hunc piratarum lembus persequens in portum simul ingressus fuisset, nisi piratæ nostram istic navem conspexissent: eam ob causam in alium portum, qui post insulam erat, sese subduxerunt, tenebris iam obortis. Sed postridie ante lucem piratæ octo numero inter arundines sese abdiderunt, auroram exspectantes, & lembum qui in littore erat, occupare sperantes, quem vi cum his qui inerant abducerent. Idque sine dubio præstitissent, nisi auxilium tulissemus. Simulatque verò qui in lembo erant, sese oppressos à piratis animadverterunt, robustiores viri in mare insilierunt, ut natando saluti suæ consulerent: at reliqui cum feminis & paruulis qui in lembo remanserant, in piratarum potestatem venerunt. Adeò temerarii erant hi piratæ, ut in nostro, qui multi eramus, conspectu, miseros captos è portu abducere vellent. At noster nauclerus tormentum bellicum in illos explosit; & sclopetariis per navis foros dispositis, aliud tormentum in ipsos emisit, ut captum lembum deserere & ad suos redire cogerentur. Sed & cùm è portu egredi voluissent, proximè nostram navem illos navigare necesse fuisset. Miseri isti qui ex Andro solverant, haud dubiè Turcis venditi fuissent, nisi opem illis tulissemus. Nunquam Turcæ eos iugulant quos in mari, sive in continenti capiunt, sed vendunt. Formosa & iuvencula mulier octoginta aut centum ducatis, vetula triginta aut quadraginta, puer aliquis benè habito corpore, quadraginta aut quinquaginta ducatis æstimabitur, vir autem robustus & quadratus sexaginta. Hæc causa est cur naves semper armis bellicis instructæ navigent: & cur illæ quæ armis carent, perpetuo in metu versentur. Sed hæc satis de piratis: nunc ad nostram navigationem revertamur.

Aquilo nobis secundus, tota ea nocte constans fuit, ut Samon insulam ad sinistram relinquentes, per angustias quæ inter Samon & Icariam sunt, navigaremus. Alto adhuc sole apud binos illos parvos scopulos fornaces nominatos transivimus nautis omnibus adeò celebratos, quoniam periculi plena est secundum eos navigatio: appellationem vulgarem sumpserunt à Græcis, quibus olim ἰπνοὶ, hoc est, furni dicti sunt: licet veteres hos non intellexerint, sed alios ad ostia Penæi amnis apud Thessaliam. Hi sunt admodum metuendi, præsertim noctu istac navigantibus. Marina tabula eos fornacum nomine indigetat. Quoniam verò nobis istâc iter faciendum erat, vel aliâs magno ambitu mare navigandum; plurimum metuebamus: nam sæpenumero contingit, naves tempestate istic perire: transivimus deinde apud aliam insulam appellatam Gaideroniso, hoc est, Asinorum insulam: sed neglectam, quia deserta est.

Patmos Insula.

CAP. XI.

PATMON insulam (in qua Divus Ioannes Evangelista relegatus fuit, & Apocalypsin scripsit) ad sinistram reliquimus, cujus montes adeò celsi, ut procul etiam conspicui sint. Vulgò Palmosa nuncupatur; à Christianis Græcis incolitur, & longè infra Icariam sita est. Ejus incolæ in omni libertate Christianâ secundum Græcorum consuetudinem vivunt, quemadmodum & reliquæ Græcorum insulæ Turcico Imperatori tributariæ. Magistratus tamen & urbium Præfecti magna ex parte Turcæ sunt. Patmi portus satis capax est pro myoparonibus, triremibus, & minoribus navigiis. Universa insula tritici

ferax

ferax eſt,& omni leguminum genere abundat: in eâ eſt monaſterium Caloierorum Græcorum,in quo cadaveris manus oſtenditur,cui ungues creſcunt,ut in viventis hominis manu; & tametſi reſecentur, poſt aliquod tempus denuò ſuccreſcunt. Unde Turcæ occaſionem ſumſerunt dicendi manum eſſe cujuſdam ex ipſorum prophetis. At Græci Divi Ioannis manum eſſe aſſerunt,qua iſtîc Apocalypſim exaravit. Aquilone perſeverante,ad dextram Lipſon inſulam vidimus procul in mari diſſitam,parvam eam & deſertam : paulo pòſt inſulam Pharmaco, veteribus Pharmacuſa nominatam , omnino etiam deſertam ſuperavimus. Apud hanc inſulam olim Cæſar à piratis captus, Rhodon proficiſcens, Apollonij Molonis audiendi cauſa. Pharmacuſa ſuperata,in inſulam pervenimus olim Ireon [Leria *Sophiani tabula habet*] dictam, nunc Lero, rectè objectam Aſiæ continentis cuneo longè in mare protenſo, quem marina tabula Cortolo appellat. Veteres iſtîc arces conſpiciuntur collibus impoſitæ. Leriæ montes Samiis longè celſiores ; probè autem exculta eſt ea inſula cùm à Turcis tùm à Chriſtianis Græcæ religionis. Longiùs progreſſi, in aliam magnam inſulam pervenimus Calimno nuncupatam,à Græcis Chriſtianis habitatam:inde in aliam nomine Pſermo, in quâ bina aut terna ſunt oppida, & multi pagi, Græcorum Chriſtianorum induſtriâ & labore exculti. Urbem ad ſiniſtram habebamus Leſmirne appellatam, unam ex opulentiſſimis, & maximè mercurialibus totius Anatoliæ ſive Aſiæ minoris, quæ veteribus Smyrna * dicta fuit. E regione Patmi inſulæ ſuperandus nobis fuit cuneus Anatoliæ, longè in mare prominens, quem marina tabula Capo roſſo, veteres Erythram dixerunt, hoc eſt, Promontorium rubrum. Magnâ difficultate eum ſuperavimus: nam nebuloſus erat aër, & intempeſta nox. Ventus etiam adverſus nos detinuit, ſic ut dimidiato velo in latus obliquè verſo uteremur: Thracias is erat, adeò vehemens, ut mare mirum in modum concitaret & turbaret. Poſtridie manè canalem Co inſulæ ingredi cœpimus, apud continentem qui Halicarnaſſi nomen habet ; is quinque ſolum milliaribus in latitudinem patet. Mare inter Samon & Con tam multis parvis inſulis abundat, ut eas vix numerare liceat: omnes veteribus Sporades ſunt dictæ.

** Si topographicæ Caſtaldi & Sophiani Græciæ tabulæ veræ ſunt ; Bellonium non toto (quod aiunt) cælo, ſed toto mari errare neceſſe eſt, aut ſuam navigationem confuſo admodum ordine deſcribere. Nam qui fieri poteſt ut in Patmi inſulæ conſpectu ſit promontorium Erythræ, atque ad Pſerma ſiniſtram Smyrna, quæ in Ioniâ apud Clazomenas ad Sinum quendam in tabulis reponuntur ? Sed id ego Lectoris iudicio relinquo.*

Cos inſula, Hippocratis patria.

CAP. XII.

CVM jam illuxiſſet, canalis bonam partem emenſi, univerſam inſulam Con apertè conſpicere poteramus , Hippocratis patriam ; Turcæ Stancou nominant. Ejus montes nobis celſiores videbantur quàm reliquarum inſularum antè conſpectarum: nam Cretæ montibus inferiores non apparebant. Ipſa urbs Cos à ſolis Turcis habitatur, & in univerſa inſula duo duntaxat ſunt pagi à Græcis habitati : urbs & arx etiam Stancou appellantur. Hæc in edito ſita,turres orbiculares habet majores arcibus Lesbi & Tenedi: illa autem humili loco ſub arce ad maris littus. Inſula animantibus abundat,longiorque eſt quàm lata: illius oram diu legimus, ſecundo vento delati,omnibus velis expanſis (nam tempeſtas jam deſierat) & additamentis etiam adhibitis. Eâ porrò ad dextram relictâ Rhodium mare ingreſſi ſumus. Cùm procul ab urbe Rhodo adhuc abeſſemus, illam ſupra collem exiguum, in mare protenſum, ſitam conſpeximus : quia verò præaltas habet turres, & pharos in quibus lumen reponitur, cujus conſpectu naves dirigantur, ne à portu aberrent, procul nobis apparuit. Viciniores facti,comperimus veterem, quam referunt fuiſſe urbem , colliculo rotundo impoſitam ad littus maris, binis milliaribus diſtare ab hodierna urbe : aiuntque iſtîc cœnobium fuiſſe equitum Rhodiorum : præter ſplendida ædificia,munitum eſſe locum, qui etiam diligenter à Turcis adſervatur. Tandem ante inſulam appellentes, anchoris jactis è navibus deſcendimus, atque urbem perluſtratum ivimus.

Singularia quædam Rhodi obſervata.

CAPVT XIII.

VRBS Rhodus partim in declivi collis molliter deſcendentis ſita eſt ; altera pars littus occupat. Maxima eorum qui pagos totius inſulæ incolunt pars, Græci ſunt: his urbem interdiu ingredi ad operas faciendas & annonam comportandam, atque in

ea toto die commorari licet: at ut nocte istic hæreant, non concedunt Turcæ, ob seditionis atque proditionis metum. Inferre tamen ideò nolumus, quin noctu Christiani aliqui istic permaneant: nam pleraque eorum mancipia Christiani sunt. Senatus item Venetus istic negotiorum Procuratorem, sive, ut vocant, Factorem, qui noctem in urbe ducit, alunt, tametsi omnes ejus famuli Christiani sint. Turcarum Imperator perpetuò quinque triremes bene instructas habet, quarum Præfecti cura est, liberum reddere mare ab incursionibus piratarum in Cyclades & Sporades insulas, aliaque Græciæ loca Turcico dominio subjecta: tum etiam ut Mediterraneum mare sibi subjectum habeat, atque reliquam Græciam tutam præstet. Nam plerumque cum suis triremibus excurrit: & si quem piratam in mari vagari intelligat, eum persequi non cessat, donec inveniat. Omnia equitum Rhodiorum cùm Gallorum tum aliarum nationum ædificia integra adhuc permanent. Turcæ enim nulla insignia, nullas picturas, sculpturas, aut inscriptiones quas istic invenerunt, abstulerunt: nam & hodie plurimas inscriptiones Gallicas & Italicas legere licet. Asserimus insuper Turcas hanc consuetudinem perpetuò observasse, ut omnes arces & propugnacula occupata, qualia invenerunt conservarent; nihil enim unquam structurarum aut sculpturarum diruunt. Postridie urbe egressi, vicinos quosdam pagos adiimus, sacris Caloierorum Græcorum interfuimus, & eorum hortos perlustravimus, punicorum, aureorumque malorum, zyzipharum & sebesten, cujus fructu viscum conficiunt, arboribus, quibus abundant, probè instructos: aderant etiam ficus, amygdalæ & oleæ. Pagorum Rhodi incolæ Græcam religionem observant, & rerum propria nomina habentium vocabula adhuc retinent. Nocturnæ Turcarum excubiæ cùm Rhodi, tum aliis Turcæ dominio subjectis arcibus † alta voce fiunt (non campanarum sonitu, ut in Italiæ urbibus & Epidauri) respondentibus sibi invicem excubitoribus. Rhodi mœnia in eodem adhuc statu permanent quo fuerunt cùm urbs Equitibus adempta fuit: nec quidquam ab eo tempore immutatum. Istic inveniuntur venales elegantes & variis coloribus acu pictæ merces, præsertim verò lectorum tentoria, sericeis staminibus crucis in formam decussatim consuta. Ipsa pictura frondes repræsentat, differtque à Turcica, Chia & Cypria.


† Qui mos apud Vngaros etiam observatur.

Onocrotalus avis, Jaculus serpens: Turcicorum militum modestia.

CAPUT XIV.

ISTIC Onocrotalum cicurem vidimus per urbem deambulantem; cujus magnitudinem, Cygno minorē esse deprehendimus. Omnino albus est, & Ansere longè crassior. Crura & pedes, Cygni pedibus similes, crassiore cute præditi, coloris cinerei. Excitata est avis, capite sublimi & elato, rostro lato & canaliculato, per extremū mucronato & unco, plumarum cristam in occipite gerens, ut Vannellus sive Aëx, & in volatu Cygnorum more alas verberans. Victum quæritat cùm in salsis tum in dulcibus aquis. In eo quem de avibus conscripsimus libro, hunc Pellicanum esse demonstrabimus, de quo brevitatis causâ plura nunc non dicemus. Inter hujus Insulæ singularia, serpentem Iaculum, (parvis maculis oculorum instar in dorso varium, iis quibus Torpedo in dorso prædita est similibus) extra urbem sub spinosa cappari reperimus, quo loco Turca sua tormenta collocarat dum Rhodum obsideret. Græci nunc vulgari voce *Saetta*, hoc est, Sagittam; Turcæ *Ochilanne* appellant, veteres Aconciam dixère. Trium palmorum longitudinem habet, & minoris digiti crassitudinem non superat: color ejus cinereus ad lacteum tendens, venter prorsus candidus, squamas in dorso, tabellas sub ventre habens, reliquorum more. à cervice nigra binæ albæ lineæ per dorsi longitudinem usque ad caudam excurrunt. Maculæ quibus aspersa, lenticulâ majores non sunt, coloris nigri, albo orbe cinctæ. Nos aliàs ejus anatomen describemus, cùm peculiarem de omnibus serpentibus sermonem instituemus. Ejus tamen effigiem ad viuum expressam nacti, eam hoc loco inserere libuit.

Iaculus.



Vidimus præterea myoparonem, Styrace rubra, quam Græci hujus seculi *Maurocapno* appellant, onustam, in portus littore exonerari. Nobisque relatum est, in ipsa insula nasci: sed quoniam iis qui navigationem instituunt, longiùs à suis navibus progredi non licet, evagari non potuimus ut ejus arborem observaremus: nam cùm nautæ commodum tempus habent, nullius gratiâ navigationem retardare solent. Ex quo inferre volumus, illos qui in triremibus aut aliis navigiis peregrinationem instituunt, pauca in continente observare posse; quoniam perpetuò navem qua vehūtur, præstolari necesse est.

Diligen-

Diligentiùs obſervantes Turcas milites qui ad Rhodi urbis portas excubant, occaſionem ſumpſimus ſcribendi quàm ingens ſit Turcarum militum continentia & obedientia: nam licet viginti aut triginta viri diligenter portas obſervarent, id tanto ſilentio & modeſtiâ faciebant, ut non plus turbæ exaudiretur, quàm ſi nemo iſtîc adfuiſſet, videbanturque potius opifices aliqui quàm milites, nihilominus ſenatoriam quandam gravitatem præ ſe ferentes. In omnibus ſanè actionibus adeò modeſti erant, ut nemo eorum arma, imo ne acinacem quidem haberet. Binæ duntaxat nunc Rhodi patent portæ, una portum ſpectans, altera continentem; deinde janua ad Præfecti olim ordinis hortum. Ruſtici capreolos, caſeos, butyrum, aliamque annonam in urbem inferentes, eodem quo Cretenſes ruſtici modo amicti ſunt, fuſcam & corrugatam faciem habentes, prolixamque & ad ſcapulas uſque propenſam comam geſtantes, atque craſſo duplicique pileo caput tegentes. Thoracem coriaceum ſine manicis, lineam interulam anteriore & poſteriore parte propendentem induti, coriaceaſque oblongas ocreas, quas thoraci ligulis adnectunt, & ſupra interulam lineas braccas inducunt. Qui eos antea non conſpexiſſet, larvatos eſſe homines cenſeret iis omnino ſimiles qui mimos ſive matacinos Romæ & Venetiis in Bacchanalibus agunt: nam ſimili modo compti ſunt. Turcæ eorum merces præſenti pecunia & bona fide redimere ſolent. Ex ruderibus urbi proximis, facilè colligere licet, magna olim iſtîc fuiſſe ſuburbia, quæ omnino diruta fuêre cùm Turca Rhodum obſideret, nec poſtea reſtituta. vicini tamen urbi ſunt aliqui pagi, non longiùs à portis diſtantes quàm ad baliſtæ iactum, quos Græci & Turcæ incolunt; ibique Caloieri monaſterium habent.

Profectio è Rhodo in Alexandriam.

CAPVT XV.

ALIQVOT diebus Rhodi exactis, & expeditis negotiis noſtram navigationem proſequuti ſumus aquilone flante, navemque in alterum latus impellente; ſuperandum enim nobis erat promontorium quod Cavo del Bo vulgò dicitur, longè ſupra Rhodum urbem. Eò primùm appulerunt Turcicæ triremes, cùm continente occupato urbem obſederunt. Superato promontorio, & Aquilone ſecundo, omnia vela expandimus, additis etiam appendicibus, & proram verſus Alexandriam direximus, ut rectà noſtrum curſum teneremus. Id Itali Gallico velo navigare appellant: videnturque hanc differentiam feciſſe reſpectu Latini veli quod triangulum eſt, cùm Gallicum quadrangulum ſit: tum etiam quod Bourdon nuncupatum vulgò, Latinum velum nominetur. Perſeverante tota nocte hoc vento, ſub ſolis exortum eò progreſſi eramus, ut inſula amplius non conſpiceretur; ſed ipſa meridie deſeruit nos ventus, & maris tranquillitas atque malacia ſubſecuta eſt: vbinam autem locorum eſſemus, cognoſcere cupientes, ex marina tabula deprehendimus dimidium iter nos confeciſſe: nam vento ſecundo navigationem à Rhodo in Alexandriam minus triduo totidemque noctibus abſolvere licet. Quando malacia pleno æquore navem occupat, non magis agitatur quàm ſi in portu eſſet. Tum ſinguli nautæ colludunt inter ſe, piſcantur, natandi & lavandi gratia, ſeſe in mare abiiciunt, nec, ſub aquam merſi, ab uno navis latere in aliud tranſire verentur. Tum plerumque piratas metuere ſolent: nam in malacia, nulla eſt exigua navis longa, hoc eſt, quæ remis impelli ſolet, quæ in magnâ navi rotundâ navigantibus metum non incutiat. At flante vento, ne minore quidem rotunda vecti, à trireme ſibi metuunt: quia velorum beneficio effugere poſſunt. Euroauſter paulatim flare incipiens, ſub veſperam intendi cœpit, & tandem nimium vehemens fieri, ut omnia vela contrahenda fuerint, dolone excepto, quem ad dimidium uſque malum deprimere, atque funibus validè conſtringere neceſſe fuit. Huic ſucceſſit Auſter, ſive Notus, nobis ſatis ſecundus, qui totâ nocte flavit. At ſub auroram, Aquilone nobis denuò aſpirante, tum demum magnum iter peregimus, ſingulis horis quaterna ad minimum vel quina milliaria conficientes: qua navigatione nulla expeditior eſſe poteſt, niſi tempeſtate navis feratur. Hæc autem ejus navigationis ratio eſt, ut à boſphoro eam rectà inſtituentibus, noſtræ navis puppis Septentrioni obverſa eſſet, & prora Meridiei: nam Conſtantinopoli in Alexandriam rectâ lineâ contendentibus, à Septentrione in Meridiem navigandum eſt. Quoniam porrò in navigationis narratione noſtra oratio adeò progreſſa eſt, ab ea abſtinere commodum non videtur, quin prius de veterum navigatione aliquid dicamus, longè difficiliore & minus commoda quàm hodierna, ut in ſequenti capite apparebit.

Veteres navigationem sine pyxide nautica instituisse, & magnetis usum ignorasse.

CAPUT XVI.

VETERES longè difficiliùs suas navigationes instituebant, quàm nos: nam Orientis vel Occidentis, Septentrionis vel Meridiei conjecturâ eos uti necesse erat: vel ex stellarum & Solis quæ noctu & interdiu illis apparebant fulgore; atque magnâ ex parte non longiùs in mari progrediebantur, quin continentem perpetuò conspicere possent. Nunc autem cùm magnetis facultates omnibus sint perspectæ; navigatio adeò facilis reddita est, ut bini viri cùm levi navicula, omni momento, omnibus periculis, vehementissimisque ventis sese committere, & mare traiicere non vereantur: quod veteres ipsa meridie tentare non fuissent ausi, cùm nauticam pyxidem non haberent cujus acus magneti adfricata esset. Hic lapis alio nomine Heracleus & Sideritis dicitur; Itali Calamita, Galli *Aimant* vocant; in quo diversæ facultates reperiuntur. Comperimus eum qui primus hujus lapidis usum invenerit, Flavium fuisse nuncupatum. At Albertus magnus primus omnium ejus facultates scriptis tradidit: quem cùm suo tempore in usu iam esse animaduerteret, veteribus non ignoratum, at Aristoteli ejus facultates fuisse perspectas credidit. Attamen & ipse Aristoteles, & qui aliquot sæculis eum subsequuti sunt, planè ignoraverunt hunc lapidem talibus facultatibus esse præditum, ut altera ejus pars ferrum ad Septentrionem convertere faciat, altera ad Meridiem. Aristotelem non latuit quidem ferri attrahendi facultatem habere; navigationibus autem utilem esse, prorsus ignoravit. Hujus lapidis Gallicæ appellationis affinitas ansam præbuit nonnullis Chymicis imposturas excogitandi de ipsius efficaciâ in rebus amatoriis, ut etiam polliceri atque persuadere ausi sint, non minus hominum amorem pellicere, quàm ferrum attrahere: sed falluntur, licet ad eam rem candidum magnetem longè præferant, non ignorantes difficiliùs & rariùs inveniri, illo qui ferruginei coloris sit. Huius magnetis ingens copia nunc invenitur in quadam Tyrrheni maris insula Elba, olim Ilva nuncupata, è regione Plombini, quod Florentini juris est, sita, ubi vili emitur. Sed de eo plura in Mahumetis vita.

Duo duntaxat esse magna Nili ostia quæ navigari queant, & majoribus sive onerariis navibus aditum præbeant.

CAPUT XVII.

INTER Rhodum & Alexandriam, Hierax sive Sacer, Falconis genus, volando defatigatus, nostræ navis antennæ insedit, per binas ferè horas. Plurimæ coturnices à Septentrione versus Meridiem tendentes, in nostrâ etiam nave captæ fuêre. Unde certiores redditi fuimus, illas esse peregrinas: nam & antè, alias in vere observaveramus, cùm è Zacyntho insula in Peloponnesum navigaremus. Istîc enim coturnices vidimus à Meridie in Septentrionem tendentes, ut tota æstate illîc commorarentur: harum tum temporis plurimæ etiam captæ fuere, cum aliis avium advenarum generibus, quæ in nostram navem sese conjecerant. Vidimus præterea aliud avis genus, omnibus qui navi vehebantur ignotum: cuculi magnitudo erat, merulæ color quodammodo. Vidimus etiam onocrotalos volantes, atque à Septentrione versus Meridiem tendentes: aves hæ sunt in Gallia aut Italia minimè notæ, nisi quòd interdum in lacu Mantuano conspiciuntur, sed hieme abeunt. Toto eo die & magnâ subsequentis noctis parte nullus flavit ventus. Postridie satis secundo nobis aspirante Aquilone, in locum quendam maris pervenimus, quem Nili aqua per ostium Mendesium sive Damiatæ sese exonerans, alio colore quàm nativo infecerat, vt omnino canescere videretur. Ex quo indicio nautæ intellexerunt sese non procul ab Ægypti continente abesse, tametsi nondum nobis appareret: nam universa regio humilis est, neque montes habet qui è mari conspici queant. Sub vesperam in hanc turbidam aquam pervenimus, remissiore vento: eam ob causam anchoras pleno æquore iecimus ad nonaginta orgyiarum altitudinem. Mauritanorum sive Ægyptiorum Constantinopoli advenientium consuetudo est, quando sub noctem ad turbidam illam aquam adveniunt, atque ignorant suprane an infra Alexandrinum portum, sive Nili ostium longiùs sint progressi, ut anchoras in mari figant, in proximum usque diem, ut eo jam lucido locum dignoscere queant, quo navem in portum sint deducturi. Quòd si altiùs progressos se agnoscant, cum tempore regredi possunt ut portum occupent. Nos istîc nocte traductâ cum

cum tranquillitate maris, anchorisque postridie ex imo mari subductis, vela explicuimus, & ex hac turbida aqua egressi, non diu navigavimus, quin in aliam Nili aquam ex ostio canopico sive heracleotico prolabentem inciderimus. Hæc sunt duo maxima Nili ostia, cujus postremi aqua marinam ex viridi pallescente colore infecerat. Eam cùm per dimidii fortassis milliaris latitudinem emensi essemus, iterum in cæruleam maris aquam pervenimus. Omnium primùm nobis in Ægypto apparuit Rosettæ arx, quæ sesquidiei itinere supra Alexandriam est. Cùm autem pleno æquore veheremur, & observantes quid nostris oculis primùm obiiceretur, nihil aliud quàm Palmas, Sycomoros, & Pompeii præaltam columnam conspeximus, quæ in Promontorio est supra Alexandriam. Cùm enim adeò humilis & montium expers sit regio, procul intuentibus apparere nequit. Nos cùm sub noctem in portum appulissemus, illo die navem non sumus egressi.

Brevis Constantinopolitani in Alexandriam itineris narratio.

CAPVT XVIII.

Ex dierum quibus hanc navigationem absolvimus observatione, cognoscere licet, commodè quindecim dierum spatio navigationem ejusmodi perfici posse, modò prosper, ut nobis, adflet ventus. Atque ut dietim nostrum iter repetamus, nisi Callipoli, in Bosphoro ad Arcium angustias, tum in Chio, tum Rhodi substitissemus, octiduo illud absolvissemus. Nam à Rhodo in Alexandriam tres duntaxat dies & totidem noctes impendimus; è Chio Rhodum, binos solùm dies & binas noctes; & è Constantinopoli Chion duorum dierum & trium noctium spatio perveniri potest. Eâ ratione magnum iter brevi tempore conficitur, vento adflante secundo.


Binæ Alexandriæ urbes, una in Ægypto, altera (quæ Romanorum erat Colonia) in Phrygia.

CAP. XIX.

POSTRIDIE mane navi egressi in urbem Alexandriam profecti sumus. Sed antè quàm de eâ sermonem instituamus, primùm nobis dicendum est, hujus nominis varias esse urbes: sed duas maximè celebres. Etenim latè imperium obtinentibus Romanis, Troia ab iisdem restaurata, & coloniis Romanorum in eam missis, Alexandria nominata est, cujus Plinius meminit, atque etiam Annæus Seneca in morte Claudii Cæsaris: Quæro, inquit, sororem suam stultè studere Athenis dimidium, licet Alexandriæ totum annum: nam tum temporis Latinorum istic erat Academia, eaque est cujus Galenus sæpè meminit, non de Alexandria Ægypti: quod ex ejus lucubrationibus facilè deprehendere licet. Nunc porrò de singularibus rebus à nobis observatis, breviter agere sufficiet: nam sigillatim de Alexandria scribentes post tam multos magni nominis viros, actû, quod aiunt, ageremus. Arenoso solo sita est in promontorio quodam: ab uno enim latere mediterraneo mari alluitur; ab altero, Mareoti lacu amplo & in longum extenso. Supersunt adhuc mœnia quæ Alexander Macedo exstrui iussit: at urbs interior, ex veterum ædificiorum ruinis magnâ ex parte constat. Diruta autem fuit ea urbs, quando Galliæ & Cypri Reges Sultanum ex eâ expulerunt. Nam illam minimè posse retinere animadvertens, priùs diruit, quàm in hostium potestatem veniret. Postea tamen paulatim ædes exstrui cœperunt pro incolarum ratione. Sed & nunc, nisi Christiani mercatores suos istic institores alerent ob mercium permutationem, parum celebris esset. In eam invehitur omnis generis commeatus cùm ex Ægypto, tùm ex Cypro, aliisque vicinis locis. Panis qui istic pinsitur, in placentas efformatur planas, quibus inspergitur legitimi melanthii semen. Eam ob causam hujus seminis magni culei per fora & mercatorum officinas venales inveniuntur. Omnis generis vina istic etiam reperiuntur ex variis locis invecta. Sed nec Cyprus longè inde abest. Optimi saporis istic est caro vervecina, hœdina, vitulina & bubula. Magna etiam abundantia generis cujusdam caprarum quæ Gazellæ vocantur (veteres Græci Oryges nuncupabant) quas in agris Sclopetis petunt: gregatim enim incedere solent. Inveniuntur & gallinæ & ova. Alexandria sita est loco piscoso: istic enim observavimus cantharos, lupos, umbras, synodontides, mugiles, raias, squatinas, caniculas, liram priorem Rondeletii. Sed & multi alii cùm saliti tum recentes ex Nilo invehuntur. Istic nascuntur punica mala, musæ, limones, aurea citriaque mala, ficus, sycomori, ceratia, &

pleraque alia fructuum genera, quibus caremus. Abundant etiam omnis generis leguminibus (è quibus quæstus magnus) atque omni frugum genere, veluti oryza, hordeo, farre, aliàs spelta nuncupato. Dolichos Græcis dictus, florem fert istic flavum. Copiosum etiam pisi genus, quod Græci Latyri, Veneti Manerete, Romani Cicerchie, Galli *des Cerres* appellant. Quid potissimùm in urbe aliqua abundet, scire volentes; adeant fora diebus quibus venales inferri solent aves, pisces, olera, fructus, & reliqua victui necessaria: brevi enim deprehendent quibus rebus incolæ magis abundēt: quod in Alexandriâ nos observavimus. Ægyptii rarò cibum sumunt, quin addatur radicis genus Colocasia nuncupata, cum carnibus decocta. Magnum ejus vectigal per universam Ægyptum: nam vix quidpiam frequentiùs in urbium & pagorum foris emitur. Cùm porrò de Alexandria institutus nobis sit sermo, illius typum uti eam observabamus ad viuum expressam hîc inserere voluimus.

Genuina delineatio Alexandriæ Ægypti.




Mare Mediterraneum.

1. *Ingressus Nili in urbem.*	5. *Mosquea.*	11. *Porta maritima.*
2. *Porta del Pepe.*	6. *Porta Memphitana.*	12. *Palatium Alexandri.*
3. *Colonna Pompea.*	7. *Silva Palmarum.*	13. *Pharus.*
4. *Mareotis, lacus aquæ dulcis valdè amplus & piscosus.*	8. *Obeliscus.*	14. *Casteleto.*
	9. *Arx nova.*	15. *Garophalo.*
	10. *Arx vetus.*	16. *Portus vetus.*

Hyæna veteribus nuncupata, nunc autem Civetta.

Caput XX.

Qui tum Alexandriæ Florentinorum Consulem agebat, Civettam habuit adeò cicurem, ut cum hominibus colludens, illis nasum, aures, & labra sine noxa morsu prehenderet: ab ineunte enim ætate humano lacte educata fuerat. Rarum profectò ita cicurari posse animal adeò ferum & indomitum. Civettam veteribus probè fuisse cognitam, & Hyænam ab ipsis fuisse nuncupatam, ipsorum auctoritate demonstrabimus; tametsi nunquam observaverint adeò odoratum excrementum eam reddere: meminerunt tamen generis cujusdam Pantheræ odoriferi. Auctores verba fecerunt de Hyæna tanquam de fero animali Africano; quod nobis suspicionem movet, Civettam eo tempore in caveis minimè fuisse adservatam. Hodierno autem die, cicur reddita, majorem quæstum præbet quàm olim. Illius etiam nomen quo eam nuncupare solemus, ex Arabibus auctoribus mutuatum est, relicto veteri. Compacto, ut Meles, est corpore, major tamen: cùm autem alium præter muliebrem naturam habeat meatum, ex quo Civetta emanat, plurimi Hyænæ historiam legentes, existimarunt illam esse Melem sive Taxum, vulgo nuncupatum, qui veteribus & Aristoteli Trochus dictus est. In cervice & per dorsi spinam pilos habet nigros, quos surrigit cùm indignatur, non minus quàm sus. Inde factum, ut Glanis piscis etiam Hyæna nuncupata sit. Os habet magis mucronatum quàm felis, sed barbæ pilos illi similes; oculis est splendentibus & subrubentibus: sub quibus binis maculis nigris insignita est. Ejus aures orbiculares sunt ad Melis aurium formam accedentes. Corpus habet maculis aspersum nigris, cùm aliàs ejus color albicet: crura & pedes pilo nigro obsiti sunt, quemadmodum in Ichneumone: cauda oblonga, su-



periùs

perius nigra, infima verò parte albis maculis aſperſa. Agilis eſt, & carne veſcitur. Hæc eſt Civettæ hiſtoria, quæ ſi cum Hyænæ deſcriptione conferatur, apparebit veterum Hyænam eſſe.

Plurima in Alexandriâ conſpicienda: obeliſci & magni Ægyptiorum coloſſi.

CAPVT XXI.

POSTRIDIE urbe egreſſi, præaltam Pompeii columnam ſpectatum ivimus, in exiguo quodam promontorio ſitam, octava milliaris ab urbe parte. Immenſæ eſt altitudinis, & craſſitudine reliquas antè nobis conſpectas, ſuperat. Columnæ Agrippæ quæ in Pantheo Romano ſunt, nihil ad ejus craſſitiem accedunt. Univerſa ejus materies, cùm epiſtylij, tum formæ cubicæ ex Thebaico marmore eſt; ex eodem videlicet, quo omnes obeliſci ab Ægypto delati conſtant. Eam Cæſaris iuſſu, ob victoriam adverſus Pompeium partam, iſtîc erectam aiunt. Adeò craſſa eſt hæc columna, ut impoſſibile judicetur, nunc quenquam artificem reperiri, qui ullis inſtrumentis eam aliò transferre queat. Ex ſummo hoc promontorio longus in mare & Continentem patet proſpectus. Si quis ad meridiem faciem obvertat, Mareotim lacum amplum & ſpacioſum conſpicere poteſt, palmarum ſilvis in ambitu obſitum, qui vix dimidio milliari ab Alexandria diſtat. Ager vicinus magna ex parte arena mobili conſtat; planeque ſterilis eſſet, niſi Harmalæ, & Capparum non ſpinoſas ſtirpes aleret, craſſas illas Cappares proferentes, quæ nobis inde adferuntur: minores enim in Capparum ſtirpibus ſpinoſis naſcuntur, hieme folia abiicientibus: cùm non ſpinoſæ Ægypti, & quæ arboreſcunt in Arabia, folia retineant. Miricæ arenoſis locis plurimum iſtîc delectantur: cùm tamen aliis locis humidum ſolum ament. Harmala admodum ſimilis eſt Moly: Rutæque genus eſt, quod Arabibus, Ægyptiis & Turcis nunc vario in uſu eſt. Ea enim ſuffiuntur ſingulis diebus mane, ſibi perſuadentes noxios ſpiritus hac ratione abigi. Quæ res huic herbæ atque ejus ſemini tantam celebritatem peperit & conciliavit, ut nullæ ſint adeò exiguæ & viles officinæ, quæ eam non habeant, tamquam precioſum aliquod medicamentum. Apollodorus antiquus auctor, cypero eaſdem facultates tribuit, cùm ait Barbaros domo egredi non ſolere, quin primùm Cypero ſuffiantur: quod occaſionem aliquando præbuit cogitandi, ejus uſum vetuſtum eſſe. Inter ſingularia quæ Alexandriæ conſpeximus, bini ſunt obeliſci, apud ejus urbis palatium: alter rectus & integer, alter humi jacens & confractus: rectus altero longè major eſt: cujus craſſitudo comparari poſſet cum eo qui Romæ eſt ad D. Petri. Cùm de obeliſcis verba facimus, de re inter reliquas maximè admirandâ agimus, quæque magnam dubitationem parit, cur adeò mirabiliter ſint inciſi. Si terni aut quaterni duntaxat invenirentur, coniici poſſet, eos Regis cujuſpiam curâ exciſos: ſed cùm multi ſint, nonnulli exigui, ut qui pone Minervam, in foro apud Pantheon, & apud Aram cæli Romæ conſpiciuntur; alii ingentes admodum, ut qui apud Populo, & Pontificis palatium ſunt, atque omnes Ægyptiacis ſive hieroglyphicis characteribus inſculpti; ſtatuere poſſumus eos olim exciſos, ut tumulis quibus in Ægypto corpora condita repoſita erant, imponerentur, minimè autem ut templis dicati eſſent. Plurimi videntes ſolidum lapidem, tam ingentem, tam longum, & craſſum, adeoq. expolitum, fuſilem eſſe credunt (nam omnes obeliſci ex lapide Thebaico ſunt exciſi, multis granis diſtincto duorum aut trium colorũ, ut ſturni avis collum: inde factum, ut veteres Græci Pſaronium cognominarent: ψάρος enim Græcis, ſturnum ſignificat) ſed hallucinantur, nam ejus varietas & granorum diſtinctio, ex ſaxi (quod hujuſmodi coloris) naturâ eſt. Tanto magis admirandi obeliſci videntur, quòd ex ſolido lapide conſtent; quemadmodum ſi quis imaginaretur, ſe quadrangulam aliquam turrem intueri ex unico lapide exſtructam. Omnes qui nunc ſunt Romæ obeliſci, jam in Ægypto inſculpti fuere antè quàm Romulus unquam pedem Romæ figeret. Rupes ſive Latomia, unde exciſi ſunt, adeò ſolida eſt, nec ullis venis diſtincta, ut exîcindere iſtîc liceret ſolidam & unico lapide conſtantem turrim, craſſiorem atque altiorem, quàm binæ illæ ſunt turres ad Divæ Virginis phanum Lutetiæ, ſi humanâ induſtriâ moveri poſſet: nam montem integrum duorum milliarium longitudine, ſolido eoque ſine ullis venis lapide conſtantem, videre eſt, ex quo coloſſi vel obeliſci exſcindi queant quantæ quis voluerit craſſitudinis & altitudinis. Tres colles murorum Alexandriæ ambitu continentur, qui ſcoparii, ſive ſordium montes cognominantur, ut ea loca quæ Lutetiæ *Les voiries* [*in quæ videlicet omnes ſordes & animalium cadavera abiiciuntur*] nuncupantur. Elegantes aquæductus, ingentes ciſternæ, atque putei qui Nili aquam excipiunt, obſervatione profectò digni: adeò


enim

enim probâ materie, atque tam magnifico opere exſtructi ſunt, ut adhuc integri perſiſtant. Neceſſarii etiam omninò erant: nam Alexandriæ incolæ ſemel in anno eos implere ſolent, cùm Nilus inundat, ad totius anni uſum. Per ingentem canalem primum univerſas urbis ciſternas replent, in quibus depuratur & limpida redditur. Tota autem urbs ſupra ejuſmodi ciſternas & puteos exſtructa fuit olim firmo lapidum & laterum opere, quoniam rara per Ægyptum naſcuntur ligna, præter frequentes Palmas, quæ ad ædificandum prorſus ſunt inutiles. Ægyptii ruſtici per agros palmas abortivas & quæ vitium fecerunt, requirere ſolent, quarum cacuminibus exciſis, candidam medullam eximunt, & in foro venalem proponunt: ea cruda veſcuntur, cynaræ enim ſaporem refert. Veteres Palmæ medullam ſive cerebrum nuncuparunt, Græci ἐγκέφαλον. Advertendum tamen eſt, Varia eſſe Palmarum genera: ſpinoſum enim in Creta obſervavimus genus, ab eo differens quod nautæ ex Hiſpania advehunt & Cephaloni [*Hiſpani Palmitos*] vocant; pumilam videlicet illam Palmam quam Rotomagenſes & Lutetiani Aromatarii in ſuis officinis recentem venalem proponunt, & quaternos vel quinos aſſes æſtimant.

Ichneumonem hodierno adhuc tempore in multis Ægypti ædibus cicurem adſervari: & alterius Ichneumonis veſpæ adverſus Phalangium certamen.

CAPUT XXII.

ALEXANDRIÆ incolæ Ichneumonem Ægypti peculiare animal alunt: cicurari enim poteſt, non ſecus atque feles & canes. Vulgus antiquo nomine appellare deſiit, & vernaculo ſermone Pharaonis murem nuncupat. Obſervavimus porrò ejus catellos à ruſticis Alexandriam venales inferri, atque ab oppidanis avidè emi, ut domi alant, nam mures venantur non ſecus atque muſtelæ. Exiguum eſt animal, & valdè mundum. Qui id non conſpectum ex ingenio duntaxat depinxerunt, rectè exprimere nequiverunt, ut ex præſenti pictura deprehendere licet; illæ enim nihil naturale referunt: in noſtra autem, reliquo corpori conjungenda eſt cauda.



Primum Alexandriæ conſpeximus, inter arcis rudera, gallinam quam ceperat vorantem. Vafer eſt in præda aucupanda: nam poſterioribus pedibus ſeſe ſublevat, & obſervata præda, ſumma tellure adrepens, magno impetu ſeſe in prædam vibrat, indifferenter veſcens omnibus vivis corporibus, uti ſcarabeis, lacertis, chamæleone, omni ſerpentum genere, ranis, muribus majoribus & minoribus, aliiſque ſimilibus. Aviculas etiam maximè appetit, præſertim gallinas atque earum pullos: indignabundus, pilos ſurrigit, qui duorum ſunt per intervalla colorum, nempe exalbidi vel flaveſcentes, & cinerei, duri & aſperi inſtar pilorum lupi. Majore eſt robuſtioreque corporis mole quàm felis, roſtrúmque nigrum & mucronatum habet inſtar viverræ, ſine ullis tamen barbæ pilis: breves & orbiculares habet aures, coloremque cinereum ad flaveſcentem accedentem, qualis in cercopithecis conſpicitur: ejus crura nigreſcunt, & quinque digitis poſteriores pedes ſunt præditi, quorum calcar interius breve eſt: cauda oblonga eſt, & ſuperiore, qua ſpinæ adhæret, parte, craſſa: linguam verò & dentes felinos habet. Peculiari præditus eſt nota, qua reliquæ quadrupedes animantes carent; quæ ſuſpicionem Auctoribus præbuit, ut exiſtimarent mares non minùs uterum geſtare quàm feminas. habet enim præter muliebris ſexus meatum, alium amplum illi contiguum, pilis obſitum, non admodum diſſimilem pudendo mulieris, quem per magnos æſtus aperit (clauſo nihilominus permanente quo excrementa reddit foramine) ut ejus cavitas appareat. Teſticulos felis habet: & ventum magnopere formidat. Tametſi hoc animal exiguum ſit, adeò tamen induſtrium & agile eſt, ut adverſus magnum canem confligere non vereatur: atque ſi felem obſervet, ſtatim ſtrangulet. Quum verò os adeò mucronatū habeat, difficulter craſſiorem carnis molem morſu apprehendere poteſt, imo ne humanam quidem manum in pugnum contractam mordere. Auctores de eo multa alia ſcripſerunt, præſertim bellum adverſus aſpidem gerere, crocodili ova confringere, admodumque vigilantem eſſe; illi multas ſingulares facultates tribuentes, quas brevitatis cauſa hîc prætermittimus; exiſtimantes nos ſatis functos eſſe officio, datâ ejus deſcriptione. Sed & aliud animalculum eſt, è veſparum genere, Ichneumon

veſpa

vespa appellatum, cui bellum internecinum cum phalangio: quoniam verò eorum pugnam vidimus, ipsam hoc loco commemorare libuit. Insecti genus est sanguinis expers, forma api sive vespæ, vel magnæ formicæ alatæ perquam simili, vespa tamen minus; in terra etiam suum latibulum quemadmodum phalangium faciens. Superat phalangium quotiescunque extra suum latibulum invenire potest: at si in latibulo adoriatur, sæpenumero re infecta redit. Accidit ut ichneumon vespa phalangion è suo latibulo egressum corriperet, atque post se traheret, quemadmodum formica tritici granum, & quo vellet impelleret, tametsi non sine magna difficultate: nam phalangium pedum uncis obvia quæque apprehendens, quantum poterat renitebatur. Ichneumon verò, suo aculeo, quod instar apis exerit, variis locis ipsum pungebat. Defessus autem isto labore, avolavit hac illac oberrans ad balistæ ferè iactum; deinde suum phalangium requirens, nec quo reliquerat loco inveniens, ejus vestigia sequebatur, quasi odoraretur, non minus quàm canes leporum vestigia. Inventum plus quàm quinquagies aculeo pupugit, rursúmque pertrahens, quò voluit perduxit, & planè confecit.

Merces quæ in Alexandrinis officinis reconditæ adservantur perlustrantes, observavimus struthionum pelles cum suis plumis maximâ copiâ: solent enim Æthiopes illis confectis pellem detrahere: carnibus quidem vescentes, at pelles cum suis plumis, aliis mercibus permutantes. Hæ deinde à mercatoribus Alexandriam invectæ, in varias Turcarum provincias distribuuntur: nam apud Turcas non minùs invaluit usus, suas tiaras his pennis exornandi, quàm apud nos galearum cristas.

Hortorum cultura apud Alexandriam & per universam Ægyptum, præterquam secundum Nili ripas, admodum difficilis est: quoniam perpetuò instrumentis à bobus versatis haurienda est aqua ad rigandum solum. Illorum iasminum à nostrate differt: flavo etenim est flore, admodum odorifero. Inveniuntur etiam istic flavæ rosæ, sed odoris expertes.

Turcarum Alexandriam incolentium mores, Divi Macarii solitudines, variaq; alia in Alexandriâ res.

CAP. XXIII.

QVINQVE dierum ultra Alexandriam itinere versus Africam tendentibus, solitudines occurrunt, Divi Macarii cognominatæ, D. Antonii solitudinibus contermi-næ, quas Caloieri Arabes inhabitant, ejusdem cum Græcis religionis: plurimaque istic sunt Arabum monasteria Græcis permixta. Incidimus Alexandriæ in Nobiles quosdam Venetos, qui nuper inde reverterant: quorum nonnulli curiositate quadam Tamarindorum qui istic crescunt, ramulos cum suis floribus retulerant. Istic etiam tanta lapidis aëtitis abundantia reperitur, ut eo naves onerari queant: inde olim mercatores Romam devehebant. Plinius enim aëtitem lapidem, cognomine Cissitem, in Ægypto sponte nasci circa Copton tradit. Inter reliquas lapidis aëtitis facultates, veteres nobis scriptum reliquerunt, eo furem deprehendi, quæ etiamnum apud Græcos in usu est; ejus etjam Dioscorides meminit, sed plenè eam non describit. Furem igitur deprehendere volentes Græci, omnes furti suspectos simul evocare solent: multis ceremoniis rem peragentes: admurmurant enim Caloieri multa verba, dum massam pinsunt sine fermento, è qua parvos panes conficiunt ovi magnitudine: horum, singulis qui convenerunt, terni totidem bolis, nullo potu addito, deglutiendi præbentur. Id experimentum nos fieri vidimus: atque qui furtum commiserat, nunquam tertium panem devorare potuit, quinimò dum deglutire nititur, parum abfuit quin suffocaretur, propterea reiicere coactus est. Monachi Græci id observant tanquam peculiare secretum, nec cuiquam communicare volunt. Intelleximus tamen illos lapidis aëtitis pollinem suæ massæ, dum panes hos côficiunt, inspergere. Locus à Cæsare Pharus nuncupatus, quique tum insula, nunc continenti junctus est, arcemque habet admodum incommodam: nam singulis diebus aqua è cisternis Alexandriæ hausta camelis in eam devehenda est. Omnium Alexandriæ ædificiorum tecta plana sunt & constrata, quemadmodum vulgò apud Turcas, Arabes & Græcos, ubi incolæ noctu dormiunt, ad frigidiorem auram captandam, omni anni tempore, cùm æstate, tum hieme. Ægyptii autem & Arabes supra reliquas nationes sub dio quovis tempore pernoctare delectantur, nullo etiam lecto substrato; modò enim chlamydem aliquam habeant qua se tegere queant, * lectos negligunt; non ignorantes, plumis confarctos lectos plurimum nocituros. Mirum igitur videri non debet, si ejus regionis homines adeò exactè stellarum cursum earumq. ortum & occasum observare potuerunt: illis

enim tota nocte conspicuæ sunt, ob aërem purum & minimè nubilum. Alexandrini Arabicè vel Mauritanicè naturâ loquuntur: at Turcæ illis permixti, sermone ab iis admodum differente utuntur. Et cum istic multi Iudæi, Itali & Græci versentur, variorum idiomatum invaluit usus. Olim Græcè loquuti sunt: nam cùm Alexander Ægypto subacta Alexandriam condidit, verisimile est, relictis illic Macedonum coloniis, linguam Græcam admixtam fuisse. Caloieri Iacobitæ & Græci ædificium istîc habent pro Patriarchatu cum suo templo, eo loco in quo reconditum erat D. Marci cadaver, antè quàm Veneti Venetias transferrent. Latini & Iudæi, sua istîc peculiaria templa habent. Inter singularia quæ nobis Florentinus Consul ostendit, cùm aromata nos requirere animadvertisset, degustandam dedit radicem Arabibus Bisch nominatam: ea nobis tantum calorem in ore per integrum biduum excitavit, ut flagrare videretur. Plurimi recentiorum hujus radicis gratia Auctores Arabes conviciis ferè confecerunt, eos toties mendacii arguentes, ut referre pudeat: cùm tamen ipsis nunquam nota fuerit. Exigua est, parvi napi instar (alii Napellum vocant) & adeò vulgaris Turcicis aromatariis, ut nullus eorum venalem non habeat.

* *Eiusmodi etiam consuetudinem apud plerosque Hungaros iter facientes, dum apud eos versabar, observabam, & plerumque lapidem pro cervicali capiti subiicere.*

Ex Alexandria in Cairum profectio.

CAP. XXIIII.

ALEXANDRIÆ aliquot dies commorati, ad iter Memphiticum nos accinximus. Duobus autem diversis itineribus eò tendi potest; altero longiore, adverso videlicet Nilo; altero terrestri breviore. At quoniam Nilus Ægyptum inundaverat, Rosettam profecti sumus, ut navigio Nilum subiremus. Dimidio milliari ab Alexandria progressi, in amplam planiciem arenosam pervenimus, in qua variæ stirpes nascuntur, inter quas Anthillis Græcorum est, quam Arabes Kali appellant: hanc incolæ lectam desiccant, ignis struendi causa (nam ligni magna istîc penuria) & calcis cum ea adurendæ geminum quæstum faciunt: calcem enim Alexandriam deportant, atque herbæ cineres diligenter adservant, hoc est Soldam à nobis appellatam. Indurantur saxi modo, & tanta copia colliguntur, ut mercatorum naves onerari possint; qui eos istîc coëmentes, Venetias devehunt, vitrorum crystallinorum fundendorum gratiâ. Vitrarii Veneti in Muran eos commiscent saxis per Ticinum amnem ex Papia advectis, quæ cum cineribus æqualiter commixta, materiam reddunt ad selectissima crystallina vitra conficienda. Galli autem nuper admodum Crystallina vitra conflare edocti, Stampanum sabulum saxorum Ticinensium loco usurpant: id enim opifices commodius esse deprehenderunt, Papianis saxis. Nondum tamen quidquam excogitare potuerunt, quod cinerum vicem supplere queat: eamque ob causam ex Provincia Narbonensi usque eos petere necesse est. Quæ res nobis fidem facit, illos cineres his similes esse quos ex Syria mari invehunt. Gallis tamen *De la Soulde* appellantur, denominationem sumentes ab altera stirpe Soldanella * nuncupata, quæ adusta, similium facultatum cineres reddit, quorum sit usus in Syriacorum defectu.

* *Plurimum hallucinatur meo iudicio Bellonius, qui in Gallia Narbonensi Sodæ cineres induratos ex Soldanella adusta conflari autumat. Maris etenim & stagnorum in ea accolæ, Soldanellam non urunt: sed Anthillidem domesticam, quam ipsi Vitrariam ab effectu, & quòd instar vitri pellucida fit, nominant, magna cura & diligentia serere (eius etenim maior commodiorq; est usus quam sponte nascentis) & sub æstatis finem succidere solent; deinde aridam in scrobes, de industria in eum usum paratos, congerere, atque ignem subiicere: huius adustæ cineres imum petentes indurantur, atque massam eam præbent quàm Sodam appellant, non modò ad vitra conflanda utilem, sed quâ etiam Saponarij artifices plurimum uti solent: uti ego, dum in Mompelio viverem, observabam: Sed ea de re Quinquerani libellum de Laudibus Provinciæ inscriptum, consulendum iudico. Existimo enim non viliorem Sodam in Gallia Narbonensis orâ maritimâ fieri, quàm in Syriâ & Ægypto.*

Singularia quædam in Alexandria & Rosetta reperta.

CAPUT XXV.

BINIS ab Alexandria milliaribus per agros reperimus pastores, caprarum greges pascentes, quæ aures ad terram usque promissas habebant, per extremitatem quatuor aut amplius digitis sursum recurvas. Hi pastores ne tempus in ocio tererent, arenam ventilantes, vetera numismata perquirebant. Sæpenumerò etenim accidit, ut aurea & argentea

gentea inveniant. Ad dextram nobis erant ingentes planicies arenosæ, in quibus præter paucas cappares, atque iam dicta Kali & Harmala, nihil crescebat. Regio ad sinistram paulo sublimior erat, ingentesque pagos hinc inde inter palmarum silvas sparsos habebat. Tribus circiter milliaribus emensis, aquam dulcem & potabilem invenimus, quæ fontana videbatur, cùm duntaxat hydria esset Nili aqua plena, in utribus à Camelis eò deportata, quam repleri perpetuò curabat Turca quispiam gratis: nam magnam eleemosynam esse censent & meritum, si secundum regias vias aquam reponi curent ad aquandos viatores. Tantum autem abest, ut istic reperiatur vinum, ut in ipsis etiam urbibus ægrè aquam recentem invenias. Palmæ, ut & per reliquam ferè Ægyptum, celsissimæ sunt: inter quas nonnullæ repeiuntur ex unico trunco eademque origine viginti magnas arbores ab invicem separatas proferentes. Nox in itinere nos oppressit; eam ob causam in tenebris diu nobis faciendum fuit iter secundum littus maris Mediterranei quod ad sinistram habebamus: neque substitimus, donec ad primarium è Nili rivis perveniremus, quo juxta littus maris superato, solùm piscatoris tuguriolum invenimus, in quo sal erat ad saliendos pisces, atque etiam *Botargues* Gallorum, sive ὠὰ ταρίχα, quæ fiunt ex Mugilum, quos veteres Cephalos nuncupabant, ovis. Istic noctem sub dio traduximus cum camelis & jumentis. Primus ille Nili rivus, ostium Canopicum non est: ejus tamen antiquum nomen ignoramus. Profundus non est ejus alveus; nam, ut diximus, vado illum transivimus, ipsomet quo Nilus Ægyptum inundaverat tempore. Postridie à riuo illo digressi, per arenosa loca iter fecimus, in quibus nullæ arbores crescunt præter Myricas, quæ in ingentem magnitudinem attolluntur, gallasq; ferunt, ab Arabibus hujus tẽporis *Chermasel* proprio nomine appellatas, magni olim in medicina usus, & non pœnitendum mercimonium. Secundum maris littus iter facientes, pumilas myrtos nigras observavimus, sed humiles, quòd perpetuò à ventis marinis affligantur. Maritimis gaudent Myrti, eam ob causam Veneri dicatæ, quam Poëtarum fabulæ mari natam referunt. Diu littus marinum sequuti, planiciem arenæ mobilis ingressi sumus, ubi tenuissimæ arenæ tumulos à vento congestos conspeximus. Planities hæc adeò sterilis erat, ut nihil in illa nasceretur. Eo die sub vesperam pervenimus Rosettam, à Mauritanis Raschit nominatam, ad littus sitam circa magnum quoddam Nili ostium. Ejus urbis incolæ diligentes sunt in curandis hortis, in quibus Musæ arbores nascuntur, Papyri planta, Sacchari harundines, Colocasiæ, Sycomori adeò exquisitâ viriditate præditi, ut reliquas arbores sine controversiâ superent. Colitur etiam istic radix quam Itali Dolceguini nuncupant. Chamæleones frequentes reperiuntur in fruticibus Rhamni alterius, qui in varios colores sese commutant. Magna ex parte ex viridi pallent, interdum ex cæruleo virescunt. Inde fit ut non facilè observari queant: nam ramo insidentes simili viriditate prædito, etiam à diligenter requirentibus vix inveniuntur. Vescuntur muscis, erucis, scarabeis, & locustis, serpentum more, qui omnis generis parva insecta devorant, quæ sæpenumero anatome facta in eorum ventriculis invenimus. Nonnulli memoriæ prodiderunt Chamæleones vento vesci. Verum quidem est integro anno sine esca perdurare posse; quod creditu difficile non est: nam varii generis serpentes vidimus per decem mensium spacium vivere nullo administrato illis cibo: interdum tamen nonnihil aquæ dandum est, quam bibant.

Rosetta urbs ad Canopicum Nili ostium sita.

CAPVT XXVI.

ROSETTA elegans est oppidum, nullis tamen mœnibus cinctum. Veneti istic Consulem alunt, alio nomine Bailum appellatum; qui res ad mercaturam pertinentes curat. Onerariæ naves per Nilum ad oppidi usque ædificia appellere possunt. Nullum est adeò exiguum oppidum per universum Turcæ dominium, ubi Veneti quempiam non alant, qui eos de mercibus in amnium & maris portus, sive in continentem advectis admoneat; magno sanè illorum commodo: nam ex omnibus orbis partibus nova intelligunt, atque mercium in remotissimis etiam regionibus precia; unde fit ut reliquas Respublicas, in mercium negotio superent. Quòd si quaspiam merces in aliquo portu venales intelligant, illico per suos occupant, ut primi quæstum habeant. Rosettæ vicina est parva quædam arx non procul à Nilo, quà Alexandriam iter est. Vix binis milliaribus ab ostio quo se Nilus in mare exonerat, Rosetta distat. Arabicus sermo istic in usu est, quemadmodum per universam Ægyptum. Plurimi illic Iudæi; qui per universum Turcæ dominium adeò multiplicati sunt, ut nullum oppidum sit aut pagus, in quo non inveniantur frequentes; callentque varias linguas: qua in re plurimum nobis contulerunt, non

modò interpretandi officio, sed etiam in illius provinciæ rerum memoratu dignarum explicatione. Ejusmodi generis cibos in Rosettano foro invenimus, quales in Alexandria. Palmarum silvæ oppidum inumbrant. Ædificiorum structura similis iis quæ in Cairo sunt: ad quam rem maximè accommoda sunt ligna navibus Constantinopoli invecta. Nam qui inde Constantinopolim nauigant, potiùs quàm inanes redeant, naves lignis onerant, ad ædificia instruenda, cùm nulla ad eam rem utilia in Ægypto inveniantur. Ægypti animantia ob pabuli abundantiam, stirpium à Nilo rigatarum probum alimentum, atque aëris temperiem, in magnam molem evadunt, uti Bubali, Boves, Cameli, Equi, Asini, Arietes & Capræ. Arietes autem, qui admodum pingues & crassi sunt, amplam, densam atque ad terram usque propendentem caudam habent, palearia insuper è collo dependentia ut boves, nigraque lana vestiuntur.

De Nili piscatoribus.

CAP. XXVII.

PLURIMI Rosettæ quæstu è piscium in Nilo captura duntaxat facto vitam sustentant. Peculiare autem est his piscatoribus, in suis cymbis ingluvie illa uti quæ sub avium quas Plinius Onocrotalos appellat, rostro propendet, ad aquam exhauriendam. Ejusmodi rostra (eà parte quæ capiti adhæsit) colligata, orbem quodammodo exprimunt: viva autem avis illo sacco seu ingluvie utitur, tanquam altero ventriculo, ut devoratas conchas & mytulos illius tepore sese aperientes reiiciat, atque carnes à testis separatas devoret. Ejus porrò naturæ est hæc ingluvies, ut humiditate corrumpi nequeat: quam ob causam multo tempore piscatoribus utilis est. Per onocrotalum autem non intelligimus ardeas stellares, quas nostri Boves tauros nominant, quòd bovis mugientis instar sonitum edant; neque nostras Pellas, hoc est, ardeolas, quæ rostri extremam partem latam habent: sed eas, quas Aristoteles πελεκᾶνες Pelecanes nominat. Aquis innatant ut cygni & anseres; his majores, illis autem minores, omnino albi; pedibus latis, coloris inter cinereum & nigrum medii, præditi, sicut antea dictum.

Navigatio è Rosetta in Cairum: atque multa secundum Nilum observanda.

CAPUT XXVIII.

PHASELO* conscensa, ut adverso Nilo Cairum peteremus, & Aquilone nobis favente (Nilus enim à Meridie in Septentrionem vergit) brevi nostrum iter absolvimus. Nam paullulum progressi, & ad alteram ripam appellentes, descendimus, ut terrestri itinere secundum Nilum pergeremus. Magna autem voluptate afficiebamur, solum adeò herbidum conspicientes. Qui verò Nili alveum sequuntur, Cairum profecturi, compendium non quærunt; multos enim habet mæandros. Maxima elegantiorum Ægypti pagorum pars secundum Nilum exstructa est, cùm ob aquæ commoditatem quæ agrum inundat, tum ad hortos rigandos. Conspiciuntur tamen & alii procul à Nilo sejuncti, qui maxima anni parte aquæ penuriâ laborant. In pagum nomine Anguidie pervenimus, deinde in alium majorem Mahatelimie nuncupatum, postea in Dibi, inde porrò in oppidulum dimidii diei itinere à Rosetta distans, Nantubes appellatum, quod utramque Nili, qui istìc major non est Rhodano Lugduni, ripam occupat: ut Beaucaire & Tarascon, ad Rhodanum sita: Postremò in pagum Elminie. Magnum iter confecimus eo die: prosperum enim ventum habebamus. Ejus loci horti & agri vicini, à Nilo inundati jam erant, & undiquaque Palmarum silvæ apparebant. Agri ab invicem sejuncti sepibus ex Rhamno constantibus, qui à nostra Grossularia differt. Invenimus etiam Tamarices suis Gallis onustas. Agri plurimis locis oryza, papyro, & musis erant consiti, interdum etiam colocasia. Quia autem colocasia (quam etiam ad Cretæ insulæ rivos sponte provenientem invenimus; Ægyptii autem diligenter colunt) Lotus & Faba Ægyptia etiam nominatur, & frustra ejus semina magnâ diligentiâ perquirentes, Cairi incolis ridendos nos præbuimus, quasi innuere vellent nulla reperiri: occasionem sumpsimus inquirendi cur veteres Auctores Fabam Ægyptiam nominarint, cùm nullas proferat fabas. Erroris tandem hanc originem deprehendimus. Herodotus vetustissimus scriptor de duabus stirpibus in Nilo nascentibus verba fecit; quarum altera orbicularem radicem habebat,

quæ

quæ est colocasia; altera verò quidpiam olivarum nucleis simile in capite proferret. Illum subsequuti auctores, alii aliorum vestigiis insistentes, pro arbitrio de his loquuti sunt. Nam quod Theophrastus ait ejus radicem spinosam; aliter rem se habere experientia docet. Dioscorides de Faba Ægyptia agens, Theophrasti verba ferè expressit. Plinius verò ex illis ipsis mutuatus, similia omnino scribit. [b] In eam itaque opinionem facilè imus, ut per fabam Ægyptiam intelligenda sit edulis faba quæ in Ægypto nascitur. Ipse enim Galenus de vulgaribus fabis intellexisse videtur libro de Alimentis, cùm de Ægypti fabis agit. Ut verò elucidemus quod Plinius refert Ægyptios varii generis vasa ex ejus foliis facere: animadvertendum est colocasiæ folia admodum ampla esse, eamque ob causam complicari & convolvi instar corniculorum posse, quibus aquam è Nilo hauriant & bibant; deinde abiici. Tandem in amplum quendam pagum pervenimus, nomine Berimbal. Ægypti regio nobis apparebat omninò aqua submersa, præter quosdam aggeres nonnullis locis eminentes, per quos ex uno pago in alium pateat iter. Incolæ ut securi sint ab inundationibus Nili, pagorum ædificia sublimioribus locis substruere coguntur, quorum maxima conspicitur frequentia: etenim plana est regio, ædificia ex tenaci pinguique limo constructa, & tecto operta acuminato, alveariorum instar, procul admodum apparent: nonnulla etiam teguntur planâ formâ, propugnaculi modo, quod vulgare est per universum Turcæ dominium & Græciam. Tanta apud illos est lignorum & lapidum penuria, ut eorum ædificia humiles duntaxat sint casæ, non ampliores quàm pusilla tecta, recipiendis anseribus idonea. Eam videlicet ob causam, quòd magna ex parte cubent, bibant & edant sub arboribus; vel insectorum vitandorum causâ, vel ut frigidiorem auram excipiant; etenim hieme istic non pluit. Æstate autem sub tecto frigidiorem auram non requirunt sed sub Palmis. Tamarices in Ægypto humidis & ficcioribus locis indifferenter nascuntur; illarum enim silvulæ perinde in aridioribus locis reperiuntur atque in humidis littoribus. Eæ autem excrescentiâ quam Gallam nominavimus adeò onustæ sunt, ut parum absit quin rami præ pondere rumpantur. Novum quidpiam nobis fuit mense Septembri conspicere aquaticam avem à Gallis (quia in stagnis non minus damnum infert quàm Castor) *un Bievre*, hoc est, fibrum vocatam, à Latinis Vulp-anserem, pullos recèns exclusos in Nilo ducentem. Aquaticæ aves quæ sub hiemem à Septentrionalibus regionibus loca commutant, in Ægyptum adveniunt, istìcque pullos excludunt, deinde æstate revertuntur, solis immensum & intolerabilem ardorem fugientes.

[a] *Valdè intricatus est hoc capite Bellonius: nam initio ait, omnes navem exscendisse, ut terrestri itinere proficiscerentur; paullo post, quasi sui oblitus, magnum iter confecisse eo die scribit, quòd secundo vento usi essent.*
[b] *De faba Ægyptia, consulendus Prosperi Alpini Liber de Plantis Ægypti.*

Ægypti urbes & pagi ad Nili ripas siti ob aquæ commoditatem.

Cap. XXIX.

Ad Berimbal transeuntibus nobis, plurimi Ægyptiaci pueri sese in Nili profluentem abiiciebant, ut panem exciperent, quem de industria è navi proiiciebamus, ut ex illis adeò peritè natantibus voluptatem caperemus: nam in aquam desilire non magis reformidant, quàm anatum pulli. In pagum nomine Sindou deinde pervenimus, ad cujus dextram est * Diuruth; eaque nocte in oppidum appulimus Fova nuncupatum, amplam olim urbem ut Cairum: nec hodie ullum est in continenti Ægypti oppidum (excepto Cairo) magis amplum: multo etenim major est Rosetta, è regione magnam Insulam habens, Sacchari arundinibus, Sycomoris, Palmis, Colocasiis, omnis generis leguminibus, & oryza (quæ præ reliquis magni est census per universam Ægyptum) excultam. In Fova pernoctavimus: nam licet nobis secundus adspiraret ventus, nautæ tamen noctu navigare reformidabant, quòd Nilus iis locis multos mæandros habeat, nec minus rapidus sit, quàm Ligeris. Nonnullis locis rectum tenet cursum, in quibus etiam noctu velis explicatis (secundo vento) sine metu navigare liceat: lentiùs enim fluit, quàm ubi sese contorquet.

* *Imo Zuga potius, secundum geographicam tabulam; nam Diuruth longè infra Sindou est, ut Deruthi infra Berimbal adversa esse potius censeri queat, quàm Sindou.*

Nilum, ſi cum alio flumine comparare licet, Pado fere ſimilem eſſe.

CAPVT XXX.

Vix in noſtra Europa amnem invenire liceat magis ad Nilum accedentem Pado, præſertim à Ferraria mare uſque: nam facilè velis expanſis ſubiri poteſt, adverſus ipſius etiam profluentem: idem in Ligeri fieri poteſt perinde ac in Nilo & Pado. Ligeris autem alveus non eſt adeò profundus. Omnia Cymbarum ſive navicularum quarum in Nilo uſus eſt genera, ab aliorum fluminum naviculis differunt: vulgare enim eſt cymbas ſingulis locis pro amnium natura variare. Nam homines ad loci naturam navigia accommodare volentes, fluminum curſum obſervare coguntur. Niſi enim in Tiberi, qui rapidus eſt, profundumque alveum & altas ripas habet, cymbarum utraque extremitas, ſive prora & puppis præaltæ eſſent, & riparum altitudini reſponderent, quandocumque appellunt, ad egrediendum ſcala perpetuò opus foret: eam ob cauſam anguſtis ſcaphis in Lunæ creſcentis formam fabricatis, proramque & puppim præaltas habentibus & in mucronem deſinentibus utendum eſt: quarum gubernacula longis perticis alligata ſint, & gubernator in ſumma puppi ſtet, ut quò agenda ſit navis, conſpicere queat. At Nilus cùm ripas humiles, & ſummâ aquâ duntaxat eminentes habeat; naviculas exiguas, humiles, planaſque, & latas fert. Padi ſcaphæ breves ſunt, profundæ, conſtratæ, ſubrotundæque, & gubernaculum ad latus habent, poſſuntque mare ſubire, & Venetias uſque navigare. Oblongæ naviculæ, quarum uſus eſt in fluminibus haud profundi alvei, ut ſunt Ligeris & Sequana, extremâ puppi gubernaculum ſeu temonem habent.

Nonnulli perſuadere voluerunt, amnes inveniri qui majores naves gravioribuſque oneribus plenas ferre queant aliis ſimili alveo & profunditate præditis: in exemplum adducentes fluvium Aiſe, qui licet Ligeri anguſtior ſit, triplo graviora tamen fert onera; id autem aquæ naturæ tribuentes, haud ejus profunditati; ſolido argumento niti non videntur. Sed quia ejus rei elucidatio in experientiâ conſiſtit, facilè veritas adquiri poteſt. Cùm Nilus univerſam regionem inundat, vaſtus eſt, magnaque & capacia fert navigia, quorum dumtaxat uſus eſt inundationis tempore: ceſſante inundatione, certa loca oſtenduntur ubi ab equite vado tranſiri poteſt. Expanſis etiam velis navigare in eo licet, cum neque montes neque ſilvarum frequentia ventum adimere vel impedire queant, ut neque in Pado. Et quemadmodum populi in ripa Padi naſcentes quibuſdam locis ventum navigantibus infringunt: ſic etiam Palmæ ad Nilum creſcentes. Nili piſcatores cum Padi piſcatoribus in hoc conveniunt, quòd utrique aquam in cymbarum alveo vehunt, cratibus vimineis ſuperimpoſitis tectam: ut hac ratione piſces vivos adſervent; & per crates incedentibus pedes non madeant. Paulo ſupra pagum [a] Sindou progreſſi, alvei caput conſpeximus, quem Alexander fodi curavit, ut aquam in Alexandriam deduceret implendis urbis ciſternis, puteis & fontibus; quem ad ſiniſtram reliquimus. Terra exempta, adhuc ſupereſt utrinque projecta ſecundum canalis ripas, cujus caput à magno illo pago Sindou quadrante milliaris dumtaxat diſtat. Regio ad dextram relicta, paulo ſublimior erat ſiniſtrâ, atque magis arenoſa, ideoque (nam Nilus eò non pertingit) ſterilior. At quæ ad ſiniſtram eſt, quoniam humilis & plana, atque Nilo irrigatur, fertilior eſt & magis herbida; in quam aquaticæ aves hieme commeant tantâ copiâ ut agri & prata iis albeſcant; præſertim ciconiis, quas Ægyptii non ab re magni faciunt, cùm ranæ tantâ abundantiâ iſtîc generentur, ut niſi ciconiæ eas vorarent, nihil illis eſſet frequentius; tum etiam quòd ſerpentes capiant, & devorent. In arenoſa altera parte, vultures conſpiciuntur, accipitres Ægyptii, milvii, aliæque aves carnivoræ: ſed Ægyptius accipiter omnium frequentiſſimè, corpore corvi, capite milvii, noſtro inter corvinum & aquilinum medio, nam mucronem paulo magis incuruum habet, crura verò & pedes inter corvum & aves rapaces. Similis nominis avem in Herodoti aliorumque veterum ſcriptis invenimus: videturque ea eſſe quam accipitrem Ægyptium nominant. Colore eſt accipitris: qui tamen interdum variat. Ejus iconem libro de Avibus exhibebimus. Buffali, tempore inundationis, in aqua ad aluum uſque verſantur, caput ad armos uſque in aquam demittentes, ut gramina depaſcant, quibus depaſtis, rurſus in aërem attollunt, ut herbam dentibus attritam ruminent, atque in alvum demittant: nullum etenim animal pulmonibus præditum, ſive aves, ſive quadrupedes, ſive etiam cete & delphini, & reliqui qui mandunt, eſcam in aqua deglutire queunt. Hac itaque ratione aluntur Buffali inundationis tempore. Nulli peritiores natatores [b] repeririuntur Ægyptiis; tales ut ſint, neceſſitate co-

gente:

gente: nam inundationis tempore ſubinde ex uno pago in alium tranare neceſſe eſt, ad ſua expedienda negotia: quam ob cauſam veſtes ad natationem aptas geſtant, promiſſam videlicet interulam albam, leviter elaboratam; deinde chlamydis genus inconſutile laneum, vilis cujuſdam tapetis inſtar, qua humeros & corporis aliquam partem obvolvunt: nec alias veſtes geſtant peregrè profecturi. Si profundum amnem tranſire neceſſe eſt, chlamydem cum interula capiti obvolvunt diadematis inſtar; atque ſic natantes ad alteram amnis ripam perveniunt. Si verò longior facienda natatio eſt, ſcirpeos faſces poſt ſe trahunt, donec terram pedibus attingere amplius nequeant: tum demum illis incumbentes, natationem leviorem & minus operoſam habent. Aquilone adhuc proſpero, magnum iter conficiebamus, & licet plus quadraginta paſſuum millibus à Pyramidibus, adeò à veteribus celebratis, abeſſemus, nobis tamen apparere inceperunt: edito enim ſunt loco, eorum qui Nilo vehuntur oculis expoſito: quod Plinius his verbis intellexit: Sanè conſpicuæ undique adnavigantibus. Ægyptii Pyramidum nomine appellare non norunt, ſed Pharaones nuncupant. Magis adhuc admirandæ videntur propè inſpicientibus, quàm ab auctoribus deſcriptæ ſunt, ut poſtea demonſtrabimus.

[a] *Cùm Bellonius ſuperiore capite ad Fova uſque progreſſus ſit; hoc capite, quaſi ſui oblitus, in Sindou regreditur, ſupra quem alvei illius Alexandriam fluentis caput ponit, qui tamen in Geographica tabula paulo ſupra Ber imbal, infra autem Sindou conſtituitur. Præterea non potuit eum canalem ad ſiniſtram relinquere cùm à Roſetta Cairum navigaret; ſed ad dextram potius: ad Nili quidem profluentis ſiniſtram eſt.*

[b] *Laudet quantum velit Bellonius à natandi peritia Ægyptios, eos tamen à Braſilianis in hac arte vinci, nemo eſt qui dubitet.*

Singularia quædam de Ægypto & Ægyptiis.

CAPVT XXXI.

NVLLA eſt natio quæ magis antiquitatis veſtigia retineat, Ægyptiis: nam etiamnum illos in urbibus videmus ſimilibus veſtibus uti, quales deſcripſerunt veteres.

Per univerſam Ægyptum, pulli gallinacei à matre excludi non ſolent: ſed fornaces artificioſè, ut vidimus, exſtructas habent, in quibus tria aut quatuor ovorum millia reponunt; quarum calorem ita temperare norunt, ut omnia ova ſimul excludantur: quod recens inventum non eſt. Nam Ariſtoteles lib. 6. hiſtoriæ animalium cap. 2. jam ſcripſerat: Incubitu avium, fœtum excludi naturæ ratio eſt: non tamen ita ſolùm ova aperiuntur; ſed etiam ſponte in terra, ut in Ægypto, obruta fimo pulliciem procreant. Hi furni communes ſunt plurimis ruſticis, qui è diverſis locis ſua ova inferentes iſtic excludi curant.

Aggeres exſtruunt, ad continendum in ſuo alveo Nilum, quos ſtraminis, Sacchari harundinum, Halimi, Rhamni & Tamaricis faſciculis muniunt.

Poſtridie noſtram navigationem vento maximè proſpero proſequentes, quibuſdam locis Nilum ſæpenumero ſe contorquentem & Mæandros facientem invenimus: interdum etiam Palmarum arbores noſtræ navis velis flatum adimebant, ſic ut nautæ phaſelo egredi, eamque vi pertrahere cogerentur. Remiſſiore autem vento, Nilique profluente admodum rapido, ad alteram ripam appellere non oportuit, atque in terram deſcendere. Sed cùm iſtic parumper hæſiſſemus, ſecundus ventus nobis denuò adſpiravit.

Plurimarum avium atque aliorum animalium ſecundum Nilum obſervatorum deſcriptio.

CAPVT XXXII.


CVM Ægypti regio hieme adeò tepida ſit, & paluſtris; plurimas aquaticas aves alit, atque inter reliquas illam quæ Græcis & Ariſtoteli Crex dicta fuit. Eam ex voce agnovimus; ſtrepera etenim eſt, & ut Vannellus Aex, ſic hæc dum volat Crex, Crex pronunciat: ipſam verò ſequentibus verbis deſcripſimus. Crex corpore eſt inter elorium & calidrim, media inter illas crura etiam habens, quæ cum pedibus & capite nigra ſunt: cervix, pectus, & humeri albeſcunt: corporis ſuperior pars ad cinereum tendit colorem, candidam lineam obliquè alas ſecantem habens. Humi & in aëre victum quæritat, ut Vannellus, qui veteribus Aex appellatus fuit, atque ſimili modo ſtrepitum volando excitat. Inter aves quæ Gallico nomine cognitæ ſunt, minimè recenſendam arbitramur, tametſi antea exiſtimaverimus Gallorum *Barge*, hoc eſt, Ægocephalum Crecem eſſe, quoniam Herodotus eius magnitudinem cum Ibis genere comparat. Antea Ibidem nigram pro

Hæmatopode habueramus: sed observatis ejus moribus, non Hæmatopodem, sed Ibin nigram esse deprehendimus, cujus Herodotus primus meminit, deinde Aristoteles. Corpore est elorii, aut paulo minor, omnino niger, capite corvi aquatici, rostro, quà capiti jungitur, pollicis crassitudinem superante, sed per extremitatem mucronato & incurvo nonnihil, atque fornicato, & omninò rubente, uti etiam cruribus, quæ oblonga sunt, similia cruribus illius avis quam Plinius Bovem taurum, Aristoteles Ardeam stellarem nominant, collum verò oblongum ardeolæ instar habet: sic ut cùm primùm Ibidem nigram conspiceremus, Boüi Tauro corporis habitu similis nobis videretur.

Ægyptii, Mauritani, vel Arabes, suæ religionis ceremonias strictiùs & diligentiùs observant quàm Turcæ: & licet utrique eandem religionem, quæ Mahumetana est, amplectantur, ejusdemque Domini imperio subsint; Turcæ tamen majorem sanctimoniam Arabibus, quàm sibiipsis tribuunt: Eam ob causam, quòd Alcoranus lingua Arabica primùm conscriptus sit, deinde in Turcicum idioma conversus. Sed & ipsi doctiores Turcæ, non Turcicè, sed Arabicè loquuntur. Characteres quidem similes sunt; Turcæ etenim suos Characteres ab Arabibus mutuati; sed lingua diversa est. Ad Nili ripas appellentes, & navim egressi ut pagos perlustraremus, Mauritanos in suis Moscheis, hoc est, suis templis canentes, & sibi alternatim respondentes audiebamus, Latinorum sacerdotum more, & iisdem accentibus pausisque fere utentes ut ii qui Latinos Psalmos canunt: quod minimè faciunt Turcæ, quorum idioma rude est, Arabici facilis, & ad rhythmos componendos apti, comparatione. Sed & Alchoranus rhythmicis versibus conscriptus est. Quatuor sub Cairo milliaribus Nili alveus in binos ramos sese dividit, quorum alter ad sinistram tendens, Rosettam, quæ est Ostium Canopicū, unde veniebamus, delabitur: alter ad dextram profluens, apud Damiatam, ubi est Ostium Pelusiacum, se exonerat. Inde affirmare possumus, Nilum bina duntaxat primaria & navigabilia habere Ostia, per quæ magnæ naves subire possint, aut ad summū tria. Non inficias imus, quin in multos rivos diducatur, sed duos tantùm illos alveos navigabiles esse dicimus: aut si aliorum nōnulli quibusdam locis navigabiles sunt, id inundationis tempore fieri: aliàs etiam quà in mare sese exonerant vado transiri possunt, quemadmodū canalem illū inter Alexandriam & Rosettam superavimus.

Ventus ad Cairum usque nobis secundus fuit, isticque navigationem absolvimus. Descendimus autem ad magnum quendam pagum nomine Boulac, territorii Cairini, in Nili ripa situm.

Porrò antequàm de Nilo sermonem finiamus; de nonnullis animalibus, quæ in eo reperiuntur, nobis agendum est; atque inter cetera de Crocodilo, cujus hæc est effigies.



Nos illum suspensum in multis templis & foris publicis admiramur: inveniuntur tamen & terrestres. Hippopotamus etiam Græcis & Latinis dictus, istic invenitur; Latini enim Græcorum vestigia sequuti, appellationem Græcam, quæ equum fluviatilem significat, non immutarunt, sed eam retinuerunt; quod fecisse hanc ob causam videntur: nam animadvertentes id animal nulla ratione equum referre, sua lingua interpretari noluerunt, sed Græcam dictionem servarunt. Alterum tamen horum fuisse, necesse est; vel Romanos Græcorum Hippopotamum non novisse: aut id animal quod Hippopotamum censebant, diversum à Græcorum Hippopotamo fuisse. Nam si is qui Romam advectus fuit, Dione teste, in Augusti de Cleopatra triumpho, & alii qui in M. Scauri ludis, & Pompeii triumphis exhibiti fuerunt, Hippopotami erant: dubium non est, quin veram eorum effigiem in eo libro quem de omnis generis piscibus conscripsimus, dederimus: nam id animal quod è Nilo delatum Constantinopoli vivum conspeximus, omnibus notis conveniebat cum iis qui in variis Imperatorum numis expressi sunt. Ad ejus historiam quod attinet, cùm eam alibi Gallicè & Latinè dederimus, hoc loco nihil amplius addemus.

Nilus plurimos alios pisces admodum celebres alit, quos tamen sigillatim enumerare hoc loco non volumus: nisi quod Lucium qui istic frequens est, & cui veterem appellationem applicare difficile est, Oxyrincum veteribus nominatum asserimus. Capiuntur etiam piscium orbicularium duo genera humani capitis magnitudine, quorum pelles tomento vel fœno repletæ à mercatoribus ad nos perferuntur: Græcis vulgo Flascopsari (Latinis Orbis, vel Græco nomine Orchis, dicuntur) lagenæ etenim instar rotundi sunt. Alius est qui squamarum vice totus osseo cortice tectus est: eam ob causam ut præcedens adservatur.

Navigio-

Navigiorum, quorum in Nilo usus est, differentia, atque arborum quæ in Cairi hortis vulgariter aluntur, nomina.

CAP. XXXIII.

NOSTRA per Nilum nauigatione peracta, & in pagum Boulac, quo omnia in Nilo commeantia navigia appellere solent, ut merces quas in Cairum convehunt exonerent; exscensu facto, eorum navigiorum (Gerbes ipsi vocant) formam observare voluimus; atque comperimus eorum quatuor esse differentias. Etenim alia humilia, plana, lataque sunt, sed admodum brevia si ad latitudinis proportionem conferantur. Alia majora latioraque, sed in orbem ferè contracta. Majora non multum absimilia Sequanæ navibus, nisi longè breviora essent: majora onera ferunt quàm reliqua, præsertim autem Sacchari harundines pro Turcarum Imperatore: sed illa inundationis duntaxat tempore navigant, neque, infra pagum Fova descendunt, Latinoque velo utuntur. Omnium minima, plana, humilia & lata sunt, veloque quadrangulo utuntur, neque longiùs à Boulac evagantur, ad traiiciendum Nilum duntaxat apta, & ad annonam ex proximis pagis in Cairum devehendum, atque armenta ex unâ ripâ in adversam traducenda. Quæ Damiatam & Alexandriam usque descendunt Gerbes, Latino velo utuntur, mareque, si malacia sit, ingredi possunt: at si tempestas suboriatur, diu obsistere nequeunt. Eam ob causam in iis navigaturi mitem mollioremque auram observant, & ventum admodum faventem. Hortorum etiam arbores istic observavimus, nempe Sycomoros, Palmas, Cassias solutivas, Punicas malos, & Aureas, Acaciam, & Tamaricem.

Plurimos hallucinatos esse, qui Chamæleones solo aëre victitare crediderunt.

CAP. XXXIV.

CVM nullas cæduas silvas in Ægypto conspiceremus, è quibus fasces fieri, aut silvas quæ ligna præbere possent ad ea in carbones ustulanda: ad fundenda tamen metalla (quibus perpetuò ea regio abundavit) plurimis lignis opus fuerit: quæ ligna istic frequentiora essent, observabam (in quotidianum autem usum cedunt Cassiæ, Tamaricis, Rhamni, Sycomori, Napeca, Palmarumque rami & arundines) nihil istic frequentius Sacchari arundinibus vidimus: idque veterum auctoritati consentaneum est, qui materiâ, ad colliquandum aurum, opus esse non ignorantes, dixerunt, & inter ceteros Plinius, Pineis optimè lignis æs ferrumque funditur, sed & Ægyptiæ papyri paleis aurum. Nam » primarium Ægypti metallum, aurum semper fuit.

Sepes Cairi hortos ambientes, Chamæleonibus obsiti sunt, præsertim secundum Nili ripas: sic ut brevi spacio ingentem eorum numerum conspiceremus. At non abs re in dumetis versantur: nam Viperæ & Cerastæ, si eos apprehendere possint, integros devorant. Chamæleones prædam capere cupientes, linguam semipedalem exerunt, teretem instar linguæ Pici martii, lumbrico terrestri similem, in cujus extremo spongiosus quidam & glutinosus nodus est, quo insecta, ut locustas, erucas, muscasque capiunt, & in os attrahunt. Ipsam autem exerentes, tam validè tantaque velocitate vibrant, quàm sagitta ab arcu emitti possit. Natura frustrà huic animali linguam, ventriculum & intestina tribuisset, si edendi usum illi ademisset, ut plerique arbitrati sunt.

Noster in Cairum appulsus, quidq; istic viderimus.

CAPVT XXXV.

DVM in Boulac iumenta exspectamus quæ Cairum nos veherent, novum quidpiam & memoratu dignum audivimus: Denæ enim vel duodenæ mulieres per plateam simul transeuntes, Ægyptiaco more salutationem dicentes, simul vocem emiserunt, cui similem antè in quibusdam pagis ad Nilum sitis audiveramus quidem: sed quidnam esset, imaginari nequiveramus. Mulieres etenim nunquam in publicum prodeunt, nisi tecta facie, non ob singularem formam qua præditæ sint, sed quia Mahumetes sic præcepit. Immo Æthiopes quæ carbone sunt atriores, faciem larva contegunt, non secus atque formosissima totius Asiæ Turcica mulier. Difficile itaque nobis erat, qua ratione ejusmodi


ejusmodi vox efformari posset, imaginari: acclamationem tamen sæpius repetitam, & confusam quandam harmoniam referentem, audientes, intelleximus, ipsas aperto & hiante, quantum fieri potest, ore, vocem acutam, volutata inter dentes lingua & versus palatum contracta, emittere, accentuque acuto terminare, quemadmodum rusticæ mulieres sub acclamationis finem facere solent, quando lac venale Lutetiæ proclamant. Faciem autem obvelant pro regionum vario more. Sed ea qua Arabicæ & Ægyptiacæ rusticæ utuntur faciem tegendi ratio, omnium est inelegantissima: nam xylinam telam nigri vel alterius coloris ante oculos & faciem propendentem, atque in cuspidem versus mentum desinentem ponunt, quemadmodum nostræ nobiles mulieres utuntur sua barbuta appellata: ut autem per hanc telam prospicere queant, bina foramina ex oculorum adverso faciunt, sicque instructæ, iis similes videntur, qui die Veneris ante Pascha Romæ & Avenioni sese flagellant. At in amplioribus urbibus, Turcicarum mulierum morem sequuntur, quæ exiguum quoddam velum ex caudæ equinæ pilis contextum ante faciem gestant: splendidiores verò, tenuissimam lineam telam. Itaque si quis earum vestimenta singulatim describere vellet; non minus susciperet negotii, quàm qui pictura omnes omnium quæ in Gallia, Italia & Germania sunt mulierum habitus, exprimere cuperet. Nam ut in eadem provincia animadverteret ornatum capitis plurimum inter se differre, atque vicinarum ornatui planè dissimilem esse: sic etiam Ægyptiacæ mulieres ornatu à Turcicis plurimum differunt. In Ægypto (quemadmodum neq. apud Turcas, neq. Græcos) mulierum aut virorũ vestes concidere cõsuetudo non est. Nullus præterea est præscriptus ordo, quo homines diversæ religionis dignosci queant ex vestium coloris varietate; nam ut diximus, in solo pileo cõsistit. Christiani variis coloribus distinctũ gestant, nunc cæruleo, nunc rubro: Iudæi luteum ferunt: nam solis Turcis albo aut viridi uti conceditur, viridi quidem, his qui ex Mahumetis sanguine prognatos se jactitant. Capitis porrò ornamentum quo Ægyptiacæ mulieres utuntur, consideratione dignum: vetustum enim est, quale in variis numis expressum conspicitur. Auctores turritum capitis ornamentum, aut turritam coronam, seu vittam turritam nuncuparunt, quasi dicas capitis ornamentum in turris formam sublevatum. Harum aliæ sandalia gestant editiore solea, aliæ cothurnos ferrato calcaneo, Turcicarum mulierum more. Cùm autem talis capitis ornatus vetustatem adeò resipiat, ad eum diligentiùs observandum nos commovit, præsertim cùm Latini poëtæ ejus meminerint. Ceterùm ut faciliùs demonstraremus quomodo amictæ incedant, earum icones hîc exhibere voluimus, Turcicarum amictum postea exhibituri.



Illo ipso die Cairum profecti sumus, quò peregrino equiti ingredi non licet, nisi illustri viro & Satrapæ, aut cuipiam ex ejus comitatu: at incolis sive peregrinis, asinis insidere indecorum non est. Nobiles inquilini, & Turcarum Imperatoris milites, ostentationis gratia equitant ephippio brevi instrato tecto insidentes, non minus quàm in Gallia, equorumque usum sibi reservarunt, tenuioris fortunæ hominibus eos invidentes. Mulieres etiam asinis clitellatis superimposito gausape insident. Non ignorantes autem singulas nationes retinere suæ regionis consuetudinem, ne Ægyptiorum naturalem habitum cum Turcico confunderemus, Civem Cairinum equo insidentem, cum uxore asino insidenti secundum regionis consuetudinem animi gratia deambulatum proficiscentes, hîc exprimi curavimus.



Boulac à Cairo dimidio duntaxat milliari abest. Per hortos iter facientes multas elegantes arbores fructiferas vidimus. Nulli Tamarindi in Ægypto nisi sati proveniunt. Unicam arborem inter Cairi rudera apud Boulac invenimus, & limones quosdam silvestres, quarum fructus columbino ovo major non est. Cassiæ, Sebesten, Palmarumque arbores & Sycomori in summam altitudinem excrescunt. In Cairum cùm pervenissemus, nostrûm unicuique licuit sine duce per urbem deambulare: nam quocunque diei tempore vel intra urbem, vel foras prodeambulare libuit, nemo nobis obstitit, nec damnum à quoquam metuimus. Imò asserimus, nulli peregrino, modò oblonga veste amicto, si per singulas Turcarum Imperatori subjectas urbes ire vellet, neminem ei magis nociturum quàm inquilino.



Sub noctem conspicitur exiguus quidam lacertus secundum muros reptans,& muscas captans; Græci vulgari lingua Samiamitos, Itali Tarentola appellant, veteribus Chalcidica lacerta dicta fuit. Quoniam verò recentiores hoc nomen Tarantola cum Phalangio confundunt, nec vocabulum Italicum Tarentola sive Terantula vetustum est, sed à terræ denominatione desumptum videtur: longa oratione opus esset ad explicandum exiguum illum lacertum Chalcidicum, de quo alio loco pluribus agemus.

Plerisque accidit, ut de exteræ regionis rebus scribentes, primos earum inventores sese existiment: attamen si veteres auctores legant, apud illos eadem ferè, his quæ observarunt, inveniant. Idem nobis contigit: nam cùm nostrûm singuli noctu inter dormiendum à culicibus ita afflicti fuissemus, ut postridie exanthematis laborare videremur, id adnotaveramus, atque etiam adjeceramus, noctu tegendam esse faciem dormiendo sub tentoriis, aut in summis ædibus sub dio. Legentes tamen postea Herodotum, eum similia scripsisse deprehendimus. Ægyptii, inquit, noctu suis retibus tentoriorum vice utuntur, ob culicum metum, quæ illis interdiu usui sunt ad capiendos pisces. Ægyptii coria parantes, Quercus corticibus, ut Galli, non utuntur; neque Esculi calycibus, ut Asiatici; neque Lentisci, Terebinthi & Rhois foliis, ut Græci; sed arboris Acaciæ siliquis, quarum ingentes culei pleni in Cairo venales reperiuntur: sic herba Kali sive Anthillis tingendi vicem illis præstat. Cùm istic essemus, plurima aromata diligenter requisivimus, quorum veteres Auctores meminere, atque comperimus multa illic in usu esse, quæ mercatores ad nos non advehunt, veluti Nitrum, Acacia, Calamus odoratus, Amomum, Costus, Ben album, & pleraque alia similia.

Cairi ædificia & horti: turris Nili incrementum designans, ex qua eius anni fertilitas cognoscitur.

CAP. XXXVI.

ARCIS Cairinæ structuræ, cubicula, atria, & picturæ quæ supersunt, Circassiorum qui nuper admodum Ægypto dominabantur, antè quàm in Turcæ potestatem venirent, magnificentiam satis declarant. Muri ad humanam altitudinem, fimbria quadam marmorea pedem lata, in ambitu circa ianuam & fenestras incrustati sunt, cui opere vermiculato inserta sunt unionum conchylia, ebenus, crystallum, marmor, corallium, & vitrum coloribus infectum. Similia etiam ornamenta in privatis quibusdam Cairi ædificiis conspiciuntur. Maxima ædificiorum pars gemino pavimento subdiali tecta est. Ædificiorum ianuas adeò angustas & humiles fieri curant, ut equus ingredi nequeat: eam ob causam inclinare se (ingredi cupientibus) necesse est. Seræ vulgariter ex lignea materia fabricatæ sunt non minore artificio quàm ferreæ. Vulgare est per universum Turcæ dominium (ut belli tempore immunes sint ab excipiendis equis) ædificiorum ianuas humiles exstruere. Satraparum tamen ædes, ianuas Europæis similes habent. Ægyptii quos nominavimus accipitres, per Ægyptum admodum frequentes sunt, & rarò ex eâ abscedunt. Milvii etiam istic nidulantur eo tempore quo à nobis absunt; adeoque cicures fiunt, ut ad ædium usque fenestras convolent, * dactylis victitantes: æstate autem in Europam avolant, ut immensum solis ardorem fugiant. Cairi urbs ampla admodum & laxa est, nō tamen ab omni parte mœnibus cincta; quoniam major ejus pars à Nili rivo alluitur, qui mœniorum vicem præbet, ut etiam magnâ ex parte ipse Nilus. Hic rivus humano artificio ductus est, curantibus Romanis Imperatoribus, cùm Ægypto dominarentur. Ex hujus adverso conspicitur structura quædam solidæ turris instar, ex qua Ægypti fertilitas singulis annis æstimatur. Cùm enim non ignorent Nilum Ægyptiacæ fertilitatis auctorem esse; qui eius rei curam habent, certo anni die conveniunt, ut observent quantum Nilus excreverit. Quod si ad supremum usque foramen quod in turri est, pertingat: planè agnoscunt uberem futurum subsequente anno Ægypti proventum. Quia verò singulis annis in eandem altitudinem non excrescit, variæ sunt in eâ turre notæ, quibus futuri anni ubertas deprehendatur. Scriptis proditum est, Ægypti censum ingentem admodum fuisse, dum Romani huic provinciæ dominarentur, qui postea valdè imminutus est: sed etiam considerandum, Romanos nullis sumtibus pepercisse, ut eam fertiliorem redderent. Admodum admirati

admirati sumus, tantam Cassiæ solutivæ arborum quantitatem in Cairi hortis & per Ægyptum conspicientes, cùm tamen veteres nullam ejus mentionem fecerint: sed neque Theophrastus, qui ferè de reliquis Ægypti stirpibus scripsit, ejus meminit. Idem contigisse censendum est Theophrasto de plantis scribenti, quod Aristoteli de animalibus commentanti. Nam quemadmodum variæ nationes Alexandri mandatis obsequentes, varia animalium genera Aristoteli adferebant, cùm eorum historiam scriberet: sic necesse fuit, ut de plantis earumque naturâ diversæ nationes similiter Theophrasto referrent, cùm illarum historiam scriptis proderet. Ex ejus enim historiâ apparet, non sine ingentibus sumtibus missos esse in varias regiones viros, qui stirpes quas descripsit, observarent. Itaque nullum in universa ejus historia locum invenientes qui Cassiæ conveniat, statuimus nullam ejus mentionem fecisse: nisi fortè tertio capite libri quarti, ubi scribit, ipsi relatum, arborem circa Memphim tanta magnitudine esse, ut tres homines nequeant ejus amplecti caudicem. Nam Cassiæ arbores istîc minores non sunt nostris juglandibus, foliaque similia habent, ut ex ejus icone, quæ ipsam ad vivum exprimit, videre licet.

Mirum non est si Ægyptus oleraceis stirpibus abundat: nam cùm vehementes istîc sint calores, plantasque summa facilitate rigare queant; diligentes sunt incolæ in conserendis opportuno tẽpore seminibus. Nilo inundante, rigatione non opus est: sed ante & post inundationem, diligens cura requiritur. Cùm autem alvei ex Nilo ducti alti non sint, instrumenta habent hauriendæ aquæ idonea, variis modis fabricata. Inter cetera verò unum est illis duntaxat usui aptum cùm alta est aqua, nec difficilis est ratio: binos etenim palos terræ infigentes summâ parte bifurcatos, ut tignum sustineant patibuli instar, huic palam utrinque ansatam, vel lancem ligneam binis funibus propendentibus alligatam adfigunt, quam bini homines utrimque in aqua ad umbilicum usque stantes, manibus tenent, eáque validè impulsa aquam haurientes, magnâ vi vibrant, & in horti solum spargunt.

Cassia.



* *Vix majorem in Cairo milviorum frequentiam conspici existimo, quàm Londini Trenobantum in Britannia, qui nullo non anni tempore frequentissimi istîc apparent: cùm enim eos interficere vetitum sit, ut spurcitiem in plateas, vel etiam ipsum flumen Thamesim qui urbem alluit, ab incolis ejectam legant & devorent, maxima quantitate eò confluunt, adeóque cicures redduntur, ut per confertos etiam homines, prædam ab ipsis in alto volantibus conspectam, corripere non vereantur: quod sæpenumero, dum istîc essem, admiratus sum.*

Urbis Cairi, atque eius arcis, descriptio.

CAPUT XXXVII.


CAIRI urbs in longitudinem magis protensa est, quàm in latitudinem laxa, solique viri (ut in universo Turcæ dominio) mercimonia exercent. Feminæ, earum filiæ, & infantes rarissimè in publicum prodeunt. Atque arbitramur urbem longè magis populosam apparituram si populi fex per urbem excurrendi consuetudinem haberet, feminæque necessaria emerent & venderent, ut apud nos ferè consuetudo: adeò tamen frequens non est, ut vulgò fertur. Triangulari est forma: nam arx (quæ in colle sita, supremam urbis partem occupat) unum angulum constituit. Itaque qui ab arce egressus secundum mœnia ad meridiem descenderet, in alterum urbis angulum perveniret: inde autem versus Septentrionem progressus, in alium, qui tertius est, angulum pertingeret: inde porrò ad arcem conscendens, urbis circuitum absolveret in Δ Græci formam.

Totidem

Totidem ferè sunt extra mœniorum ambitum ædificia, quot in ipso ambitu; unde plurimi hallucinati sunt, urbem mœnibus minimè cinctam esse existimantes. Arx in solida rupe exstructa est, in qua gradus incisi, ut facilior sit in eam ascensus, iis ferè similes qui in arce Ambosiana ad Ligerim sunt: nam ejus situs similiter, ut diximus, in edito est, orbiculari ferè figura, multasque crassas rotundas habet operis antiqui turres, infirmas tamen. Quia verò in sublimi est, addita est versus hortum quadrangula cochlea gradibus instructa, ut quæ in Palatio Divi Petri Romæ est; per quam equi, cameli, atque asini onusti facilè subire possunt. Hujus arcis area magna & laxa est; jucundaque istic & sana est habitatio: nam ex fenestris undiquaque quantum oculorum acies ferre potest, circumspiciendo, universa ferè Ægypti regio apparet, non minùs quàm si quis in summo pyramidis alicujus fastigio esset. Hæc arx si cum propugnaculis comparetur, infirma admodum æstimari debet. Nonnulli Lutetiam cum Cairo comparare volentes, Cairum antiquitus Is dictum asserunt, & quod ob parem amplitudinem, dicta sit Par Is, quasi similis urbi Is. Verum quidem est, celebrem urbem fuisse Is, cujus Herodotus meminit, sed Cairum non est: nam ipsius testimonio Is octidui itinere à Babylonia aberat, à fluvio qui eam perluit, deinde in Euphratem sese exonerat, nomen mutuata. Cairi incolæ solis ardoribus admodùm vexati, ad arborum perpetuò virentium umbram confugere coguntur: ejus rei gratiâ multis urbis locis, & per compita, & publica fora Sycomorum alunt & colunt: de quâ plura diceremus, nisi ejus amplam descriptionem inter arbores perpetuâ fronde virentes dedissemus; ejus tamen iconem hîc exhibere voluimus.

In Clio sive lib. 1.

Sycomorus.



Plurimæ etiam herbulæ per parietes serpentes istic observari queunt, nostræ Europæ incognitæ, præsertim autem convolvuli genus lacteo succo prægnans, semen in oblonga siliqua ferens, ut Smilax silvestris, Scammoneæ admodum similis: nam ex eadem radice plurima producit sarmenta, quibus sæpenumerò sepes (quæ magnâ ex parte Tamarice, Oenoplia & Rhamno constant) atque parietes ex pingui argilla factos, vestiunt, quemadmodum apud nos hedera, quæ in Ægypto non crescit. Peculiarem etiam istic habent herbulam, quæ sursum rependo pergulas tegere solet; ideoque perticis adpositis ejus ascensum usque ad ædificiorum fenestras promovent. Nihil in Cairo magis æstimatione dignum ipso Basestan, hoc est, loco illo muris cincto, in quo argentaria aureaque opera, tum ex sericeis staminibus contexta, & nonnulla rariora exoticaque aromata venduntur; quò plerumque frequens hominum turba confluere solet: istic enim negociandi gratiâ conveniunt, quemadmodum Lutetiæ in Palatium, Antverpiæ in Bursam, vel Lugduni in eum locum quem *Change* appellant. Si quid enim elegantis & rari in tota urbe est, istic requirendum. Ex nostro comitatu quispiam quæstionem movit, utrum plures Meschitæ in Cairo essent, quàm primaria templa Lutetiæ: parvum certe esse discrimen, plurimis diligenter observantibus, deprehensum est.

Ingens aquæductus, inter Babylonis rudera & urbem Cairum, per quem Nili aqua in arcem decurrit.

CAP. XXXVIII.

CAIRO discessimus, ad veterem Cairi urbem paulò suprà sitam, videndum, quæ priscis Babylon dicta fuit, tametsi alia Babylon sit Assyriæ, nunc Bagadat dicta, in Mesopotamia. Nos istic multorum vetustorum ædificiorum ex latere & calce constru-

constructorum rudera vidimus, quæ splendida fuisse apparebant: nunc exiguus est pagus, à Christianis Armenis & Græcis habitatus, qui elegans & satis splendidè structum sacellum nobis ostenderunt, à Christiano quodam Medico D. Virgini consecratum. Fornix est in eodem templo subterranea, in qua ipsa cum infante Christo latuisse fertur, cùm ob Herodis tyrannidem ex Iudæa profugissent. Paulo supra Cairum in itinere reperimus ingentem aquæductum plus quàm trecentis fornicibus constantem, ad Nili aquam in Cairi arcem devehendam: quibusdam etenim machinis, hoc est, magnis rotis, boum labore in orbem versatis, aqua è Nilo hauritur, atque in aquæductum inijcitur. Mauritani & Ægyptii præ reliquis nationibus sunt hilares & faceti: nam sive ad saltationem, sive ad choreas ducendas, sive ad totum corpus in aërem vibrandum semper parati; quod illis ab omni antiquitate innatum est. Flavius enim Vopiscus scribit Ægyptios magnos poëtas fuisse, & comœdos, semperque ad saltandum paratos. Qua in re plurimum à Turcis differunt, qui naturâ morosi, lenti & desides sunt. Mauritanæ mulieres Cairi incolæ instrumentum quoddam pulsare norunt, Cinghi * appellatum, quod etiam Constantinopoli non est incognitum: non minùs harmonicum est citharâ; & licet adeò suavem concentum non edat, auribus tamen placet ejus harmonia, modò humanæ vocis modulatio accedat. Mauritani & Ægyptii majorem Musices usum habent quàm Turcæ, præsertim fistularum & lyrarum: imò asserere audemus, ejus si quem usum habent Turcæ, à Mauritanis didicisse.

* *Hæc vox Cinghi abludere non videtur à Gingrina, quæ γίγγας Polluci, γιγγίνης Eustath. dicitur; tibia brevior, exilem luctuosumq́ue sonum edens, nomen habens à Gingri, hoc est, Adonide (ita enim Phrygica lingua dicebatur) defleto, talibúsque tibiis funerato: vel, uti Festo placet, à gingritu fictitia anserum voce, vel quòd ex anserum ossibus eæ tibiæ concinnarentur. Consule Hadriani Iunii Nomenclatorem.*

Balsami descriptio.

CAPUT XXXIX.

In quodam pago spectatum ivimus hortum Balsami fruticibus consitum, qui à Cairo longiùs haud abest, quàm Lendit à Lutetia. Quoniam porrò Balsami planta admodum celebris, preciosa, raraque est; hîc scribere libuit, quidquid ad ejus historiam pertinere arbitrati sumus. Quosdam esse scimus, qui Matereæ Balsamum ex Iudæa delatum esse putent: rem autem haud ita sese habere, postea demonstrabimus. In magno quodam horto sunt, sed angusto loco muris conclusæ, quos exstructos fuisse aiunt postquam Turca Ægyptum Sultano ademit: Bacham autem à Turcarum Imperatore huic regioni præfectum, ea arbusta digna existimasse quæ peculiari loco concluderentur. Cùm isthic essemus, novem aut decem duntaxat frutices ejus inerant, qui nullum liquorem præbebant. Inter notas à veteribus proditas, quibus Balsamum dignosci possit, una est, ut perpetuò vireat: illud tamen in Materea, apud Cairum, pauca admodum folia Septembri mense habebat: quod nobis insolens visum est. Nam reliquæ arbores quæ hieme virere solent, folia solùm novo vere abiiciunt, cùm videlicet nova germina produxerunt: solentque autumno magis virere, quàm novo vere. At reliquæ quæ folia abiiciunt, id sub hiemem facere solent, ut æstate, nova adquirant. Ideoque nobis præter naturam videbatur, Balsamum æstate folia abiicere, ut hieme, nova germina produceret: nam observabamus, quotquot haberet folia, recèns nata esse. Ejus justam magnitudinem tradere nequimus; nam omnes ejus frutices singularem stipitem habebât pedis longitudine & pollicari crassitudine, tenuibus ramulis præditum, quos rara folia obsidebant. Ubicunque autem nascantur, duorum aut trium cubitorum altitudinem non superant; & pedalem altitudinem adepti, in multos graciles ramulos anserinæ pennæ caule haud crassiores finduntur. Balsami frutices Matereæ jam recens putati fuerant, sic ut soli stipites superessent, qui ramulorum rudimenta producebant. Ejusdem enim est Balsamum cum vite naturæ, quam singulis annis putare necesse est, alioqui degenerat. Nova illa Balsami germina subrubente cortice erant tecta, foliáque viridia habebant, lentiscinorum foliorum modo formata, hoc est, utrinque in nervo nata, ut in rosarum, fraxini, juglandis foliis videre est; ciceris tamen foliorum magnitudinem non excedebant; sicque constructa erat eorum series, ut postremum foliolum extimam alam occupans, imparem numerum efficeret: nam totius alæ foliolis numeratis, terna, quina, aut septena inveniuntur, septenarium certè numerum superare vix animadvertimus: extremum autem foliolum reliquis majus est; facto etenim ab illo progressu, reliqua sensim minutiora fiunt, uti in Rutæ foliis. Plinius in ejus historiâ Theophrastum per omnia sequutus est, quemadmodum etiam Dioscorides,

ejusque vestigiis insistentes, Balsami folia Rutæ foliis compararunt: quod veritati consonum esse deprehendimus. Quia autem primùm in Materea illud exactè non observaveramus, denuò spectatum ivimus; ejusque ramulum nacti, ipsum atque folia degustavimus, quæ facultatis nonnihil adstrictoriæ esse comperimus, pinguisque aliquantulum saporis & aromatici: ramulorum autem cortex his odoratior est. Gemino cortice præditi sunt ramuli, extimo foris subrubente, qui ut membrana intimum viridem operit. Ejus sapor medius inter Thus & Terebinthi folium, Satureiæ silvestri similis, valde gratus, digitis tritus Cardamomum olet: ipsum lignum candicat, odoris & saporis expers, non secus atque aliud inutile lignum. Ipsius virgæ rectæ & graciles, rarisque foliorum alis sparsim & confuso ordine nascentibus obseptæ, quæ (ut diximus) ternis, quinis, aut septenis foliolis constant. Variæ sunt auctorum qui de Balsamo scripserunt opiniones: & nisi nos ipsi plantam conspexissemus, nihil post illos de eo scribere ausi fuissemus: atque in eam ferè opinionem inclinaremus, in Hierico planis nunquam cultum fuisse. Quia autem ipsum fruticem vidimus, diligenterque observavimus, de eo, tanquam de re diligenti observatione digna, differere libuit. Experientiâ autem didicimus, lignum illud vulgo Xylobalsamum nuncupatum, quod ex felici Arabia delatum, à mercatoribus venditur, cum Ægyptio quod in Materea colitur, convenire: nam desiccatum nostrum Balsami ramum cum eo quod in officinis venale reperitur conferentes, omnibus notis respondere deprehendimus: estque ex duobus alterum necessarium, ut si Xylobalsamum & Carpobalsamum, quale in officinis venditur, adulterinum sit, adulterinum etiam sit illud Ægyptium, quod colitur in Matereæ horto, legitimumque Balsamum esse censetur. Nam cùm in omnibus conveniant, certique simus idem esse; asserimus & concludimus, id quod hoc nomine venale reperitur, simile ei esse quod ab omni antiquitate in usu fuit. Balsamum nunc temporis in sola Ægypto colitur apud Cairum. Et licet Theophrastus in ea opinione sit, silvestre & sponte nascens non inveniri; asserere tamen audemus ab omni ævo in felici Arabia fuisse, atque etiam nunc nasci, cujus lignum & fructus etiam olim ad nos perlata fuerint cum aliis Arabiæ mercibus. Atque demonstrare volumus ea non minùs cognita fuisse mercatoribus, quàm reliqua aromata, ut ex medicamentorum, quibus perpetuò iniici solita sunt, compositionibus appâret. An non Mithridates in suum medicamentum intulit? An in officinis venalia non reperiebantur? Id ex sola Dioscoridis auctoritate probari potest, qui sua ætate Carpobalsamum adulterari conqueritur. Carpobalsamum (inquit) „ adulteratur semine hyperico simili, quod à Petra oppido defertur: (per Petram oppidum „ Mecam intelligimus.) atque de Xylobalsamo: E ligni genere quod Xylobalsamum vo- „ cant, probatur recens, sarmento tenui, fulvum, odoratum, quadamtenus Opobalsamum „ spirans. Ex his liquidò appâret vulgaris usus inter reliqua aromata fuisse. Sed ex Diodori Siculi vetustissimi scriptoris Arabiæ felicis opes enumerantis verbis manifestò liquet: maritimis enim locis Balsamum producere ait. Cultum igitur id esse non intelligit, sed sponte nascens. Pausanias etiam tradit Balsamum Arabiæ fruticem esse. Plerique tamen auctores de Balsamo agentes inter se non conveniunt: nam Strabo prodit in Syria nasci apud lacum Genezareth, inter montem Libanum & Antilibanum. Reliqui volunt solam Iudæam id producere, ejusque ramos osseo cultro, aut vitro duntaxat vulnerandos esse ad liquorem eliciendum; alioqui si ferro cædantur, statim emori. Cornelius Tacitus scribit, ferro juxtà adposito metu exhorrescere, idcirco aliis quàm ferreis instrumentis vulnerandum, si liquorem elicere quis cupiat. Interrogati mercatores Cairini de Balsamo, cùm nostrum ramulum conferremus, nobis affirmârunt, quidquid Xylobalsami vel Carpobalsami unquam vendidissent, id omne ex Meca cum aliis aromatibus accepisse; atque meminisse, suo tempore, Balsami frutices qui nunc in Materea coluntur, ex Arabia felici, magnis sumptibus Sultani delatos. Quoniam verò id nobis tam multi affirmârunt, existimavimus sine ullo scrupulo aut dissimulatione nobis licere id scribere.

Arbores in Matereæ horto nascentes, & magnus Obeliscus erectus apud Cairum.

CAP. XL.

IN Matereæ horto multæ Sebesten arbores & Sycomori, quas Ficus Pharaonis nominant, aluntur. Illius ficus nostris similes forent, nisi putamen rubrum haberent, ovi essent magnitudine, & perpetuò fissæ & hiantes. Siccatæ sunt inutiles: nam aridæ, duræ, granulis plenæ, ingrati insipidique gustus, iis præsertim qui iis vesci non consuevérunt.

runt. Recentes paulo sunt meliores: attamen, ut maximè celebrem, parum grati saporis: licet magnum censum præbeant toti Ægypto. Ocimi sive Basilici planta istic in agris seritur, atque in triplo majorem amplitudinem excrescit quàm apud nos. Ea vescuntur, quemadmodum nos aliis oleribus. Mala insana, nobis Poma amoris dicta, magnâ frequentiâ in arenosis agris sponte proveniunt, duorum aut trium generum, alba, rubra, oblonga & rotunda. Theophrastus nostro judicio * Malinathalam nominat: nam de
» Ægypti plantis scribens, ait, Locis autem arenosis, haud procul à fluvio, nascitur terrenum,
» quod Malinathalam appellant. Omnibus ferè mensis adponuntur, aut sub cineribus cocta, aut elixa, aut frixa.

In hoc Matereæ horto demonstratus est nobis locus in quo Christus cum virgine Matre diu habitârunt cùm in Ægyptum venissent, ex Iudæa Herodis metu profugi: & fenestra, in qua D. Virginem reposuisse ut quiesceret ferunt. Est etiam fons Balsami hortum irrigans, in quo D. Virgo Christum sæpiùs lavasse, atque ejus fascias pannosque eluisse creditur.

Certissimum est Obeliscos excisos, ut Regum Ægypti tumulis imponerentur, veluti Pyramides atque magni Colossi. Obeliscus unus ingens est erectus in agro quodam paulo supra Matercam, longè major & crassior his quos Alexandria habet, aut illo qui Constantinopoli in Hippodromo est. Eo conspecto, versus Cairum regressi sumus, ad dextram declinantes, ut alium hortum spectaremus, uno milliari à Cairo distantem, in quo amplum & laxum est atrium à Circassis exstructum cùm Sultanus Ægypto dominaretur. Hæc structura, ampla & capax est, magnis lapidibus quadris strata, tectaque ad solem arcendum, tectum sustinentibus pilis. Nilus inundationis tempore proximè ad ejus parietes accedit. Ad hujus structuræ Orientalem plagam, elegans hortulus est, in quo multæ Cassiæ arbores, Cypri sive Alcennæ, Rosæ, & Iasminum flavum: ad Septentrionalem verò & Meridionalem, parvi gemini lacus ad aquam potabilem adservandam idonei. Universa hæc structura superiore parte picturis ornata est. Ejus trabes & asseres ex Palma sunt. Postquam autem Ægyptus in Turcarum Imperatoris potestatem venit, sensim collabi cœpit.

Malinathalla.



* *Sed meo iudicio Bellonius fallitur: nam si Theophrasti locum, qui est lib. Plant. histor. cap. 10. totámque Malinathalæ historiam diligenter perpendas: eius Malinathalla quæ Mespili magnitudine est, sinéque semine & cortice, & folia Cypero similia habet, plurimum à Malo insano differre deprehendetur. Sed Bellonio fortè vocabulorum affinitas imposuit.*

Malinathalla porrò, quæ & Anthalium Plin. lib. XXI. cap. XV. multis notis convenire videtur cum Trasi, sive Dolceguini, quod cap. XXV. huius Lib. in Ægypto coli scribit ipse Bellonius: Rauwolfius etiam Tripoli venalem in officinis proponi ex Ægypto delatam, ab incolis edi, & Habel assis *sive* altzis *nuncupari scribit lib. I. cap. IIII. sui Hodœporici. Eius iconem hic subiecimus.*

Hac etiam planta frequens reperitur agro Valentino in Hispania, ubi Iuncia abellanada *appellatur, & plurimus eius est usus.*

Errones illos quos vulgo Ægyptios appellamus, perinde in Ægypto inveniri atque in aliis regionibus.

CAPVT XLI.

NVLLAM regionem in universo orbe immunem esse existimo ab erronibus illis turmatim incedentibus, quos falso nomine Ægyptios & Bohemos appellamus: nam in Materea & Cairo, atque secundum Nilum, in plurimis Nili pagis magnas istorum turmas invenimus, sub Palmis desidentes, qui non minus ab Ægyptiis quàm à nobis peregrini habentur. Quoniam autem ex Wallachia aut Bulgaria oriundi, Christiani sunt, atque plurimas linguas callent. Itali eos Singani appellant. Istorum uxoribus (privilegio à Turcis impetrato) sese prostituere publicè licet, cùm Christianis tum Turcis: ædesque habent in Pera, multis cubiculis instructas, quò quilibet liberè ingredi potest, sine ullo Turcici magistratus metu; ubi continuò duodenæ ad minimum mulieres versantur. Hi errones per Græciam, Ægyptum, & reliquum Turcarum dominium, ferrariam artem exercent; atque inter ipsos excellentes inveniuntur in eâ re artifices. Ipsimet suos carbones excoquunt; & eos (ut intelleximus) qui ex ericæ stipitibus & radicibus parantur, ad ejusmodi opera omnium aptissimos esse censent; ferrum enim indurare creduntur.

Cùm, aliquot diebus in Cairo consumptis, Pyramides spectatum ire constituissemus; rebus necessariis paratis, ex urbe per meridionalem portam egressi, cymbas invenimus quæ trans Nilum nos vexerunt. Magno comitatu instituenda est ea profectio, alioqui spoliationis periculo non caret. Eam ob causam quidam Sangiac cum multis Spahi Domino de Fumet sese adjunxit, in ipsius, totiusque eius comitatus præsidium.

Pyramidum observatio.

CAPVT XLII.

ROMANORVM fabricæ & antiqua opera (cum veniâ dictum sit) nihil accedunt ad Pyramidum splendorem & superbiam. Ægyptii mortuorum resurrectionem exspectantes, corpora condire solebant, ut ad æternitatem perdurarent, ea comburere nolentes, ut Latini; ignem etenim animal esse existimabant, quod omnia devorat & absumit, quodque iam satur, cum his quæ devoravit, perit: neque terra obruere, ut Græci, quòd, ne à vermibus absumerentur, metuerent. Itaque ad ista incommoda evitanda, olim corpora condiebant cedria & nitro (quæ nunc nobis in usu sunt sub Mumiæ appellatione) eaque condita, sepulcris condebant, sub ingentem aliquam lapidum molem: cuius rei causa, maximè sterilia loca deligebant. Pyramidum etiam locus valde desertus est, quatuor milliaribus à Cairo distans ultra Nilum, quem veli & remorum adminiculo sub ea insula quæ Cairo opposita est, transivimus: sed neque satis fuit fluminis alveum semel transivisse; nam alterâ ripâ occupatâ longus agger nobis sequendus fuit, multas lapideas fornices, & quibusdam etiam locis ligneos ponticulos habens, qui nobis superandi fuerunt. Tandem cùm prope Busyrim pagum pervenissemus, ubi Nili aqua pontis lapidei fornices everterat, cymbâ trajecimus: deinde à Busyri pago, alius est oblongus agger, qui in Pyramidum solitudinibus desinit. Nili alveus primùm dividitur longè supra Cairum, canalem promens qui in Mareotim lacum perpetuò secundum desertam illam Africæ partem decurrens effunditur. Propterea nobis dubitationem intulit, an hic Nili ramus Ægyptum ab Africa separaret: nam iuxta Pyramidum basim labitur, Ægypti fertilem regionem à sterili dividens. Nilus itaque Cairum alluens integer non est: nam jam longè suprà, suas undas in canalem distribuit, qui in Mareotidem lacum decurrit. Superato Nilo, ad alteram ejus ripam, in quo latere sunt Pyramides, delati, illum integrum inter nos & Cairum habuimus. Quacunque igitur parte AEgyptus spectetur, non potest non figuram Delta exprimere. Nam si quis eam circumeat, & à Mareoti lacu incipiens rectà linea sursum supra Pyramides tendat, & inde Damiatam, quæ ad ostium Pelusiacum est, descendat, nonne angulum fecerit? inde porrò in Alexandriam pergat, an non duos alios absolverit, qui triangularem formam veluti Δ expriment? Cùm per Busiridis aggerem iter faceremus, qui quodam loco, ab exundante Nili aqua perruptus erat; qui validos & firmos habebant equos, præeuntibus itineris ducibus sine difficultate transiverunt, at quibus viles erant equi, cymbam, quæ eos traiiceret, exspectare necesse fuit. Nonnulli tamen exutis vestibus, & suos equos loris trahentes, transiverunt, pertingente sub axillas usque aquâ.

Hic porrò lacus occasionem Græcis præbuisse videtur, fabulas comminiscendi de Lethe & Styge, quòd per eum vehebantur condita corpora ad locum in quo recondi debebant. Proximi pagi Mauri, comites se nobis præbuerunt, & itineris duces ad conscendendas Pyramides; quæ procul admodum à mari absunt, sed à Nilo duntaxat tertio lapidis iactu. Pyramides videntur esse montes immensæ magnitudinis: earum etiam moles magno hominum labore eò congestæ fuere. Locus in quo sitæ, valde arenosus & sterilis est, cujus Plinius, Herodotum sequutus, in hæc verba meminit: Arena latè pura circum, lentis magnitudine. Maxima Pyramis, procul aspicientibus minor secundâ esse videtur, quòd humiliore loco sita sit: sed si quis prope adsistat, sine comparatione multo major apparet. Ceterùm magis admirandæ sunt, quàm Historici eas descripserunt. Amplissima, exstructa est gradibus foris prominentibus. Nos ejus basim dimensi sumus, quæ quatuor angulorum paribus intervallis cùm sit, trecentos viginti quatuor passus habet in singula latera, paululum extensis cruribus, gradiendo singulos passus numerantes. A basi autem ad ipsius fastigium, supputatione facta, comperimus circiter ducentos quinquaginta gradus, quorum singuli altitudinem habent quinque solearum calcei novem pollicum longitudinis. In ejus fastigio cùm essemus, apertè Cairum ex adversa parte Nili situm, qua Arabiam desertam spectat, conspicere potuimus; ad Septentrionem verò conversi, universam Ægypti regionem veluti submersam, maris alicujus instar videbamus: inde porrò ad Meridiem obvertentes faciem, qua Africa est, arena sterilis nostris oculis duntaxat apparebat. Considerata autem Pyramidis parte quæ Septentrionem spectat, eam comperimus magis corruptam reliquis partibus; quia nocturni roris & Nili humiditate ventis aquilonaribus agitatâ, plurimum absumitur, manentibus aliis (quæ vel Orienti vel Meridiei objectæ sunt, ab humore tamen non asperguntur) integris. Nam Aquilo in Ægypto humidus est, cùm in aliis regionibus desiccet. Et hæc quidem de exteriore amplissimæ primæque Pyramidis parte. Nunc de interioribus partibus sermonem instituere volumus. Nos eam ingressi sumus per quadratum foramen, quod subire non licet nisi incurvato corpore: nam transversim fabricatum est, hoc est, ex alto in imum descendendo. Sine autem probabili ratione illud ita exstruxisse non videtur artifex: nam si obliquum fecisset, nullum in Pyramidis cavitatem lumen recipi potuisset. Singuli autem cereum accensum in manu habentes, in id foramen descendimus, (pluribus enim simul non licet) nam cùm ad imum pervenissemus, ut cavitatem ingrederemur, in ventrem procumbendum fuit, & serpentum more perreptandum; nec adhuc sine difficultate ingressi sumus. * In ipsa Pyramide vacuum quendam locum invenimus: inde ad sinistram progressi, alium meatum pergulæ quadræ satis affabrè excisæ, per quem ad superiora ascensus est, quà vir erectus gradiri potest: nam satis laxus & altus est, magnis latisque & perpolitis splendentibusque lapidibus constratus, nullis tamen gradibus. Sed podia, quæ utrinque exstant, manu apprehendenda sunt, quo faciliùs ascendi possit. Confectis igitur hac ratione quindecim aut sedecim passibus, pervenitur in elegans cubiculum quadrangulum, sex passus longum, & quatuor latum, quatuor verò vel sex orgyiis altum; in quo marmor nigrum solidum, in cistæ formam excisum invenimus, duodecim pedes longum, quinque altum, & totidem latum, sine operculo. Sepulcrum Regis cujuspiam Ægyptii id fuisse certum est, in cujus gratiam Pyramidis illius moles exstructa fuit: sepulcrum autem istic repositum fuisse ante Pyramidis substructionem, non dubium est. Inde regredientes, & per spatiosum illum meatum descendentes, ad Septentrionem vergebamus. Egressi ad sinistram nos convertimus, ubi puteum invenimus, sed lapidibus nunc ferè plenum. Harum Pyramidum historia ab Herodoto, Diodoro, multisque aliis Græcis est prodita. Plinius verò inter Latinos scribit puteum admodum profundum esse; nihilque certius est, ex eo aquam haustam ad fabricam substruendam, & operas potandum: nam interior Pyramidis pars opere signino ex calce & arenâ constructa est; quod indicium est aquâ opus fuisse. Cùm in primam cavitatem regressi, longiùs progrederemur, exiguam aliquam ejus partem ad sinistram reperimus confractam: nam alioqui solida est substructio. Istic vespertiliones erant à nostris, & ab iis quos antea in Cretensi Labyrintho conspexeramus, diversi: nostri etenim caudam alis longiorem non habent; at his oblonga est cauda instar murium, quatuor digitis alas superans longitudine. Pyramide tandem egressi, ad secundam nos contulimus. Amplissimam porrò hanc pyramidem primò descripsimus, quòd reliquas magnitudine & præstantia superet, eaque ipsa sit, quam omnes veteres auctores aspectu admirabilem esse scripserunt. Peritissimus atque validissimus sagittarius in ejus fastigio existens, atque sagittam in aërem emittens, tam validè eam ejaculari non poterit, ut extra molis basim decidat; sed in ipsos gradus cadet: adeò vastæ latitudinis, uti diximus, est hæc moles.

Lib. 36. cap. 12.

Qui plura de hujus, reliquarumq; Pyramidum, & similium operum Ægyptiacorum magnificentia intelligere volet; eiusdem Bellonij libellum consulat, cui titulum fecit, De admirabili operum antiquorum & rerum suspiciendarum præstantia. Legat similiter cap. XIII. Lib. III. Itinerarii Villamontii nobilis Galli.

** At nunc, ut de iis qui illam Pyramidem & reliquas postea viderunt, intelligebam, Bassa præfectus illi urbi, cavitatem expurgari & ingressum laxiorem fieri curavit, ut sine difficultate nunc liceat in eam ingredi.*

Alterius Pyramidis observatio.

CAPUT XLIII.

Altera Pyramis, magnitudine secunda, scandi non potest; nullos enim gradus foris prominentes habet: quia autem editiore quàm prior loco est, procul aspicientibus major esse videtur; propius autem contemplanti contrarium deprehenditur. Ejus forma quadrangula est, uti superior, sed usque ad fastigium solida. Primæ fastigium in planitiem desinit, duos * passus in diametro patentem, in qua quinquaginta homines consistere queant: hæc autem in cuspidem desinit minus capacem quàm ut homo in eâ stare possit. Foris intrita incrustata est: atque ejus pars quæ ad Septentrionem vergit, perinde ab humore quem aquilones ex aquâ Nili & nocturno rore inspergunt, corrupta, atque prior. Stelliones Græcis Colitis nuncupati, circum has Pyramides admodum frequentes sunt, & in sepulcrorum cavis, quæ per eam planiciem passim sparsa sunt. Inter lapidum interstitia domicilium habent, muscasque venantur, uti nos observavimus. Tarentolis quæ ædificia incolunt, similes essent, nisi compactiore essent corpore, crassioreque & planiore capite. Hi sunt qui excrementum illud excernunt, quod veteres Crocodileam appellarunt, nostræ verò officinæ stercus lacerti. Turcicæ mulieres faciem illo fucant; atque in omnibus Turcicorum aromatariorum officinis venale prostat: sed & in nostra Europa satis magnus ejus est usus.

** Si planiciei, quæ in primæ Pyramidis fastigio est, diameter binos dumtaxat passus amplus est, quo modo quinquaginta viri in ea stare possent? Hallucinaris Belloni, aut Typographus numerum à te scriptum fideliter non expressit: quapropter verisimilior est Villamontii sententia, qui scribit fastigium illius Pyramidis ex singulari lapide constare, cuius diameter esset sex passuum, sive (ut eius verbis utar) cuius singula latera, ut minimum, quindecim pedes essent longa: nec in totâ Pyramidis descriptione convenit per omnia cum Bellonio. Nam scribit eius basim singulis lateribus protendi in quadringentos passus; hoc est ambitum ipsius Pyramidis mille sexcentorum passuum esse, sive quater mille pedum (singulis enim passibus binos pedes cum semisse tribuit) conscendi autem forinsecus ducentis quindecim veluti gradibus, qui efficerent plusquam nongentos nonaginta duos pedes: nam perinde alta est ac lata. Bellonius autem tribuit singulis basis lateribus trecentos viginti quatuor passus, & ducentos quinquaginta gradus altitudini.*

Tertia, sive minor Ægyptiaca Pyramis.

CAPUT XLIV.

Tertia Pyramis duabus superioribus longè minor, tertia autem parte major ea quæ apud Testaceum montem est Romæ, qua ad D. Pauli itur, via Ostiensi: adhuc integra est, nec magis rimis corrupta, quàm si jam recens exstructa foret: Marmoris enim genere constat, quod Basaltes vel lapis Æthiopicus nuncupatur, ipso ferro durior. Ex eo lapide ut plurimum constant omnes Sphinges Ægyptiacæ, quales Romæ in Capitolio conspiciuntur, ab Ægyptijs aliquando sculptæ. Hæc tertia Pyramis sagittæ iactu longius distat quàm secunda. Minimam illam appellamus, comparatione ad duas priores factâ: nam licet Romana candidi marmoris perpoliti ordinibus quinquaginta incrustata sit, Ægyptiacæ in morem; ejus tamen artifex magnâ solertiâ usus fuisse non videtur, etiam si cum minima Ægyptiaca conferatur, quarum plus quàm centum per eam planiciem hinc inde sparsæ conspiciuntur: nam ne unica quidem ex illarum numero adeò vitiata reperietur, uti Romana. Eam ob causam si cum illis comparetur, novam appellare licebit: etenim ejus interior pars rudere ex tegulis arena & calce conflato duntaxat constat; quod subsidens, marmoris incrustationem dissolvit; sic ut singula latera jam rimas agentia & fatiscentia Terebinthis, Capparibus, Genistis, Rubis, Tinis, Teucrio, Absinthio, aliisque stirpibus locum dederint in quo radices agerent: & nisi lapides ferro & plumbo firmati essent, jamdudum corruissent.

Plurimæ aliæ Ægyptiacæ Pyramides.

CAPUT XLV.

PRÆTER superiores tres, plurimas alias minores hinc inde per arenosam illam Africæ solitudinem sparsas vidimus: quarum pleræque etiam parvæ & rudioris operis, tum varii generis sepulchra, ad corporum cedriâ & nitro conditorum sepulturas in Ægypto destinata, quemadmodum bitumine in Iudæa. Historici prodiderunt, Ægyptios pro facultatum ratione sepulchra sibi condidisse. Opulentiores aliquod opus magnificentius & præstantius fabricari curabant, ut Obeliscos, Colossos, Pyramides: mediocris fortunæ homines, alia mediocria opera: neminem autem adeò tenuis fortunæ fuisse, qui non aliquot lapides in cumulum congestos pro sepulchro habuerit. Locus in quo sunt sepulchra exstructa, adeò incommodus & desertus est, ut nemo istic habitare aut quidquam serere possit. Inde Plato occasionem sumsit, leges sanciendi, ut sterilia loca, defunctorum sepulturæ dicarentur: quod & Græci & Turcæ nunc etiam observant, Arabum imitatione: nam mortuos sepeliunt salebrosis locis, ad colles aliquos alioqui naturâ steriles. Quia autem Sphinx, sive Androsphinx, cujus veteres tam frequenter meminerunt, integra adhuc est in arenoso illo campo cum Pyramidibus; facere non potuimus quin hoc loco de eâ nonnihil ageremus.

Ingens Colossus ab Herodoto Androsphinx nuncupatus, & à Plinio Sphinx, ante Pyramides excisus.

CAPUT XLVI.

DILIGENS consideratio ingentis saxei capitis Nili alveo vicini, paulùlum infra amplissimam Pyramidem, occasionem dedit ut Ægyptia opera admiraremur. Ut autem Plinius modum excessit in Pyramidum mensurâ; sic æquior fuit in describendo Sphingis Colosso ad amplissimæ pyramidis dextram sito, qua Orientem spectat. Nos in Sphingum descriptione diutiùs immorari nolumus: nam quæcunque de hoc animali picta & scripta sunt ab Æthiopibus & ab AEgyptiis, meræ revera sunt fabulæ. Sed Diodorus ipse cùm eas describeret, nihil aliud adferre potuit, nisi picturis, quibus expressæ sunt, similes esse, paulo tamen pinguiores, atque miti natura præditas. Hæc Diodorus, qui Sphinges ex earum picturâ nos dignoscere cupit, uti Herodotus Phœnicem. Iam verò Sphingum & Phœnicis picturas à vetustissimis temporibus exhiberi solitas certum est: quandoquidem eorum tempore ex picturis agnoscebantur. Sphinges itaque ex picturis cognoscere volentes, diligenter quibuscunque exstant vel cæsæ vel sculptæ locis, observavimus quænam earum esset forma. Sed cùm in diversis sculpturis, & veteribus numis adeò variè expressas deprehenderimus, ut ex denis aut duodenis vetustis quæ Romæ sunt, cùm in Capitolio ex marmore Basalte, sive AEthiopico lapide sculptæ, tum in peristylio Pontificii Palatii horto Belveder, ex Thebaico lapide, uti sunt Obelisci; nulla sit quæ cum altera conveniat; quæque in Augusti & Hadriani numis expressæ sunt, à sculptis differant: libertatem nobis concessam arbitramur statuendi, meram esse fabulam quidquid de iis scriptum est, ut postea demonstrabimus. Rex Franciscus, literarum restaurator, & omnis virtutis parens, binas satis obscuras fundi jussit, ad Romanarum imitationem, quas adhuc in Fontainebelleau Palatio cum aliis ejusdem Regis vetustatis monumentis videre licet: sed nec illæ cum Augusti numis aliquam similitudinem habent. Imò nullam adhuc conspicere nobis licuit, cui notæ à Plinio attributæ conveniant. Nam aliæ ubera in pectore habent, ut quæ sub brachio magni illius Colossi marmorei Nilum exprimentis conspicitur, tùm in Hadriani numis, & quæ Romæ est in horto Belveder. Aliæ in alvo, ut quæ in Augusti numis expressæ sunt. Aliæ his omnino carent, ut quæ Romæ ex Basalte & Thebaico lapide sunt. Nunc porrò de AEgyptia Sphinge, quam Herodotus Androsphingem nominavit, cujusque Strabo, Plinius, & plerique alii Auctores meminerunt, dicemus.
Lib. XXXVI. cap. XII. Plinius de Pyramidibus & hac Sphinge agens, ait: Ante has est Sphinx, vel magis miranda, quasi silvestre numen accolentium. Cùm tamen Sphingem nominat, caput immensæ magnitudinis duntaxat intelligit, ut ex ipsiusmet verbis apparet: Est autem saxo naturali „ elaborata (inquit) & lubrica: Capitis monstri ambitus per frontem centum duos pedes „ colligit: longitudo pedum centum quadraginta trium est: altitudo à ventre ad summum „ apicem in capite, sexaginta duorum. Hoc saxum formæ cubicæ insidet, nihilque aliud est quàm

quàm ingens quædam facies sculpta, Cairum spectans. Cujus faciei vel omnium ejus partium, veluti nasi, oculorum, oris, frontis, menti, & ceterarum proportio adeò diligenter observata est, ut negari non possit, quin insigni artificio sit facta: attamen nullam habet cum aliarum Sphingum sculpturis similitudinem. Rex Franciscus, rerum suspiciendarum summus admirator, Herculem ex ære fuso conflare decreverat: quod haud dubiè effectum curasset, nisi morte præventus fuisset: nam ejus typus diu asservatus fuit Lutetiæ in Regia *de Nelle*, quinquagenos binos vel ternos pedes altus. Hunc si absolvere licuisset, credibile est hoc opus reliquas cùm Romanorum Imperatorum, tum Ægyptiorum substructiones superaturum. Nonnulli existimant Martem eum conflare voluisse: nam & Veneris typus ejusdem magnitudinis jam factus erat: quique eum viderunt, plurimum admirati sunt. Sed aliud opus illis proponere volumus: nempe Mercurium quem Zenodorus architectus in Arvernia erexerat (quique postea Romam evocatus, Solis Colossum excîdit) quem Nero Imperator in Rodez, sive Segoduni Ruthenorum erigi curavit, ex solido marmore, qui exactè duplo major erat quàm Hercules Regis fuisset: nam quemadmodum Regius quinquaginta duorum & semis pedum altitudinem habere debebat; Segodunensis centenos quinos altus fuit. Sed hoc saxum de quo nobis sermo institutus est, magis adhuc admirandum: nam cùm sit solidum, sexaginta & trium * pedum est altitudine. Plinius centum quadraginta trium pedum longitudinem illi tribuit. Hic certè Colossus propter magnitudinem & altitudinem, non minùs admirandus est quàm ingens aliquis obeliscus. Asserere non dubitamus, Romanos ex solido saxo nunquam quidpiam confici curasse, quod operis præstantiâ & sublimitate cum Pyramide, aut Obelisco, aut hac de qua agimus Sphinge comparari possit: imò quidquid præstans unquam fecerunt, ad Ægyptiorum imitationem id peregisse; sed & Sphingum effigies, quæ nunc in Capitolio cernuntur, ex Ægypto delatæ sunt, idque post Plinii tempora: nam ne unicam quidem notam obtinent eorum quæ Plinius Sphingi tribuit, neque ulla illarum ubera vel alas habet: quæcunque etenim alas gestare videntur, Chimærarum & Harpyiarum sunt picturæ (de quibus in libro de avibus) non Sphingum. Romanorum statuas, veterum Ægyptiacarum comparatione, veteres nuncupare indecorum existimaremus: nam inter reliqua vetustatis monumenta quæ Romæ conspiciuntur, nihil vetustius conspicimus, quàm quod ex Ægypti regione translatum est. Nunc superest ut dicamus unde hæc Sphinx suam originem apud Ægyptios habeat. Sole in Leonis & Virginis signis existente, Nilus Ægypti regionem irrigat: itaque Ægyptii suas opes significare volentes, monstrum sculpturâ expresserunt, anteriore parte virginis formam, posteriore leonis referens, Sphingemque appellârunt: & quoniam pro hominis arbitrio sculptæ sunt; ideò earum forma adeò est varia. Certissimum autem est, ingentem hanc capitis molem, sepulchrum fuisse, uti & Pyramides & Obelisci: nam Plinius ait, Amasim Regem putant in ea conditum. Quoniam porrò funus conditum illud ipsum est quod falsò Mumiam vocamus, ejus conficiendi rationem hîc demonstrare volumus.

* *In huius Colossi descriptione discrepat Villamontius à Bellonio: nam nonaginta duos pedes tribuit eius altitudini, non comprehensâ basi, seu columnâ quæ sustinet; & sexaginta pedes crassitudini. Sed qui plura de hoc Colosso volet, consulat ipsius Bellonii libellum De admirabili operum antiquorum & rerum suspiciendarum præstantiâ. An porrò Sphinx & Satyrorum genus apud Plinium lib. 10. cap. 72. nostræ Simiæ, & Cercopitheci sint? quos cibum in thesauros maxillarum condere ait?*

Mumia, & vetus condiendorum sepeliendorumq; corporum in Ægypto ratio.

CAPUT XLVII.

ÆGYPTII mortuorum resurrectionem sperantes, corpora humana ab elementis aëre, terra, aqua, vel igne absumi, flagitium esse censebant. Nam, uti retulimus, Zoroastes Philosophus eos docuerat ignem animatam quandam beluam esse, quæ omnia devoret; & jam devorando saturam unà cum ipsa re devoratâ emori. Eam ob causam corpora in Ægypto cremari vetuit, pro aliarum nationum consuetudine, neque humari, sed condiri, ut à vermibus præservarentur. Pomponius item Mela de conditis Ægyptiorum corporibus agens, Medicata funera Latinè ea appellat, Plinius Servata corpora. Ea etenim ad æternitatem ita condiebant, ut adhuc incorrupta maneant, atque in æternum sint duratura. Corporum autem condiendorum apud Ægyptios ratio varia fuit: nam qui majores sumptus impendere potuit, accuratiùs condiebatur, atque ei splendidior sepultura curabatur: nemo tamen moriebatur, cujus funus quocunque tandem modo *Herodot. in Thalia.*

non

non conderetur. Ea corpora servata, nos Mumiam appellamus: Arabes tamen Auctores Mumiam describentes, medicamentum illud intelligebant à Græcis Pissasphalthon nuncupatum, cujus priore libro meminimus. Corporum in Ægypto conditorum, hoc est, nostræ Mumiæ usus tantus est in Gallia, ut Rex Franciscus, litterarum restitutor, nusquam proficisceretur, quin penui ejus præfecti semper cum Rhabarbaro illud in pyxide deferrent, atque etiam ipsemet gestare solitus esset. Qui, ut sua mendacia de hac Mumia stabilirent, arenosum mare finxerunt, quod ventis agitatum, eorum qui per Lybiæ aut Arabiæ solitudines iter faciunt, corpora absorbeat, multis imposuerunt: nam licet nonnulli in his arenis pereant, cùm tamen putredini obnoxij sint, non possunt eorum corpora non putrescere. Qui Tabulas topographicas fecerunt, & loca unde Mumia sumeretur adscripserunt, quàm judicio carerent, & istarum rerum ignari essent, apertè declarârunt. Eos autem minimè veraces esse, ex Theophrasto, Dioscoride, Galeno, Herodoto, Hippocrate, Diodoro, Strabone, & Plinio demonstrare volumus: qui de Ægypto agentes, expressè scripserunt corpora istic conservari medicamento cedria: quorum, cùm in Cairo essemus, tria delata sunt, in jam dictis sepulchris recens inventa. Nos in plurima sepulchra ingressi sumus, quorum alia concamerata sunt, alia in cubiculi formam exstructa; eorum enim infinitus per arenosa illa loca inter Pyramides numerus est.

Muscarum apud Pyramides tam magna est frequentia, ut aër illarum murmure (dum nobis transeuntibus avolarent) resonaret. Istic Tithymalum platiphyllon observavimus. Prandium autem sumpturi ad Nili ripam sub Pyramidibus descendimus: eò enim illati fuerant cibi; eodemque quo veneramus itinere regressi sumus. Cùm ad Nili alveum pervenissemus, istic nobiles quosdam Arabes sub tentoriis invenimus, Dominum de Fumet expressè exspectantes, ut illi gratificarentur; nam prandium illi apparaverant. Quoniam verò binos fidicines habebant, qui fidibus ludentes simul accinebant; eam harmoniam, qua delectati sumus, hoc loco describere voluimus.

Lyra Ægyptiorum.

CAP. XLVIII.

ÆGYPTIORUM Lyræ sive Violæ vulgo dictæ, singulis, aut ad summum binis fidibus sunt præditæ, quæ ex singularibus equinæ caudæ pilis constant non contortis: sic ut Lyræ tum plectri fides similes sint. Cervix oblonga est, itaque divaricatis admodum digitis tactus sunt faciendi. Magas sive ponticulus hujus Lyræ, vel eorum testudinis, non sustinetur à Chely lignea, sive assere, ut in nostris, sed à piscis in Nilo capti pelle, qui Glanis nominatur, sub ligno adglutinata. Ipsa concava testa, pyxidis planæ in morem formata est, quam oblongo ferro ex ipsa prominente humique innixo sustinent: eam enim humero non applicant. Simul accinebant voce pari sive consonante, quæ delectationem adferebat: nam rhythmici erant numeri. Eodem die Cairum pervenimus, ubi multo tempore hæsimus. Mercatores qui istic officinas instructas habent, è variis nationibus sunt, veluti Iudæi, Turcæ, Græci, & Arabes. Sed Iudæi majore ex parte Hispanica, Italica, Turcica, Græca & Arabica lingua utuntur.

Gyraffa, quam Arabes Zurnapa, Græci & Latini Camelopardalin nominant.

CAP. XLIX.

AB omni vetustate Satrapæ & Principes viri beluas exterarum regionum sibi dono mitti delectati sunt. Hujusmodi plurimas in Cairo vidimus undique eò advectas: inter quas erat quam vulgo *Zurnapa* vocant, veteres Latini Camelopardalin appellârunt, nomine à Pardo & Camelo desumpto: Pardi enim variis maculis infecta est, oblongumque instar Cameli habet collum. Elegans est animal, & mitis admodum præ reliquis feris naturæ, pænè instar ovis; Cervinum fermè caput habet, exceptâ magnitudine; exiguis obtusisque cornibus præditum, sex digitos longis, & pilosis: longiora marem à femina distinguunt: alioqui uterque sexus magnas aures habet, bubulis ferè pares, bubulamque linguam & nigram, dentibus molaribus in superiore mandibula carens: collum oblongum, rectum, & gracile, jubam tenuem & in orbem inflexam, gracilia crura, anteriora oblonga, posteriora autem adeò brevia habens, ut quodammodo erecta stare videatur:

tur: pedes bubulis similes habet: cauda ad poplites promissa, orbiculata, pilis obsita, equinis triplo crassioribus: medio corpore gracili: moribusque Camelo perquam similibus. Cùm currit, anteriores pedes simul glomerat: prona iacet, collumque in pectore & femoribus tenet, Cameli instar. Stans gramen depasci nequit, nisi admodum divaricatis anterioribus cruribus; nec id sine summa difficultate. Itaque credendum est, eam in solitudinibus vesci duntaxat arborum foliis, cùm oblongum adeò habeat collum, ut capite ad dimidiæ lanceæ sive sarissæ Germanicæ altitudinem pertingere queat. Cùm autem ejus iconem ad vivum expressam nacti simus, illam hîc exhibere libuit.



* *Camelopardalis meminit etiam Strabo lib. 16. in hæc verba: Camelopardalis nullam cum Pardali similitudinem habet: coloris enim varietate Hinnulo simillima est, virgatis pilis distincto: posteriora etiam humiliora sunt anterioribus, ut à cauda sedere videatur ad Bovis altitudinem. Anteriora verò crura Cameli cruribus non sunt humiliora: collum rectum est, & in altum exurgit, verticem paulo sublimiorem Camelo habet: propter quam partium inconcinnitatem (ἀσυμμετρίαν) nec tantam celeritatem habere puto, quantam dixit Artemidorus, insuperabilem affirmans. At nec fera quidem est, sed pecus; nullam enim feritatem præ se fert. Meminit & Plinius lib. 8. cap. 18.*

Elegans & parvus Africanus Bos, quem veteres Græci Bubalum appellârunt.

CAP. I.

SUMMA voluptas est homini studioso, & rerum antiquarum scrutatori, cùm in peregrinum aliquod & rarum animal incidit, ut illud veteri nomine exprimere nôrit: nam qui describere aliquam rem adgreditur non expressâ propriâ appellatione, næ is operam ludere videtur. Itaque cùm exiguum Africanum Bovem primùm conspiceremus quadrato & bene habito corpore & expolito; subitò nobis suspicio incidit, id animal esse quod veteres Græci Bubalon nuncupârunt: animadvertendum tamen est ne vocabulorum affinitas nobis imponat, nec pro hoc animali vulgarem Buffalum intelligamus. Nos porrò in eo omnes Bubali notas reperimus: ex Asamiâ in Cairum devectus fuerat, licet in Africa etiam inveniantur. Iam ætate grandis, corpore minor Cervo, sed habitiore & majore quàm caprea, tam quadrato & bene formato corpore, ut oculis gratus esset ejus aspectus: nam ejus pili flaui, adeò splendentes & læves erant, ut expoliti viderentur. Alvus magis rufa, ad flavum colorem tendens; dorsum ad fuscum accedebat: Bubuli pedes, breviaque & firma erant illi crura: collum crassum & breve, exiguis præditum palearibus: Caput bubulo simile; cujus vertici insidebant cornua nigra, incurva, ut Gazellæ, lunæque crescentis in modum inflexa, quibus haud multum se tueri potest, cùm in sese sint recurva: Bubulis auribus præditus, armos elatos & plenos habebat: caudam ut Camelopardalis, ad poplites usque promissam, nigris pilis fultam, duplo quàm equini crassioribus: Bovis mugitum edebat, sed non adeò sonorum. Breviter, si quis imaginetur se conspicere pusillum Bovem, quadrato corpore, pilo fulvo & splendente, cornibusque lunatis, surrectis, & in se recurvis, Bubali idæam habebit. Quoniam autem Bubali nomen ei dedimus, quod vulgariter Buffalo adaptatur, ingenuè fatemur vetustam Buffali appellationem nos ignorare: nam licet in Gallia nullos habeamus, adeò tamen frequentes sunt per Italiam, Græciam, & Asiam, ut nullum animal magis sit obvium. Itaque mirum videretur, si Aristoteles, qui in animalium perquisitione septies centena quinquaginta coronatorum millia, expensas faciente Alexandro, insumsit, illius non meminisset. Non negamus eum Bubali pluribus locis meminisse, & concedimus Buffalum intelligere voluisse: sed reliqui Auctores nobis dubitationem pariunt, an pusillum istum Bovem de quo egimus, intelligere non voluerit. Nam Plinius ait: Insignia tamen Boum ferorum genera, Bubalos, Bisontes, excellentique & vi & velocitate Uros, quibus imperitum vulgus Bubalorum nomen imponit, cùm id gignat Africa, Vituli potiùs Cervíve quadam similitudine. Solinus eadem



Ingens Alexandri liberalitas.

eadem dicit. Omnes autem notæ quas Plinius ſuo Bubalo tribuit, huic puſillo quem deſcripſimus Bovi conveniunt. Itaque facilè aſſerimus, Plinium & Solinum per Bubalum minimè Buffalum intellexiſſe. Quoniam autem Bubalum in Cairo ad vivum exprimi curavimus, ejus iconem Lectoris oculis ſubiicere voluimus.

Cervi genus Platiceroti ſimile, olim Axis nuncupatum: & Gazella, quæ veteribus Oryx dicta.*

CAP. LI.

ADERAT etiam utriuſque ſexus Cervi vel Platycerotis quoddam genus in illius arcis area, quod agnoſcere nequivimus, ſed ſuſpicione ducti, Axin eſſe arbitramur, de qua Plin. lib. 8. cap. 20. in hæc verba ſcripſit: „ In India & Boves ſolidis ungulis, „ unicornes: & feram nomine Axin, Hinnuli pelle, pluribus candidioribusque maculis; ſacram Libero patri. Uterque cornibus carebat, caudamque Platycerotis inſtar longam, ad poplites uſque propendentem habebat, quæ Cervum non eſſe arguebat. Et ſanè cùm initio videremus, Platycerotas eſſe exiſtimabamus: ſed diligentiùs deinde perpendentes & cum Platycerotis notis conferentes, opinionem mutavimus. Femina mare minor eſt: & utriuſque corium orbicularibus maculis albis rutilum ad flavum tendentem colorem diſtinguentibus aſperſum; venter albo colore inſignis: in hoc à Camelopardali differunt, quòd in Camelopardali phœniceæ maculæ ſatis amplæ album colorem diſtinguunt, non autem rutilum, ut in hoc animali Axi. Vocem magis argutam & ſonoram habent, quàm Cervus; mugientes enim audivi. Permultis igitur manifeſtis notis, eas feras neque cervos eſſe, neque Platycerotas, nobis occurrentibus, facilè inducti fuimus ut illas Axis nomine vocaremus. Aderant etiam cicures Gazellæ è ſilveſtribus locis eò deductæ, Capreæ prorſus ſimiles, corpore & colore Rupicapras referentes, anterioribus pedibus brevioribus, poſterioribus longioribus, Leporis modo: nigram lineam ſupra oculos ductam habent ut Rupicapra: atque Capellæ inſtar balant: at barba carent. Pilus rutilus eſt, ad pallidum tendens, lævis & ſplendens: pectus & nates albeſcunt, ut in Platycerote: cauda ſubtus candicat, atque ſuperiore parte fuſca eſt, ad poplitum uſque ſuffragines propendens, ut in Platycerote. Gazella multò leviore curſu montes conſcendit, quàm in valles deſcendit, & in plano ſatis veloci impetu fertur. Aures arrigit ut Cervus, graciliaque crura habet & biſulcos pedes: collum oblongum & gracile uti Rupicapra. Maris cornua majora ſunt, quàm feminarum, quæ omninò recta, niſi circa ſummum nonnihil incurvarentur, longioraque quàm Rupicapræ, & lunæ creſcentis in modum inflexa. Niſi cicurentur, loca campeſtria, ſterilia, & ſicca inhabitare ſolent.

* *An Bellonius Orygis nomen Gazellæ rectè tribuerit, hæreo: nam licet Plinius Historiæ Naturalis lib.* VIII. *cap.* LIIII. *inter Capræ genera Orygem recenſeat, Capræ, inquit, in plurimas ſimilitudines transfigurantur: ſunt capreæ, ſunt rupicapræ, ſunt ibices pernicitatis mirandæ: ſunt & oryges & damæ, & pygargi, & ſtrepſicerotæ, multáque alia haud diſſimilia: Orygi tamen quaſdam notas tribuit, quas haud ſcio an Bellonius in ſua Gazella obſervaverit. Sunt & Oryges, inquit, ſoli quibuſdam dicti contrario pilo veſtiri, & ad caput verſo: Deinde lib.* XI. *cap.* XLVI. *(Ariſtotelem ſequutus) unicum cornu illi dat. Solidipes & unicorne aſinus tantùm Indicus; unicorne & biſulcum Oryx. Quin & Martialis Epigrammatum lib.* XIII. *ſævum Orygem facit, inquiens,*

Matutinarum non ultima præda ferarum,
Sævus Oryx, conſtat qui mihi morte canum.

Ceterum aliud illud animal Gallis Dain *appellatum, cui Axin animal ſimile facit Bellonius, cùm eius Obſervationes Latinas faciebamus, Damæ nomine inſigniebamus, vulgarem multorum opinionem ſequuti: accuratiùs autem perpendentes notas à Veteribus Damæ attributas, hallucinatos eſſe nos, ingenuè fatemur: eam ob cauſam in hac altera editione, non Damæ vocabulo, ſed Platycerotis expreſſimus. Arbitramur enim Gallorum* Dain *è Cervorum eſſe genere, & à Plinio lib.* XI. *cap.* XXXVII. *Platycerotam appellari, ubi de quadrupedum cornubus agens; Sparſit hæc, inquit, in ramos, ut cervorum: aliis ſimplicia tribuit, & in eodem genere ſubulonibus ex argumento dictis: aliorum finxit in palmas, digitosque emiſit ex iis, unde platycerotas vocant: dedit ramoſa capreis, ſed parva, nec fecit decidua. Damæ porrò, quæ è caprarum genere eſt, ipſo Plinio teſte, ut diximus, cornua adunca tribuit. Rupicapris, inquit, in dorſum adunca, damis in adverſum. Sed & Martialis lib. iam dicto Epigrammatum, Damam imbelle animal facit, his verbis:*

Dente timetur aper, defendunt cornua cervum,
Imbelles Damæ, quid niſi præda ſumus?

Varias

Varias gesticulationes in Cairo fieri: Simiæ genus Callitriches nuncupatum.

CAP. LII.

ARABES multas gesticulationes in Cairo faciunt, quæ Constantinopoli non conspiciuntur: petauristæ verò gesticulando tympanum digitis pulsant, vocemque ad tympani strepitum pro arbitrio accommodant: tympanum enim ab altera duntaxat parte membranâ clausum est; ipsum lignum sex digitos latum, multa ænea fragmenta appensa habet sonitum simul edentia: sinistra autem tympanum tenentes, dextra digitis complodunt.

Multa animalia varias gesticulationes imitari magnâ facilitate edocent; atque inter reliqua, capras ipsas ephippium gestare, subsultare, & calcibus ferire equorum instar, quibus deinde simias sessores imponunt. Asinos item humi sese abiicere, volutare, atque mortuos se simulare docent, Simias quæ in illos insiliunt, se petere fingentes. Atque, quod rarum est, Cercopithecos similiter instructos habent, cùm tamen animal admodum inconstans sit. Magnas præterea Simias illas quas veteres Cynocephalos appellarunt, adeò edoctas habent, ut in orbem singulos spectatores adeant, manu protensa nummos sibi in illa numerari innuentes, quos deinde suo hero perferre norunt. Hac ratione varii generis Simias instituunt: inter quas nonnullæ à nostris differunt. Ex harum numero est quæ Plinio ob pilorum venustatem Callitriches nominatur. Rutilat ut aurea pensa, & è Cercopithecorum genere est, quod Aristoteli Cepus dictus: nam oblongam caudam habet ut Cercopithecus.

Qualis sit eorum apparatus qui Cairo Mecham proficisci volunt.

CAP. LIII.

QVVM singulis annis Caravanna ex Cairo Mecham iter conficiat, plurimi Turcæ Cairum conveniunt, ut huic profectioni sese comites addant, quam religionis causa in Mahometi gratiam (tametsi istic sepultus non sit) suscipiunt. Cùm verò per ingentes solitudines, in quibus neque oppida neque ædificia inveniuntur, iter faciendum sit; res ad integram profectionem necessarias comparare solent, ut cicer, non elixum quidem illud, sed in sartagine tostum. Multæ enim sunt in Cairo officinæ, quæ ciceris tosti quæstu sese sustentant, magna copia illud vendentes; cùm nemo sit qui non emat, quantum illi in totam profectionem sufficiat. Turcæ Mecham proficiscentes, simul duo itinera absoluunt: alterum in Almedina, ubi Mahometi cadaver reconditum est, alterum in Mecham negociandi causa. Nam inde magnam vim Aromatum & aliarum mercium referunt: Mecha autem ea est quam veteres Petram nominarunt, de qua plura libro tertio.


Profectionis nostræ ex Cairo in montem Sinai descriptio: & de singulari carnis præparandæ ratione his qui longum iter suscipiunt.

CAPVT LIV.

NECESSARIIS omnibus rebus ad longam illam è Cairo in montem Sinai profectionem comparatis, per portam egressi ad Septentrionem vergentem, Caravannam invenimus, quæ non procul ab urbe secundum Moscheam quandam consiterat, donec omnes qui profecturi erant advenissent, exspectans. Nam per Arabiam iter facere non est tutum, nisi magno comitatu. Dominus itaque de Fumet viginti Ianitzeros corporis custodes habens, juxta Nilum castra posuit, ubi vasa atque utres fluminis aqua implevimus, quæ nobis & nostris equis in triduum sufficeret: siquidem per solitudines nobis erat transeundum, in quibus nulli fontes, nulli rivi reperiuntur. Annonam insuper habebamus, nobis in profectionem & reditum sufficientem: fuit enim camelus biscocto pane onustus, in Domini de Fumet, eorumque qui frequentes illum comitabantur, usum. alius item carnibus in sequentem modum præparatis. Multi arietes jugulati & in frusta secti elixantur; deinde abjectis ossibus, in minuta frusta extremi pollicis articuli magnitudine conciduntur; quæ cum cepis & pinguedine porrò ad totius aquei humoris absumptionem elixata, sale & aromatibus asperguntur, & vasculis reconduntur. Hæ carnes sic

paratæ diu conſervari poſſunt: nam poſt decimum quintum etiam diem, addita cepa calefactæ, videntur illo ipſo die apparatæ, nobiſque in ſolitudinibus deliciæ fuerunt. Eo die ingentem perpeſſi ſumus æſtum, nulla aura ſpirante. Noctem ſequentem ſub tentoriis ad Nili ripam fixis, duximus: atque media nocte digreſſi, ut æſtum fugeremus, per ſteriles arenas pedibus cedentes iter faciebamus, in quibus nihil aliud creſcit quàm Hyoſcyami nigri genus, tantâ abundantiâ, ut agri duntaxat illo vireſcerent. Hujus ſemine Ægyptii oleum conficiunt, non modo ad lucernas, ſed ad alia pleraque illis utile. Poſtridiè ſubortus eſt lenis ventus, qui totius diei æſtum temperavit nobis ad Orientem tendentibus. In arenoſo autem iſto ſolo muris genus invenimus, jam dicti Hyoſcyami ſemine ſolummodo victitans; dorſo cinerei coloris, candida alvo, ſatis oblongo corpore, prolixaque cauda, & mucronato ore, ut nobis facilè obſervare licuit; nam quocunque profecti fuimus, ferreum ligonem ſemper circumtulimus, quo effoſſa terra, & hunc murem, & varii generis ſerpentes eduximus. Meridie ſub tentoriis ſubſtitimus, ut cameli & equi paullulum quieſcerent: quibus noctu aquam ex utribus depromptam bibendam dedimus; Cameli autem non biberunt, quia triduo aut quatriduo integro ſine potu perſiſtere poſſunt. Qui prodiderunt Arabes per ſolitudines iter facientes camelis accinere ſolere, ut gradientes excitent, verum dixerunt: nam qui camelos agunt, illorum paſſus obſervantes, ſimulque gradientes, cantum ad ipſorum paſſus accommodant. Iſtic uſque ad mediam noctem ſubſtitimus, quæ frigidiuſcula fuit, ob aërem nebuloſum & frigidum (nebulæ enim iſtic Septembri menſe non minus humectant, quàm in Europa rores Maio) interdiu tamen vehementiſſimus eſt æſtus. deinde ad iter nos accinximus, ut frigidiuſculâ noctis aurâ frueremur, diu in tenebris iter facientes, donec jam diluculo ad Suez puteum perveniremus, quod tribus caſtris ſive ſtationibus factum eſt: prior enim à Cairo ad Nili ripam, fuit ſub Palmarum arboribus, altera in ampla planicie, tertia ad puteum Suez. Omnibus iſtac iter facientibus conſtitutas manſiones, quas ſtationes appellavimus, ſequi neceſſe eſt: diſtat autem hic puteus duntaxat ſeſquimilliari, hoc eſt, ſeſquihoræ ſpacio ab oppido Suez; & caſtello includitur, in quo toto die ſubſtitimus. Ejus aqua ſalſa eſt, quam tamen viatores & Suez incolæ potare coguntur, alterius penuriâ, niſi è Nilo importetur, licet in arce Sues ingens & elegans ſit ciſterna, quæ ſemel vel bis in anno aquâ pluuiâ impletur: nam tametſi rarò iſtic pluat, ingentes tamen interdum decidunt imbres. Putei aqua ad potum camelis & equis præbendum dumtaxat idonea eſt: nam viatores aliam in ſuum uſum deferre ſolent. Perquirens in ea regione ſtirpes, atque aliquantulum per planiciem progreſſus, Ambroſiam, Senam, Hiericuntinam quam vocant roſam, Colocynthidem, Acaciam, Paliurum Agathoclis, à Theophraſto deſcriptum, Geniſtæ peculiare genus, Rhamni duo genera, atque arborem à Græcis Cairi incolis Oenoplia dictam inveni. Iſtic viperam cepi atque binos Ceraſtas, marem & feminam, quos, anatome factâ, ſigillatim deſcripſimus, eorumque exuvias tomento explevimus. Licet porrò plura de hoc Ceraſte cum aliis ſerpentibus egerimus, hic tamen etiam meminiſſe libet eum bina tubercula, inſtar hordei granorum ſupra oculos habere, gemina minuta cornua imitantia, quorum Ariſtoteles meminit, Colubros Thebanos eos nuncupans. At quemadmodum omnes auctores, alterius veſtigia ſequentes, in prioris errorem incidunt; ſic Solinus Plinii verba ſequutus hallucinatus eſt, cùm Ceraſten octonis cornibus eſſe præditum ſcripſit; etenim rem non ita ſe habere comperimus. Dentes viperinis ſimiles, ſimilique ordine diſpoſitos habet. Haud ignari ſumus magnam eſſe inter viperas differentiam, pro regionum in quibus vivunt, diverſitate: nam diligente curâ quam in iis cognoſcendis adhibuimus, factum eſt, ut in Anglia, Gallia, Italia, Græcia, Aſia, & AEgypto obſervaverimus, corpore coloreque inter ſe differentes, etjam in variis Galliæ provinciis. Viperam autem eam intelligimus quam Turonenſes & Cenomanni Aſpic nominant. Sed & in Arvernia inveniri, teſtes habemus. Nam cùm apud Fratrum Minimorum Monaſterium, ab Epiſcopo Claremontano Dn. Guilelmo du Prat apud Beauregard exſtructum, eſſemus, Renatus des prez, Epiſcopi familiæ pharmacopœus, Cenomannus, Foletourte municeps, nuda manu unam coram Epiſcopo ejuſque univerſa familia apprehendit, colubrum eſſe exiſtimans: at præmorſo ab ea illius pollice, totum brachium illico inflammatum, cum ejuſmodi ſymptomatibus, ut toto octiduo de ejus ſalute perquam exigua ſpes relinqueretur: poſtea tamen ſanitati reſtitutus eſt. Ceraſtes non minus quàm Vipera omnis & Salamandra, vivum animal parit. Quia verò Ariſtoteles ultimo cap. lib. 5. de Hiſtoria animalium de Vipera ſcribit in hunc modum: Parit catulos obvolutos membranis, quæ tertiâ die rumpuntur. Evenit interdum, ut qui in utero adhuc ſunt, abroſis membranis perrumpant: parit enim diebus ſingulis ſingulos, & plures quàm viginti. Id nos impulit ut admiranda Dei opera, viperas ſcilicet prægnantes, videre cuperemus. Attamen pace illius dixerim, ſine tunicis illos parere nobis viſa eſt.

*Quod



* Quod propterea hîc adiicere libuit, ut alii nostrâ dubitatione admoniti, etiam observent, & istam dubitationem nobis adimant.

Plurimas alias insuper plantas eo agro invenimus, quas neque veteri neque recenti nomine exprimere potuimus.

Hallucinaris Belloni: nam plerique viperas fœtum suum membranâ involutum abiicere observârunt: inter quos est doctissimus idemq; diligentissimus Naturæ scrutator Ferdinandus Imperatus. Eius verba apponam ut sunt Lib. XXVIII. *eius Historiæ Naturalis: In ea opinione, inquit, fuit Aristoteles, viperas singulis dumtaxat diebus unum fœtum parere, partumq; per viginti dies durare, priores autem fœtus sexto demum à partu die membranam quâ involuti, rumpere, posteriores verò qui diutiùs in ventre hærent, membranam quâ ambiuntur in utero adhuc existentes perfringere: attamen nos observavimus uno die omnes fœtus eiicere, singulósque suâ membranâ involutos, quâ ruptâ sexto insequente die aliam membranam tamquam exuvium & senectam abiiciunt.*

Altissimi in Arabia deserta putei descriptio.

CAPVT LV.

PVTEVS porrò, cujus meminimus, ut ipsius formam describamus meretur: nam re- vera admirabilis est: & magnis sumptibus exstructus olim fuit, cùm Sultanus Ægypto imperaret, ut urbis Sues incolæ faciliorem aquationem haberent, & viatores istac transeuntes suis jumentis aquam potandam præbere possent. Ædificium est non admodum amplum, muris cinctum, & arcis instar quadrangulare, in quo machina est ad hauriendam ex puteo, qui altissimus est, aquam exstructa, cum rotâ, quæ à bobus circumagitur: supra rotam bini sunt funes simul colligati ad pedis distantiam; secundum quorum longitudinem multi urcei adnexi, qui, versatâ à bobus rotâ, aquam ex puteo educunt, atque in alveum sub rota collocatum effundunt, quæ deinde per canalem extra arcem in cisternam fluit. Hujus machinæ descriptio, sit tanquam typus omnium reliquarum quæ in Ægyptiis hortis sunt: nam ad hujus exemplar omnes ferè fabricatæ. Paullo munitior est hæc arx, ut homines cum suis jumentis tutiores esse queant.

Plantæ, quæ arenosis circa Sues locis nascuntur.

CAP. LVI.

CVM apud eum puteum toto, ut diximus, die substitissemus, diu ante intempestam noctem discessimus, nec urbem ingredi voluimus, nisi in reditu. Lucescente die, ad Arabici sinus littus pervenimus, Sues ad quartam milliaris partem post nos relictâ: atque per sterilem solitudinem itinere facto, ubi nullæ stirpes nascebantur præter Acaciam, cujus gummi diligenter ab Arabibus collecto, per Europam in atramento & coloribus conficiendis utuntur; licet recentiorum nonnulli aliter existiment. Demonstrabimus tamen in libro de Arboribus perpetuò virentibus, id esse quod veteres *Gummi Arabicum* nuncupârunt. Ejus folia adeò tenuia sunt, ut eorum ala pollice contegi queat; quæ si numerentur, trecenta & quinquaginta reperies. Incolæ ejus ramos longis perticis flagellant, ut folia decutiant à pecore devoranda. Ejus iconem ad vivum expressam hîc adposuimus.

Acacia vera.



Superato Sues, latam planiciem ingressi sumus Sena virente obsitam, quæ istic sponte nascitur, qualis ad nos à mercatoribus adfertur. Sena autem quæ in officinis venalis est, duorum est generum, ut ex ejus delectu apparet: altera enim planas habet siliquas, falcis in modum incurvas, foliaque mucronata: altera etiam planas habet siliquas, ut prior, at multo latiores, & minus incuruas, foliaque obtuso mucrone prædita. Prior præfertur, atque Orientalis cognominatur: altera, quam mediam vocant, imbecillior. Regiones unde devehuntur, hanc differentiam pariunt. Rerum sibi similium affinitas facit ut errores nonnunquam committantur, quemadmodum in Sena & Colutea nostris hortis vulgari accidit, plurimis Senæ genus esse affirmantibus: falluntur tamen; nam nullas facultates cum Sena (quæ perpetuò viret) communes habet.

Duodecim amari fontes Mosis, quorum Plinius meminit.

CAP. LVII.

LICET satis maturè ad duodecim fontes perueniſſemus, istic tamen substitimus. Horum aqua admodum salsa est & amara: feruntque duodecim fontes illos esse, quorum in Bibliis fit mentio: nam Mosis fontes adhuc nominantur: Solo sterili, arenoso nitrosoque in amplissima planicie siti sunt, plus quinquaginta passibus ab invicem dissiti; non quòd omnes æqualiter inter se distent, sed unus centum, alter quinquaginta, reliqui plus vel minus. Omnes è terra scaturiunt ad tumuli vel colliculi radices, atque in varios rivos sese diffundunt, fontium perennium instar, qui paulo pòst in arena se condunt & evanescunt. Æstus tantam sitim nobis conciliaverat, ut salsam illam aquam singuli bibere cogeremur: quæ licet ob nitrum amara esset, ab omnibus tamen ob summam sitim grati saporis fuit reperta.

Lib. VI. cap. XXIX. *Plinius de his fontibus luculenter meminit, & Fontes amaros appellat, ubi ait Ptolemæum fossam duxisse latitudine pedum centum, altitudine triginta, in longitudinem triginta septem millium & quingentorum passuum, usque ad fontes amaros. Vltrà, deterruit inundationis metus, excelsiore tribus cubitis Rubro mari comperto, quàm terra Ægypti, vel, ne immisso mari corrumperetur aqua Nili, quæ sola potum præbet.*

Rubri maris sive Sinus Arabici canalis.

CAPVT LVIII.

ARABICVS sinus ad oppidum Sues desinit, ubi statio est triremium Turcicarum, quæ in continentem hieme subducuntur, quia portus ille à ventis malè tutus. Hoc mare, canalis sive sinus duntaxat est, haud latior Sequanâ inter *Haure-fleur*, & *Honde-fleur*, qui sine difficultate & periculo navigari non potest, ob scopulorum frequentiam: à Septentrione versus meridiem vergens, & à Sues ortum habens, per triginta ferè milliaria rectâ lineâ extenditur, paulo tamen infra duodecim fontes, nonnihil ad occasum sese convertens. Nonnulli hujus maris aquam, solúmve aut arenam rubere existimant: sed falluntur. Planicies in qua versabamur, ferè æqualem cum Sinus Arabici littore altitudinem habebat: ab altera parte celsissimi montes & rupes ipsum cingunt. Fontes gemino balistæ jactu à mari duntaxat absunt; à montibus verò, quos ad sinistram conspiciebamus, integro circiter miliari. Ab æstus maris recessu, varia minutorum pisciculorum, tum etiam conchyliorum & aliorum excrementorum marinorum genera observavimus, & in his erinacei marini quintum genus nusquam alibi nobis conspectum, licet jam alia quatuor inter se differentia observassemus. Omnes conchæ in ingentem magnitudinem excrescunt, vel climatis, vel temperati aëris, vel alimenti ratione.

Rhamni

Rhamni frutex ad sinus Arabici littus nascens.

CAP. LIX.

SECVNDVM littus ejus maris, fruticem invenimus Rhamno alteri similem, foliis crassis admodum, salsis & candicantibus: rami spinis horrent, sed obtusioribus, ut in Europæo rhamno. Gazellarum etiam vestigia observavimus, cordis figura in arenis impressa, æquabilis etenim est arena. Ex proximis montibus descendunt, ut ex dictis fontibus bibant, & Rhamni folia depascantur. Nos illìc quartam à Cairo stationem, & à Nilo tertiam habuimus. Impletis utribus, progressi sumus per saxosa & arida loca, nullisque fruticibus prædita, exceptis quibusdam genistis. Summus toto illo die nos adussit calor: nam Borealis, qui superioribus diebus nos recreaverat, ventus planè defierat. Et licet aqua è fontibus hausta, salsa, fœtida, & solis ardore quodammodo fervida esset, vix tamen ad exstinguendam in itinere sitim suffecit: suo enim calore sitim potiùs augebat quàm sedabat.

Chamæleones; laniferæ, & variæ aliæ arbores, in Arabia.

CAPVT LX.

CHAMÆLEONES invenimus multis notis ab Ægyptiis differentes: minores enim sunt, colorisque planè diversi, videlicet albi, cui ruber admixtus sit: licet autem utrumque genus libro de Serpentibus describemus; ejus tamen iconem hoc loco exhibere libuit, cùm ut ejus forma agnoscatur, tum quòd antè sæpiùs ejus meminimus.

Gazellarum greges per agros pascentes & currentes vidimus. Circiter autem meridiem substitimus, ut jumenta quiescerent; & sub tentoriis ob summum calorem delituimus. Noctù denuò jumentis oneratis discessimus, ut nocturno frigore frueremur; tum colles & tumulos invenire cœpimus; atque ad exiguum fontem progressi, quintam stationem habuimus; comparata istìc viva animalia, quæ hinc inde à pastoribus quibusdam agebantur, mactavimus, atque exstructo igne è Tamaricis, arborisque laniferæ, & Acaciæ Oenopliæque lignis, eorum carnes decoximus. Per istos colles oberrantes, Cappares invenimus, pumilarum ficuum altitudinem æquantes, ut nobis conscendendæ fuerint ad earum fructus colligendos, gallinacei ovi magnitudine, & semina intus continentes piperis instar calida: ipsæ Cappares juglandibus magnitudine non cedunt. Vt verò Insubres album sinapi in vinum vernachiam iniiciunt, ne ferveat, sed diutiùs suam dulcedinem retineat: sic Arabes istarum Capparum semina in suis vinis commiscere solent, ut dulcia ea conservent; quod etiam Avicenna annotavit. Herodotus primus meminit illius arboris lanigeræ: quem sequuti sunt Theophrastus, Plinius, & plerique alii. Ex earum arborum albo est, quæ perpetua fronde virent. Ejus lana bombycinis staminibus tenuior est, ex qua Arabes elegantes pannos texunt, longè tenuiores sericeis, & ex gossipio confectis candidiores. Quod facilè colligere licet ex ejus fructu, quem retulimus lanâ plenum. Per montana deinde, stirpibusque carentia & steriliora ipsis solitudinibus quas superaveramus loca iter fecimus: atque à mari digressi, tentoria fiximus eo vespere in quadam planicie Amphitheatrum quoddam ementiente: nam undiq. montibus cingitur, unico excepto loco. Hæc fuit sexta nostra mansio. Refectis quiete corporibes, & temperato calore, per reliquam diei partem cum subsequente nocte iter fecimus, atque sub diluculum denuò ad mare pervenimus: nam ubi digressi eramus, in arcum se quodammodò incurvabat. Ad trium ferè sagittarum jactum per aquam secundū littus gradiendum nobis fuit; deinde eo relicto, in magnas angustias concedendū inter arenosos montes, in quibus etiam lanigeras arbores & Cappares arborescentes invenimus. Superatis iis montibus, in planiciem pervenimus, in qua magnos Gazellarū greges vidimus, tam procul ab aquis viventes, ut ea de causa asseramus ipsas non bibere; vel si bibant, rariùs id facere: quod difficile creditu nō est, & veteres etiam scriptum reliquerunt: nam & plurima alia animalia sine potu viuunt; imò Anglicanæ Oves, Cerastes atque Viperæ inter reliqua serpentum genera, à potu abstinent; ut Chamæleones sine alimento plus quàm integrum annum vivere queunt. Confecto magno itinere, & calore

Chamæleon.



jam ingravescente, ejus vitandi causa substitimus: æstu autem mitigato, jumentisque illico oneratis, tota nocte iter fecimus, inter difficiles rupes ingressi, quæ Arabiam Petream à deserta dividunt.

Primus pagus quem in montem Sinai tendentes invenimus.

CAP. LXI.

IAM ipsa luce perveneramus in apertum locum, dextra & sinistra celsis montibus obsitum, ubi rivum aquæ fontanæ dulcis limpidæque invenimus, ex monte procul inde dissito delabentem. Ea prima aqua dulcis toto itinere à Cairo usque nobis obtigit. Insignis pagus ad hujus loci ingressum ab Arabibus habitatus nomine Pharagou erat, licet terna aut quaterna ædificia exstructa duntaxat haberet: nam ejus regionis pagi in ædium structurâ non consistunt, sed hominum numero, qui sub palmarum arboribus habitant, aut sub rupibus: suas enim ædes subterraneas condunt, ut apud Turones & Lodunenses, atque multis aliis nostræ Galliæ locis secundum amnes. Ianissarus cornicem pyxide tormentaria istîc deturbavit, quam Domino de Fumet obtulit. Pharagou locus nobis elegans visus est, ejus regionis quam emensi eramus respectu: nam punicæ mali, palmæ, oleæ, ficus, pyri, & aliæ arbores fructiferæ egregiam præbent umbram: atque is primus pagus fuit, excepto Sues, quem à nostro ex Cairo discessu invenimus. Refectis corporibus hujus aquæ dulcis potu, utribusque eâ expletis, & necessariis rebus comparatis, veluti gallinis, capris, vervecibus, pomis, pyris, granatis, uvisque recentibus, denuò jumenta oneravimus, atque nostrum iter prosequuti sumus. Ejus regionis incolæ, cùm raræ sint pluviæ, alia, ut dixi, tecta non expetunt, quàm Palmarum ramos, earum truncis subnixos, quo se aliquantulum à Solis ardore tueantur: ideoque fusci sunt coloris: asini autem, equi, cameli, verveces, hœdi, boves, vaccæ, capræ, gallinæ, ceteraque animalia, multo sunt minora Ægyptiacis. Rupe deinde cōscensa, Balani myrepsicæ arbores inter saxa provenientes conspeximus Betulæ magnitudine, similibusque ramis: caudice etiam candido, ut procul intuentes, Betulam esse existimaremus. Pharagou incolæ, ejus fructus diligenter legunt, & ex illis multum olei exprimunt. Ut autem istam arborem observaremus, occasionem nobis præbuit ejus semen cum suis siliquis trigonis, ab incola Arabe in acervum congestum apud pagum. In rivo autem similes plantas animadvertimus, quæ ad Europæ rivos nasci solent, ut Sysimbrium, Pulegium, Conyzam, Anagallidem aquaticam, Cardaminen, & Scirpos. Adverso rivo ascendentes, sub Palmarum silvis totum illum diem per continuas valles iter faciendo insumsimus, parumper tamen subsistentes, nostrorum jumentorum recreandorum causa: inde porrò totâ nocte equitantes, ad radices præaltorum montium Sinai, cùm illucesceret, pervenimus, isticque aliquantulum quievimus: paulò pôst, per difficilem ascensum subeundum fuit, ut in summum montem Sinai perveniremus. Humanâ enim arte gradus ex solido saxo parati sunt, & interdum in ipsa rupe excisi, quo faciliùs cameli atque alia animantia in montem traduci queant: rarò autem equi, ob nimiam itineris difficultatem. Is ascensus per dimidium miliare durat. Cùm ad summum pervenissemus, plus quàm binis adhuc milliaribus nobis progrediendum fuit inter montes tumulorum rotundorum instar hinc inde dispersos, & ab invicem dissitos, alios aliis majores. Tum demum à meridie ad monasterium pervenimus; licet summo diluculo montem conscendere incepissemus.

Mons Sinai.

CAP. LXII.

DE Sinai monte agere volentibus, cùm nihil celebrius istîc sit ipso monasterio; operæprecium visum est, primùm significare, monachos qui istîc habitant, Christianos Maronitas esse, atque Græco ritu vivere: qui jamdudum de nostro adventu præmoniti, obviam progressi, nos humaniter exceperunt. Eorum monasterium exstructum est ut quæ in monte Atho sunt, illi quod Agias Laura dicitur admodum simile. Templum humili loco structum est, quemadmodum & monasterium Ivero. Circiter sexaginta Caloieri Maronitæ ut plurimum in eo monasterio versantur, quorum nonnulli Græci, alii Syri, alii Arabes, omnes tamen Caloieri nomen retinentes, & Græco ritu viventes. Perinde ac si monachi Germani, Itali & Hispani Gallis essent permixti; qui licet diverso uterentur sermone, ejusdem tamen professionis essent. Peregrini montem Sinai accedentes,

dentes, in monasterio excipiuntur (nullum enim aliud est diversorium) in valle sito ad radices montis Oreb, magnamque habente aquarum commoditatem: nam rivus è monte delabens eò perfluit, cisternamque implet aquâ limpidâ, frigidâ, dulci, & omnibus suis dotibus præditâ. Præaltis muris cingitur, ut etiam adversus hostes qui impetum in illos facere vellent, sese tueri queant. Istic & Moschea est pro Arabibus & Turcis, & hospitium illis deputatum: nam Christianis montem accedere non licet, nisi comitantibus Turcis Arabibus. Per montis Sinai valles, amœnissimi conspiciuntur horti, in quibus vites & legumina coluntur, tum etiam brassicæ, lactucæ, betæ, cepæ, allia, porrum, & similes vulgares herbæ; arbores item fructiferæ varii generis, præsertim verò amygdalæ.

Montis Oreb descriptio.

CAP. LXIII.

SVMPTO prandio in monasterio, remissoque solis ardore, montem Oreb conscendere instituimus, itineris indicibus Caloieris; qui quæ singularia in hoc monte observanda essent, nos docerent, riuum qui in monasterium defluit, ducem sequuti. Ex Caloieris itineris indicibus vnus septuagenarius æquè agilis in ascensu erat atque quispiam alius in universo comitatu: magnũ sanè bonæ valetudinis indiciũ in hujus montis incolis: omnes enim eramus pedites. Montẽ conscendentibus Oriens objectus erat: paulo altiùs progressi, sub montis Oreb vertice vallem invenimus, in qua templum exstructum loco quo Helias cõmoratus esse dicitur: altiùs porrò, gradus lapide solido excisos, atq. portam quæ olim ad graduum initiũ claudi solebat, ad latus illud separandum; ut qui præsidium istîc collocare velit, descensu ex monte in eum locum facilè arceat. Ad summum montis Oreb verticem perducti, aliud templum invenimus: fuit autem iste mons habitatus ob fontis commoditatem, non mons Sinai, qui aridus est. Diodorus de Iudæorum regione agens, hujus montis meminit, Abbatæorum regionem appellans. Scribit enim saxum istîc esse munitissimum, quod à paucis defendi queat, quoniam unicus est & perdifficilis aditus. Hunc locum velle illum intelligere nobis videtur: nullus etenim alius totâ eâ regione reperitur, cui hæ notæ convenire possint, quàm monti Oreb. Itineris indices sigillatim nobis sacra loca demonstrabant, præsertim autem ea quorum in Bibliis fit mentio. Plurimorum Gallorum nomina sacelli montis Oreb muris inscripta legimus, qui se istuc pervenisse hac ratione testari voluerunt. Descendentes porrò, magnam cisternam inter binas rupes exstructam vidimus, non procul à sacello iam dicto, Agiasma nuncupato, in quâ pluvia aqua adservatur, de quâ bibimus: nam unus ex indicibus de industriâ lebetem cum fune ad aquam hauriendam detulerat. Montem conscendimus quà ad Orientem vergit, descendimus verò eâ parte quæ Occidentem spectat: ad cujus radices exiguum monasterium Saranda Pateres nuncupatum situm est, in quo ea nocte pernoctavimus.

Aliud monasterium ad radices montis Oreb situm: & saxum, ex quo aqua effluxit filiis Israël.

CAPVT LXIV.

HOC angustum monasterium ex altero dependens, templo præditum est, & à quadraginta Patribus nomen habet, in quo panem, vinum, & olivas conditas invenimus. Istîc sunt horti, varii generis fructibus exculti. Postridie inde discessimus, montem Sinai conscensuri, qua ad Orientem vergit, nos autem ad Meridiem spectantes. Sinai mons, Oreb longè celsior est: quemadmodum autem Athos mons, Sole ad occasum tendente, insulam Lemnon inumbrat; sic mons Sinai, Sole Oriente, mõnti Oreb umbram facit. Cùm ad montis verticem pervenissemus, durissimum saxum esse deprehendimus ferrei coloris, plantis tamen non carens: nam Absinthium seriphium, cujus semen Barbotina Gallis, vel Contra vermes nuncupatur, frequens istîc nascitur, Panax item Asclepium, Conyza, Eupatorium Arabum. undique montibus cingitur, & celsitudine superat montem Oetam in Græcia, vel Idam in Creta: at nostra opinione Olympo Phrygiæ humilior est. Adeò tamen celsus est, ut cùm faciem ad Meridiem obverteremus, facilè utrumque littus sinus Arabici, aliter Mare rubrum nuncupati, conspiceremus, quod in Britannici arcus formam incurvari videbamus: montes prætere a, in quibus situm est monasterium Divi Antonii aut D. Macarii in solitudinibus Æthiopiæ finitimis supra mare rubrum, ubi etiam habitant Caloieri Christiani, & Armenii, aliter Maronitæ nuncupati.

Deinde ad Orientem obversis, quousque acies oculorum penetrare poterat, nihil nisi montes & celsissimæ asperrimæque rupes Arabiæ Petrææ ad montem Sinai pertingentes, oculis nostris objectæ erant. Inde porrò ad Septentrionem conversi, supra montem Oreb, qui sesquimiliari duntaxat inde abest, regionem frequentibus scopulis & montibus obsitam videbamus, ad Orientalem usque plagam extensam, in qua Hierusalem, in montanis Monti Sinai contiguis sita. Ad Occidentem spectantibus, nihil aliud oculis nostris sese offerebat, præter Arabiam desertam, sterilem & arenosam, quam, ex Cairo venientes, emensi eramus: inter Occidentem verò & Septentrionem, sereno aëre, regionem in qua mare Mediterraneum, quod quinque dierum itinere aberat, discernere potuimus, non ipsum mare conspicere. Istìc etiam fons est ex eodem montis latere scaturiens, qui in monasterium Quadraginta Patrum, Quarenta Padri dictum, defluit, vallemque & Caloierorum hortos irrigat. Planicies in summo montis vertice non multo amplior est maximæ Pyramidis fastigio, hoc est, quatuor * passuum: sed paulo infra multo est amplior: neque eò perveniri potest sine summa difficultate, quoniam nulli adsunt gradus, & rupes est admodum præceps. Descendimus deinde in monasterium Quarenta-Padri dictum, ubi cœna sumta pernoctavimus: deinde ad D. Catharinæ monasterium, unde pridie discesseramus, regressi sumus. Ostensa est nobis in itinere rupes unde effluxit aqua quæ filiis Israël sitim sedavit, Mose eam virgâ feriente: solidum est saxum, surrectum, ejusdem qualitatis & coloris cum Thebaico lapide, ex quo cùm Obelisci sunt exstructi, tum Pompeii columna in Alexandria; nam variorum colorum granulis distinctum est, ut Thebaicus lapis: hinc nata occasio, ut plurimi cogitarint lapidem esse arte humana conglutinatum & paratum: attamen falluntur; quandoquidem nullus lapis æquè ferro resistat. Cùm autem vicinus sit rivus qui ex summo montis Sinai vertice delabitur, in suspicionem venimus, eam rupem non esse quam Moses ferisset, aut nullum istìc tum temporis fuisse rivum: vel, quod omnium pace dictum volo, Caloieri rupem (unde fontis scaturigo emanat) supra montem demonstrare potius debuerant.

* *Cap.* XLIII. *huius libri maxima Pyramidis fastigium duos dumtaxat passus amplum esse scribebat.*

Loca sacra quæ in Monte Sinai sunt.

CAP. LXV.

PRÆCEDENTIBUS diebus per supremum montis Oreb verticem iter feceramus: at hoc die secundum radices eum circumivimus, & eum locum transivimus in quo filii Israël fusilem vitulum conflantes postea adorarunt. Hujus monasterii atq. aliorum quæ in solitudinibus, quale D. Antonii, & D. Macarii, Caloieri, nullum frumentũ colligunt; at Patriarcha in Cairo habitans, singulis annis illis mittit, & Ægyptiaca legumina: oppidi Tor ad Rubri maris littus incolæ siccos etiam pisces; inter quos Salpas, Sargos, Sparos, & Cantharos exsiccatos observavimus. Reconditas item habent colymbades olivas & legumina. Pecus in vallibus alunt, non ut ejus carnibus vescantur, sed ut illo venundato, ex ejus lanâ quæstum faciant, ad alenda sua mancipia; qui verò in vallibus habitant, ut lac excipiant & caseos conficiant: nam Caloieri Græci neq. caseo, neque butyro, neq. carnibus vescuntur. Vites colunt, & nonnulla legumina serunt: solum enim in vallibus situm cùm riguum sit & humidum, satis temperatum est. Nam præaltus licet sit hic mons, adeò tamen frigidus non est ut Europæ Alpes: neq. tam calidus ut Europæ plana & humilia. Adeò autem sterilia & arida sunt hæc montana, ut nihil (præter paucula quædam in humidioribus locis) coli possit. Eâ nocte in D. Catharinæ monasterio quievimus. Postridie demonstrata nobis est in templo pensilis capsa, in quâ Catharinæ ossa adservatur. Sacra Græco ritu celebrantur: multisque elegantibus picturis & Divorum reliquiis templum ornatum est. Turcæ qui montem Sinai accedunt, istìc etiam Mesgedam sive Moscheam habent, sed extra Christianorum templi septa: nam & ipsi religionis gratiâ eò proficiscuntur. Caloieri exteris cibum administrare solent tam Turcis quàm Christianis; sed vilem admodum & exigui precii: oryzam nimirum, frumentum, fabas, aut pisa. Hæc decocta in lignea paropside media area proponere solent, quam cochlearibus coronant, & modicum panis sine mantili addunt: singuli deinde eò advenientes Arabum ritu se componunt, nempe ut pedibus extremis inflexis ipsorum calcaneis insideant. Hoc enim sedendi genus ab omnibus Arabibus usurpatur. Turcæ verò aliter sedent, nempe more sartorũ Gallorum. Ipse Schecarab, qui Dominum de Fumet à Cairo huc usque conduxerat, atque ipsius Nobiles eâdem cum Arabibus ratione sederunt. Caloieri liquidam Mannam in suis montibus colligunt, quam Tereniabin, ad durioris & concretæ differentiam, nominant. Nam quæ Tereniabin ab

Arabicis Auctoribus appellatur, fictilibus adservatur ut mel, atque in Cairum venalis defertur: Hippocrates cedrium mel, reliqui Græci Libani rorem dixerunt. In Gallia, ex Brianson delata, & in Laricibus summo montium jugo collecta, dura est, à jam dictâ differens. Cùm autem Manna duorum generum sit, utrumque genus in Cairi officinis venale reperitur: unum solidum, Mannæ appellatione; aliud liquidum, Tereniabin nomine: de quibus hoc loco nihil dicemus, cùm in libro de Arboribus perpetuâ fronde virentibus, satis superque de eis egerimus.

E monte Sinai in Taurum iter.

CAPUT LXVI.

IAM discessuros Caloieri baculis donârunt oblongis, teretibus, lævigatis & satis gravibus, quos ex eâdem arbore revulsos aiebant, ex qua Mosis virga confecta erat, quâ percusso saxo, aquam filiis Isaël elicuit. Videretur hæc arbor Acacia, nisi enodis esset. Nos, relicto quod emensi eramus itinere, id, quod Taurum ducit, ingressi sumus, quod duorum duntaxat est dierum. Magnos Gazellarum greges discurrentes per Sinai montes & rupes observavimus, quæ instar ovilium gregum multiplicantur, quòd nemo eas venetur. Noctem in planicie duximus; postridie summo manè ad eum montem profecti sumus, qui unico die superandus erat, inter Taurum & montem Sinai, admodum difficilem. Omnes magna ex parte Absinthio Seriphio & Pontico, Ambrosia Arabum, Eupatorio, Papavere corniculato, Balani myrepsicæ arbore, atque Genistæ Arabicæ genere à nostra diversæ obsiti sunt. Nascuntur etiam in saxorum fissuris Cappares, plurimum ab his quæ in arbores adolescunt, & quæ in Græcia proveniunt, differentes. Monte tandem superato, ejus descensus longè difficilior nobis fuit quàm ascensus: nam cùm celso loco essemus, magis difficilis visus est descensus ipsâ ascensione. Paululum in descensu progressi, amœnum fontem reperimus, qui secundum nostrum iter decurrebat, ejus riuum diu sequuti, Acaciæ nonnullæ stirpes, & Heliotropii majoris (quod in fruticem trium cubitorum altitudinis excrescit) sese obtulerunt. Hyoscyami præterea genus, in fruticem quodammodo assurgens, valde odoratum & pingue. Conspiciuntur etiam istic Colocynthides & Cucumeres silvestres ab Asiaticis & Europæis differentes. Paulo post meridiem, montem omninò supergressi, & amplam laxamque planiciem inter montem & sinum Arabicum sitam ingressi, quietis causâ tentoria fiximus, quatuor ferè à Tauro milliaribus. Paulo post mediam noctem institutum iter prosequuti, ante diluculum in Taurum pervenimus. Colocynthides per hanc planiciem maximâ abundantiâ sponte nascuntur.

Tauri oppidum & arx: tum singularia ad rubri maris littus observata.

CAP. LXVII.

TAVRVM perducti, tentoria extra oppidum quidem fiximus, at in oppidum ingressi sumus: oppidum autem nuncupamus, licet tenuis duntaxat sit pagus: sed quia celebris est istac transitus, marisque Erythræi portus, oppidi appellationem obtinet: cumque regio ad inhabitandum sit incommoda; magnum quidpiam est, talem pagum in adeò sterili loco conspicere. Dimidio à Tauro milliari, in planicie, quadraginta palmæ nobis ostensæ sunt, quarum in Bibliis fit mentio: apud has sunt aquæ calidæ, quarum scaturigo haud multo major est exili fonte: harum rivus aliquantulum decurrens, brevi per arenas evanescit. Summa loci incommoditas in qua Taurus situs est, facit ut pauci sint incolæ: nam lignis & aquâ dulci carent, coguntur que procul inde ea petere: ad hæc portus minùs tutus & tranquillus est, cùm omnibus ventis valdè sit expositus: imò ne portus quidem propriè dicendus est, sed marina potiùs plaga. Pagus editiore nonnihil loco situs est, quoniam intumescens interdum mare, totam planiciem inundat, & pagum ambit; cui contigua est arx, arenoso loco sita, exigua, quadrato lapide constructa, singularibus turriculis in quatuor angulis prædita, leviter fabricatis, & fossis aut aqua dulci carens: vicinum tamen habet puteum, cujus aqua salsa alterius penuriâ bibi potest. Hujus arcis latitudo intra muros sexaginta duntaxat passuum, longitudo octoginta, quales celeriter gradiendo fieri solent: eam itaque ejusdem longitudinis & latitudinis deprehendimus cum cœnaculo illo Palatii Lutetiani, Sala nuncupato. Magna Tauri pars à Iudæis & Christianis Græcis, Arabibus, & Armenis habitatur. Templum etiam est Caloierorum Maronitarum,

quorum sacra adiimus, partim Arabica, partim Armeniaca, partim Græca lingua decantata: quæ dum celebrantur, sedere non solent; at cùm longo tempore in templo sint, singulis scipiones præbent, quibus sub alis impositis innitantur. Magnus est hîc siccatorum piscium provetus; captos per alvum aperiunt, exenteratos saliunt & sole resiccant: eo etenim modo parati diu conservari possunt. Inter reliquos agnovimus Bars Gallorum, quos Latini Lupos nominant, & Vmbras, quas nostri *Maigres* appellant, Cantharos, Gallis *Bremmes de mer* dictos, & Synodontides, plurimos etiam Sargos, Sparos & Auratas, Dorades Massiliensibus dictas, à Gallorum Dorades differentes, quæ in Oceano capiuntur, & Faber Latinorum sunt. Salpæ istîc longè majores & frequentiores quàm in mediterraneo mari. Corallii genus istîc nascitur, Arabibus *Chavein* nomine cognitum, interiore parte concavum, numerosisque tubulis præditum: quoniam verò elegans est, & copiosum, ejus fragmenta, (quæ binorum cubitorum longitudine, coxæque humanæ crassitudine, colore partim albo, partim rubro sunt prædita) ad Mesgedarum & Carabaschara valvas appendere solent. Lapidis etiam genus istîc conspeximus, à veteribus Arabici cognomine insignitum: nec agnovissemus, nisi à Caloiero quopiam admoniti, qui ejus globos nobis ostendit à D. Macarii phano, quod ab altera sinus Arabici parte, è Tauri regione est, à sese (ut asserebat) delatos: ubi non minor ejus est copia quàm in aliis regionibus silicum. Orbicularis est, gravis, Pyriti similis, granis constans quadrangulis, Andro-adamantis instar. Taurus Caravannarum est statio, quæ aromata ex Mecha & Arabia felici advehunt. Scimus autem piper, gingiber, aromaticas nuces, caryophyllos, laccam, sanguinem draconis, atque macin eò invehi: etenim his omnibus Carauannam onerari conspeximus, nobiscum profecturam, in qua etiam viginti cameli his duntaxat conchyliis rotundis onusti fuerunt, quibus claves in Europa appendi solent: Cairi verò incolæ iis utuntur ad levigandam & expoliendam papyrum, telasque coloribus permixto gummi infectas, quibus amiciuntur, ut olim solebant.

Naves & cymbæ rubri maris.

CAP. LXVIII.

CYMBÆ, lintresque & alia navigiorum genera miserorum & egenorum incolarum earum urbium quæ ad mare rubrum & Taurum sitæ sunt, funiculis è foliis palmæ contextis duntaxat consuta sunt, quæ licet non adeò firmiter stipata sint, ac si ferreis clavis conjuncta forent, iis tamen se mari concredere non formidant: nam ligneis clavis ea adeò probè compingere, piceque stipare nôrunt, ut tutò navigare queant. Hallucinantur qui naves in quibusdam regionibus ferreis clavis non compingi ob magnetis metum existimant: nam licet magnes ferri ad se trahendi facultatem habeat; minimè tamen credendum est, eum tantâ vi pollere, ut navem ferreis clavis conjunctam, vel è longinquo pertrahere possit. Hujusmodi verò naves fabricant incolæ, quòd magnis arboribus, quarum asseres ferreos clavos ferre queant, reliquâque materiâ necessariâ destituantur; adeoque egeni sint, ut aliunde comparare non possint: cumque præterea naves ferro aut ære veterum more conjungere usus apud eos jam desierit, funibus cymbas consuentes, levibus expensis eas construunt. Huc accedit, magnis navigiis ipsos non indigere; exigua enim illis sufficiunt cùm ad piscationem, tum ad merces hinc inde per canalem, & æstate per mare rubrum transvehendas. Verum quidem est magnas onerarias naves, triremes, aliaque varii generis navigia istîc conspici; sed aliunde advecta. Vtut sit, navigatio in mari rubro periculosa, ob scopulorum frequentiam. Ad Tauri littus ostrei genus invenimus Tridachna à Veteribus Græcis nuncupatum, nunc autem à vulgo Aganon vel Aganos. Illyricis & Mediterraneis majus, & ab his quæ à Lemni & Eubœæ incolis Gaideropoda vel Acynopoda appellantur differens, & istîc in littore non minùs frequens, quàm nostrum in Oceano; eo Caloieri vescuntur. Generosum etiam vinum invenimus (nam Christiani Arabes, Armenii, Græcique incolæ vineta colunt) eoque utres & lagenas implevimus. Aqua quam Taurii incolæ bibunt, dimidio inde miliari petenda, eaque non admodum salubris: nam nitrosa & salsa est. Vicus est in eo pago, aliorum per Ægyptum sparsorum more contectus; sub tectum enim incolæ concedunt, ut ab insigni solis ardore sese tueantur. Palmæ per planiciem nascentes, dactylos ferunt pingues, rufos, molles, admodum humidos, & ab aliarum provinciarum dactylis differentes. Eam ob causam incolæ in sportis è foliis Palmarum contextis eos reponunt & comprimunt caricarum more, massamque conficiunt, quæ longo tempore conservari potest, ut tamarindorum massa; is vulgaris est & primarius incolarum cibus. Ingentes marinas testudines capiunt, quarum integumētum sive corium non minùs

Vide Garciam ab Orta.

amplum

amplum est ædificii alicujus ianua. Olim Christiani iis vesci non audebant, quia Patriarcha Alexandrinus omnes qui vescerentur, anathematis fulmine petiit: sed ab eo soluti, nunc vescuntur. E Tauro deinde discedentes, Cairum redituri, per planiciem iter fecimus, montem Sinai ad dextram relinquentes, & mare rubrum ad sinistram, ad Septentrionem verò tendentes, Polaris stella juxta ursam minorem adeò nobis humilis erat, ut vix quidpiam ursæ appareret cùm sub horizontem mergeretur. Conspeximus in ea planicie elegantes hortos apud fontem parietibus luto paleato constantibus cinctos, ad quos nullus nisi per januas aditus patet: tum etiam lacerti quoddam exiguum genus, scincorum magnitudine per planiciem excurrens, Arabes *Dhab* nominant. Conspecti sunt etiam nobis stelliones, quorum excrementa Arabes diligenter legunt, Græco nomine Crocodilea dicta, atque in Cairum venalia deferunt; unde ad nos porrò advehuntur. Inter steriles & calculosas arenas, exiguū animal invenimus phalangio simile, octonis pedibus præditum, hoc est, utrinque quaternis, quod equorum crura conscendens, mirum in modum eos divexabat: at camelorum ductores simulatque id animadvertebant, scopis ad eam rem paratis, illicò deturbabant. Nonnihil à maris sinu deflectentes, ad fontem pervenimus, cujus aqua subdulcis quidem erat, sed nonnihil etiam salsa, quâ adaquati sunt cameli. Istic subsistentes, postridie ante lucem secundùm maris littus iter fecimus: atque ob montis in mare prominentiam per aquam equitare necesse fuit. Deinde planiciem denuò ingredientes, ad pugnam nos comparavimus, ab Arabibus metuentes: eos enim prædæ causâ adoriri nos velle intellexeramus. Viginti Ianizari, Secharab cum suis Arabibus, & qui Dn. de Fumet comitabantur, cum reliquis sese comparaverant ad latrones Arabes excipiendos, si advenissent. Idcirco servatis ordinibus iter diu fecimus, & ob eorum metum maturiùs castra fiximus. At licet eo die magnum iter confecissemus; utribus aquâ repletis, & camelis rursus oneratis per binas adhuc horas progressi sumus, donec tenebræ orirentur: tum in planicie substitimus & pernoctavimus. Postridie per molles & aridas arenas gradientes, sub noctem in humidum locum pervenimus, atque istic inter montes quievimus, ubi tamarix, genista, acacia, holoschœnos & cyperus rotundus nascebantur. Aviculas in tamarice hærentes conspiciens, diligenter observabam, an aliquas agnoscere possem (mirum enim videbatur, aves adeò sterili loco vivere) inter has, passeres, anthi & ægithi à nobis fuerunt agniti. Vidimus etiam eodem die vultures & corvos prætervolantes.

Itineris à Tauro in Cairum dietim confecti supputatio.

CAPVT LXIX.


Ex eo loco digressi, in eandem viam rediimus, quam in montem Sinai proficiscentes reliqueramus, atque pervenimus ubi mare rubrum in planum littus se explicat. Secundo per aquam nobis gradiendum fuit camelorum ventre tenus. In littore lapidem invenimus orbicularem, magnitudine & crassitudine cum argenteo nummo Gallis *Teston* appellato, respondentem, quem numisma (ferrei etenim coloris erat) esse arbitrabamur, quòd Hebraicos quosdam characteres naturâ expressos haberet: is nobis in memoriam revocavit alios quosdam lapides in Britannia etiam à nobis observatos, in quibus tribuli aquatici, Domini de Rohan insignia, erant expressi. Sub noctem dimidio miliari à fontibus amaris substitimus, ad quos propter jumentorum lassitudinem, & noctem vicinam pervenire nequivimus. Postridie ante lucem digressi, & ad fontes pervenientes, utres aqua implevimus, & paullum deflectentes ad Sues meridie venimus. Itinere igitur dietim, ut ex Tauro in Sues confecimus, supputato, quinque dierum cum semisse esse comperiemus, etiam properanter confectum. Hujus sinus sive canalis nec aqua nec arena rubent, ut plerique existimavêre: nomen alia de causa ei inditum. Nam Rex quidam, Græco nomine Erythra dictus, Ægypto imperans, huic mari appellationem dedit: hinc Erythræum, hoc est, rubrum mare appellatum. Æstus reciprocationem habet ut Oceanus: sinus enim solummodo est ex Oceano in continentem Arabiæ protensus, quem veteres Arabicum cognominarunt: at successores Erythræum dixerunt ab eo quem dixi Erythra, qui naves fabricandi artem invenit: cùm antè ratibus duntaxat veherentur, ut solent nunc in Druentia, & aliis rapacibus fluminibus.

Portus Sues ad Maris rubri littus.

CAP. LXX.

RECENTIORVM plerique Sues oppidum olim Arsinoë fuisse nuncupatum volunt: quod verisimile videtur; nam primus rubri maris portus est, & Cairo vicinus. Alexandro è vivis sublato id nomen adeptum fuit: Ptolemæum enim Lagum, cùm Ægypto imperaret, filiam suam Arsinoën insignis formæ Lysimacho Macedoniæ Regi matrimonio collocasse legimus, in cujus honorem hanc urbem Ptolemæus Philadelphus exstrui iussit, & ipsius nomine appellavit. Magna hîc est omnium rerum difficultas; eam ob causam à paucis incolitur: nulla enim est aqua potabilis ad duo milliaria in circuitu. Illîc duntaxat conspicitur exigua quædam arx, veteri more exstructa, infirma, in tumulo sita. Et licet Turcarum Imperator ingentes sumptus fecerit, ut magis excultum eum locum redderet, ne hilum tamen profecit: tanta enim omnium rerum, uti dixi, est difficultas, ut vix quisquam habitare queat. Circiter triginta vel quadraginta triremes conspeximus in sicco repositas, quas Turcarum Imperator Constantinopoli in Nilum usque transvehi curavit; deinde adverso Nilo Cairum pertrahi; ibi dissolutas, camelis & curribus in Sues deportari, atque denuò concinnari. Navium statio illîc malè tuta est; quoniam plaga marina omnibus ferè ventis est exposita. Difficilis est in mari rubro, ob scopulorum, qui sub aqua latent, frequentiam, navigatio: attamen omnis classis quæ à Turca adversus Indos mittitur, in Sues instruitur. Atque cùm istîc versaremur, incidimus in quadraginta vel quinquaginta camelos, Cairo illuc missos, qui aquam è puteo Sues haustã, coriaceis utribus deferrent in triremiũ usum, quas Bassa sive Pro-rex Ægyptiacus in Indiam ablegabat, ut oppidum nomine Zibit, quod paulo antè defecerat, denuò sub potestatẽ redigeret. Tametsi autem ea aqua salsa sit & amara, nautæ alterius dulcioris penuriâ bibunt. Cairum repetentes, medio inter Sues & puteum itinere, speculatores conspeximus, tabulatis quibusdam hinc inde sparsis insistentes, eorum more qui apud nos vineta, ne uvæ decerpantur, observant. Singulis tabulatis bini aut terni viri inerant, qui procul conspicerent an insidiatores aliquos observarent, & urbis incolas admonerent, ut sibi caverent: quod cum his convenit quæ Plinius de Carthaginensium speculis (quibus usi sunt dum Romani illis bellum inferebant) narrat, hinc inde per illius regionis plana, quæ veluti mare æqua sunt, & deserta ut apud Sues, collocatis. Ad puteum Sues cùm secundò pervenissemus, in multam noctem substitimus: deinde oneratis rursus camelis, reliquâ noctis parte, & sequenti die, sine intermissione iter continuavimus, donec serò admodum ad Nili ripam pervenientes, eodem loco pernoctavimus, in quo antè, dum montem Sinai petebamus, quieveramus. Hunc successum nostra habuit in eum montem profectio, quam vicesimo die absolvimus, reductis solùm tribus equis: nam reliqui sex vel septem in itinere perierant. Arabes fabis duntaxat & hordeo eos pascebant, quemadmodum camelos, quorum etiam maxima pars periit. Hoc die camelorum dux, animadversa procul in planicie vipera, proclamata & geminata viperæ suo idiomate appellatione, conjectis saxis, ipse & ejus comites illam necarunt; quod indicium est, illos magnoperè eas exhorrescere. Ægyptiacæ viperæ & cerastæ pelle admodum obsequente sunt præditi, ut experientia nos docuit: nam earum pelles tomento impletæ, duplo crassiores quàm antè fuerunt; quod in aliarum regionum viperis non contingit. Habet Ægyptus multos præterea serpentes, quorum non meminimus, quia de nocentioribus dixisse satis est. Quoniam porrò condita atque integra quorundam serpentum alis & pedibus præditorum (quos ex Arabiæ parte in Ægyptum advolare ferunt) corpora vidimus, unius ex iis iconem Lectorum oculis subiicere voluimus, plura de eo in libro de Serpentibus dicturi.

Draco.



In itinere, Arabum & Ægyptiorum rusticorum turbam invenimus, quam Bassa vi per Ægyptum comprehendi iusserat, ut remigum officio fungerentur in expeditione suprà memoratâ. Cairi enim Bassa, qui Turcarum Imperatoris nomine Ægypto præest, triremium classem paraturus, quoscumque obvios indifferenter comprehendi iubet: nec quisquam mutire audet, quandoquidem id fit in Turcici Imperatoris obsequium; tanta est inter eius subditos obedientia: catenis tamen non coërcentur, sed expeditione confectâ, domum redire permittuntur. Quo tempore similis fit delectus, Christiani Cairum incolentes, domi se continent, nec quòquam egrediuntur. Turcici milites,

qui

qui tota illa profectione comites Domino de Fumet additi fuere, tantum biscocti panis secum detulerant, quantum ad illam è Cairo ad montem Sinai profectionem sufficeret: nec tamen omnem in reditu absumserant. inde facile cognosci potest eorũ in victu frugalitas, quam aliarum nationum homines imitari haud possent. Noctis partem ad Nili ripam traduximus: postridieque summo mane, oneratis camelis Cairum secundò pervenimus. E Cairo in montem Sinai profectio, Ægyptiacorum & Arabicorum Camelorum cimiterium est: quia plerique omnes in eo itinere pereunt, ut apparet ex eorum ossibus quæ hinc inde secundum viam dispersa jacent: inde fit ut illud iter multum à vulturibus frequentetur, quorum pridie magnas turmas (in quarum singulis non minus quinquageni fuere) observavimus: atque affirmare ausim inter reliquas rapaces atque curvis unguibus præditas aves, solos vultures turmatim volare.

Murrhina vasa in Cairo venalia; & de Nitro.

CAPVT LXXI.

INGENS Murrhinorum vasorum copia in Cairo à mercatoribus publicè venalis proponitur. Cùm autem videremus ea novo Porcellanæ nomine appellari, ejus appellationis Gallicum etymon perquirere libuit: atque animadvertimus, denominationem sumsisse à Conchylii quodam genere Murex Latinis dicto, quod Galli concham porcellanicam nuncupant: tametsi affinitas vocabuli Murex satis respondeat voci Murrhina: Gallicæ tamen appellationis etymon duntaxat perquirimus, quoniam Porcellanica vasa ea nuncupamus: nec ignoramus Latinos Myrrhæ vocem à Græca σμύρνα deduxisse. Vasa quæ Porcellanæ appellatione apud nos hodie venduntur, nullâ notâ cum veterum vasis conveniunt. Sed nec summi totius Italiæ artifices similia parare norunt, nam commoda materia destituuntur: attamen vasa ab ipsis conflata, Porcellanæ nomine donant atque etiam venundant. Latæ significationis est Porcellanæ vocabulum, & multis conchis marinis applicatur. Quia porrò elegans vas è concha marina paratum aptius denominari non posset secundum veterem appellationem, quàm Porcellanicum: expolita illa & splendentia conchylia margaritiferis conchyliis respondentia arbitratus sum affinitatem aliquam habere cum materia vasorum antiquorum Porcellanicorum: huc accedit, quòd Galli sphærulas illas ad preces ad numerum recitandas idoneas, è magnis cochleis confectas, Porcellanicas sphærulas appellant. Transparentia sunt ea vasa Porcellanica, magnóque æstimantur in ipso Cairo, quoniam ex India deportari affirmant: quod mihi verisimile non videtur.[a] nam neque adeò frequentia, neque adeò magna vasa conspicerentur, si ex tam remotis regionibus deferrentur: Gutturnium enim, poculum, aut aliud vas quantumvis parvum, singulis ducatis væneunt: si ampla sint, tanto pluris æstimantur.

Magna est in plerisq. Europæis pertinacia, qui affirmant nostrum Sal petræ esse Nitrum veterum, cùm tamen ne mica quidem legitimi Nitri in universo orbe Christiano reperiatur, nisi aliunde delatum; contrà in Cairo adeò vulgare sit, ut ejus decem libræ vix uno maidin æstimentur. Varius apud illos ejus est usus: nam & vasa eo inducunt, & siliquis Acaciæ admixtis coria parant.

Extra urbem Cairum eleganter constructa conspiciuntur templa, Mesquitæ, seu Moscheæ, sive Mesgedæ dicta, multorum magnatum sumtu & curâ paucis ante annis exædificata: nam si quis Bascha, Sangiacus, aliúsve auctoritate pollens Imperatoris Turcarum aulicus, aliquid memoriâ dignum posteris relinquere vult, ejusmodi fabricas exstruit pietatis causa, quibus cisternas adjungit, aquæ conservandæ idoneas, ut quilibet sua jumenta inde aquare, ipséque secundum eorum consuetudinem eluere se possit: nam toto corpore eloto, ab omni peccato se liberari, ex Mahometi instituto, arbitrantur. Solent Arabes publicis locis aquam plerumque proponere, quam per certos viros circumferri curant, & quibusvis obviis præberi sine ullo precio, nisi qui aquam sumpsit, ciuilitatis causa aliquid ipsemet donet. In Cairo reliquisque Ægypti, Syriæ, Turcorumque Imperatori subjectarum Provinciarum urbibus, ubi viæ coëunt & conjunguntur, ingentia ponuntur vasa, quæ singulis diebus aquâ implentur, ut qui sitiunt inde haurire queant. Inde fit ut publicè cibum sumere eos non pudeat. Nam comparato quem cupiunt in foro cibo, ad vas aliquod aquâ plenum concedunt, exemptisque calceis istic considentes, in propatulo vescuntur. Fenum in Cairo venale, in pratis, nostro more, non est demessum, neque gramen est, quale in Cycladum insularum scopulis legitur: sed ex trifolio[b] sato constat, caule concavo prædito, quod demessum in manipulos colligatur, deinde per fasces distribuitur. Eo autem libenter vescuntur equi.

[a] Mirum ſane eſt, Bellonium dubitare, an porcellanica vaſa quæ Cairum ex India advehuntur, ſint legitima, ob abundantiam & pretii vilitatem. Si Vliſippone Regias naves conſpexiſſet ex Goa & aliis Indiæ Orientalis emporiis redeuntes, varii generis mercibus exoticis onuſtas, inter quas & frequentia vaſa porcellanica, non iſtîc quidem confecta, ſed ex Sinarum regno advecta, aliter haud dubiè ſenſiſſet. Sed etiam nunc, poſtea quàm Batavi in Indiam Orientalem navigationem inſtituere cœperunt, ex Bantam Iavæ emporio, & Sumatra aliiſq; Inſulis in quibus Sinenſes negotiantur, ſingulis annis ſimilia vaſa cum magnâ aromatum omnis generis abundantiâ reportant.

[b] Non dubium eſt: quin id trifolium legitima ſit medica, quæ viridis per Hiſpanias equis datur: nullum etenim fœnum per univerſam Hiſpaniam reperias; nec etiam avenam; hinc, conciſum ſtramen ſœni, hordeum avenæ vicem illic ſupplet.

Succinum non eſſe foſsile, ut plerique exiſtimarunt, ſed arboris gummi.

CAP. LXXII.

SVCCINVM è quo ſphærulæ, quibus ad numerandas preces uti ſolent, parantur, non minore eſt apud Arabes, Syros, Ægyptios, & Indos precio, quàm apud Chriſtianos: nam Turcæ perinde his ſphærulis utuntur ut noſtri homines, & ſuas preces ex conſuetudine ad eas demurmurant. Sed & ad alios varios uſus applicant, veluti ad ornatum ephippiorum, frenorum, clitellarum, equorum, mulorum, camelorum. Ejus adhuc rudis ingentes culeos plenos in Cairo conſpeximus, fragmentis ſive glebis gemini pugni craſſitudine, quorum nonnullis arboris cortex adhuc inhærebat, tenuis, levis & nitidus: & cùm ejuſmodi cortex interdum inveniatur pluſquam palmari amplitudine; ingentem arborem ex qua profluit, eſſe dicendum eſt. Plerique æſtimarunt Succinum fluidum eſſe liquorem terreſtrem, qui in mare devolvatur, & iſtîc induratum à ventis in littus reiiciatur. Erroneam autem eſſe hujuſmodi opinionem experientia ipſa docet: nam ſi Succinum in aquâ mergitur, quâ ratione verum id eſſe poterit quod aſſerunt? Diligenter igitur perlectis iis quæ veteres de Succino ſcripſerunt, totieſque reperto inhærente cortice, in Diodori ſententiam facilè concedimus, qui expreſsè affirmat gummi arboreum eſſe, quod vi ferrum ad ſe trahendi pollet, quemadmodum magnes, ſi primùm fricetur; quod Diocles, Theophraſtus, & nonnulli alii jam obſervaverant: idque verum eſſe comperimus. Pleraque obtinet nomina cùm Græca tum Latina, uti Succinum, λυγγούριον, Lapis lyncis, πτερυγοφόρον.

Bellonium in cenſura de Succino falli, iam notius eſt quàm ut multis de ea re agendum ſit: nam & odor & tota adeò Succini natura bituminoſum quidpiam eſſe, facilè evincunt.

Noſtræ Profectionis in Hieruſalem apparatus.

CAPVT LXXIII.

IN Cairo ſubſiſtentes, profectionem in Hieruſalem adornabamus, & res ad eam neceſſarias curabamus, conductitia jumenta & annonam nobis comparantes, quemadmodum antè ad profectionem in montem Sinai feceramus. Hieroſolymitana autem profectio, magis equorum & mulorum quàm camelorum operâ perficitur. Turcæ porrò & Arabes longinquam profectionem æſtate ſuſcepturi, tamarindos emunt: magni etenim uſus ſunt per univerſum Turcæ dominium, non ad medicamenta paranda, ſed ad ſedandam ſitim, ut ſingulis annis plus quàm tria millia pondo in Cairo venundari putem.

In eorum Meſquedis elegantia magna vaſa è marmore varii generis confecta antiqui operis conſpiciuntur, quæ olim ad condienda variorum animalium cadavera uſurpaſſe credimus: nam cùm pleraque animalia ſacra æſtimarent, ea condiebant, & in ejuſmodi vaſa tanquam in ſepulcrum recondebant; homines autem aliter condiebantur, ut antè diximus. Cairi incolæ mentionem facientes Præfectorum qui Sultani tempore vixerunt, Circaſſos eos nominant; quod admirati ſumus, appellationem adeò antiquam & Herodoto notam etiamnum retineri audientes. Cairinus Baſſa ſuam aulam non Arabum aut Ægyptiorum, ſed Turcorum more gubernat. Cumque obſervaverimus qua ratione Dominum de Fumet (qui illum ſalutandi & ipſi valedicendi cauſa adiit) exceperit, dignum quod hîc inſereretur judicavi. Omnes ſuos Ianiſſaros auratis, ſericeiſque diverſorum colorum veſtibus eleganter exornatos ordine collocavit, nullis acinacibus aliiſve armis accinctos, ſed demiſſis & decuſſatis manibus; quod indicium eſt magnæ Turcarum obedientiæ: ad gerendum etenim bellum ſolummodo arma expetunt. Arabes geſtare pugiones ſolent,

ſolent, quod Turcæ nondum in uſum receperunt: alia tamen tela habent cùm pacis tum belli tempore magis utilia, de quibus iam diximus. Comparatis rebus ad profectionem neceſſariis, terreſtri itinere illam abſolvere viſum fuit.

Ægyptiacus quidam frutex ſemper virens, qui rubro colore inficit.

CAP. LXXIV.

DIE Saturni qui fuit XXIX. Octobris anni quadrageſimi ſeptimi ſupra milleſimum & quingenteſimum, nocte dubia, urbe egreſſi ſumus, & ad Meſquedam quartâ milliaris parte ab urbe diſtantem conceſſimus, ſub cujus tecto pernoctavimus: unde die Dominica ante lucem diſceſſimus. Ægyptus Nilo inundata nobis ad ſiniſtram erat, in quâ pagos locis editioribus ſitos inter palmarum ſilvas conſpiciebamus. Obſervavimus fruticem Alcannam nuncupatum, quem diligenter colunt, atque ex eo egregias cæduas ſilvulas parant. Latini Arabum interpretes, Liguſtrum Latinorum eſſe arbitrati ſunt, ſed falluntur; nam diſſimiles ſunt frutices. Alcanna * in Punicæ mali altitudinem excreſcit: ſed cæſa, virgulas duntaxat profert, ſaligneorum viminum inſtar. Magnum adfert quæſtum Ægypti incolis: nam ejus folia arida in pollinem terunt, flavo colore inficientem. Hujus pollinis cenſus tam ingens eſt per eas regiones quæ Turcarum Imperatoris ſubjacent imperio, ut plus quàm octodena ducatorum millia reddat: invaluit enim ea conſuetudo, ut omnes mulieres, manus, pedes, capillorum partem rubro aut flavo, viri autem ungues rubro colore, hoc pulvere inficiant: addito præterea alumine, puerorum utriuſque ſexûs capillos tingunt, equorum jubas, pedes & caudas. Ejus regionis mulieres ad formæ decorem multum accedere putant, ſi ab umbilico infrà, etiam coxarum partem flavo colore inficiant, quem ex hoc pulvere concinnare norunt, ſimulatque ex balneis egrediuntur; quoniam eo tempore color altiùs penetrat. Illius uſus adeò frequens eſt, ut non modò apud Turcas invaluerit, ſed etiam Wallachiam, Ruſſiam, & Boſniam deferatur. Cùm itaque plebs hoc pulvere carere nequeat, neceſſariò ejus diſtributio magnum cenſum præbet: ſæpeque accidit ut Alexandrinæ naves eo oneratæ, Conſtantinopolin devehantur, qui illicò venundatur & diſtribuitur. Cairum egreſſi, Canalem ſequuti ſumus Damiatam ducentem. Et quoniam intempeſtâ nocte diſceſſeramus, ante lucem pervenimus ad viam quæ Sues ducit.

Alcanna Arabum.



* *Huius etiam meminit C. V. Leonhartus Daſylycus, ſive Rawwolfius, Lib. 1. cap. 4. ſui Hodœporici. Tripoli, inquit, invenitur etiam frutex, noſtro in Germania Beynholtz ſeu Mundholtz, Liguſtro à Latinis appellato, ſimilis; Arabes* Alcanna, *ſive* Henne, *Græci vulgari lingua,* Schenna *vocant: ad quos ex Ægypto, præcipuè verò ex Cairo, ubi copioſè provenit, defertur. Hunc Turci & Mauritani, propter florum gratum & ſuavem odorem, Moſcho ſimilem, diligenter in fictilibus vaſis, aut ligneis capſis alunt, & hieme, ne frigore (valde illi adverſo) pereat, in cubiculis aut ſubterraneis locis ſervant. Flores ſunt pallidi, vel ſubflavi, naſcentes in thyrſo palmum ferè longo, aliquantulum tamen explicato, ut etiam foliola inter flores naſcentia conſpiciantur. Ramuli pænè flori concolores ſunt, qui ſatis copioſè ad nos adferuntur purgandorum dentium gratiâ: iis enim extimâ parte primùm præmanſis, tamquam ſcopulâ aut penicillo dentes lævigant & detergent. Cùm porrò ſeriùs, in Auguſto videlicet, germinare ſoleat, nonnulli aquâ rigant, in qua ſapo diſſolutus; alii radicibus calcem addunt, ut maturiùs germina & flores proferat. Folia tota hieme permanent, ex quibus in pollinem redactis, & citriorum ſucco exceptis, ungues & infantium capillos, feſtis diebus, rubro colore, ut etiam equorum iubas & caudas, tingunt. Viridis eſt is pulvis, & adeò vulgaris apud eos eius uſus, ut ubique in foris culei eo pleni venum exponantur, imò naves eo onuſtæ ex Ægypto & Africa per Turcarum Imperatoris ditionem diſtribuendum evehant; illo magnum vectigal ſingulis annis ex eo commercio accipiente. Ex huius radicibus uſtis parant Arabes ſuum ſpodium, cuius Avicenna 617. cap. meminit. Quæ cùm ita ſint, hunc peregrinum*

fruticem (cuius Salomo primo Canticorum meminit) Cypro Dioscoridis convenire æstimo. Hactenus Dasylycus.

Ceterum, licet adeò luculentam huius fruticis descriptionem ipse dederit, ad pleniorem tamen eius cognitionem consequendam, fruticis etiam iconem ex Dasylyci Lib. III. desumptam Lectoris oculis subiicere libuit.

Plurimi Ægypti pagi, secundum viam qua Hierusalem ducit, siti.

CAPUT LXXV.

PER latè patentes mollis arenæ campos iter fecimus, in quibus rustici Citrulli genus colebant, tanti in Cairo usus, ut toto Septembri & Octobri singulis diebus cameli hujusmodi fructu onusti adveniant. Quæstuosus est, nam nullo negotio provenit præsertim per Nili inundationem. Avicenna & Serapio Bategam nominarunt: nunc Ægyptii Copus appellant. Plerique in hujus nomenclatura hallucinati sunt, falsò Anguriam nuncupantes: nam Anguria cucumerem significat. In tantam interdum amplitudinem excrescit, ut quatuor aut sex camelum; unicus, hominem onerare queant. Eo die in apertâ planicie pernoctavimus: postridie verò in amplũ pagum pervenimus nomine Cauq, ubi subsistendum fuit, ad annonam necessariam comparandam (per sterilia enim loca faciendum erat iter) orizam, pisa, fabas, ova, poma, pira, uvas, dactylos, ficus. Vix alia herba per eas arenosas solitudines nascitur quàm Hyoscyamus niger, agros sua viriditate vestiens. Tardè ex Cauq digressi, tota nocte iter fecimus, donec in pagum Cataro, editiore loco, non procul à Nilo situm veniremus. Suam quadragesimam tum celebrabant: propterea fastigia turrium suorum templorum aut Mesguedarum, undiq. obsita erant accensis lampadibus totâ nocte ardentibus: qui mos per universam Turcæ ditionem ubi Mahumetistæ viuunt, observatur. Arabicarum porrò Mesguedarum turriculæ à Turcicis differunt, quòd Arabicæ triplicem, Turcicæ unicam contignationem habeant. Eorum quadragesimæ mense lunari durant: jejunium celebrantes, cibo & potu abstinent in obscuram noctem, donec stellarum splendorem conspiciant: deinde totâ nocte compotatiunculis indulgent. Cataro magnitudine respondet Cauq, palmæque arboribus cingitur: elegantes istic coluntur horti, ob aquæ commoditatem; cujus rei causa celebris est pagus. Ulteriùs deinde progressi ad alium pagum nomine Bilbez, ubi sumpto prandio, reliquo die substitimus; cùm æstus vitandi causa, tum ut jumentorum quieti consuleremus: ibi autem victui necessaria in foro perinde atque in Cauq invenimus. Inde digressi, & inter Orientem ac Septentrionem tendentes, à dextris præter sterilem planiciem nihil conspiciebamus; ad sinistram verò offerebat sese regio quæ à Nilo inundata, fertilis & culta est, plurimis pagis abundans, Palmarumque & Sycomororum silvis. Magnos Gazellarum per eam planitiem oberrantium greges invenimus; eoque vespere tertiam stationem à nostro ex Cairo discessu confecimus.

Admirabile difficileq; iter inter Cairum & Hierusalem.

CAPUT LXXVI.

DIE Martis omnium Sanctorum nomini sacro, ad Salatiam usque pagum progressi, toto deinde die quievimus. Hujus pagi, licet admodum celebris, ædificia ex Palmarum duntaxat ramis in ipsum arboris truncum inclinatis constant: sunt præterea nonnullæ ædiculæ nullius momenti. Incolæ quadrata quædam loca harundinibus sepiunt, ad gallinas, anseres & anates coërcendas. Nos istic camelos, deinde capreolos, gallinas, ova, hordeum, panem, vinum, & alia victui necessaria venalia reperimus. Quoniam porrò emetienda erat ampla planities & latronibus infesta, decem Arabes probè armatos conduximus, qui comites essent, licet Ianissaros haberemus: Arabes autem longas sarissas tametsi equites in humeris gestare solent. A Salatia quinque horis integris fecimus iter per incultam planitiem, nihilque conspeximus præter Tamarices & Rhamni genus rubentibus baccis, cùm qui in Græciâ nascitur, nigris baccis sit præditus. Eatenus nihil aquæ contuleramus; cùm in singulis pagis aquam invenerimus: illo verò die utres aquâ implere coacti sumus; quia ejus est penuria quà nobis gradiendum erat. Ter eo die Nili alveum transivimus, aquâ ad equorum cingula pertingente, quæ amara & salsa est, quoniam marinæ permiscetur. Latos etiam pontes invenimus, sed non admodum longos. Salsos igitur rivos prætergressi, ad Carabassara rudera substitimus, ad noctem istic traducendam. Subsequens dies nobis difficilior obtigit quàm speraveramus, quòd per mollem, cedentem, mobilemque arenam iter faciendum esset. Ea de causa agasones

equorum

equorum & mulorum suffragines pannis involvere & munire necesse est, alioqui mutuo allisu atterendos. Arenosa planicie emensa, ad vallem accessimus, in qua paucas Palmas conspeximus, juxta puteum, subdulcem aquam continentem, cujus potu Caravanna usa est: ea autem versatili rotâ educta, ut in Ægypto. Sub vesperam in pagum Belba appulimus, Castellum nimirum quadrangulâ formâ, in Palmiræ regione (quæ haud procul à Mediterraneo mari abest) situm, inter Ægyptum & Syriam, bidui à Salatia itinere. Hujus muri admodum debiles, quæque insunt ædificia, vitulorum stabulis vix sunt majora: regio admodum sterilis & arenosa est, alioqui Palmarum siluis abundans, attamen pleraque victui necessaria istic invenimus. Ejus regionis incolæ macilenti sunt, fusci, & sole adusti, qui Turcorum more humi non sedent cruribus decussatis, ut Galliæ sartores facere solent, sed ut Arabes incurvati, summis pedibus terræ infixis, insident suis calcaneis; totosque interdum dies eum in modum sedendo traducunt; nec magis defatigantur quàm nos scabellis insidentes: nam cùm à teneris assueverint, nullam molestiam illis præbet ea sessio: deinde cùm eorum regio arenosa sit, vestes conspurcarent si Turcarum more sederent. Arabes, Armenii, Turcæ, maximâ ex parte suas interulas cæruleo colore infectas habent, raroque albas gestant: pediculis tamen non scatent, quia sæpè balneas adeunt, ubi eluuntur & mundantur. Arabes humi cubant, substratis duntaxat storiis ex harundinibus vel palmarum foliis contextis, nec linteaminum usum norunt. Exspectabat nos Caravanna quædam quæ Hierosolymam proficiscebatur, apud puteum in planicie situm, binis à Belba milliaribus distantem, cujus aqua nitrosa erat; nam circumjacens locus etiam nitrosus: alterius tamen penuriâ eam bibimus. Media nocte Caravanna discessit, nos post tres horas dumtaxat subsequuti. Secundùm mare mediterraneum, ad sinistram relictum, diu iter facientes, rectâ ad Orientem tendebamus, nonnihil properantes ut Caravannam adsequeremur, quam ad vesperam comitati sumus; & ad maris littus paululum substitimus: deinde ad quartam milliaris partem progressi, inter binos arenæ mobilis tumulos fodimus ad dimidiæ orgyiæ altitudinem, dulcemque aquam invenimus, sed turbidam, & albescentem, qua nostras lagenas & utres implevimus, Sinai montibus ad dextram jam nobis apparentibus. *Qui porrò rectâ profectionem ex Cairo versus Hierusalem instituunt, neque Belbam neque Salatiam adveniunt; sed alia via pergunt, cibos & aquam in totam profectionem circumferentes. Nos autem qua diximus via progressi sumus, ob Nili & pagorum commoditatem; Ambrosiam, Thapsiam, Libanotidis species, Tamarices atque Apocynon in aperta planicie nascentes reperientes.

Nitrum: Cancer quidam exiguus mirandæ naturæ.

CAP. LXXVII.

TOTO illo die sub nostris tentoriis traducto, Caravannam sequuti sumus, aliamque planiciem ingressi, quæ per sex horarum spacium duravit; sub lucem, in depressiorem planiciem descendimus Nitro omnino obsitam, in quo equi & cameli pedum vestigia imprimebant: atque initio propter splendorem, salem esse arbitrabamur: nec facilè agnovissemus, nisi antea in Cairo id fuisset conspectum. Non est autem Sal petræ: nam Nitrum naturale est, iisque notis quas veteres tradiderunt dignoscendum, nempe ut ustum multos cineres relinquat; Sal verò petræ nullos. Per eam planiciem ad dimidium ferè miliare progressi, paulo ulteriùs mare attigimus, secundum cujus littus diu fecimus iter; & frequentes Galei, caniculæque marinæ in littore pascentes nobis conspectæ fuere. Istic etiam peculiaris quidam Cancer, & admirandæ naturæ: nam media æstate, summisque solis ardoribus, catervatim mare egressus, per littus vagatur, ad tres balistæ jactus per arenam excurrens tanta celeritate, ut vix assequi liceat, cùm tamen pusillæ castaneæ magnitudinem non excedat: & integro die per summos solis æstus in sicco versatus, noctu in mare sese recondit. Aristoteles Cancrum cursorem nominat: pleriq. autem falluntur qui inter cetaceos pisces reponunt, & Dromonem, hoc est Cursorē appellant; nam, ut dixi, pusillus est, ejusq. amplam descriptionem lib. 2. de Piscibus dedimus. Noctes tota hac nostra profectione nunquam adeò obscuræ fuerunt, quin obvia quæque consPiceremus. Ea nocte cùm paululum à Caravanna secessissemus, Sangiacus quidam Hierosolymam proficiscens, tumultū quendam excitavit, fingens adesse Arabes. Quo nuncio non magnopere commoti sumus: Ianissari enim qui Dominum de Fumet comitabantur, animosi & bene instructi erant. Diu ante lucem discedentes Mediterranei maris Littus reliquimus, atq. claro mane quorundam Iudæorū gratia, qui in turbâ erant, Caravanna & Sangiacus substiterūt, munere enim ab illis donatus, ut eos exspectaret. Atq. illi quidē astutè Veneris die sub vesperam

MM 3 longiùs

longiùs progressi erant, ut postridie quiescere possent: consuetudo enim apud illos est, ne die Sabbathi ullam operam faciant. Nos verò ipso Sabbathi die præcessimus, in Carbassara muris cinctum, atque castelli in modum exstructum, divertentes, apud magnum pagum, in quo victui necessaria coëmimus; illoque vespere uberiorem glebam invenire cœpimus, deserente nos arenâ. Istîc Smyrnium copiose nascitur, Ambrosia, Alga tertia, Anchusa & Ligusticum. Inter Cairum & eum locum nullas alias arbores conspeximus, præter Palmas & lanigeras; quarum mala sive fructus delicatâ tenuique lanâ pleni sunt, ut antè meminimus.

Arbores, aves, aliæque res singulares in Palæstina nascentes.

CAP. LXXVIII.

Sed antequàm in Carbassarâ perveniremus, in editiore colliculo, Balanum myrepsicam invenimus, præ iis quæ in Arabia nascuntur vastam admodum, Betulæ parem, sub quâ magna Smyrnii quantitas nascebatur, semine, uti Coriandrum, rotundo & valde odorato. Car-bassara vicini è longinquo conspeximus virentes quasdam arbores, initio nobis ignotas: sed observatis earum ramis confertim in summo nascentibus, valde frondosis, & elegantem umbram præbentibus, crasso praetereà ipsarum caudice, Sycomoros esse deprehendimus serie quadam in planicie dispositas, veluti apud nos Iuglandes. Circa Car-bassaræ porrò puteum aderant arbores Græcis Oenopliæ nuncupatæ, ab aliis Napeca. Est autem illud Car-bassara limes & initium fertilioris soli Palæstinæ. Istorum verò diversoriorum sive Car-bassara cùm per Ægyptum tum per Syriam portæ ferreæ sunt, areamque continent, propugnaculum in medio habentem, quo se viatores conferunt: intra muros parte interiore porticus sunt, sub quas noctu se recipere licet pluvio tempore, atque etiam propter æstum de die. Tota nocte conclusi fuimus in eo Car-bassara, excubias agentes, prædonum Arabum causa, quos non procul abesse, relatum nobis fuerat. Caravanna à nobis relicta, tota nocte iter fecit, & ante lucem nos prævertit; commodè enim vel ex longinquo exaudire potuimus: eam ob causam illico ad eam subsequendam nos comparavimus. Nam consuetudinem hanc habent, ut si quis Sangiacus, vel Caravanna aliqua numerosa iter facit, campanam satis crassam cameli alicujus collo appendant, quæ è longinquo exaudiri possit, ad commonefaciendum universum comitatum. Turcici proceres perinde lecticâ vehuntur ac in Europâ; quam muli non gestent, verùm cameli. Inter Gazara, quæ prima urbs est provinciæ * Ægypti, & Belba, agros desertos invenimus ob murium & soricum abundantiam: quos nisi devorarent aves Percnopteri ab Aristotele nuncupatæ, à Gallis verò *Boudrees*, naturæ instinctu catervatim eò advolantes, nullam sementem possent facere incolæ, quin statim absumeretur. Provenit istic Scilla, Thapsia, Ferula, Polium, Hastula regia. Deinde iter fecimus per agros, frumento, leguminibus, & fructiferis arboribus bene excultos. Sepes possessiones separantes, Rhamno & Halymo constant, in quibus volitantes observavimus Colluriones, *Pies griesches* Gallis nuncupatas, quæ mures vorant perinde ac tinnunculi. Vidimus etiam prætervolantes multos Vultures, aliasque aves carnivoras, quales suprà commemoravimus Accipitres Ægyptios: quidam è nostro comitatu Pelicanos appellabant, quòd forma similes essent iis quos sanguine suos pullos alentes depictos viderant. Quia verò molestiam nobis exhibuit inquisitio quænam avis Pelicani nomine donanda esset, asserere non dubitamus, pro Pelicano sumendam esse eam quæ gemino ventriculo prædita est, alia appellatione Onocrotalum dictam: ab Alberto non sine errore Ossifragum; cùm Ossifragus is sit qui à Græcis Phinis vocatur: quod vocabulum multis ansam præbuit varia de Phœnice commemorandi, ave longè tamen diversa à Latinorum Ossifraga, quam nido incumbentem pingunt, pectusque rostro aperientem ad pullos suo sanguine alendum, ut ex historia Phinis ab Aristotele prodita, appàret; quem sequutus Plinius, Ossifragam describens, omnia illi attribuit quæ Aristoteles suo Phini: Aquilâ esse majorem, & proximum ei genus, aduncis unguibus, & carnivoram, colore ex cinereo albicante; hebete oculorum acie præditam, benignam, pullos Aquilæ ejectos excipientem, & educantem donec ad volandum apti sint.

Cognita est Gallis avis, quam appellatione Phini sive Latinorum Ossifragæ convenienti nominant Offraye, cùm Ossifraga non sit, nec tali nomine dici debeat, sed Haliæetus, quintum Aquilarum genus, circa flumina & stagna versans, librans sese ex alto, & præceps in pisces ruens, discussis pectore aquis eos rapiens. Quatuor integris horis per apertam planiciem arboribusque liberam equitavimus: tandemque Gazaram, primam

quam

quam in Iudæâ invenimus urbem pervenientes*, in horto quodam urbi vicino sub Palmâ tentoria fiximus.

* *Ægypti, imò potius Palæstinæ; quæ veteribus, ut verisimile est, Gaza dicta fuit: sed & ipse Bellonius ad huius capitis calcem Gazaram in Iudæa locat.*

Urbs Gazara.

Cap. LXXIX.

Gazara muris non est cincta, sed veterem habet arcem quadrangulam in colle sitam, infirmam, cui præest Sangiacus. Solum circa Gazaram fertile est, abundátque ficubus, oleis, ziziphis, malis, punicis, & vitibus. Alit etiam nonnullas palmas, sed cujus fructus serò maturatur, regio etenim frigidior est. Iam ante trimestre, dactyli in Ægypto & Arabiâ maturuerant, Gazaræ verò adhuc virebant. Istîc invenitur lacerti nigri genus Stellio dictum, mustelæ ferè magnitudine, tumidâ alvo & crasso capite, in Iudæa & Syria etiam frequens. Conspeximus præterea avem mea opinione reliquas cantus suavitate superantem, quam veteres Venaticam avem appellasse arbitramur. Sturno paulo major est, albo ventre, & dorso cinereo, ut Molliceps, *Gros bec* nobis dictus, cauda nigra, alasque ut in pica superante, Pici Martii in modum volans.

Omnis generis edulia in Gazara invenimus, panem, vinum, gallinas, ova. Incolæ Gazaræ, Græci, Turcæ, & Arabes vineta sua diligenter colunt. Istîc hæsimus usque ad noctis crepusculum, deinde totâ nocte per elegantes planicies iter fecimus Ramam versus: Postridie verò mane pagos in colliculis sitos secundum agros omni tritici genere instructos vidimus rectà à meridie ad Septentrionem tendentes: & quoniam Euro auster vehementer flabat, marinorum fluctuum murmur exaudiebamus (non procul enim à mari aberamus) & magnas Onocrotalorum turmas eò volantes conspiciebamus. Oenoplia sive Napeca Pyri altitudinem attingit, fructumque fert silvestribus Malis æqualem, & adeò similem ut vix dignosci queat, sapore dulci cum grata quadam aciditate conjuncto, nucleum continentem, olivæ nucleo parem. Ægyptus, Syria, & Armenia hac arbore abundant, qua Græcia imò verò tota etiam Europa caret: perpetuâ fronde viret: eam ob causam libro de arboribus sempiternâ fronde virentibus ejus * icon reponetur. Repperimus in itinere planiciem sacchariferis arundinibus & colocasia excultam, quam aqua ex puteo hausta rigabant. Inde Ramam pervenimus, ubi reliquo die hæsimus.

* *Istam Oenopliæ iconem nondum conspicere licuit, in commentario Bellonii de Coniferis & sempiterna fronde virentibus arboribus, cuius quidem exemplaria mihi hactenus videre contigit. Sed C. V. Prosper Alpinus, eius historiam cum icone Lib. de Plantis Ægypti exhibuit, & ego cap. XIX. Lib. I. Plantarum Historiæ illam exhibeo.*

Urbs Rama.

Caput LXXX.

Ampla olim fuit urbs Rama, ut ex ruderibus appâret: nam cisternæ & fornices quæ etiamnum supersunt, majores sunt Alexandrinis, licet non adeò frequentes. Sita est solo pingui & fœcundo: quia verò adeò rari sunt incolæ, ut vix decem ædes inhabitentur, agri magnâ ex parte deserti manent: feruntur tamen frumentum, hordeum, legumina, & paucæ vites: istîc venalia reperimus carnes, panem, vinum, & alia edulia. Potior incolarum pars Græci sunt. Acaciæ alterum genus copiosè ibi provenit, atque alius frutex spinosus, quem à veteribus non descriptum arbitramur, suspicamur tamen Myrrhæ arborem esse: contorto est caudice, denso, horrentibusque spinis obsito, folia habens Acaciæ similia, sed paullo majora. Rama ante lucem digressi, per pinguia arva iter fecimus, in quibus frumentum facilè nasceretur: sed incolæ de suo commodo parum soliciti, segniter admodum terram colunt. Sub auroram valles montanorum Hierusalem ingressi sumus, in quibus longiùs progressi, montiumque præcipitiis utrimque conclusi, quosdam Arabes hinc inde è tumulis descendentes, strepitumque facientes invenimus, qui statim nobis conspectis, pecunias exposcentes, simulârunt sese nos adoriri velle: commonefacti autem tales nebulones exteros expilare solere, si superiores sint, eos contemsimus; Prætexentes autem sibi regionis tutelam ab Imperatore Turcarum commissam, exiguâ pecuniæ summâ donati fuerunt: tametsi nos aggredi non ausi fuissent: nam præter ordinarium comitatum, Dominus de Fumet in Gazara alios decem Ianissaros sibi adjunxerat, permissu Sangiaci illius urbis. Sed illi etiam adeò versuti sunt, ut peregrinos (si numero se potiores & ipsis resistere posse, animadvertant) nunquam adoriantur.

Hierusalem in montanis sita.

CAP. LXXXI.

ADEO abundant hæc montana omni arborum genere, silvestribusque & aromaticis herbis, ut monti Idæ in Creta comparari possint, cui etiam temperamento & aliis dotibus respondent. Excolitur terra in ipsis scopulis scalarum in modum: unde cognosci potest veterum Iudæorum diligentia & industria, qui solum alioqui petrosum & sterile, culturâ fructibus abundans reddiderunt. Similis diligentia observatur veterum Græcorum qui Ægæi maris insulas habitarunt: quarum plurimas conspeximus nunc desertas, & vix centum incolas alentes, in quibus olim plures quàm sexies milleni vivere potuerunt, ut apparet ex tumulis & collibus, qui antiquitus ex firma materia per scalas exædificati fuerunt, ad retinendam terram ne per præcipitia devolveretur, & in ea stirpes nasci possent. Insulæ Ceos, Milos, Andros, Naxos, Paros, & pleræque aliæ, eâ diligentia à veteribus Græcis fuerunt excultæ, ut uberiores redderentur planis locis. Sic etiam Iudæi cùm solum haberent sterile, uti dixi, & ad alendas vites aliosque fructus ineptum, magno labore & sumtu fœcundos reddiderant colles, ut apparet ex structuris quæ nunc etiam permanent, veteremque majestatem quodammodo resipiunt. Arbores sponte in illis montibus nascentes sunt Adrachne, Picea, Aria, Ilex, Terebinthus, Lentiscus: plantæ, Cistus, Ledon, Thymbra, Smilax aspera, Maron, Origanum Heracleoticum, Tragoriganum, Salvia, Stachys, Ruta silvestris, Trifolium Asphaltites, Cyclaminus, Vmbilicus sive Cotyledon, Thymus, Hyssopus silvestris, à nostra domestica differens, quæ tamen Cretæ ignota est. Montium pars quæ ad Occidentem vergit, vitium aliarumque fructiferarum arborum, ut olearum, ficuum, malorum punicorum opulentissima est, si cum aliis quæ silvestres duntaxat arbores gignunt, conferas.

Brevis itineris inter Cairum & Hierusalem supputatio.

CAP. LXXXII.

EX nostri itineris supputatione liquet, Cairum novem duntaxat, aut ad summum decem dierum itinere ab Hierusalem distare. Verum quidem est nos utcunque properasse: nam die Sabbathi, vigesima nona Octobris, Cairo discessimus, & die Martis, octava Novembris, Hierusalem pervenimus. Quatuor milliaribus per montana confectis, fontem ad cujusdam templi rudera invenimus, quod Monasterium Christianorum Latinorum olim fuisse credimus, ut ex picturis & muri vestigiis coniicere licet. Istic sumto prandio, in Hierusalem pernoctavimus. Peregrini eò advenientes hospitio excipiuntur pro ea quam profitentur religione. Nam si Romanæ Ecclesiæ ceremonias sequuntur, quos illi Latinos appellant, apud Franciscanos extra urbem in monte Sion excipiuntur: si Græcos ritus amplectuntur, concedunt ad Caloieros Græcos in urbe apud sepulchrum habitantes: si ex provinciis Presbyteri Ioannis, apud monachos Indos locum habent: sic & reliquæ nationes Christianam religionem profitentes, Georgiani & Armenii. Franciscani plerumque sunt triginta aut quadraginta numero è variis nationibus, sed tamen magnâ ex parte Itali. Peregrinos per omnia Hierosolymitani territorii loca sacra deducere solent: eam ob causam interpretem quem ipsi Droguement appellant, suis sumtibus alunt, Turcicam, Arabicam, Græcam, Italicam, & alias linguas callentem, ut sermonem cum incolis conferre, peregrinorum nomine respondere, & illos per omnia loca sacra deducere queat. Singulis noctibus excubias agunt Franciscani, mutatis in singulas horas personis, supra muros stantibus; quoniam eorum monasterium extra urbem cùm sit, sibi metuunt à latronibus Arabibus: nam licet monasterii muri sint admodum alti, ne tamen incolæ ejus regionis ipsos adoriantur, formidant.

Succincta descriptio sacrorum locorum Hierusalem.

CAPVT LXXXIII.

VICINA Hierusalem regio, præsertim urbi proxima, bene culta est. Vineta diligenter exculta. Nascuntur istîc mali, amygdalæ, ficus, & oleæ multum olei reddentes: habent autem oleæ peculiarem notam qua à reliquis differunt; nam viscum quod eis innascitur, rubris baccis est præditum, magno incolarum damno, quoniam steriles

riles oleas reddit. Sumtus à Franciſcanis facti, ex Latinorum, quos vocant, provinciis ſubminiſtrantur: deſignatas enim habent ſuas eleemoſynas variis Europæ locis, ab ejus ordinis præfectis, Gardianos appellant, collectas, præſertim autem in Cypro, Gallia & Italia. Nobis referebant, ſe ex Germania & Anglia ſolere accipere, ſed nihil ad illos nunc inde deferri. Nullus in Hieruſalem Latinorum monachorum alius eſt ordo quàm Franciſcanorum. Poſtridie illorum nonnulli diluculò nos deduxerunt ad loca circa Hieruſalem ſacra. monaſterium egreſſis, demonſtratus nobis primùm omnium locus in quo Chriſtus cum diſcipulis cænam celebravit: Turcæ eum Franciſcanis ademerant, Meſguedamque Mahometi conſecrârant: ſed Dominus de Aramont illis reſtitui curavit, vicinus enim eſt eorum monaſterio. Longiùs à monaſterio digreſſis, locum demonſtrarunt, urbis portæ contiguum, ubi Iudæorum, ne diſcipuli Divæ virginis corpus efferrent, prohibere volentium, brachia riguerunt; deinde murum urbis ſequentes, apud vallem Ioſaphat alium ubi D. Petrus abnegato Chriſto ploravit. Secundum eum murum eſt templum virginum, in urbis angulo ſitum, nunc Turcarum Meſgueda. Paulo infrà in eodem angulo conſpicitur triangularis lapis, quem aiunt eſſe, cujus in ſacrâ paginâ Pſalmus mentionem facit, *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes.* Inde deſcendentes in vallem Ioſaphat, torrentem Cedron tranſivimus, lapidis jactu ab urbe diſtantem, aquâ alioqui carentem, niſi pluvio tempore: iſtic lapis in quo impreſſa ſunt Chriſti pedum veſtigia, cùm è ponte decideret: huic contigua duo ſunt ſepulchra in rupe inciſa pyramidis in morem; plerique Eſaiæ & Hieremiæ eſſe arbitrantur. Collem conſcendentes, arboris è qua Iudas ſe ſuſpendit, locum vidimus. Circumdato colle, ut urbs nobis amplius non appareret, ſacellum dirutum conſpeximus, quod Magdalenæ ædes fuiſſe perhibent: & juxta illud, lapidem, cui inſediſſe Chriſtus dicitur, de ſuſcitando Lazaro cum illâ verba faciens; vix quartâ miliaris parte abs Hieruſalem diſtantem. Paulo ulteriùs eſt exiguus pagus in quo ſepulchrum Lazari à Chriſto excitati: ſed ut conſpicere poſſemus, in fornicem quandam inſtar cubiculi amplam & firma materie exſtructam deſcendendum fuit, in qua tumulus, altaris altitudine, in quo peregrini ſæpe Miſſam cani curant. Inde digreſſi, & Hieruſalem repetentes, locum in quo Sycomorus, cui maledixit Chriſtus, vidimus: ea pars Bethania nominatur. Verſus Betphage conſcendentes per aſpera & confragoſa loca, ad dextram deflexímus quà ad Oliveti montem iter eſt: atque hac ratione ſumma ſemper petentes, longè vicinos limites proſpicere poteramus, quoniam celſiſſimo circa Hieruſalem loco conſiſtebamus. Tranſivimus deinde quà Chriſtus ingreſſus eſt Hieroſolymam, & ubi conſcendit aſinam, quam diſſolvi & cum ſuo pullo adduci imperaverat. In edito iſto loco conſiſtentibus, & ad Meridiem obverſis, plana Hiericho, mareque mortuum (alio nomine Aſphaltites dictum, ubi Sodoma & Gomorrha abſorptæ) apparebant: deinde ad ſiniſtram, ex eodem monte nobis oſtendebant Franciſcani locum in quo Diſcipuli multa ediderunt. In colle Oliveti ſtantes, commodè urbem Hieruſalem perſpiciebamus, ex editiore nimirum loco quàm ipſa urbs. Inde per eum locum iter fecimus, ubi Chriſtus dixit, *Væ tibi Hieruſalem.*

Divæ virginis ſepulchrum in valle Joſaphat.

CAPVT LXXXIV.

SACELLVM eſt in ſummo Oliveti monte à Chriſtianis fabricatum, in quo conſpicitur veſtigium unius pedis Chriſti ſaxo impreſſum, cùm à reſurrectione in cælum conſcendit: alterum autem tranſlatum ferunt in regionem Latinorum. Alius eſt tumulus, æqualis altitudinis, in quo aliud ſacellum omnino ruinoſum. Redeuntes Hieroſolymam, atque deſcendentes per montis Oliveti radices, ſemitam tranſivimus in qua D. Paulus ſedebat, cùm D. Stephanus lapidaretur: deinde inferiùs tres lapides vidimus, in quibus obdormierunt diſcipuli Chriſto orante: item ubi Chriſtus captus fuit, & D. Petrus Malcho aurem abſcidit. Hæc verò omnia loca ſecundo aut tertio lapidis jactu ab invicem diſtant. Regreſſi per pontem Torrentis Cedron, conſpeximus in valle Ioſaphat locum, in quo Chriſtum ſanguinem & aquam ſudaſſe aiunt, atq. hic ſacellum exſtructum. Ad hujus latus, tumulus eſt D. Virginis & D. Annæ; eſt autem hic tumulus ſubterranea fornix è magnis complanatiſque ſaxis exſtructa, atque craſſis lapideis columnis fulta: lati ſunt gradus ſcalæ per quam deſcendendum eſt: eſt enim ſacellum ſub terrâ, Helenæ Conſtantini matris juſſu, ut putatur, exſtructum. Vallem Ioſaphat egreſſis, & ad Portam auream tendentibus, demonſtratum eſt quà Romani, urbe à Veſpaſiano & Tito obſeſſâ, murum perfregerunt, & urbe potiti ſunt. Quà verò Chriſtus Hieroſolymam ingreſſus eſt, Porta aurea eſt; quam quia clauſam invenimus, murum uſque ad montem Sion circuivimus.

Omnia

Omnia igitur prædicta loca ante meridiem conspeximus; breve enim erat iter. Reliquum diem impendimus visitandis Monasterio vicinis locis; nempe eo qui multis specubus abundat, in quibus cadavera imposita viginti quatuor horarum spatio absumuntur. Paulo infrà probatica piscina est, vallem Iosaphat irrigans. Inde ad Sepulchrum Domini ivimus, in urbis magno templo situm, quod Helena Constantini mater exstrui curavit. Novem autem ducati persolvendi, cuilibet sepulchrum ingredi volenti; nemo etenim sive dives, sive pauper, immunis à solutione est. Nam qui tributum illud in censu habet, octo ducatorum millia Turcarum Imperatori pendet: hinc fit ut publicani isti à peregrinis nummos extorqueant, alioqui ab ingressu prohibituri. Franciscani verò & Caloieri Græci, aliorumque Christianæ professionis ordinum viri, sine precio ingredi & egredi possunt. Turcæ magnâ cum reverentiâ illud tuentur, & cum veneratione ingrediuntur. Istam pecuniæ summam imposuisse dicuntur Pisani, cùm urbs Hierosolyma sub illorum esset imperio, atque ab eo tempore conservatam esse hanc extorquendæ pecuniæ consuetudinem.

Christi Domini nostri sepulchrum; & Hierosolymæ rudera.

CAPUT LXXXV.

HIEROSOLYMA paucis ab hinc annis novis & præaltis muris cincta est, sed infirmis, quæque bombardarum impetum minimè ferre possent. Plana sunt ædium tecta, officinæ in primariis plateis fornicatæ, ut in Alexandriâ: licet inæqualis sit comparatio. Nam Hierosolymorum fornices ex quadrato lapide superbè exstructæ sunt, quæ nonnullis adhuc locis persistunt ab eo tempore quo Iudæi merum istîc imperium obtinebant. Aromatarii Hierosolymitani, varias, ut Cairini, linguas callent. Christianæ religionis populi Hierosolymam ablegare solent homines, qui in urbe apud sepulchrum habitent, plures vel pauciores, pro regionis ratione: hinc fit ut duodecim varia & inter se differentia Christianæ religionis idiomata numerentur: verumtamen octona duntaxat comperimus; videlicet nationis Latinæ, ab ipsis Franke appellatæ, quæ reliquis antecellens, omnes comprehendit Romanæ Ecclesiæ obedientes; deinde Græcæ, illis Romæos dictæ, quæ Papæ mandatis non paret, sed suos Patriarchas peculiares habet: tertiæ Armeniæ, cujus ritus ad nostros magis accedunt quàm Græcorum: deinde aliarũ consequenter; ut Iacobitarum, illius regionis quæ à D. Iacobo Majore ad fidem conversa est: Georgianorum, qui suis legibus reguntur, vicini Persis; eorumque limites extenduntur in Indiam usque Orientalem; à nemine subjugati, & nemini parentes: Christianorum qui à cingulo denominationem sumserunt, Coftique cognominantur, & à Divo Thomâ ad Christianam fidem sunt conversi: Indorum, qui ex Presbyteri Ioannis regione missi, Abyssini appellantur, admodum nigri, sed minùs Æthiopibus, tribus adustionibus, quia igne baptizati sunt, insigniti, unâ supra nasum inter oculos, reliquis duabus ad tempora, & circuncisi: Nestoriensium & Maronitarum, qui non differunt ab Arabibus. Singulæ istæ nationes peculiare habent sacellum, quoniam in quibusdam articulis inter sese differunt; atque aluntur pecuniis quas Principes singularum provinciarum illis mittunt. Græcis Chorum templi obtinentibus, Calvariæ custodia demandata. Latinis Sepulchri custodia commissa. Hujus Sepulchri templum (quod comprehendit totum Calvariæ locum, in plano situm, non in monte, ut plerique existimarunt) sublime est, & rotunda forma: in alto apertum, quà recipit lumen. In hujus rotunditatis centro est Sepulchrum Domini, conclusum sacello quodam fornice rotunda ex solido marmore constante, tecto. Præfectus sive Gardianus Franciscanorum in monte Sion, præbere solet diploma peregrinis qui ab alio missi sunt, sive testimoniales litteras, quæ fidem faciant eos istîc fuisse, continentes sigillatim alia pleraque, quæ brevitatis causâ prætermisimus.

Desertum in quo tentatus fuit Christus; & Jordanis fluvius.

CAPUT LXXXVI.

EXPEDITIS nostris equis, ut postridie ad flumen Iordanem proficisceremur, sub oleis extra urbem noctem traduximus, & ante lucem inter Orientem & Meridiem tendentes, polum arcticum ad sinistram relinquebamus. Summo diluculo antequàm plana Hiericho ingrederemur, Camelorum turmam procul conspeximus Myrobalani citrini folia depascentium ad sinistram: unde plerique ex nostro comitatu magno metu affecti fuère, Arabes, qui nobis insidiarentur, esse existimantes: imò ipsos Ianissaros,

quos

quos Sangiacus Domino de Fumet addiderat, tantus metus occupavit, ut consisterent, suo idiomate dicentes, Arabes de nostro adventu fuere admoniti: atque animi vilitate correpti, ignem quem in sclopetorum funibus gestabant, exstinxerunt, ut cùm Arabes advenirent, tali signo intelligerent se non voluisse illis resistere, & solos Christianos adorirentur. Sed Dominus de Fumet, magni vir animi, (in cujus comitatu sex generosi nobiles Galli, ex familiis videlicet de Rostin, de sainct Aubin in Picardia, de Perdigal in Vasconia, du Val, atque alii plurimi, ipsius prætereà familia, in qua erat Iustus Tenellus, vir litteratus, quem Rex Franciscus I. scientiarum restaurator, illi adjunxerat, ut Græcos codices perquireret, habentes singuli suas bombardas) primus ex equo desiliit, omnibus qui in ipsius comitatu erant, sequi iussis. Ianissari tamen in plana nondum descendere audebant, sed in monte subsistentes, rei exitum exspectabant. Nos verò confecto multo itinere, equos denuò conscendimus: tum demum Ianissari animadvertentes nullum subesse periculum, in plana descenderunt, & nos subsequuti sunt, postquam intellexerunt camelos in planicie pascentes duntaxat fuisse, qui talem illis metum incussissent. Tandem pervenimus in pagum, ubi aliquando Hiericho fuit, nunc verò turris quædam quadrangula superest, columbario vix firmior. Stirpes per hanc planiciem nascentes, in memoriam revocârunt pusillam illam plantam, quam nonnulli impostores monachi Rosam Hierichontis appellârunt, quæ radice aquæ impositâ sese explicans, satis tolerabilis imposturæ prætextum dedit, ut admirationem spectantibus inducerent, affirmantes eam in vigiliâ Nativitatis Dominicæ duntaxat aperiri, vel mulieribus partus difficultate laborantibus. Qui illius naturam ignorantes, alio tempore non posse aperiri existimant, falluntur. Argumentum sumserunt ex sacra scriptura, quæ habet: *Sicut plantatio rosæ in Hiericho*: cùm tamen de vulgari rosa rubra sive carnei coloris sit intelligendum. Nam hæc apud Hiericho non nascitur; sed in Arabia, deserto maris rubri littore per arenas nascentem jam observaveramus. Non minus hallucinati sunt alii, qui illius iconem pro amomo exhibuerunt, cùm nihil sit minus. Hiericho planicies undique montibus cincta est: hanc, quà Meridiem spectat, alluit mare mortuum, nullum habens exitum, sed sub terra sese exonerans. Ad Septentrionem obversi, regionem videbamus ubi Iordanis mediam Hierichontis planiciem secans, exoritur: Ad Orientem verò spectantes, Arabiæ petrææ montes, non procul inde dissitos, & eò ferè usque radices extendentes: ab Occidente autem, Hierosolymæ montes nostris oculis obiiciebantur. Lycii frutices, myrobalanique citrini, è cujus nucleis incolæ oleum eliciunt, arbores in hac planicie nascuntur; acacia altera istic etiam frequentissima. Amnis Iordanis à Septentrione in Meridiem tendit, non adeò latus, quin puer lapidem in contrariam ripam jacere possit, septem aut octo fortè orgyiarum latitudinis, nec alvei adeò profundi ut navem ferre possit: in eo Peregrini sese abluere solent. Innascuntur salix nigra, myrica, vitex, & multa arundinum genera, quæ Arabibus ad varios usus serviunt. Etenim ex uno genere jacula, tela, & leves lanceas conficiunt: ex alio genere sagittas, quinque asprorum precii, quibus vix alii quàm Satrapæ utuntur: aliud genus diligenter legunt in alium usum: nam Turcæ, Græci, Armeni, Arabes, Persæ, Iudæi, Ægyptii, avium pennis in scribendo non utuntur, sed hac arundine elegia nuncupata scribunt: eam priùs in Athou montis rivis observaveramus. Conspecto porrò fluvio & mari mortuo, apud arcem dirutam tumulo cuidam impositam iter fecimus. Inde ad fontem profecti sumus à Plinio Callirhoë appellatum, quem Helisæi esse dicunt. Aëtius nostrâ opinione Fontem Solis nuncupavit. Ejus aqua limpida & gelida est, magnumque rivum efficit, in quo Sisymbrium utrumque, Iunci, & similes nostratibus herbæ proveniunt. Quod si verum est Balsamum unquam in hac planicie excultum fuisse, nō procul ab eo fonte crevisse credendum est. Fidem non adhibemus quibusdam magni nominis viris, qui adeò excellentes dactylos in hac planicie nasci existimârunt: nam cùm palmæ quæ illic nunc crescunt, suos dactylos ad perfectam maturitatem non perducant, nunquam istic præstantes fuisse arbitramur: nisi quis dicat ejus regionis clima immutatum esse, quod tamen fieri nequit. Sub Myrobalanis & Ficubus eum riuum inumbrantibus cibum sumpsimus. Deinde per lapideos gradus conscendimus in locū ubi Christus jejunavit, non procul à fonte dissitum; tres sunt istic fornices atriorum in modum, aliæ supra alias in rupe incisæ: denique culmen montis ubi diabolus Christum tentare voluit. Sacelli cujusdam istic ædificati vestigia adhuc apparent. Inde descendimus, Hierosolymam redituri. Sacellum olim à Christianis exstrui jussum in deserto in quo D. Ioannes Baptista concionabatur & baptisabat; jam verò dirutū, apud amnem Iordanē conspicitur. Credibile est D. Ioannem in solitudine locustis vesci potuisse: nam Græci Auctores scriptum reliquerunt locustæ genus esse ἀσίρακος ἢ ὄνος dictum, quo Afri vescerentur: quod hîc adiicere voluimus, quoniam illæ ipsæ sunt quæ D. Ioanni in cibū cesserunt, quasq. Afri in deliciis habebāt, non medicamēti, sed alimenti loco.

Bethlehem

Bethlehem & Ebron.

Cap. LXXXVII.

POSTRIDIE, sumto prandio in monasterio Franciscanorum, ad Bethlehemiticum iter, quod binorum duntaxat est milliarium, nos comparavimus. Emenso dimidio miliari, vastam Terebinthum invenimus, sub qua Diva Virgo quiescere solebat, cùm ex Bethlehem Hierosolymam proficisceretur, juxta quendam agrum, lapillis quibusdam rotundis obsitum, magnitudine & forma Ciceris. Vulgi opinio est, Divam Virginem, dum hac iter faceret, quendam conspexisse qui cicer sereret, eumque interrogatum quidnam ageret, respondisse, lapillos sero: ab eo tempore solum petrosum remansisse, tamquam cicer in lapillos fuisset transmutatum. Lapidis jactu ab illâ Terebintho magna cisterna secundum regiam viam in rupe incisa conspicitur, quæ pluviâ aquâ eaque potabili impletur. Itaque pedetentim progredientes binas duntaxat horas insumsimus donec Bethlehem perveniremus, exiguum pagum & casulis malè instructum, nihilque elegans continentem, præter magnum & superbum Franciscanorum monasterium, quod Helena fabricari iussit: nam crassis columnis marmoreis fulcitur, & marmoreis tabulis undiq. cingebatur; sed Turcæ sustulerunt, in suarum Mesguedarũ ornatum, & in templum Salomonis dictum, quod nunc in Mesguedam Mahumetanis dedicatam consecratum. Monstrantibus Franciscanis, in fornice sacelli, sub majore templo, locum vidimus in quo Christus de Maria virgine natus est: deinde Divi Hieronymi, discipulorumque ejus, & Innocentium sepulchrum in eodem templo. Sumpto in Bethlehem prandio, ulteriùs descendimus ad duas elegantes Oleas & Ficus, apud quas Angeli Christi nativitatem pastoribus annunciarunt: illîc fuit olim sacellum, sed nunc dirutum, solâ fornice restante, in qua Maron, Tragoriganum, Zigin, Thymbram, Onitin, & Heracleoticum Origanum observavi. Maturè in monasterium regressi, accinximus nos ad profectionem in Hebron, quod ab Hierosolyma septem aut octo milliaribus distat: nam in Hierusalem semper inveniuntur muli & asini conductitii. Discessimus ex Bethlehem ante lucem, & per loca montana admodum difficilia, satis maturè in Hebron pervenimus. Sepulchra Adami, Abrahami, Isaaci & Iacobi sunt in Mesgueda Turcarum, quæ per foramen in muro factum Christianis videre licet, minimè autem Mesguedam ingredi. Iudæi nobis persuadere volebant, regione quadam supra Hebron alios Iudæos habitare, à quibus litteras acciperent sæpissimè, non tabellariis Iudæis, sed exteris: quoniam transeundus est amnis sine intermissione fluens, die Sabbati excepto, quo ejus alveus omnino exsiccatur: cum verò tali die ipsis iter facere non liceat, nec is amnis navigabilis sit ut alio die traiicere queant, mutuo conspectu frui non posse. Iam illud mendacium esse liquidò constat, tametsi non recens: nam Plinius simile quidpiam scribit lib. 31. cap. 2. In Iudæa, inquit, rivus sabbatis omnibus siccatur. Cùm autem in Iudæa essemus, falsum id esse comperimus; quemadmodum & illud quod plerique arbitrantur, Iudæos omni die Veneris sacro, profluvio sanguinis laborare: nam nos tali die cum iis versantes, simile quidpiam non deprehendimus. Nobis porrò demonstratus fuit locus in quo Abraham tres vidit & unum adoravit, extra pagum Hebron, ad agri cujuspiam fossam in quo Adam creatus dicitur: hunc notat terebinthus triplici caudice ex uno trunco prodeunte. Hebron rudera indicio sunt, frequentiùs olim habitatum fuisse. Redeuntes Hierosolymam, deflexímus ad fontem quem signatum appellant: in itinere similes stirpes observavimus, quas priùs in Rama, & Hierusalem: deinde per pagum transeuntes ubi D. Ioannes natus est, templi cujusdam à Christianis olim istic ædificati ruinas vidimus. nunc ab Arabibus cultum, in quo cisternæ lacuum in formam extructæ: nam fonticulus est perennis. Suprà locus, ubi * Anna Elizabeth visitavit: tumulus is est multis oleis consitus. Eo die sub vesperam in monasterium Franciscanorum rediimus, & istîc pernoctavimus: postridie, visitatis sigillatim omnibus in urbe rebus, in sepulchrum Domini cubitum nos contulimus: peregrinis enim licet cibos eo inferre & per triduum hærere, si volent, aut quotiescunque lubebit ingredi, modò (uti diximus) novem ducatos persolverint. Hierosolymitanæ plantæ, in quibus mercatorum tabernæ, in fornicem tectæ sunt (ut in reliquis Turcici imperii urbibus) atque anteridibus posticâ parte firmatæ sive fultæ. Hierosolyma Sangiaci sedes est, qui certo numero Spahiz, hoc est, equitum præest: Sangiacus autem Regionis præfectum significat. Spahiz verò non liberè vagantur per pagos Hierosolymæ vicinos, rustici etenim eos ferre nolunt, sed in urbe apud Sangiacum versantur. Ceterùm mirum est Sangiaci munus adeò esse mobile apud Turcas. Nam sæpissimè accidit, ut qui per semestre duntaxat ejusmodi munere in aliquâ urbe functus sit, ad minimum Turcici Imperatoris mandatum, alteri cedere cogatur. Atque

* Fortè legendum Maria.

Atque interdum contingit ut qui ex Africa in Europam vel Asiam ablegatur, consumpto ferè semestri in itinere, antè quàm cum sua familia perveniat ad locum sibi præscriptum, si paulo pòst in alium locum ablegetur, obtemperet: eaque ratione hinc inde discurrendo, perpetuò motoriam aget vitam, non minùs quàm omnes munere aliquo fungentes, & milites Turcici. Sunt verò circiter duodenæ Sangiacorum præfecturæ, per Syriam, Iudæam, & Damascum, quæ donantur intimis aulicis Bassarum Constantinopoli hærentium. Ad eos enim ablegat Turcarum Imperator quos promovere vult: eamque ob caussam permutantur præfecturæ ex Superioris voluntate. Possent itaque hujusmodi munia comparari cum Provinciarum præfecturæ donationibus, nisi donationes perpetuæ essent: Sangiacorum autem præfecturæ donantur, permutantur, & adimuntur pro Principis arbitrio: singuli enim ad subliminora adspirantes, observant, muneribusque demerentur Bassas, ut eorum operâ opimiores obtinere queant præfecturas: Sic gradatim subeunt, pro favoris quem aucupari possunt ratione: cujus rei documentum nobis dedit Sangiacus qui tum temporis Hierosolymis præerat. Nam postquam anno in Tana urbe extima Euxini Ponti vixisset, facta permutatione in Peloponnesum ablegatus fuit, & inde post semestre Hierosolymam. Hunc exempli caussa in medium adduximus: quia reliquorum Sangiaci officiorum eadem est ratio.

Terrestre iter ab Hierosolyma Damascum: & quæ arbores spinosæ Hierosolymitano agro frequentes sint.

CAPVT LXXXVIII.

PERQVIRENTES circa Hierosolymitana mœnia stirpes, Hyoscyami genus observavimus Europæ ignotum. Diligenter autem examinatis spinarum generibus, quòd certiores fieri cuperemus è qua spina contexta fuerit corona, Christi capiti imposita; nullo autem frutice spinoso frequentiore invento, ipso Rhamno; arbitramur coronam ex eo contextam fuisse: nam neque rubum, aliúmve spinosum fruticem istîc crescentem invenimus, præter paucas Cappares spinosas. Cùm autem Itali Rhamnum vulgariter appellent Spina santa, præsertim circa Maceratam & Pisaurum (ubi sepes eo constant, quemadmodum Hierosolymis) hoc loco id subiicere voluimus: huc accedit quòd veteres Auctores Arabes, fruticem è quo contexta fuit Christi corona, *Albansegi* appellent, quod vocabulum Latini interpretes Coronam spineam verterunt. Fructiferæ istîc arbores proveniunt, Ficus, Oleæ, Punica malus, Zizipha, Prunus. Cùm verò lignarii mercatores in urbibus varia lignorum genera adservare soleant in suis ædibus & fabrorum tabernis: vix suspicari licet, ex altero quàm suprà memoratarum arborum ligno, Crucem fabricatam fuisse. Rebus ad profectionem paratis, discessimus die Martis sub vesperam Hierosolymis, pervenimusque in Car-bassara ferè dirutum, contiguum perenni fonti, in pago Elpira nuncupato, duobus cum semisse milliaribus distante ab Hierosolymis. Hujus pagi rudera, celebrem & magnum aliquando fuisse declarant: fertur ex eo loco rediisse Hierosolymam Diva Virgo, ut Christum quæreret, istîc hærentem ut in templo cum Doctoribus disputaret. Fœcundum est hoc solum vitibus, ficubus, & oleis. Media nocte inde discedentes & ad Septentrionem tendentes, per agros Sesamo & Xylo consitos iter fecimus, montésque circumquaque habuimus Esculo, Aria, Ilice, & Coccigeris fruticibus virentes, quibus Cocci grana incolæ colligunt, Venetisque mercatoribus ea undique conquirentibus venundant. Observavimus etiam Elæprini sive Alaterni arbores, Terebinthos, Adrachnes, stirpes Tragorigani, Serpilli, Zygis, Onitidis, Mari, & Libanotidis quasdam species: ne quis verò ægrè ferat si per Libanotidem haud intelligimus Rorem marinum; qui ejus duntaxat quinta est species. Sensim semper descendentes (est enim Hierosolyma edito loco sita, & undequaque illuc eatur, perpetuò ascendendum est) admodum properabamus, quoniam nostra jumenta in urbe quieverant: pervenimus itaque meridie Napolosam, quæ nostro judicio antiquitus Sichar vel Sichem dicta fuit, in Samariâ sita, postea Neapolis appellata; apud quam octavâ milliaris parte in valle cònspiciuntur rudera exigui cujusdam templi, ubi puteus fuisse perhibetur unde Samaritana aquam hauriebat Christo ab ea petente: nunc vacuus est solùm locus in agro ad regiæ viæ dextram Napolosa egressis; ubi reliqua diei parte perstitimus sub Mori albæ arboribus. Napolosæ vicini colles fructiferis arboribus egregiè exculti sunt. Oleæ in magnam crassitudinem adolescunt, viscoque rubris baccis prædito onustæ sunt, quemadmodum Hierosolymitanæ, non adeò tamen feraces, ut quæ graciliores ramos habent. Albæ mori arbores colunt ad bombyces alendos, quemadmodum & pumiliones ficus. Ficus porro Ægyptiacæ & Arabicæ non minùs ferè aridum gignunt fructum, Sycomoris.

Nazareth ubi Diuæ Virgini annuntiavit Angelus, ipsam Christum parituram: & viri Arabis descriptio.

CAP. LXXXIX.

EST Napolosa in acclivi collis sita, castellum habens vetustum: quótque Hierosolymam proficiscentes aut inde redeuntes istac iter faciunt, binos in singula capita ducatos péndere necesse est. Nos igitur diu ante lucem inde digressi, per montes & valles iter fecimus, fontibus & rivulis è montibus labentibus irriguas: norunt etenim incolæ per canales hinc inde distribuere, ut fœcundius solum reddant: sub vesperam in Nazareth pervenimus, exiguum pagum inter colles irriguos situm, Galilææ regione. Quidquid diei supererat, in Nazareth visitando insumpsimus, & locum in quo Angelus D. Virginem salutavit vidimus, sacellum videlicet exiguum in fornicem exstructum, quò per gradus descendendum, nam subterraneum est: templi etiam cujusdam olim à Christianis, dum eam regionem possidebant, exstructi rudera istic conspiciuntur. Nazareth ab Arabibus incolitur, viris brevibus & gracilibus, ut sunt reliqui Arabes. Eorum vestis, talaris tunica est, ad suras usque demissa, pilis caprarum contexta, alboque & nigro coloribus distincta, & sine arte ruditer consuta, quam cingulo coriaceo quatuor digitos lato præcingunt, cujus fibula quo latior est, eo magis se exornatos putant. Falcatum pugionem, non à cingulo pendentem, sed à cingulo lateri adstrictum gestant: interula talarem vestem longitudine superat, & ad talos demittitur, manicis admodum laxis & vestis manicas excedentibus: pilei acuminati, & replicati instar pilei Ducis Veneti, colore nigro (ad Ægyptiorum differentiam, qui rubri sunt) & crasso panno Xylino involuti: nullus braccarum caligarúmve apud eos usus, sed solis mulieribus gestandas relinquunt ut Turcæ: Cothurni præalti ad talos usque. Iter aliquò instituentes, singuli vel plures, pacis vel belli tempore, hieme vel æstate, dextrum brachium manica exerunt, humeroque cum dimidio pectore nudo incedunt, ut, si necesse sit, facilius arcum intendere queant, & ad pugnam expeditiores sint: tum etiam ut animosos se esse demonstrent. Opulentiores laneo panno amicti sunt: alioqui à ceteris, quorum iconem hîc subjeci, non differunt.



Eorum arcus & pharetræ à Turcicis differunt, & Græcis similiores sunt: nam Turcici Asiatici breves, affabrè facti, incurvi & validè tensi sunt: Cretenses, sive qui in Sphagia adjunctis hirci feri cornibus, sive qui in Candia urbe additis bubali cornibus conficiuntur, Turcicis majores sunt, crassiorésque & longiores sagittas requirunt: sic etiam Arabum arcus Turcicis cùm sint majores, longioribus sagittis opus habent, cùm illorum breves sint. Tartarorum & Wallachorum arcus, illos adhuc superant latitudine & longitudine: molles tamen sunt. Turcæ, Cretes, Arabes, Tartarique arcubus glutino paratis utentes neque cornu brachiali, neque chirotheca opus habent, quemadmodum Angli, Brasiliani, aliive qui ligneo arcu utuntur: sed annulus eboreus, corneus, aut buxeus, eorum vicem supplet (auctoritate pollentes aureum gestant, vel argenteum, splendidis lapillis exornatum) non recenti inventione, sed antiquissimâ: nam veteres medici Græci, atque ipse Galenus, ejus gutturis partis, quæ Latinis Larynx, Gallis *La luette* dicitur, formam exprimere cupientes, parem illam faciunt annulo quem Thraces sagittas excutere volentes, pollici indunt: atque adeò annulus quem Turcæ in pollice gestare solent, dum jaculantur, laryngi omnino similis est.

Lacus Genezareth, vel mare Tiberiadis.

CAP. XC.

HAUD procul inde digressi, ad maris sive lacus Tiberiadis littus pervenimus, in quo Cyprini, Lucii, Tincæ, & Chevesnes Gallorum, sive Squalo Romanorum & Venetorum, capiuntur: prætergressique sumus collis illius radices, ubi Christus quinque millia hominum pavit quinque panibus hordeaceis, & duobus pisciculis. Toto

illo

illo die per ſteriles agros iter fecimus, exceptis humidioribus quibuſdam locis, quibus incolæ colocaſias, braſſicas capitatas, betas craſsâ radice præditas, cepas, allia & paucas muſæ ſtirpes colunt. Planicies circum Tiberiadis lacum Napecæ arboribus abundat, cæduæ ſilvæ celſioris in modum naſcentibus, & fructum proferentibus dulcem atque edulem: adeò autem ſpinoſæ ſunt hæ arbores, ut agros ſicciores corruperint, ne ſeri queant: huc accedit quòd incolæ fœcundiore ſolo abundantes, faciliora humidioraque loca ſolummodo excolunt. Per pagum Capharnaum, multis fontibus irriguum, iter fecimus: & Tiberiadis lacus ambitum contemplantes Galileæ regionem, & Bethſaidæ, ubi DD. Petrus & Andreas nati erant, pagum conſpeximus; ſimiliter & Chorozaim, cui Chriſtus imprecatus eſt. Pagi illi nunc à Iudæis incoluntur, qui circum lacum paſſim ædificârunt, & ob piſcationes iſtic conſtitutas, loca antea deſerta, incolis frequentiora & cultiora reddiderunt. Hic lacus non adeò latè patet, quin terra circumquaque conſpici poſſit. In Car-baſſara amni Iordani vicino, quem lapideo ponte ſuperavimus, ſub noctem venimus: Arabes nobis vim inferre voluerunt; ſed ſtrenuè reſtitimus. Cùm non procul abſint ab eo Carbaſſara pagi; ruſtici venalia nobis attulerunt ova, gallinas, panem, ficus, vuas paſſas, ziziphaque alba & rutila. Poſtridie mane digreſſi, per ſaxoſa aſperaque loca à quibus ea regio Thrachonitidis cognomen accepit, iter fecimus. In ea provenit Ilex coccigera, Eſculus, veteribus Græcis πλατύφυλλος dicta, nunc βελανίδια: glandem fert magnam, columbini ovi craſſitudine; qua etiam panis penuria homines veſci queant, nam aliquantulum ad caſtaneæ ſaporem accedit; ſed iſtic inutilem, quoniam ſues non aluntur. Sub meridiem in planiciem venientes, pluvia ad noctem uſque durans, donec ad Car-baſſara quoddam tribus à Damaſco milliaribus diſtans perveniremus, nos oppreſſit. Tentoria fiximus ad pagum Carbaſſara vicinum; quod à multis viatoribus maturè occupatum erat, imbre illos ne abirent, iſtic detinente. Poſtridie bene excultos & fertiles agros invenimus, atque frequentes pagos: ad ſiniſtram autem Tripolitanos montes jam nive obſitos, & Phœniciam conſpiciebamus. Antequàm in planiciem deſcenderemus, & adhuc in editiore loco ſtantes, Damaſcum urbem commodè videre poteramus: depreſſo enim planoque loco ſita eſt: at ob ſalices populoſque albas & nigras per planiciem creſcentes, in mediâ ſilvâ poſita videtur. Univerſam verò planiciem irrigantes rivi è montibus labentes, & per canales diſtributi, fœcundiorem eam reddunt, & eleganter cultos hortos præbent. Dominica die ſatis maturè Damaſcum pervenimus; ſex enim duntaxat dierum itinere diſtat ab Hieroſolyma: precium in ſingula jumenta vecturæ nomine, bini aut terni ducati.

Rerum in Damaſco obſervandarum deſcriptio.

CAP. XCI.

CHRYSOROAS fluvius tantam aquæ commoditatem Damaſci incolis præbet, ut ſinguli ferè fontem in ædibus & hortis habeant. Vrbis plateæ anguſtæ & flexuoſæ: forum quod ipſi Bazar vocant, elegans eſt, & ſuprà contextum: ædificia ſatis probè exſtructa: ſed maximam elegantiam his addunt porticus pilis ſubnixæ, ad fugiendum æſtum aptæ. Duplici muro urbs cingitur, ut Conſtantinopolis. Vtriuſque muri turres vicinæ admodum ſunt: nam inter binas orbiculares, eaſque inæquales, tertia major, eaque quadrangula media eſt: urbis foſſæ altæ non ſunt, ſed in iis albas moros colunt bombycum alendorum gratia. Parva arx quadrangula licet extra mœnia ſita, mediam urbem occupare videtur: nam ſuburbia urbe duplo ampliora ſunt, foraque in ſuburbiis habentur, tametſi ipſa fori loca intra mœnia ſint. Vrbis portæ ferreis laminis teguntur: Cairi verò corio. Ad Orientem turris eſt quadrangula, cujus faſtigium inſcriptionem habet Arabicis characteribus expreſſam, iſtic ut ferunt poſitam Damaſco Chriſtianis ademptâ: nam paulò infrà conſpiciuntur bina lilia marmori inſculpta; ad quorum latus leo: quod multis occaſionem præbuit exiſtimandi inſignia eſſe Galliæ vel Florentiæ. Opificum tabernæ Cairinis ſunt ſimiles. Medici ad ægrum evocati, ipſimet medicamenta conquirunt: & cum ægro paciſcentes, pro morbi ratione ſe eum curaturos recipiunt, integram ſummam non accepturi donec æger morbo liberatus ſit. Videntur itaque proximam medendi rationem ſequi, quæ apud veteres Græcos & Arabes in uſu erat, cùm chirurgicam & pharmacopœam ipſimet exercerent. Non negamus tamen quin magnus honos ſit illis habitus, ut noſtro hoc ævo: ſed veriſimile eſt non adeò frequentes fuiſſe: quemadmodum pauciores tum erant cauſidici, quàm nunc. Ceterùm quemadmodum hominibus tria potiſſimùm in hac vitâ curæ ſunt, anima, corpus, & facultates; animaque ſit in homine pars potior & magis divina: ita ſinguli ſalutis curam habentes, etiam Ethnici, Theologos ſummâ in

veneratione ſemper habuerunt. Ab anima cùm corpore nihil homini ſit carius, & ejus integrâ valetudine, Medici ſemper in honore fuerunt: nam cùm ſanitas facultatibus præferatur, homines facultatibus quàm vitâ privari malunt. Volentes autem conſervare facultates quas ſuo labore & induſtriâ adquiſiverunt, iisque pacificè frui, Cauſidicos & alios Iuſtitiæ adminiſtros venerati ſunt, in quorum ſalarium facultatum partem libenter expendunt, ut reliqua pacificè frui queant. Antiquitus, Reſpublicæ bene inſtitutæ tribus iſtis ordinibus nunquam caruerunt, quemadmodum nec nunc carent: at in aliis regionibus eorum numerus non adeò excrevit uti apud nos. Apud Turcas nullo opus eſt lictore ad quempiam in jus vocandum: nam qui alium Iudici ſiſti volet, illum ipſemet adibit, atque dicet, ut ad Dei juſtitiam veniat: ſi qui alii Turcæ præſentes ſint, refragari non audebit, ſed ſtatim cum adverſario Iudicem, toto die ſub tecto prominente apud ſuas ædes ſedentem, adeuntes, cauſam coram ipſo diſceptabunt; Iudex illico pronunciabit prout illi æquum videbitur: itaque neque ſolicitatoribus, neque procuratoribus, neque cauſarum patronis egent.

Qui ſimplicia medicamenta venalia proponunt, compoſita etiam habent: nam in eorum tabernis inter reliqua obſervavi Confectionem Anacardinam, Mithridatium, Theriacam, Philonium, confectionem Hamech, mel roſatum & violatum, conſervam roſarum & ſtœchadis, lohoc de pulmone vulpis, oleum abſinthii, ſpicæ, & menthæ.

Merces venduntur ad ponderis genus quod ipſi *Rotulo* appellant, ſeptem libras pendens, Damaſci, in Syria, & in Ægypto. Noſtra Damaſcena pruna (parva illa noſtratia dulcia, magis vulgaria, meliora, quibuſque frequentiùs utimur, intelligo) iis quæ iſtic leguntur, ſimilia non ſunt. Nam Damaſci nata, quæ etiam iſtic caro venduntur, juglande majora ſunt, firma carne, dulci ſapore, cui admixtum ſit nonnihil acidi, nucleo longo & plano potiùs quàm craſſo & rotundo: ea duntaxat ſicca vidimus, quia maturitatis tempore ibi non fuimus. Tabernæ ſunt Damaſci in quibus ſolùm expurgatur Xylon, & à ſuo ſemine ſejungitur. lamina ferrea pedem longa, duoſque digitos craſſa Xylon in aſſere premunt: ſemen rotundum, fugit ferrum, eaque ratione ab ipſo Xylo ſecernitur. Equos & camelos erviala & eruo alunt, parvis leguminibus, ſatis in Gallia vulgaribus, licet Gallicum nomen nondum invenerint: cumque ea decorticata & rubeſcentia videremus, non agnoviſſemus, niſi integra propoſita fuiſſent. Saccharum Alhaſur nuncupatum, in Ægypto naſcens, in planta quadam, ope vermiculi ſcarabei æmuli, ſe eò involventis & habitaculum conficientis, magno eſt in uſu Damaſci, & reliquis locis Turcæ dominio ſubjectis, ut nemo ſit qui Turcicâ appellatione illud Tegalia nuncupare non norit. Cogitur in globulos avellanæ magnitudine, à ſaccharo albo diſcrepans, quod comeſtû vel bibitum, ſitim ſedat: Arabes verò auctores etiam teſtantur album ſaccharum ſitim magis augere quàm ſedare. Saccharum Alhaſur recens adeò temperatum eſt, ut ſitim illicò ſedet, & tuſſim brevi curet.

Magnus eſt Damaſci Iudæorum numerus, qui ſeorſim habitant, quemadmodum Avenioni; Armeni verò & Græci hinc inde per urbem liberam habent habitationem; Veneti iſtic Præfectum quendam tamquam Conſulem vel Prætorem alunt mercimoniorum cauſa. Is ſolet Venetiis ſecum abducere omnis generis opifices, quorum operam utilem ſibi fore novit, nempe ſartorem, ſutorem, & alios ſimiles: præterea Medicum, Cheirurgum, & Pharmacopœum, more patrio veſtitos. Damaſcus ſedes eſt Baſſæ, veluti Cairum: in urbe tamen non habitat; nec in arce, propter rebellionis metum. Quidam etenim ex ejus anteceſſoribus tam callidè in plebis gratiam ſe inſinuaverat, ut dominium occupare cogitaret: & in aciem cum ſuis militibus progredi non dubitaret adverſus eos quos Turcarum Imperator ad eum debellandum miſerat. Pollicitus fuerat ſuis militibus, ſe Iudæos prædæ expoſiturum: ſed cum hoſte congreſſus, ſuperatus & profligatus fuit; Iudæorum ingente lætitiâ: in cujus rei memoriam is dies quo Baſſa fugatus, ſolennis apud eos ſingulis annis celebratur, & victoria in ipſorum annales relata: imò etiam nunc gloriantur, Turcorum Imperatorem ideò victoriam obtinuiſſe, quòd is Baſſa eos expilare conſtituiſſet. Nullus Iudæorum eſt, qui non ſperet Hieroſolymam in ipſorum poteſtatem redituram: ea de cauſa in annales referunt omnium rerum eventus. Syriaci arietes breviore caudâ præditi Ægyptiacis; non minus tamen latâ & craſsâ. Frequens iſtic eſt gummi Chondrillæ uſus, & aromatis inſtar vulgò venale: nam mulieres mandere ſolent maſticis loco. Coït iſtud gummi, vermiculi cujuſdam artificio, Chondrillæ radice erodentis & terebrantis; ex qua deinde lacteus ſuccus emanans, concreſcit magnitudine exiguæ nucis Ponticæ: legitur deinceps ab his qui perquirunt, & urbium mercatoribus venditur. Quemadmodum porrò Creteneſes mulieres, Chondrillæ gummi uſum ignorantes Chamæleonis albi gummi utuntur, & Chii inſulæ incolæ maſtice; ſic Perſis terebinthinæ uſus familiaris eſt: mandi enim poteſt, nec dentibus inhæret, neque in ore diſſolvitur, ut ſuprà memorata.

Luſtratio

Lustratio eorum qui turmatim ex Damasco discedunt, ut Mecham proficiscantur.

CAP. XCII.

DVM Damasci hæreremus, Caravannæ apparatum vidimus, quæ Mecham profectura, hoc est, in Mahumetis honorem profectionem suscepturа lustrabatur. Magna est hominum caterva quæ singulis annis hanc profectionem ex Damasco suscipit, in quâ singula, interdum bina, nonnunquam & terna hominum millia sunt. Sed ante discessum lustrationem facere solent elegantem sanè & spectatu dignam: magno enim cum apparatu & pompâ fit. Turcæ Europæi hoc iter suscepturi, duplici ratione id conficere possunt. Nam vel Constantinopoli solventes, Cairum navigant, singulis enim annis Caravanna inde Mecham proficiscitur; vel Damascum petunt. Asiatici verò multò commodiore ratione id iter per Damascum conficere possunt quàm per Cairum. Primùm cameli conquirendi (præcipuum profectionis fundamentum) qui diu sitim ferre possunt; nam per solitudines iter faciendum: equorum, qui sitim ferre nequeunt, in hac profectione nullus usus. Præcipuum autem totius pompæ spectaculum est, thecam conspicere, sua pergula eleganter fimbriata tectam, dorsoque cameli impositam, in qua Alcorani liber Mahumetis legem continens, reponitur pulvinari incumbens, multis Mahumetis prophetis comitantibus. Nobiliores Damasci urbis incolæ, quales sunt Sangiaci & Bassæ, Spahis, aliiquè nobiles Turcæ, ad lustrationem per urbem faciendam suos equos præbent. Inter reliqua equorum ornamenta caudas habent bouis Indici, pilis admodum tenuibus & candidis, tanti apud eos precii, ut singulæ quatuor vel quinque ducatis æstimentur: eam ob causam satrapæ duntaxat utuntur, equorum gutturi eas appendentes. Elegans spectaculum est, conspicere satrapam Turcam equo insidentem: nam stapedes admodum latos habent è brevibus loris pendentes, calcaria rotulis carentia, acinacem sub femore ephippio applicatum gestant, & exiguum aliquod flagellum in manu: ut autem faciliùs intelligi id queat, similem equitem satrapam cum ornatu patrio hîc exprimi curavimus.

Circassi sive Arabis satrapæ equitis icon, qui, cùm Sultanus in Ægypto rerum potiretur, omnium opulentissimi erant.



Tibicines & tympanistas comites in Caravanna adsumunt, & circiter vicenas bombardas campestres, quas Galli *Fauconeaux* appellant, vehunt ad totius Caravannæ securitatem, ne per solitudines ab Arabibus latronibus spolientur. Pompa hæc triduum durat: sed per integrum mensem comparant sibi edulia ad eam profectionem necessaria: pleræque ideò tabernæ sunt Damasci, uti in Cairo, in quibus cicer (vulgari Græco nomine *Ervithia* nuncupatum) frigitur in patulis æneis palis: iis maxime conveniens qui longinquam suscipiunt profectionem: sumunt etiam biscoctum panem, & sale conditas carnes, deinde resiccatas, uvas coctas, oryzam, bouhourt & tracana tritici genera lacti incocta, deinde resiccata.

Damasci ædificia, aliaque singularia.

CAP. XCIII.

NVLLÆ sunt Damasci silvestres aves magis insignes quàm ejus regionis perdices; minores rubris & cinereis. Dorsi & colli colore gallinaginem sive rusticulam æmulantur, alis verò alius inest color: nam qua corpori junguntur, albis, fuscis, & fulvis pennis integuntur; decem verò remiges pennæ cinerei coloris sunt: alarum pars interior & venter albent, torquem habent in pectore ut merula torquata, vel tetrax, rubro, fulvo, flavo commixtis coloribus constantem: alioqui capitis & colli inferior pars, rostrum & oculi perdici similes, brevisque cauda. Eam inter alterius ortigometræ seu perdicis rusticulæ, aut *Pluvier* Gallorum genera reposuissemus, nisi crura haberet pennis vestita, ut

Allobrogica perdix alba, quæ lagopus est, vel columba plumatis pedibus.

Insignis, magna admodum & elegans Damasci est Mesgueda, tum etiam Basestan, locus in quo venduntur exquisitissimæ & magni precii merces, ut sericea stamina omnis generis colorum, ex auro & argento confecta monilia, gemmæ Orientales, acinaces, ephippia, frena, aliaque ejusmodi magni precii opera, tum etiam mancipia masculini & feminini sexus. Omnia apud Turcas proclamando venundantur: nullumque est oppidulum quod suum Basestan non habeat, nec pagus in quo non sit forum Bazare illis dictum. Damasci ædificia eâdem symmetriâ sunt exstructa cum Cairinis, ad frigidiorem auram excipiendam optimè accommodata. Quemadmodum autem in Septentrionalibus provinciis vaporaria fiunt, quo se à frigore commodiùs tueantur: sic Damasci ædificia porticus in modum sunt exstructa, fenestris utrimque satis depressis, ut humi desidentes faciliùs aërem frigidiorem excipere queant. Vuæ passæ quæ ad nos in platani pyxidibus adferuntur, veræ sunt Damascenæ vuæ, quas Arabes *Zibeben* appellant. Nullas in Damasci regione ferri fodinas esse arbitror, ex quo chalybs liquetur, ut plerique arbitrati sunt; diligenter enim inquisivimus: sed is qui Damascenus cognominatur, istic solummodo repurgatus est. Ferrum, chalybs, æs aliunde delata, istic temperie & præparatione perfectiora redduntur: insignes enim sunt artifices in ære & chalybe sculpendo. Eam ob causam, ærea, chalybea, & cuprea opera istic facta, statim Cairum aut Constantinopolim deferuntur: hinc fit ut plura hujusmodi opera Constantinopoli reperiantur, vilioriqùe precio comparari queant quàm Damasci: simulatque enim opifices aliquod opus singulare absolverunt, à mercatoribus redimitur, qui Constantinopolim id deferri curant. Secundo rivo Chrysoroas veteribus appellato, urbem perfluente, cujus pars planiciem irrigat, ad hortos extra urbem sitos pervenitur. Falluntur qui illum Iordanis esse caput existimârunt.

Sæpiùs diximus, per universum Turcarum imperium, nullum esse diversorium: eamq. ob causam elegantia ædificia Car-bassara dicta Damasci, in Cairo & reliquis Turcici imperii urbibus conspici, quæ Arabes *Kan* vocant. Instar magnorum horreorum exstructa sunt, quibus omnes viatores, cùm exteri, tum inquilini, excipiuntur, nullo vel admodum exiguo persoluto precio.

Iter è Damasco in Libanum montem.

CAPVT XCIIII.

REBVS ad itineris continuationem Constantinopolim versus præparatis, serò admodum urbe egressi, & ad Septentrionem tendentes, ad proximi montis, ex quo defluit riuus urbem perfluens, radices duntaxat pervenimus, isticque sub dio tentoria fiximus. Postridie montem præcipitem conscendimus; & in ejus culmine constituti, urbem conspiciebamus latè patentem & nostro judicio magnam: nam horti varii generis arboribus consiti, simul cum urbe commixti apparebant in eleganti illa planicie, à rivo egregiè rigati, qui tanto impetu ex monte devolvitur, ut vicinis locis strepitus exaudiatur: at postquam in planitiem descendit, adeò temperatè fluit, ut duci & in plurimos canales distribui possit pro incolarum arbitrio. Hortos etiam optimè excolendi laudem semper obtinuerunt, vel teste Plinio, qui ait, *Syria in hortis operosissima.* Planiciem elegantiorem & fecundiorem videre non memini: summam etiam diligentiam & curam adhibent incolæ, ut fecunda reddatur. Superato monte, colliculos reperimus multis pagis frequentes, ubi terra magnâ diligentiâ exculta est: solum alioqui per se pingue, uberius redditur, deductâ circa istos colliculos aquâ. Vitium stipites admodum crassi palmites latè extendunt: non ignorantibus incolis qua ratione eas colere debeant: nam tanto intervallo conserunt, ut facilè carrus inter illas duci queat. Non mirum est igitur, si vuæ adeò magnæ sint, & vinum tam generosum præbeant; quemadmodum mirari non decet, si in nonnullis regionibus vinum adeò tenue sit ut aqua videatur, cùm incolæ vites tam contiguas serant, ut inter eas pedis vestigium vix figi possit, ad illas excolendum. Aratra in planis Syriæ à nostratibus differunt: nam duo asini vel imbecilles boves aratrum sine rotis è populea materie confectum, duplicique vomere admodum levi constans, sine buride trahere queunt: itaque non difficilis est aratio, cùm soli superficiem duntaxat scalpant: domum redeuntes aratrum humeris impositum referunt. Plinius id etiam innuit, *Syria*, inquit, *tenui sulco arat.* Differunt autem Syriacæ vites ab Hierosolymitanis, quòd Syriacarum stipites quatuor ferè cubitis in altum attollantur, quinaque vel sena sarmenta habeant crassa in longitudinem, utrinque expansa, & palis serie quadam dispositis fulta, inter quæ aratrum duci queat: Hierosolymitanæ verò sine pedamentis per se magnâ ex parte subsistunt, nec per series dispositæ sunt.

Longiùs progreſſis jam Libanus mons nive oblitus apparere incipiebat: atque in itinere eupatorium Meſuæ, abſinthium Ponticum, centaurium minus, zizipha alba & rutila, populi genera, & cedri pumilæ duo genera, videlicet oxycedrum, & eam quæ foliis non pungentibus ſed obtuſis conſtat, reperimus. Incolæ pyros, malos, armeniacas & amygdalas alunt. Nocte in pagum Calcous nomine pervenimus, & in Car-baſſara fornicato atque in ſolidâ rupe inciſo (veluti ſunt reliqua ejus pagi ædificia) noctem traduximus. Poſtridie, itinere quod in Libanum ducit, inſiſtentes ut Tripolim proficiſceremur, Antilibanum Syriæ contiguum ad ſiniſtram reliquimus inter nos & Phœniciam. Monaſterium Caloierorum Maronitarum & Græcorum in ſummo Libani vertice eſt, qui prææltas Cedros oſtendunt, iis quibus Salomon templum ut perenne eſſet, exſtrui curavit, ſimiles. Sola hæc arbor inter reliquas (abiete exceptâ) conos fert ſurſum erectos, magnos, duros, & pineis ſtrobilis ferè ſimiles, niſi læviores eſſent.

Cæſareæ urbis, nunc Balbec appellatæ, antiquitates.

Capvt xcv.

Ab itinere deflexímus, ut in Balbec veniremus, vetuſtam & celebrem Phœniciæ urbem, ad montis Libani radices ſitam. Balbec vicini, in planicie ſepulchrum invenimus, brevibus & craſſis ex Thebaico lapide columnis fultum, in faſtigium aſſurgens. Amœno loco eſt Balbec, ſed nunc ferè omninò diruta: ex ruderibus tamen eam percelebrem olim fuiſſe colligere licet. Supereſt arx quaſi integra, in qua novem præaltæ columnæ iis craſſiores quæ Conſtantinopoli in Hippodromo ſunt; alia præterea ſupra urbem erecta, Pompeianæ apud Alexandriam ferè ſimilis, cujus ſcapo epiſtylium impoſitum eſt quadratum. Multæ ſunt extra urbem areæ, quadrato lapide ſepulchrorum in modum exſtructæ, quæ Arabicas habent inſcriptiones. Incolæ magnâ ex parte Iudæi ſunt, qui Salomonem eam urbem exſtruxiſſe aiunt. Sed Cæſarea eſt Philippi, cujus D. Paulus meminit, apud quam Iordanis fontes defluunt. Mœnia alta non ſunt, ſed ſaxorum materia & pulchritudine omnium aliarum urbium mœnia ſuperant, & ſumptuoſo opere ſubſtructa ſunt, foſsâ tamen carent. Antiquitatum ſtudioſus integro octiduo omnia in Balbec ſpectatu digna obſervare vix poſſet, neque obſervare potuimus ob temporis anguſtiam. Vino atque victui neceſſariis comparatis, iſtic prandimus; & ſub noctem egreſſi quandam ſubſtructionem invenimus ex valida materia coagmentatam ad collis cujuſdam acclive, viginti quinque paſſus longam, & quindecim latam, utcunque capacem, cujus muri humiles quidem, ſed craſſitudinis immenſæ. Noctu in pagum Lubon appellatum venientes, antiquam fabricam Romani operis adhuc integram & ſolido ſaxo duas orgyias lato exſtructam vidimus. Egregiam umbram huic pago præbent ulmi & juglandes; riuus ex monte delabens aquam adminiſtrat. Inde in planiciem pervenimus; pauloque longiùs progreſſi, collem ſubiimus, ubi Arabes invenimus magno gradu ad nos accedentes, exertis è manica brachiis, quo faciliùs ſaxa in nos torquerent; & expeditiùs arcu ſagittas emitterent: Turcæ nobis comites additi reſiſtere non volentes, ſeceſſerunt. Eam ob cauſam Dominus de Fumet cum nobilibus Gallis eum comitantibus, Arabibus animosè ſeſe opponentes, ſtrenuè eos propulſarunt, aliquot tamen prius utrinque vulneratis: paulo pòſt in planiciem pervenimus Damaſcenæ ſimilem, in quam deductâ per rivulos aquâ, agros, æquoris inſtar planos, fœcundos reddunt. Multi pagi hinc inde ſparſi conſpiciuntur, in quibus arbores diligenter coluntur, præſertim verò morus nigra & alba, quarum foliis bombyces aluntur: nigram autem morum & ficum ſilvulæ in morem cædunt; quoniam folia in virgultis eodem anno natis naſcentia teneriora ſunt. In itinere denuò invenimus Eupatorium Meſuæ & Abſinthium Seriphium. Rarò per Syriam & Aſiam conſpicere eſt ruri elegantem aliquam ſubſtructionem: quoniam magna pars Orientalium hominum, & totius Aſiæ, Syriæ, Ægypti & Arabiæ, mancipia ſunt, nec ruri magnificè ædificant, ut in Europa: (eam ob cauſam regio maximâ ex parte culturâ caret) ſed in ipſis etiam urbibus ſubſtructiones ex vili materia conſtant. Id verò contingit quia non eadem eſt apud Turcas nobilitatis ratio quæ in Chriſtianorum provinciis, ubi ad poſteros tranſmittitur. Sed inter illos qui primam dignitatem ſecundum Turcarum Imperatorem obtinebit, ignorabit cuias ſit, & quinam ſint ejus parentes: imò quiſquis ab Imperatore ſtipendium accipit, tam nobilem ſe æſtimat atque ipſemet Imperator: non tranſit enim nobilitas ad liberos, quemadmodũ apud Chriſtianos & Græcos. Verum quidem eſt nobilitatem non æqualiter æſtimari in omnibus provinciis: nam magna nobilium pars in Italia, ut Florentiæ, Venetiis & multis aliis Rebus publicis, mercaturam atque alias res exercent, quas nemo apud

nos poteſt, quin nobilitatis titulum amittat: quod cum his convenit quæ Herodotus de vetuſtâ Ægyptiorum nobilitate prodidit, qui præ reliquis ſeſe efferebant, quòd mechanicas artes non tractarent, quodque omnium primi ad bellum gerendum accerſerentur; quam nobilitatem à parentibus hæreditario iure accepiſſent. Quoniam verò Reſpublicæ diverſas opiniones habuerunt de hominum nobilitate, aſſerimus illam pro arbitrio æſtimari. Ariſtoteles enim inquit, Nobile id eſt quod ex bono prodiit genere: generoſum autem, quod non à ſua natura degeneravit. Quaſi innuere vellet, qui legitimè utroque parente natus ſit, nec à natura degeneravit, eum eſſe nobilem: & generoſum qui à nobilitate non deſcivit. Summo honori ſibi cedere Turcæ exiſtimant, Turcici Imperatoris mancipium ſeſe venditare poſſe: quemadmodum apud nos qui ſe Principis miniſtrum jactitet. Quia porrò facultatum quas à morte mancipia relinquunt, pars Turcarum Imperatori cedit; qui opulenti ſunt, ſuas facultates in fabricas non expendunt: propterea illorum ædificia duntaxat mapalia ſunt, ſi cum noſtris conferantur. Montes itineri vicini frondebant arboribus Terebinthi, Adrachnes, Arbuti, & Elæprini. Mons Libanus, quem ſuperioribus diebus prætergreſſi eramus, jam non conſpiciebatur: atque montibus latè hinc inde ſeſe porrigentibus ſuperatis, in magnam planiciem ab ipſis incluſam deſcendimus in Ciliciâ ſitam. Paululum per planiciem progreſſi, quievimus in Car-baſſara, exiguo itinere eo die confecto, quia ante meridiem vulneratorum gratiâ divertimus. Ceterùm Aſiæ Car-baſſara aliâ ratione gubernantur atque Arabica: nam ianitores illorum, viatoribus hordeum quod Camelis detur, vendunt (avena etenim in iis regionibus non invenitur,) cujus rei causâ tributum Turcico Imperatori pendunt.

Antiquum manducandi ſemina Terebinthi morem etiamnum in Cilicia & Syria perdurare.

CAPUT XCVI.

CETERUM rem quæ nobis admirationi fuit, ſilentio haud quaquam premere voluimus: ruſticum videlicet Arabem in proximo pago conſpexiſſe Camelum ducentem, Terebinthi ſemine onuſtum: eâ arbore vicini montes ſunt obſiti, ex quâ gummi colligitur, quod Damaſcum venale defertur: nam quod in Cairo venditur, Aſamia mittit. Aſamiam Turcæ appellant, quam Latini Chaldæam (cujus caput Babylon) totam Meſopotamiam & Aſſyriam complectentem. Auctorum verò probatorum teſtimonio evincere poſſumus, jam plus quàm bis mille annis Terebinthi fructu homines veſci ſolitos; atque Perſas, ante panis uſum eo vitam ſuſtentaſſe. Adeò exquiſito colore cæruleo præditus eſt hic fructus, ut quemvis alium cæruleum ſuperet: ea de cauſa veteres Arabes *Granum viride* appellarunt; medius enim inter viridem & cæruleum color eſt.

Terebinthus, cuius meminit hîc Bellonius, alterum peregrini Terebinthi genus erit, quod doctiſſimus vir Leonardus RauWolſius Reip. Auguſtanæ Medicus cap. 8. Lib. 2. Itinerarii ſui deſcribit, in Meſopotamia Armeniaq; abundanter creſcere aſſerens; & Bel Serapionis, Avicennæ & Rhaſis eſſe ſuſpicatur.

Hamous urbs, veteribus Emiſſa dicta.

CAPUT XCVII.

DILUCULO per ſuprà memoratam latè patentem planitiem iter fecimus, in qua Smyrnium & Leontopetalon invenimus, & per urbem ab Arabibus Hamza, Turcis Haman, veteribus Emiſſa nominatam tranſivimus. Hujus urbis mœnia olim ex ſolido ſaxo conſtructa fuêre, quæ etiamnum perſiſtunt: mœniorum ambitu includitur præaltus tumulus ex planicie facilè conſpicuus, in quo arx ſita à Romanis olim exſtructa. Supereſt adhuc extra urbem ſepulchrum δίστεγον, in Pyramidis quadrangulæ modum faſtigiatum, valido cæmento exſtructum, in quo C. Cæſaris epitaphium Græcis characteribus inſcriptum.

Magna eſt in Haman ſericei ſtaminis abundantia: nam bombyces magnâ curâ & diligentiâ aluntur, ob riguorum hortorum commoditatem, in quibus ficum, morum, & alias arbores fructiferas colunt; rivi enim è montibus delabentes, totam planiciem uberiorem reddunt. Iſtîc fiunt ſtrophiola & pepla verſicoloribus ſericeis & aureis contexta filis: vel ex ſericeis ſtaminibus albis, rubris, & flavis, quibus admixta aurea, nomine illius urbis per univerſum Turcici Imperatoris dominium celebria. Sita autem eſt Haman in latè patente

patente planicie, quam elegantes rivi alluunt. Mœniorum ambitus adhuc integer ferè est; sed interior urbis pars omninò corruit: nihilque spectatu dignum restat præter Bazare, hoc est, forum, & Basestan Turcico more exstructum. Ipsa mœnia celebrem aliquando fuisse urbem testantur. Istic victui necessaria omnis generis invenimus. Quoniam verò per singulas urbes Græci, Armenii, & Iudæi Turcis permisti sunt, quocumque pervenimus, vinum perpetuò reperimus.

Turcicæ cauponæ, in quibus conveniunt ad potionis genus bibendum Posca vel Zythum nominatum, à cerevisia differens.

CAPVT XCVIII.

PRIMVM in Hama observavimus, potionis illius veteris, Posca dictæ, conficiendæ rationem penitus non intercidisse: imò asserimus, nullam in Asia urbem inveniri, in qua cauponæ non sint, ubi hæc potio venalis non habeatur. Vulgus *Chousset* appellat, veteres Græci Zithum, Latini Poscam dixêre, vel Puscam aut Phuscam, ut Columella & Suetonius, Serapio & Avicenna etiam meminerunt. Candida est ut lac, densaque, & boni alimenti; valde autem caput tentat & inebriat, si quis liberaliùs sumat. Nonnulli existimarunt Poscam idem esse cum Oxycrato, attamen differunt: nam Oxycratum id est quo Græci & Itali nautæ uti solent, & nautarum fex in Venetorum navibus & triremibus vulgò bibit. Qui enim mare sulcant, aquam tam diu adservare coguntur donec plerumque corrumpatur & fœteat: ut tollatur teter ille sapor ex nimia in vasis adservatione contractus, nonnihil aceti admiscetur, quod fœtorem adimit, & jucundum saporem conciliat: id Oxycratum est. Zythum verò vel Posca, nunc Posset vel Chousset dicta (à Cerevisia differens quæ veteribus Curmi appellatur, & ex integris vel contritis granis fit) paratur ex farina in massam coacta, quæ in capaci aheno coquitur, ex qua deinde orbiculi confecti in aquam demittuntur, quæ illicò sponte ebullit, & calefit sine ignis adminiculo, atque in densam sorbitionem coit. Ejus spuma alba est & levis, qua Turcicæ mulieres sese illinere solent; erugat enim, teneriorem que reddit cutem, præsertim si in balneis eâ fricentur: quam facultatem veteres in Zitho non ignoravêre. Vt autem evincamus Poscam non esse Oxycratum, unus Suetonii locus sufficiat, qui refert, fugitivum Cæsaris mancipium Capuæ deprehensum fuisse Poscam venalem habens: certè nisi ea potio aliud quàm Oxycratum continuisset, frigida admodum fuisset ejus taberna, exiguumque fecisset quæstum.

Vrbs Tarsus D. Pauli patria.

CAP. XCIX.

DIV ante lucem ex Haman digressi, in tenebris per locum in colle situm transivimus, quem Sebastopolis urbis rudera esse nonnulli existimant, ubi adhuc pleræque rectæ columnæ conspiciuntur, quas aliqui è Palatii Herodis, alii Herodiani esse asserunt. Vulgaris tamen inquilinorum opinio est, columnas esse templi D. Ioanni consecrati, cui istic caput ademptum fuisset. Inde in vallem descendimus, ut lapideo ponte superaremus amnem quem plerique Oroum existimant, alii Irin, alii Martiam, magno impetu labentem, molasque versantem. Rursus deinde conscendendum fuit, ut in planiciem perveniremus amplam & unius diei itinere patentem, ab arboribus planè liberam, quæ, meo judicio, antiquitus Sabæus campus nominabatur. In ea seritur sesamum & gossipium. Postea pervenimus in urbem Hama, sive Hamsa, olim Tarsus dictam, dimidii diei itinere ab Haman (quam nonnulli neoterici Apamiam veterum putant) distantem. Sita est hæc urbs in valle olim admodum populosa, ut ex mœnibus latè sese explicantibus, & ruderibus apparet. Arcem habet in collem sublatam, ut ea quæ in Haman est. Conspiciuntur adhuc multæ veteres magnæ præaltæque turres. Nulli regioni commodiùs comparari potest Ciliciæ regio in qua Tarsus, quàm *Beause* Galliæ. Verum quidem est, secundum Cydnum flumen, quod mediam urbem secat, ficum, morum, juglandem, aliasque fructiferas arbores provenire: sed campestria ab arboribus libera. Magna aquæ commoditas quâ horti irrigantur, facit, ut hæc regio mediocriter culta sit: nam cùm fluminis alveus admodum depressus sit, magnis rotis aqua ex eo sublevata, per canales non modò in hortos distribuitur, sed etiam urbis balneis servit. Habet etiam magnas Mesguedas satis bene instructas: privatorum ædificia hinc inde sparsa sunt in colliculis. Fluvius

vado

vado ferè ſuperari poteſt: nam cataractis quibuſdam exiguis ſiſtitur, ut per canales molas verſare queat. Propterea parvum ligneum pontem duntaxat habet. Hama ſive Tarſus Divi Pauli patria eſt, licet iſtîc non nati, ſed pago Giſchali in Galilæâ apud mare Tiberiadis. Tarſi parum hæſimus: nam ſimulatque noſtra jumenta paſta fuerunt, iter proſequuti ſumus.

Ciliciæ plana, & ciſternæ in terra reconditæ, quæ aqua pluvia implentur.

CAPUT C.

PER argillaceum ſolum & campeſtria loca latè patentia aquæque expertia iter facientes, in Beauſe, vel Lodunenſi Galliæ regionibus verſari videbamur: nam vix ad orgyiæ altitudinem fodere quis poſſit in Cilicia, quin ſaxum inveniatur, quemadmodum in Lodunenſi tophus. Ciliciæ incolæ, ut commodiùs vitam traducere queant, rationem conſervandæ aquæ in ſuum & jumentorum uſum invenerunt: nam ciſternas in ipſo ſaxo ſub terra excavarunt, anguſto ſuperiùs ore, quà pluvia aqua ingredi poſſit: ſi interdum ea aqua deſit, plus quàm quatuor miliaribus inde petenda eſt. Nullas iſtîc plantas obſervavimus præter Aſphodelum & Ferulam. Licet Cilicia *Beauſe* Galliæ ſimilis ſit, agriculturâ tamen differunt, nam ea frequens eſt in *Beauſe*, in Cilicia verò propemodum nulla: imò ligna illis petenda ſunt è montibus plus quàm bidui itinere inde diſtantibus. Ejus rei penuriâ, granum quoddam ſerunt Italis & Gallis ignotum, Sorgo Inſubrum ferè ſimile; à quo colore ſolummodò differt: Sorgo enim rutilum eſt, illud verò album. Ejus apud Græcos & Latinos Auctores nullam mentionem invenimus: Arabes* Harcoman appellârunt. Incolæ ejus calamos pollicari magnitudine craſſos diligenter colligunt, ex illis ignem, alterius ligni penuriâ, ſtructuri. Molas domi habent quibus grana conterunt, atque ex farinâ maſſam pinſunt duram, quam tenuiter admodum complanatam, radiis ſolaribus coquunt, aut veteri Romanorum militum more, qui calefactæ ab igne tegulæ atque lapidibus utrinque ſuſtentatæ piſtam maſſam complanatam imponentes coquebant. Eadem ratione ruſtici panem coquunt: at urbani in clibano. Nos antea illud idem triticum in Epiro naſcens obſervaveramus, cujus ruſtici magnos ſaccos Corcyram in forum deferunt, quo inſulæ illius incolæ columbas alunt. Eâ nocte in Car-baſſara pervenire non potuimus: nam imber in pago quodam manere coëgit, vbi panem jam memoratum invenimus, & alios cibos, vilique precio redemptas gallinas & ova. Poſtridie ſummo mane diſceſſimus, ut quod pridie deceſſerat, compenſaremus: & per campeſtria loca iter facientes, ſub veſperam in colliculos incidimus coccigero frutice abundantes; deinde jam nocte ad Marat rudera pervenimus.

* *Hareoman illud Bellonij, id ipſum eſt quod doctiſſimus vir Leonardus Rauwolſus Dora ab incolis veteri Arabico nomine & Rhaſi Serapioniq; noto vocari tradit, eleganterq; deſcribit cap. 6. Lib. 11. Itinerarij ſui.*

Ruinarum Marat deſcriptio.

CAP. CI.

MARAT, olim amplam & elegantem urbem fuiſſe, ex ejus ruderibus appâret; olim Maronias nomine inſignitam, facilè nobis perſuaderemus: nihil tamen aſſerere volumus. Mirum eſt non aliter habitari, cùm & fontibus & rivis non deſtituatur: nonnullæ ſolummodò Meſguedæ conſpiciuntur, & pauca quædam ædificia ſub fornicibus. Iſtîc hominem palo affixum Turcarum more vidimus: ſic enim flagitioſos plectere ſolent. Nam ſimulatque aliquis, facinus admiſiſſe convictus eſt, illius manus & pedes quatuor palis ſolo defixis alligant, deinde præacutum palum ligneum ano impoſitum malleo incutiunt, donec aliquâ corporis ſecundum caput parte cuſpis emergat, eaque ratione affixum attollunt & reponunt, expanſis brachiis, & pedibus pendentibus. Hoc ſupplicii genus novum non eſt: nam Herodotus de * Scytharum (à quibus Turcæ originem trahunt) ſepulturâ agens, ſcribit; mortuo quopiam Scytharum Rege inter reliquas ceremonias obſervari ſolere, ut quinquaginta adoleſcentes ejus mancipia palo per ſpinæ longitudinem ad caput uſque transfigant, deinde circum Regis ſepulchrum palorum craſſiorem partem & infimam terræ infigant. Dicimus ergo hanc palis traiiciendi rationem, ſuorum majorum conſuetudinem reſipere; quæ tamen quantum ad ſepulturam attinet, apud eos ampliùs non obſervatur. Marat æqualiter diſtat à Tarſo & Halep. Campeſtria ejus regionis loca frumento, hordeo, goſſipio & ſeſamo ſunt conſita: nullæ autem arbores vel

frutices

frutices conſpiciuntur. Noctem traduximus in Carbaſſara. Poſtridie iter fecimus ad noctem uſque, per loca adeò plana, ut æquor planius eſſe nequeat. Terra eâdem ratione excolitur quam, de Syria agentes, commemoravimus. Præcipuus regionis proventus eſt Goſſipium & ſeſamum, quod Iunio menſe ſeritur. Non dubito quin tam facilè in Gallia proveniret quàm in Aſia, ſi quis periculum faceret. Cujus rei teſtimonium Italia præbere poſſet, quæ Romani Imperii tempore ſeſamo & goſſipio conſita fuit, nunc verò ne unicam quidem eorum plantam alit. Goſſipium integro ſemeſtri in terra non permanet: nam Septembri demetitur, Maio autem vel Iunio ſeritur: ſed ſingulis annis repetenda ſatio. Invenimus tamen in Cairi hortis perenne, & humanam altitudinem ſuperans. Aliud porrò eſt Goſſipii genus quod ex India vel Braſiliana regione defertur, ab eo quod in Aſia creſcit longè diverſum. Nam Braſilianum, ſemen habet craſſum, nigrum, ſimul in dena vel duodena grana congeſtum: Aſiaticum verò ſingula grana habet ſeparata. Sub veſperam invenimus rivum verſus Halepum labentem, quo prætergreſſo, mollius ſolum deſiit, ſequutaque eſt aſpera per montes & ſaxa via: deinde oleas, malos, pyros, prunos, amygdalas conſpeximus. Diſtat is rivus tribus ab Halepo milliaribus, quò ſerò admodum pervenimus, & excepti ſumus apud nobilem quendam Venetum, quem Reſpublica Veneta iſtîc alebat negotiationis gratiâ.

* *Quoniam Bellonius ſepulturæ Regum Scythiæ meminit ex Herodoto, ipſius Herodoti in Melpomene ſive lib. 4. verba adponere hîc libuit, quæ nonnihil ab his quæ in medium adduxit Bellonius, differunt. Is poſtquam multa de Regis cadaveris ſepeliendi ratione retulit, addit: Circumacto anno, rurſus hoc agunt. E famulis Regis intimos ſumunt (ſunt autem Scythæ indigenæ: nam famuli ſunt quos Rex iuſſerit, nec ullus venalitius ei miniſtrat.) Horum miniſtrorum quinquaginta quum ſtrangulaverunt, ac totidem præſtantiſſimos equos, vacuata & purgata alvo, paleis implent ac conſuunt: & ubi dimidium fornicis ſuper duo ligna reſupinatum ſtatuerint, alterumq; dimidium ſuper altera duo ligna, & item alia multa huiuſcemodi defixerint, tum ſuper ea equos imponunt craſſis tignis in longum ad cervicem uſque traiectos, ita ut priores fornices ſuſtineant armos equorum, poſteriores verò iuxta femora ſuſcipiant uteros; utriſque cruribus supernè pendentibus. Equos autem infrenant, eorumq; habenas ad palos extentas alligant: dehinc ſuper eorum ſingulos ſtatuunt ſingulos quinquaginta iuvenum ſtrangulatorum, hunc in modum: Vnicuique eorum rectum ſtipitem per ſpinam ad cervicem uſque tranſfigunt: quod inferius ſtipitis exſtat ultimum, infigunt tigno illi quo equus traiectus eſt. His equitibus ſepulchro circumpoſitis abeunt. Hunc in modum Reges ſepeliunt, &c.*

Urbs Halep, antiquitus Berrhœa dicta: & Rhabarbarum atque Rhaponticum.

CAP. CII.

HALEP ab omni antiquitate celebris fuit: nam totius Orientis maximum emporium eſt, caput etiam eſt Comagenes. Nomen Arabicum adquiſiviſſe creditur, quòd quemadmodum Aleph prima Alphabeti littera eſt, ſic Halep primaria ejus regionis in quâ ſita eſt, urbs ſit. Ex Neotericis nonnulli, veterum Hierapolim eſſe exiſtimant: at Gillius Berrhœam eſſe cenſet. Caravannæ ex India, Perſia, Meſopotamia, aliiſque Orientis regionibus advenientes, in Halep onere liberantur. Qui verò in Indiam, Perſiam, aliaſque Orientis regiones proficiſci cupiunt, ſemper iſtîc negociatores reperiunt, qui ultrò citroque commeant. Quia porrò in eam urbem omnes totius Orientis merces deferuntur, Veneti Conſulem ibi commorantem habent, tamquam Legatum, qui merces compararet, eaſque ad vicinos maris Mediterranei portus Tripolim & Berytum devehi curet. Ut autem rerum Orientalium negotiationem commodiùs intelligere queant, quoſdam ex ſuis liberis iſtîc educandos curant, quemadmodum & in aliis regionibus, ad indigenarum mores obſervandos, & linguam ediſcendam. Cùm Caravanna mercibus quibuſvis onuſta Halepum adpellit, unius diei ſpatio omnes diſtrahuntur: nam prædivites & opulenti ſunt mercatores, qui illicò eas redimunt. Maxima pars Rhabarbari quæ in Europam infertur, in Halepo empta eſt; eò enim interdum duodeni cameli Rhabarbaro onuſti, ex Aſamia, ubi diligenter colitur, ſimul adveniunt. Neminem unquam videre contigit, qui aſſerere poſſet ſe Rhabarbari ſtirpem conſpexiſſe, de cujus facultatibus Meſuæus auctor Arabs luculentè ſcripſit: Rhapontici verò, quod Græci adeò commendârunt, nuſquam meminit: ipſe verò qui vel Damaſci vel in Halepo commorabatur, ait ſuâ ætate Rhabarbarum ex India & regione Seni (hoc eſt, ex* Aſamia vel Aſſyria) deinde ex Barbaria & Turcomannia ſolere inferri. Addit præterea, indigenas Rhabarbari fragmenta macerare aquâ ſolitos eſſe, ſuccumque exprimere, è quo denſato & exſiccato trochiſcos efformarent, deinde Rhabarbari fragmenta reſiccantes, mercatoribus venundarent. Ipſius ætate id fieri ſolitum à mercatoribus credibile eſt: at nunc cùm non ignorent magnum

quæſtum ex Rhabarbaro accedere, quod apud omnes nationes in uſu ſit, adeò diligenter illud colunt, eaque quantitate, ut cùm in Halepo eſſem, dena ejus pondo duntaxat duodenis ducatis vænirent. Semper tamen iſtic æqualis precii non eſt: nam cùm Caravanna ejus exiguam copiam ex Aſamia advehit, ſequente anno cariùs æſtimatur. Colitur, ut diximus, in Aſamia, hoc eſt, Meſopotamia, & ſemine ſeritur: radices craſſas agit inſtar Bryoniæ, quas in taleas orbiculares ſecant, deſiccantque, quæ paulatim abſumente ſe humore corrugantur. Plerique eam ob cauſam abs expreſſione id contingere exiſtimant: experientia tamen contrarium docet. Ut autem certiores eſſemus, diligenter inquiſivimus à mercatoribus Halepum confluentibus, ſi aliqua fieret ejus maceratio: ſed medicamentorum quæ Rhabarbarum recipiunt, uſum, paucos, apud quos naſcitur, noſſe comperimus. Quando hujus ſeculi Scriptorum commentarios, de Rhabarbaro diſputantium, lego, an veteribus cognitum fuerit (Arabes auctores pro recentioribus collatione ad Græcos facta, habeo) & Meſven in quatuor genera illud diſtinguere, nullamque de Rhapontico mentionem facere animadverto, & Caravannas ex Aſamia tantùm adferre Rhabarbarum pro comperto habeo: Meſven per quartum Rhabarbari genus ex Turcia delatum, intelligere Rhaponticum aſſero: atque, ut verum fatear, Rhaponticum Rhabarbaro admodum ſimile eſt: & licet idem eſſe non dicam; proximas tamen utriuſque eſſe facultates, liquidò conſtat.

Præſtantiores lacrymæ, gummique & aromata, ut Galbanum, Opopanax, Styrax, Laſer, Sagapenum, aliaque hujuſcemodi, ex Halepo ad nos deferuntur, quemadmodum & Scammonea. Firmiores dactyli ex Meſopotamia Halepum inferuntur: Ægyptiaci enim & Africani adeò pingues ſunt, ut ſeorſim conſervari nequeant, ſed in maſſam ſimul comprimantur.

Tridui duntaxat itinere ab Halepo Tripolis diſtat, quo Veneti appellunt, ad ſuas naves mercibus in Halepo coëmptis onerandas. Sequens dies dicatus fuit viſitationi urbis, quæ amplitudine Aurelianæ urbi Galliæ comparari poteſt. In ejus umbilico tumulus aſſurgit rotundus, cui impoſita eſt arx, foſſis aquâ plenis cincta, quam Sangiacus cum ſuis militibus inhabitat: ejus mœnia veteri more exſtructa ſunt, & cùm edito ſit loco, procul conſpicua eſt. In ipſis foſſis incluſus erat aſinus ferus Onager dictus, ab aſino Indico qui unicornis eſt, differens. Iſtîc etiam avem vidimus Grui ferè ſimilem, ſed minorem, oculorum ambitu rubro colore tincto, ardeæ caudâ, & voce exiliore quàm grus: balearicam gruem à veteribus fuiſſe nuncupatam credimus.

* *Bellonius (quod eius viri bene de republica litteraria meriti veniâ dictum volo) perperam Meſvei verba interpretari mihi videtur, cùm per Indiam & Sem regionem, Aſamiam ſive Meſopotamiam intelligi vult. Nemo enim unquam, præter ipſum, in Meſopotamia & Aſſyria Rhabarbarum naſci ſcripſit: ſed omnes ex Sinarum regione advehi aſſerunt in ipſam Indiam, Perſiam, Ormuz, Halepum, & Alexandriam, deinde in Europam.*

Peculiaris platearum per ditionis Turcicæ pagos & oppida deſcriptio.

Cap. CIII.

Per univerſum Turcæ dominium, vehicula aut currus per pagorum & oppidorum plateas, vel fora ducere non licet: ſed in medio platearum ſemita eſt de induſtriâ facta; cùm ut aqua iſtâc effluere poſſit, tum ut equis viam præbeat: editiores ſunt utrinque viæ, & quaſi in ſcamnorum ſpeciem ſublevatæ, atque pluteo tectæ, ad imbres arcendos & ſolis ardores æſtate: cùm enim Turcæ longis talaribus veſtibus & ad terram uſque demiſſis utantur, eas omninò conſpurcarent, niſi hæc ratio in ſingulis urbibus obſervaretur. Inde fit ut plateæ non ſint lapidibus conſtratæ; ſed ne pulvis in foro & Bazeſtan oblongis iſtis veſtibus æſtate excitetur, quiſquis tabernam habet, aſpro ſingulis menſibus numerato, redimit operam bajuli, qui ſingulis diebus mane ex utre aquam promit, & effundit ante ipſius tabernam. Omnes omnium urbium tabernæ Turcarum Imperatoris ſunt, qui eas mercatoribus elocat, neque permittit ut in illis familiam alant, præſertim in foro. Mahumetes etenim vetat ne mulieres vendant, emant, in publicum prodeant. Cujuſcunque generis opifices, boni conſulunt quem dietim faciunt quæſtum, neque noctu laborant. Aliquot diebus in Halepo hæſimus, atque mœnia ambivimus, Damaſcenis latiùs ſeſe expandentia, multis locis obliqua, uti Hieroſolymitana; quorum turres in ambitu ſitæ valde ſunt ſejunctæ. Octo portas habet Halepum, frequentia vineta viretaque, & elegantes hortos in mœniorum ambitu, in quibus braſſica capitata, lactucæ, beta, porrum, cepa coluntur, in forum deinde vænum exponenda. Veteribus numiſmatibus utuntur

utuntur Turcæ ponderis vice, unciarum videlicet, semunciarum & drachmarum: qua de causa nos multis locis Græca & Latina nacti sumus: quando verò illa exquirere volebamus, tabernas mercatorum adibamus, atque Giaur mangour, hoc est, Christianorum monetam expetebamus: tum nobis proponebant quæ habebant. Turcæ, Arabes, Ægyptii aliæque omnes Orientales nationes Turcico Imperio subjectæ, nullam habent monetam nisi auream vel argenteam: aurea obrizi auri ducatorum est; argentea, depurati argenti, non mixti: aliud tamen est monetæ genus apud Turcas, Mangoures appellatum, ex puro ære, quorum sedecim asprum conficiunt: sed quia grave est, nemo eo se onerat; cusum etiam duntaxat fuit, ut asprus permutari possit, cujus pretium æquiparari potest caroleo Gallico decem ærea minuta pendenti. Vtraque autem cùm aurea, tum argentea, inscriptionem habet Arabicis characteribus expressam. Arabes autem & Ægyptii aliud monetæ genus habent Meidin nuncupatum, quod asprum cum dimidio conficit. Halepi incolæ Arabica lingua utuntur, non Turcica; sed & per Ægyptum, Arabiam, Syriam, Ciliciam, aliasque vicinas Provincias, solius Arabicæ linguæ usus est.

Iter ex Halepo Antiochiam.

CAPVT CIIII.

ANTIOCHIAM profecturi, Halepo à meridie discessimus, & per excultos riguósque agros iter fecimus: sub noctem maturè in pagum nomine Farrou pervenimus, juxta quem in agro præaltæ columnæ scapus erectus stat sine epistylio. Postridie diluculò paulum progressi, agris relictis, per confragosa loca & colles equitantes, Arcis rudera conspeximus, ad cujus portam nascebatur Hedera alba, novum nobis spectaculum, nam à Corcyræ discessu similem non videramus: Adrachnem in tumulis nascentem etiam reperimus, cujus ramos suo fructu onustos quilibet abstulit ut in itinere ederet; nam maturus erat, elegantique suo colore singulos ad edendum invitabat: Racematim cohæret, magnitudine & colore fructus Rubi idææ, quem Galli *Framboises* appellant, mollisque ut Arbuti fructus & * Suberis quem sapore refert. Ariam item, Esculum, Terebinthum, Elæprinon, Latinis Alaternus dictum, Italis, Termi & Narni incolis, Alinterno. Per valles interdum iter facientes, vetustum ædificium dirutum, monasterii cujusdam formâ, cujus umbilicum occupabat elegans turris, ad sinistram reliquimus: aliud præterea elegans ædificium è quadrato saxo exstructum, Latinis characteribus insculpto, sed dirutum, Romanorum haud dubiè opus. Prætergressi deinde sumus rivum ab ipsa fontis scaturigine tantum aquæ effundentem, ut ad lora quibus nostri cameli cincti erant, pertingeret. Pernoctavimus ad basim arcis Heirim nuncupatæ, omnino dirutæ, & deserto loco sitæ; qui si coleretur, non minùs fœcundus esset, quibusvis ex Italiæ uberrimis. In tumulo sita est, ut eæ quæ in Halepo & Haman sunt: vix credibile est, decem hominum millia illam intra biennium excavare, & scopulum ad fossas quibus prædita est faciendas perfringere potuisse. Videtur natura elaborasse ut hunc tumulum in scopulo collocaret, quo ista arx exstrueretur. Postremus is est Turcicæ dominationis locus, in quo nascentes Colocasiam & Musam conspexerimus. Ibidem in scopulis crescunt Adrachne & Alaternus: nec aliis lignis usi sumus ad parandam nobis cœnam. Ceterum in Car-bassara noctem non traduximus, at in quodam illius pagi ædificio: rarissimè enim accidit ut in iis regionibus inveniantur qui peregrinis hospitium præbeant: si autem præbent, locus duntaxat aliquis sub porticu vacuus, nullâ supellectile instructus datur, perinde ac si quis in vacuo horreo exciperetur. Istic observabam dignum quidpiam quod adscribatur. Noster ille caupo pugionem falcatum Arabum more habebat, eumque nec auro nec argento exornatum, quem noster interpres quatuor ducatis ab eo redimere volens, impetrare non potuit, sex ducatis Damasci emptum esse affirmante: similes tamen duodecim vix uno coronato in celeberrima totius Galliæ urbe emptum iri arbitror. Pleraque unguenta habebat, uti metopium, rosatum, aliaque similia quorum in Syria & Arabia usus est; nos verò spernimus.

* *Suberis istius sive Liege Bellonii fructus quis sit, ignorare me, ingenuè fateor: quod etiam in nostra Rariorum Plantarum historia lib.* I. *cap.* XIIII. *admonui.*

Urbs Antiochia.

CAP. CV.

SUBSEQUENTE die campeſtria loca latè admodum patentia invenimus, & fluvium Orontem, (cujus curſum diu præcedente die ſequuti, donec in ſtagnum quod olim Meandriopolis nuncupatum credimus, ſeſe effundat) eleganti & magno ponte longè ſupra Antiochiam ſuperavimus. Antiochia bidui duntaxat itinere ab Halepo diſtat: at quoniam imbres deciderant,& cameli onera portantes difficulter gradiebantur,duos cum dimidio dies inſumſimus. Ut porrò ad eam urbem quæ ſub ſtagno ſita eſt veniremus, à recta via Conſtantinopolim ducente deflexímus, illam ad dextram relinquentes: rectà enim ad Amanum montem proficiſcendum nobis fuerat,& inde in Adena: quem tamen, licet Antiochiam deflexiſſemus,ſuperare oportuit. Is quoniam niger appâret, Turcico & Arabico idiomate Niger appellatur. Perelegans eſt Antiochiæ ſitus, quique paucis verbis vix deſcribi queat: nam mœnium ſtructura illam admirabiliorem reddit aliâ quapiam urbe in plano conſtitutâ, teſtimonium inſigne præbens, Antiochum ingentis animi & incomparabilis magnificentiæ virum fuiſſe. Murorum ambitus non minor eſt Nicomedia aut Conſtantinopoli: frequens habitatur à Græcis, Armenis, Iudæis & Turcis. Fontanis aquis abundat, è rupe muris incluſa ſcaturientibus: pars mœnium montem ambit: altera pars per duorum montium juga porrigitur, qui valli vicem illi præbent: nam tres montes murorum ambitus complectitur, qui non ſunt tumuli, uti Romæ vel Conſtantinopoli, ſed præalti montes. Nullam urbem in Gallia novi, cui Antiochiam comparare poſſim præter Lugdunum: nam quemadmodum Lugdunum altos D. Iuſti montes claudit, ſic Antiochia altos montes cingit,in quibus exſtructum eſt Antiochi palatium,nondum planè dirutum: pleraque enim adhuc integra reſtant, ut magna cœnacula & cubicula, & ciſternæ immenſæ capacitatis, ad earum quæ Philippis in Macedonia ſunt, formam exſtructæ: integra etiam arcis & mœnium materia reſtat, in quibus turres præaltæ ſibi invicem admodum vicinæ conſpiciuntur, quibus exſtruendis operæ cœmento non pepercerunt,habéntque ſingulæ ſuam ciſternam. Mœnia ad Occidentem ſpectantia tali artificio ſunt facta,ut onuſta vehicula, equique cum ſuis ſeſſoribus, per interiorem muri partem, inter utramque fornicem, in ſummam uſque arcem perduci queant. Montes urbi vicini, ilice, alaterno, coccigero frutice, adrachne, ſtœchade, & ſtachide abundant. Ciconiæ quæ æſtate in Europa degunt, iſtic hiemis partem, quemadmodum & in Ægypto, tranſigunt: ſed etiam onocrotali aliæque diverſi generis aquaticæ aves in lacu ſupra urbem ſito vivunt: inter quas agnovimus quæ ab Somonæ accolis *des Cotees*,à Pariſienſibus autem *Morillon* dicitur, veteribus verò Glaucion appellata: aliam item quam Galli *Piette* vocant ſive veterum Phalarim. In montibus paſcuntur verveces, brevi quidem ſed pingui pedemque lata cauda. Ejus regionis incolæ, atque quotquot Turcæ dominio ſunt ſubjecti, in diem utuntur pane malè cocto & malè fermentato. Bombyces, quas Itali Cavalieri nominant, magni ſunt in ea regione quæſtus, ac ficus & mori ſecundum fluminis ripas cultarum foliis aluntur. Celſiſſimæ Platani naſcuntur ante Antiochiam, quæ neque in Gallia, neque in Italia conſpiciuntur,præter paucas quæ Romæ,& aliis quibuſdam urbibus curioſitate quadam aluntur. Raræ quædam Sacchari cannæ, Colocaſiæ, Muſæque magnâ curâ & diligentiâ nonnullis Antiochiæ hortis aluntur. Incolæ Arabica lingua loquuntur ut Syri.

Singularium rerum in Antiochia obſervatio.

CAPUT CVI.

TOTUS ſubſequens dies ſacrorum in Antiochia locorum viſitationi dicatus fuit, ut Portæ D. Pauli, ſepulchrorumque variorum Divorum. Vetuſta præterea alia plurima monimenta iſtic conſpici poſſent à curioſiùs ea requirentibus. Omnis generis victui neceſſaria in foro vænalia reperiuntur. Aromatariorum & opificum tabernæ Damaſcenis ſimiles ſunt. Loti, quam Gallia Narbonenſis Micacouliers appellat, arbores, etiam in ipſa urbe magna copia creſcunt, quemadmodum in ejus territorii montanis: atque ut ob Populi albæ & nigræ, fructiferarumque arborum frequentiam Damaſci planicies ſilva quædam videtur: ſic propter Platanos & Lotos Antiochiam in media ſilva ſitam eſſe diceres. Equorum ſarcinariorum, qui Antiochiæ habentur, clitellæ adeò oblongæ ſunt, ut ab auribus per cervicem ad caudam uſque pertingant. Antiocheni ruſtici tam dextri non ſunt in jumentis ab onere liberandis, quàm Turcici; quia eorum clitellæ ad onera

onera minus idoneæ. A meridie discessimus Antiochia, & amnem Orontem transivimus, quem adversum diu sequuti sumus. Agri Antiocheni solum adeò pingue est, ut equi ad cingula usque in cœno mergerentur, quia præcedentibus diebus imbres deciderant. Longiùs progressi, rivos è montibus labentes invenimus, ad quorum ripas proveniebant Nerion, Agnus seu Vitex, & altissimæ Platani. Noctu in Sarameli pagum pervenimus, in planicie situm, ad radices prælalti montis Amano contigui. Postridie duobus confectis milliaribus, substitimus ad radices præcelsi montis, istícque reliquo die hæsimus, exspectantes equum quem Dominus de Fumet ex Antiochia accersi jusserat. Interea montem conscendi, in quo silvas Picearum repperi iis quæ in Tarare monte nascuntur similium: præterea Esculum, Ilicem, Adrachnen, Oxycedrum, Polium, Tragacantham, Chamædryn, Carlinam, quam plerique falsò nomine Chamæleonem nominant. In planicie observavimus rusticos lignorum fasces boum tergo imponentes, & tritici saccos aliaque hujuscemodi; interdum etiam, cùm defessi essent, ipsorum tergo insidentes: nam cùm iter non urgeant, boum ministerio utuntur, quemadmodum nos equorum. Ab illis redemimus gallinas, ova, carnes: nam licet tota æstate in agris sub tentoriis habitent, omnibus tamen rebus necessariis non minùs sunt prædititi, quàm si in urbe aut pago viverent.

Iter per summa Amani montis iuga.

CAP. CVII.

POSTRIDIE inter Orientem & Septentrionem tendebamus secundùm altos montes. Mons Amanus vulgò appellatur Monte negro, id est, niger: attamen non ille est qui Plinio Mons ater dicitur. Viâ admodum rectâ & præcipiti etiam difficiliore quàm ullam hactenus invenissemus, conscendendus nobis fuit mons. In eo crescunt celsæ cedri quemadmodum in Libano, juniperus major, sabina, ei similis quæ in Tauro monte, adrachne longè celsior quàm in Ida Cretæ. Plus sex horis impendimus antè quàm in summum montis jugū perveniremus: in supremo ejus vertice stantibus, & quà nos veneramus prospicientibus, apparebant summa montium Syriæ & Cairi juga, præsertim verò ejus quem nos Pierium montem censemus, & præcedentibus diebus secundum ejus radices ambiveramus: apparebat etiam Taurus mons procul ante nos in longitudinem excurrens, & summum verticem jam nive obsitum habere incipiens. In descensu viam neque adeò difficilem neque molestam invenimus ac in ascensu, quia non erat præceps: sed cùm in tenebris iter faceremus, unus è nostris in vallem decidit plus quàm quadraginta orgyias profundam, nullo ipsius aut equi damno, quod omnibus admirabile visum est. Abundat hic mons variis plantis. arbuti non minùs altæ erant, quàm in Atho monte nascentes, vicino monasterio Agiaf-laura loco: magnæ erant etiam alaterni arbores, quæ aliis locis in fruticem duntaxat assurgunt; picea insuper, adrachne, latifolia laurus. In descensu myrtos albis baccis, thymelæam, chamelæam, eumque fruticem quem Germani *Kellers-hals* appellant, binis præcedentibus dissimilem reperimus. Ad imum montem cùm descendissemus, apud rivulum hæsimus, & cibum sumpsimus in maris littore, quod in arcum se incurvans, magnum admodum sinum efficit, qui Issicus appellatur: Pamphylium id est mare, Cilicio ex parte conjunctum. Cùm in Amano monte essemus, mare radices montis alluens conspiciebamus, adeò vicinum, ut conjectus lapis facilè in mare Mediterraneum devolutus fuisset: Taurum etiam montem assurgentem ex littore Cypro insulæ opposito. Diu nobis iter faciendum fuit secundum littus marinum, sinus circumeundus, multique elegantes riui superandi; deinde alius mons admodum angustus & difficilis, piceis obsitus, post quem castellum ad ipsius radices situm invenimus, in quo perpetuæ fiunt excubiæ, quia trita admodum est hæc via. Varia istìc victui necessaria emimus, panem, vinum, caseum, carnes, & hordeum pro jumentis: paululum sub eo castello descendimus ad rivum quendam, & sub albâ moro, à Gallis perperam Sycomorus appellatâ, constitimus. Luculento igne ob ligni abundantiam totâ nocte instructo, ante lucem discessimus, atque in tenebris per loca plana & campestria iter fecimus: ortâ autem luce, denuò ad maris littus regressi, amnem quempiam vado transivimus, qui forsitan Issos est. Amœnissima sunt ea loca: nam secundum viam publicam crescunt laurus, ilex, platanus, smilax aspera, & aliæ pleræque stirpes perpetuò virentes. Montes dextram claudebant, mare sinistram. Superato amne, in vastam illam planiciem in qua Alexander cum Dario conflixisse creditur, pervenimus, in qua fruticem antea nobis non conspectum, sed Myrto admodum similem legimus: abundat etiam ea planicies Myrti fruticibus, qui omnes albo fructu sunt præditi. Per fornicem admodum vetustam, latere & intritâ exstructam, materiâ longè quàm saxum duriore, trans-

ivimus: hanc veteres Auctores *Portas Cilicias* vocarunt. Quaqua oculorum aciem obvertas, planicies velut amphitheatrum appâret: nam præalti montes Lunæ crescentis in modum illam ambiunt, ut sinus Issici mare recipiant: sub Portis Ciliciis, singuli, Adrachnes arbores suo fructu conjunctim nascente & maturo fragisque simili onustas conspicientes, ramos revellebant, & in itinere ejus fructu vescebantur. Raros habet ea provincia incolas: & qui istîc viuunt, neque piscationi neque navigationi indulgent (hinc factum, ut toto illo maris littore ne unicam quidem navem conspexerimus) & terram incultam relinquunt, licet admodum rigua sit: arbitror enim plus quàm triginta rivos è montibus altis labentes, atque in mare sese exonerantes, duarum horarum spatio nos transivisse. Postquam à portis longiùs abscessissemus, per sterilia & confragosa loca iter fecimus, deinde veluti per cæduas silvas, in quibus is frutex, cujus modò meminimus, nascitur, cui nullum aptius nomen indere possumus quàm Pseudomyrti: postea in Car-bassara quodam, cui vicini erant pagi, quievimus.

Asiaticum animal Adil nuncupatum, & urbs antiquitus Adena appellata.

CAP. CVIII.

PUMILIONIS lupi genus est in Cilicia, & universa Asia, rapiens & auferens quidquid impedimentorum invenire potest eorum qui æstate extra Car-bassara noctem traducunt. Medius est inter lupum & canem. Ejus plerique veteres auctores Græci, & Arabes meminêre. Græci vulgari nomine *Squilachi* appellant: eum esse arbitror, quem veteres Græci χρύσεον nominârunt, hoc est, aureum lupum: adeò furax est ut noctu adire non vereatur eos qui dormiunt, & quidquid invenit rapere, pileos, ocreas, calceos, frena, vel alia ejuscemodi: semper catervatim incedit, ut interdum ducenti simul conveniant; nihilque illo frequentius per Ciliciam: itaque alternatim canum more, & hau hau exprimentes & singulis noctibus latrantes audiebamus: & nisi canes eos arcerent, in pagos usque penetrare non formidarent: elegantis flavi est coloris; ex cujus pellibus, quæ vili venduntur, incolæ sibi pelliceas vestes parant. Postridie versus Adena proficiscentes, lapideum pontem transivimus cornui fluminis, quod fortè Pyramus est, impositum, cui contigua est arx ad dextram, in scopulo aditu difficili sita. Inde id flumen diu sequuti sumus, donec ad urbis cujusdam, quæ nostra opinione Cæsarea Ciliciæ appellata fuit, ruinas perveniremus, ubi alio ponte flumen superavimus. Illius regionis flumina, tametsi navigabilia, naves tamen non habent: nam cùm regio deserta sit, nemo istîc negotiatur. Sultani Ægypti dominium eò usque extenditur, & istîc erant limites qui Arabicam linguam à Turcica distinguebant, quique olim Arabum imperium à Turcico separabant. Primùm bellum quod unquam motum est inter Arabes & Turcas, istîc gestum: sed Turcæ victores, paulatim illos in servitutem redegêre. In ruinis illis Cæsareæ nihil conspicias præter Car-bassara, & quædam tuguria. Superato ponte, fluminis cursum ad sinistram sequuti, in campestria steriliaque loca & latè patentia pervenimus, quæ à nemine peculiariter possidentur, sed omnibus qui suos greges pascere istîc volunt, libera sunt. Myrti istîc etiam albo fructu sunt præditæ, adeò frequentes ut cæduæ silvæ formam repræsentent. Per Terebinthi arborum hinc inde mixtim cum Piceis crescentium silvam, iter fecimus. Aluntur hac planicie plurimi vervecum, & caprarum magni greges, ingentem adferentes quæstum suis dominis, ex butyro, & caseo. Et licet butyri genera inter se differant delectu & præstantiâ, aut animalium, aut pascuorum, vel confectionis ratione; naturâ tamen non ita variant, ut caseus. Nam degustato butyro diversorum animalium, uti bubalino, vaccino, equino, camelino, ovino & caprino, exigua varietas deprehenditur: at in caseo longè aliter evenit, quandoquidem solo odoratu, vel aspectu discerni queunt, atque omnium optimè gustu. Turcarum porrò rustici procul ab urbibus per campestria loca errabundi vagantur totâ æstate, sui gregis curam habentes: cumque fictilibus vel ligneis vasis careant, jugulata ove vel capra, pelle ejus inversa, utrem conficiunt, quem butyro vel caseo implent: alvum etjam diligenter adservant; nam eâ butyrum excipiunt prius coctum, deinde refrigeratum: singulæ alvi tricenas vel quadragenas libras continent, utres verò plures quinquagenis. Non negamus quin nonnulli aliam butyrum parandi rationem habeant, etiam illud nostratium more saliant: at id solummodo fit circa celebriores urbes. Mengrelliæ incolæ bubulas & vaccinas pelles recenter detractas butyro implent, atque Constantinopolim vænale advehunt, quemadmodum ex Narbonensi Gallia in caprinis pellibus oleum nobis adfertur.

adfertur. Ceterùm non dubitamus, rusticos si commoda haberent vasa, suos caseos in utribus non conservaturos; quandoquidem illos in panis formam conservandi consuetudinem non habent. Quoniam porrò similis caseus per Græciam, quò mercatores transvehunt, distribuitur, Græci vulgari nomine Dermatisi hilatismeno appellant, hoc est, in pelle salsum, & non Tyri, id est, caseum; quemadmodum cùm *Du salé* nostrâ linguâ dicimus, hoc est, salsum, suillam intelligimus. Ipsi verò tale nomen indiderunt, ad alterius casei differentiam, quem vulgari linguâ Cloro tyri nominant, hoc est, recentem caseum, quem Columella viridem appellat, non quòd vireat, sed quòd musteus mollisque sit. Pastores nunquam lac colant, ut nec Cretenses, qui tamen aspalathi ramum, aut aparinen, vasorum ori admovent, ut si fortè pili adhæserint, caseus purior reddatur: at Turcarum caseus in pellibus ea ratione salitus, plerumque pilis scatet, quoniam lac non percolatur. Nostrum porrò iter ad Septentrionem dirigentes, variis locis miserorum rusticorum mapalia & tentoria invenimus, qui æstate ex urbibus & pagis discedentes, per campestria vagantur in hibernum usque tempus, istic rem domesticam eâdem ratione curantes, quâ in urbibus vel pagis facerent. Ii cùm octiduo hæserunt uno in loco, abscedunt in alium, tentoria sua ex tegetibus confecta, & penulâ tecta, secum asportantes; in urbem verò redituri, complicant denuò, & diligenter adservant donec hiems præterierit, quam asserere ausim apud Asiaticos non minus sævam, quàm in mediâ Galliâ. Segnes sunt; eam ob causam, terram nullâ diligentiâ colunt: præsertim opulentiores rustici, qui perpetuò ociosi sedere volunt: & nisi ab ipsorum mancipiis solum coleretur, deserti magna ex parte essent agri. Eo die in Adana pervenimus, ubi de Anazarba, Oppiani & Dioscoridis patria, quæ postea Cæsaraugusta vocata est, intelleximus. Iudæi nobis indicârunt pagum nunc esse ad ostia fluminis, Tyberis forsitan, quod Adana perluit, antiquum nomen retinentem. Adana magnum est oppidum, hoc est, ingens pagus, mœnibus non cinctus, sed arcem habens, quatuor quadrangulis turribus infirmis præditam: istac frequens admodum transitus patet, nam elegantem & latum pontem lapideum habet. Appellatur id flumen à Turcis *Schelikmark*; quod ex Armenia minore profluens, Lydiamque & Ciliciam perluens, in mare Mediterraneum sub Rhodo sese exonerat: navigabile non est; quoniam plurimum sabuli provoluit. Istic omnis generis victui necessaria invenimus, & vinum: nam incolæ, qui Græci sunt, Iudæi, Armeni, atque ipsi etiam Turcæ vites colunt, ut passas uvas habeant. Monetæ mutationem istic habuimus: nam cùm hactenus per Ægyptum, Syriam, & Ciliciam, meidinis usi fuissemus, qui supererant, in aspros permutandi fuêre. Istic etiam desiit Arabicæ linguæ usus, & Turcico sermone deinceps agendum fuit. Mutatis in Adana jumentis, annonam in triduum comparavimus. Turcæ suas merces pondere vel mensurâ licitantur, justo tamen precio, nec plus solvunt peregrini quàm eorum vicini. Panis etiam ad pondus vænit, inde fit ut malè coquatur. Carnes item salsæ magno apud illos in usu sunt: quas recens sale exemptas, cumini pulvere inspergunt, & appensas exsiccant. Hallucinantur qui scribunt Turcas desiccare carnes, ut eas deinde in pollinem redigant, quem secum deferant in aliquam expeditionem bellicam ituri: nam diligenter id inquirentes, comperimus neque in Græcia, neque in Turcica ditione, neque in Arabia, carnes exsiccandi, ut in pollinem redigantur, ullam esse consuetudinem. Carnes verò deligunt cùm bubulas tum vervecinas, pingui cum macro æqualiter permixto constantes, quas in tenues laminas scindunt; deinde paululum saliunt atque exsiccant. Magno æstimantur ejusmodi carnes pacis & belli tempore: eis enim crudis cum cepâ vescuntur iter facientes. In Creta & Chio moris est apud rusticos, ut integrum leporem, etiam hircum ferum, & vervecem in frusta concisum exsiccent: primùm autem paululum sale aspergentes, deinde tegetibus complanantes, atque in clibano resiccantes. Sæpenumerò apud varios rusticos divertimus, cùm Cretæ montes peragraremus, apud quos erant hirci ferè integri, & hœdi, & agni in eum modum exsiccati: Turcæ verò illam consuetudinem non habent. Græci quidem si Quadragesimæ tempore leporem aut capram silvestrem interemerint, id facere solent, ut ad Paschales usque ferias conservare queant: nam neque apud ipsos neque apud Turcas moris est carnes salsas in dolio conservare.

Apparatus peregrè profecturis idonei.

CAPVT CIX.

MVLTA edulia parare norunt Turcæ, peregrè & in bellum profecturis idonea: è quorum numero farciminis genus est, vulgari Græcorum lingua Stopides dictum: fiunt autem in hunc modum: Nuces juglandes in quatuor partes divisas, filo

 traiiciunt,


traiiciunt, farciminis longitudine, deinde in coctum vinum fervens reiteratis sæpiùs vicibus immergunt, eorum more qui candelas parant: nonnullis farinam inspergentibus, ut citiùs inspissentur. Eâdem ratione è ficubus, amygdalis, avellanis & aliis durioribus fructibus cocto vino inductis parari possunt. Vulgaria sunt in ea regione hujuscemodi farcimina, quæ peregrinantibus valdè sunt accommoda. Montem Taurum superare volentibus, in triduum annona paranda Adanæ: nam inde Heracleam tridui iter est per sterilia loca: elocationis singulorum jumentorum precium quinquaginta meidins, hoc est, ducati & decem meidins est. Tapetes fiunt in Adana, quorum maxima pars ignis calore parari solet, pileorum & gausapum more: veraque, ut ita dicam, sunt gausape, tapetum in modum concinnata, quibus Turcæ peregrè proficiscentes indormiunt; levia enim sunt & mollia. Ejus regionis viri acuminatos galeros gestant, colo sive sacco nivario, Hippocraticæ caligæ vulgò appellatæ persimiles, apice in humerum propendente: cumque sint ex inspissatis pilis concinnati, ad gelatinam colandam usui esse queant. Verum quidem est Turcas alicujus auctoritatis, & opulentos, urbes vel oppida incolentes, albas tiaras gestare: at rustici, quales dixi galeros ferunt; similesque nobis perpetuò conspecti sunt ab Halepo Adanam usque, ubi nonnulli aliâ ratione complicati videntur. Provinciarum incolæ hujusmodi notis, non minùs quàm vestium varietate, dignoscuntur.

Ex Adana in Taurum montem profectio.


CAP. CX.

Adana digressi, atque inter Occidentem Septentrionemque tendentes, per planiciem iter fecimus usque ad meridiem: deinde montem Taurum conscendere cœpimus. Tentoria autem fiximus & quievimus ubi nox nos oppressit: sed quoniam aër serenus erat & frigidus, Platanis junioribus, Adrachne, Nerio, arbuto cæsis luculentum ignem struximus, præsertim è Siliqua arbore arida. Postridie ante lucem, in ascensu perreximus via admodum difficili, dimidium diem insumentes, ante quam ad summum verticem (jam nive tectum) pervenire possemus: In eo Iuniperos majores, in Cupressi altitudinem assurgentes invenimus, fructu dulci, nucis ferè magnitudine, & Gallæ quodammodo simili, quo indigenæ vescuntur, ut ex nucleis hinc inde à nobis in itinere collectis, & ab his qui pulpam exederant, abjectis observabamus: ii sunt longitudine & crassitudine nuclei olivæ, adeò duri, ut solo mallei ictu frangi quirent. Inter reliquas arbores in Tauro monte nascentes post Cedrum primas obtinet, perpetuoque viret. Ejus * vera delineatio & descriptio invenietur in libro cui titulum fecimus, *De Arboribus perpetua fronde virentibus.* Styracis arbores istic etiam observauimus & Piceas, deinde Sabinæ genus à Dioscoride descriptum, vel Thuyam Theophrasti & Homeri. Quoniam autem superioribus annis in Regio horto ad fontem Bellaqueum arborem conspexeramus, è Canada, Francisco I. hujus nominis Galliæ Regi delatam, Arboris vitæ appellatione: Sabinam illam diligentiùs observabamus in Tauro monte; atque utriusque accuratiore descriptione facta, admodum similes esse comperimus, quibusdam tamen notis inter se differentes, à nobis exponendis, cùm singularum plantarum historiam pertexemus. Crescunt in hoc monte Platani Antiochenis adhùc majores,

Cedrus.



jores, eâ naturâ præditæ, ut hieme corticem abiiciant, contrario planè modo quàm Adrachne, quæ summis æstatis caloribus suo cortice rubro sese spoliat, ut cinereum inducat, initio pallentem. Platanus verò hieme plumbeum corticem exuit, ut cinereo se induat. Crescunt in summo vertice altissimæ Cedri, iis quæ in Libano nascuntur similes, tantâ abundantiâ, ut vix alias conspiceremus frequentiores arbores; quarum fructum nobis hortantibus plerique collegerunt, conis Abietis ferè similem, sed crassiorem, læviorem, & cælum spectantem. Cujus arboris descriptionem hîc adferre operæprecium non duximus, at iconem duntaxat oculis subiicere.


Abietis icon.

Nullæ verò proveniunt Abietes; quæ tamen Cedros admodum æmulantur, sic ut dicere possemus Cedrum, Abietis genus esse; vel Abietem, Cedri. Eam ob causam illius iconem Cedrinam sequi voluimus.

Nullæ præterea istîc larices, Gallis Melese dictæ, neque Sapini, ipsis Suiffe, neque Pinastri Alevo dicti, cujus etiam arbor est ad fontem Bellaqueum, è Canadâ similiter delata, atque Francisco 1. Regi cum Arbore vitæ donata. Longo tempore per montis fastigium iter faciendo commorati, nondum tamen summum jugum attigeramus, sed alios montes utrinq. habebamus: sub arcem autem quandam in saxo sitam pervenientes, pedetentim descendere cœpimus, & sub noctem in itinere Car-bassara invenimus ad præalti illius montis radices.

* *Quæ hactenus vidi Bellonii exemplaria de Coniferis, neque delineationem, neque descriptionem Iuniperi maioris habent.*

Thermæ in monte Tauro: & urbs Heraclea.

Cap. CXI.

CETERVM Car-bassara quò noctu pervenimus, contiguum est thermis muro lateritio inclusis, iis simili quibus exstructæ sunt salsæ thermæ ad Troiæ rudera. Aqua nonnihil sulfur redolet: sed ejus excrementa in lapidem non coalescunt, quemadmodum thermarum Patavinarum & Prusæ. Ceterùm non modò thermarum aqua facit recrementa in lapidem concrescentia, verùm etiam frigida: quemadmodum fontana illa in Medane propè Noisi Domini Ioannis Brinon Domini de Villaines possessionem, sex à Lutetia milliaribus distantem: & apud Clarum montem Arverniæ vrbem, ubi pons lapideus conspicitur, quem aquæ decursus confecit. Postridie descendentes, labentem ex monte rivum sequuti sumus, & conscenso denuò vicini montis jugo, nullas arbores invenimus. Relicto porrò Carbassara, non multum itineris confeceramus, quin agros sepibus inclusos conspiceremus, arbore Zizipha alba Columellæ appellata constantes, cujus fructus rutilis Ziziphis similis, excepto colore, & venalis per urbes proponitur: Græci vulgari linguâ Ziziphia appellant, voce à Zizipha deductâ. Ad meridiem usque continuato itinere, in monte autem adhuc versantes, urbem Heracleam procul in planicie sitam perspicuè conspiciebamus. Ulteriùs in descensu progredientes, plerosque pagos secundùm montem sitos videbamus, à Borea & Thracia ventis liberos; & Absinthii Ambrosiæque magnam copiam invenimus. Heracleæ planicies admodum fœcunda est, & per omnia exculta, multisque pagis habitatur: nam rivi è montibus labentes, hortos & vireta irrigant, in quibus omnis generis fructiferæ arbores coluntur, ut persicæ, corni, pruni, mali, pyri, amygdalæ, punicæ, aureæ, aliæque similes hortenses. Amplus est pagus apud Heracleam,

à solis Christianis Græcis habitatus, quorum lingua vulgaris pura Græca est: alius etiam est Christianorum Armeniorum: utrique admodum diligentes sunt hortorum & vinetorum cultores, cumque aquâ abundent, varia olerum genera in ipsorum hortis, similia nostris conspiciuntur. Serò Heracleam pervenimus, primam cis Taurum montem urbem, ad ipsius tamen radices sitam, ubi panem, vinum, carnes, & reliqua esui apta invenimus. Plures autem sunt Heracleæ: siquidem de unâ jam verba fecimus, ad Propontidis littus sitâ, Rhodostoque vicinâ, quod Perinthum vocavimus, tametsi neoterici quidam Heracleam illam Propontidis Perinthum esse contendant. Verùm jam protestati sumus, minimam esse nobis curam ut vetera nomina iis quæ nunc in alia mutârunt urbibus adaptemus. Itaque Perinthus sitne Heraclea Propontidis, an Rhodosto, aliis disceptandum relinquo. Pro certo nobis relatum est, in planicie illâ Heracleanâ magna armenta ali, plus quatuor millibus equorum constantia, è quibus, singulis annis plures sexcentis deliguntur ad bellum apti. Ejus regionis equi ab Turcis admodum æstimantur, Caramaniique appellantur. Incolæ Rhois frutice abundantes in vicinis montibus, ejus fructum colligunt & recondunt, quo saporem suis eduliis concilient; eo enim admixtis alliis contusis, & modico sale, carnes elixas & assas inspergunt, illisque aciditatem quandam & suavem saporem conciliant. Heracleæ hæsimus toto subsequente die, ad jumenta conquirenda. Patet Heracleana planicies ad bidui iter; iis tamen locis duntaxat habitata, quæ aquâ abundant.

Nostra ex Heracleâ in Iconium profectio: de capris, delicatam illam lanam, ex quâ undulatus pannus conficitur, ferentibus.

CAP. CXII.

CONDVCTIS ergo in singula capita, ducato cum semisse jumentis, iter fecimus Iconium, vulgò Cogne dictum. Planicies rigatur canalibus ductis ut Damasci. Multi appârent pagi, procul inter se disiuncti, secundum montium radices. Frequens istic Absinthium, quod Græci marinum cognominârunt; non quòd eo loco circa mare nascatur (plus enim quàm quatridui itinere inde abest) sed quòd illis ita nuncupare visum sit, tametsi in Mediterraneis locis proveniat. Campestria Salviâ tenuiore & Polio canescunt. Tres ligneos pontes superavimus; nam frequentes istic canales & rivi: & subitò exortus auster, magno impetu arenam in faciem nobis provoluit. Secundum rotundum tumulum iter fecimus, qui humanâ arte exstructus videbatur: nam æqualiter assurgebat, atque fossis aquâ plenis cinctus erat. Longiùs deinde progressi, loca admodum lapidosa, iis in quibus situs est Fons Bell-aqueus, similia (nisi quòd hæc arboribus carent) invenimus. In Car-bassara quodam pernoctavimus juxta fontem regiâ viâ, unde ante lucem digressi, in ampla campestria loca, nuda, & ab arboribus libera pervenimus, ex quibus hinc inde montes procul à nobis dissitos conspiciebamus, in quibus non nisi in summo vertice arbores nascuntur; ad eorum autem radices Absinthium quod diximus Seriphium, & aliud Ponticum à nostro domestico non discrepans, nisi quòd candidius sit. Ejus regionis capræ tenui adeò lanâ sunt vestitæ, ut sericum ipsum tenuitate provocet, candore nivem: majores non sunt nostris arietibus, nec ut oues tondentur, sed velluntur: Carnes non minùs suaves vervecinis, nihil ferinum redolent. Tenuissimi elegantissimique panni sive undulati, sive non undulati, ex hujusmodi caprarum lana texuntur. De his vel sanè his similibus Ælianus
» auctor Græcus, nostro judicio, meminit. Caspiæ, inquit, capræ albissimæ sunt, & corni-
» bus mutilæ, quarum villi adeò molles, ut Milesiis lanis mollitudine comparari queant, omnium quæ reperiuntur mollissimis & delicatissimis. Sed Plinius alias ab his differentes
» describit. Tondentur capræ, inquit, quòd magnis villis sint in magna parte Phrygiæ, unde
» cilicia fieri solent. Sed quòd primùm ea tonsura in Cilicia sit instituta, nomen id Cilicas
» adjecisse dicunt. E quibus appâret, diversi generis esse capras. Laniferæ illæ domesticæ sunt, à nostratibus differentes: nam minore sunt corpore, pusillisque cornibus. Earum villi albicant ut nix, longiusculi sunt, & capillis humanis tenuiores. Nullam herbam invenimus Ambrosiâ frequentiorem, adeò odoratam, ut capitis gravedinem non minùs induceret, quàm si in cella vino musto plena versatus fuissem. Incolæ lignis carentes, eam legunt ad ignem struendum. Eadem causâ bubulum stercus desiccant, quemadmodum in Armour Britanniæ. Sunt autem ea campestria de quibus agimus, admodum deserta, cùm & rivis & fontibus careant. Satis tempestivè in amplum pagum venimus nomine Sarameli, ubi vidimus scopas ex Ambrosia confectas, cujus manipulum in Galliam retulimus, pro re singulari: nam in Europa, quod sciam, spontè non provenit.

Bellonius satis attentè Ælianum legisse non videtur: nam licet is auctor lib. 17. Historiæ Animalium cap. 34. de

Capris Caspiis agat, quas albissimas esse scribit, & cornibus mutilas; quæ tamen de villorum mollitie eodem capite addit, capris non sunt tribuenda, ut Bellonius autumat, sed Caspiis camelis. Camelis, inquit, quoque Caspii abundant, quorum maximi ad equorum maximorum accedunt magnitudinem. Eorum villi adeò sunt molles, cum Milesiis lanis ut mollitudine comparari possint; ex iisque sacerdotes & Caspiorum ditissimi præcipuique vestes conficiant. Mirari autem subit, cur quæ de Lyciis capris idem auctor tradidit, non adscripserit. Ait enim in hunc modum lib. 16. cap. 30. eiusdem Historiæ: Callisthenes Olynthius capras scribit in Lycia densissimo & prolixissimo hirsutas esse pilo, ut muliebres crines implexi ab eis dependere videantur; passim tamquam oves, tonderi, ex eisdemque navium fabros rudentes contexere.

Urbs Iconium.

CAP. CXIII.

POSTRIDIE per campestria loca prosequuti nostrum iter usque ad urbem Cogne, veteribus Iconium dictam, non procul ab altis montibus sitam, quam irrigant plerique rivi ex iis montibus delabentes, & in magnum Car-bassara divertimus. Illius urbis mœnia ex vario lapidum genere sunt constructa, ut Constantinopolitana; ambitus orbicularis est; turres verò illis impositæ, raræ & quadrangulæ. Vetusta autem non esse ipsius urbis mœnia, facilè coniicere licet ex marmore è templis sublato, cui epitaphia Græcis characteribus inscripta sunt. Eam verò à Christianis aliquando possessam esse, cruces, & earum vestigia satis demonstrant. Pars urbis qua egressus est in planiciem, Orientem spectat: ad eam verò urbis portam quæ inter Orientem & Meridiem vergit, marmoreus est Hercules turri vicinus extra mœnia, cui Turcæ haud pridem caput ademerunt. Octo habet Iconium portas ut Halepum. Habitatur à Græcis, Turcis, Arabibus, & Armeniis. Vites istic diligenter coluntur, & generosum vinum à Iudæis redemimus. Elegantiores Iconii fabricæ, Mesguedæ sunt, Thermæ, & Car-bassara. Istic non uruntur alia ligna quàm Iuniperi majoris, Sabinæ alterius pumilæ, Cedri utriusque, & Ledi: quæ (præter Ledum) cùm discernere inter se cuperemus, nullâ vel diligentissimâ observatione potuimus; ejusdem enim odoris & saporis sunt, corticeque integuntur simili, non duro ut alia ligna, sed oblongis philuris invicem incumbentibus ut vitis, materiæque corde rubro; reliqua alba ut in Siliqua & Taxo; similemque fumum reddentia dum uruntur, & similes carbones æquabiles ut tiliæ, lævesque ut salicis: omnia resinam fundunt terebinthinâ duriorem; eandemque duritiem in cæsurâ habent; perpetuò omnia virent, fructumque eodem tempore, hoc est, hieme maturant.

Turcarum aurifabri.

CAP. CXIV.

TVRCÆ non minus nobis insaniunt circa aurifabrorum opera: sed illorum ex proba materia validaque fiunt. Annulis delectantur, & cultellis eleganter concinnatis, quorum vaginas auro vel argento exornatas è catenula argentea suspendunt. Vulgaris est consuetudo cùm apud Turcas, tùm apud Græcos, ut cultros è cingulo propendentes gestent: ii magna ex parte in Vngaria confecti, oblongum habent manubrium: sed simulatque Turcici institores eos emerunt, opificibus tradunt, ut manubrio ex dente beluæ marinæ Mors quibusdam dictæ, Gallis *Rohart*, adornent: cujus dentis duo sunt genera; unum candidissimum, compactum, unicornu simile, adeò durum, ut vix lima (nisi ex selectissimo optimeque temperato chalybe constet) rodere possit: alterum genus * incurvum est ut Aprini dentes; & Hippopotami dentem esse arbitrati fuissemus, nisi Hippopotamos vivos vidissemus, qui similibus dentibus non erant prædití. Manubria etiam addere solent ex Testudinis Indicæ operimento transparente aurei coloris, quæ ducato ferè æstimantur. Aurifabri laboraturi, humi desident: fornacem propterea habent in media officina humi positam, nullo camino præditam, unicumque follem orbicularem, quem attollentes & deprimentes inflant. Biduo Iconii hæsimus; cùm ut jumenta mutanda conquireremus, necessariaque ad iter compararemus; tum quia dies erat Natali Domini sacer. A meridie, versus quemdam montem qui superandus nobis erat, iter fecimus: densa verò nive decidente & omnia operiente, itineris duces aberrarunt. Conscenso monte, diu per Piceæ silvas iter fecimus, & in pagum perducti, in Car-bassara noctem traduximus. Subsequens dies nobis molestus fuit, cùm auræ ratione, tum quòd alternis perpetuò adscendendum vel descendendum esset. Frequentes habet hæc regio incolas & pagos: & licet in hieme versaremur, Oxygalam tamen inveniebamus, edulium Turcis admodum familiare, præsertim æstate. Illam tabernæ perpetuò paratam habent in magnis lancibus; precium in singulas constitutum unicus asper, quâ quatuor Turcæ saturari queant. Eo die non magnum iter confecimus, quin montes egressi, in campestria Pamphyliæ pervenire-

mus,

mus, quæ cum Ciliciæ regione Caramania nunc appellatur, Sangiacorumque septem sedes habet. Iter faciebamus inter elegantissimas fructiferas arbores humiles, urbem Angouri, veteribus Ancyra dictam, ad dextram relinquentes. Ea urbs nunc est totius illius regionis celeberrima, propter panni vndulati frequentissimum mercimonium, qui in ea sola urbe texitur ex mollissimis villis caprarum, quæ in Cilicia & Pamphylia duntaxat reperiuntur. Deinde pervenimus in Achara, ubi in Car-bassara pernoctavimus.

** Huiusmodi dentes Vlysippone aliquando videbam, quos equi marini esse dicebant, & magnopere adversus hæmorrhoides commendabant: ibi etiam ex eo anulos torno elaborari curabant, quos in sinistræ manus digito medico gestarent ad eum morbum leniendum. Amstelredamenses verò etiam adversus spasmum similium anulorum gestationem utilem esse censebant. In eo autem fallitur Bellonius, quòd utrumque genus eiusdem beluæ marinæ esse arbitratur: primi quidem generis beluam aliquoties vidi, quod Phocæ genus censeo; Batavi Walruschen, nonnulli Zee-elephant appellant: alterius numquam, dentes autem sæpe; atque etiamnum unum valde magnum habeo, Vlyssipone anno Christi* M. D. LXIV. *redemtum.*

Vrbs Achara.

CAP. CXV.

TVRCICÆ ditionis oppida, magnâ ex parte mœnibus cincta non sunt, uti nec Achara Armeniæ minoris oppidum. Sepulchra istic saxea vidimus, Latinis litteris inscripta, quæ sub fontibus collocata, propter concavitatem, conservandæ aquæ nunc serviunt, ad aquanda peregrinorum jumenta. Situm est hoc oppidum apud latum & amplum stagnum, secundum quod diu progressi sumus: varii generis pisces in eo capiuntur, tincæ, lucii, cyprini, bramæ. In nostra peregrinatione dietim iter computavimus, non per milliaria ut in Italia, neque per leucas ut in Gallia. Achara digressi, per eadem campestria iter prosequuti sumus, secundum colles ad dextram & ad sinistram multos pagos sitos conspicientes. Prandimus in exiguo quodam pago, in quo victui necessaria affatim reperimus. Noctu pervenimus in aliud oppidum Carachara nuncupatum, hoc est, Arx nigra, ubi huic nostræ peregrinationi finem ad tempus imposuimus. Quoniam porrò istic hæsimus, reliquamq. hiemem, & magnam subsequentis veris partem traduximus, per vicina loca obambulantes; multa ad Turcarum mores & vivendi consuetudinem pertinentia observare nobis licuit. Qui opificium aliquod callet, meliore semper apud Turcas est conditione, quàm illius ignarus. Hinc fit ut è captivis alii aliis sese faciliùs è servitute liberent. Nam qui opifices sunt, brevi redemptionis precium adquirere possunt: qui verò nihil callent, duram servitutem servire coguntur, quia eorum domini vel ad arandum ipsos compellunt, vel ad greges curandos ablegant. Ipsimet Ianissari maximâ ex parte aliquod opificium exercere norunt: nam dum in Androne adhuc pueri adservantur, aliquam artem edocentur. In summa, cùm artes sint servilis conditionis hominum alumnæ; nihil istic prodest, nobili stemmate progenitum se profiteri. Plurimi vitam sustentant, panem recentem & calidum vendendo, qui musto maceratus edatur: quoniam verò fabrica clibani quo utuntur, non est vulgaris, illam hic exponam. Magna habent fictilia vasa, iis similia quæ à nostratibus mulieribus lineos pannos eluentibus usurpátur: Galli *cuviers de terre*, hoc est, cupas fictiles appellant: ea ad dimidiam altitudinem in terra recondunt. Cumque sint in imo perforata, canalem orbicularem ad latus in terra faciunt respondentem imo fictili. Transversim autem jacente fictili, & canalem ad imi latus habente, lignum sive carbones in imo repositi, facilè flammam concipiunt, & facilè vas undequaque calefaciunt: Pistor farinæ massam fermentatam habens, tenues placentulas facit, quibus in tegete curva & fornicem æmulante, nec pilei amplitudinem superātes repositis, manum tegeti subdens, placentulas fornici fictilis jam fervidi applicat; eaque ratione placentulæ pendentes facilè coquuntur: pistor autem placentulam jam coctam adimens, alteram coquendam eodem loco semper reponit: ut multæ simul ex vasis fornice propendeant. Quo verò faciliùs eas eximere queat, furculam unci modo incurvam, sinistrâ tenens, placentulas propendentes apprehendit; dextrâ autem longam spatulam habens, eas decutit. Pistor porrò prolixam barbam alere non debet: nam facilè à flamma aduereretur. Incolæ igitur has placentulas adhuc calentes ementes, cum musto edunt, & pro deliciis habent. Hiberno potissimum tempore: nam æstate fructus aliaque similia magis expetuntur. Sed quoniam fusiùs de his omnibus libro tertio agemus, nunc supersedebimus.

Attamen antè quàm earum rerum narrationem auspicemur; non absonum videtur, nonnulla de legibus quas Mahumetes suis asseclis dedit, in mediū adferre; ut faciliùs intelligi queat, barbariem & stoliditatē falsi hujus prophetæ, miseram istam & rudē plebem seduxisse, & ad suas leges traduxisse, quæ tamen nihil sunt nisi mera somnia. Itaq. finem huic secundo libro imponētes, tertium auspicabimur ab apertissimis Mahumetis deliramentis.

PETRI

PETRI BELLONII CENOMANI

Singularium & memorabilium Rerum, per varias exteráſque Regiones obſervatarum,

LIBER TERTIVS.



VANDOQVIDEM *de variarum nationum, quas adiimus, moribus, ſuperioribus libris egimus: operæpretium facturos arbitrati ſumus, ſi tertio hoc libro ſingularia quædam circa Turcarum vivendi conſuetudinem, ſicuti nos in Aſiæ meditullio conſtituti obſervavimus, explicaremus, pauca tamen de deliriis quæ pſeudopropheta Mahumetes in ſuo Alcorano illis ſcripta reliquit, prius dicturi. Tametſi autem neque dies, neque menſes, neque etiam annos in hoc libro indicaverimus, ut plerique alij qui ſua itineraria deſcripsêre: quiſquis tamen ea requiret, illum ad primi libri præfationem ablegamus, iſtic, quo deſiderium expleat, inventurum. Jam enim virorum fide dignorum & doctrinâ præditorum auctoritate demonſtravimus, nobis teſtes non defuturos, qui noſtram peregrinationem, de qua hîc agitur, ſint aſſerturi.*

De origine Turcicarum legum peculiaris ratiocinatio.

CAPVT PRIMVM.

AD Secundi libri calcem ſcripſimus, deliramenta eſſe quæ Mahumetes in ſuo Alcorano tradidit. Cùm itaque plurima de Turcarum moribus & inſtitutis obſervandi ocium habuerimus, in Paphlagonia aliquamdiu verſantes; neceſſarium eſſe duximus, nonnulla ſeorſim de Mahumete diſſerere, quæ forſitan (quod omnium pace dictum volo) noſtra lingua nemo hactenus prodidit; ut faciliùs deinceps demonſtrare poſſimus, cur Mahumetani in eo vitæ genere perſiſtant, præſertim cùm res ſit noſtro inſtituto accommoda.

Anno, ut fertur, Chriſti ſexcenteſimo vigeſimo natus eſt Mahumetes Arabiæ Felicis urbe Mecha nuncupata, quam Petram eſſe arbitramur, iſtícque Turcicæ hæreſis primordia jecit: anno verò ſexcenteſimo octogeſimo tertio è vivis ſublatus. Turcæ librum nomine Aſcar magna veneratione obſervant, totius vitæ Mahumetis curſum, & quidquid ab ipſa nativitate ad vitæ uſq. exitum ille fecerit, continentem: nomen ipſius patri fuiſſe Abdola Motalip, matri Imina; & utrumque idololatram: Abdolam periiſſe ante Mahumetis nativitatem, Iminam binis ab ipſius nativitate annis naturæ conceſſiſſe, ipſo orphano relicto. Mahumetem oriundum ex proſapia Iſmaëlis, Abrahami ex Agar filii; Iſmaëlem templum in Mecha exſtruxiſſe, quod omnium primum à condito mundo fuit: Mahumetem quadriennem, cum aliis pueris ad piſcationem progredi ſolitum: cumque ſolus in agro verſaretur, angelum Gabrielem veſtibus ornatum candidiſſimis, humana figura ad illum veniſſe, manuque ipſius apprehenſa, poſt collem ſeduxiſſe, pectus illi acutiſſima novacula aperuiſſe, cor excemiſſe, è quo nigram guttulam ſuſtulerit (quam Turcæ aſſerunt omnibus ineſſe hominibus, in eaque dæmones tentationis ſedem collocare) cor ita expurgatum denuò in pectus recondidiſſe, ne unquam poſtea à dæmone tentari poſſet. Hæc Aſcar liber de Mahumetis pueritia tradit. Deinde cùm decimumquintum annum attigiſſet, ſæpiùs peregrinationes ſuſcipere ſolitum, in Perſiam, Memphim, Syriam, cum prædivite & opulento negotiatore nomine Gadiſa, ipſius cognatæ marito, quo mortuo, illam matrimonio ſibi conjunxiſſe, ex qua quatuor proles ſuſceperit, tres filias, unicum filium;

atque

atque eam primam ipsius vxorem fuisse: negotiationem deinde affinis defuncti exercuisse ad annum usque ætatis trigesimum octavum: in solitudinem deinde concessisse, isticque vitam traduxisse, & singulis diebus in cryptam se abdidisse non procul à Mecha, ubi ad noctem usque permanebat, tantaque abstinentia utebatur, ut corpus vires deficerent: inde mente privatum, multa insomnia & visiones habuisse, cumque neminem conspiceret, quasdam voces exaudiisse, quas noctu suæ vxori referebat: illam verò asseruisse, diaboli tentationes esse: eaq. de causa in hujusmodi delirium incidisse, ut quodammodo fureret, atque ex montis fastigio sese præcipitare constitueret. Deinde Alcorano suo initium daturus, Gabrielem angelum ipsum abs sua opinione diuertisse simulavit, formaque humana candidas alas habente ipsi apparuisse & dixisse: Alacri sis, ô Mahumetes, animo, Deus enim tibi salutem denunciat, vultque te ipsius esse prophetam: siquidem tu es omnium creaturarum perfectissima. Præterea illi suum diploma angelum ostendisse, jussisseque ut legeret: respondenti verò Mahumeti se legere nescire, angelum replicuisse: Tui Creatoris nomen lege, ô Mahumetes, atque subitò disparuisse. Addit præterea Asear, Mahumetem summa lætitia affectum, domum rediisse, arboresque, saxa, & animalia obvia, honore illum affecisse, & eum salutando, dixisse: Dei nuncius futurus es, ô Mahumetes. Quæ omnia cùm uxori narraret, fidem adhibere noluisse, immo dixisse dæmonis esse tentationem; quod adeò ægrè tulit Mahumetes, ut in adversam valetudinem incideret. Sed angelum ad ipsum lecto decumbentem venisse, & Alcorani secundum caput attulisse, in quo adscriptum erat: Surge, tuum Creatorem extolle, tuas vestes purga, & idola abhorre: tum uxorem evocasse, omniaque ista retulisse: verùm illam censuisse, tentationes esse prioribus similes; qua re adeò commotus ipse fuerit, ut in graviorem quàm antea morbum incideret: at angelum media nocte ad ipsum rediisse, tertiumque Alcorani caput scriptum tradidisse: ex quo pristinæ valetudini restitutus fuerit. Cùm ipsius uxor diceret, angelum se libenter conspecturam; id non fieri posse respondit.

Qua astutia initiò usus fuerit Mahumetes, ut rudem plebem ad suam legem pelliceret: & qui in hac re auxilio ipsi fuêre.

CAP. II.

CVM Mahumetes novam hæresin instituere haberet in animo, satis feliciter illi successit initio: nam binos Christianos in Mecha invenit, veteris & novi testamenti codices habentes, & in illorum lectione utcunque exercitatos, à quibus in condendo suo Alcorano magnopere adjutus fuit. Ipse porrò cùm varias provincias adiisset, Syriam, Palæstinam, Ægyptum, acri præditus erat ingenio. Nam conscriptis aliquot capitibus (quæ per angelum Gabrielem sibi missa dicebat ut Alcorano inderet) describenda exempla curabat, quæ multis in Mecha clam dabat, ut ea memoriæ commendarent: nam illa non nisi clam ab initio communicare ausus fuit. Postquam verò potens quispiam vir Homar appellatus, ipsius consanguineus, atque alter nomine Vbecar, cum plerisque cognationis vinculo sibi junctis diutiùs non latere constituissent, Alcoranum in publicum proferre tentârunt: sed orto inter Mechæ incolas ob eam rem tumultu, maximaque eorum parte in Mahumetis necem conspirante, in mentem venit, ipsum à dæmone obsessum à plerisque æstimari, ideoque suæ insaniæ relinquendum. Sed cùm mutato animo denuò coirent, ut illum carceri manciparent, admonitus statim in aliud oppidum Almedina dictum, bidui itinere à Mecha distans profugit, suisque persuasit, ut cineribus manu plena inspersis suorum equorum capitibus, tantundem in aërem spargerent, frenaque equorum illigarent, versumque Alcorani libro tertio, cap. decimo octavo scriptum recitarent, illos non conspectum iri ab iis qui persequerentur. Hæc omnia de ipsius fuga cap. secundo, libri primi Alcorani descripta sunt. Cùm igitur in Almedina commoraretur, magno sequacium ipsius numero roboratus, Iudæos sibi tributarios reddidit, postea majore exercitu instructus, Mecham occupavit, & sibi subjecit.

Omnem Turcarum fidem in Alcorano à Mahumete condito contineri.

CAPVT III.

SVPERSTITIOSI & stolidi omnes Turcarum ritus ex Alcorani doctrinâ hausti sunt. Nihil verò aliud significat hæc dictio Alcoran, quàm Capitum epitome, sive Psalmorum collectio: dicitur & alio nomine Alforcan. Hic liber rhythmicè conscriptus

ſcriptus in vocum conſonantiâ deſinit: adeoque rigidè obſervatur, ut ſi quis Turca vel unicam litteram immutet, vel accentum, lex jubeat illicò lapidibus obrui. Mahumete autem vivo, eam ſeriem & ordinem nondum adquiſiverat quem nunc habet; ſed eo è vivis ſublato, alter è generis Oſmen vocatus, tertius ab ipſo Rex, ipſius omnia ſcripta arculâ incluſa, in ordinem redegit; & per capita diſtribuens, quatuor libros fecit. Primus liber quinque habet capita: Secundus duodecim: Tertius novem & decem: Quartus centum & ſexaginta quinque. Omnia iſta capita Alcorani propriis nominibus ſunt inſignita, numerumque ducentorum & unius explent. Hunc Alcoranum tanta in veneratione habent omnes Turcæ, ut deoſculentur, amplectantur, per illum jurent; eumque glorioſum librum appellent. Omnes leges & inſtituta quæ unquam Mahumetes Turcis tradidit, complectitur, quæ credenda & facienda, quæ in altero ſeculo bonis & malis ſperanda, atque potiones & epulas prohibitas. In illo condendo Mahumetes, partem ex novo, partem etiam ex vetere Teſtamento ſuffuratus eſt: ut ex his quæ de Mundi creatione ſcripſit, apparet. Nam iſtîc recenſet, Adamum & Evam poſt peccatum admiſſum, è Paradiſo ejectos, in terram veniſſe; angelos peccaſſe; quam peccandi anſam habuerint. Ait præterea, Deum miſiſſe Moyſem, ut Iudæos à Pharaonis captivitate liberaret; quid acciderit Ægyptum egreſſuris; qua ratione mare rubrum tranſierint, in quo ſubmerſus fuerit Pharao; ut ipſi peccârint, falſos Deos ſibi fabricantes, & Vitulum adorantes; atque ut illis ſit Lex tradita. Inſuper agit de Chriſto & D. Virgine, de Nativitatis myſterio, vita, miraculis Chriſti, de ipſius Evangelio, & mandatis quæ dedit. Primo namque libro cap. 1. aliiſque multis locis, de Ieſu Chriſto Domino noſtro perhibet quæ ſequuntur: Nos Deus ſcripturam dedimus Ieſu Chriſto, & Spiritu ſancto illum adjuvimus. Et primo capite libri ſecundi dicit Deum Mahumeti Alcoranum tradidiſſe, Ieſu verò Chriſto Teſtamentum & Evangelia, in legem plurimorum. Capite autem ſecundo libri primi, D. Virginis Conceptionem fusè tractat, atque totam ferè Elizabethæ viſitationem recenſet. Hoc loco dicunt Alcorani interpretes, Chriſtum cum matre duntaxat à dæmonis tentatione immunes fuiſſe, ipſamque ſine originali peccato vixiſſe concedunt. De Chriſti nativitate, deque ſalutatione & univerſo annunciationis myſterio expreſsè meminit cap. 1. libri tertii. Atque tres excellentiæ Domino noſtro tribuuntur in Alcorano; prima cap. 2. lib. 1. Ieſum Chriſtum corpore & anima in cælum aſcendiſſe: altera, quòd illum Dei Verbum appellet: tertia cap. 3. lib. 1. quòd Dei ſpiritum ipſum nuncupet. Hæc Alcoranus nemini unquam attribuit, nec Moſi, nec Davidi, nec Abrahamo, nec ipſi Mahumeti. Addit cap. 2. lib. 4. Ieſum Chriſtum humani cordis ſecreta cognoviſſe, mortuos ſuſcitaſſe, deploratos morbos curaſſe, cæcis viſum, mutis linguæ uſum reſtituiſſe: ipſius etiam diſcipulos miracula edidiſſe naturam ſuperantia. At Turcæ, ſuæ hæreſis patrocinio faventes, hæc omnia non ad Chriſti, ſed ad ſui Mahumetis laudem exponunt.

Diverſæ ſectæ inter Mahumetanos, de ipſorum religione, ſubortæ.

CAPVT IIII.

PRÆTER Alcoranum obſervant Turcæ alterius libri præcepta, qui *Zuna*, hoc eſt, Iter, ſive Lex, ſive Conſilium Mahumetis dicitur. Is liber ab ipſius morte primùm à diſcipulis ejus conſcriptus fuit. Cùm autem per multorum manus vagaretur, nonnulli quidpiam adiiciebant, alii demebant, pro arbitrio: ut tandem pleraque adeò confunderentur, & tot contradictiones in illo libro reperirentur, ut quæ Mahumetes affirmativè dixiſſet, negativè deſcripta eſſent: eam ob cauſam tanta diſſenſio in illa hæreſi ſuborta eſt, ut Alcaliph, hoc eſt, Rex qui tum illi genti dominabatur, omnibus Mahumetanis præciperet, ut omnes in Alcorano bene verſati, proprio nomine Alphachi appellati, Damaſcum convenirent, & delatis eò omnibus ſuæ legis ſcriptis, Concilium haberent. Ex ducentis qui convenerant, ſex Alphachos, hoc eſt, peritos delegit, quorum primo *Muſzlin* nomen fuit, ſecundo *Bochari*, tertio *Buborayra*, quarto *Annecey*, quinto *A termndi*, ſexto *Dent*. Hos in locum quò illati erant quotquot reperiri potuerant libri, induxit, ut ipſos examinarent. Singuli ex variorum ſcriptis librum concinnantes, Regi Alcaliph obtulerunt: Ille aliis eruditis evolvendos tradidit, reliquos omnes in Damaſci amnem Chryſorrhoas Latinè appellatum, Arabicè *Adegele*, abiici juſſit. ea ratione ſoli ſex illi libri, quibus *Zuna* nomen inditum, ex ducentorum camelorum onere conſervati ſunt: reliqui in amne perierunt. Rex porrò omnibus Alphachis, hoc eſt, Theologis Mahumetanis præcepit, ne, quis in poſterum ullam Mahumetis auctoritatem in medium proferret, niſi ex illis ſex Zunæ libris petitam. Poſtea verò Mahumetanus Theologus quidam in Epitomen contraxit ſex illos

 libros,

libros, quæ Liber florum appellatur. Turcæ eadem observantia colunt Zunæ libros, qua Alcoranum; propterea Alcalipham illum sanctum virum arbitrantur. Tametsi autem pauci illi Theologi in sex libros contraxerint quidquid innumeris illis libris continebatur; cùm tamen multæ adhuc in illis contrarietates reperiantur, varia inter illos sunt orta schismata. Ab illo enim tempore quatuor diversæ opiniones exortæ, quarum unam amplectentes Persæ, Turcis adversi sunt, sese mutuò hæreticos appellantes: atque nisi Turcæ potentia, ob victorias adversus Babyloniæ Sultanum adeptas, & Syriam, Ægyptum, Mesopotamiam sibi tributarias redditas, plurimum eas opiniones uniisset, variæ aliæ exortæ fuissent, propter linguarum diversitatem. Turcæ credunt Alcoranum unica nocte compositum fuisse: alii mense integro occupatum in eo condendo Mahumetem: quæ res magnam auctoritatem Alcorano conciliavit. Sed errant: nam ipse Mahumetes fatetur, tredecim annos Almedinæ, decem Mechæ, in eo componendo impendisse. Sed & ipsa capita dilucidè id demonstrant: quædam enim Medenia vocantur, alia Mechia.

Pœnarum Inferni formidinem Mahumetes Turcis incussit: & eorum sepultura.

CAP. V.

QVEMPIAM sepulturæ traditurі Turcæ, primùm cadaver abluunt, deinde sindone involvunt: sed quæ ad caput & ad pedes est partem non consuunt, ex Mahumetis præcepto, qui ait, simulatque cadaver terra reconditum est, duos angelos, atros Mongir & Guanequir appellatos, advenire, alterum ferreo malleo præditum, alterum unco, qui cadaver in genua sistunt, animamque in corpus reponunt, non secus (inquit Alcoranus) quàm si quispiam interulam induat: tum angeli mortuum interrogant, si Mahumeti crediderit, ejusque præcepta ritè observaverit; si bona opera dum in vivis esset fecerit; si Turcarum Quadragesima, ipsis Radaman nuncupata, jejunaverit; si ritus Zalæ coluerit; si decimas persolverit, & eleëmosynas egenis contulerit. Defuncto plenam rationem actorum angelis referente, abs illo discedunt, aliis binis illico succedentibus candidis ut nix, quorum alter ipsius capiti brachia supponens pulvinaris vicem supplebit, alter pedibus ipsius assidebit, eumque sic tuebuntur ad extremum usque judicium. Defuncto verò atris angelis actorum rationem reddere nequeunte, quòd videlicet Mahumeti non crediderit, & hujuscemodi alia; liber Zunæ refert, atrum angelum ferreo malleo præditum, defuncti caput tam validè malleo ferire, ut illum novem orgyis sub terram impellat; & neutrum cessaturum, hunc malleo ferire, alterum uncis ferreis torquere defunctum ad extremum usque judicii diem. Eam ob causam Turcæ defunctorum cadaveribus, croco nomen inscribunt, sepulchraque concava faciunt, ut locum habeant, quo se in genua prosternere queant: imò nonnulli foveis ligneas tabulas superimponunt, ne terra oppleri possint. Hæc Turcis tantam formidinem incusserunt, ut in matutinis suis orationibus hoc semper adiiciant: Domine Deus, ab interrogatione duorum angelorum, sepulchri tormento, & malo itinere me libera, Amen: imò preces quæ ab utriusque sexus Turcis in cœmiteriis ad defunctorum sepulchra fiunt, eò referuntur, ut defuncti ab interrogatione atrorum angelorum liberentur.

Varia alia nugæ & deliria à Mahumete de extremo Iudicio scripta.

CAP. VI.

MAHVMETES in suum Alcoranum plerosque Bibliorum locos transferens, nonnulla etiam de Mundi creatione inseruit, & ipsius Adami Dei ipsius manu è pura terra conditi historiam, & vitalem spiritum in illum infusum: per ipsius autem transgressionem omnes posteros morti destinatos. De extremo Iudicio ait, sub Mundi finem cornu inflatū iri, tum superstites homines & cælestes angelos morituros: deinde cornu denuò inflandum, ad cujus sonum, homines & angelos denuo in vitam redituros. Insuper scriptum est cap. 5. libri 1. omnes quadrupedes & aves vitæ restituendas in die Iudicii: arietes item qui die Paschæ, Bairan ab ipsis appellati, mactantur, paradisum in extremo judicio, teste Zuna, ingredientur; arietem ab Abraham filii Isaac loco immolatum, per quadraginta annos in paradiso educatum, nigrum ab angelo Gabriele delatum fuisse.

Hinc

Hinc fit ut Turcæ multos arietes jugulent, die Paschæ sacrificandos, tametsi unicus ex præscripto & obligatione sufficiat: nam liber Zunæ dicit, omnes arietes à Turcis propter Paschæ sacrificium jugulatos, in extremo judicio pro iis qui ipsos jugulandos curarunt, oraturos. Alcoranus porrò capite primo libri primi refert, binos Angelos caverna quadam in Babylone includi, & è superciliis pendere, torquendosque ad extremum usque judicium. Glossa autem hoc loco addit, Deum binos Angelos Babylonem misisse, qui de incolarum controversiis judicarent, singulis diebus mane è cælo descendere, sub noctem verò cælum repetere solitos: quodam autem die in formosam mulierem incidisse de marito conquerentem, quæ sic illis placuisset, ut de concubitu sollicitarent; ipsam annuisse, ea conditione ut orationem edocerent, cujus virtute in cælum conscenderent: mulieri obsequentes, orationem docuisse: quâ memoriæ mandatâ, ipsam in cælum evolasse; angelos, ob peccatum, orationis efficaciâ privatos, in cælum ampliùs cõscendere non potuisse, sed in terra hæsisse. Deum porrò pœnarum in hoc vel in altero sæculo luendarum optionem illis ob peccatum obtulisse: pœnas in hoc sæculo deligentes, ad judicii usque diem ut è superciliis penderent, adjudicatos. Ab iis Angelis addit Alcoranus, illius regionis homines Necromantiam edoceri. Cap. autem 19. lib. tertii scriptum habet, Deum stellas in cælo fixisse, ad hujus mundi ornatum, & ad arcendos malignos spiritus: quos, ad cælum propiùs accedere volentes ut paradisi secreta exaudiant, singulæ stellæ accensâ face fugant. Liber Zunæ verò, stellas in aëre è catenis aureis pendêre ait, ad excubias agendas: alioqui dæmones paradisi secreta captatum venturos, ad ea hominibus conjectoribus revelanda.

Amœna in paradisum profectio, quam Mahumetes noctu dormiens se confecisse nugtur: & insignia deliria quæ de Turcarum paradiso refert.

CAP. VII.

MAHVMETES noctu dormiens, visionem habuit, quam postridie narravit & descripsit: ea omnibus suis posteris magnum commodum attulit, ut in articulis à Deo illi (ut ait) concessis videbimus. Cum Axâ igitur, ex undecim quas habuit mulieribus, maximè dilectâ, jacens; mediâ nocte evigilans, somniavit, quempiam suas fores pulsasse; ipsum surrexisse ut aperiret; angelum Gabrielem istic reperisse bis septuagenis alis nive candidioribus, & cristallo lucidioribus amictum; animal apud se habentem lacte magis album, asino majus, mulo autem minus, Arabico nomine Alborach appellatum. Libro Asear nuncupato scriptum est, angelum Gabrielem in Mahumetis amplexus ruisse; atque dixisse; Ad te salutandum Deus me misit, ô Mahumetes; mihique injunxit, ut te hac nocte in paradisum abducam, maxima, quæ unquam ab homine conspici potuerunt, secreta conspecturum. Mahumetes respondit se paratum esse. Cui Angelus: Conscende ergo Alborach, & abeamus. Verùm Alborach retrocedenti dixit angelus: Cur Mahumetem sessorem admittere non vis? Hoc tibi certò affirmare possum, neminem Mahumete meliorem unquam conscendisse, nec conscensurum. At Alborach negavit se eum admissurum, nisi prius polliceretur se in paradisum invectum iri. Mahumetem tum respondisse, ipsum futurum primum animal quod paradisum ingressum sit. Mahumetes illicò conscendit; frenumque tenente Angelo, totâ nocte versus Hierosolymam iter fecerunt. Addit Asear, Mahumetem in itinere femineam vocem exaudisse evocantem, Mahumetes, Mahumetes; Angelumque dixisse: Cur non respondes? At ipsum tacuisse. Deinde longiùs progressum, aliam vocem audivisse clamantem, Mahumetes, Mahumetes: Angelum autem vetuisse ne responderet: Mahumetem porrò Angelum interrogasse, quænam essent istæ mulieres quæ eum appellassent? Cui Gabriel: prior est quæ Iudæorum legem evulgat, cui si respondisses, omnes Turcæ facti fuissent Iudæi: altera est quæ Christianorum legem denunciat, cui si à te responsum datum fuisset, omnes Turcæ Christianismum amplexi fuissent. Brevi pòst in Hierosolymitanum templum advenisse: quod ingressis, omnes prophetas & Dei nuncios qui unquam in orbem missi, ipsis obviam progressos, & Mahumetem his verbis excepisse: Salve verorum nunciorum gaudium, & honorabilis propheta: eumque in aërem sublatum, in intimum sacellum cum solenni pompa detulisse, seque illi commendantes obsecrasse, ut pro ipsis oraret, ipsorumque meminisset cùm Deum alloqueretur. Templum egressos, Mahumetem scalam invenisse Dei lumine constantem, atque ad cælum usque pertingentem, quam, ipsius manu à Gabriele comprehensâ, conscenderunt. Ad primum cælum pervenientes, quod ex puro argento constat,

& ex quo stellæ dependent catenis ex obriso auro fabricatis alligatæ, ejus magnitudinis cum Noho monte urbi Almedinæ vicino, Gabrielem fores pulsavisse: interroganti ianitori quis feriret, Ego, inquit, angelus Gabriel, & Mahumetes propheta & Dei amicus: audito Mahumetis nomine, illicò apertas fuisse fores: istic canum senem invenisse Adamum, qui Mahumetem amplexus, Deo gratias agebat, quod tali filio illum donasset, multumque se Mahumeti commendasse. Vlteriùs progressos, variæ formæ angelos invenisse, boum, hominum, equorum, avium, inter quas gallus fuit pedibus primum cælum premens, & capite secundum cælum attingens. Interroganti Mahumeti quid ista sibi vellent, angelum respondisse, angelos esse qui pro iis qui in mundo sunt, Deum orant: humanæque formæ angelos, pro hominibus orare; bubulæ, pro bobus; equinæ, pro equis; gallinaceæ, pro gallis: atque cùm ingens ille gallus caneret, reliquos gallos cùm cælestes tum terrestres canere. Deinde ad aureum cælum venientes, fores pulsasse: ianitori inquirenti qui essent, Gabrielem respondisse, Ego & Mahumetes: illicò ingressos undique Dei & Mahumetis nomen inscriptum hac ratione vidisse: Nemo alius est præter Deum, cujus Mahumetes est propheta: Noëque incanum reperisse; qui Mahumetem amplexus, sese illi commendavit. Postea admirandæ formæ angelos conspexisse, quorum unus pedibus secundum cælum calcabat, & capite tertium attingebat, altera manu Orientem, altera Occidentem pertingens. Inde in tertium cælum ingressos, ex precioso lapide constans, ubi reperto Abrahamo, ingentem angelorum numerum viderunt, quorum unus inter utrumque oculum septuaginta dierum itineris intervallum habebat, manuque librum tenebat, in quo omnia scribebat & expungebat; isque angelus mortis nuncupabatur, homines nascentes libro inscribens, & morientium nomina expungens. Inde porrò in quartum cælum Smaragdo constans delatos, reperto istic Ioseph Iacobi filio (qui salutato Mahumete se ipsi commendavit) atque magno angelorum numero, quorum unus, procerus admodum, hominum vicem, qui propter peccata ad inferos descendebant, deplorabat. Postea in quintum cælum adamantinum pervenisse, ubi Moses Mahumeti se commendans, majorque angelorum numerus quàm in reliquis cælis. Hinc in sextum cælum ex carbunculo sive pyropo fabrefactum, ascendisse, ubi D. Ioannes Baptista, qui Mahumeti sese commendavit. Postremò in septimum cælum, Dei lumine constans, venisse, ubi reperto Iesu Christo, ipsi Mahumetes se commendavit, & conspecto istic maximo Angelorum numero, Angelus ipsum reliquit. At ille per difficilia loca ascendens, ingentem aquarum & nivium quantitatem invenit; & mirum in modum fatigatus, cælestem vocem exaudivit, dicentem: Saluta tuum Creatorem, ô Mahumetes; non procul enim ab illo abes: tum lumen adeò ingens illum circumfulsit, ut oculorum ipsius aciem turbaret. Ait Deum tectam habuisse faciem septuagesies mille lineis pannis, Dei lumine constantibus, atque abs illo abfuisse gemino duntaxat balistæ jactu: Deumque ipsius umbræ manum imposuisse, unde ingens frigus senserit: Deum præterea ipsum hoc loco alloquutum, multa illi Legis præcepta dedisse, atque plurima secreta revelasse. Addit Asear, Deum quinque donis Mahumetem affecisse, quæ in nullum mortalium unquam contulisset Primum, Mahumetem sublimiorem esse creaturam quæ in cælo aut in terra esset. Alterum, ipsum esse excellentissimum & generosissimum omnium qui ab Adamo fuerunt, atque ad extremum usque judicium futuri sunt. Tertium, ipsum esse universalem redemptorem, hoc est, peccatorum condonatorem. Quartum, omnes linguas callere. Quintum, ut bellorum spolia ipsi tribuantur: quo dono ipsius posteri maximè gloriantur. Scriptum habet præterea Asear, Mahumetem descendisse eadem via qua ascenderat, quæque ipsi acciderant, Gabrieli angelo enarrasse: angelum autem dixisse; O Mahumetes, Deus injunxerat, te in hunc locum perducerem, ut ejus omnia secreta conspiceres. Nunc autem ad Inferos descendamus, ut inferna secreta etiam videas, & quo modo homines à dæmonibus torqueantur. Omnia hæc inscripsit Mahumetes suo Alcorano: è quibus liquet crassi fuisse hominem ingenii. Describens porrò Paradisum quem suis pollicetur, quinque rebus præditum esse refert, ædificiis, supellectile omnis generis, cibo & potu, vestibus, elegantisque formæ mulieribus, cum quibus voluptatem capere possint; generosis item equis, ephippia & frena gemmis exornata habentibus. De Inferis refert septem inesse portas, dæmonesque esse varii generis, quosdam ferreis catenis vinctos, alios veru ferreo transfixos; homines autem perpetuò colliquatum plumbum bibere, putridisque cibis, & arboris cujusdam malis vesci, quæ vera sunt dæmonum origo. Hæc omnia eò retulimus, ut Mahumetem, cùm hujuscemodi nugas describeret, exiguo judicio præditum fuisse demonstrarem.

Cur

Cur Mahumetis lex Turcis permiserit, ut se cum feminini sexus mancipiis, cuiuscunque tandem sint religionis, permiscere possint.

CAP. VIII.

INDIFFERENTER hodie sese commiscent Turcæ feminei sexus mancipiis, nullâ habitâ an Christianæ religionis, an Iudaicæ, an idololatræ sint, ratione; quod vivo etiamnum Mahumete illis lege concessum fuit. Cùm enim Mahumeti, qui plures habebat uxores, donata fuisset à Iacobitarum Rege elegans Iudæa virgo, illicò ipsius amore flagravit, nec abstinere potuit quin illam comprimeret. Quod animadvertentes ipsius uxores, ferre nequiverunt, repudiumque minitatæ sunt, si perseveraret: cùm autem ille non abstineret, scandalum illi creatum est: nam duæ uxores ab illo secesserunt, & rem, ut gesta erat, per Mecham sparserunt. Ille, ut erat vigilans, remedium huic rei illicò quærendum existimavit. Itaque novum caput suo Alcorano addidit, ut videlicet omnibus ipsius legem observantibus, indifferenter liceret cum feminei sexus mancipiis, non secus ac cum legitimis uxoribus commisceri: eaque lex initio capitis libri quarti Alcorani indita est, etiamnum nomen obtinentis, Defensionis caput; ejus sunt verba: O Propheta, quoniam tuis uxoribus placere volens, licita prohibere voluisti, scito Deum permittere, ut hominibus licentiam præbeas cum feminei sexus mancipiis concumbendi. Hanc legem clam credidit nonnullis ipsius uxoribus, quæ subitò illam evulgarent: addebatque: Attamen vos mulieres, si pœnitentiam coram Deo egeritis, magnam utilitatem adsequemini. Sin à Mahumete repudiatæ manebitis, ipsius Creator alias dabit ipsi uxores virgines & viduas, in ipsius legem credentes, & illi obsequentes. Promulgatam hanc legem Mechani viri facilè receperunt, Mahumetisque causæ patrocinati sunt: accesseruntque Mahumetem repudiatarum uxorum cognati, ipsum obsecrantes ut uxores reciperet. Quo successu valdè lætatus est; nihil enim aliud optabat; tametsi se eas recipere nolle simularet. Ex illo tempore Turcicæ mulieres sine zelotypia cum mancipiis habitant. Licet autem Turcis vel centum mancipia feminei sexus habere: at legitimas uxores duntaxat quatuor.

Brevis paradisi quem Mahumetes Turcis pollicitus est, narratio; quamque ridicula sint quæ de eo recenset.

CAP. IX.

DE materia ex qua cælum compositum sit agens Mahumetes, ex fumo illud Deum creasse ait, atque firmamentum in bubuli cornu cuspide stabilitum: agitante se aut succutiente bove, terræmotum fieri, quoniam universa terra ipsius cornu incumbat. Mille alias hujuscemodi nugas Turcæ nunc credunt, quas Mahumetes illis persuasit; atque inter reliquas, septem esse paradisos, auro argentoque, unionibus & gemmis exornatos, in quibus palatia iis quæ hic exstructa sunt longè elegantiora, magna conclavia atriaque habentia: hortos præterea omni fructiferarum arborum genere cultissimos, fontesque & amnes palatia alluere, modò ex puro lacte constantes, modò ex optimo melle, tum etiam nonnullos ex dulci vino: in medio verò paradiso arborem esse, totum illum inumbrantem, ramosque supra muros spargentem, quorum singula folia ex puro auro argentoque constantia, Mahumetis post Dei nomen, inscriptum habent. Inde factum ut usitatissimam suam orationem subinde repetant hoc modo: *Le illehe ille allah Mahometrazolollach.* Quam orationem si Christianus imprudenter pronunciaret, aut moriendum illi esset, aut Turcicæ religioni nomen profitendum. Ex Alcorani præterea doctrinâ credunt, quòd Turcæ in paradiso ridebunt, & voluptati indulgebunt, procul valere jussis mœstitiâ & solicitudine, semperque lætabundi aulæis & lectis serico coccineoque panno exornatis insidebunt; equorum ephippia & alia ornamenta ex gemmis adornata habebunt; quodque pueri non minùs elegantes quàm gemmæ auro inclusæ, sericeis, coccoque viridi splendentibus, auratisque vestibus induti, illis ministrabunt aureis atque argenteis poculis. Expletâ autem fame & siti, iidem pueri crura, manus, brachia, & aures gemmis, annulis aliisque clenodiis exornata habentes, singulis Turcis in aurea lance ingens malum citrium præbebunt; quo ab ipsis accepto, & naribus admoto ut odorentur, illicò exorituram venustissimam virginem, elegantibus vestibus ornatam, quæ Turcam amplectens, ille vicissim eam; in mutuis amplexibus per quinquaginta annos hærebunt, voluptatique indulgebunt. Quinquagesimo

ſimo anno expleto, Deus illis dicet: Quandoquidem, ô mei famuli, genio indulſiſtis in meo paradiſo, meam faciem vobis oſtendere volo. Tum velum à facie amovebit. Turcæ autem corruent præ hujus luminis fulgore: quibus Deus deinde: Surgite mei famuli, & meâ gloriâ fruimini: nunquam enim ampliùs moriemini, neque mœrore afficiemini. Illi autem capita attollentes, Deum facie ad faciem videbunt, & comprehenſam ſinguli ſuam virginem, in ſuum cubiculum abducent, ubi victui neceſſaria invenient; iſticque genio indulgentes, voluptatemque ex ſua virgine capientes, ſine mortis metu vitam in lætitia traducent. Hæc Mahumetes & alia pleraque deliramenta de ſuo paradiſo tradit: ex eaque narratione de pueris & virginibus quas in paradiſo creatas eſſe ait, & muro incluſas, occaſionem Turcas ſumpſiſſe autumo condendi ſuas illas fabricas quas Serraglio appellant. Addit autem, ſi aliqua ex iſtis virginibus intempeſtâ nocte locum muris concluſum egrederetur, non minus quàm Sol, mundum illuſtraturam: ſi verò in mare ſpueret, aquam ut mel dulcem futuram. Ceterùm antè quàm narrationem de Turcico paradiſo abſolvamus, fabulam de ſympoſio quod Mahumetes ſanctioribus Turcis à Deo exhibitum fuiſſe ait, recitabimus. Primùm dicit, Deum Gabrieli mandaſſe, ut claves adferret, quibus paradiſum aperiret; earum autem ſeptuaginta millia in angeli cura eſſe, ſingulaſque claves ſepties mille milliarium longitudinis eſſe. Cùm verò Gabriel tanti ponderis clavem tollere non poſſet, Deo indicavit: cui Deus, Invoca meum & mei amici nomen. Quibus nominibus invocatis, clavem facilè ſuſtulit, & paradiſi fores aperuit; in quo menſa adamantina inerat, ſepties centena millia diurni itineris ſpatia longa & lata, in cujus ambitu erant diſpoſitæ aureæ & argenteæ ſellæ. Deinde addit Turcas menſam ſtratam inventuros, mantiliaque ſericeis & aureis filis contexta, ſediliaque quibus inſideant, puerosque ſupradictos in hoc ſympoſio miniſtraturos, variique generis cibos præbituros, & fructus, vinumque & aquam è paradiſi amnibus hauſtam pocillaturos: pro bellariis autem citria illa quorum antè memini, daturos. Abſoluto Dei ſympoſio, pollicitus eſt Mahumetes etiam epulum. Fons porrò eſt, ipſo perhibente, in paradiſo, cujus aqua nive candidior, melleque dulcior eſt, longitudine & latitudine ſeptuagies millena diurni itineris ſpatia comprehendens, ubi plura vitra pateræque ſunt, quàm in cælo ſtellæ. Hunc fontem Deus Mahumeti donavit, quo Turcæ ingredientes, ſitim ſedent, quæ in æternum deinde ipſis non erit moleſta. Egreſſus autem fonte Mahumetes, in infernum deſcendet, delecturus probos omnes Turcas, qui aliquam pœnam commeriti erant, quos, ut plenam remiſſionem conſequantur, in prædictum fontem deferet; & ut atrum colorem, quem in inferno ex uſtulatione contraxerunt deponant, ipſe illos aquâ fontanâ abluet, niveque candidiores reddet, deinde in aliorum Turcarum paradiſum transferet. Turcici concionatores aiunt Mahumetem in arietem tranſmutandum, Turcas verò in pulices, quos ex inferis in paradiſum tranſportans iſtic excutiet, ut pulices cadentes, aliorum Turcarum formam denuò recipiant.

Turcarum connubia: & cur illis data licentia quatuor ſimul vxores ducendi.

CAPUT X.

HODIERNO etiam die Turcis, & Mahumetis lege initiatis, ex vetere inſtituto, plures quatuor vxoribus ducere non licet: vivus enim adhuc Mahumetes ſuis aſſeclis quatuor legitimarum uxorum uſum conceſſit: ex lege autem in ſuam met gratiam conditâ, quotquot voluit uxores ducere potuit. Ex Asearis libro conſtat, quindecim uxores eum habuiſſe, præter ingentem mancipiorum feminei ſexus numerum. Legem condidit, quæ & hodie obſervatur, de mulierum æqualitate, ut eâdem ratione omnes veſtibus, cibo, potu, & cubili tractarentur: ſi quid ſecus fiat, quæ injuſtè ſecum agi exiſtimat, apud Iudicem conqueri, & maritum in jus vocare poteſt. Eam ob cauſam, Turcarum Imperatoris vel Baſſæ alicujus filia majore apud maritum privilegio hodie non gaudet, quàm infimæ ſortis cujuſpiam filia: nam propter leviſſimam cauſam matrimonio renunciare queunt: conquerente enim apud Cadi aliquâ, ſi maritus deſerere illam vult, jam ſolutum eſt matrimonium: divortium autem renunciare uxori in ea regione, perinde ferè eſt, atque in Gallia ancillam dimittere. Mahumetes adhuc vivus legem condidit, ne deſertas à ſe uxores, cuiquam matrimonio ſibi jungere liceret: præcepit etiam, ne ipſius uxores (quas moriens novem adhuc habuit) ab ejus morte cuiquam nuberent. Scriptum eſt in libro quodam Arabico, cui titulus, De bonis moribus Mahumetis, illum à virtutibus & virium robore extollente, eâdem horâ undecim ſuas vxores ſubſequenter cognoſcere

gloriari

gloriari solitum. Condidit etiam legem, quæ & hodie observatur, ut si quis uxorem ter repudiaverit, non possit deinceps illam recipere, nisi prius cum alio concubuerit. Hæc porrò quatuor Turcis sunt prohibita; ne sanguine vescantur, ne suillâ, ne iis quæ idolis sunt immolata, ne suffocatis. Vivo Mahumete, atque etiam aliquamdiu ab ejus morte, mancipia quæ ipsius doctrinam amplectebantur, libertatem consequebantur; quia primus qui in ipsum credidit, mancipium fuit; se enim libertate illum donaturum pollicitus erat, si in ipsum crederet. Zunæ liber meminit legis quâ sancitum erat, ut omnia mancipia Iudaicæ, sive Christianæ religionis, religionem suam abjurantia, & Mahumetanam amplectentia, libera fierent, etiam invito domino: at ea lex hodie non observatur. Nostratium vulgus Mahumetis cippum in aëre pendere existimat, lapidis magnetis vi atque efficaciâ: attamen id recentiorum inventum non est: nam Plinius simile quidpiam cap. 14. libri 34. de magnete scribit. Eodem, inquit, lapide Dinocrates architectus Alexandriæ Arsinoës templum concamerare inchoaverat, ut in eo simulacrum ejus è ferro pendere in aëre videretur. Hæc autem de ridiculis Mahumetis nugis dicta sunto; nunc de Turcis agamus.

Liberos educandi apud Turcas ratio.


CAPUT XI.

MIRAM, sed facilem tamen, infantes educandi rationem habent Turcæ: nam licet eos muniant undique & fasciis involvant, podicem tamen illis nudum relinquunt. Etenim illorum cunæ alveum sive fundum habent coriaceum, bene tensum, in quo rotundum foramen faciunt, cui infantis nudas nates imponunt; deinde fictile aliquod amplioris sub eo foramine adhibent, quo infantium excrementa excipiantur: eam ob causam tot cunabulis non egent quot nostri infantes, neque ita immundi sunt, neque tantam in educando molestiam exhibent: & licet succrescendo adeò robusti evadant, ut sine adminiculo ingredi incipiant, quiescere tamen non permittuntur, nisi foramini cunarum impositi, donec aluum continere noverint. Fasciis autem involuti, superiora involucra permeierent, nisi huic rei provideretur. Idcirco buxeos tubulos, in infantium usum factos, digitum crassos, sex longos, concavos, & ab una parte incurvos, apud institores emunt, qui duorum sunt generum: alii enim masculis infantibus subserviunt, alii puellis. Masculorum, supernum foramen rotundum habent, hac figura: Puellarum autem longius, hoc est, supernum foramen latius in longitudinem excavatum est, ut hæc altera figura demonstrat.

Masculorum tubulus.



Puellarum tubulus.



Difficile autem rem intelliget qui eos tubos applicandi rationem ignorat. Masculis igitur infantibus tubum applicaturi, extremam mentulam laxiori tubi parti imponunt, longiorem inter crura ductam, faciunt ut foramini cunarum respondeat, quò urina in fictile cunis suppositum defluat. Eâdem ratione puellarum tubuli applicantur; ductâ enim ejus longiore parte inter crura, ut urina in vas cunis subjectum defluat, efficiunt. Hæc consuetudo optimè Turcis convenit, qui perpetuò in aulæis sedere solent, alioqui ipsorum liberi omnia conspurcarent. Nullus est apud eos pultis usus; ejusmodi enim alimenta infantibus præbere non solent, qualia nos in Europa. Mulieres nihil illis aliud præbent quàm mammam, donec unius sint anni, aut decem mensium; quæ consuetudo vulgaris est omnibus Orientis nationibus suos infantes nec pulte nec lacte animalium alere solitis: & ne tam remota petamus, ipsimet Itali magnâ ex parte nihil aliud suis infantibus præbent præter mammam, donec annum ætatis expleverint; nutrices deinde quod ipsæ edunt, in infantium os ingerunt, sed prius præmansum, præsertim autem nuces cum pane; pultis enim nullus est usus, sed potius boni alicujus jusculi, aut panatæ ut appellant. Expleto anno, cùm mandere incipiunt Turcarum infantes, dantur illis cibi quilibet; imo ne cepas quidem illis edendas præbere formidant, priùs tamen cum pane vel carnibus præmansas. Cubilis etiam infantium non admodum magnam habent curam: quandoquidem apud ipsos plumarum nullus sit usus. Ea consuetudo per omnes Turcici Imperii provincias inolevit, cùm inter opulentos, tum inter tenuioris fortunæ homines: nec adeò delicatè suos liberos tractare solent, quemadmodum Europæi Christiani.

Armenii, & plures aliæ nationes Christianæ sub Turcico dominio viventes.

CAP. XII.

TVRCIS ex Scythia egressis, & vicinas regiones occupare incipientibus, Armeni tunc Christiani licet omnium primi subjugati; in fide tamen Christianâ constantes semper permansere, & per universum Turcicum Imperium nunc etiam hoc nomen retinent: si enim Armenum appellant, Christianum intelligunt; at si Mahumetanam religionem amplectitur, eam appellationem amittit. Pagos & oppida etiam supra Armeniam inhabitant, ut per Asamiam & Adiabenem; Persarum enim Rex in provinciis sibi subjectis illos admittit: nam pacifici sunt & humani, egeni magnâ ex parte agricolæ, diligentes hortulani, bonique vinearum cultores. Illorum sacerdotes conjugati sunt, perinde atque Græci, & cum calice celebrant Missam, Latinorum more, similiaque habent ornamenta, & parvas consecrant oblatas, non integrum panem ut Græci: omnes qui Missam audiunt, sacerdoti respondent Armeniacâ linguâ. Christianæ religionis omnibus cultoribus per universum Turcæ dominium propria habere templa conceditur. Neminem enim ad suam religionem amplectendam adigunt Turcæ; sed omnibus in propria religione licet vivere. Ea ratione sui Imperii potentiam conservat: subjugata enim aliqua provincia, satis illi est ut indigenæ ejus Imperium agnoscant, & tributum pendant; de animarum curâ non est solicitus. Quapropter sæpe multos pagos in Thracia vidimus, quorum incolæ vel soli Bulgari essent, vel Valachi, vel Serviani, vel Bosnenses, vel Epirotæ, vel Dalmatæ, vel Illyrici, omnesque Christianam religionem amplectentes: nam devictâ aliquâ provinciâ, Turca rusticos è pagis tollit, eosque tanquam colonias ad loca circa Constantinopolim deserta vel alia colenda transfert. Secundum Ponti Euxini littora interdum per pagos vagantes, unico die quinque aut sex Christianæ religionis diversa idiomata audivimus, pro pagorum varietate. Sæpenumero Armenorum qui in Turcicis oppidis habitant sacra adiimus, eaque animadvertimus Latinorum ritibus magis accedere quàm reliquarum nationum Christianarum. Atque licet diversarum nationum Christiani in eodem oppido aut pago habitent; si tamen Armenus aliquis moritur, soli Armeni funus comitantur; si Græcus, Græci. Alia enim natio alteram ad funus prosequendum non invitat, neque alia alterius negocia curat. Hinc fit ut sæpe quinque aut sex cœmiteria in Turcico aliquo oppido conspiciantur, pro variarum nationum quæ illud inhabitant ratione, facilè id permittentibus Turcis. Armenorum sacerdote Evangelium legente, qui intersunt, dextra & sinistra inter se oscula libare solent, in testimonium mutuò sibi datæ veniæ, omnesque intelligunt quod sacerdos ipsis prælegit: nam Armeniaca lingua veterem elegantiam ferè retinet. Turcæ suos liberos in Arabica lingua diligenter institui curant: quod ut commodiùs fieri queat, porticus fabricari curarunt, quo liberos ablegant, ut legere & scribere discant, atque Arabicam Grammaticam edoceantur: (Puellas verò, docent mulieres:) nec adeò vilis pagus est qui porticum aliquam non habeat, vel saltem compluvium, sub quod conveniat omnes ejus pagi pueri masculi. Legendo humi sedent, consuetudine pueris admodum commoda; nam hac ratione quiescunt. Lectionem autem recitantes, universum corpus modò in anteriorem, modò in posteriorem partem quatiunt, ob accentuum & pronunciationis (ut opinamur) difficultatem.

Judæi per Turcicum dominium habitantes.

CAP. XIII.

PROFVGI ex Hispania & Lusitania Iudæi, Iudaïsmum in Turcico dominio adeò auxerunt, ut omnis ferè generis libros in Hebræam linguam traduxerint, & Constantinopoli typographiam sine accentibus instituerint. Libros etiam Hispanica, Italica, Germanica, Latina & Græca lingua excudunt: Turcica autem vel Arabica, minimè, quoniam non licet. Qui per Turcicum Dominium sparsi sunt, quatuor vel quinque callent ut plurimum linguas, & eorum plerique denas vel duodenas. Qui ex Hispaniis, Germania, Hungaria & Bohemia discesserunt, vernaculam earum nationum linguam liberos suos docuerunt; illi deinceps earum nationum linguam didicerunt cum quibus negotiantur, uti Græcam, Slavonicam, Turcicam, Arabicam, Armeniacam & Italicam. Pauci Gallicam norunt, cum Gallis enim non negotiantur. Ab omni porrò antiquitate fuerunt

Iudæi

Iudæi magni negotiatores, & varias calluerunt linguas; quod cùm ex Historiis, tùm ex sacra scriptura probari potest. Nam cùm Iudæi undique confluxissent Hierosolymam, ut interessent festo Pentecostes; Domini nostri Iesu Christi Apostoli, qui Galilæa nunquam egressi erant, neque aliam linguam noverant quàm vernaculam ejus regionis, eo tamen die singuli loquebantur omnibus linguis; quod maximè admirati sunt Iudæi præsentes, qui ex Parthia & Media advenerant, Elamitæ, Mesopotamiæ & Iudææ incolæ, Cappadoces, Ponti & Asiæ, Pisidiæ, Pamphyliæ, Ægypti, Lybiæ accolæ, Romani, proselyti plerique, hoc est, qui sponte Iudaismum amplexi erant, præterea Cretenses & Arabes: eamque ob causam sese mutuò interrogabant: Nónne hi omnes Galilæi sunt? & tamen singuli audimus eos loquentes lingua in qua nati sumus. Hæc autem descripta sunt in Actis Apostolorum: ex quibus probare volumus, ab omni antiquitate per universum orbem negotiari solitos. Turcarum simplicitas admodum corrupta est Iudæorum commercio: quemadmodum Galli nonnihil immutati sunt exterarum nationum commercio; ad minimum, ipsorum ingenia torpentia, excitatiora sunt reddita. Vbicunque tandem Iudæi vivant, reliquas nationes versutiâ superant. Omnem Turcicam negotiationem ita amplexi sunt, ut tota Turcici Imperatoris opulentia, ejusque universus census in eorum sit potestate. Nam majore precio redimunt quæsturam census provinciarum, teloniaque & navium excensum, aliaque Turcici imperii vectigalia. Eam ob causam sedulò eorum linguam ediscunt cum quibus negotiantur. Eâ astutiâ utuntur, ut in Italiam negotiationis causa profecturi, capitis operimentum colore albo inducant, ut Turcæ esse existimentur; nam Turcarum fidei plus tribuitur quàm Iudæorum: alioqui Iudæi peregrinantes, operimentum illud capitis flavum gestare solent; Armeni, Græci, Maronitæ, Indi, Cophthi, & reliquæ nationes quæ Christianam religionem amplectuntur, cærulo-purpurei coloris gestant illud diadema, vel versicolor; soli enim Turcæ album ferunt. Quoniam autem Iudæorum operâ uti sæpenumero coacti fuimus, atque cum illis versari; facilè deprehendimus, astutiâ & malitiâ reliquas nationes superare. Non vescuntur carnibus, à Turca, Græcóve, aut Latino sive Franco, ut vocant, apparatis: nihil pingue edunt; neque quod Christianorum aut Turcarum sit, sed nec vinum à Christiano vel Turca redemptum bibunt. Tot controversiæ & schismata inter illos sunt, ut plurimi contraria ab aliis sentiant. Nonnulli Christiana mancipia possident, mares & feminas, quorum operâ variis in rebus utuntur die Sabbathi; veluti in Constantinopolitana typographia, aut exercenda mercatura: feminis etiam abutuntur tanquam Iudæis. Hæc alii reprehendunt, & in Legem peccari asserunt, negantes Iudæo licere mancipio feminei sexus Christiano abuti, quòd mulier Christiana sit; neque mares ad labores die Sabbathi adigere, quoniam ipsius opera peragantur. At illi prohibitum non esse respondent, quandoquidem res sint sua pecunia redemptæ. Recenti adhuc memoria Iudæo cuidam, medico filii Turcarum Imperatoris Iconii habitantis, mancipia fuerunt binæ Hispanicæ puellæ eleganti forma præditæ, & Italicam linguam callentes, quibus abutebatur; & licet ex iis proles sustulisset, vendere tamen voluit: ipsásque intelleximus mœrore animi admodum adfectas, quòd in Turcarum potestatem venturæ essent. Cùm enim Turcæ puella aliqua suo ære redempta abusi fuerint, tametsi ex ea proles susceperint, illam quam maximo possunt precio denuò vendunt, ut aliam ea pecunia redimere queant. Hinc fit ut interdum mulier aliqua vicies aut tricies publicè venundetur, viri nonnumquam quadragies, modò Iudæis, modò Turcis. Qui magis scrupulosi sunt Iudæi, aiunt sibi prohibitum ne cum exteris mulieribus commisceantur; mancipio verò eorum religionem profitente, pro arbitrio abuti posse. Qui per Ægyptum, Syriam, Asiamque minorem, & universum Turcicum dominium medicam artem profitentur, magna ex parte Iudæi sunt, licet etiam nonnulli Turcæ reperiantur, Iudæis plerumque doctiores, & sic satis in praxi industrii: in reliquis autem rebus quæ in absoluto medico requiruntur, non admodum versati. Facile est Iudæis medicam artem callere, ob librorum Græcorum, Arabum & Hebræorum commoditatem, qui in ipsorum vulgarem linguam conversi sunt, uti Hippocratis, Galeni, Avicennæ, Almansoris sive Rhasis, Serapionis, & aliorum Arabum auctorum. Turcæ etiam Aristotelis & Platonis opera in Arabicam & Turcicam linguam conversa habent. Aromatarii, quos Materialistas vulgo appellant, Turcici dominii urbes incolentes, magna ex parte Iudæi sunt: Turcæ autem in Aromatum cognitione peritiores, pluraque simplicia medicamenta in suis officinis venalia habent quàm nos in Europa: imo ausim dicere, primarium Aromatarium Venetum tabernam varietate aromatum & medicamentorum adeò instructam non habere, ut Aromatarius aliquis Turcicus: de numero & varietate dico, non de quantitate. Præscripto aliquo medicamento, illud statim Aromatario mittit Medicus (nulli enim apud eos sunt Pharmacopœi) & medicamenta simplicia ab illo præsente pecunia redimit, more apud eam

gentem

gentem usitato, quæ nihil nisi præsente pecuniâ vendit, nec magis istic vicino creditur quàm cuivis extero: unde fit, ut nullis istic rationum libris opus sit, neque syngraphis.

Negotiationes & fora Turcici Dominij.

CAPUT XIIII.

NIHIL nisi quod ad suam artem attinet, suscipiunt veri Mercatores apud Turcas, hoc est, qui vero & antiquo Turcarum & Græcorum more negotiantur: Iudæi verò Hispaniis pulsi, atque Christiani apostatæ Constantinopoli tabernas instruxerunt, in quibus omnis generis merces venales habent Latino more: hinc fit, ut non minus imponant emptoribus quàm in Europa, ubi vix videas pagum in quo non sit hujuscemodi aliqua taberna, quæ fortè decem aut duodecim mercium genera habebit, eaque vel vitiata, vel vetustate corrupta. Turcæ longævi sunt; quia minimè delicatuli, & sine discrimine alliis & cepis vescuntur, nec vinum bibunt nisi quàm rarissimè. Cùm autem grassante peste, non sibi consulant, nec à contagio sibi metuant, sæpe ab ea tolluntur. Omnia aulæa detonsa quæ ex Turcico imperio ad exteros devehuntur, inter Iconium Ciliciæ & Carachara Paphlagoniæ solummodò fiunt. Selectiores autem panni undulati, ex pilis caprarum contexti, ut diximus, Ancyræ Cappadociæ metropoli: sed & tapetes è caprarum pilis constant: qui verò apud Memphim venduntur, minus elegantes sunt; ex lineo enim panno versicolore facti sunt. In Adana fiunt peristromata, levia admodum & mollia, ad substernendum cubituris. Forum habent Turcæ per singula oppida & pagos, certo aliquo die singulis hebdomadibus, ut in Europa, quo rustici conveniunt, ad vendendum suas merces: alii ligna convehentes, alii ova, butyrum, caseum, sericea & linea stamina, aliáque similia. Iudææ mulieres, quibus aperta facie in publicum prodire licet, per hæc fora frequentes conspiciuntur, ut sua opera acu picta vendant. Quoniam porrò Turcicis mulieribus Mahumetica lege prohibitum, ne in publicum vendendi aut emendi causa egrediantur, Iudaicis mulieribus sua opera vendenda tradunt. Lex tamen non adeò rigidè observatur, quin interdum Turcicæ mulieres etiam sua vendentes conspiciantur, sed velo supra faciem inducto, per quod prospicere queant, &, loqui volentes, illud attollere, perinde atque bucculam in galea. Venalia autem plerumque habent mantilia, strophiola, caliendra, cingula alba, pulvinorum integumenta, aliaque majoris precii opera, ut conopea, cortinas varii generis, quæ à Iudæis redimuntur, ut exteris deinde vendant. Turcæ delectantur lineo panno albo, & acu egregiè picto, nulli sumptui parcentes ut eum adquirant: Interdum venduntur duo exigua strophiola acu picta viginti aspris, quæ in Gallia vix sex assibus sive tribus batziis æstimarentur. Varia opera in tela à Turcicis mulieribus acu pinguntur; vulgatissimum autem est, ut opus quod conficere cupiunt, picturâ primùm in tela designent, quam deinde inter bina fila sequentes, & subtili admodum acu bombycina stamina diversorum colorum ducentes, ut opus ipsam picturam planè referat, efficiunt. Ea ratio pingendi acu apud nos usitata non est. Et vix apud nos credi possit, quantum apud Turcas hujusmodi opera æstimentur, quantaque eorum sit quantitas. Cùm autem mulieres ut plurimum conclusæ maneant, neque rem familiarem administrent; ne planè sint otiosæ, tempus in istis operibus conficiendis terunt, præsertim cùm linea pensa trahere rarissimè soleant.

Admiratione res maximè digna in Turcis, qui Opio vescuntur ut in bello sint animosiores.

CAP. XV.

OBSERVATIONE maximè digna est conficiendi apud Turcas Opii ratio, præsertim in Achara, Carachara, Spartada, Emetelinda, aliisque oppidis Paphlagoniæ, Cappadociæ, & Ciliciæ. Agros papavere albo conserunt, ut nos tritico: sed ea consideratione, ne singuli rustici plus serant, quàm familiam habeant ad id colligendum sufficientem. Colligunt autem eâdem, quam Auctores tradiderunt, ratione. Papaveris capita jam formata, leviter inciduntur; atque ex vulnere emanantes lacteæ guttæ, parumper inspissari sinuntur. Sunt qui denas libras colligant, alii sex, alii plures vel pauciores, pro operarum quas in colligendo adhibuerint diligentiâ: nam hoc negotium in latifundii satione non versatur, sed in legentium numero & diligentiâ. Nisi hujus Opii tantus apud Turcas

Turcas esset usus, nostra opinione commercium ejus periisset, quemadmodum multarum aliarum rerum quæ amplius non cognoscuntur. Ceterùm nemo est Turcarum qui illud non emat; etiamsi asprum solum haberet, ejus dimidium in Opium impendet, quod pace & bello semper circumferet. Asiæ minoris Iudæus mercator nobis asseruit, singulis annis quinquaginta camelos Opio oneratos educi ex Paphlagonia, Cappadocia, Galatia, & Cilicia, qui in Persiam, Indiam, Europam, aliasq. exteras regiones, & per universum Turcicum imperium illud importent. Cui difficulter fidem adhibuissemus, nisi sigillatim nobis enarrasset quantum colligeretur in singulis vicis Paphlagoniæ, Cappadociæ, Armeniæ minoris, & Gallogræciæ; addebatque, majore adhuc apud Persas in usu esse quàm apud Turcas. Periculum autem facere volentes, quantum quis Opii devorare posset sine noxa, Ianissarum nobis familiarem, & singulis diebus Opio vesci solitum, ejus drachmæ semissem in nostra præsentia devorasse animadvertimus: postridie illum apud negotiatoris tabernam reperientes, illi integram drachmam dari curavimus, quam unico bolo devoravit, nec quidquam incommodi inde sensit, præterquam quòd temulentus quodammodo videretur. Hæc Opii manducandi consuetudo jamdudum apud Turcas invaluit: illius etenim esu animosiores sese fieri, neque belli pericula formidare existimant. Cùm Turcarum Imperator, bellum gesturus, militum delectum facit, tota provincia Opio ferè spoliatur. Vulgare apud eos est, sibi mutuò obiicere, Tu edisti Opium; quemadmodum si quis apud alias nationes alteri obiiciat, ipsum temulentum esse. Diu usi sumus contubernio Armeni cujusdam Christiani, Opium coram nobis sæpiùs devorantis: sed & nos eo degustato, nullam aliam noxam deprehendimus, nisi quod pectus nobis excalfaceret, cerebrum nonnihil perturbaret, somniaque turbulenta induceret. Si Papaver in Europa, videlicet Gallia, Germania, vel Italia coleretur; arbitror Opium perinde colligi posse atque in Asia, modò necessaria cura in eo legendo adhiberetur. Nam Asia minor non minus frigida est ipsa Gallia. Fieri potest, ut quod ad nos adfertur, adulterinum sit: solent enim mercatores illius quantitatem augere antè quàm per provincias distribuatur. Quoniam porrò observavimus quibus notis ejus delectus faciendus sit, eas subiicere voluimus. Optimum est amarum, gustu calido, fauces incendens, flavescens leoninorum pilorum modo, in massam veluti ex granulis diversi coloris coactum; legendo enim Opium, ea grana in Papaveris capitibus collecta cohærent, & in placentulam quodammodo coëunt; odor virosus & gravis: & licet in refrigerantium ordine reponatur, fauces tamen incendit. Iam in placentulas cogitur Opium in ipsa Asia minore, quatuor uncias vel selibram non pendentes: at mercatores quæstus gratia illud multiplicant; sic ut massæ ex Venetis officinis delatæ, libram quasi pendant.

Quibus signis soleant Turcæ suas amicas solicitare; & Turcicarum mulierum ornatus.

CAPVT XVI.

Vt difficulter admodum conspici queunt puellæ & mulieres Turcicæ; longè difficiliùs compellari possunt: eam ob causam sui in aliquam mulierem amoris indicium præbere volentes, ut vel è longinquo eam videre possint, operam adhibent: nam in summis ædibus complanatis plerumque versari solent. Turca igitur observatâ eâ quam deperit, caput attollit, manuque gutturi admotâ, cutim prehendens, illam nonnihil vellit, hoc indicio significare volens, se ejus mancipium esse, & extremâ servitute obnoxium (in ea enim regione nemo se magis abiicere potest, quàm si cujuspiam mancipium esse profiteatur.) Si mulier constiterit, vel suam manum deosculata fuerit, bonam de suo amore spem concipit. Quibusdam autem locis difficulter admodum possunt conspici mulieres retecta facie: earum enim mariti fenestrarum usum illis adimunt, nisi sint cancellatæ: & consuetudo apud eos invaluit, ut & puellæ & feminæ vetulæ sive juuenes, perpetuò sint inclusæ, nec in publicum prodeant, nisi vel pro defunctis oratum ituræ, vel balnea accessuræ (quod sæpiùs in hebdomade accidit) sed multis aliis mulieribus comitibus. Cùm verò dicat Mahumetes, mulieres paradisum non ingressuras, templa etiam non accedunt, prohibente id Mahumete, causamque addente quòd non sint circuncisæ ut viri. Plerique verò opinati sunt, mulieribus peculiarem locum in templis esse datum: asserere autem audemus, rem ita se non habere; diligenter enim inquirentes, ab omnibus intelleximus, templa ingredi illis non licere. Ceterùm cùm in universo Turcico dominio, tum in Arabia brachas gestant longas & laxas, nauticis similes, ad calceos usque defluentes: comperimus autem ejus conduplicationis rationem & consuetudinem (quam multi admirarentur si

eam proferremus) inde procedere: de qua tamen plura ne verbis quidem tectis dicere volumus, cùm res sit nimium curiosæ observationis: itaque non sine causa vulgatum illud in usu est, totidem consuetudines quot regiones. Pedes nudos calceis vel cothurnis inserunt, & in cruribus supra talos monile aut armillam plerumque gestare solent, ad singularem ornatum. Paucæ in Cairo reperientur quæ brachia & suras pictas non habeant, panni Damasceni modo: dum enim in balneis versantur, cutem secundum picturam inductam sibi perstringi curant; nigerque color cutim penetrans inhæret, sic ut variæ formæ ipsarum brachiis & aliis corporis partibus impressæ conspiciantur: at ea consuetudo nondum ad Asiaticas feminas transiit. Quia Mahumetis lex vetat ne apertâ facie in publicum prodeant, velum à fronte ante faciem propendens semper gestant, collumque & manus contegunt: cothurnos autem oblongos induunt in calce ferratos, ut ex hac pictura conspicere licet.

Turcicæ Asiaticæ mulieris effigies.



Turcarum talares tunicæ collari & manicis carent, vel perbreves eæ sunt, & supra cubitum resectæ: quæ etiam mulieribus convenire possunt: hæ Babyloniâ acu consui magnâ ex parte solent, præsertim sericeæ: sed antequam consuantur, sulcum ferro candente primùm designant, qui nunquam tollitur, sed semper permanet uti plicæ in undulata. Undulatum autem sive bombycinum pannum nunquam usurpant, nisi prius sublatis plicis; quod facilè fieri potest: nam quemadmodum undulatus sulcos plicasque calore accipit, ita etiam calore tolli possunt. Mahumetana lex vult ut simplices sint mulierum vestes: attamen cùm in publicum prodeunt balnea accessuræ, sive sponsam comitaturæ, omnes quidem lineas raræ texturæ vestes supra alias gestant, sed ut infernæ (quæ plerumque sericeæ & preciosæ sunt) appareant, albas attollere solent. manicæ vestium sunt valdè angustæ, & adeò longæ ut manus tegere possint: nam lex prohibet manus aliásve corporis partes nudas apparere in publico. Mulierum, & virorum caligæ pedibus carent; nam utrique, pedes, manus, brachiaque ad cubitum usque, & collum abluere solent. Quando egerere volunt, fictile aquâ plenum deferunt, ut anteriora & posteriora abluant, etiam sævissimo gelu: ad ejusmodi consuetudinem à pueris assuefiunt tam mares quàm feminæ, eamque toto vitæ cursu observant: Mahumetes enim illis in ea re chartæ alteriúsve rei in qua Dei nomen inscribi possit, usum prohibuit. Secessus autem locum in angustum & longum in terra fodiunt, ubi inclinati, facilè manu sese abluere possunt. A Mahumete enim sancitum est, istâ frequenti ablutione peccata expurgari. Inde factum ut alveos aqua plenos, in singulis compitis collocent, & tabulato aliquo sepiant, quo viri seorsim, mulieres item seorsim ingressæ sese lavare queant: at in ædibus, secessus utrisque sunt communes.

Turcas, plures habere uxores quæ sine rixa & zelotypia etiam cum concubinis & servis feminis vivunt.

CAPUT XVII.

NATURA sunt Turcæ avari & pecuniarum avidi; primariæ idcirco eorum opes in numerata pecunia consistunt. Nulla est istic adquirendi ratio; eam ob causam nulla lis intenditur: nam cùm aliquid venditur aut emitur, id fit præsente pecunia. Viri œconomiam curant, nullam administrationem mulieribus relinquentes. Nullam aliam curam ipsæ habent præterquam liberorum, & ut quietè inter se vivant: contrariâ planè quàm Latinorum ratione, quorum feminæ non modò rerum curam gerunt, sed & in corpora imperium exercere volunt, imò plerumque exercent. At apud Turcas longè alia est ratio: nam quispiam tres vel quatuor uxores habens, & sex vel octo pluresve servas; omnes sibi obsequentes retinet, & inter se adeò pacificas, ut nullum invidiæ inter uxores & servas metum concipiat. Ratio hæc est: quia tametsi liceat eodem tempore quaternas uxores ducere, omnes tamen æqualem potestatem habent; nam illæ & servæ præsente ipsius pecuniâ sunt redemptæ: consuetudo enim apud illos invaluit, ut si quis eleganti forma præditam habeat filiam, sibi præsentem pecuniam repositam esse existimet, quandoquidem filiæ nullam dotem maritis, neque quidquam paternæ supellectilis adferunt: sed qui illas uxores sibi expetunt, magnam pecuniæ summam patri numerare, illasque etiam vestibus ornare debent: nam pater illas licitatur, & majorem summam offerenti tradit, nullâ solicitudine anxius, etiam si ipsas nunquam in posterum conspiciat. Ea de causa cognatio-

cognationis vinculum apud Turcas non adeò latè propagatur quemadmodum in Europa: imò ne cognomen quidem ullum habent Turcæ, quod familiæ antiquitatem resipiat, nec ipse Turcarum Imperator, nisi Ottomannorum: rustici autem nullâ dictione majorum nomina exprimere possunt, ob uxorum frequentem mutationem. Apud Turcas, ex serva natus non minus decoris sibi adscribet, quàm si ex legitima uxore natus foret, nec ignominiam ducet sese servæ filium profiteri, quoniam serva non censetur adultera. Servæ enim in omnibus domini obsequuntur imperio. Hinc fit ut illorum liberi exiguo amore erga parentes afficiantur, nec frater sororem magis diligat quàm aliam quamlibet. Si quispiam Satrapæ alicujus filiam in uxorem ducat, aliamque præterea vilis alicujus opificis filiam, æquales & comites deinde erunt, & unanimiter vivent; quia cùm ita simul inclusæ sint, æquali omnes sunt auctoritate, neq. quidquam agent nisi ex mariti mandato. Non est enim moris apud Turcas dicere, Domina hoc præcepit, vel istud in hunc modum fieri vult, neque è cingulo dependentes habent multas claves, ut bonæ œconomæ opinionem adquirant, imò nullas gestant prorsus, neque horæ quadrantem impendunt in universæ rei domesticæ curam: quandoquidem satis est cuilibet Turcæ tapetem humi expansum habere in quo sedeat, & pulvinaria quædam quibus innitatur (nullum enim scabellorum, sellarúmve aut scamnorum usum habent, neque fulcri sive spondæ magna ex parte) vespere autem culcitræ humi stratæ incumbentes, noctem transfigunt, quam postridie surgentes complicant, atque in assere aliquo reponunt, vel è pertica suspendunt. Pauci apud eos toralibus, sive lecticariis sindonibus utuntur; quoniam viri, & feminæ lineas brachas nauticis similes noctu permutant, atque in iis dormiunt. Servi apud illos in extergenda supellectile non admodum sunt occupati: sufficit enim unicum fictile pro omni ciborum apparatu, & unica lanx pro omnibus offis: nec vitrorum extersione egent, cùm omnes ex coriaceo poculo sive ligneo bibant. Viri suas tiaras mundas & niveas habere gaudent, quas ipsimet in balneis cum brachis & interula eluunt, aut balneorum servis eluendas tradunt. Turcæ, viri fortitudinem vel strenuitatem nostro more non æstimant. Nam in Europa, qui omni momento digladiari vult, qui oculos torquere novit, jurator, biliosus, cicatricibus insignitus, quique alterum mendacii arguerit, pro strenuo & probo viro habetur. At Turcæ pacis tempore modesti sunt, arma domi relinquentes, ut inter se pacificè vivant, neque acinaces gestant per urbem obambulaturi: at in bellum profecturi armis uti norunt, & suam fortitudinem erga hostes demonstrant: neque facilè audies ipsos inter se decertasse: neque si quis sodalem ferierit, propterea strenuus æstimabitur. Tritum apud illos est, eos qui delinquunt, fustibus cædere: vera profectò ratio domandi superbos, & puniendi quos occidere nolimus: attamen cùm cupiunt, noxios magis severâ ratione punire etiam norunt.

Turcarum Imperatorem quinquies centena hominum millia facilius in aciem producere, & ducentarum triremium classem parare posse, quàm alium Principem centena millia.

CAP. XVIII.

FINGAMUS Regem exercitum coëgisse è centenis millibus rusticorum, quem in bellum procul ablegare velit, aut classem ducentarum triremium totidemque navium comparasse: an non credibile est illos faciliùs labores toleraturos, quàm si ex totidem nobilibus conflatus foret exercitus? atque frigora, æstum, famem, aliaque accidentia minùs eis nocitura quàm delicatioribus? animi fortitudine exceptâ, facilè id mihi concessum iri scio. Quis verò credat Turcarum Imperatorem, bellum gesturum, tam ingentem exercitum ducere posse, sexies centenorum, ut aiunt, millium hominum? Multi admirantur: nam tam ingentem numerum pronunciari audientes, fieri non posse arbitrantur; cùm ob difficultates, quas in tanto exercitu accidere necesse est, tum quòd Rex, vel Imperator maximâ difficultate exercitum quinquaginta millium alere queat. Quod tamen de Turca retuli, non adeò difficile videbitur nostram vivendi rationem cum Turcicâ comparanti: Nam illorum consuetudo pacis tempore observata, docebit tantum hominum cœtum etiam in bello posse vivere, atque tam facile esse Turcico Imperatori decies centena hominum millia in bellum ducere, quàm Christiano alicui Principi quinquaginta millia. Ut breviter dicam, illorum vivendi ratio pacis tempore adeò rigida est, ut nobis grave bellum sit appariturа. At illos, qui à teneris huic vitæ assuefacti sunt, non magis afficit, quàm nos in delitiis viventes, nostra. Qui supra plumeos lectos decumbere, singulis

diebus ſorbitiunculam calidam ſumere, ſelectiuſque vinum bibere conſueverunt, ſtatim animum deſponderent, ſi à ſolita vivendi ratione abſtraherentur, atque maximo tædio afficerentur, ſi ſuas poſſeſſiones ſemel in anno non perluſtrarent, vel triennio aut quadriennio à ſuis parentibus abeſſent, aut de ipſis nihil intelligerent. Sed hæc omnia Turcæ non curant: quoniam auſteriùs adhuc domi vivunt quàm in bello. Peregrino milite non utitur Turca, ſed his ſolummodò quos pacis tempore ſuo ſtipendio alit: omnes itaque dicto obedientes cùm ſint, belli labores & moleſtias patienter ferunt, etiam magis quàm legionarii milites Romani ſolebant. Turcarum Imperator, contrario Principum Chriſtianorum more, ingentem quæſtum facit belli tempore: nam annonam ipſe vendit. Turcicus miles ſibi equum comparare non verebitur quinquaginta ducatis, etiam ſi nullum aliud peculium haberet: nam illum donec ipſe vivet ſibi inſervire poſſe exiſtimat: cum etiam equos viginti & viginti quinque annis conſervare ſoleant: licet ipſi & eorum equi, pace & bello, humi nullo ſubſtrato ſtramine jacere ſoleant: equi autem neque è præſepio, neque ex fœnili unquam edant. Turcicorum militum opes nec fundi ſunt nec ædes, ſed ſolæ pecuniæ: nam ſi fundum aliquem emerent, ab eorum morte, Turcarum Imperatori cederet: qua de cauſa raro etiam ædificant. Quocunque proficiſcuntur, eandem æneam ollam & ſcutellam circumferunt qua pacis tempore utebantur, eademque ratione omnis reliqua ſupellex & domi & foris uſui illis eſt: relictarum rerum nullo mœrore afficiuntur, quandoquidem omnia circumferunt, uti & igniarium. Potus, aqua eſt: cibus, allia & cepæ. Quid ergo deterius in bello illis accidere queat quàm domi? In ſumma, ſua ruſticitate tantum nos in bello ſuperant, quantum ipſi deliciis & nobilitate à nobis in pace ſuperantur. Quoniam autem natura illis largita eſt ut à teneris in campeſtribus viverent, propter eam conſuetudinem peritiores ſunt in erigendis ſuis tentoriis ſub quibus habitent; cùm verò illa ex tela goſſipina levi admodum & molli confecta ſint, longè commodiora ſunt noſtris ex lineo vel cannabino panno paratis: funes etiam ex xylo confecti, molliores, leviores, tractabilioreſque ſunt noſtrorum tentoriorum funibus, qui madidi ita rigent & contorquentur, ut vix explicari queant. Tametſi Turcarum caſtella pleraque ſint in regionibus procul ab hoſte diſſitis, & ubi nulla belli ſuſpicio oriri poteſt; præſidiarios tamen habent milites, excubias agentes, perinde atque in aperto bello. Exaudiebamus illos ſingulis diebus diluculo & crepuſculo noctis tympana ſua complodentes, mirumque concentum, tibiarum modulatione adhibitâ, exprimentes. Tympanorum autem duo apud illos ſunt genera: unum minus, quod in equo geſtari poteſt, ab uno duntaxat latere clauſum: aliud majus, membranis utrinque clauſum, quod è collo ſuſpenſum geſtare non ſolent, neque brevibus bacillis noſtro more complodunt, ſed humi ſiſtunt, & utrumque latus pulſant, dextra baculum incurvum & ſimum tenentes, quo tympani dextrum latus verberant; ſiniſtra autem virgulam tenuem, qua alteram tympani partem ſæpiuſculè feriunt: geminum tympanum quod aheneum eſt, quodque in equo geſtatur, inæquale eſt; alterum enim altero ſemper minus; & tympaniſtes illa complodere volens, incurvare ſe debet, vel ea editiore loco reponere. Nocturnæ excubiæ campanulæ ſonitu non excitantur noſtro more: ſed alto * clamore ſibi invicem reſpondent, quod jam antè Rhodi obſervaveramus. Tibiarum cōcentum cum tympani ſonitu conjungere edocti ſunt ab Arabibus Turcæ: concentum ſanè bello & pace admodum commodum. Nullus eſt Sangiacus, qui ejuſcemodi tibicines & tympaniſtas alere non cogatur, præſertim ubi arces ſunt præſidiariæ. Breves ſunt ejuſmodi tibiæ, & infimâ parte latæ, clangorem edentes admodum altum: in equo geſtari poſſunt, & cum utriuſque tympani ſono accommodari.

**Similem conſuetudinem in nocturnis excubiis agendis obſervant etiam Pannones, ut alta voce ſibi mutuo accinant, & ad vigilandum hortentur, ſubinde hæc verba repetentes,* Szolay Szolay virrazto Szolay. *hoc eſt, Vigila vigila vigil, vigila. Præfectus autem vigilum quem Vigyazo appellant, ſi excubiæ ſomno interdum victæ acclamationem intermittunt, admonere iiſdem verbis ſolet* Szolay virrazto. *Cùm verò ſub auroram ab excubiis ſe recipiunt, accinere ſolent,* Haynal-vagyon ſzep pyros, haynal haynal-vagyon; *hoc eſt, erumpit iam elegans rubens (ſcilicet dies) erumpit iam: deinde addunt:* mayd meg virrad, haynal-vagyon ſzep pyros haynal. *id eſt, brevi lux erit, erumpit iam elegans rubénſque, erumpit.*

Securicula Turcis familiaris ad varias res pacis & belli tempore admodum commoda.

CAP. XIX.

TURCICIS militibus familiare eſt ſecuriculam cingulo appenſam ſemper geſtare; ſed etiam alii tam opulenti quàm tenuioris fortunæ Turcæ, pacis & belli tempore, hujuſmodi ſecures * habent, duabus in rebus illis utiles, nam alterâ parte quæ aciem

aciem habet, ligna secare possunt; alterâ quæ in malleum formata, tentoriorum palos in terram defigere. Quia autem elegans est ejus forma, hoc loco describere voluimus. Talium porrò securicularum fabri, massam ferri, libram cum semisse fortè pendentem per medium perforant crasso quodam stylo ferreo: altera securis pars mallei instar facta est, altera ad cædendum aciem habet. Styli autem variant: nam rotundo orbicularia fiunt foramina, quadrangulo quadrata: securim autem perforantes, foraminis oras paululum tumentes relinquunt, ut pyxidis modo manubrium, quod per patentius foramen immittitur, amplecti possit. Multæ sunt Tornatorum Constantinopoli tabernæ, qui nihil aliud quàm securicularum manubria ex lignis Constantinopolim importatis conficiunt: naves enim ex Ponto advenientes, sæpe onustæ sunt aceris montani, quod Asphendannos vocant, ligno ejusmodi manubriis conficiendis dedicato, atque etiam corno, quæ duritie reliqua ligna superat. Interdum etiam ex Mengrelia Constantinopolim advehuntur naves taxo onustæ albi & rutili coloris: cùm autem Turcæ ligneis arcubus non utantur, manubria hujusmodi ex eo ligno (alba sive exteriore parte relicta) conficiunt. Tornatores autem apud Turcas sedendo suum opificium non exercent, neque propendentem perticam habent, quæ lignum verset: sed sinistra manu oblongum arculum tenentes, lignum versant, manuque dextra cælum tenent, cujus infimam partem inter pedis digitos imponentes, in quam necesse est partem ad opus suum conficiendum impellunt.

* *Eiusmodi securiculas, moris est etiam apud Pannones gestare, & è cingulo plerumque suspendere, sed minus graves.*

Turcas plurimas res ex antiquitate retinere.

CAP. XX.

PLURIMA adhuc retinent Turcæ, antiquitatem admodum resipientia: exempli gratia, ustulationem illam quam inconsulto medico usurpare solent. Dolore enim capitis laborantes, vel defluxione in quamvis corporis partem, eam ustulant fomite aliquo aut panno lineo incenso. Iam mille sexcentis annis hæc ustio Græcis cognita, & ustio Arabica vocata, apud eosdem Arabes & Turcas auctoritatem etiam nunc retinens. Eam magnæ esse efficaciæ observavimus: Thessalonicæ enim periculum illius in Iudæa quadam fecimus, illam capitis dolore (quo plus quam per sexennium afflicta fuerat) liberantes eo quo Dioscorides in sciatica uti solebat remedio: adposito videlicet quinquies caprino stercore ardente, in cuniculo illo qui inter pollicis radices est & carpum. Turcæ autem longè aliter ustionem eam faciunt; xylinam enim telam circumvolvunt ad nucis juglandis crassitudinem, & assis Gallici latitudinem (in ejus penuria fomitem sclopetorum sumunt) deinde incensam loco affecto imponunt, *quam ita ustulare sinunt, tam fortiter & constanter ferentes, ut exspectent donec sponte exstinguatur & frigescat; nihil ad ustionem curandam præter pauxillum xyli imponentes: idcirco plerique frontem, tempora, aliasque corporis partes hujusmodi cicatricibus fœdatas habent. Turcæ in omnibus adversis hanc vocem proferre solent, *Alavara*, id est, Deus adjuvabit. Itaque existimantes quæcunque illis eventura sunt, jam prædestinata esse, omnibus periculis majore animo sese obiiciunt, cùm in terrestribus, tum marinis conflictibus.

* *De hac curandi morbos per adustionem ratione, multa præclarè* C. V. *Prosper Alpinus cap.* XII. *Lib.* III. *de Medicina Ægyptiorum; quem consulendum censeo.*

Turcarum monachi.

CAP. XXI.

HOMINUM quoddam genus apud Turcas versatur, Dervis (voce ad Druides, antiquos videlicet Græcos philosophos, Atheniensium colonias, quæ ex Phocæa discedentes Massiliam appulerunt, & ædificarunt, accedente) appellatum. Nudi plerumque obambulant isti Dervis, æstate, & hieme, brachiaque & pectus obliquis & transversis cicatricibus fœdata habent, ex incisuris quas ipsimet suis cultellis corpori inflixerunt, in longitudinem potius quàm in latitudinem ductas, ut musculi minus offendantur: cùm verò nullo adhibito emplastro vulnera consolidentur, cicatrices parvi digiti crassitudine turgentes remanent. Plerosque videre est hujusmodi cicatricibus adeò fœdatos, ut horrorem incutiant. Quo furore prophetico, sive mania agantur, sese ita concidentes & adurentes, ignoramus. At eos desipere arbitramur. Ex eleemosynis à Turcis collatis

duntaxat aluntur. Ea autem de hujuſmodi fatuis inter plebem opinio recens non eſt; nam ipſemet Plato de ſimili hominum genere agens, maniam, furoris eſſe ſpeciem, eámque ab Ecſtaſi provenire pronunciabat, hoc eſt, imaginationes quaſdam divinitus excitari propheticas tanquam vatibus. Illud eſt quod veteres de imaginatione verba facientes, divinitati cuidam tribuunt, quemadmodum & de Sibyllis cenſuerunt. Socrates etiam in ea opinione fuit, cùm dixit, vatum imaginationes divinitus profluere per maniam ſive furorem. Hinc fit ut impoſtores maniam ſimulantes, prophetarum nomen apud Turcas obtinuerint, atque innocentes æſtimentur. Sunt etiam inter illos nonnulli, vafri admodum, magnam pecuniæ vim colligentes, ut Mecham ad Mahumetis ſepulchrum viſendum proficiſcantur: cùm enim inde redierunt, magnificè à Turcis excipiuntur. Signum quo Mahumeti ſe religione obſtrictos declarant, corium eſt vervecinum, humeris impoſitum, cùm reliqua corporis parte (exceptis pudendis) nudi ſint. Plurimi reperiuntur hujuſmodi impoſtores, diverſis Turcici dominii locis, ut Conſtantinopoli, Damaſci, & Cairi, in tuguriolo aliquo abditi, & nudi frumento aut milio ſeſe immergentes & volutantes toto die, puerilia que, ad riſum excitandum, & impoſſibilia effutientes, qualia pueri inter ſe garrire ſolent: prætereuntes autem illis quidpiam quo veſcantur proiicere ſolent.

Nivis & glaciei per totam æſtatem more Turcico conſervandæ ratio.

CAP. XXII.

IN Myſia & Paphlagonia hiemem traducentes, multis locis, nivis & glaciei conſervandæ rationem obſervavimus, quam æſtate venalem exponunt, ad potionem ſuam quam Scherbet nominant, refrigerandam: vinum etenim, quod ipſi Serap appellant, ex conſuetudine non bibunt. Qua de cauſa, quidam quæſtum faciunt duntaxat ex illius potionis dulcis confectione, quam in tabernis quibuſdam ad eam rem exſtructis vendunt. Varia autem ſunt ejus potionis genera: fit enim ex ficubus, prunis, pyris, armeniacis, vuis, vel melle. Torquente igitur peregrinos & inquilinos ſiti in æſtate, illam potionem emi curant, cui, qui venalem habet, nivem vel glaciem admiſcet ad eam infrigidandam: alioqui nulla eſſet in ea bibenda voluptas: decoctio enim æſtate facta, hac ratione refrigeranda eſt; ejuſque, ita refrigeratæ, hauſtus æreo nummo duntaxat conſtat. Duplicem verò ex illius compoſitione quæſtum faciunt: nam fructus ex quibus decoctio parata eſt, non abiiciuntur, ſed ſeparatim venduntur, & ipſa etiam decoctio ſeparatim. Sunt Græci & Armeni in Natolia, quorum ſinguli duodecim camelos fructibus in propriis hortis natis onuſtos Conſtantinopolim, aut in alia oppida à Turcis habitata mittant, ſolummodo ad hujuſmodi potiones conficiendas. Memini & ex Heraclea monti Tauro vicina Conſtantinopolim devehi: fructus enim in illa planicie Tauri radicibus adjacente nati, ſingulares ſunt ad hujuſmodi ſorbitiones parandas. Nivis porrò * conſervandæ apud Turcas hæc eſt ratio. Denſa jam delapſa nive, & firma glacie, flanteq. Borea omnium frigidiſſimo, Turcæ concamerata quædam ædificia in hunc uſum exſtructa, loco meridiei non expoſito, depreſſo videlicet, vel poſt præaltum aliquem murum, aut ponè collem, nive implent, glacie ſubinde admixtâ; quemadmodum ſi quis parietem ex arenato conſtrueret. Per biennium ſine colliquatione conſervari poterit. Certum eſt in Gallia idem fieri poſſe: vidimus enim regiones Galliæ calidiores, in quibus tota æſtate conſervatur. Ceterùm Aſiatici ab omni antiquitate nivem qua æſtate uterentur conſervarunt: ſimilemque uſum apud Romanos etiam fuiſſe receptum, multis Galeni locis probari poteſt; præſertim in præfatione Methodi medendi: ex ea enim liquet nivis uſum fuiſſe ipſius tempore Romæ tam frequentem, quàm nunc fit apud Turcas. Ea de re Plinius, delitias Imperatorum illius temporis accuſans, ſuffragatur Galeno. Suetonius etiam de Nerone agens idem ſcribit. Heu prodigia ventris (inquit Plinius) hi nives, illi glaciem potant, pœnaſque montium in voluptatem gulæ vertunt. Servatur algor æſtibus, excogitaturque, ut alienis menſibus nix algeat. Decoquunt alii aquas: mox & illas hyemant. Et alibi: Neronis principis inventum eſt decoquere aquam, vitroque demiſſam in nives, refrigerare. Ita voluptas frigoris contingit ſine vitiis nivis. Nix qua Turcarum Imperator in clauſtro ſuo Conſtantinopoli utitur, ex Horminio aut Olympo montibus advehitur: nam ſibi perſuadet eam quæ in cryptis circa Conſtantinopolim adſervatur, minus ſalubrem eſſe montanâ; illamque adhuc expetit annotinam: quapropter illius ſervi montem conſcendunt æſtate, magnamq. nivis quantitatem devehunt, iſtic in ſequentem annum, ut Conſtantinopolim invehatur, relinquentes.

Cap. 4. lib. 19

Cap. 3. lib. 31.

Binæ

Binæ liburnicæ ſingulis ſeptimanis tranſvehunt eos qui Pruſam ire cupiunt, præfectis Ianiſſaris nonnullis. Montaneam appellentes, expoſitis vectoribus, nive ex proximo monte ab equis delata liburnicas onerant, & Conſtantinopolim reducunt. Ea nix in Imperatoris clauſtrum deportatur, qua ſuum Sorbet refrigerat. Legati Galliæ, Hiſpaniæ, Venetus, Epidaurenſis ſive Rhaguſinus, Florentinus, Chius, Tranſilvaniæ & Vngariæ, Turcis delicatiores in potu, nivem vino non admiſcent, ſed aqua, in qua nix diſſoluta, refrigerato utuntur; eaque ratione tota æſtate frigidum bibunt, nulla nive ſeu glacie in ventriculum tranſmiſſa: glaciei enim fragmentum pugno non majus & vix aſpro redemptum, cupam aquâ ſemiplenam illicò refrigerabit.

** Nivis & glaciei uſus non modò apud Turcas invaluit, ſed & apud alias pleraſque Europæas nationes. Hiſpani enim frequentiſſimè ea utuntur, non modò per ſummos æſtatis ardores, ſed etiam media hieme. De Nivis adſervatione, uſu, proprietate, peculiarem libellum Hiſpanico ſermone paucos ante annos conſcripſit D. Nicolaus Monardes Hiſpalenſis medicus; quem nos Latinum nunc damus. Apud Vngaros autem, non nivis, ſed glaciei adeò frequens eſt uſus æſtate, ut etiam viliſſimi ruſtici in pagis eam adſervent, in ſubterraneis ſcrobibus, intermixto & ſubſtrato ſtramine, & ſtramineo pyramidali tecto impoſito, loco aliquo à ſole non nimium illuſtrato, qui ſepe circumambiente munitur, ut pecus arceatur. Eius glaciei fragmentum aquæ cupæ impoſitæ qua vinum refrigerandum eſt, inditum, totam illicò frigefacit: inſpergitur etiam glacies comminuta æſtivis fructibus, qui bellariorum loco in menſam inferuntur. Sed & Bohemi in ſuas cereviſiarias cellas glaciem hieme provolvi curant, ut æſtate cereviſiam ne aceſcat, diutiùs conſervare queant.*

Conſuetudo Turcarum ſeſe in altum impellendi.*

CAP. XXIII.

VARIOS exercent Turcæ ludos in feriis ſui Paſchatis, ſed nullum magis ſingularem & admirabilem, quàm ſeſe in altum impellendi: novo ſanè & inuſitato more. Bini ſtipites magni & præalti terræ infiguntur, quibus injecto altrinſecus tigno tranſverſo, patibulum duodecim orgyias fortè altum conficitur: de tigno bini funes, duos pedes ab invicem ſeparati, ſuſpenduntur, per ligneos annulos trajecti, ut faciliùs obſequi queant: funis utriuſque deinde capita, aſſeris (ſellam exiguam imitantis) quatuor angulis adnectuntur: huic inſiſtens qui ſe impellere vult, ambos funes utrinque propendentes manibus tenens, & paululum corpus inflectens, nullo alterius adminiculo, modò in anteriorem, modò in poſteriorem partem ſeſe tam altè impellit, ut patibuli altitudinem æquet vel ſuperet, quod ferè incredibile eſt: defeſſus autem ſtando, aſſeri deinde inſidet. Alias etiam habent impellendi ſe in altum rationes pueris aptas, & miras.

** Fuit hoc luſus genus, ſive penſilis motio, Veteribus familiaris: Athenienſes inſtituiſſe dicuntur primi, & αἰώρας vocaſſe: Latini Oſcillum & Oſcillationem appellarunt hunc luſum; & oſcillo iactari, qui ſic in aëre librati ſubvectabantur, dixerunt.*

Honorum apud Turcas diſtinctio, cùm ex barbæ geſtatione, tum ex tiararum varietate petita.

CAP. XXIV.

QVI viridem tiaram apud Turcas geſtant, primariæ ſunt inter ceteros exiſtimationis; nam majoris religionis eſt inſigne: apud illos caligas & veſtes virides geſtare non licet: nam is color nobiliorum proprius eſt, qui ſe ex Mahumetis proſapia originem trahere, indicare volunt. Sed & qui bis aut ter Mecham peregrinati ſunt, viridem tiaram geſtare audent, quò ab aliis majore honore afficiantur. In barbæ geſtatione magnum etiam eſt diſcrimen. Senex enim illam alit, in ſapientiæ ſignum: juniores prolixos duntaxat myſtaces geſtant; quia indecorum videretur, ſi juvenis barbam aleret. Hæc nota à veteribus Scriptoribus Arabibus tribuitur, qui comam etiam alebant, quod Turcæ non faciunt.

Plumarum ornamenta Turcis familiaria.

CAP. XXV.

ADMIRABILES ſunt, vanæ, & inſanæ Ianiſſarorum oſtentationes, eorum præſertim, qui Turcico Imperatori chariores ſunt: quoniam ſtruthiocameli pennis ſeſe ornantes, & Rhintacis avis elegantiſſimis, quæ ſimul ad gallinacei craſſitudinem conjunctæ, omnes tamen ab exiguo corpore pellem duntaxat retinente prodeunt: nam

Arabes qui eas vendunt, carnes eximunt. Recentiores nonnulli Apodem appellant: at ego Phœnicem esse existimo, ut latiùs in libro de Avibus differemus. Illi ergo plumis in hunc modum exornati, D. Michaëlis picturam quodammodo referunt. Verum quidem est, non perpetuò incedere isto ornatu, sed duntaxat cùm Imperator in bellum proficiscitur, aut aliàs illum comitaturi. In humeris ingentes alas elegantibus plumis constantes gestare solent, quemadmodum ii qui in Comœdiis Angelorum personam repræsentant. Ianissari ab ineunte ætate in capite altum diadema gestant, in modum calanticæ muliebris, vel sericei illius capitis ornatus in tergum propendentis, nobilibus Gallicis mulieribus usitati, factum: caput illorum cingens, & in altum erectum; nullis tamen redimiculis vinctum: huic ferreum radium sesquipedem longum adnectunt, cui innititur circulus, cujus circumferentia mensuræ, quam pollicis & indicis extremæ partes simul junctæ comprehendere possent, respondet: in ejus circuitu pennas collocant. è medio prodit oblonga crista ex Struthio-cameli elegantioribus pennis affabre facta, post tergum ad terram ferè propendens, neque corpus attingens, quia ejus initium à summo capitis vertice est. Sic ornati formidabiles gigantes videntur. Quilibet autem Ianissarus, aliúsve Turca pennas gestandi facultatem non habet: iis enim jure duntaxat licet, qui hostibus in bello occisis suam fortitudinem demonstrarunt. Qui multas gestat, ea nota indicare vult se multos hostes jugulasse: qui verò se hostem occidisse profiteri nequit, rationi consentaneum non est, ut ipsi gestare liceat. Miles Turcicus in bellum proficiscens nullum famulum circumducit, nisi mancipium: Ianissari verò nullum (quandoquidem ipsimet vilia mancipia sint) sed singuli sua arma & annonam ferunt. Attamen quinis unum equum alere licet ad impedimenta & tentorium gestanda. Sic veteres Romani solebant. Legimus enim Iugurthino bello Metellum edixisse, ut singuli milites sua alimenta & arma ferrent, nullo servo illis concesso. Sed & Turcæ prætoriani Ianissari qui proximè illum perpetuò versantur, pacis tempore deni unicum duntaxat mancipium habent; belli autem tempore, quini. Ex eo deprehendere licet summam in illa aula obedientiam.

Turcarum vexilla non sunt renovanda, quoniam signi militaris vicem supplent equinæ caudæ pili variis coloribus infecti extremæ hastæ affixi. Execrantur Turcæ dissectas vestes ex quacunque tandem materia paratas: ea de causa Græci, & universi Turcæ Imperatoris subditi, nullas dissecant vestes: sed holoserica versicolore, vel alia quavis sericea utuntur maximè. Peregrè verò proficiscentes ignitabulum gestant, laternamq. ferream albam cum candela, cochleare è cingulo suspensum, & scorteum sacculum sale composito, veterum Græcorum more, plenum, quo cibum saliunt. Componitur autem hac ratione: allia cum sale contusa reficcantur: iis denuo tritis, scorteus sacculus impletur. mirum in modum orexim ciet, & ventriculum frigidæ potu offensum roborat.

Vehemens eorum exercitium qui Turcicum arcum intendere discunt.

CAP. XXVI.

Per Turcica oppida, terrei scopi nunquam indurari finuntur, sed recente terra aggestâ & quotidianâ rigatione molliore redditâ, à scopi custode cõservantur: nam perpetuò aliqui adveniunt arcu jaculari soliti; non in longum spacium sagittas emittentes, ut ligneis arcubus fieri solet; (breves enim eorum sagittæ) sed ex vicino loco. Sex passibus duntaxat à scopo absunt qui arcum intendunt, summis viribus adnitentes, ut terreum murum penetrare possint: proximè scopum adest quispiam post asserem latitans, qui sagittam emissam extrahens, denuò reiicit. Quem jaculandi satias jam tenet, arcum juxta scopum appendit, & persoluto pro more aspri pretio abit, licet centenos jactus fecerit. Vulgo tales scopi sive terrei muri, publico aliquo loco habentur, quò Turcæ exercitii gratia conveniunt.

Varius ciborum apparatus apud Turcas.

CAPVT XXVII.

Varia habent Turcæ vilium etiam rerum condimenta, passim in oppidis venalia; veluti radices * betæ crassas admodum, colorisque nunc albi vel pallidi, modò rubri, quas plerique raphanorum esse falsò existimarunt. Condiuntur etiam brassicæ capitatæ, raphanorum prægrandes radices, & helenii. Fuit olim etiam magno in usu Romæ,

Romæ, reliquiſque Romanorum municipiis ea conditura: quique condiebant, Salgamarii appellabantur. Res eſt magnæ parſimoniæ: nam quatuor viris unius aſpri precium in prandium ſatis eſſe poteſt. Cibus enim eſt coctione non egens, ſed ita conditus editur. Omphacinas etiam vuas condiunt magno Turcarum compendio: nam maceratæ in aceto & ſinapis ſemine, optimi ſunt ſaporis cum pane manducatæ. Sunt etiam pergulæ ſive tabernæ in quibus nihil niſi vervecina capita & pedes apparata venduntur: coëmpta verò capita illico aperiunt, calidaque in lance reponunt cum aceti & pinguedinis momento, compoſitum illud ſal cum ſeminis Sumac corticibus (qui à veteribus Rhus obſoniorum appellabatur) mixtum inſpergentes. Turcas cibo veſci in publico non pudet: imò ipſi Satrapæ vulgariter in publico edunt: nam ut ex bubulcis & opilionibus originem trahunt, ſic in victus ratione illos æmulantur; malunt enim lacticiniis vilis precii veſci, quàm quidpiam impendere in alios cibos. In extremo portu Thraciam pertingente Conſtantinopoli vicus eſt, ubi nihil aliud fit quàm Melca, Caimac, & Oxygala. Caimac ex lactis pingui fit, idq. variis modis, & eſt veterum Græcorum Aphrogala. In deliciis etiam habent, quam hujus ætatis Græci Miſitra vocant, Galli Recoctam.

** Vulgo etiam Viennæ Auſtriacæ venales exponuntur craſſæ huiuſmodi betæ rubræ radices conditæ, & rapa integra, atque cucumeres: habent plerique & braßicas capitatas ſimiliter conditas integras. At tota illa provincia, aliiſq; viciniis, Autumno cùm braßicarum capita, tum rapa minutim conciſa abundè admodum condire, & vaſculis concludere ſolent, atque ita adſervare in quotidianum totius anni uſum: ſed odoris, dum recluſis vaſculis eximuntur, meo iudicio adeò tetri, ut circumfuſum aërem inficere queant: pleriſq; tamen, etiam magnatibus, ciborum deliciæ ſunt.*

Turcarum circunciſio.

CAP. XXVIII.

CIRCVNCIDVNTVR Turcæ non octavo die, quemadmodum Iudæi: ſed octavo, duodecimo, vel decimo quinto ætatis anno, maturiùs aut ſeriùs pro rei oportunitate. Pueri enim non circunciduntur donec tam grandes ſint vt circunciſori reſpondere queant. Indicem attollit, quo ſigno ſe Mahumetanum eſſe fatetur. Eos in templo circuncidere non licet, ſed in parentum ædibus: nam incircunciſi templum ingredi non poſſunt. Multi conveniunt, dum quiſpiam circuncidendus, feſtum diem ſuo more celebraturi: in illo cœtu puer circunciditur. Sacerdos ſumptâ forpiculâ puero dicit ſe illi demonſtrare velle quid poſtridie præcidendum ſit; adductoque præputio, abit ut puerum fallat (nam illico revertitur, tamquam aliquid demonſtrare oblitus) cutem jam colligatam forpiculâ præſcindit ſine magno pueri dolore; vulnuſque ſalſa aqua ablutum, lineo panniculo impoſito, curat. Ceterùm à circunciſione nomen pueri non immutatur, ſed retinet quod in nativitate inditum fuerat, addita ſolum voce Muſſulma, hoc eſt, verus Turca circunciſus. Circunciſione facta, feſtum diem celebrant, ut apud nos in nuptiis alicujus: ad balneas deducitur: redeuntem tympanorum ſtrepitu excipiunt, candidâ cydari floſculis nonnunquam inſperſa inſigniunt, & ad templum magnâ pompâ deducunt. Abſoluto convivio, munera à convivis pro familiæ ipſius dignitate conferuntur, aurea, argentea, & alia precioſa, ſi ex opulenta & auctoritate prædita ſit familia. Nemo Chriſtianus vi ad circunciſionem cogitur: qui verò ſua ſponte Turcicæ religioni initiari velit, magnâ eſt in æſtimatione: qui, ut vitæ uſuram redimant, Turcæ fiunt, deſpiciuntur. Si Chriſtianus cum Turcica muliere commiſceatur, lex ſancit ut vitâ privetur, quam tamen redimit, Turcicam religionem amplectendo. Turcam occidenti, unica ſalus eſt ut Turca fiat, vel ingenti pecunia vitam redimat: pecunia etenim quælibet obtineri poſſunt in illa regione. Si Chriſtiana mulier libera, Turcæ alicui ſui copiam facit, Chriſtianam religionem abnegare debet. De paucis verò iſtic ſupplicium ſumitur ob delicta quæ pœnam effugere poſſunt Turcicæ religionis profeſſione: nam plerique ut mortem fugiant, Turcæ fiunt.

Perſarum Rex, licet Mahumetanus, Turcas hæreticos appellat, quia ipſorum vxores circunciſæ non ſunt, ut ſui dominii feminæ: quibus ea de cauſa templa ingredi licet, Turcicis minimè. Cophtæ etiam feminæ, Æthiopiæ Regi parentes, & in Ieſum Chriſtum credentes, circunciduntur: cùm enim lex ſanciat ut feminæ circunciſionis aliquod veſtigium impreſſum habeant, particulam Græcis Hymenæa, Latinis Alæ, dictam præſcindunt, quam præputio reſpondere aiunt. Mahumetem injuriis afficiens morte punitur: at lex eum abſolvit, ſi Turca fiat, hoc eſt, ſi ſeſe circuncidi curet, & indicem attollat; qua ratione immunis erit à Haraczi, hoc eſt, tributi quod Turcico Imperatori pendendum eſt, ſolutione: cui Iudæi & Chriſtiani obnoxii ſunt, Turcæ autem vel Muſſulmanni minimè.

Mancipia suos heros cogere posse, optionem sumant, velintne pro ipsorum redemptione servitutis certum tempus præscribi, an aliquâ pecuniæ summâ pacisci.

CAPVT XXIX.

TAMETSI Christianus captivus, Turcæ, qui eum redemit, serviens, suæ religioni renunciet, & Turca fiat; non propterea libertatem adipiscetur: nam cùm sit mancipium, illi exequenda sunt heri sui mandata: mitiorem quidem servitutem ab hero impetrare fortè poterit, & servitutis tempus brevius. Præstat tamen mancipia Christianam fidem retinere, quàm illam abjurando, Turcas fieri. Turcicorum mancipiorum cum famulorum Europæorum fortuna ferè comparari potest: felicitatis enim suorum dominorum participes fiunt: si herum nanciscantur probum virum, à quo diligantur, eandem cum ipso habent tractationem. Potest autem mancipium cogere suum herum, ad duarum rerum optionem; vel ut illi redemptionis precium indicet, vel ut certum servitutis tempus præscribat: licet enim mancipio, Cadi, hoc est, Iudicem, convenire, atque dicere: Volo ut meus herus alteri me vendat, nisi redemptionis precium mihi indicare, vel servitutis tempus præfinire velit. Iudex mancipio jus dare, & ejus herum evocare cogitur: tum mancipium, Quantum (inquiet) tibi numerari vis pro mea redemptione, aut quot annis vis tibi inserviam? Herus liberam optionem ipsimet dabit. Si mancipium caret ingenio, nec suâ industriâ tantum pecuniæ adquirere posse confidit, quæ ad persolvendum λύτρον sufficiat, sed labores facilius perferre sperat; servitutis tempus deliget. Herus verò denûm, duodenûm, vel quindecim annorum tempus illi præscribet, ejusque pactionis syngrapham dabit: absoluto eo tempore liber domum abire poterit. At si mancipium aliquam artem callet, pecuniæ precium deliget, & ejus persolvendæ tempus ab hero expetet, quam ex pacto persolvet: nam diligenter laborabit, preciumque suo hero numerabit quolibet mense vel trimestri. Nonnullos vidimus qui brevi tempore sese redemerant, nempe biennio vel sexennio. Mancipiorum porrò quæ in piratarum manus incidunt, atque ad triremes condemnati sunt, misera est conditio; vix vllam enim sese redimendi spem, nisi admodum seram, concipere possunt: Piratæ enim remigibus cùm opus habeant, captivos apud se retinent, nec navi egredi illos permittunt. Qui similiter in Satraparum potestatem incidunt, exiguam redemptionis spem habent: quoniam Cadi nullam eos cogendi, ut tenuioris fortunæ aliquem, habet potestatem. Itaque talium Satraparum mancipiis nullum aliud relictum est remedium, quàm ut fortunam suam patienter ferant: rustici verò à Cadi cogi possunt.

Sesami oleum non minus frequenti in usu est apud Turcas, quàm oleum nucum apud Gallos, & oleum olivarum in Gallia Narbonensi: quia autem magno labore confici debet, mancipiis imponitur is labor, & hieme duntaxat. Sesami semen quatuor & viginti horis aqua salsa maceratum; deinde in area ligneis malleis tusum super crassiorem telam, donec corticem abiiciat; denuò aqua salsa maceratur, & innatantes cortices abiiciuntur. Sesamum sic expurgatum in clibano reficcatur; deinde mola frangitur: exsudans demum oleum liquidum ut sinapi (pauca enim habet recrementa) lento igne coquitur, & à fecibus separatur. Dulce est id oleum, delicatum, & vilis precii.

Turcæ cibum sumpturi, humi desident, exemptis calceis; quemadmodum olim Romani in suis tricliniis (quæ nihil aliud erant, quàm salæ nunc Gallis vocatæ, vel cœnacula, cauponis similia, in quibus erant appendices, sive elatæ tabulæ, quales apud sartores videmus, ubi suas operas conficere solent) his conscensis, calceos eximere solebant: etenim pedes mensæ non supponebant, nostro more: sed veluti Turcæ, innitebantur pulvinis cubito suppositis. Quod Martialis approbat his verbis, libro quinto:

Deposui soleas, adfertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarúmque, liber.

Ad comprobandum autem, triclinium id esse quod Galli salam vel cœnaculum appellant, Varronis auctoritatem in medium attulisse sufficiet; qui de Africanis gallinis agens, Galli- *Cap.9.lib.3.*
„ næ Africanæ, inquit, quas μελεαγρίδας appellant Græci, novissimæ in triclinium ganearium introierunt è culina. Meminit etiam Suetonius variis locis: de Cæsare enim scribens,
„ Convivatum assiduè per provincias duobus tricliniis; uno, quo sagati palliative; altero quo
„ togati cum illustrioribus provinciarũ discumberent. atq. in Augusto superfestinatas Liviæ
„ nuptias objecit, & feminam consularem è triclinio viri coram in cubiculum abductam. Ex his locis animadverti potest culinæ & cubiculi à triclinio differentia. Sed & in Divo Claudio,

Claudio, Adhibebat, inquit, omni cœnæ & liberos suos cum pueris puellisque nobilibus, „ qui more veteri ad fulcra lectorum sedentes, vescerentur. & paulo pòst: Nec temerè unquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens. Plinius item de Elephantis agens, Plenisque hominum tricliniis accubitu iêre per lectos, ita libratis vestigiis, ne quis potantium » attingeretur. Et de Platano scribens cap. 1. lib. 12. Aliud exemplum, inquit, Caii Princi- » pis, in Veliterno rure mirati unius tabulata, laxisque ramorum trabibus scamna patula, » & in ea epulati, cùm ipse pars esset umbræ, quindecim convivarum ac ministerii capace tri- » clinio, quam cœnam appellavit ille nidum. Ex his igitur veterum auctorum locis inferre » volumus, triclinium vocari posse locum in quo Turcæ vesci solent, humi sedentes in tapete quodam vel in tabulato, pulvinis cubito suppositis eos fulcientibus: convenit enim cum triclinio à veteribus descripto. Cap. 2. lib. 8.

Vulgare est Turcis, ut etiam olim Romanis, eunuchorum ministerio uti: illud mirum, inventum id esse mulieris. Semiramis enim regina, celebris illa bellatrix, multos adolescentes castrari jussit, quos dein Gynæceo suo præfecit: ab illa posteri eam consuetudinem observarunt in imperio sibi subdito. Credimus Turcas, cùm primùm eunuchos castrarunt, testes duntaxat pueris amputare solitos, veterum Romanorum more, qui veretrum non præciderunt: at grandiores facti robustioresque, feminas, testibus licet resectis, inibant: ut etiam quorundam Imperatorum uxoribus ea causa gratiores fuerint: generandi enim facultatem non habebant. Obscœnum est; propterea haud plura. Turcarum Imperator intelligens eos quibus præfecti testes essent, suis uxoribus & concubinis voluptatem adferre, in posterum penem cum testibus resecare jussit: sed ex denis vel duodenis qui ea ratione castrantur, vix seni evadunt. Sunt qui aliam rationem referant; Imperatorem videlicet castratum equum inire equam conspicientem, occasionem, ea qua diximus ratione castrandi sumpsisse. Cùm autem servæ domesticas operas duntaxat faciant, nec in publicum prodire audeant; magis decet castratos, quibus egredi licet, feminis præsente marito ministrare, quàm servas quæ domo non excedunt. Vulgare porrò est Satrapas & opulentos quibus sunt multæ uxores & concubinæ, quas servis adire non licet, eunuchum habere, sibi carum, & cui plurimum fidant. Ipse Turcarum Imperator, sæpiùs eunuchum mancipium dominio suo & ingenti exercitui præfecit, ejus animo confidens, quem nulla formidine posse affici exploratum habebat. Nónne Ganymedes Regis Ægypti eunuchus, Cæsari atque universo exercitui Romano restitit? Legimus etiam eunuchos apud Persas regnasse; atque alios magnis provinciis præfuisse. Sed ne tam longinqua exempla petamus, Bassa qui Ægypto, Syriæ, & Arabiæ præfectus erat dum Cairi essem, eunuchus erat, cui Turcarum Imperator non minus fidebat quàm strenuissimo universi sui dominii Præfecto. At Romani nunquam tantam auctoritatem atque libertatem suis eunuchis tribuerunt ut nunc Turcæ, vel olim ab omni vetustate Orientis Principes. Sunt enim eunuchi hujus seculi apud Turcas non minus familiares dominis suis atque eorum uxoribus, quàm si æquales forent. Plurimum enim illis fidunt domini, imò per absentiam cum suis uxoribus versari & propter cubare jubent sine ulla zelotypia, cùm sublatis concubitus instrumentis, omnem etiam appetentiam sublatam esse non ignorent: & certè nullius rei vestigium magis illis reliquum est, quàm in manus vola. Eunuchis itaque uxorum & concubinarum custodia atq. domesticæ rei administratio committitur, dominis in bello absentibus. Christianis servos & servas suo ære redemptas alere licet, quemadmodum & Iudæis: at neutri Turcam mancipium retinere possunt. Iudæo Christianum vel Christianam mancipium habere permittitur, quemadmodum & contrà. At Iudæi adeò inter se confœderati sunt, adeoque versuti, ut neminem suæ nationis unquam servire permittant: nam simulatque suorum quempiam vel in mari vel in continente, belli vel pacis tempore, captum intelligunt, omni diligentiâ curabunt illum redimi, nullis sumptibus parcentes. Turcæ tamen maximo odio illos prosequuntur, semper illos lacessentes & injuriis proscindentes, in publicis præsertim viis obvios.

Turcarum Sacerdotes & scientia.

CAPVT XXX.

SACERDOTES Turcici, à laicis haud multum differunt: satis enim illis est, Alcoranum legere & Turcicè ad verbum interpretari nosse. Conjugati sunt; à vulgo vestis discrimine non discernuntur, & artem aliquam exercent ad vitæ necessaria comparanda: alii enim institores, alii sutores, alii artes alias mechanicas exercentes: plerique etiam ex librorum transcriptione vitam traducunt, cùm nulla sit apud eos Typographia ad Tur-

cicos libros cudendos. Eorum charta multâ fricatione lævigatur & politissima efficitur. Nunc autem plerique eorum, ad nostram æmulationem Astronomicis studiis, Poëticæque & Philosophiæ operam navant. Nec ipsi soli ejusmodi studiis delectantur; sed proposito præmio suos etiam liberos utriusque sexus instrui curant. puerorum autem scholæ à puellarum schola distinctæ; has feminæ, illos viri erudiunt. Versus etiam condunt numeris constantes nostro more; & tetrasticha, hexasticha, decastichaque, decem, undecim, pluribus vel paucioribus syllabis constantia componunt; quique à Turcis ea decantari audiret, Germanicum cantum existimaret. Turcæ, ut diximus, uxores ducturi, eas præsente pecuniâ emunt; nulla etenim dos ab eis accedit: imò vestes quas illa gestat, marito persolvendæ: quòd si contracto matrimonio, ob morum dissimilitudinem convenire inter se nequeunt, aut mulier sterilis sit; maritus Iudicem sive Cadi accedens, ab eo uxorem dimittendi potestatem accipiet: nam quemadmodum sine ulla jusiurandi formula matrimonium contractum erat, nullis aliis observatis ritibus etiam dissolvitur. Virum defunctum sepeliunt viri, feminam feminæ: primùm autem cadaver lavatur, deinde mundissima alba sindone involvitur, postremò urbe effertur multis cum ceremoniis (nemo enim in templis sepelitur) tedas præferunt Dervis ipsorum prophetæ; subsequuntur sacerdotes lugubres nænias concinentes, donec ad sepulturæ locum perveniant. Mos autem est apud ipsos, defunctorum sepulchra catervatim adeundi certis quibusdam diebus, atque pro ipsorum salute orandi; sed viri seorsim, mulieresque seorsim, diverso tempore.

Turcarum sacerdotes horologiorum vicem præstare, horarum spacia alta voce ex summa templorum turri proclamantes.

CAPUT XXXI.

NULLA apud Turcas sunt horologia, sed eorum vicem supplent sacerdotes, summas templorum turres conscendentes (singulæ enim Mesguedæ unam, aut binas præaltas turriculas habent, utrinque unam, præsertim quæ à Regibus sunt exstructæ (nulli enim templa pluribus quàm unâ turri prædita condere licet, nisi Imperatoribus) his igitur conscensis, altissima voce & subtili proclamantes, nobis in memoriam reducebant crustulorum pistores, qui brumali tempore ea noctu venalia proclamare solent (Galli *Oublieurs* appellant) vel puellas in Cenomanniæ desertis ericetis circa Dominicæ nativitatis tempus canentes. Eorum vox per quartam milliaris partem, interdum etiam per dimidii milliaris spacium exaudiri potest: quod vix credibile sit ei qui antea hujusmodi vocem non exaudiisset. Interdum bini vel terni clamant, digitis aures obturantes tanta vocis contentione, ut per totam urbem intelligantur, pronunciantes hæc Arabica vocabula *La Illah Illellah Mehemet Irredsul Allah.* Quinquies singulis diebus ea proclamant, Gallicinio, Aurora, Meridie, Tertia à Meridie, & Crepusculo noctis: quæ singula tempora peculiarem ipsorum lingua appellationem habent. Eas temporis distributiones solent Turcæ deligere, ad negociandum, aut aliquò conveniendum. Meridie templa ut plurimum ingrediuntur: lotis prius pedibus, manibus, obscœnisque membris anterioribus & posterioribus, terque aqua capiti inspersa: nudis item pedibus templum intrant, & calceos ad templi fores relinquunt. Si verò dum peregrè proficiscuntur in loca incidant aquæ expertia; Mahumetes illis concedit, caput, manus, atque calceos terræ pulvere aspergere.

Itineris suscepti continuatio: & nonnulla de Turcarum moribus.

CAP. XXXII.

TOTA hieme in Paphlagonia traducta, novo vere Constantinopolitanum iter prosequi constituimus. Diligenter hoc à Turcis observatur, ne iter faciendo suos equos ad citatiorem gressum, nisi coacti impellant (cùm verò necesse est, præsertim in bello, neque equis, neque sibimet parcunt:) nec eos interdiu pascunt, nisi fortè æstate ad Solis æstum fugiendum mane & vespere iter faciant: sed equis insidentes edunt quæ circumferunt, equosque, ubicunque aquam inveniunt, potare sinunt. Eam ob causam fontes secundum regias vias derivandos magna diligentia curant. Quoniam verò nusquam hærent sumendi cibi gratia, & per integrum diem pedetentim equitant, pridie emere solent in sequentem diem necessaria, sed vilis pretii; nam delicatuli non sunt, sed cepis, pane, uvisque passis, aliisve reficcatis fructibus famem pellere solent: vulgare

apud

apud ipsos est, Satrapis, & tenuioris fortunæ hominibus, crudis cepis vesci: imò Satrapæ huic cibo adeò assueti, ut quotidie mensis inferantur; hinc profectò sani vivunt. Ejus rei ratio digna est quæ à doctis viris expendatur, cùm etiam qui tenuiores sunt, multa mancipia alere soleant. Quispiam enim cum binis servis tribusque equis supra sex asprorum precium vix insumet; qui totidem Gallicis Caroleis respondent, vel quinque assibus Gallicis. Nónne igitur mirum illos adeò raro ægrotare, cùm aquam solummodo bibentes, illam subinde mutare cogantur? Verùm theriacam illam duo illis beneficia conferre dicemus; primum eos ab aquarum noxa præservari ceparum & alliorum, quæ vili precio ab illis redimuntur, esu: alterum, quòd salivam cieant, & orexin provocent ad panem siccum liberaliùs vorandum. Si qui apud Insubres & Allobroges tumido gutture laborant (quem morbum ipsi *Gos*, nos *Louppes* appellamus, apud Latinos verò nondum nomen invenit) cepis & alliis crudis vescendi consuetudinem haberent, simili morbo non laboraturos certum est: etenim ex vitiosarum aquarum potu illis accidit; quo liberi sunt Turcæ, ob frequentem eorum usum.

Duplici porrò via Constantinopolim proficisci poteramus, vel per montis Olympi juga, quæ compendiosior est; vel secundum illius radices, quæ longior: utraque autem via in Galatia, sive in Gallogræcia est: nam Paphlagoniâ egressis, in Galatiam veniendum est. Cùm verò jam solutæ essent nives, eam quæ per montium Phrygiæ juga ducit, sequuti sumus, licet montem Senis altitudine superent. Paphlagoniæ porrò celebrior urbs est Totia, olim Theodosia Gangrorum appellata. Galatiam ingressi qui viam ad sinistram ducentem sequuntur, ad urbem Cute vulgò nuncupatam perveniunt, quam nonnulli Cutiam Latinè vocavêre, at Plinius Cotiæum veteri nomine dixit: qui verò via ad dextram tédente insistunt, per Boli transeunt, veteribus Aboni mœnia dictam. Ceterùm quia ea via progredientibus, bini sinus obiiciuntur, Montaneæ, & Nicomediæ; magnæ ambages sunt faciendæ, & amnis Sangari, veteribus Sagaris nuncupatus, superandus, qui in Pontum Euxinum exoneratus, elegantem portum lapidibus exstructum conficit: deinde circumeundus lacus qui clarè è Nicomedia conspici potest: à Nicomedia verò secundum Propontidem iter faciendum per oram sinus Nicomediæ, de quo jam diximus. Cotiæum fuit olim, ut etiam nunc est, urbs celebris admodum: arcem adhuc integram retinet in tumulo sitam, firmisque mœnibus præditam, in clivo propendentem, & ad urbem ferè pertingentem. Plerumque ex Beglierbeis minoris Asiæ unus Cotiæi habitare solet, quoniam primaria nunc urbs est ejus regionis: olim verò Gordinus. Pauci sunt anni, quòd Regis Persici major natu filius Ismaël nomine per Turcicum dominium in Galatiam usque pénetraverit, omnia ruinis & incendiis fœdando (cùm ejus exercitus ex quatuor vel quinque hominum, sed fortissimorum, millibus duntaxat constaret) Cotiæumque usque pervenerit: Bassa dictus Coraguе qui istic præerat, ipsi resistere conatus est, militum numero, quos duplo plures habebat, fretus: pugna commissa, Regis Persici filius victoriam obtinuit, Bassamque in conflictu cæsum palo affixit, ejus pene præciso & in os ingeri jusso. Arcem deinde obsessam, expugnare non potuit: alium enim Bassam eunuchum magnis itineribus, ingentique exercitu firmatum, advenientem intelligens, recessit.

Omnes Asiæ minoris sive Natoliæ incolæ olim Græco sermone utebantur: nam ædificiorum rudera quæ in Cilicia, Lycia, Paphlagonia, Cappadocia, Pamphylia, Bithynia & Phrygia vidimus, Græca quædam epigrammata insculpta habuerunt, sepulchraque Græcis characteribus notata fuêre.

Nullas mulieres sub Turcico dominio viventes, cuiuscunque tandem sint religionis, obscœnarum partium pilos novacula demetere, sed psilothro auferre.

CAPVT XXXIII.

OMNIS generis annona Cotiæi venalis reperitur, panis, vinum, carnes; nam ab Armenis, Iudæis, & Græcis incolitur. Istic quidpiam invenimus inter reliqua in nostra peregrinatione observata, valde, nostro quidem judicio, singulare; Rusma videlicet ab ipsis appellati fodinam. Id Rusma omnibus Turcico dominio subditis maximo in usu est; nemoque est qui illius nomen aut facultatem ignorat. Sciendum porrò est, Turcas utriusque sexus, pilos in nulla corporis parte ferre posse præter cæsariem & barbam; vitióque verti, si quis pilos retineat. Inde fit, metallicum illud tanto in usu sit, ut Turcarum Imperator (referentibus Iudæis) singulis annis ducatorum octodecem millia tributi nomine

mine accipiat ab eo qui illius metallici vectigal in censu habet. Novum sanè est, adeò vile metallicum tantum quæstum suo domino adferre. Nullus veterum aut recentium, quod sciam, ejus meminit. Qui verò usum noverit, ipsius venam tantundem ferè æstimabit atque puri argenti: vulgus enim illo uti adeò consuevit, ut nunc abstinere nequeat. Ceterùm quid sit Rusma, dicemus; deinde illius facultatem & usum explicabimus. Rusma ferri excremento persimile est, sed levius, nigrum, adustumque quidpiam referens; fodina etenim est leviter adusta. Omnes Turcicæ feminæ juvenculæ & vetulæ, nuptæ & innuptæ (quæ quidem pilosæ sunt) cujuscunque tandem nationis, Turcicæ, Græcæ, Armeniacæ, Iudaicæ & Christianæ, ad depilandum eo utuntur, non sine ratione: nam quæ dropace pilos auferre malunt quàm novaculâ, admodum commodum illud reperiunt. Plerique Europæi psilothra conficere tentarunt ex calce & auripigmento, sed experientia malè cessit, quòd utendi rationem non probè intelligerent: id enim fieri debet ante balnei ingressum. Eam ob causam Rusma utendi rationem explicare volumus. Rusmati in tenuissimum pollinem contuso, calcis vivæ dimidiam partem adiiciunt, unaque in fictili, aquâ macerari sinunt: feminæ balnea ingressuræ, partes quas glabras esse cupiunt, eo inungunt, atque inhærere sinunt quanto tempore ad coquendum ovum requiritur: deinde periculum faciunt, an pili decidere velint: sudore enim cutem penetrare incipiente, pilorum radices laxiores redduntur, & spontè decidunt, parte ablutâ calidâ aquâ, & manu duntaxat ad partem adductâ. Adeò temperatum est id psilothrum, ut non urat, locaque lævia & glabra reddat, nullo pilorum manente vestigio, ut vetulæ juvenculæ quodammodo reddantur. Feminæ ergo quæ cutem lævem & glabram habere cupiunt, peculiare hoc medicamentum sibi vendicârunt, alioqui asperam & rugosam futuram, si novaculâ raderentur. Hinc igitur fit ut id metallicum adeò frequenti in usu sit, inter tenuioris fortunæ homines, & opulentos Ægypti, Arabiæ, Syriæ, atque reliqui dominii Turcici: jam etiam in Græciam transiens, istîc hæsit; nondum enim ad eos penetravit, qui Romanam religionem amplectuntur. Viri autem, muliebria ista non se decere æstimantes, rusmate uti nolunt, sed novaculâ pilos demetunt.

Turcicas feminas singularis esse formæ & munditiei.

CAP. XXXIV.

RVSTICORVM etiam Asiaticorum feminæ, singularis sunt formæ, molles & candidæ, cuteque adeò erugata & lævi, ut holosericum quis se manibus tractare existimet. Inter reliqua autem medicamenta quæ cutem ita lævigant, unguentum ex terra pingui conficere norunt, quam Græci nunc Pilo nominant: de qua postea. Est verò illa ipsa quæ veteribus etiam simili in usu fuit, Latinis terra Chia dicta; cujus facultates
„ Dioscorides in hunc modum describit: Extendit faciem & erugat, atque splendidam red-
„ dit: colorem in facie & toto corpore commendat, in balneis pro nitro deterget. Invenitur autem multis Phrygiæ locis: ejus etiam fodinam apud Lamsacum vidimus, ex adverso Callipolis. Cùm ejus usus adeò frequens sit, nullus est propola qui eam in tabernâ non habeat. Macerata hæc terra, unguinis consistentiam capit, quo balnea ingressuræ universum corpus & faciem diligenter inungunt, atque etiam capillos; non autem sapone: quia extremi capilli flavo colore Alcannæ pulvere tingendi: qui, si sapone detergerentur, eum colorem non modò non reciperent; sed etiam jam tincti, in atrum vel rubrum colorem verterentur: sapo enim naturâ acris ob salis, olei & calcis commixtionem ex qua compositus est, colorem immutaret: prædictâ verò terrâ expurgati, faciliùs colorem recipiunt. Sincipitis porrò capilli fenestratim secantur ad malas & mediam usque frontem, quemadmodum pueris in Europa, & atro colore tinguntur: Occipitis verò, implexi & sericeis vittis colligati in tergum propendent. Quo verò atriores sunt sincipitis capilli, tanto formosiores censentur; non sine ratione: quemadmodum enim facies quo candidior, eo formosior appâret; ita huic candori majorem gratiam addit capillorum nigredo. Avicenna testatur, hanc terram ab omni antiquitate in usu fuisse ad detergendos capillos, in Arabia, Ægypto, & Syria, eamque ob causam terram capillorum nominat: vocat etiam terram edulem, quòd gravidæ mulieres in iis regionibus eam plerumque appetunt. Eodem etiam quo anteriores capillos colore supercilia tincta habent, quoque atrior color est, eo facies elegantior censetur. Ea consuetudo non modò in urbibus invaluit, sed etiam per universi Turcici dominii pagos: singulis enim locis balnea habent. Itaque mirum videri non debet, si Asiaticæ mulieres tam nitidâ facie sunt præditæ: nam neque à Lunæ splendore, neque à Solis radiis noxam accipiunt; quandoquidem domo non egrediuntur, nisi cùm balnea, lavandi;
aut

aut cœmiteria pro defunctis orandi gratiâ accedunt. Bis verò aut ter in hebdomade balnea ingredi solent, isticq. quatuor aut quinque horas sese comendo & ornando, insumunt. Catervatim autem eò proruunt: nam peculiaria habent balnea, quò viri non veniunt: si verò interdum virorum balnea accedunt, id fit certo aliquo in hebdomada die: quibusdam enim locis, feminæ balneorum possessionem à meridie obtinent; ante meridiem, viri. Nonnulla etiam loca sunt, ubi feminæ die Iovis à meridie duntaxat lavant: itaque simili quodam die, ejus consuetudinis ignari, cùm uti aliis diebus balnea accederemus, ianuámque apertam invenientes ingressi essemus, magnam Turcicarum feminarum turbam reperimus sese ad lotionem parantium: nisi verò illicò fugissemus, vix vitæ periculum evitare potuissemus: Mahumetana enim lex adeò rigida est in hac re, ut vitam conservare non liceat, nisi stultitiam simulando. Nam Turcæ, ut diximus, fatuos sanctitatis cujusdam ob innocentiam participes esse censent. Ceterùm nihil aptius ad tuendam sanitatem Turcis utriusque sexus accidere posset, ob aquæ potum, & crudarum rerum usum, quàm frequens balneorum usus; quod etiam veterum Romanorum autoritate satis probari potest: ait enim Columella: Quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus. Nisi præterea hanc balneorum commoditatem haberent, vermibus scaterent, & admodum immundi essent: at balneorum beneficio mundissimi evadunt. Vt autem olim apud Romanos nullæ fuere splendidiores fabricæ Thermis & Templis: sic Constantinopoli, aliisque oppidis Turcici dominii nihil magnificentius conspicitur quàm Templa & Thermæ, quæ magnorum Palatiorum instar sunt. Neque in Thermarum ingressu neque egressu calefactione opus est: sed loturi in ingressu magnam fornicem orbicularem inveniunt, in cujus umbilico plerumque est aquæ frigidæ scaturigo, ad quam sese in podio spoliantes vestes in talari obvolvunt. His Thermarum præfectus binas sindones pictas præbet, ad anteriorem corporis partem alterâ tegendam, alterâ posteriorem cum capite; nimis enim indecorum foret obscœnas partes istic nudare; ea de causa sindone sese involventes, balneum ingrediuntur, ubi calidæ aquæ fontes plures sunt, qui versato epistomio aquam per siphunculum effundunt. Tum ingressi Thermarum servi, illos lavant, fricant, & strigili cutem exterunt. Longum esset omnia sigillatim enumerare: sed ut in pauca conferam, id agunt: In ventrem humi sternunt quem lavaturi sunt, deinde colli, humerorum, brachiorum, femorumque & tergoris musculos manibus prehendunt & malaxant: cumque obvertentes, illius pectus similiter prehendunt & confricant undiquaque: demum caput radunt, non pudenda: sed novaculâ ei qui lavatur, traditâ, in angustum quendam locum ponè balneum secedens, sibimet pudenda radit. His peractis ad podium redit: cui Thermarum præfectus binas alias sindones mundas & siccas tradit, ad se detergendum & exsiccandum: postremò resumptis vestibus, & persoluto asperi precio, abit: est enim in singulis provinciis certum definitum precium, ut, teste Iuvenale & Horatio, Romæ constitutum erat precium, talentum, quod binis assibus Gallicis comparari potest. Hæc est totius Turcici dominii consuetudo, Gallicanæ plurimum absimilis, ubi æstuarium egressi, supra lectum decumbere solent: meritoque æstuaria sive vaporaria vocamus ea in quibus lavamur loca, si cum iis quæ Thermas nuncupavimus, comparentur. Sed neque ullæ aliæ nationes Europæ balneis utuntur Gallico more, ut egressi in lectis decumbant, nec Itali, nec Bohemi, nec Germani, nec Pannones. Post Turcicas Thermas, nullas proximiùs ad balinearum antiquarum rationem accedentes comperimus quàm Germanorum: nam æquè frequenter ferè lavant atque Turcæ. Sed illud nobis mirum visum, quòd apud Helvetios, pudicæ matronæ promiscuè cum viris tam exteris quàm notis Thermas ingrediantur, tametsi pudenda velo tecta habeant: quia tamen consuetudo apud illos ita invaluit, nihil fœdum istic perpetrant, licet nudæ feminæ conspiciantur.

Præfatione Lib. I.

Qua ratione feminæ sincipitis capillos & supercilia, viri autem senes barbam nigro colore inficiant.

CAP. XXXV.

DIVERSA porrò ratione fit ea mixtura qua Turcicæ & Græcæ mulieres supercilia sibi inficiunt. Magis vulgarem autem, quæque feminis apprimè nota est, didicimus. Æris usti laminulam, quam Itali vulgo *Feretto d'Espagna* appellant, unam aut alteram drachmam pendentem, leniter in ferrea pala confricant, ut in pulverem convertatur: huic pulveri gallam omphacitin superpositam calido, sed non candente, ferro premunt, ut eo calore dissolvatur; deinde aquæ tribus vel quatuor guttis inspersis, calefacto

denuò ferro, identidem eam compressionem repetunt, donec galla omnino dissoluta pulveri commisceatur. Ea mixtura atramentum nonnihil densatum æmulatur, cujus pauxillum bacillo, penicilli instar formato, sumentes mulieres, ipsæmet ad speculum sibi supercilia tingunt, & resiccari permittunt. Id quinquies aut sexies repetitum, supercilia talpæ pilis magis atra reddit: tandem madido lineo panno confricantes, nigredinem cuti inhærentem tollunt. Pleræque Peroticæ feminæ & puellæ Græcæ supercilia rusmate tollunt, deinde paulo supra superciliorum radices, eâ mixturâ sese in arcus formam tingunt, ut supercilia incurva appareant. Procul aspicientibus elegans id videtur: at fœdum iis qui è vicino loco attentiùs observant. Ceterùm recentiorum inventum id non est, sed jam a multis seculis usurpatum, ut fusiùs sequenti capite demonstrabimus.

Elegantis formæ secundum Græcos commendatio.

CAPUT XXXVI.

CUM Græci insignem formam extollere volunt, sublatam manum in latus inclinant, pollicisque & indicis extrema conjungentes, orbem faciunt; quasi indicare velint, ejus, de quo sermo est, oculos tam grandes esse. Vetus illud est à Græcis auctoribus muliebris formæ judicibus celebratum, qui insignis formæ feminas unicâ voce πλατυοφθάλμους appellârunt, hoc est, amplis oculis: propter elata nimirum supercilia, quæ latæ & amplæ faciei gratiam conciliant. Pari ratione cùm viri alicujus robusti formam celebrare volunt, similem orbem ostendunt, libenterque adiicerent eum oculos bubulis non minores habere. Si quis diligenter observet vetera Græcorum numismata & statuas, oculi prægrandes promissaque coma deprehendentur, præ iis quæ Romanis numismatibus exprimuntur.

Vix ullo exercitio utuntur Turcicæ feminæ (rarissimè enim domo egrediuntur) nisi cùm summam ædium contignationem constratam conscendunt, ubi interdum toto die hærent cum suis vicinis patrio more canentes. Græcanicæ autem, præsertim Peranæ in cornu Byzantino, plus libertatis quàm in reliquis Turcici imperii oppidis, habent: nam per urbem magnâ cum pompâ incedunt; atque si earum mariti paullo opulentiores sint, adeò fuco infectæ, tantoque ornatu in publicum procedent, ut digitos ad extremos etiam ungues annulis onustos habeant, & infinita pusilla monilia è collo suspensa gestent, multosque torques aureos, vel etiam adulterinos: quaternis præterea vel quinis cingulis sericeis, vel aureis, vel gemmis veris & ementitis constantibus præcingentur, atque preciosis vestibus sericeis induentur: breviter omnes suas opes, ostentationis gratiâ circumferunt, eodem ferè modo quo novæ nuptæ. Sed simili ornatu solennibus duntaxat diebus prodeunt.

Creditu difficilia esse, quæ Turcici circulatores in publico faciunt.

CAP. XXXVII.

PERINDE atque nos in Europa, petauristas & circulatores habent Turcæ, qui ab ineunte ætate edocti, toto vitæ curriculo nihil aliud agunt. Creditu admodum difficilia peragunt, iis qui non viderint: quemadmodum ferreum pistillum pugno multoties in eadem hora incusso confringere. Vidimus qui magnam trabem erectam in humero gestaret, eamque sine manuum adminiculo in alterum humerum succuteret, idque subinde alternatim faceret sine intermissione. Quini aut seni simul plerumque conveniunt, opidaque & pagos circumeunt, quando fora celebrari, hominumque frequentiam adfuturam sciunt: istîc occupato aliquo fori loco, mille gesticulationes propalam faciunt, nudis pedibus supra acutissimos acinaces gradiuntur, bubulos pedes crudos dentibus in partes dividunt, quorum deinde ossibus dempta carne, tam validè crura & brachia sibi verberant, ut admirandum sit; nec verberare desinunt, donec hujuscemodi ossa quina aut sena subsequenter confringant. Nisi ipsi conspexissemus, vix credidissemus: & nisi eadem coram illustribus nostræ nationis viris, qui etiamnum vivunt, facta fuissent, vix meminisse voluissemus, sed illi ipsi rem ita sese habere testari possunt. Virium autem robori, quali olim Athletæ prædìti erant (de quibus Hippocrates & Galenus multa) id attribuere potuissemus, nisi alios plerosque, & inter eos quosdam corporis infirmi, similia facere observassemus: eam ob causam aliud mihi persuadere non possum, quin fraus aliqua & impostura subsit. Ceterùm, dum eorum nonnulli has gesticulationes agunt, reliqui adeunt spectatores, & stipem emendicant. nemo dare cogitur, sed adeò importunè efflagitant, ut quidam elargiantur: indecorum enim non censent, quidpiam emendicare.

Turcæ-

Turcarum lucta.

CAPVT XXXVIII.

LVCTANDI mos qualis olim apud Græcos & Romanos in usu fuit, etiam nunc apud Turcas observatur. Vix ullum est in ea regione spectaculum quod spectatores majore voluptate afficiat. Luctatores enim nudi sunt, brachis sive femoralibus dumtaxat coriaceis oleo delibutis & lævibus, ne comprehendi possint, pudenda tegentibus. Si quis forte è spectatorum numero (plurimi enim spectandi gratiâ conveniunt) adolescens virium robore celebris, cum alio experiri velit, quispiam ex athletis honorifice illum invitabit, brachasque coriaceas præbebit. Qui circum eos sunt, operam suam offerent, ut eos, dum vestes exuunt, juvent; vestemque aliquam talarem aut pannum lineum attollent, dum spoliantur. Iam parati in palæstram prodeunt; quia verò nudi sunt, brachiaque & reliquum corpus lubrica habent, brachæ anguste femora stringunt, etiam genua usque ad suras artè comprimunt, magnâ difficultate luctando se mutuo comprehendere possunt: neque quisquam victor evadit, nisi adversarium in dorsum prostraverit, quod difficulter admodum fit: licet enim alteruter in latus vel in genua cadat, adversario adhuc stante, victus propterea non est; nam in hac luctaquacumque comprehendere adversarium licet, etiam per crura: quod si alter alterius manum prehendere potest, summis viribus adversarium prosternere nititur; ille verò ejus conatum eludit. Interdum integrâ horâ ita certabunt, antè quàm alter alterum in dorsum prosternat: nec unquam tædio afficerentur spectatores; tantam voluptatem adfert ea lucta; dubiaque adeò est, ut modò hunc victorem futurum judices, modò alterum. Victus autem non minus sibi displicet, quàm qui in gladiatoriâ præmio excidisset. Interdum universum corpus oleo perungunt, tuncque lucta magis delectatione afficit spectatores, quia mutua prehensio longè difficilior est.

Turcas imperterritos esse funambulos.

CAP. XXXIX.

PER extentum funem incedere, nuperum inventum non est: multis enim locis veteres auctores ejus meminere: sed nulli peritiores sunt, Turcis, qui à pueris eam artem ediscentes, per omnem vitam exercent. Veteribus χοινοβάται & funambuli appellabantur. Octoni aut deni simul convenientes, equum alunt ad funes & alia impedimenta ferenda, breve enim iter singulis diebus conficiunt: in pagum aliquem pervenientes, amplum aliquem locum deligunt, ubi explicatis suis impedimentis, celsas binas trabes in solo figunt, quibus binos funes alligant, altero longè supra alterum eminente. In superiore autem fune suos ludos non exercent, sed in infimo, per quem interdum seni incedunt, tantaque agilitate sese circumagunt, ut sciuri videantur: per summum funem solùm incedunt qui longâ sese librant hastâ. Hæc omnia publicè fiunt. Cùm verò ex ipsis nonnulli ex fune descenderunt, pecunias à spectatoribus exigunt, adeò importunè, ut vix illis denegari possit. Haud credibilia plerisque viderentur, si omnia quæ faciunt, sigillatim explicaremus: atque si nostræ Europæ rustici quartam eorum partem duntaxat conspexissent, non dubitamus quin præstigia esse existimarent. Sed hæc longo usu à pueritia edocti faciunt, quemadmodum petauristæ suos in aëre saltus, Turcis ignotos. Suspendunt se ex capillorum villo quem in vertice capitis gerunt instar feminæ: Omnes autem Turcæ caput radunt, excepto vertice, in quo villum relinquunt, quo Mahumetes eos comprehendere, & à terra sublevare queat in die iudicii. In eorum autem potestate situm est, ut eum villum brevem aut prolixum gerant. Turcæ sibi invicem caput radunt eodem cultello quo cibum concidere solent: nam ita cultri aciem intendunt, ut novaculæ instar radat: tonsoribus tamen non carent, qui pro regionum varietate novacularum aliâ etiam formâ utuntur: nam Syriacæ & Ægyptiacæ, densæ & graves: quarum manubrium incurvum non est, sed extremitatem habet in capitulum conformatam, optimæ tamen (nam ex Damasceno chalybe factæ sunt) aciei.

Turcarum canes; eorumq; venatio.

CAP. XL.

VILLATICI Turcarum canes peculiarem herum non habent: & licet ædes non ingrediantur, tegetes tamen ſemper in area ſtratas habent, quibus incubent: atque ſecundum parietes concava quædam ſaxa, in quæ oſſarum reliquiæ, panis, oſſaque conjiciuntur, quibus veſci queant. Singuli tuentur eum locum in quo fuerunt educati, & reliquos canes ab illo arcent: fugant præterea ſilveſtres illos lupos apud Turcas vulgares, nomine Adil, nec in pagos ingredi ſinunt. Venatici canes noſtris magnitudine cedunt, ſed eos æquant quos ſpurios ſive hybridas appellamus, villoſam ſimiliter habentes caudam, pendenteſque aures, ut Cretenſes venatici canes: funiculis illigatos tenent, ut nos noſtros. Hiſpanicos etiam alunt ad perdices odoratu perſequendas. Aucupandi etiam artem tenent cum accipitre fringillario, cum vulture, cum ſacro & falcone: dum verò revocant, houb, houb duntaxat acclamant: dextrâ autem eas aves ferre ſolent, quibus interdum ova gallinarum dura veſcenda præbent in recentis carnis penuriâ. Qui loca incolunt feris frequentia, fulvas perſequuntur, atras minimè: etenim (ut diximus) aprugnâ non veſcuntur: ſi quæ verò fulvæ à canibus captæ, quibus abundè ſanguis non profluxerit, qui ſcrupuloſiores ſunt, earum carne non veſcentur: nam, ut antè dictum eſt, à ſanguine & à ſuffocato abſtinent. Attamen ex ea quæſtum ut faciant, Chriſtianis vendunt, cùm non ignorent, Iudæis perinde prohibitas eſſe.

Stirpium in monte Olympo obſervatarum nomina.

CAPVT XLI.

RELICTO Cotiæo, viam quæ per montem ducit ſequuti, in pagum admodum latè patentem inter valles Olympi ſitum, venimus. Magnam iſtic Tragacanthæ, (è qua inquilini gummi, quo nos utimur, legunt) quantitatem obſervavimus. Poſtridie jam claro die diſcedentes, per montem iter fecimus, in quo dumtaxat ſuperando diem inſumpſimus. In ipſo montis ſupercilio denſam adhuc nivem deprehendimus: ingens enim mediâ aëris regione frigus, nunquam iſtic miteſcit: eaque eſt cauſa, cur in celſorum montium jugis ſummum ſemper ſit frigus, & nix inſidens non colliqueſcat. Exemplum habemus in Æthiopiæ montibus, quos (licet omnia ejus regionis plana loca ingenti Solis æſtu aduſta ſint) Theophraſtus de Myrrha, Thure & Caſſia agens, nive tectos eſſe aſſerit, uti ſunt etiam Libanus in Syria, Spachiæ mons, Ida, & Dictæus in Creta: attamen appianum ſive malvaticum vinum in planis vicinis locis frequens colitur: Non igitur mirum eſt, ſi æſtate in ſummo æſtu, grandinem decidere videmus. Iſtic etiam obſervavimus Sabinam illi quæ à nobis in hortis colitur ſimilem, tantâ copiâ ſponte naſcentem, ut tumuli ab ea tegerentur: abietes in ſummam altitudinem attollerentur, ſed exiguam præbentes reſinam. Sunt etiam nonnullæ eſculi, oſtriæ, aliæque ſimiles arbores. Piceæ nonnullis ſilvarum locis ſatis iſtic frequentes ſunt; aliud item quercus genus à noſtris diverſum, quod veteribus ignotum fuiſſe arbitramur: ejus etenim glandes minoribus fabis majores non ſunt. Helleborum nigrum iſtic frequens* rubentes profert flores, quo in loco primùm ſimili flore præditum conſpeximus. Ledon


Larix.

item

item à Græco diversum & longè majus. Observavimus præterea alias arbores & stirpes, quas cùm vetere appellatione exprimere nequeamus, aliàs describemus. Per Picearum & Abietum silvas iter facientes, diligenter observabamus, an Larices conspiceremus: sed neque toto illo monte, neque per Asiam aut Græciam ullam vidimus. Eà propter veteres Græci Scriptores, quales Theophrastus, Dioscorides, & Galenus, ejus non meminere, tanquam ipsis ignotæ, licet nonnihil de ipsius gummi Dioscorides & Galenus egerint. Miror Plinium de Thya agentem, cogitare Homerum Laricis mentionem facere: sed hallucinatur, pro Picea Laricem supponens, cujus iconem hîc exhibemus; plenam ejus descriptionem cum reliquis coniferis arboribus daturi.

Vespere in alium pagum inter montes situm divertimus. Postridie autem planè ex monte descendimus, in quo nihil præter peculiare quoddam piceæ genus observavimus, conos, auricularis digiti extremitatem crassitudine vix superantes, ferentis, & fruticem quem Brutii vulgò Spina cerisola nuncupant. Planiciem deinde habuimus amplam instar maris æquatam, uberis admodum glebæ, oriza consitam; multis rivis ex montibus undique delabentibus eam rigantibus, aquâ per cataractas facilè retentâ & emissâ. Ceterùm mirum non est, si oriza apud Turcas magno sit in usu, quandoquidem illam melius apparare norunt, nostris hominibus: In jusculo illam coquunt, diuque ebullire sinunt, nullo modo agitantes: qui enim, dum ebullit, agitant, corrumpunt, ut nostri Galli, qui ex ejus uncia magnum aliquod fictile implent: quum Turcico more coquêdo, integra libra opus esset. Per hanc planiciem ad meridiem usque iter fecimus, ad cujus extremum per fauces quasdam in valles pervenimus, ubi denuò Spinam cerisolam observavimus, & Ephedram rubro semine uti Androsace refertam, ingentis altitudinis: hujus natura Smilaci lævi in Atho nascenti persimilis. Nam si juxta arbusculam primùm adolescentem nascatur, prout illa crescit, etiam attollitur, comesque in crescendo illi fiet, etiam si in immensam altitudinem arbor attollatur. Vidimus enim Platanos non minus celsas Abietibus in Hæmo monte nascentibus, quæ Ephedram ad summum usque fastigium deduxerant; sine claviculârum (quas ut Smilax lævis quibus se implicare possit, non habet) adminiculo ramis incumbentem: Si verò juxta fruticem aut arbusculam nascatur, humilis manet, nec supra eam attollitur. Iam antea in Illyrico inter Castelnovo & veterem Epidaurum observaveramus.

* *Elleborum nigram rubente flore, videre non memini; albò autem, semper, qui vetustate quodammodo purpurascit & rubet: qualem forsitan observabat Bellonius. nihil tamen assero.*

Prusa urbs, quæ Turcarum Imperatorum Regia esse solebat:

CAPVT XLII.

IN Prusam urbem Regum Bithyniæ olim sedem, quam Plinius ab Hannibale conditam scribit (Intus in Bithynia, inquit, Prusa, ab Annibale sub Olympo condita) maturè pervenimus, isticque diu hæsimus. Admirabilis est ejus situs; nam ut paulatim incrementum sumpsit, sic per montis acclive sparsa est: muro non cincta, sed Lugduno in Gallia amplior: variis enim locis per montis radices sparsa, convallibus separatur. Cùm Turcici Imperatores Phrygiam subjecissent, nec ulteriùs progredi possent, Regiam istic sedem constituerunt. Abhinc autem centum annis captâ Constantinopoli, paulatim in Europam penetrantes, Prusa relicta, Constantinopolim Regiam traduxerunt. Attamen Prusa etiam nunc æquè opulenta & populosa est ac Constantinopolis: imò hanc ab illa superari, opulentiâ & habitantium numero, dicimus. Rolandi gladius adhuc ad arcis Prusæ portam pendens conspicitur. Eum Turcæ diligenter adservant: nam vulgus existimat ipsum Turcam fuisse. Prusæ autem opulentia à serico constat: singulis enim annis mille cameli ex Syria & aliis Orientalibus locis serico onusti Prusam advenientes istic exonerantur, quod istic apparatum in stamina diducitur, vario modo texitur, & diversis coloribus inficitur: nam vestes ex holoserico variis figuris contexto & diversorum colorum, auro & argento interdum immixto, atque eleganter confectas gestare solent Turcæ.

Turcarum vestes elegantissimè esse concinnatas & consutas.

CAP. XLIII.

TVRCARVM vestes ex quacunque tandem materiâ, sive laneâ, sive sericeâ, sive è caprarum villis confectâ constent, sericeo filo Prusæ concinnato consutæ sunt, suturâ quodammodo indissolubili. Turcici sartores longè elegantius omnia con-

ſuunt Latinis, ut noſtratium opera velut tyronum videantur, ſi cum Turcicis conferantur; adeò concinnè illi omnia conſarciunt, ut vix ſuturæ appareant: in ſummâ, in ſuis operis nihil quod reprehendi queat, admittunt.

Ephippiarii, & ſutores Turcici.

CAP. XLIV.

SVTORES atque ephippiarii adeò nitidè & diligenter omnia ſua conſuunt, ut meliùs id fieri nequeat: ſuum ſetis non utuntur, ſed acubus longis teretibus cuſpide carentibus, & nonnihil incurvis; nec filum quo conſuunt, pice inductum; ſed cerâ ſtamina ſericea, quibus ſolis utuntur, inficiunt, foraminibus primùm ſubulâ factis. Turcarum cùm magnatum, tum ruſticorum cothurni, anteriore & poſteriore ſoleæ parte ferreis clavis muniti ſunt. Imò ipſius Imperatoris & Baſſarum, feminarum, puellarum & puerorum omnes cothurni perinde ferrati; nec, aliquâ in parte rupti, unquam reparantur (nulli enim iſtîc cerdones) quemadmodum nec corrupta ephippia. Equorum etiam antilenæ & poſtilenæ, reliquaque coriacea ornamenta ſericeo filo conſuta ſunt.

Fabri ferrarii Turcici.

CAPVT XLV.

FERRARII fabri Turcici nunquam follibus utuntur, nec carbone egent, fornacibus enim carent. Eorum ferreæ ſoleæ vix dimidium Europeæ ſoleæ pendent, neque eorum binæ ſoleæ plus materiæ requirunt quàm una externarum gentium. Soleas * ferreas magnas & parvas jam complanatas, nondum tamen pertuſas, emere ſolent: has deinde ut equorum pedibus conveniant, ſedentes noſtratium ſartorum more, hoc eſt, cruribus decuſſatim compoſitis; malleo ſupra incudem accommodant, deinde chalybeo ſtilo bene temperato perforant, alioque quadrato, bonæque aciei, pugione foramina pro arbitrio augent. Hæ ſoleæ uncos non habent; quia equos exercentes, nunquam eos in girum alternis verſant; præterea clavi quibus ſoleas adfigere ſolent, oblonga craſſaque habent capita, inſtar columbacei cordis. Cùm autem equi gradatim incedere ſoleant, per ſemeſtre integrum calceandi non ſunt: quæ conſuetudo cùm admodum laudabilis ſit, de Turcarum in bello gerendo commoditatibus agentes, eam minimè præterire debuimus. Equi pedem ad ferream ſoleam applicandam repurgantes, eum in fornicem non excavant, noſtro more ferramenti conciſorii aciem protrudendo, ſed eum complanant, ferreo inſtrumento palmum lato, cujus acies verſus manubrium obverſa eſt, attrahendo. Eorum item habenæ exiguo admodum freno præditæ ſunt: ſtrigiles verò tametſi dentatæ ſint ut noſtræ, manubrio carent.

* *Simile quidpiam per Hiſpanias, dum illas anno Dominicæ nativitatis* M. D. LXIV. *perluſtrarem, obſervabam, præſertim in vetere Caſtella. Ferreæ etenim ſoleæ, magnæ, parvæ, mediocres, è Cantabris, apud quos laudatiſſimæ ſunt ferri fodinæ, ruditer conformatæ per univerſam Hiſpaniam diſtribuuntur. Ferrarii deinde fabri, qui ſuas officinas plerumque ante ædes ſub ſubgrundiis habent, ſine ignis adminiculo iſtas ſoleas ad equorum, qui calceandi adducuntur, pedum formam ad incudem malleo accommodare & complanare norunt, ſæpe etiam ad Solis radios, & ſolearum foramina pugione ſive ſtilo peculiari auctiora facere: exigui autem ſunt ponderis iſtæ ſoleæ, adeò tamen temperatæ & durabilis materiæ, ut bis aut ter duntaxat in anno calceandi ſint equi, ſive muli, etiam meritorii, qui rariſſimè feriari ſinuntur.*

Turcici laniones: & lapides qui in bubulo felle inveniuntur.

CAPVT XLVI.

LANII Turcici aliarum nationum lanios in concinnandis carnibus agilitate longè ſuperant. Et ubicumque ſunt, jugulato bove, extiſque exemptis, fel obſervare ſolent, an lapidem contineat; nam plerumq. innaſcitur lapis ab Arabibus Haraczi nominatus, cujus facultates ab Avicenna ſigillatim ſunt deſcriptæ. Iudæi longè pluris æſtimant hujuſcemodi lapides quàm Turcæ, qui Iudæis ſaniores, illo magnoperè non indigent. Iudæi magna ex parte ineleganti colore ſunt præditi, & regio morbo laborant, naturaque taciturni ſunt & melancholici, non modò in Turcico dominio, ſed etiam in Germania, Italia, Gallia & Bohemia. Apud Turcas viventes, nullum præſentius remedium adverſus eum morbum norunt, Haraczi lapide. Quod adnotatum voluimus, ut quem hæc legere continget, lanios ſuæ regionis admoneat de perquirendo eo lapide in bubulo felle. Non invenitur quidem in omni felle: ſed in decimo quoque forſitan invenientur bini aut tres ejuſmodi lapides. Arieti aut capræ cutem detracturi, ſanguinem prorſus

ſus exſtillare ſinunt (nam ab omni ſanguine abſtinent) integrâ adſervatâ ad utrem liquori aliquo imponendo idoneum. Apertâ deinde alvo, tenue inteſtinum, qua inferiori alvo adhæret, abſcindunt; deinde ad alteram illius extremitatem craſſo inteſtino inhærentem connectunt: poſtea minora inteſtina eximentes, & pinguedine liberantes, ex unco ſuſpendunt in eum quem dicemus uſum. Carnes libratim vel ad pondus vendunt, ut & alia omnia; & ita præſcindere norunt, ut ſingula fruſta aliquid oſſium contineant. Quicumque Turca bovem ſive vervecem venalem habens, lanioni non venundabit, ſed ipſemet ad officinam deducens, à lanio jugulari, & omnia apparari curabit, perſolutoque illi præmio, ipſe carnes vendet, & earum pretium recipiet. Hæc tamen conſuetudo non perpetuò obſervatur. Nam & lanii armenta emunt in pagis & publicis foris, quorum deinde carnes ſigillatim in ſuis officinis venundant.

Arcuum Turcicorum nervi, & teſtudinum fides.

CAP. XLVII.

SVB veſperam ergo adveniet aliquis corbem dorſuariam geſtans, & laniorum tabernas obibit, excepturus inteſtina eo die reſervata; quæ deinde iis qui nervos & fides faciunt, tradit. Arcuum autem nervos, quorum frequentiſſimus eſt uſus, apprimè conconficere norunt: omnium enim arcuum apud illos nervi ex inteſtinis conflati ſunt. Omnis etiam generis fides conficiunt, easque admodum exiles: imò etiam neten, tam acutum quàm noſtrates reddentem ſonum, licet non adeò argutum; quia ex tribus nervis contortis conſtat: poteſt tamen aliarum penuriâ teſtudini Venetæ inſervire. Ejuſmodi netes varii generis, variorumque colorum reperiuntur, rubri, veneti, viridis, flavi, & albi: nulluſque eſt inſtitor qui eas & reliquas fides venales non habeat, etiam per univerſum Turcicum dominium, easque frequentiores quàm in Europa. Cujus rei hæc eſt ratio. Turcæ quatuor teſtudinum cavarum & lyrarum genera habent; quarum alterutras plerique pulſare norunt ſuo more, etiam ruſtici; quod neque in Gallia, neque in Italia vulgare eſt.

Teſtudo cava; & concentus Turcarum.

CAP. XLVIII.

ALICVI de veterum Muſicis inſtrumentis quidpiam conſcribere volenti, ea quæ per Græciam & Turcicum dominium conſpiciuntur, ampliorem illi materiam ſuggererent iis quæ tradita habemus. Tibiis etiam utuntur Turcæ, Germanicis ferè ſimilibus, ſex foramina ex ordine poſita habentibus, ſed duos cubitos longitudine ſuperantibus. Cum difficultate autem inflari poſſunt: nam os habent ab omni tibiarum Europæarum genere diverſum; ſupremum enim foramen ipſam fiſtulam penetrat; cantando plerumque inflari ſolent per amplum extimumque foramen, ſed exiguâ admodum, noſtro judicio, harmoniâ. Iam diximus Turcas inflare tibias noſſe, tympana pulſare, lyras, panduras, & heptacalamos: ſed & varia cavarum teſtudinum genera habent, quarum maximæ octo fidibus præditæ, eæque craſſæ admodum, cervice utcunque longâ, rectâ, multas tactus diſtinctiones habente; cumque illius fides noſtris comparandæ non ſint, ejus etiam harmonia ad noſtram non accedit. Alterum genus mediocris magnitudinis, magis vulgare eſt, ſeptem fidibus præditum, ut noſtra Lyra, diverſi tamen ſoni, majoris harmoniæ, & quod difficiliùs pulſari poteſt, ad Turcicas & Græcas ſaltationes admodum idoneum: hoc, nauticum genus hominum, præſertim palameriti à Græcis vocati, quales Peloponneſi, Eubœæ & inſularum maris Ægæi incolæ, frequentiùs utuntur quàm qui in continenti Aſiæ habitant: tactuum nullas diſtinctiones habet ut lyra: iis tamen adnexis pro lyrâ uſi ſumus: habet etiam neten poſt hypaten collocatam, quæ ad octavam netes anterioris intendi poteſt; brevior enim eſt, paxillumque habet ad infimæ cervicis latus infixum. Tertium genus minus eſt ſuperioribus, oblongâ duorum ferè cubitorum cervice, & multis tactuum ordinibus diſtinctâ; tribus duntaxat fidibus conſtat; cujus ideam commodiùs exprimere nequeo, quàm culinario cochleari propoſito, cujus manubrium oblongum & quadrangulum ſit: id quoniam magnâ facilitate pulſari poteſt, viliſque eſt pretii, paſſim ab omnibus uſurpatur, & pennâ ejus fides tanguntur. At maritimum illud genus nullâ tactuum ſerie diſtinctum, pulſari poteſt, vel fides pennâ tangendo, vel ſummis digitis eas prehendendo, quemadmodum apud nos cavæ teſtudines & lyræ: id genus ex Sabinæ illius quam in Tauro monte obſervabamus ligno, nunquam ſe findente, factum eſt:

media tabulati pars eodem ligno constat; altera ex piscis cujusdam pelle confecta est, varia obtinentis nomina: nam à veteribus & Aristotele Hyena piscis & Silurus dictus est; Græci hujus ætatis Glanion appellant: ponticulus fides sustinens pelli illi insistit. Inveniuntur ejusmodi testudines ex crispa materia confectæ, quæ plus quàm sex aureis æstimantur: & nonnulli tamen nautæ eo precio comparare non verentur. Turcæ porrò reliquas nationes superant, vermiculatorum, segmentatorúmve operum in marmorea, vitrea, sive lignea materia conficiendorum industria. Videas interdum pyxidulas aurifabrorum viginti ducatis æstimari. Vitreæ Cairi & Constantinopolis fenestræ vermiculato fragmentorum vitri diversorum colorum opere constant, conformata primùm ex gypso area, cui deinde vitri fragmenta applicant: eaque consuetudo ab Arabibus ad Turcas transiit.


Turcas latrunculorum ludum adprimè callere: magnumq́; usum gummi tragacanthæ apud illos esse.

CAPUT XLIX.

In Latrunculorum ludo Turcæ sunt industrii, eoque maximè delectantur: interdum enim totum diem ludendo traducunt, ea de causa latrunculos, alveique loco telam pictam, semper circumferentes. Admodum illis convenit hic ludus: nam cùm humi sedeant otiosi, facilè ludendo totum diem impendere possunt: eburneis nonnunquam personis scalptura expressis reperiuntur: sed ea quam Reginam nos vocamus, carere nobis visi sunt, aliamque ejus loco substituere.

Prusæ hærentes, observavimus gummi tragacanthæ usum adeò istîc esse frequentem, ut singulis annis plus quàm quattuor millia pondo absumantur, ad lævorem serico conciliandum. Nam Asiæ minoris rustici, lucri cupiditate illecti, per Mysiam, Phrygiam, Gallogræciam, & Paphlagoniam gummi illud legunt, & Prusam deferunt, ubi illicò præsente pecuniâ redimitur. Hallucinantur qui ex Creta Venetias deferri scribunt. Gallæ etiam genere utuntur Veteribus ignoto, in Terebinthis nascente, cujus libro primo meminimus, valde commodo ad sericum quovis colore inficiendum; hujus plus quàm sex millia pondo singulis annis insumũt. Concavæ sunt eæ gallæ, Romanarũ Gallarum magnitudine, innascentes Terebinthi maris foliis, vere colligendæ, alioqui in oblonga & semipedalia interdum cornicula excrescũt. Tres Prusæ vulgares sunt linguæ, Hispanica inter Iudæos, Græca, & Turcica, quæ magis usitata est. Istîc etiã sunt nonnullæ Arabicæ, Armeniacæ, & Italicæ familiæ. Veneti & Chii suos istîc Institores alunt. Duplici via Prusam Cõstantinopoli perveniri potest; marinâ, vel per continentem. Per continentem quinq. dierum iter est; per mare autem biduo aut triduo pervenitur: nam Prusa à Propontide dimidii diei itinere duntaxat abest. Appellitur in sinu Nicopolis veteribus dicto ad pagum Montaneæ nomine, à quo nunc is sinus appellationem sumpsit: locus verò est malè fidus navigiis, quia portu caret: propterea illicò in siccũ remulco subducuntur, ne tempestate à ventis excitata affligantur. Ejus pagi incolæ Græcè loquuntur, boniqúe sunt vinitores. Caloierorum istîc est monasterium. Turcarum Imperator binas liburnicas perpetuò habet, à Ianissaris mancipiis actas, quæ singulis diebus Mercurii (nisi tempestate impediantur) solvunt, altera ex Montanea Constantinopolim, altera è Cõstantinopoli Montaneam, & eos qui è Constantinopoli Prusam proficisci cupiunt, vel contrà, vehere solitæ. Eæ liburnicæ ex Montanea solventes, nivem ex proximo monte, Olympi appendice, delatam transvehunt Constantinopolim. Sunt

Caucalis.



enim

enim iſtîc onerarii equi conſtituti, qui nivem è monte deferant,qua bidui ſpacio liburnica impleri poteſt. Quotquot utrumque Helleſponti & Propontidis littus accolunt, fere piſcatores ſunt, Græco ſermone utentes. Iſtîc obſervavi ruſticum herbas domum referentem,inter quas erat à veteribus Caucalis nuncupata,ille Caſcalitra nuncupabat: cujus cùm iconem in recentiorum Herbariis non conſpexerim , illamque ad vivum expreſſam habeam; hoc loco proponere volui: eâ crudâ veſcuntur in acetariis,uti Lampſanâ.

Tandem Conſtantinopolim regreſſi,per Domini d'Aramont,qui Turcarum Imperatorem in expeditione Perſica ſequutus erat,abſentiam,ab ipſius Vicario viro nobili Biturige, cui nomen Iacobus de Cambray,non minùs humaniter excepti fuimus quàm antea à prædicto Domino d'Aramont. iſtîc multos qui cum Domino de Fumet advenerant,ſed Conſtantinopoli reſtiterant,invenimus:nam præter nobiles viros quos recenſuimus,egregiè litteratum virum Iuſtum Tenellum adduxerat, quem Rex Franciſcus litterarū Reſtaurator expreſſè eò ablegaverat,veterum codicum Græcorum cōquirendorum, ut diximus,gratiâ.

Flores quibus Turcæ delectantur; eorum horti: & variarum rerum apud eos experimenta.

CAPVT L.

FLOSCVLIS elegantibus maximè delectantur Turcæ; atque illos magni faciunt, etiam inodoros. Nos oblectamur florum & herbarum odoratarum commixtarum faſciculis: Turcæ earum quidem obtutu gaudent, ſed unicum florem, non plures ſimul mixtos, habere geſtiunt. Ac licet eorum varia genera ſimul habeant, ſingulos tamen ſeparatim in cydaris ſuæ voluminibus geſtant. Opifices plerumque variorum colorum flores in vaſculo aliquo aquâ pleno, ut eorum elegantia diutiùs conſervari queat, ante ſe ponere ſolent. Non minorem etiam quàm nos in colendis hortis adhibent Turcæ curam, nec minùs diligentes ſunt in conquirendis arboribus exoticis, ſi præſertim elegantibus floribus ſint præditæ, nullis in eo ſtudio ſumptibus parcentes. Arbores in ſuis hortis alunt Amygdalæ magnitudine, quas Græci vulgari linguâ Kromada appellant,Turcæ [a] Cromadia, quaſi dactylos; edulis enim earum eſt fructus, folium Adrachnes. Alunt etiam fruticem hederæ foliis,perpetuò virentem,[b] floribus violaceis,pediculum oblongum ambientibus, & caudæ vulpinæ craſſitudinem æquantibus, qua de cauſa Turcæ eum ſua lingua vulpinam caudam appellant. Lilia[c] rubra iſtîc in omnibus hortis vulgaria ſunt; à noſtratibus autem differentia, quorum flores albis liliis ſimiles ſunt; illorum folia arundinacea ſunt, radices graminis, ſed longè craſſiores. Plerique exteri navibus Conſtantinopolim appellentes, radices advehunt ſtirpium elegantes flores proferentium, non ignari ſe ex illis quæſtum facturos. Cùm aliàs diximus Græcos herbas negligere non edules, Turcas non comprehendimus, qui nunc Græcos ſuperant in nominibus tribuendis;nulla enim eſt herbula, modò eleganti flore ſit prædita, cui vulgari ſuâ linguâ nomen non imponant. Inter reliquas magni faciunt Carthamum, non modò odoris causâ, ſed oculorum recreandorum gratiâ, quodque capite ſit veluti arte compacto. Mira habent Turcæ variarum rerum experimenta. An non ſingulare quidpiam, medicamentum inveniri ſomnum ſtatim concilians quieſcere non valenti ? Sumpta ergo apud aromatarios(pharmacopœis enim,ut diximus,carent) pro dimidii aſpri precio Tatoula, illi qui vigiliis torquetur, exhibent. Tatoula autem nihil aliud eſt quàm Nux[d] Methel Arabibus dicta, Græcis Solanum ſomniferum, quam ſponte naſcentem in planis Hiericuntis apud Heliſæi fontem reperimus. Iovius de Selimo Imperatore agens, ſcribit illum veſci ſemine quodam ſolitum , quod animo voluptatem adferret, & rerum quæ moleſtiâ animum afficiunt, memoriam tolleret: ignorare tamen quale id ſemen, niſi fortè ſit Nepenthes. Nos autem obſervavimus Turcas palam veſci ſemine iſtîc in omnibus foris venali, ſtirpis Harmala, quæ Rutæ ſilveſtris genus eſt(de qua libro ſecundo egimus) paſſim in agris & inter ſepes iſtîc naſcēs,apud nos verò minimè.

Dum eorum ſtirpes obſervare cupimus, ſæpiùs ipſorum hortos ingreſſi ſumus : ſed nullum vidimus magis ſingularem & elegantiorem eo qui à Venetis Patauii colitur, cujus auctor fuit Daniel Barbarus,Patriarcha Aquileienſis,magni vir iudicii & inſignis eruditionis: ab eo deinde ſecundum in noſtra Gallia apud D.Maurum non procul Lutetiâ Pariſiorum. Meſpilus Aronia,& Pruneola ferens arbor frequentes ſunt per Conſtantinopolitanos hortos: reliquas etiam arbores fructiferas, ut Amygdalas, Perſicas, Malos , ab ipſis diligenter coli jam diximus.

[a] *An Cromadia,* Trebiſonkurmaſi, *ſive* Lauro-ceraſus *eſt, cuius hiſtoriam Lib.* I. *rariorum plantarum deſcribo? Ipſe tamen Bellonius Libello De neglecta cultura problem.* XXI. *diſtinguere videtur.*

[b] *Si Bel-*

[b] *Si Bellonius per fruticem perpetuò virentem, Lilac Matthioli, sive Syringam flore cæruleo intelligit, hallucinatur: nam deciduo est folio; perpetuo sanè nunquam observavi.*

[c] *Lilium autem eius rubrum, Liriasphodelum puniceum nostrum esse arbitror.*

[d] *Dispiciendum an Tatoula non sit Garciæ & Christophori à Costa* Datura, *quæ C. V. Fabio Columna Solanum manicum.*

Stellæ animalibus per Thraciam noxiæ: tum quorundam animantium atque plantarum in Ponti littore collectarum, & in foro Constantinopolitano conspectarum, nomina.

CAPUT LI.


CERTO quodam anni tempore, ovium greges in agris pascentes, noctu sub dio relinquere non audent Turcæ: quia, ut ipsi asserunt, binæ sunt stellæ (quas proprio nomine appellare norunt,) Iulio & Augusto noctu apparentes, illis planè verticales; quarum splendorem si oves, caput attollentes, conspiciant, intereunt: sin eo tempore sub tecto adserventur noctu, nullam noxam patiuntur. Rem ita sese habere, experimento indubitato se didicisse affirmant. Hæc autem per universum Turcæ dominium non accidunt, verùm nonnullis duntaxat Thraciæ locis. Eam ob causam, nunquam nisi eo tempore ovium greges noctu sub tectum agunt, ne hieme quidem. Pleræque aliæ provinciæ, harum observationum imperitæ, maximo interdum damno affectæ ex gregis interitu, ejúsque causam ignorantes, veneficarum præstigiis se id damnum accipere arbitrantur: quod Virgilius in suis Eclogis innuere videtur. Nos verò id primùm Constantinopoli intelleximus ab his qui certo quodam pretio lanionibus oves præbere soliti, eâ de re conquerebantur. Quod postea verum esse deprehendimus. Etenim cum vipeario Turca secundùm Ponti littus iter faciens, ovium greges sub tectis delitescere conspexi; causam sciscitatus, tametsi pastores ignorarent, responderunt tamen, reliquo tempore sub dio versari solere; verùm si tum temporis noctu foris relinquerentur, eas morituras.

Sequentes porrò stirpes in itinere observavimus; cistum cum hypocistide ejus radicibus adnascente frequentem, sparthii tria genera, periclymenum, aphacen, androsæmon frequentissimum, quod Itali Cecilianam nominant, omnis generis plantagines, linariam, lampsanam, millefolium odoratum, lagochimeni, chondrillam, malvam silvestrem & pleno flore, prasium, marrubium, chrysanthemum edule, chamæmelum, cedri pumilæ duo genera, juniperos pumiliones, arbutum, platanum, corylum, hederam, sambucum, delphini etiam sceleton suis adhuc ligamentis connexum in littore, smilacem asperam, corrudam, trifolium mœnianthes, caucalidem, fœniculum agreste, terebinthum, nerion, prunum silvestrem, eupatorium Græcorum, teucrium, androsacen, armoraciam, urticas, aspalathum, agourupes, aron, bellidis duo genera, consolidæ genus radice orbiculari, incolis Sterouli dictum, pimpinellam, galiopsim, calamintham, origanum heracleoticum, hippurim, buphthalmum, hippolapathum, helleborum nigrum, filicis duo genera, papaver silvestre, hyacinthi tria genera, conyzas duas, majorem & tertiam, orchides, violas, ericam, ferulam, sua ova edulia ferentem, hyssopum silvestrem, meum, symphytum flavo & albo flore, lupulum, asclepiadem, cynoglossum, calendulam agrestem, ulmum, chamædryn, colchicum, carduum benedictum, sideritin, oxalida, quercum, laurum, helxinen, cichorium, rosam silvestrem, convolvulum, stachyn, asperulam, oxyacantham vulgo creditam, styracem, chamædaphnen, anchusam, lycopsin, alaternum, thalietrum, chamæiridem, tria tithymali genera, marem videlicet, myrsinitem, & helioscopium, ornithogalum, populum nigram, & lybicam, castaneam, alnum, rhus coriariorum, pulegium, sorbum torminalem, quam Galli *Alisier* appellant, evonymum, anabasin, verbenam peristereon, aceris duo genera.

Viperarius porrò quem comitem habui, licet Turca, quos invenimus serpentes vulgari Græca appellatione exprimere potuit, uti inter reliquos dryinum veterum, quem dendrogailia nunc vulgò appellant, dictione ad veterem nonnihil accedente: nullum alium serpentem in majorem molem excrescentem, & sibilum majorem emittentem, cognovimus. Eum tam magnum aliquando invenire memini, ut sacco impositum rusticus per duo milliaria ferre nequiverit, quin quiescendum illi fuerit: illius exuvium fœno repletum, crassi alicujus viri crus magnitudine æquabat. Hujusmodi atque aliorum serpentum, avium, animaliumque terrestrium exuviis, stirpibus item integris & rariorum plantarum seminibus, atque marinis multis rebus ingentem capsam plenam, in navem onerariam Genuensem, cui nomen la Delfina, intuleramus, ad Dominum Vivaldi pertinentem, cui præerat quidam Franciscus Brusquet, eam in Angliâ exoneraturus, sed illâ à piratis interceptâ, &


Argeriam perductâ, nobis omnia perierunt. Tanta portò est inter serpentes vivos affinitas, ut vix discerni queant: nihil igitur mirum, si eorum icones atro duntaxat & albo colore expressæ, adeò similes sint. Hæc tamen genuina est dryini pictura.

Dryinus.



Serpentem etiam invenimus callum instar tuberculi in fronte habentem, qui nostra opinione veterum Aspis est, mihi admodum rarus visus, tametsi jam antea apud Brutios in Italia eum conspexissemus. Ut autem Cerastes supra oculos, binos callos elatiores habet; sic unicum hic; colore que Amphisbænam æmulatur. Iam de Ceraste in secundo libro egimus, nunc illius tamen iconem hîc exhibere libuit; ejus pleniorem historiam, tum reliquorum serpentum, cum iconibus, duobus libris quos illis dicavimus, daturi.

Cerastes.




Salamandras præterea ubique ferè vulgares, quas nostri Sours, Pluvines, & Mirtils appellant, & Phalangia invenimus. Redeuntes autem secundum maritimam oram, & ad Bospori fauces pervenientes, ubi Propontidis caput est, altiore vicino monte conscenso, aucupem reperimus, accipitres prætervolantes capientem, eo quo referemus modo. Mirum autem nobis videbatur (mensis Maii initio, quo tempore omnes aves suos nidos obsidere solent) tot milvios & accipitres ex Ponti Euxini dextro latere subsequenter advolantes, è longinquo quantum oculorum acies penetrare poterat, conspicere. Magnâ industriâ auceps eos capiebat, nunquam aberrans. Aream binos aut tres passus à dumo distantem complanaverat, quadrangulam, binos passus in diametro habentem, in cujus singulis lateribus ternas virgas pollicaris crassitudinis, & humanæ altitudinis terræ infixerat, quarum singulæ quà aream spectabant, crenam habebant, cui alligatum erat rete ex tenui filo viridi contextum, & humana altitudine extensum: in media area fixerat bacillum cubiti longitudine, cujus summo funiculus alligatus ad aucupem usque ponè dumum latentem perducebatur; cui etiam funiculo, multæ alligatæ aviculæ grana in areâ depascebant; has attracto funiculo volitare compellebat, simulatque è longinquo accipitrem advolantem à Ponto Euxino animadvertebat: accipiter acutissimâ oculorum acie præditus aviculas depascentes conspiciens, & magno impetu in eas irruens, reti se intricabat: hunc auceps illicò capiens, ejus alas in lineum pannum ad eam rem paratum usque ad commissuram immergebat; deinde colligatis extremis alis cum coxis & cauda accipitris, obductisque illius oculis, humi jacere sinebat, commovere enim se non poterat. Imaginari nescimus unde tot advenirent accipitres: nam duarũ horarum spacio quo istîc substitimus, plures triginta cepit; sic ut existimem centenos ab unico homine capi posse uno die.

Ceterùm qui herbas Constantinopoli venales in foro proponunt, plerasque habent, præsertim novo vere, nobis ignotas, & nullius apud nos usus; qualis est lampsana, vulgò Lapsana ipsis appellata: quam in caulem abeuntem, & florere incipientem, Vrouves nuncupant: hæc cruda degustata, raphanum sapit; cocta verò, amara redditur. Eleoselinon diligenti culturâ dulce reddunt, eoque crudo in omni ferè pastu vescuntur, Selino appellant: nostrum verò Selinon hortense, Macedonico. Venales etiam proponunt smilacis asperæ, quam Smilachia vocant, asparagos, boni saporis in acetariis; quemadmodum & Sigilli B. Mariæ asparagi, quod ipsi Embegli melena, corrupta voce ab ἄμπελος μέλαινα, id est, vitis nigra, nominant; Anconitani Tamarou nuncupant. In Turcici imperii urbibus fora celebrantur singulis diebus: nam, ut Constantinopoli observavi, tali loco forum celebratur die lunæ, alio loco die Martis, in Galatâ die Iovis; & sic de aliis, &, si quid in urbe sit rari, iis diebus

diebus demonſtratur. Itaque dum Conſtantinopoli hæſimus, ſæpiùs eorum fora adeuntes, pleraque ſingularia ab exteris provinciis advecta conſpeximus, præſertim inter medicamenta quorundam circumforaneorum medicorum, ſummam diligentiam adhibentium ut aliquid rari nanciſcantur, quo publicè propoſito, multi ſpectatum advenientes, aliquid ſuorum medicamentorum emant. Alii ſerpentes proponunt: alii unguenta & radices ſolummodo vendunt, & ſemen contra vermes: ſæpiùs ex Ægypto Conſtantinopolim commeantes. Nam quoſdam Conſtantinopoli agnovimus, antea Cairi conſpectos, à quibus piſcium in Nilo verſantium nonnullas icones nacti ſumus, quas libro de Piſcibus exhibebimus. Quoniam porrò animal *Tatou, cujus jam antè meminimus, apud illos interdum conſpicitur, delatum tamen ex Guinea & novo orbe, cujus veteres non meminerunt, illius iconem hîc ſubiicere voluimus.

Tatou.



In multorum muſeis jam conſpicitur hoc animal, licet ex tam longinquis regionibus petitum, à natura duro cortice latiſque ſquamis armatum, thoracis ferrei in modum, cujus caro facilè eximi poteſt, nullo vitio ipſius formæ illato. Iam illud erinacei Braſiliani genus diximus: nam erinacei modo intra ſuum corticem ſeſe contrahit: mediocrem porcellum magnitudine non excedit; cui crura cum pedibus & roſtro ſimilia habet, & conſpectum eſt in Gallia frumento & fructibus veſci.

Notum eſt Gallis aliud animal nomine *Tartaret* aut *Tartarin*, cujus hoc loco meminiſſe non abs re viſum fuit, ne dictionum affinitas quem fallat, Tatou cum Tartaret confundendo. Noſtro autem judicio Tartaret eſt Ariſtotelis Simia porcaria, cujus antè mentionem fecimus, cùm de Cairi circulatoribus ageremus. Nonnulli eam Maimon vocant, alii Magot in Gallia. Neque ejus iconem, neque deſcriptionem hîc exhibemus, quoniam aliàs de ea latiùs diſputare volumus; præſertim cùm adhuc controverſia ſit de appellatione Gallica, & aliqui contendant Magot ſive Maimon aliud animal eſſe quàm Tartaret.

Finem porrò noſtris Obſervationibus impoſituri, Lectorem admonere voluimus, ne ægrè ferat, ſi interdum animalis alicujus aut ſtirpis iconem exhibuimus, cujus obiter duntaxat meminimus: nam ſi omnia quorum in hoc libro mentionem fecimus, deſcribenda fuiſſent, ſublata foret omnis occaſio de iis aliàs peculiariter agendi: ubi tamen ea ſeſe obtulit, pro rei opportunitate ſermonem de quibuſdam agentes, vel produximus, vel contraximus. Ceterùm ut exteræ nationes harum noſtrarum Obſervationũ etiam participes fiant, eas aliâ linguâ deſcribere habemus in animo, ſed aliâ methodo & diſpoſitione. Intereà ſi Lector ex harum lectione utilitatem aliquam perceperit, gratias agat Illuſtriſſimo Cardinali Turnonio, noſtro liberaliſſimo Mæcenati & Domino, qui in peregrinationes noſtras ſumptus contulit: deinde liberali noſtro, magnanimo, ſapientiſſimoque Regi, qui pro ſua humanitate & benevolentia nobis conceſſit, ut in alumnorum ipſius numerum referremur; poſtremò Domino Franciſco Olıverio Galliæ Cancellario.

* *Qui plura de animali Tatou ſcire volet, D. Nicolai Monardes libellum de Medicamentis ex Occidentali India delatis conſulat, in quo proprium caput illi dicavit, Armadillo id nuncupans; noſtráque in eum ſcholiola: tum etiam XV. cap. Lib. V. noſtræ Exoticorum Hiſtoriæ.*

NEMO unquam de variis rebus agens tam commodè omnia explicare potuit, quin ſeveri, invidi, malevolique Lectores invenerint, quod carperent & calumniarentur. At eos qui hunc noſtrum laborem boni conſulent, oramus, ut ſi alicubi lapſi erimus, nobis condonent.

ADMONITUM *porrò Lectorem volo denuò, Bellonium toto hoc libro, non ſine errore, Piceæ nomine appellare eam arborem, quæ Theophraſto πεύκη ἀγρία, Plinio, Pinus ſilveſtris dicitur.*

FINIS OBSERVATIONUM P. BELLONII.

ANIMADVERSIONES IN PETRI BELLONII Observationum Libros.



VVM Bellonii Observationum Latinè loquentium potißima pars à Typographo iam expressa esset, tradidit mihi Amicus vir Clarißimus & eruditißimus aliquot in easdem Notas, quarum quum pleraque me fugissent, & Hebraica, Arabicáque vocabula contineant, operæpretium me facturum existimavi, ut eas ad Observationum iam expressarum calcem adiicerem, ut benevolus Lector illis etiam uti poßit.

Prior numerus, paginam; alter, versum indicat.

Pag. 40, vers. 20. ἁγίας λαύρας. Sanctæ monasterium. per ἁγίαν intelligunt virginem Deiparam.

Pag. ead. vers. 38. ἀλασίδινα. Cubile maris. propter angustias.

Pag. ead. vers. 39. megaliviglia μεγάλη βίγλα. magna vigilia, Gallis, *le grand guet*.

Pag. ead. ver. 43. Protonero Πρωτονέρο. Prima aqua.

Pag. 41. v. 3. Castamoniti. Corruptum ex Italico Castro munito.

Pa. ead. v. 21. neminè per universam Græciam aliqua eruditione præditū. Imo prorsus contra, Semper Græcia habuit viros longe doctissimos usque ad captam Constantinopolim: a quo tempore omnes docti in Italiam confugerunt. Contra in Occidente, omnes erant imperiti propter imperitiam linguæ Græcæ, quam Latini ab exulibus Græcis didicere.

Pag. 42, v. 14. alterum Damasci esse. Nihil falsius. Isti sunt tantum Patriarchæ in toto orbe terrarum: Constantinopolitanus, Ῥωμαίων πατριάρχης: Antiochenus, τῶν Σύρων καὶ τῶν Μαρωνιτῶν πατριάρχης: Alexandrinus, τῶν Κοφθιτῶν πατριάρχης: Armenius, Catolicas; & Papa Romanus, ὁ τῆς παλαιᾶς Ῥώμης πάπας.

Pag. ead. v. 23. statuasque. Nulla ecclesia Christianorū habet statuas Sanctorum, præter Latinam. Reliquæ Ecclesiæ habent imagines pictas.

Pag. ead. v. eod. & campanis utuntur. Falsissimum. sub toto imperio Turcico nullus est usus Campanarum: imo districte interdicitur. Propterea habent tantum laminas ferri ad concrepandum.

Pag. 52, v. 57. Nam licet Oriens Occidente calidior & siccior sit. Est ineptissima sententia. Nam differentia caloris & frigoris non pendet ab Oriente & Occidente, id est, a longitudine, sed a latitudine, hoc est, quo quæque regio plus distat ab æquinoctiali, eo frigidior; quo propius abest, eo calidior. Ideo in Occidente sunt regiones, quæ calidiores sunt, quam multæ quæ in Oriente. Denique non est Oriens, neque Occidens, nisi respectu locorum.

Pag. 54, v. 34. metu tamen cur minus ingrederentur haudquaquam impediebantur. Est ἀντιλογία ridicula, quam non intelligo.

Pag. 55, v. 2. Asuest, ἄσβεστο, inextinguibilis.

Pag. 56, vers. 51. Zax vel Dorx. Legendum ζόρξ vel Dorx.

Pag. 59, vers. 18. Ceres. veteribus Cranon nuncupatam. Hallucinatio, vel potius error. Nam Cranon est in Thessalia, non in Macedonia.

Pag. 60, vers. 21 ubi de sepulchro medici Alexandri agit. Inscriptum charactere Græco, sed ex parte corruptum Servianico. Vocat literas Servianas, quæ aliter dicuntur Hieronymianæ: quia Illyriis, Serviis, & Macedonibus persuasum est, eas literas, quæ hodie sunt in usu apud illas gentes, non solum excogitatas esse ab Hieronymo, sed etiam sacra Biblia & novum Testamentum, & Liturgiam ab Hieronymo in linguam Illyricam illis characteribus conversa fuisse. Ex hac fabula possumus colligere quam recentes sint illæ literæ, & quantum deceptus fuerit Bellonius, qui vulgo credidit ea de medico Alexandri referenti. Nam si quis medicus Alexandri ibi conditus fuisset, Græcis litteris proculdubio, non recentibus barbaris Illyriorum inscriptus fuisset ejus tumulus. Quis non videt esse fabulam anuum & vulgi?

Pag. 61, vers. 1. Bucephalæ olim Chalastrea. Falsissimum. Incolarum fabula homini parum literis instructo imposuit, quemadmodum de sepulcro medici Alexandri. Illi urbi, quæ hodie à Macedonibus & Thracibus vocatur Bucephala, nemo hactenus vetus nomen reddere potuit.

Alia hallucinatio. putat eandem urbem esse Bucephalon Plinii & Melæ cum hac Bucephala. Bucephalon Plinii & Melæ sunt prope Anthedona urbem Bœotiæ. Auxit hallucinationem, quod non solum Anthedon est urbs Bœotiæ, sed etiam portus Peloponnesi: item Bucephalos est portus Peloponnesi. Itaque hæc omnia inter se permiscuit.

Pag. 62, vers. 5. Carbachara, sive Carbaschara. Nos peregrini male pronunciamus hoc nomen. Non enim Carbaschara, sed Karwan Sarai dicendum erat, hoc est, Karavanæ domus. Karovana notum quid sit: est commeatus, ζωοδία peregrinantium. purum putum Arabicum. Sarai est Turcicum, & significat domum.

Pag. 63, vers. 9. Injuralicis. legendum IIIIIL. VIRALICIS.

Pag. 69, v. 6. Perinthus est Heraclea, non Rodosto. Quinetiam ipse Bellonius ab amicis monitus, mutat sententiam libro III.

Pag. 71, vers. 21. De insulis Demonesis nugatur.

Nam Δημόνησον unam agnoſcit Stephanus.

Pag.75, verſ. 12. Verba Plinii, ut ipſe citat, ac interpretatur, contra eius mentem ſunt. Itaque non *dicatum ſacris Iudaeorum*, ſed *abdicatum* legendum eſt. Iudæi enim non auderent garum edere, quia ex piſcibus non ſquamatis confectum eſt. Ideo abdicatum eſt eorum ceremoniis.

Pag. 77, verſ. 7. Caſſabou ſerire قصب الذريرة hoc eſt calamus aromaticus. Inde legendum eſt *derire*, non *ſerire*, vel *dherire*, per Dhal.

Pag.ead. ver.8. حمامة Hamame.

P.ead. v.9. Saccharum. deeſt vox Arabica Eſſachar قصب السكر Arundo Sacchari.

P.ead. v.10. Ben album. بان ابيض Ben rubrum. بان حمر

Pag.83, verſ.10. Multum decipitur, quod credat ruinas Troiæ, quæ extant hodie, eſſe illius Troiæ, quæ bello decẽnali oppugnata eſt à Græcis. Illa enim Troia eſt Troia Alexandrina, colonia Romanorum. Teſtis inſcriptio, quæ ibi extat.

Pag.84. verſ.4. IMPERATOR CÆSAR. Inſcriptio vetus quidem, ſed ſuppoſititia, cuius clauſula ineptiſſima.

Pag.ead.v.7. IMP. CÆSAR. AVG. DIOCLETIANO. Ex eadẽ incude, ex qua ſuperior, ſed longè ineptior.

Pag 85, verſ. 20. Ea vero Magneſia non eſt quæ in Theſſalia Mæandro amne alluitur. Tam Theſſaliæ poteſt eſſe Mæonia, quam Europa Aſiæ. Eſt error calami.

Pag.88, verſ.12. Paxo, olim Ericuſa dicta. Falſum. Ericuſa alia eſt, aliæ duæ Paxæ inſulæ.

Pag.89, verſ. 18. Smyrna dicta fuit. Smyrna urbs longe poſt Samum eſt.

Pag.90, verſ. 16. ſculpturarum diruunt. Falſum. Si quæ vetera monimenta ſuperſunt, ea effugerunt eorum oculos; aut aliquando parcunt literis, quas propter altitudinem loci, attingere non poſſunt.

Pag.92, verſ.41. Italia minime notæ. Imperite dicit Onocrotalum eſſe ignotum Italiæ. Martialem in eum teſtem produco:

Turpe Ravennatis guttur Onocrotali.

Et nos ſcimus Martialem verum dicere.

Pag.94. Hyæna, Civetta. Ineptum. Nihil prodigioſius.

Pag. 96, v.21. Pharaonis murem. Phar Phirauni.

فار فرعون

pag.97, v.48. Pharus. Verum quidem eſt à Cæſare inſulam vocari: ſed adiicit à ſuperioribus Ptolemæis, molibus in mare jactis, ex inſula peninſulam factam.

pag.104, v.13. deinde in Turcicum idioma converſus. Falſum. Si quis in aliam linguam converteret, ſine ulla ſpe veniæ vivus combureretur.

Pag. ead.v. 55. Lucium veteribus Oxyrynchum appellatum aſſerimus. Ridiculũ & inſignis inſcitiæ.

Pag. 107. verſ.3. Græci vulgari lingua Semiamithos. Certè ita vocatur Hebraicè שְׂמָמִית Prouerb. xxx. 28. Lacertam interpretantur doctiſſimi Iudæi, & Septuaginta ſenioribus redditur καλαβώτης, hoc eſt Lacertus. Itaque hoc ſatis eſt ad obſtruendum os tam aliis Iudæis, quam Chriſtianis, qui aliter interpretantur. Quare Bellonius magnam lucem illi loco Proverbiorum attulit, & omne dubium ſuſtulit, quum dixit à Græcis σεμάμυθος vocari. quod ſatis mirari non poſſumus.

Pag. 109. verſ.12. Bellonius, qui Cairum & Alexandriam vidit, parum amplitudines illarum urbium conſideravit. Nam Cairum duplo majus eſt Conſtantinopoli. Conſtantinopoleos autem ambitus major Lutetiano.

Pag.ead. verſ.47. Ex noſtro comitatu quiſpiam quæſtionem movit. Nulla eſt urbs, quæ pro ratione ſuæ amplitudinis pauciora habeat templa, quam Lutetia, præſertim major urbs. Aio in tota Lutetia tam intra mœniorum ambitũ, quam extra, non eſſe centum templa ſive magna ſive parva: & Londinum urbs Lutetia longe minor centum viginti parochialia templa habet, præter monaſteria & alia templa. Itaque comparatio templorum Pariſienſium cum Moſqueis Cairi digna eſt homine parum in ſimilibus rebus verſato. Aiunt Ægyptii reperiri in Cairo vicena & bina millia Moſquearum: non credo tamen, ſed ex mendacii magnitudine æſtimari poteſt valde ingentem eſſe numerum: atque non dubito, quin plures ſint Moſqueæ in urbe Cairo, quam ſint templa magna & exigua in omnibus Lutetianis & Melodunenſibus diœceſibus, quibus ſi adiicerem tertiæ alicujus urbis diœceſim, non mentirer. In hac re ſe prodit Bellonius non recte obſervaſſe magnitudinem omnium urbium, quas vidit, ut etiam ex his apparet, quæ de Damaſco & Chalep tradit. In Cairi præſidiis erant anno 1603 decem & octo millia equitum; ex quo æſtimari poteſt, an parva ſit urbs.

Pag. ead. verſ. 56. Bagdat. Fallitur cum aliis, qui Bagdad putant eandem cum vetere Babylone Semiramia: quum tamen certo certius ſit Bagded eſſe Seleuciam, cujus vicinitate Plinius ſuo tempore Babylonem quotidie exhauriri ſcribebat.

Pag. 110.v.14. Cinghi. alibi ſcribit per S, Singhi, quod rectius eſt. Eſt purum putum nomen Æthiopicum ሰንቀ literis Iudaicis סִנְקִי Sinki. cujus organi inventrix eſt Æthiopia, & eo maxime delectatur. à quo etiam quam harpam vocamus, ipſis Mſanko dicitur.

Pag. 111. verſ.13. nullum Balſami fruticem in Hierico cultum fuiſſe. Hanc confidentem temeritatem ſatis convincunt veteres ſcriptores Ioſephus, Strabo, Plinius.

Pag. ead. verſ.48. Falſum à Soldanis Balſamum conſitum fuiſſe. Nam adhuc ſtante imperio Romano balſameta erant in Ægypto. Claudianus in epithalamio Palladii & Celerinæ:

Gemmatis alii per totum balſama tectum
Effudere cadis; duro quæ ſaucius ungue
Niliacus pingui deſudat vulnere cortex.

Verum quidem eſt, poſtquam exaruit balſametum Cairenſe, tunc Soldanis curam fuiſſe ex Arabia novelletum ſufficere: quod & annis ſuperioribus contigit, quum Baſcha præfectus Ægypti curavit alias plantas ex Arabia peti.

Pag. ead. verſ.53. Ficus Pharaonis. Tin Phirauni

تين فرعون

Pag. 115. verſ. 20. Veteres Crocodileam appellarunt. Eſt hallucinatio. Nam alibi fatetur ſcincos, non ſtelliones eſſe, ex quibus Crocodilea colligitur.

Pag. 116. verſ. 50. Magnus error eſt exiſtimare Sphingem eſſe ingens illud caput, cujus Plinius meminit. Adeo pueriſis error eſt, ut tolerari nequeat. Nam Plinii Sphinx integra eſt; altitudo à pectore

sive ventre ad summum apicem in capite pedum sexaginta duorum. at hoc de quo Bellonius agit, dumtaxat caput est.

Pag. 117. vers. 12. quem Nero Imperator Segoduni erigi curavit *Rodez* Gallis. infra adhuc nomen Rodez repetit urbis, quæ est Segodunum Ruthenorum provinciæ Arverniæ vicinæ. Et quia mentionem fecit Arverniæ, putat Rhodon esse Rodez, quandoquidem magnus ille Neronis Colossus Soli dicatus illi in memoriam revocavit Solis Colossum Rhodi erectum. Mera insania est. Nam confundit Colossum Neronis cum Rhodio, & Rhodon cum Rodez Gallis nuncupata sive Segoduno urbe Aquitaniæ, ratione Arverniæ ubi Zenodorus magnum alium Colossum erexerat.

Pag. 117. ver. 25. neque ulla illarum ubera vel alas habet. Valde errat in eo, quod dicit Ægyptiorum Sphinges vario modo pingi: quod prorsus falsum est, quandoquidem omnes sunt similes. Sed Ægyptiacæ Sphinges valde a Græcorum Sphingibus differunt: nam hæ alatæ pinguntur & repentes. Ægyptiacæ alis carent, & quatuor suis pedibus incumbunt: præterea velatum caput habent, Græcæ nudum.

Pag. 119 vers. 42. ingenue fatemur veterem Buffali appellationem nos ignorare. Hoc non erat dicendum. Nam Vrus verus Buffalus est veterum. Atque Plinius jam sua ætate conquerebatur, quod Vrus vocabatur Bubalus, qui error etiamnunc durat. Martialis vocabulo Vri & Bubali idem animal expressit.

Namque gravem gemino cornu sic sustulit ursum.
— hunc timuit bubalus atque bison.

Pag. 123. vers. 54. Armenii, aliter Maronitæ nuncupati. Valde differunt cum religione tum charactere & sermone Armenii & Maronitæ. Nulla est Armeniorum ecclesia in Ægypto: sed Koptitarum, qui peculiari utuntur sermone prorsus ab Arabico differente.

Pag. 131. vers. 9. Dhab ضب Lacertus, cum puncto in prima litera.

Pag. 132. vers. 44. Serpens alatus multis de caussis est commentitius. Agyrtarum est figmentum.

Pag. 134. vers. 45. Circassos. Phreneticum est Cercassos appellari, a loco in Ægypto cujus Herodotus mentionem faciat. Nam Cercassorum recens est appellatio, qui veteribus Zygitæ, Septentrionalis populus, e quo educebantur & adhuc hodie educuntur multa mancipia, quæ in Ægypto venundata, abnegata per vim fide in Christum, & circuncisa, appellata sunt Mamluc مملوك hoc est mancipia, & distributa sunt ad custodiam Sultanorum eadem ratione qua Ianissari apud Turcarum Imperatorem: atque evaserunt in magnum imperium. Nam ex eorum numero creabantur Sultani Ægypti: hinc Sultanorum imperium Circassorum imperium appellatum est, quod ad Tomobeium usque ultimum Circassorum Sultanum duravit. Non igitur a loco Ægypti, qui ignoratur, appellati sunt Circassi, sed a Cercassis Zygitis Septentrionalibus. Nimis crassa est stupiditas.

Pag. 135. vers. 9. Ægyptus Nilo inundata XXIX. Octobris. Videtur inundationis finis esse circa æquinoctium medio Septembri Iuliano.

Pag. 136. vers. 19. Suam quadragesimam tum celebrabant. Erat postremus dies Octobris anni M.D.XLVII. Primus dies mensis Muharam nuncupati incidit in XXI. Februarii, qui fuit dies Lunæ: Primus dies Ramadhan mensis Quadragesimæ incidit in XV. Octobris, die Sabbathi. Itaque XXXI. Octobris erat decimus septimus dies Quadragesimæ Mahumetanorum.

Pag. ead. vers. 13. Alcanna الحنا cum forti aspiratione, unde Hispani suum Alheña mutuati sunt. Certum est Κύπρον Dioscoridis esse, quod Avicenna الحنا Alchanna vertit. Alibi invenio sine forti aspiratione.

Pag. 137, vers. 5. Palmyræ regione. Somniat eam regionem, quæ est inter Ægyptum, & Syriam, Palmyram debere appellari propter Palmarum silvas, quas in itinere observabat. Palmyra tamen inde abest plus quam duodecim dierum itinere.

Pag. 138, vers. 45. Phinis: Phene legendum. φήνη.

Pag. 139, vers. 14. veteres venaticam avem appellasse arbitramur. Nihil minus.

Pag. ead. vers. 42. Myrrhæ arborem. Hariolatur.

Pag. 142, vers. 29. Iacobitæ dicti non sunt a Divo Iacobo Apostolo, sed a Patriarcha quodam Iacob, quem hæreticum fuisse aiunt.

Pag. ead. vers. 30. Georgianorum, quorum limites extenduntur in Indiam usque. Magnum est inter utrosque intervallum.

Pag. ead. vers. 32. Cofitque. Ægyptii sunt, quos Arabes Elkupti nominant. Nam Kopti, Kofti, Gopti, Gupti, postremæ syllabæ sunt vocabuli Ægupti. Et imperitia est, dicere quod a Divo Thoma conversi sint: quum a Divo Marco conversi credantur. Historia testatur Divum Thomam Indis Evangelium annunciasse, qui procul ab Ægypto sunt dissiti.

Pag. 144, vers. 35. In Iudæa rivus sabbatis omnibus siccatur. Eadem fabula in Iosepho reperitur.

Pag. 147, vers. 18. Esculus, veteribus Græcis πλατύφυλλος dicta, nunc βαλανίδα. Belagnida habebat Bellonius. Sed omnia vocabula Græca quibus utitur, & pleraque alia singularia, imo maxima eorum pars, desumpta ex Observationibus Petri Gillii, cujus Bellonius fuit amanuensis. Itaque non est mirandum, si sæpius erret in Græcorum vocabulorum transcriptione.

P. 148, v. 19. Rotulo, septem libras pendens. Hoc falsum est. Rotul رطل id est quod Græcis λίτρα: & Arabes num quam aliter vertunt. Si quis mercatorem Alexandrinum, Tripolitanumve, aut e Halep interroget, quid sit Rotul, dicet Libram esse. Idque nos scimus, qui a Massiliensibus mercatoribus Arabicum idioma callentibus, percontati fuimus; & si etiam aliter dixissent, fidem eis non adhibuissem. Sed nec minus Bellonio hallucinatur Vallamontius, qui cap. XII. Lib. 11. sui Itinerarii scribit Rotul quinque libras Gallicas efficere.

Pag. ead. vers. 21. Damascena pruna, parva illa nostratia dulcia. Ignoro unde hauserit nostratia Damascena pruna, dulcia esse, quandoquidem præ nimia maturitate fere corrupta manifestam retineant austeritatem.

Pag. 152, vers. 28. Asamia mittit. Scribendum Ajamia, pronunciando j, ut literam G. ante I, & E. عجميه Ajamia est proprie Barbaria: sed ita proprie a Turcis Persia vocatur, & عجمي Ajami Persa. Sed multi Orientales pronunciant Ze pro Ge. quod imposuit Bellonio.

Pag. 153, vers. 16. Nonnulli existimarunt Poscam idem esse cum Oxycrato. de Oxycrato & Posca strenue nugatur. Ὀξύκρατον semper a Plinio & Celso vertitur Posca. sed ea potio, qua hodie remiges in Italia

Italia utuntur, ignota fuit Veteribus. Quare errat pueriliter tum quia Oxycratum negat esse poscam, tum quia Oxycratum facit idem cum potione remigum: postremo, quia poscam insigni imperitia dicit esse Zythum: denique ut errorem errore cumulet, Zythum negat esse Cervisiam: adversus quam confidentiam testem appellare possum Plinium fine Libri XXII. Diodorum Siculum, Vlpianum, alios. Est præfracta confidentia cum insigni imperitia conjuncta.

Pag. ead. vers. 37. amnem quem plerique Oroum existimant. Imperitia est, ne dicam stultitiam, Orontem Oroum appellare, major adhuc ignorantia Marciam nuncupare, quam penitus ignoro. Quod ad Irin attinet, quem dicit eundem cum Oronte esse, Cappadociæ fluvius est. Sed perinde potest Orontem in Cappadocia reponere, ac Tarsum inter Halepum & Antiochiam. Tota illa, quam describit elegans planities in qua Tarsum ponit, est Κοίλη Συρία, Cava Syria.

Pag. ead. vers. 40. Sabæus campus. Videndum unde acceperit. Ego non memini. Admonendus est Lector Bellonium hoc cap. XCIX & sequenti valde desipere, quum dicat se in Ciliciam pervenire, & tamen adhuc apud Libanum hæreat, ubi Tarsum reponit inter Damascum & Halepum.

Pag. ead. vers. 41. Hamsa, olim Tarsus dictam. Hamsa non est Tarsus. Nam Tarsus vetustum suum nomen retinet, tametsi Arabes Ters appellent, semper nihilominus est vetus appellatio. & fallitur Benjamin Tutelensis, Malmistras eam vocans. Nullus Græcus hodie ignorat Tarso. Hamsa autem est Emisa.

Pag. 155, vers. 6. nunc vero ne unicam quidem plantam alit. Errat, nam Calabria, & aliæ Regni Neapolitani provinciæ, illum mendacij arguere possent.

Pag. ead. vers. 35. quemadmodum Aleph prima Alphabeti litera est, sic Halep primaria ejus. Ridiculum est. Nam prima litera Arabismi, nihil commune habet in orthographia cū Haleph. Eliph prima est litera Arabica, الألف حالف Chaleph, sive χαλὲφ urbs est Halep.

Pag. 156, vers. 26 Aurelianæ urbi Galliæ comparari potest. Præter mendacium, est etiam hallucinatio: nam sequenti capite mœniorum Halep ambitum majorem facit, quam Damasci. Atqui Damascus bis tam ampla est, quam Aurelia, nam Mediolano minor non est. Ex quo colligi potest, an verum dixerit. Sed desipit. Nam Halep minor est Damasco, attamen non minus ampla, quam Rotomagus.

Pag. 158, vers. 5. Stagnum, quod olim Mæandropolis. Mera vanitas & desipientia. Mæandropolis urbs fuit ad Mæandrum, quæ tempore Plinii non extabat. Non longe ab ea erat Antiochia Mæoniæ. Ipse putat Antiochiam ad Orientem esse hanc Mœoniæ.

Pag. 160. vers. 3. sub portis Ciliciæ. Iam diu est, quod quum esset apud Libani montem in Cilicia dormiebat. Nunc, quum eo pervenit, evigilare incipit.

Pag. 166. vers. 2. Angouri. Angouri sive Ancyra est multorum dierum itinere procul hinc dissita, nimirum in Galatia. Est summa imperitia.

Pag. 184, vers. 22. Scherbet شربة potio, *boisson* gallice.

Ibidem. Vinum Serab appellatum شراب

Ex Viri Clarissimi & amplissimi Dn. Iacobi Augusti Thuani Historiarum sui temporis libro XI. pag. 430.

DE PETRO GILLIO.

Post alia: *Scripta eius ne perirent, eiusdem Armaniaci Cardinalis in clientem amor, & propensum ad rem literariam iuvandam studium prohibuit, qui partem maiorem eorum in Galliam adferri iussit, publicanda curavit. Pars tamen eorum à P. Belono Cenomano amanuensi & peregrinationum per aliquot annos comite surrepta creditur: qui licet ea suo, non Gillii nomine postea evulgaverit, tamen vel plagiarius non mediocrem à literatis gratiam inivit, quum (quod multi faciunt) illa publico minimè invidit.*

PETRI BELLONII
CENOMANI
MEDICI

De neglecta Plantarum Cultura,
atque earum cognitione
Libellus:

Edocens qua ratione Silvestres arbores cicurari & mitescere queant.

CAROLVS CLVSIVS
Atrebas
ante aliquot annos è Gallico Latinum faciebat, & nunc denuo recensebat.

PETRVS BELLONIVS LECTORI.



ROIANI belli historia inter res memorabiles recenset, Ulyssem summorum Græci exercitus Ducum haud postremum & maximè strenuum, è bello reducem, peregrino ornatu, ne à suis agnosceretur, proprias ædes ingressum, ut commodius omnia quæ eo absente apud se gesta essent, intelligeret: ignorabat enim an Laërtes pater, Telemachus filius, & Penelope uxor etiamnum viverent. Ille igitur gregarij militis ornatu senem Laërtem adiens, ipsum in suburbani cujusdam prædij horto deambulantem offendit. Eo salutato, senex cum illo tamquam cum extero quopiam sermones conferre cœpit (nam non agnoscebat, ut quem jam multo tempore non viderat, & extinctus-ne esset an superstes, prorsus ignorabat) Viden, inquit, elegantes has arbores? omnes plantavi, & ex selectissimo fructuum genere insevi, ut edules fructus ferre queant cùm meus filius Ulysses è bello redibit. Quorsum hæc, nisi ut probi hujus senis proclivis, & benevolus erga suos hæredes animus agnoscatur? Nam cùm ipse se vivo eas arbores fructiferas futuras minimè speraret, sui memoriam in arboribus insevisse arbitrabatur: atque quàm verò amore filium prosequeretur demonstrabat, cùm illi absenti laboraret. Hoc porrò exemplo excitari debebant generosi & illustri sanguine nati senes, ad colenda & exornanda sua prædia, remque domesticam curandam, dum juniores bella gerunt, & sui Principis nomine sese periculis obiiciunt. Sed ut Culturæ ignorantia plerumque in causa est ut nulla utilitas ex fundo ad dominum redeat: sic non vanum est (tam variis Auctoribus id referentibus) Gallos aliquando suam regionem ob sterilitatem deseruisse, aliamque uberiorem quæsivisse, cùm illis vinearum cultura ignota esset: hinc factum, ut degustato vino ex Italiâ delato, eos tanta ejus admiratio, atque fruendi cupiditas ceperit, ut armis sumtis cum uxoribus & liberis duce Brenno eorum Rege, regionem, adeò suavem liquorem proferentem, occupandam censerent: qua porrò occupata, vini potus facilè ipsis imposuit, utpote illius usu non assuetis: quod sanè manifestissimum indicium est, nullos tum apud ipsos vinitores, nulla vineta fuisse: postea tamen adeò diligentem in iis excolendis operam navasse, ut sola Gallia plus nunc vini præbeat, quàm universa Italia, Græcia, & tota forsitan Asia. Verisimile autem est, Gallos post adeptam victoriam multos vinitores reduxisse, adeoque industrios fuisse in propagandis vinetis, ut credibile sit, tellurem, si cultura accedat, cum fœnore reddituram quidquid illi concreditum fuerit. Sic bellorum præfecti, partâ victoriâ, in quiete viventes terram inter se diviserunt, nomenque ex sua dignitate indiderunt suis possessionibus: quod in quibusdam Provinciis magis est peculiare. Nam licet nonnullorum possessio pauca jugera occupet, à domini tamen nomine apellationem adquisivit: imò etiam arbores vulgares huic rei subservierunt. Atque, si magna cum parvis comparare licet, ut Imperator ab imperando, Rex à regendo, Dux à ducendo, Comes à comitando, & Princeps à principatu nomen habent: sic quilibet ex possessionis suæ amplitudine titulum & dignitatem adeptus est.

PROBLE-

PROBLEMATA, SILVESTRES ARBORES cicurandi & mitiores reddendi rationem edocentia.

Nullam temporis longitudinem esse prætexendam, quo minus ea quæ ad Reipub. commoda augenda pertinent, Silvestrium arborum culturâ procuremus.

PROBLEMA I.



AN Hominem ob tellurem creatum non dicas, quandoquidem in illam resolvetur, nisi resurgere deberet? Licet autem alterum pedem in tumulo habeat, minimè exquirit, quis videbit, aut iis fruetur quæ ipsius curâ fabricantur & enascuntur, (cùm tamen nisi temporis diuturnitate vel absolvi, vel adolescere queant) tamquam nemo succederet, qui ab eo derelictis fruatur. Sed quos, obsecro, plerumque videmus magna ædificia exstruere? nónne senes? quibus forsitan ea jam absoluta inhabitare non licebit. Vix enim è centum reperias, quem perfecto jam opere uti contingat: attamen omnes diuturnam sibi vitam pollicentes, iis operam navare non desinunt qui ipsos subsequuturi sunt. Observata proferam. Quispiam ad senectam vergens, nec diu se superfuturum sperans, reconditis fructibus dum vescitur, eorum semina diligenter excipi jubet, atque ut novo vere telluri committantur præcipit: non quòd arbores inde natas fructus jam ferentes se conspecturum speret, sed hac ratione posteris consulere cupiat. Quisquis igitur hoc circa silvestres arbores cicurandi rationem propositum probè intelliget, certò statuat cùm in illius intelligentia perquirenda, tum etiam arborum reliquarumque stirpium cognitione adipiscenda, quo illustriores reddi possent, jam diu desudatum fuisse. Hic itaque deprehendetur res certa, memoratu digna, & magnæ utilitatis, quæque, ut omnium oculis subiiceretur, promerita est. Quæ adeò occasionem Auctori præbuit, eumque impulit ut nullum laborem subterfugeret, quo minus ad perquirendas arbores summa celsissimorum totius Europæ atque Asiæ montium juga conscenderet. Pauci hunc laborem animo comprehendent: paulo pòst tamen, cùm ipsius effectu, tum evidenti eorum quæ proponuntur demonstratione, atque etiam disceptationibus liquidè scripto comprehensis, & theorica stirpium declaratione, ut ex subsequentibus disceptationibus patebit, eum comprobabimus. Sed ut singulæ artes sua peculiaria habent vocabula & loquendi formulas quibus eorum principia edoceri queant: sic in hac præfatione & principio necessariò admonendus est Lector, ea quæ ad hanc culturam pertinent, ordine, sed tamen obiter, tradenda; pleniùs etenim omnia in Agriculturâ elucidabuntur, ubi singulæ stirpes suo ordine sigillatim describentur, perinde atque alia quæ ab eodem Auctore evulgata fuêre, qui avium & piscium icones ad vivum expressas adeò distincto ordine primùm exhibuit, ut qui eum subsequuti sunt recentiores, licet eas postmodum expolierint, minimè illius methodum assequuti sint. Is in animo habet serpentum etiam effigies brevi in lucem efferre, cùm primùm per occupationes licebit.

Quantam utilitatem consequi liceat ex Silvestrium arborum cicuratione, modò cultores laboris non pigeat.

PROBLEMA II.

SUMMA porrò non fuit ea difficultas quæ in supradictarum rerum, vel arborum aliarumque stirpium explicatione, descriptione atque picturis nobis obtigit: sed in veteribus nominibus perquirendis, quæ rebus præsentibus adaptare possemus. Nónne igitur hoc loco meritò conqueri liceat de iis qui alienâ operâ utentes, simulantesque se

profiteri à quibus didicerint, nunquam tamen in animum inducere potuerunt, ut id facerent? Sive igitur externus sit, sive Gallus, cui nomina subiicimus per quæ ad multarum novarum rerum cognitionem pervenire queat, eum fateri non pudeat, si à nobis didicerit. Unde verò didicisset externus, qui in Gallia non vixisset aut versatus fuisset, piscium, avium, & serpentium Gallica nomina cum veterum nominibus collata, nisi alibi descripta invenisset? Sed cùm in hujusmodi re illi adjumento fuerimus, cur non agnoscit? Idem contingere posset de arboribus; nisi remediis ab initio occurreremus: nam ut neque Lexica, neque recentiorum scriptorum commentarii quidquam auxilii adferre valuerunt; sic neque tu qui ingenti librorum multitudine tumes, in illis invenies qualia hîc leges, tandémque fateri cogeris à nobis desumpsisse. Sed an existimas nos (nisi ab exteris ea quæ de arboribus leges, edocti essemus) dicere ausuros, sæpenumero te falli, dum aliam pro alia sumis? Quibus verò exteris? non iis sanè qui gravitatem profitentur: nam de rusticis rebus hîc agitur. Admiratione digna profectò res est, post Theophrastum, nec Commentatores, nec Auctores, nec Interpretes quidquam observare potuisse, quod illum fugerit. Ex hoc itaque Problemate discite genuinam *Cherme* Gallici appellationem, & *Ostryam* nuncupate, non autem *Carpinum*: nam cùm in incultis nascatur, qui me de ipsius appellatione certiorem reddidisset nisi externi rustici? Magnum igitur contemti laboris indicium est, tam altè subire ob unius arboris observationem, eumq. tam vili æstimare, cùm tam magno constiterit. Ita se ab hominũ contubernio segregant qui solitudines amant. An non magna fuit veterum cura, qui homines ad summos totius orbis montes ablegarunt, ut arbores observarent? Legitis duo Fraxini genera, bina Ulmi, totidem Tiliæ à Theophrasto descripta: sed quænam ea sunt? habemúsne illa an non? nemo recentiorũ dicit, tantum abest ut aliis ignotis lucem adferat. Pluris igitur æstimandum est, eas vivas oculis subiicere, quàm ex scriptis, illarum mentionem facere. Quod minimè præstare potuissemus, sine exterorum auxilio; in eoq. plurimum nos juverũt homines idiomate inter se planè differentes, Syri, Græci, Ægyptii, Bohemi, Itali, Britanni, Angli, Arabes. Theophrasti interpres scribit: Carpinus ab Acere differt, quod Aceri candida nervataque materia, Carpino autem flava crispaque. Id quidem in medium proferimus, non ut ostentemus nos Latinam linguam non ignorare, sed ut evincamus Carpini materiem flavam crispamque esse debere: quæ notæ nostro *Cherme* sive Ostryæ minimè convenire possunt. Sed hoc exemplum adductum esto in aliorum comprobationem. Quisquis autem ordinem à nobis observatum in his quæ ante in lucem protulimus, cum eo quem nonnulli, postea eadem expolientes, observarunt, conferet, præ nostro confusum & malè digestum inveniet: quod in nostram excusationem dictum volo, qui nullam methodum, ad arbores quod attinet, in his Problematis observaverimus. Quid præterea expetere queas, ad probandum, in omnium rerum observatione adhibendam esse diligentiam, quàm Delphini historiam? Cùm enim in nostris piscationibus frequentissimè capiatur, in Italicis adeò rarus est ut istîc haberi non potuerit ad exprimendam illius iconem; cujus rei fidem facere possunt picturæ proximè inde allatæ, magno certè sumtu comparatæ: quæ testificantur, beneficia referenda esse iis à quibus accepta sunt, & pleraque in una provincia vulgaria esse, quæ in aliis rara sint. Itaque in hoc opusculo ingratitudinis notâ Auctor nunquam meritò accusari poterit. Et quemadmodum scripto minimè opus fuisset ad persuadendum Gallis, ipsorum *Oye de mer & Marsouin*, esse veterum & recentiorum Delphinum, nisi difficultas fuisset in ea re probanda sine scripto: ita haud opus erat hunc peculiarem libellum scribere, & multas disceptationes in eo inserere ad probandam silvestrium arborum cicurationis facilitatem, nisi scrupuli suborti essent qui nondum fuêre explicati. Cùm igitur hic libellus de silvestrium arborum cultura ex professo agat; duo inseremus ex quibus duplex utilitas emanabit: ex altero literati viri novarum rerum scientiam adipiscentur: ex altero rustici census augendi rationem intelligent: illo arborum notitiæ illustratione, hoc verò earũ culturæ præceptis; quarum rerum scientia sua etiam voluptate non carebit. Nemo est adeò rudis ingenii rusticus, qui ignoret, omnes stirpes radicibus, ramis, foliis & fructu præditas esse, & qui illas, quando opus est, ad suum usum accommodare non norit: sed non est agrestis ingenii, earum differentias docere, & de earum natura disceptare. Quæ omnia nulla ratione doceri potuere quin ad Respublicas utilitas redierit: nam & homines scientiarum avidi inde commodum accipient, & summam utilitatem ex rebus facilibus earumque cultura desumtis magna cum facilitate, & sine expensis consequentur. Sed quemadmodum in deliberationibus nulla major difficultas oriri solet, quàm cùm ob expensarum magnitudinem opus imperfectum relinquere cogimur, laborúmve gravitas voluptatem longè superat: sic rarò contingit, ut voluptatem cum utilitate conjunctam nancisci queamus, ut taceam summas difficultates in hoc instituto objectas, nempe Auctorem nullo memorabili beneficio adjutum, nec ab alio quo-

piam

piam ſcriptore iſtam rem hac ratione tractatam fuiſſe. Eam ob cauſam haud minoris æſtimationis cenſendum erit hoc propoſitum, cùm caruerit ſcriptis quæ illum multum juvare potuerint. Ut verò Agricolam conſtantem & omnis moræ tolerantem eſſe decet, dum tempus præſtitutum exſpectat; ſic etiam hoc ſcripto edocebuntur, in omni cultu tolerantiam eſſe adhibendam, quandoquidem illis tantum temporis ad obtinendam voluptatem cum utilitate conjunctam conceditur, quantum exſpectare ſolent ii qui decimo quoque ſolummodo anno ſuas ſilvas cædunt, ut cenſum ex illis accipiant. Unicum hoc exemplum ſatis eſto, ut illis probemus, nullam habere cauſam, cur eos iſtius moræ tædere debeat, dum arbores, quæ illis proponentur, ſenſim excreſcere permittent. Nos autem de cujuſque ſtirpis natura ſeorſim mentionem faciemus, atque de ejus cultura agemus: ex quarum alterâ theorica, ex alterâ verò praxis & uſus diſci poterit: hac itaque ratione diſceptationes de agrorum cultura, eorumque commodis, & de ſuburbanorum prædiorum cenſu, ab iis quæ de natura ſtirpium Medicorum more agunt ſejungemus.

Nec ſilveſtrium, nec mitium & domeſticarum arborum altitudinem, certam poſſe conſtitui.

PROBLEMA III.

NUNC animum advertite. An veſtro judicio exigui momenti res erit, rationem vos edocere, qua varii generis ſingulareſque arbores ſingulis annis magnum vobis cenſum allaturas, ſine ſumtu alere poſſitis? non duodenas, non centenas, ſed millenas, &, ſi opus etiam eſſet, decies centies millenas? At ut omnes neque ejuſdem naturæ, neque ejuſdem diuturnitatis ſunt; ſic etiam altitudine inter ſe differunt. Modicum eſt vobis recenſere trabes non vulgaris longitudinis, quæ etiamnum permanent cùm in multis templis Galliæ, Italiæ, atque Germaniæ, tum in Regum palatiis, & pontium ſupra torrentes exſtructorum fabrica, ad urbes in convallibus & inter montes ſitas, ubi arbores in immenſam altitudinem excreſcere ſolent. At majus erit in medium vobis adferre res admiratione dignas in duriſſimis ſaxis inſculptas, quæ hominum artificio inventæ ſunt. Namque malum navis conſpicere ducentis aut trecentis cubitis longum, fidem non ſuperat, quoniam Naturæ opus eſt. At ſolidum ſaxum videre arte exciſum longius atque craſſius quàm ulla arbor unquam conſpecta ſit, in admirationem proculdubio rapiet qui hæc legent: cùm tamen certum & verum ſit, probari poteſt ex iis quæ etiam nunc ſuperſunt, obeliſcis nimirum, columniſque quæ Romæ, tum ex ingentibus Coloſſis & Pyramidibus Ægyptiacis. Te fabrum lignarium compello: credéſne tibi poſſe oſtendi ſaxeas trabes longiores atque craſſiores quàm quas unquam ex ulla arbore in aliquam fabricam inferre potueris? Sed uter in tali opere audacior, artiféxne, cui, ut id moliretur, imperatum eſt, an qui animo comprehendit ſimilem rem fieri poſſe? hac ratione varia inventa, diverſorum præclarorum artificum ingenio, ad optatum finem perducuntur. Quandoquidem autem ſimilia opera nunc oſtendi queunt, cuinam hanc laudem attribues? Nam ſi huic qui imperium dedit; quid de primo inventore dices? Iſtud igitur Lector accipito, artifices tibi poſſe demonſtrari, qui & conficienda ſuſcipient, & ad abſolutionem perducendi rationem invenient. Qui fructiferarũ arborum culturam docuerunt, nullius erunt uſus in hoc negocio: nã alia de ſilveſtribus, alia de fructiferis eſt ſermonis inſtitutio. Antonius tamen Venutus Siculus inter recentiores laude dignus eſt, qui fructiferarũ quarundam arborum culturam dilucido ordine tradidit, qualẽ longâ experientiâ didicerat, quem nos ſeparatim interpretabimur; neque enim in hoc opuſculo quidquam ipſius, Varroniſve, aut Columellæ, aut Plinii, aliorúmque ſimilium auctorum inſerere volumus, niſi ubi ipſorum auctoritate opus erit, ut quid ſilveſtre dicendum ſit, probemus. Nemo autem hactenus inventus eſt qui arborum culturam hac ratione docuerit, nempe, ut ſilveſtres ſilveſtribus locis conſerantur, hoc eſt, ut ſilveſtres per ſe cicurentur; neque etiam cuiquam Principi talis adhuc propoſitio facta eſt. Variæ ſunt arborum altitudines: & de his & eo quod rarum in ipſis reperitur, ut earum natales, morbi, curationes, atque æuum, aliâs diſceptatio inſtituetur: nam, uti dictum eſt, ſigillatim nunc enumerare minimè cupimus, quæ quibus provinciis peculiaria ſunt; ut, exempli gratia, nonnullas valles inſulæ Corcyræ in Græcia oleis ſemper virentibus obſitas, quæ haud in minorem altitudinem excreſcunt, quàm noſtræ quercus, montes verò Terebinthis noſtras Iuglandes æquantibus: & ſuberis arbores ad lacum Bolſenam nuncupatum, ſub urbe Monteſiaſcone agro Romano, multo majores & ampliores naſci, quàm apud nos ullæ Vlmi conſpici poſſint: in Lutri ad ripas Lemani Lacus Aceris latifolii

latifolii arbores magnas atque ramoſas: quemadmodum etiamnum perdurare Platanos & Lotos apud urbem Antiochiam tam vaſtæ magnitudinis ut veriſimile ſit eas iſtîc jam ante multa ſæcula conſitas eſſe, & fortè ab ipſa Romani imperii amplitudine: nam cùm ſecundùm publicam viam ita diſtributæ ſint; certum eſt eas iſtîc expreſsè repoſitas. Conſideratione etiam digna eſt Baſilienſis illa Quercus in latitudinem patens, quam rari ingenii vir Cardanus libro de Rerum Varietate multum prædicat. Multas verò alias hujuſmodi enumerare poſſemus, ſi neceſſe eſſet.

Quempiam aptum fore ad magni alicuius Principis prædia colenda, qui ineptus futurus ut tenuis fortunæ homini inſerviat.

PROBLEMA IIII.

NEMO unquam inventus eſt qui terram coluerit, niſi ſpe utilitatis. Sed aliud eſt Principis, aliud ruſtici fundum colere. Evocatus quidam ut magni cujuſdam Principis morbo mederetur, ut peritiam ſuam extolleret, in xenodochio artem exercuiſſe dicebat; audiit, idoneum eſſe poſſe quempiam ad curandos in xenodochio morbos, qui ad Principis curam ſuſcipiendam ineptus eſſet; acſi diceret, diverſam in utroque curandi rationem eſſe ſequendam. Sic quædam cultura voluptatis & ornatus gratia inſtituitur: altera quæſtus & commodi cauſa: ac ſi aliam eſſe oporteret culturæ rationem quæ ad voluptatem & oculorum oblectationem fit; diverſam verò quæ utilitatis gratia ſuſcipitur. Qui hujus deliberationis ſcopum conſiderabit, dignum qui à Principibus viris foveatur deprehendet. Neque quiſquam inficiari poterit, quin (illum in lucem producendo ſimilibus Diſceptationibus quæ hîc in medium proponuntur) ejus experimentum & praxis, Imperatoris aut Regis alicujus auxilium probè mereatur, ut ad abſolutionem perduci queat. Sed in eorum defectu, Dei noſtri immenſa bonitas, quæ Auctorem acri temperamento, & adamantino robore donavit, ejuſmodi animi conceptiones ad perennem ſoliditatem perduxit, nec ut vitium aliquod negligentiâ commiſſum illi imputari queat permiſit. Cùm porrò omnia bona inde originem trahant, verum eſt quod vulgò dicitur: tria duntaxat occaſionem præbere hominibus ut ſine labore diteſcant. Nam primùm beneficio & favore Principis plurimi extolluntur; quidam, nullo ſuo merito; alii verò, probè meriti, qui alioqui egeni eſſent. Secundò, cùm quiſpiam non ſperatam hæreditatem conſequitur. Tertium ſitum eſt in negotiationis felici ſucceſſu. Contrà verò, his tribus adverſis, ex divitibus & potentibus fiunt inopes. Martialis plura non prodidit. Sed unde omnium cenſuum origo, niſi ex telluris ubertate? Itaque ſi cui facultates augeſcunt, id non fit ſine ſatione: imò ne fungi quidem ſine materia naſcuntur. Non leve igitur eſt, facultatum augendarum rationem docere ſine ſatione, quemadmodum in ſuprà dictis, qui ne tantum quidem ocii ſibi ſumſerunt, ut de culturæ muniis cogitarent, & tamen culturis ad ipſorum vota inventis fruuntur. Ut igitur in facinore aliquo deprehenſus, ſeſe purgandi rationem non facilè invenit: ſic contrà qui probè ſuo munere functus eſt, infamiæ notam ſubire non poteſt, licet nemo cujuſcunque conditionis ſit, qui magnum aliquod opus ſuſcipit, tam dextrè animi conceptiones in actum deducere poteſt, quin calumniis obnoxius ſit. Simili ratione ſi qui hanc culturam reprehenſione dignam cenſerent, quod nimium argutè res curioſæ ſine utilitate ſuſcipiantur: ſperamus tamẽ æquitatis amatores de illius ſucceſſu probè edoctos, futuros propitios; eamque auxilii penuriâ imperfectam minimè permanſuram.

Tolerandum eſſe Artificem, cuius opus venale non eſt, niſi Rebuſpublicis & Principibus.

PROBLEMA V.

SED nullæ deliberationes ſolidâ protectione ſubnixæ, favore egebunt, modò dignæ inveniantur, ut honeſtam commendationem apud Principes quibus nuncupatæ ſunt, mereantur: & ipſi Principes conferre dignentur cum iis qui Rebuſpublicis imperant, ut cum his qui illas adminiſtrant, communicent. Eâdem igitur humanitate erga hanc utantur, quam Crocodilus Trochilo præſtare ſolet. Is flumen Nilum egreſſus, in ejus ripa aërem captat & ſubinde obdormiſcit: os tamen ſubapertum relinquit, ut aditum aviculæ præbeat, quæ dentibus ipſius inhærentia depaſcatur. En vobis duo commoda in rebus diſparibus ſub fiduciâ magnæ familiaritatis comprehenſa. Nam Crocodilus ſui commodi

& vo-

& voluptatis causa Trochilum sibi repurgare dentes permittit: Trochilus verò eos repurgando hoc consequitur commodi, ut sine alterius incommodo satietur. Sic unus suæ utilitatis causa, ut alius similiter eam consequatur concedit. Sed difficultaténe caret? quandoquidem plerumque accidit ut à nostris potiùs lædamur, quàm ab externis. Si igitur nonnulli hoc beneficio indigni, id neque pro Principis servitio, neque pro suo æstimare potuerunt; multò minus pro publicâ utilitate: nam cùm eorum desideria solâ insatiabili avaritiâ nitantur, nullas alias divitias æstimant præter suas facultates. Cùm ergo ipsorum morositas huic culturæ injuriam intulerit, nostræ arbores illis exprobrabunt; gravius enim illis quidquam facere nequeunt. Quemadmodum igitur multi cultros & cibos mensæ apponunt, ad nonnullos saturandos, qui nullam illis gratiam rependunt; sic quidam aliorum gratiâ labores suscipiunt ingratiis. Miser aliquis seruus brachium aut crus frangens, vel in aliud infortunium incidens, dum sui heri mandata exequitur, eam ob causam herilibus ædibus non eiicitur, cùm suâ culpâ aut negligentiâ id infortunium minimè acceperit. Sed quandoquidem tolerantiâ omnes difficultates superantur, levitatis & inconstantiæ argumentum est, si quis præstitutum tempus fruendi suis bonis exspectare non queat. Evenit enim quibusdam qui seminibus terræ commissis, ea statim quarto die nasci voluissent, propterea queruli eorum seminum datorem, atque ipsius artem vituperârunt: cùm tamen pleraque ad alterum, atque etiam tertium annum sub terra lateant. Accidit dum has Disceptationes scribimus, ut multa semina jàm ante triennium sata primùm prodirent, cùm tale quid minimè exspectaremus, in quorum numero fuêre Tinus, Ornus, Olea, Zyzipha, Rhus. Platanus verò, Nerion, & similes altero post sationem mense prodeunt, si vel pluviis vel aliâ ratione rigentur. Inde fit ut nonnulla Autumno sint terræ committenda, non ut proximâ æstate, sed eam subsequente vere germinent. Quisquis igitur penitiùs considerabit quæ circa hanc rem observanda sunt, æquum se judicem in rebus verisimilibus præbebit. Nam quemadmodum Cicero in nemine unquam invenit quod in perfecto Oratore requiritur; sed talem sibi in animo finxit: sic Galenus cùm nullum temperamentum sine excessu in homine invenire posset, temperamenti omnibus suis numeris absoluti Ideam excogitavit. Arbores intelligite, morosi homines vestra bona contemserunt: sic enim vulgo dici solet, Vilis conditionis hominis laborem, pro nullo æstimari: at veteribus gratias agite, qui vobis faverunt, vestramque causam tutati sunt. Sic interdum mensa sternitur nonnullis, qui saturi, beneficium non agnoscunt. Quòd si ea de quibus jam egimus & postea agemus, in privati alicujus gratiam suscepta fuissent (præsertim cùm multa singularia magnæ cujusdam Reipublicæ utilitate digna, referre studuerimus) nónne meritò honestam aliquam mercedem petere possemus? Sed in horum defectu hæc scripta locum habebunt, non ad obiiciendum, sed ad liberum illis judicium relinquendum. Ista etenim non proponuntur tanquam Hercules ille Nesleus, aut navis illa Nonparcille du Haure nuncupata, sed ut res facilis, exigui sumtus, & magnæ utilitatis, quæ oblectationem & ornatum edocet Regni gloriâ dignum, cujusque singuli participes fieri poterunt. Eadem porrò mea est, & cujusvis suas lucubrationes in publicum proferentis, cum Pictoribus, Poëtis, Plastis, statuariis, aliisque omnibus insignibus artificibus ratio: nam quemadmodum artifex qui in alterius commodum, sive publicum sive privatum, opus aliquod instituit, nihil insigne, nihil magnificum præstare potest, si deficiant sumtus; sic nullum insigne opus à Poëta, Statuario, Pictore vel Architecto exspectandum est, nisi sumptus conferantur; uti neque ab eo cujus artificium venale non est. Cùm igitur hæc præcepta, consilium, & auxilium ad augendas exornandasque Respublicas adferantur, eorum quos ista ad sui amorem pertraxerint, officium esto, ut hæc prædicent, prout laudem mereri judicabunt. Itaque fieri non poterit, ut, qui liberali ingenio præditi sunt, suamque, ut decet, authoritatem tuentur, hæc frustrà tradita esse permittant, modò inveniantur qui animum ad ea applicare velint. Sed cùm sæpe evenire sciamus, ut multa necessaria infecta maneant, vel artificum penuriâ qui ea exequi sciant, vel eorum negligentiâ & socordiâ qui rebus præsunt, aut administratorum inscitiâ; admonitos volo, quorum interest, non minùs decere amplitudinem potentiamque antiqui, nobilissimi, magnificentissimi atque optimè instituti cujuspiam Regni, ea sibi applicare, ad ipsius illustrationem, & futuræ commoditatis spem, quæ & privatim & publicè utilitatem adferet.

Huius

Huius culturæ finis cùm magni sit momenti, fieri non posse, quin summa utilitas inde accedat.

PROBLEMA VI.

CVM quilibet intelligat, aliud esse, singulari duntaxat quadam curiositate sine utilitatis spe, aliud solâ adipiscendæ utilitatis gratiâ res perquirere; totius hujus negocii caput facilè inveniet, videlicet facultatũ augmentum in suo labore. Porrò dum has Disceptationes scribimus, septem dierum occupationem, Poëtarum nostri seculi magnum examen ex suis alveariibus prodiit, qui vernum tempus mediâ brumâ sentientes, thesaurorum suorum partem nobis protulerunt: Nunquam tot odæ, tot epigrammata, tot hymni, panegyrici, totque poëtica scripta in lucem prodiêre: publica etenim lætitia in hoc Regno & apud ejus confœderatos, ob receptum Caletum, ob prosperitatem & laudes nostri pii & Christianissimi Regis, maturum consilium Domini Conestabilis, & strenuè navatam operam Domini de Guise, tum vigebat, atque in omnium ore erat. Quam cùm pauper quidam & decrepitus senex exaudiret, interrogabat: Num verò ad nos inde redibit aliqua utilitas? Videtis itaque ut singuli commodum & utilitatem sibi expetunt ad hanc vitam traducendam, etiam si alterum pedem in tumulo habeant; non ignorantes non satis esse vivere, sed præstare commodè vivere, & commodâ vitâ diutiùs frui. Fortè etiam non abs re quispiam petat, num tanta utilitas ex hac culturâ redibit, quanta hîc prædicatur? Sanè quandoquidem divitiæ, atque ea quæ ad humanam vitam sustentandam maximè necessaria sunt, inde hauriantur, potissima insuper census pars Procerum illâ nitatur, & hæc quibus artes indigent, maxima ex parte in ea consistant; tanto majore commendatione digna est. Sed magis mirum est, quòd, licet arborum beneficio tot commoditates consequuti simus, earumque adminiculo fodinæ nobis metalla subministrent, hæc hominis cupiditati nondum sufficiant: nam licet mori debeat, naturâ ipsius deficiente, mille tamen rationes invenit quibus vitæ suæ vim inferendo mortem acceleret. In eam rem fabricatæ sunt triremes, naves, lanceæ, sarissæ, jacula, pila, sagittæ, quæ adhuc ad majorem soliditatem chalybem recipiunt; vel ejus defectu, igne indurantur. Arborum beneficio peregrinas & procul dissitas regiones adeunt, earumque bona in suum usum convertunt. Ligna curruum artificibus & lignatoribus præbent, carbonariasque officinas implent. Parum erat eas in imagines expolire; & splendidam ex his domesticam supellectilem instruere; nisi ratio inventa esset, qua aliis segmentis & tenuibus laminis glutino vermiculatim conjunctis preciosiora fierent. Itaque nostrum hoc institutum in eo non consistit, ut pergulas exstruendi, brassicas transplantandi, ligni fasciculos componendi, planiciem aliquam horti depingendi, & variis figuris exornandi novos modos doceamus: sed ut Regis amplitudine dignum sit: namque istæ deliciarum minutiæ postea in agricultura tradentur. At has disceptationes familiariùs, & historiæ quodammodo instar persequamur (est enim re vera hoc initium historia recens admodum, quæ pertexenda nobis est, donec ad potissimam de qua agit materiam perveniamus) cujus nullum exemplum ipsius præstantiam ita nos edocuit ac longus usus, ut experientiâ probari potest, ex his quæ adhuc exstant variis hujus Regni locis apud peritissimos & diligentissimos hujus ætatis cultores, cujus rei causa ab iis nostra opera est expetita. Sed & nunc nostra studia aluntur singulari probitate & liberalitate Domini Francisci Oliverii, Galliæ Cancellarii, ut alebantur à p. m. D. Renato Bellaio, Cenomanorum Episcopo, à quo olim ab ineunte nostra ætate beneficia accepimus, ob communicata solummodo variarum stirpium semina, ex Italia, Germania, atque Flandria delata, ex quibus natæ plantæ, nonnullæ etiamnum permanent, hortum Touvoiensem, quem apud Cenomanorum urbem instruxit, exornantes. Sed licet nemo qui ædes suas insigni aliquo loco exstructas habet, sit, qui earum non modò censum augere, sed eas etiam exornare non cupiat: id tamen illico fieri non potest; adhibendi enim sunt artifices, quoniam in omnibus rebus tempus requiritur. Inde per universam Galliam ruri conspiciuntur tot insignia & bene exstructa ædificia, quæ rara in Italia, nulla per Asiam, pauca apud Helvetios & Germanos; qui ut plurimum, majoris securitatis gratia, in urbibus se continent: at in Gallia, præsertim in ejus Regni meditullio, ubi à belli formidine liberi sunt, rura incolere malunt. Eam ob causam Proceres, quibus sæpenumero publica administratio concreditur, cùm aliunde facultates habeant quàm quas ex suarum possessionum censu percipiunt, eas ædificiis exornant, suæ commoditatis causa, ut locorum situs fert; atque istâ ratione earum censum augent. Pudetne igitur vos Magnates, qui magnis sumtibus tot terræ jugera longis muris conclusistis, tamque insignes fabricas exstruxistis &

exornastis, aliam rationem invenire non potuisse committendi aliquid vestræ telluri quiescenti, ex quo utilitas ad vos redeat, quàm quæ vulgaribus rusticis in usu est? Nam cùm ea mœnibus septa sit, nec periculum sit à pecudum arrosione, magnam earum rerum partem quam illi communicare velletis recipere posset, si id in animum induceretis. Quòd pecuniæ penuriam incusetis, nulla vobis ratio est; quandoquidem sumtus in ædificandis muris facti vos accusant: at quo modo id fieri debeat, ignoratis; hinc ergo discite. Quemadmodum igitur arces minoraque ædificia tandem ruunt, nisi incolas, & vitia repares, ipsa tamen tellus interea incrementum agit: sic arva & horti, si cultura absit, deserta fiunt; contrà cæduæ silvæ meliores redduntur, si incultæ maneant: hinc nonnullis data est admirationis occasio, cùm audiunt segnitiem interdum ad aliquam rem esse utilem. Itaque si arborum ætatem cum herbarum ævo conferamus; arbores longè excellere, majore commendatione dignas esse, majoremque censum & quæstum adferre comperiemus; nam minutæ hæ herbæ annua satione conservandæ sunt; alioqui, si negligas, intercidunt. At arbores cùm sine cultura permaneant, exiguâ curâ indigent, magnam tamen utilitatem adferunt. Quæ adeò res nos compulit, ut in his Disceptationibus arbores æstimaremus, & earum culturam atque perquisitionem herbarum cultui præferremus. Hic tamen libellus, ut dictum est, silvestres arbores cicurandi rationem edocens, res postea proferet memorabiles, & dignas quæ historiis nostri temporis inserantur, quæque, pro ordinis earum propositione, Regis favore & auxilio haud indignæ iudicari queant. Pro his etenim stirpibus dicere audebimus, eas videndi & cognoscendi desiderium, majorem huic scripto & labori occasionem præbuisse, quàm reliquarum scientiæ partium studia. Porrò quemadmodum Phœbus vir Princeps & illustris, & omnium venatorum Coryphæus, de suis canibus dicere solitus erat: sic hoc loco de stirpibus dici posset, pro quibus nemo fortè aliùs tantum laboris sumpsit; quod etiam sine rubore affirmare ausim. Is igitur de Hinnuli venatione loquens, in hæc verba dicit:

At quando Venator feræ vestigia repererit, eò canes convocare, & quæ commoda videbuntur verba proferre debet: canes eò acciti, hinnulum statim odorabuntur. Si igitur hac ratione illos bis aut ter convocaverit, nunquam eadem verba proferet, quin canes adveniant, etiam si nulla fera adesset: nam semper existimabunt, sese ejus feræ, quam persequuturi sunt, vestigia odoraturos. Sic morigeri fiunt, & ut quò velimus veniant edocentur. At peritus venator meram veritatem suis canibus dicere debet, ut majorem ipsius verbis adhibeant fidem. Nam meos canes venire, & millies terram odorari compellerem quo loco vellem, etiam si nulla adessent vestigia. Sed id ipso potius facto quàm scripto eos qui non vidissent edocere possem. Et sanè pessimè venationem instituunt qui nimium loquaces sunt & clamosi: nam canes nimium garrulis tantam fidem non adhibent, quàm taciturnis. Non inficias tamen eo, canes defessos, aut feram indagantes, blandè compellendos & exhortandos esse: sed id moderatè fieri debet. Et me hercle meis canibus perinde loquor, ac homini: cumque dico, progredere, regredere, huc ad me veni, hoc age; me intelligunt, meliusque mea mandata peragunt, quàm ullus meorum domesticorum. Sed non arbitror alium quenquam id ab eis impetraturum, neque etiam fortè me exstincto. Hæc Phœbus. Sed ad institutam orationem redeuntes, dicamus cum Virgilio, *Arma virumq; cano.* Nam quemadmodum venator indaginem instituere non debet sine cornu; sic qui huic studio sese applicat, sua instrumenta habere necesse est: Hoc est cùm herbationem instituit, minimè domo excedere debet, quin ferreum ad eruendas stirpes instrumentum, sacculum, atramentum, papyrum, atque chalybem excitando igni idoneum secum deferat. Itaque haud dubium est, neminem hac ætate sic consultò de arboribus agere, neque forsitan alius me exstincto succedet, qui arborum gratia hanc provinciam suscipere velit, sine majori auxilio. Verbi gratia, Theophrastum semper in tertia persona loquentem comperimus; unde colligi potest eum magnopere adjutum, ut ad arbores perquirendas alios ablegare posset. Raræ sunt, inquit, arbores quæ siliquas ferunt, atque inter alias Ceratia, Cercim, & Coluteam recenset. Sed cùm hic interpretem non agamus, sed disceptationes duntaxat, hujus idiomatis (nempe Gallici) causa, instituamus, arbores & frutices siliquas ferentes, Staphylodendron, Laburnum, * Cerinam, Tamarindum, Acaciam, Coluteam, Genistam cùm Hispanicam, & vulgarem, tum Nivernensem, Routazo apud Montefiascon nascentem, Cassiam solutivam, Anagyrim, Nerion, & Arborem Iudæ vulgo nuncupatam comperimus. Hic multo plurium appellationem auditis, quàm Theophrastus tradiderit. Sed hîc duntaxat de earum semina conquirendi, atque ad germinationem perducendi ratione agitur: nam aliàs de ipsarum natura agemus: Cassiæ porrò & Acaciæ effigies in nostris Observationibus videre licet.

Cercin *fortè; Gallicum exemplar esset consulendum.*

Arborum satio foliorum defluvii tempore, facienda: & loci, qui conserendus est, præparatio.

PROBLEMA VII.

CVM Natura silvestribus arboribus legem imponeret, negavit ut earum semina nasci queant, nisi calido, molli, & humido loco: quæ consideratio longiores adhuc alias disceptationes parit. Nam si quis in Arabiam vel Ægyptum proficiscatur, & istic nostrates arbores alere velit, experimenta forsitan inveniet ejus regionis incolis convenientia, quemadmodum hîc ab illis mutuari possimus; præsertim cùm Tamarindos & plerasque alias arbores illis peregrinas esse animadvertamus, quarum tamen abundantiam adquirere possent, si earum semina terræ committerent. Constat enim Alexandri adventum in ipsorum regionem, non minorem illis utilitatem attulisse ob culturam rerum ex India & Asia delatarum, quàm Americanis intulerint Hispani, Lusitani, Galli, qui in diversas novi Orbis regiones appulerunt, easque multis rebus magnam utilitatem adferentibus excoluerunt. Sed primum omnium semina sunt comparanda, deinde solum pro cæli temperie accommodandum. Soli præparatio ad semina excipienda, cum ea purgatione comparabitur, cui universa animalia obnoxia sunt; nam etiam stirpes huic naturali excretioni subjectas esse conspicimus. Cùm salivant arbores, satis edocent qua præparatione eas natura donârit: quod accidere solet antè quàm earum flores explicentur, quemadmodum in animalibus cùm libidine incensa fuêre. Atque ut Medicorum scholæ statuunt pinguedinem non esse partem animalis, sic de arborum saliva dici posset. Cùm igitur omnes res animatæ, seu motu præditæ, seu motus expertes, ut naturali purgatione sese præparent, obnoxiæ sint; certum est eandem esse cum animalibus & hominibus, arborum rationem, quæ naturali humectatione præparantur, qualem pro seminariis edocebimus. Considerate arbores certo temporis spacio quiescere, atque folia abiicere, non secus ac animantes vel quadrupedes vel bipedes; quarum illæ pilos mutant, hæ pennas, atque etiam serpentes exuvia: Sic plantæ postquam à partu hieme quieverunt, foliis denuo sese ornantes, prægnantes ferè permanent totius anni triente: sed quemadmodum platanus hieme & frigoribus corticem abiicit, sic Adrachne æstate & per æstus, Suber autem novo vere, diversis videlicet anni temporibus. Multæ tamen arbores imminentibus frigoribus folia non abiiciunt, sed illa totâ hieme retinentes, demum novo vere iis sese spoliant. Aliæ verò quibus folia decidua, æstate vetera abiiciunt, & semen conservant. Sed hujus rei vix ratio reddi queat. Similis est nonnullarum rerum quæ in peculiaria animantia cadunt, consideratio: nam cervis, platycerotis, hinnulis, atque forsitan etiam Camelopardali, Axi, magnoque illi animali Alci (cujus cornua in limine sacri sacelli Biturigibus, quemadmodum alterius Ambosii, conspiciuntur) & Hippelapho cornua decidunt: contrà Monocerotes, Strepsiceri, Tragelaphi, Gazellæ, Rhinocerotes, Hirci cùm domestici tum silvestres, Boves, Uri, Bubali, Verveces, & Musimon, ea non abiiciunt. Nónne ergo idem arboribus, præparationis gratia, quod nobis continget? Solo mandatis Malorum, Pirorum, Olivarum, Aureorum Malorum, Limonum, Citriorum, Adami, Granatorum, aliarumque similis liquoris, atque etiam vuarum seminibus, an grati saporis fructus habituros vos creditis ex arboribus inde prognatis, nisi prius eas surculis (illi arbori ex qua semina desumsistis, similibus) inseratis? Olivas serite, nascentur vobis Oleastri, & ex Piris Malisve optimi succi, asperi silvestresque nascentur: itaque eas inserere necesse est. Eam nos cicurationem appellamus, cùm novo varii generis insitionum adulterio, quales in hortis aluntur, eas fieri cogimus. Nisi mortales disciplinarum dulcedinis insitionem reciperent; naturam, quæ per se agrestis est, retinerent: sic & animalia fera manent, nisi cicurentur, atque similiter arbores, nisi insitionis cultum recipiant. Eadem igitur est ratio artis in eo qui illam edoctus est, qualis surculi in arbore silvestri insiti. Sed ne à primario nostro instituto longiùs discedamus, nobis vitio haud vertetur, quòd de soli præparatione primùm non egerimus, ante quàm ad seminaria procedamus, quasi ignoraremus cultum desiderari. Sementis & insitionis tempora adeò fuerunt à Veteribus observata, ut Græci, teste Galeno, hiemis duas extremitates in iis constituerint, hiemem verò mediam. Sic enim ejus interpres Latinus loquitur: *Hiemem in tres partes dissecant: cujus sub Solstitium tempus medium constituunt, de extremis duobus partim sementem, postremam φυταλιαν, quod est inserendi tempus.* Sed Solstitia, Æquinoctia, Vergiliæ, & alia similia vocabula suum locum habebunt in culturæ plantarum explicatione. Ceterùm quandoquidem nunc de silvestribus stirpibus agimus, quis agricola solum stercoravit, aut sarrivit, ut sponte adolescerent, nisi

nisi probus ille cultor natura? pejor itaque, cùm cicurandæ sunt, earum conditio esse non debet. Vos igitur rustici, qui summo labore fimum, cineres, terram, urinam, calcem, & alia hujusmodi per agros, ut uberiores fiant, spargitis, possetisne ejus rationem reddere? Si eam nescitis, hinc discite: nempe fruges, arbores, herbas, reliquaque hortensia, cùm radices spargere incipiunt, facilius provenire, si solum præparatione calidius atque mollius reddatur: perinde ac si plumæ lectis nostris in alium usum imponerentur, quàm ut corpora molliter & calidè sustineant, ossium commoditatis causa. Tu vinitor, quænam est causa, cur equinum fimum tuis vinetis magis convenire æstimes? En videtis naturalem etiam quandam esse in plantis appetentiam, ut saporibus delectentur, quasi cæli solique humor non sufficerent. Illæ itaque salsitudine, dulcedine, atque aciditate gaudentes, molliter tamen & calidè esse volunt. Nam licet stramen non putrefactum ad radices plantarum sepultum, mollitiem eam præstet; nihilominus, cùm sapor ille desit, minus illis gratum est, & ut conspicere licet, radicibus simili mollitie minus gaudentibus, pumilæ fragilesque arbores permanent. Vos ô pastores, qui ovium greges per agros pastum deducitis, atque septis concluditis, an in quem finem id faciatis scitis? quoniam videlicet fruges istic satæ, delectantur solo in quo urinæ saporem degustare possint. Inde fit ut variè judicandum sit de stercore suillo, gallinarum, aviumque, ovillo, bubulo, camelino, equino, atque humano. Falluntur nonnulli qui existimant pingue solum arenoso præferendum esse ad seminaria instituenda: at experientia contrarium docet; & id Theophrastus jam olim scripsit, ut planius in Gallica versione apparebit.

Neque homines, neque solum, neque etiam animalia graviorem laborem tolerare posse, quàm iis natura leges constituerint.

PROBLEMA VIII.

ARBORES, tellus, plantæ, homines, & animalia, atque etiam ipsius cæli orbes quiete frui optant, teste Platonicorum anno. Nulla res animata somno privatur. Itaque Solaris luminis privatio ad eam rem convenit. Nónne igitur meritò indignari possunt ii qui ad operas fuêre adhibiti, cùm illis quies adimitur? Hinc desumta est origo nonnullarum disceptationum quas hîc legitis: nam postquam animadversum est, neque rerum singularium procul hinc observatarum raritatem, neque Commentarios de avibus & piscibus, neque animalium picturas rationem invenire potuisse qua labor mitigari posset, ut iis rebus sufficeret quæ ad quietem adipiscendam necessariæ erant: denuo quærendus favor fuit sub stirpium patrocinio, ob quarum studium nimium forsitan iis locis inhæsit quæ Musea nuncupantur, Musis dedicata. At hoc non scribimus, ut Plinius in sua præfatione ait, Humili vulgo, studiorum ociosis; sed potentioribus, qui multas operas ad labores alere possunt. Verùm id non sine quorundam calumnia: nam quo pacto divitias alteri polliceri potest, qui ipse nullas habet, aut qui ab eo, cui illas pollicetur, mutuas sumit? non defuit tamen spes, idem studium (quod auctori minuendarum facultatum occasionem præbuit) novas etiam iterum adquirendi, rationem subministraturum. Verùm tantum abest ut quæstus cupiditate ad hæc studia impulsus fuerit: quinimo ut illam fugeret ea est amplexus. Viginti nunc sunt elapsi anni, quòd manum qua hæc scripta sunt, χειρομάντις inspiciens, cùm facultates obtinere possem, pronunciaverit: Quinquagesimo ætatis anno non plura possidebis quàm nunc possides. Tamen quemadmodum auro vetustas nihil addit, nec etiam adimit; sic hujus vaticinii veritas postea agnoscetur. Arbores igitur, si paululum temporis vos relinquo, ægrè ne feratis: nam in alia re expetitur auctoris exercitium, idque fortassis alio laboris genere. Sed ô montes, quid abscondere potuistis quod ejus oculos fugerit? aut quis explorator, ô arbores, de vobis hoc tempore plura referre poterit? Si Echo, quæ toties hanc vocem per Asiæ valles atque per altissimos Europæ montes exaudiit, nunc responderet, nullo alio teste opus esset. Hinc fit ut modò animi hilaritatem, modò animi ægritudinem præ se ferant nostræ disceptationes. Igitur, ô arbores, arbusta, & herbæ quæ vestrum cultorem cùm maximè opus habet, deseritis, ejus orationem audite indignatione plenam. An æquum est, ut vestram imbecillitatem sibi obiici audire cogatur? Nam cùm illum per terram & mare mancipium effeceritis ob unicum vos videndi desiderium, eumque adegeritis ut decies millena milliaria suis pedibus metiretur, non comprehensis peregrinationibus maritimo itinere factis, & tamen vix hunc errorem detegere potuerit; tanquam is qui nullum suum commodum quàm per vestrum captare noverit, sed diminutis licet facultatibus, majorem adhuc vestri experientiam adquirere voluit. Quid igitur, ô arbores, hîc

tacetis? ſed tamen multis ad hanc rem diſceptationibus opus eſt: nam virtus vulnere vireſcens, acceptarum injuriarum adhuc meminit. Sed ad hanc rem ne exquiruntor omnes ſingulares dotes viri omnibus numeris abſoluti, cùm ſciamus neminem tot rebus ſufficere poſſe: imò ne apud Turcos quidem mancipiis plus laboris imponitur, quàm ferre queant; quod dictum eſto ad refellendum eorum injuriam qui ſua mancipia terram, tanquam jumenta, colere debere exiſtimant. Sed neque ipſa, neque terra, quicunque tandem labores iſtic fiant, neque etiam ipſæ arbores plus præſtant quàm naturæ legibus illis definitum eſt. Nam terra non minùs ſuis feriis & quiete frui debet quàm arbores & homines. Non minore itaque labore, & temporis diuturnitate opus fuit ad ea inveſtiganda quæ ad illuſtrandam ſtirpium cognitionem evulgabuntur, quàm iis qui, cùm abundè haberent ut per omnem ætatem etiam cum maximo quæſtu ſine moleſtia vitam traducerent, perpetuò in ſuis muſeis ſe continuerunt, ex libris quæ oportuit ediſcentes. Ne mirum igitur videatur, ſi qui alia ſtudia ſectati ſunt, certa quædam ſubtilia & arguta de artium ſecretis argumenta, diu & cum ocio excogitata tam promptè diſſolvere non potuerint: licet eum, qui in eorum album recipi cupiat, illa ſcire neceſſe ſit. Nonnullis ſufficit ea didiciſſe quæ docet toties repetita illa cantio. Aſt alia deſideria quæ majore impetu impellunt ad ea cognoſcenda quæ minorem quidem utilitatem, ſed graviores labores adferunt, fortè audient quod objectum eſt Lotophagis populis, qui utilitatem adferentia deſerentes, ea quæ minoris momenti erant, ſectabantur, dulcedine fructus Loti contenti, qui tamen malum alimentum præbet. Sed non fruſtrà cum Latinis dici poſſit, Trahit ſua quemque voluptas: nemo enim ignorat, quemlibet id ſtudium amplecti quod majorem voluptatem illi adfert: ſed nullum noſtrâ opinione inveniri queat, quod huic præferendum ſit.

Diſceptatio, ſilveſtrium arborum cicurationem comprobans.

PROBLEMA IX.

EXANTLATIS laboribus, ſuo tempore noſtra diligentia fructus nos percepturos tandem ſperamus. Olim Auguſti illuſtriſſimique & liberalis noſtri Regis Majeſtas mandatum dederat, ut ſtirpium gratiâ ocio frui poſſemus: ſed tale ocium ut conſequi poſſem, graviores & difficiliores labores ſubeundi fuerunt, quàm Argonautis ut aureum vellus obtinerent: quod cùm animadverteremus, exiſtimavimus præſtare id ſeriùs conſequi, quàm nunquam; eamque adeò ob cauſam ingenium intendimus, ut aliâ ratione id conſequi poſſemus. Hujus moræ cauſa accidit, quoniam cùm ipſi noſtra ſcripta & rerum in Aſia obſervatarum effigies offerremus, etiam declaravimus in rebus majoris momenti quàm iſta erant, ſuæ Regiæ Majeſtati nos operam navare poſſe, modò nobis aliquas ſuppetias ferret; & quòd ſi ex rebus minimis aliquid conficere potuiſſemus, dignum quod donaretur tam Illuſtri perſonæ, ipſius adminiculo alia multo digniora poſſe conquiri. Sed ut beneficium unde provenit agnoſcamus, Dominus de Montmorency, Franciæ Par, & Archimarſchalcus ſive Conneſtabilis, Princeps illuſtriſſimus, & publicæ tranquillitatis amantiſſimus, iſtam cauſam fovendam ſuſcepit; nobiſque auctor fuit ut noſtras obſervationes publici juris facere inciperemus: nam illius & Cardinalis Caſtilionæi, qui privatim pecuniæ ſummam, in ſumtuum jam factorum ob animalium picturas enumeratas ſubſidium erogarunt, liberalitate factum eſt, ut devinctam adhuc ſentiamus noſtram Serpentum hiſtoriam ipſi Domino Conneſtabili, quoniam pecunias ſuppeditavit ad earum icones (quæ brevi in publicum evulgabuntur) ſculpendas: & quia, ipſis procurantibus, illam ad noſtra ſtudia fovenda penſionem, à noſtri liberaliſſimi & victorioſiſſimi Regis Majeſtate obtinuimus: animadvertentes autem tempus effluere, & noſtras de cultura deliberationes deferveſcere, tametſi non deeſſet voluntas ejus peritiam, atque plantarum notitiam evulgandi, licet de multis adhuc dubitaremus: tum decretum fuit, non incommodum fore ſi rationes invenirentur, quibus eodem (quod aiunt) curſu, duos lepores venaremur; ut videlicet diſcendo, alios noſtræ nationis etiam doceremus; eaque ratione efficeremus, ut neque nos falleremur, neque etiam alii. Sed in eo difficultas conſiſtebat, ut conferri poſſent: cùm ſcripta magni momenti non eſſe exiſtimaremus, niſi ſimul demonſtrarentur ea de quibus agebatur: hoc eſt, niſi, dum ſtirpium notitiam illuſtriorem reddimus, eas etiam vulgares efficeremus: quod minimè fieri poteſt abſque patrocinio. Sed ante omnia, dum hæc legitis, revocate in memoriam admirandam illam arborum ex adeò exiguis ſeminibus enatarum altitudinem. Semen etenim ex quo Platani, Cupreſſi, Alni, Salices, Populi, Betulæ, Oſtryæ, Vlmi, & Larices naſcuntur, adeò exiguum eſt, ut quælibet muſca & formica quantumvis parva, earum arborum originem geſtare poſſint. Parum eſt altiſ-

ſimam

ſimam malum in navi figere,eique velum adaptare,niſi inſuper caſtellum ſuprà exſtruatur, & bellicis tormentis muniatur ad perdendos homines, illiſq. vitam in aëre adimendam,ut terræ ſepulturâ careant:ſed illud majus,malũ malo imponere,vela velis; nec id adhuc ſatis, niſi quartum etiam accedat. O confidentem ambitionem! videtis veſtram vitam furore quodam ferri à re tam exigua originem ducente, adeò (inquam) exigua, ut formica ſeſe exercendo vos ſupra tergus geſtare dici queat; quandoquidem eam originem geſtare potuit ex qua multæ naves fabricatæ ſunt. Si igitur Cedrus adeò excelſa & recta, Larix, Abies, & Picea tam exiguo ſemine naſcuntur, an ejus vecturam contemnitis? Fruſtrà cultor iſta contemnes ob originis vilitatem: nam licet quilibet ruſticus iis uti queat, propoſita nihilominus ſunt uni ex potentiſſimis hujus ſeculi Regibus. Contemnite porrò, vel probate, hæc tamen charta excipiet. Videtis ergo eas arbores quæ exiguo ſemine præditæ ſunt, in ſummam altitudinem adoleſcere. Aliæ verò è majoribus ſeminibus originem ducunt. Nam Iuglans, Quercus, Caſtanea, Fagus, Ceraſus multo majore ſemine conſtant. At in arboribus nucleis præditis, nulla fuit difficultas: noſtri enim majores poſteris abundè reliquerunt. Inde originem ſumpſit mutua illa regionum inter ſe communicatio: nam Perſæ Perſica nobis diſtribuerunt, Armenii Armeniaca, Medi Limones, Aurantia, & Citria quæ Latinè Mala Medica nuncupantur. Qui fuêre auctores ut ea primùm nanciſceremur, quàm ii quibus id tum in mentem venit? Sed & nunc, ne tam procul abſcedamus, Indiaque & Africa prætermiſſis, difficile non eſſet multas fructiferas arbores obtinere, quibus barbari tribus vix paſſibus à nobis diſſiti fruuntur: nondum tamen mare trajecerunt, noſtrorum mercatorum qui eas regiones adeunt, negligentiâ & incuriâ. Animadvertite quorſum hæc dico, & ſtatuite an præter rem id faciam. Intelligite igitur quod vobis dicitur; nempe ſi hoc feceritis, illud vobis accidet. Eam ob cauſam noſter maximè magnanimus & Auguſtiſſimus Rex, cùm jam antea animum ad eam rem applicuiſſet, nobis tradidit ſchedam manu propria obſignatam, tamquam arrabonem ſuæ voluntatis, & certitudinem, aliquando nobis bene conſulturum: eamque ſchedam à Domino de Laubeſpine Secretario contraſignari iuſſit: cujus ſchedæ æſtimatio nobis ſpem fecit, aliquando fruituros iis commodis, quæ in eâ deſcripta erant: neque enim ita interpretari volumus ut exteri quidam, qui Principum penſiones verè paſſiones eſſe dicunt, quoniam multas animi moleſtias devorare, & tolerantem eſſe oporteat, illas diutiùs ſolicitando. Eadem igitur ſpes quæ eos qui nihil obtinere poſſunt caſtigat, facit ut, tametſi jam diu illam cõſervarim, adhuc ſervare oporteat, licet illius nullus cõſequatur effectus. Animo tamen recolens ſigna quadam auctoritate pollere, præſertim à maximo Rege profecta, boni conſulenda ſunt, exemplo ejus quod Suetonius de Auguſto refert, eum videlicet Alexandri effigie obſignare ſolitum; ſed imitatum id ſignum cùm comperiſſet, poſtea Sphyngis impreſſione obſignaſſe: ſed & Caloieri montis Sinai adſervant manus pictæ impreſſionem papyro adglutinatam, quam Mahometis eſſe prædicant, cujus auctoritas illorum adhuc antiqua privilegia conſervat, quæ Turcarum Imperatoris milites inviolata præſtant. Deinde etiam meminiſſe juvabat ipſius Majeſtatem ex ſimilium diſceptationum iis quæ in noſtris ſcriptis continentur, prælectione voluptatem accepiſſe; proinde noſtras illi haud ingratas fuiſſe, conjecturam inde facientes, noſtram exſpectationem firmiorem credebamus. At poſtea hujus deliberationis difficultate in novæ protectionis defectu conſiſtente, facilè illam explicare licuit, ipſa Illuſtriſſimo atque Reverendiſſimo Domino Cardinali Lotharingo propoſita. Nam cùm ipſe ſit acerrimi & ſubtilis ingenii, paucis intellexit quid illi proponeremus. Tum pecuniis mihi diſtribui juſſis ab ipſo tanquam maxima quæque ad Reipublicæ augmentum moliente, atque etiam à Coneſtabili, diligenter obſervavimus ea quorum fiet mentio, præſertim in poſtrema noſtra per Italiam peregrinatione, ad quam nos Rex ablegârat. Non abs re hæc, & quæ in hanc deliberationem inciderunt, ſtatim ab initio commemoravimus; ne ingratitudinis notam nobis adſciſceremus, ſuppreſſis eorum nominibus qui auxilium contulerunt: tum etiam ut rationem redderemus eorum paucorum nummorum qui nobis donati fuêre. Parum fuit præcedente anno montium Arverniæ, Sabaudiæ & Delphinatus ſumma juga denuo dedita opera conſcendere ad obſervandas arbores: niſi ex profeſſo Italiam bis emenſi fuiſſemus, ut diſceremus qua ratione omnis generis illarum magnam ſeminis quantitatem nanciſci poſſemus. Sed ut alios quos forſitan hæc cura tanget, doceamus, audite: nam in hoc totius noſtræ doctrinæ cardo verſatur. Neque Principes viri, neque ruſtici, neque oppidani quidquam rari præter vulgaria habere queunt; cùm ad ſuorum hortorum, vivariorum, & agrorum ornatum, tum ad utilitatem ex eis percipiendam; niſi primùm aliunde ſemina accipiant: neque hortulani ſuis dominis educare poſſent alias ſtirpes quàm olera & braſſicas, aliaque ſimilia vulgaria, niſi ab aliis ſemina præbeantur. Attamen haud difficile foret, brevi efficere, ut ſinguli rariores

alias & varii generis adipiscerentur, si illis semina aliunde subministrarentur (cujus rei exemplum esto, quòd nullus adeò exiguus hortus nunc sit, qui cupressos, lauros, & plerasque alias non colat) atque ista ratione singuli quibus ad hanc rem animum applicare licet, suam diligentiam, ut appareat, præstare poterunt. Si igitur difficilius non est silvestres urbaniores reddere, quàm domesticas conservare: in quam calumniam, ô hujus seculi Principes, non incurritis, tam ingenti bono indigni, qui vestra socordia vestros census imminui sinitis? Sed cuinam tribuetur insignis hic error, socordiæ ne & indignitati personarum, an ipsi tempori? Vos igitur qui doctrinæ nomine tumetis, & singula in commentarios referre vos profitemini, cur ejus rei non meministis? Quænam est hæc negligentia, quòd arbustorum per universum orbem celebratorum stirpes prorsus exstingui permiseritis? Sed aliàs id demonstrandum est: nam nunc de silvestrium cicurandi ratione nobis institutus est sermo. O boni senes & parentes, an desides homines, quibus vestras hæreditates virentes, bene cultas & opulentas reliquistis, calumnia digni non sunt, quòd egentes facti sunt? De te nunc agitur Balsamum, cujus cultura, non jugera, sed integra arva occupare solebat. Nostris majoribus gloriæ cedebat, quòd illud in necessarios usus obtinerent, vobis autem vitio vertendum, quòd id perire permiseritis. Vestræ opes, ô homines nihili, culturæ negligentiâ pereunt. Sed cujus culpâ, ô Principes, ejus cultura non restauratur, nisi quoniam vobis in mentem non venit? Iam Iericho deserta est, Balsamum istic amplius non nascitur. Magnificentiâ igitur à veteribus vos superari, fateri non pigeat. Semiramis, Attalus, Philometor, Harpalus, & multi alii Principes exstincti, viri, & feminæ, nomen sibi adquisivêre, quòd culturâ delectarentur. Si quis nunc id in usum revocaturum polliceatur, inveniretne qui illi fidem adhiberet? Dubito, nam esse desiit. Sed secundum ea quæ vobis hîc proponuntur, agite, ô adolescentes, & antè quàm canicies vobis obrepat, stirpes jam alueritis, quæ vobis cum insigni utilitate delectationem etiam adferent: nam quemadmodum canicies temporis successu, vobis insciis, sensim obrepit; sic natura vobis inserviens educabit quod telluri vestræ concredetis, modò prima initia illi dederitis. Quispiam jam provectæ ætatis accersitus ad opulenti cujusdam liberos instituendos, immortalitatem illis pollicebatur: parens illorum, vadem postulans, responsum tulit, quantum ad se attinet, certum se esse, minimè calumniam incursurum nisi immortales fierent: cùm videlicet non ignoraret se inventum non iri, cùm illi morerentur, ut fidem suam præstaret. Attamen ille non corporis immortalitatem promittebat, sed nominis illorum gloriam.

Quæ causa sit, cur neque in civium, neque Principum hortis, exoticæ plantæ vulgo conspiciantur.

PROBLEMA X.

AD stirpium è seminibus generationem quod attinet, difficultas nulla erit, modò quis diligentiam adhibeat: sed illud primarium, ut eas jam enatas & adhuc teneras conservare sciamus. Nam per summos æstatis ardores sine aqua vivere nequeunt; quemadmodum nec hiemis injurias ferunt, nisi adversus frigora muniantur, & recondantur. Sed & ipsos Romanos in hortis suis Myrtos adversus frigora munire oportuit: ait enim Poëta:

Dum teneras defendo à frigore Myrtos.

Quod si id Romano agro fieri debuit, loco illis commodo; quid non facere debebunt nostro agro? Nonnullorum diligentia punicæ mali, aureæ, & limonum, semine natæ succreverunt & fructus tulerunt etiam in frigidis Rhetiæ & Helvetiorum regionibus; ut ex iis constat quæ Tiguri conspiciuntur. Atque hoc loco id dictum sit in quorundam Principum virorum gratiam, quibus, licet exoticarum plantarum semina dentur, eorum tamen hortulani vix tantum ocii sibi sumunt ut ea terræ committant; tantum abest, ut enata, hieme conservent & recondant. Hinc fit ut nihil singulare conspici possit, nisi apud eos qui suos hortulanos ad diligentiam compellunt. Nam nisi ipsimet domini voluptate ex iis afficiantur, & diligentiam adhibeant, multo minus ipsorum hortulani vel œconomi ea curabunt. Cùm igitur hoc scripto duntaxat instituta sit exhortatio ad silvestrium arborum cicurationem: (nam seminaria parandi ratio in tractatu de Agricultura, ubi etiam de fimi & cinerum generibus, & areis, expressè docebitur) non de Canella, Garyophyllis, Moschata nuce, Pipere, & aliis similibus Aromatibus, in silvestribus arboribus peregrinis nascentibus, neque de Melegueta differente à Cardamomo agere constituimus: alio etenim loco, ut jam dictum est, id fiet. Itaque ad tam varia demonstranda, nullos alios sumtus

faciendos

faciendos Regi proposuimus, nisi ut, quandoquidem ipsius Majestas mandatum dederat ut aliquod beneficium in me conferretur, tametsi nihil adhuc me effecturum pollicitus essem; ipsius nunc voluntas esset, præcipere ut beneficio illo tum donato frui possem; me rationem demonstraturum educandi singulis annis multa arborum genera, quæ neque in Franciæ agro, neque in cujusquam Principis hortis in hoc regno unquam conspecta fuere: atque sic perseverando, nullam difficultatem obstaculo fore, quo minùs ubique vulgaria fiant, non ad duodenarium aut centenarium millenariúmve numerum, sed ad decies centena millia. An quisquam sine admiratione audire poterit, hanc disquisitionem nunquam ab iis fuisse æstimatam à quibus omnem favorem obtinere promerebatur? Quid hoc? Nempe, non modò scripta commentaria vobis adferre, edocentia quænam sint stirpes quarum Theophrastus meminit; sed ut illis frui possitis efficere, vobis eas quas recenset exhibendo. Si igitur Traupalum, Lacaram, Apharcam, OEleagnum, Celastrum, Adrachnen, Cercin, Thuiam, Phyliram, Halyphleon, Crategum, Æquum, Oetum, & similes alias arbores ipsius scriptis celebratas haberetis, an eas contemneretis? Cùm igitur earum descriptio & Gallicæ appellationis expressio æstimanda sit; an non præstantius censebitur communes illas facere his qui expetunt? Quòd si suspicamini id fieri non posse, minùs dociles estis quàm eruditissimus Theophrastus, qui non modò credidit, sed etiam scriptis tradidit, nonnullas arbores jam cæsas, & dolatas, postea reviruisse & revixisse.

Exempla diligentum Agricolarum, quibus probatur, quod virens supra terram conspicitur, quodq; novo vere transplantatur, id omne vel locis incultis vel domesticis semine natum esse.

PROBLEMA XI.

SED unde quidquid nunc supra terram viget, ortum habere credendum est, quàm ex semine? quasi verò Tiliæ, Corni, Mali, Pyri, & similium arborum genera, item fruticum, herbarum, & cetera quæ novo vere in urbibus publico foro venduntur; è nucleis, granis, & seminibus, vel ramis terræ infixis non succrevissent. At quis cogitet, ista duntaxat locum habere, cùm homines ocio abundant, pacéque fruuntur, non autem belli tempore: quasi nonnullæ res pacis deliciis congruerent, aliæ rebus bellicis necessariæ essent: attamen qualiscunque tandem sit cultura, utroque tempore necessaria est: nam ipsimet bellatores, sive hibernent, sive in expeditionem proficiscantur, aut inde redeant, ad culturam concedere solent; quemadmodum etiam Machiavellus suas de bello disceptationes hinc auspicatus est. Neque Cæsar, neque ejus majores, neque ejus posteri, unquam commeatus copiâ abundarunt, aut ejus penuriâ laborarunt, quàm ex ipsa. Nam quis unquam de pecuniarum inopiâ conquirentes audivit, quemadmodum nunc fit? Res frumentaria, hoc est, annona, illorum consilia aut promovebat aut remorabatur pro ipsius abundantiæ ratione. Cùm igitur tellus vestro auxilio fœcundior reddi possit, & vobis utilitatis decimas referre: illius causa nulli rei parcere debetis, ut illa vestri commodi causa non defatigetur. Ejus rei comprobationem audite. Cùm Rex p. m. bonarum litterarum alumnus Rupellâ reverteretur, contigit ut prudens quidam Antistes ipsius aulicus apud rusticum in itinere diverteret, quem per universam viciniam fama erat Mandragoram alere, cujus beneficio prædives evasisset. Hic Antistes vir æquus & gravis id intelligens, an id verum esset exquirere voluit. Itaque evocato in secretiorem locum suo hospite, illum oravit, ut nisi molestum esset, & si fieri posset, Mandragoram quæ ipsum opulentum reddidisset, illi ostenderet: tum ille; Falsa sunt, mi domine, quæ de me memorantur: nam nullam aliam Mandragoram habeo, præter eam quam nunc audies. Viginti sunt anni quòd in hanc provinciam concesserim: cùm verò multæ operæ ad agrorum culturam essent necessariæ, nunquam servus vel ancilla, filius vel filia, post me cubitum iit; atque primus semper cubitu surrexi: eaque ratione mea jumenta, atque ipsa cultura pro mea diligentia uberiora sunt reddita. Idem Romæ accidit misero cuidam mancipio libertatem jam adepto, quod brevi tempore dives effectum est, sed non sine vicinorum invidia; qui cùm ipsius segetes uberiores suis conspicerent, eas in suos agros veneficiis pellicere arbitrabantur; eaque de causa Romam coram Senatu convocatus est. At illi de hac re perturbato & admodum solicito, tandem in mentem venit, ut aratrum, plaustraque & boves, bipalia, bidentesque, & reliqua rustica instrumenta in forum Romanum veheret, atque se istic judicio sisteret. Cui Iudex; Adesdum, quid ad hæc respondes quæ tibi obiiciuntur, nempe vicinorum segetes in tuum agrum veneficiis pellexisse? Domine, inquit, en mea veneficia.

Iudices verò ipsius aratra, vomeres, & plaustra majora ponderosioraque vulgaribus conspicientes: deinde ipsius boves pingues, & firmo corpore; bipalia, sarcula, rutra, palas, serras, falces, secures, rastra, ventilabra, & reliqua rustica instrumenta adeò solida & affabrè facta: tum etiam nervosos filiorum filiarumque ipsius, atque uxoris lacertos, omnesque vegeto esse corpore, & integris vestibus; non modò eum absolverunt, sed objurgatis ipsius accusatoribus dixerunt, si singuli eandem diligentiam in colendis suis agris adhibuissent quam ille, futurum ut perinde divites essent. Sed hæc forsitan præter institutum: demonstrare tamen volumus, diligentiam nunquam frustraneam esse, diligentemque virum nunquam ad egestatem redigi. Si igitur hoc institutum, à quo hic libellus appellationem desumsit, haud difficile factu est; quid oberit quo minus Regiæ magnificentiæ favore & patrocinio dignum sit? Nam à nemine adhuc propositum est hoc negotium, neque quisquam id suscipere posset, etiamsi millies majores sumtus faceret quàm quos expetimus. Considerate ergo quanti æstimemus beneficium nondum impetratum, dum id tanti redimere voluimus. Et tamen si vili comparant alii, qui nunquam rationes habuerunt, neque habebunt (minus videlicet exstincti quàm vivi) Reip. consulendi, non admodum soliciti sumus, & constantes in nostro instituto perseveramus. Plurimi audientes nostram pollicitationem, impossibilem eam æstimabunt: nos autem, si de ea sinistrè loquuntur, non flocci facimus. Nam hujus operis institutio, in unius anni spacium non est, sed in temporis longitudinem; non in privati alicujus viri, sed in totius orbis gratiam. Animadvertendum est præterea, id quod à nobis nunc non præstabitur, aliàs præstari posse, aut ab alio successore. Necessariò tamen initium semel faciendum est, si rem confectam videre volumus. Et ut demonstremus nos in medium nihil prolaturos, quod jam non sit experimentis comprobatum, nonnulla hujus Regni loca atque alia externa indicabimus, quæ possibilitatem demonstrabunt. Nam quantum ad eam quæ accusari posset negligentiam, hac ratione facilè elui poterit: bellum scilicet impedire quo minus mandatum fiat, ut operæ ad eam rem designentur; & licet nunc etiam hanc rem proponamus, inquirendum tamen an aliquo futura sit in pretio. Nos sanè facilè excusabimur, qui nihil acceperimus, ut in ea sumtus faceremus: propterea nulla obligatione obstringimur. Et tamen facilè nunc & deinceps probari poterit, non majorem esse difficultatem promissa præstandi, quàm hortulano, spinacia & brassicas colendi. Etenim has disceptationes facili methodo describere constituimus, ut etiam exteri commodum inde percipere possint.

Silvestrium & urbanarum arborum secundum earum altitudinem & magnitudinem nomina.

PROBLEMA XII.

Licet ex professo arborum magnitudo annotanda esset, id tamen sine exceptione non fieret. Exempli gratia, Theophrasto Celtis, quam Latini Lotum, Galli *Fregolier* vocant, Pyri est magnitudine. Sed qui Pyros in arvis sponte nascentes, cum iis quæ recens in hortis insitæ sunt comparabit, præaltas eas inveniet. Subsequentes tamen in ingentem altitudinem excrescunt: Larices Gallis *Meleses* nuncupatæ, Abietes *Sapins* dictæ, Sapini *Suiffes*, Platanus Asiatica arbor, Aceres Gallicæ *Plasnes*, Boumeliæ *Fresnes champestres* dictæ, Cerrus, *Drulle*, Quercus, Ilices, Aria, Alni, *Merisiers*, Tiliæ, mares & feminæ, ex quarum cortice funes fiunt, Cedri majores, Asiaticæ Sabinæ, & Tauri montis magnæ Iuniperi, quæ fructu nucibus non minore præditæ sunt, Salices, Taxi, Castaneæ, Fagi, Betulæ, Palæ, sive Indicæ ficus, Milaces, Cerri, Cerrosouvari, Sorbus aucuparia, Sorbus torminalis, Sorbus, Palma, Iuglans, Vlmus, Populus nigra, alba, & Alpina, Piceæ, Piceastri, & Pinastri, quos Rheti Gembro appellant, Corni, Cassiæ, & Cupressi. Aliarum verò arborum nonnullæ minores sunt, tametsi etiam in justam magnitudinem adolescant, quales sunt; Acer crispa materia, & vulgaris Acer, Zizyphæ, Sycomorus Ægyptiaca, & Sycomorus Italica, aliàs Perlaro appellata. Comarus suapte natura pusilla est, sed ramis expurgata in magnam altitudinem assurgit, quemadmodum etiam Malus punica. Idem faciunt Sanguineæ virgæ albæ, & nigræ, quas alibi Ligustra vocant. Alaterni, & Sanguineæ virgæ rubræ, mediocres semper inveniuntur. Morus alba & nigra vetustate magnæ fiunt arbores. Sic etiam Pyri, Pruni, Persicæ, Armeniacæ & Præcoquæ mali, Napeca, Oleæ, Mespilus, & Cotoneæ, Siliquæ, nonnullis locis mediocres sunt, sed aliis magnæ fiunt arbores. Sed & Lantana, à Lantagine differens, & Zizypha, Oleaster, Ficus, Laurocerasus, Spina

nigra, Spina cervina, Spina police, Berberis vulgaris, Spina alba, Grossularia, & Spina gatzina, & Fraxini montani Orni nuncupati, Aclades, Aquifoliæ, Laburnum, Staphylodendri, Tamarindi, Myrobalani, & quas Galenus Chrysobalanos vocat, Glans unguentaria & Acacia Arabica mediocres sunt. Rhododendri nonnullis Cretæ insulæ locis, ad ædicularum trabes conficiendas aptæ, quæ alibi parvæ sunt: istic etiam Ricini adeò ingentes nascuntur, ut scalis admotis conscendi debeant. Coccus baphica non altè excrescit, neque acidus ille frutex, qui vulgò Ribes appellatur. Balsami arbor etiam parva est. Seseli Æthiopicum frutex, quod Narbonensis Provincia *Cachebugade* appellat, semper viret, sponte nascens quibusdam locis apud Orgon & Salonem petræam. Pyrus cervina, Rosmarinus, Mespilus aronea, Nuciprunus, *Le Guerois* & Imbriagosa Autonensis agro Genuensi, parvæ sunt arbores. Sebesten, Punicæ, Corni, Buxi, Styraces, Sambuci, Coryli, Lauri, Persicæ tam duracinæ quàm aliæ, Præcoces, Tinus, Cedri Phœniciæ, Oxycedri, Sabinæ, Phylicæ, Adrachnes, & Vitices; vetustate attolluntur. Anagyris non assurgit, quemadmodum nec Paliurus, nec Rhamnus, nec Halimus, & Iovis barbæ species, quam Georgius Agricola Diospyron esse censebat, quamque Helvetii *Faulepaum* nominant. Elæagnus lacus Orcomenii à Theophrasto descriptus, ex quo defectu Lupuli fit acrior Cerevisia, nomen apud Gallos invenit *Pimente*. Cujus notitiam acceptam referre debemus Valerio Cordo p. m. Germano Erfordiensi, in hoc studio exercitatissimo, perhumano & modesto, qui pro sua singulari benevolentia (quæ omnibus Germanis vulgariter innata est) cùm in Pomerania tum in Saxonia nobis eum ostendit, quod manifestum indicium est, sæpe inveniri in extremo Septentrione nascentes plantas, quæ sub ipsa meridie observatæ fuere. Rosæ Moschatæ cùm silvestres tum domesticæ, rubræ, albæ, & virides, Myrti, Coluteæ, Aureæ mali, Poma Adami, Limones, Citriæ, Tamarices, Genistæ varii generis, Tamarindi, Lentisci, Aspalathus, Cerviprunus, Machalep, Tithymalus dendroides, Arbor Iudæ, nuncupata Fabago aut Siliquastrum, Sfoiarolus, Erica & Phana. Salices, Alni, & Populi inter celsas sunt recensitæ: nam quæ pumilæ conspiciuntur, præter naturam tales sunt. Considerate ulmos Vicentino agro, quæ scalas quodammodo referunt in magnam usque altitudinem: nam ita à rusticis ductæ sunt, ut vites illis maritatæ ad summum usque conscendant, & in singulis earum gradibus ramos earum cædentes, messem & vindemiam in aëre faciant. Nonnullæ ad agros claudendos & sepiendos aptæ sunt, quarum aliquæ spinosæ, aliæ minimè. Halimus agro Hierosolymitano, & in Creta insula, Tamarices in Ægypto, Squendano agro Patavino ad sepes faciendas idoneæ, tametsi spinosæ non sint. Nam quòd hîc sepes ex Spina infectoria, Oxyacantha vulgari, Pruno silvestri sive spino, & Berberi conficiunt; in Provincia verò Rhamno, in Thuscia Spina Guatzina, & alibi Rubo; id fit quòd singulæ regiones iis utantur quæ peculiares illis sunt. In earum albo recenseri possent, inter frutices legitimum Thymum, quod utraq. Lavendula non minùs altè assurgit, Thymbra à Satureia differens. Arbuscula est Chamæpeuce, quam Lolmo incolæ agro Bergomensi & Chiavennenses cis montem Scalam *Schiusernain* appellant. Thymelææ & Chamelææ frutices semper virent. Hallucinati sunt qui Sempervivum agnoscere arbitrati sunt: nam arbuscula est, uti & Polemonia. Quædam sine adminiculo subsistere nequeūt, quemadmodum Anabasis, Cardamomum, Hedera, Rubus, Smilax aspera & lævis, Lupus salictarius, Amomum, Viburnum Ruellii, & Vitis. Pleræque aliæ suum etiam locum hîc obtinere possent: sed de iis in Agricultura dicemus, quemadmodum & de Leguminibus (quibus Galli nullum adhuc nomen imponere norunt, sed sub oleribus comprehendunt) & de tritici generibus: pro quibus variæ colendi terram rationes inventæ, & diversa aratra cum suis vomeribus excogitata sunt. Vos Galli, qui in hoc scriptum incidetis, quique superatis Alpibus in Italiam pervenistis, si quis vos percontetur quâ re apud Helvetios & Rhetos vixeritis, respondebitis pane & vino. Sed quo pane? ex frumento optimo confectò dicetis, quandoquidem illum bonum, candidum, sapidum & bene elaboratum deprehenderitis: & tamen fallemini. An igitur non pudet ignorare quo vescimini? nam istîc frumentaceum nunquam edistis, imò ne frumentum quidem istîc seritur. Deinde si illorum molas ingressi essetis, lapides conspexissetis deglumandæ speltæ idoneos antequam molatur. Sed molares lapides, molæ & earum rotæ suum locum post arbores obtinebunt; tum etiam farinæ; inter quas illud magis mirum est, bonum panem è castanearum farina, nostri vulgaris in modum, parari, quo Genuensis littoris incolæ melioris defectu vescuntur.

Silvestrium

Silvestrium arborum quas ali & cicurari posse demonstratum est, nomina.

PROBLEMA XIII.

Ne verò celemus ea quæ nos experti proposuimus; en vobis exemplum, quale à Reverendissimo & Illustrissimo Præsule Cardinale Lotharingiæ, pro sua clementia & insigni humanitate, coram Rege è scheda quadam pronunciatum fuit.

Domine, licet ab eo tempore quo V. Majestati concedere placuit, ut qui insignia aliquot beneficia ab ipsa acciperent, etiam curarent, Petrus Bellonius Cenomanus sexcentas libras in pensionem annuam obtineret; plurimi tamen in quos postea beneficia collata fuêre, ejus decreti nullam rationem habuere. At ille non ignorans beneficia non conferri in viros inutiles, rationes perquisivit quibus V. Majestati servitium aliquod præstare posset: eæ autem sunt, quòd varii generis arborum semina congerere queat, quæ neque in vestris, neque in cujuspiam alterius hortis, aut totius Galliæ silvis unquam conspectæ sunt. Et cùm ille confidat, se ea recentia & magna quantitate nancisci posse, quali numero, qualique loco V. Majestati placebit, illa serere & colere spondet. Itaque V. Majestas non gravetur præcipere Secretariis vestri fisci, ut sine ulla exceptione vestrum mandatum exequantur, secundum eas schedas quas pro singulari vestra benignitate propria manu subsignatas illi dare placuit: ut cùm occasio sese offeret, eò beneficio frui possit quod in illum collatum fuit, & de ea re litteras ubi necesse erit, illi expediant: & spondet rationes se subministraturum, ut nascantur V. Majestati arbores quarum nomina subsequuntur:

Siliquæ, Gallis *Caroubiers* dictæ.

Suberes, Gallis *Liege* nuncupatæ.

Cocciferæ ilices, quæ infectorium coccum ferunt, Gallis *Arbres de Vermillon & qui portent l'escarlate.*

Ilices, Gallis *Chesnes verds & Eouses.*

Cerrosouvari, arbores glandiferæ in Tuscia.

Macalep Arabicum, Cerasi silvestris genus.

Loti, Gallis *Fregoliers* vel *Micacouliers.*

Arbuti, *Arbousiers.*

Zizypha phœnicea & alba.

Aceres crispæ, quas Theophrastus Sphendamnos appellat.

Carpini ab ostryis differentes.

Arbores Iudæ, quas Græci vulgò Coucouchias nuncupant, unde Fabagines & Siliquastra dictæ.

Gimber Rhætorum, *Aleues* Gallorum.

Larices, Gallis *Meleses.*

Alaterni, Gallis *Daladers*, aliâs *Sanguins blancs.*

Tini sive Lauri inodoræ, Italis *Lantagini.*

Platani veræ.

Rhamni, frutices spinosi.

Laburnum, *Aubours.*

Rhododendri, sive Rhododaphnes.

Piceæ & Piceastri, Pini silvestris genera inter se differentia, & à Pinastro diversa.

Perlari in Italia vulgares, quas falsò nomine Sycomoros nuncupant. Eæ sunt quas Sycomoros Italicas appellamus. Nam cis-marinis oris nulla legitima Sycomorus nascitur.

Anagyrides.

Oxycedri, Gallis *Cades.*

Phœniciæ cedri, *Serbins.*

Staphylodendri, Gallis *Nez-coupez.*

Vitices.

Terebinthi.

Rhus veterum.

Milaci aut Acylacæ, Ilicis species.

Phylicæ, arbores perpetuò virentes, Italis *Salvestrille.*

Ornitelli, fraxini montanæ species.

Suiffes, arbores Abietibus similes.

Ad cujus rei experientiam demonstrandam, sua Majestas expensas in binos viros ad negotium

negotium illud perficiendum aptos nobis concessit, quos conquirendorum seminum gratia in varias regiones, quas illis nominabimus, ablegaremus, quorum singuli in annuam pensionem centum & viginti libras acciperent. Videtis igitur quòd in sumptus rerum propositarum nihil aliud expectamus quàm quod jamdudum nobis concessum fuerat. Quòd si difficultas suborta, in dubium vocaret, an quæ propositæ sunt, nostrum cælum & solum ferre possint; jam nonnullas quibusdam locis adolevisse, eorum diligentia qui illas semine consẽverunt, ordine recensebimus. Siliquam enim certum est, apud Cenomanorum urbem horto Toutvoie crescere, ejusque magnas istic etiamnum conspici arbores. Ea est quam Siliquam Ægyptiam nominare oportet, non autem Tamarindos: quas Ægyptii paucas, nec eas nisi in hortis ut quidpiam singulare alunt, quemadmodum nos Aureas malos. Hujus Siliquæ, quæ inter eas quæ propositæ sunt primum obtinet locum, fructus à Græcis κεράτιον appellatur, cujus semen sex grana pendens nomen dedit ponderi illi auri quod Karat dicitur. Non minorem censum adfert Genuensis, Savonensis atque Villæfrancæ agri incolis, quàm Iuglandes per plana Galliæ. In montium declivibus atque radicibus petroso loco nasci gaudent, marisque littoribus, atque etiam in mediterraneis, tantâ abundantiâ magnas siliquas, quæ ejus fructus sunt, proferentes, ut in hordei, fœni, & avenæ penuria, asinos, mulos, & equos illis alant. Sed dum eas mandunt, semina in præsepiis remanent, quæ nisi à nobis admoniti, colligere non consueverant. Inde fit ut difficile non sit futurum, Siliquæ semina nancisci; quandoquidem certi simus nonullos ejus regionis incolas plus quàm viginti eorum libras in singulos coronatos daturos. Suberis, Milacis, & Ilicum glandes sola vecturæ expensa (quæ levis est) constabunt; ut testimonio esse possunt quas Bayona adferri jussimus. Sed nunc sanè in silvis haudquaquam conspicerentur multis hujus Regni locis, quemadmodum in Sable Andegavensi agro, & apud Cenomanos, nisi nostri majores aliunde glandes quæ istic consererent, adferri jussissent. Eadem ratione adoleverunt quæ in Moulins horto, Borbonensi ducatu conspiciuntur. *Cerrosouuari* proximè nos impulerunt ut Tusciam peragraremus, earum conspiciendarum causa; istic enim frequentes sunt, effeceruntque ut ardente bello, per media hostium præsidia transiremus, dum ejus glandes quæreremus: nam Ducis Florentini favore freti, cùm animaduertissemus in ipsius hortis cum aliis arboribus non inveniri, Senensibus, & Capraye incolis persuasimus ab ipsius Illustrissima Excellentia missos, ut tenellos ejus frutices erueremus, eosque deferremus in Portum Herculis, ut inde mari Pisas transveherentur in simplicium hortum. Sperabamus tamen (si fortè capti fuissemus) leviùs nos tractandos à Principis ad literas promovendas adeò studiosi ministris, quàm à Theonis Villæ militibus, qui proficiscentes in Metensem urbem nos ceperunt; quibus nos oportuit majorem redemtionem persolvere quàm plerique opulenti: cujus rei testimonium præbere posset Vannensis Episcopus, qui diu Regis in Belgica legatus fuit; is enim me præsente suo fratri Domino de L'Aubespine dixit, Episcopum Atrebatensem illi retulisse, me sine redemptione dimittendum fuisse, si tam longo tempore captum resciuisset. Hoc igitur loco illi gratias ago, & nobili cuidam Viro Dn. de Hammes nuncupato, qui in doctrinæ mei Ronsardi gratiam liberaliter persolvit reliquam quæ pro mea redemptione numeranda supererat pecuniam. Conspecto igitur sine magna difficultate Cerrosouvaro in Senensium maritimis, & ejus glandibus collectis, divertentes ab itinere quod ad Portum Herculis ducebat, & versus Grosseto & Casanovola redeuntes, Romam usque illas pertulimus, atque Reverendissimo Illustrissimoque Cardinali Bellaio obtulimus. Videte igitur quàm nullo negotio nullisque sumptibus Cerrosouuari glandes haberi possint, vel Montalsini, vel Grosseto itinere; cùm certum sit, singulis ferè hebdomadis naves ex portu qui ad ostia fluminis Ambronæ est, solvere, quæ in Provinciam usque transfretent. Nónne conspicimus crassiores illas castaneas *Marrons* Gallis dictas, in Belgicam, Hyberniam, Angliam, Scotiam & Daniam usque transvehi, & istic nasci si ferantur? Non minus facilè ergo comparari possent supradictarum omnium glandium genera, si quis hanc provinciam in se susciperet, imò & Platyphylli glandes, cujus circa Troiæ ruinas & in Lemno tanta est copia.

Arboris Macalep appellatio confirmatur ex ejus seminibus quæ in Aromatariorum officinis venalia habentur, quibus nõnulli ad abluendas chirothecas quas odoribus imbuere volunt, utuntur. Nomen est ex Avicenna desumtum, quod etiam ejusdem arboris semini Galli tribuunt; horum seminum suis nucleis exemptorum selectorumque pondo vili admodum emi deprehendet, qui ea in Aromatariorum officinis perquiret. Si igitur ipsorum seminum suis putaminibus exemtorum vile est precium, viliores adhuc erunt nuclei. Multæ regiones inveniuntur ubi sepes ex ea conficiuntur, quemadmodum Vrbinate ducatu & Sabaudia, ubi *Putie* nuncupatur.

Loti sexto loco propositæ, quam Galli *fregoliers* appellant, fructus adeò facilè adquiri potest,

poteſt, ut eo jumenta onuſta habere poſſimus ex vicinis Turnone locis, ubi frequentiſſima naſcitur, pro ſolo vecturæ precio. Hujus vaſtæ conſpiciuntur arbores ad Zucka Venetorum, quas Bagolaro nominant. Binæ etiam hujus magnæ arbores ad fontem Salonis petreæ, extra portam naſcuntur, memorabiles ob vetuſtatem & celſitudinem, iis fortaſſe ſimiles quas Plinius tantopere commendat, de Romanorum divitiis * agens.

*imò, de Arborum ætate, lib. XXI, cap. XCIV.

Præcipi etiam poſſet, ut unedones exſiccarentur in Vivarenſium ducatu & ad S. Spiritus urbem, variiſque aliis locis ad Rhodanum ſitis. Si quis verò arbuſculas cum ſuis radicibus erutas deferendas curaret, ſine magna difficultate id efficere poſſet. Experimento autem comprobatum eſt, facilè noſtrum clima ferre poſſe. Elegans enim & præalta in Dn. de la Bourdaiſiere horto inter Lauros alitur in prædio quod apud Turones eſt, adeò Lauris ſimilis (nam perpetuò etiam viret) ut pauci, niſi diligenter obſervent, dignoſcere norint. Si igitur is cui curæ fuit ut eò transferretur, contemſiſſet, nullam nunc voluptatem adferret earum ædium incolis.

Ad Zizypha quod attinet, non deerunt qui quinque & viginti ejus fructus, nucleorum ſelectorum libras pro ſingulis coronatis dent, qui Romanorum more conſeri poſſint; nam & illi eos terræ mandare conſueverunt: noſtrum autem aërem ferre poſſe, ſatis indicant quæ in multis hortis conſpiciuntur.

Aceres criſpæ in montium ſuperciliis inveniri poterunt diligentia ſupradictorum hortulanorum ſuæ Majeſtatis, quemadmodum & alia varia arborum genera, quarum nulla hìc fit mentio, ut nec Abietum, quarum ſemina diurno duorum ruſticorum labore, tanta quantitate adquiri poterunt, ut arborum centena milia (ſi quis totidem deſideraret) inde naſci poſſent.

Aleues Pini ſunt genus, minus duro ſapidiòque nucleo quàm vulgaris. Ruſtici in Rhetia eo veſcuntur, & quatuor duntaxat aſſibus Gallicis quadrantal uendunt: itaque parvæ, præter vecturam, in ejus fructibus adquirendis faciendæ erunt expenſæ: nos verò dum iſtac iter faceremus, unico coronato tantam illius quantitatem emimus, ut ei ferendæ vix equus ſufficeret. Sed rem admodum vilem eſſe oportet, quæ ſua vectura digna non cenſetur. Poſſet etiam viciniore loco inveniri: nam quinque aut ſex diſpoſitorum equorum à Lugduno ſtationibus nullus eſt ruſticus, præſertim apud S. Andream, qui eo non veſcatur, atque in ædibus adſervet. Memoria autem repetens ſuavitatem guſtus hujus ſeminis, quo etiam multi pauperes ruſtici ſaturari poſſent, ſi noſtræ Galliæ opulentiores nonnulli id reſcirent, multoties optavi, atque etiam nunc opto, ut illius plantæ per Cretæ montes adeò vulgaris, Polytrica nuncupatæ Aſparagos, iis qui nullis ſumtibus parcunt, quo palato ſerviant, deguſtandos præbere poſſem, ad ipſos inſtigandos, ut eam in ſuis hortis naſci curarent: nam ſat ſcio, & ſilveſtres & domeſticos Aſparagos præ illa contemnerent. Sed en videtis ut multarum rerum cenſus pereat, quoniam eas in uſum perducere non novimus.

Larices Ambrunenſi territorio & circa Moriennam adeò frequentes, nullo ſumtu comparari poterunt. Ejus fructus Cupreſſino minor eſt, tum ipſa nuce tum ſemine, attamen ejus integrum plauſtrum (ſi quis id negotium ſuſciperet) vix aſſe Gallico conſtaret. In ea colligitur Manna, & craſſior Terebinthina, atque Agaricum: tanta nunc in Rheticis alpibus ejus eſt frequentia, quàm unquam antea fuerit; atque adeò iiſdem locis, unde Tiberius Cæſar Romam aduehi juſſit, ad Naumachiarium pontem concrematum reſtituendum.

Plin. lib. XVI cap. XXXIX.

Qui ligna unde ignis apud S. Spiritum urbem ſtruitur, obſervare volet ex proximis ſilvis delata, nihil frequentius Alaterno inveniet, qui & ad Thermas Romanas & ſepibus eas cingentibus frequens eſt. Lucenſes ſua lingua *Iletro*, Marchionatus Mazæ & Genuenſis agri atque Venciæ incolæ, quemadmodum & qui in Valle Ariola habitant, *Glitro*.

Ducis Florentini in Caſtello ſiluulæ Tino virent, ſuis cæruleis baccis onuſto; imo Reverendiſſimi Cardinalis Bellai hortus eo cinctus eſt.

Vinetum quoddam Romæ adhuc exſtat quod à Platano nomen deſumſit: nam ex ea reliquæ Platani quæ Romæ ſunt, ſi verum perhibent, originem ſumſere, quandoquidem ramis facilè propagatur. Si igitur tantam authoritatem, qualis memorata eſt, apud Arbores invenimus, eam ipſa re nunc demonſtrare hìc debemus. Igitur ô Platane, quæ in Aſiæ vallibus ſponte naſci voluiſti, frigidiore ſanè aëre quàm noſter eſt; quid oberit quo minus te habere poſſimus? ſperamus tamen te adeò agreſtem non fore, quin te frui queamus, tametſi ne milleſimam quidem ſumtuum partem faciamus, quos unicus Romanus civis præſtitit, quando cis mare advecta es: nam cùm te nunc ſemine natam habeamus ad quintum uſque folium, te hieme conſervari poſſe confidimus. Quòd ſi duodenas, eâdem facilitate & millenas habere poterimus.

Vix frutices apud Antipolim & Forolivium, totaque ferè Narbonenſi provincia, Rhamno frequentiores inveniuntur.

Labur-

Laburnum, quod Galli *Aubours* vocant, adeò abunde naſcitur omnibus montibus atque alpibus D. Claudio, Chambery, & Lauſannæ vicinis, ut ruſtici palis ex eo confectis ſuos agros ſepiant; nam materies eſt durabilis. Iam in nonnullis hortis vulgare eſt, ſed non ſine errore Cytiſus nuncupatur (aliunde enim Cytiſi ſemen nobis comparavimus:) florem habet cubitalem, flavum, quem apes nunquàm attingunt. Ex ejus materia fiunt arcus nigri, tergore albi.

Rhododendri nunc vulgares ſunt multis Galliæ locis: cujus rei exemplum præbere poteſt Abbas Valentinus, vir magnæ eruditionis & doctrinæ, qui apud Pictones in ſuo horto, plurimis raris rebus inſtructiſſimo, plurimas alit.

Piceæ in montibus frequentes ſunt, & etiam Tararæ monte, omnium qui Lutetiâ Lugdunum proficiſcuntur oculis ſubjectæ.

Piceaſtri ſunt ii qui ſtrobilos Pinis domeſticis minores ferunt, quorum integræ ſilvæ apud Ramatanelam Provinciæ Narbonenſis, ubi Chamelæa à Provincialibus *Garoupe* nuncupatur. Eſt & alterum Piceaſtri genus admodum frequens apud Maſſiliam, & Aquas Sextias, & apud Gulam; imò integræ ſunt ejus ſilvæ in Domini Præſidis Deſtrets dominio.

Paliuri circa Veronam adeò frequentes ſunt, ut vineta & arva iis claudantur & ſepiantur. Tuſci *Marouques* nominant.

Oxycedri apud Ourgonem naſcuntur, ex quibus oleum fit quod de *Cade* cognominant. Primùm iſtic albos carbones conſpexi, ex Oxycedrorum ſtipitibus conflatos. Qui Sarſanam Genuenſi agro pervenerit, & inde ultra Vencam arcem in Marchionatu Mazano tranſierit, Oxycedrorum ſilvulam ingredietur, apud Montignoſam caſtrum Lucenſium, non procul à mari, quorum fructus avellanis craſſitudine non cedunt. Cardanus Cedrorum differentiam non intelligens, libro De rerum varietate, conſiderare debebat Cedrelatem ab Abiete & Cedro denominationem habere (nam hæc parva Cedrus baccas fert, eam ob cauſam Baccifera cognominatur, at altera conifera) ut nomen ipſum teſtatur; ſiquidem Elate Abietem ſignificat: itaque Cedrelate Gallicè reddi poſſet *Cedre ſapin*. Sed ipſius verba impugnabimus in noſtra ſtirpium hiſtoria.

Ingredienti hortum ſimplicium Pontificis Romæ, Anagyris fit obvia, quam D. Scipio Pontificis ſimpliciſta in Belvedere, ſemine natam aluit, & ex illa integram ſepem conſtruxit. Sed Venetiis ſi quis ejus ſemen nanciſci cupit, Aromatariorum officinas accedat, & Fabam inverſam petat; quo nomine iſtic vocatur, & è Creta defertur.

Cedrus Phœnicea, Oxycedro, aut Iunipero rubro ſimilis eſt. Serbin Avenionenſibus vocatur: ſed Raguſæi non ſine errore Sabinam eſſe cenſent.

Staphylodendri fructus, *Nezcoupez* Gallis dicuntur, ex quibus ſphærulæ precibus ad numerum recitandis idoneæ fiunt; loco ubi ſponte naſcuntur, vix uno aſſe ſingulæ libræ veneunt.

Vitices ad Rhodani ripas & oſtium ubi in mare influit, inveniuntur, cujus etiam ſemina in officinis venduntur.

Rhus in ſolitudinibus Montelimar * & Auraicæ vicinis ad Rhodanum creſcit, cujus ſemina in Pharmacopolarum officinis venalia ſunt.

** Carolo Cluſio iſtac iter facienti nullum rhus conſpectum, ſed Coccigrya plurima, non minus rhoë ad denſanda coria utilis: ſed agro Mompelliano frequêter.*

Terebinthi ſemina facilè ea quantitate adquiri poterunt, qua cameli onerari queant: nam Halep, Damaſci, Antiochiæ, atque totius Syriæ incolæ iis cum pane veſcuntur: viciniore tamen loco montes ſub Turnone ad Rhodanum ea obſiti ſunt.

Phylicæ ad portum Leſpetie *Soudre* vel *Sondre* nomen obtinent, & agro Romano *Salveſtrille*, cujus tanta eſt abundantia, ut cùm proximè urbs adverſus Hiſpanos muniretur, faſciſculi quibus propugnacula firmiora redderentur confecti, magna ex parte conſtarent Salveſtrille ligno. Nonnulli in Provincia appellant *Pincerſi*, & in Rochabruna apud Leſpetie *Pincervin*.

Ornitelli Italorum Ornus Latinis, pumila fraxinus eſt, in montibus naſcens, quæ & ὀρεομελία dicitur, ad vulgaris fraxini, ex qua haſtæ & venabula fiunt, differentiam, quæ βουμελία appellatur.

Perlari Italicæ ſunt arbores, à Loto, quæ *Bagolaro* dicitur, diverſæ. Alii falſo nomine Sycomoros nominant. Vix ullus eſt agro Ferrarienſi qui in ſuis hortis non alat: Sed & Venetiis, Bergomi, Veronæ, & Romæ nonnullis locis inveniuntur.

Suiſſes Abietis ſpecies eſt, ſtrobilos proferens deorſum propendentes, contrà quàm in Abiete, quæ erectos & ſurſum ſpectantes habet: frequentiſſima circa Tigurum & Bernam. Ea eſt quæ pro Abiete femina intelligi debet; Montis Aiguebelette pars quæ Chambery ſpectat, illâ etiam onuſta eſt.

Præcepta iis qui hac cicuratione in campestribus & planis uti volent, sive ea sint in insulis, sive in mediterraneis, accommoda.

PROBLEMA XIV.

VIDETIS ergo toto eo scripto quod Regi oblatum fuit, nullum arboris vulgaris nomen contineri, quæ in campestribus nostris silvis nascatur; neque etiam plurimarum aliarum nomina, quas tamen facilè nancisci possemus, si necessarium esset: sed neque inserta fuêre nomina multarum aliarum quæ nimis difficulter educari possunt, licet magnâ quantitate variis locis reperiantur; ut Limones, Citriæ, Poma Adami, Punicæ, Pistacia, Oleæ, Lentisci, Cassiæ, Palmæ, Palæ: non ignorans ista cicurari non posse, nisi majore labore. Neque istîc fit mentio aliarum multis jam locis vulgarium, ut sunt Cupressi, Lauri, Aceres latifolii, Sabinæ. Ut ergo intelligi queat quænam arbores sint nominatæ, & qua ratione facile erit cuivis exiguo sumtu earum originem habere; docebitur, ut qui desideret, non modò libras, sed modios, & culeos plenos, atque, si opus est, integra plaustra habere possit. Si igitur sine difficultate, parvoque adeò sumtu singulorum generum magnam quantitatem nancisci posse certum est, & omnia in seminariis ali, quæ vel in ligneis capsis, vel fictilibus, vel areolis plana terra fiant, quemadmodum sponte in silvestribus nascuntur; quid oberit quo minus promissa præstari queant, si necessarii homines adhibeantur? Sed quis tacere queat, nec obiiciat Magnatibus qui possessiones suas in planis & campestribus obtinent, quòd majore industriâ arbores alere non nôrint quàm Populi & Salicis perticis terræ infixis? quasi verò Fagi, Ostriæ, Vlmi, Fraxini, Aceres, Corni, & similes in proximis silvis nascentes, fructus & semina non præberent, quæ facilè ali possint? Si verum est tantam esse ligni penuriam & caritatem in insulis, in Scotia, & aliis plerisque regnis, ut fœtido carbone fossili ignem struere cogantur, cùm tamen agris inutilibus & incultis abundent; hinc discere poterunt qua ratione eos utiles reddant, modò sibi comparare non pigeat quæ illis ostenduntur. Sic etiam usui erunt ista præcepta L'armor incolis, ut vicinorum suorum L'Aarguet facultatibus juvari queant. Docebuntur etiam non modò per flumina Elaverem, Rhenum, Rhodanum, Ligerim; sed & per alios amnes, earum arborum, sive Abietum, Fraxinorum, Picearum, sive aliarum semine naves onustas, à rusticis montium accolis comparari posse: ubi rustici Faginam glandem æstate colligunt, ex qua oleum in quotidianum usum exprimunt; qua glande integræ naves onerari & vili precio emi possent.

Nec verò ignoramus, quin soli natura cæli naturæ respondere debeat, pro stirpis naturâ & ingenio; & eandem esse de plantis & animalibus rationem: nam exempli gratiâ, nulli cameli, nulli bubali, in his regionibus vivere conspiciuntur, qui tamen in aliis admodum sunt vulgares. At hîc non reperiuntur, quoniam harum regionum incolis non sunt in usu. Aristoteles scripsit asinos in Gallia propter frigora non vivere, eos tamen Gallicum aërem probè ferre constat. Sic etiam planta quæ colenda venit, utriusque particeps esse debet, videlicet locis ubi sponte nascitur. At hîc cùm de earum cultura sermonem instituimus, docemus qua ratione cogendæ, ut nostræ voluntati obsequentes sint, atque illas conservando, & molliter fovendo, voluptatem & utilitatem ab ipsis accipiamus; ut aliàs in Agricultura pluribus demonstrabimus, secernentes eas quæ ramis pangi possunt, hiememque ferunt, ab his quæ frigoris injuriam fugiunt; earum inserendi & adulterandi rationes edocentes. Itaque hoc loco minimè constituimus disceptare de soli natura, plantarúmve causis, aut ipsarum & cæli temperamento, quemadmodum nec de earum abundantia & defectu, sterilitate & fœcunditate, neque ad quem usum sint aptæ. Hîc addi posset, diligentem hortulanum eniti, ut singularia quædam opera ex plantis conficiat, ut res parvi momenti valdè insignis appareat. Conspiciuntur in Anglia pergulæ ex ligustro tam affabrè factæ, ut ex ligno ab insigni artifice confectæ videantur, sub quibus areæ ad globorum ludos sunt. Romæ sunt horti, ubi ex eadem planta, & animalia & triremes tam industriè effictæ sunt (præsertim in horto nobilis Equitis Romani Domini Stephani Bouphalo) ut & remi & malus, & gubernaculum & vela dignosci queant: similia etiam ex Myrto; cujus rami ita ducuntur, ut ejus rei similitudinem quam exprimere volunt, referant; veluti hominis equo insidentis, & hastam manu tenentis. Quisnam, obsecro, in his regionibus adhuc conspexit parietes hedera, lauris, punica malo, ligustro, & similibus quæ nunc non succurrunt, ita tectos, ut aulæis ornati videantur? aut caveam hedera tectam in medio horto, qualis est Patavii Cardinalis Bembi? Quis igitur nostros homines prohibeat, quando in suis hortis deambulacra instituunt, quo minus ea integant hederâ, ut Itali? eas autem

ſepes intelligo,quæ deambulacra utrinque claudunt, quas Itali Spaliere, Galli *Acoudoüars*, aut *Eſpaulliers* vocant. Sed hæc exigua ſunt præ iis quæ antiquitus Romæ fieri ſolebant: nam quis unquam aves, animalia, atque elegantes picturas Cupreſſi arbuſculis imitari tentavit, ut veteres Romani? Cur autem? quoniam non experimur. Genuenſes nunquam ædificant, quin foramina in muris relinquant, ad capparum non ſpinoſarum radices excipiendas, ex quibus magnum quæſtum faciunt. Sed hæc omnia præter inſtitutum, de quibus in Agricultura. Attamen ne quis fallatur, non ignoramus quaſdam arbores, frutices, & herbas ea quantitate minimè inveniri ut iis uti poſſimus, niſi ſilveſtres, propter loci commoditatem, ubi faciliùs proveniunt quàm urbanæ quovis loco: nec etiam ignoramus, ſolum quod coli poteſt, illi præſtare quod ad paſtionem negligentia quadam relinquitur. Sed in campeſtribus & planis alia eſt ratio: nam quæ loca deſerta relinquuntur ad animalium paſtionem, nihil aliud alere poſſunt quàm quod natura ſoli illis concedit, niſi ſeminario juuaretur. In his verò rebus magna eſt plebis difficultas, cùm & in urbibus, lactis, pro ratione pagorum unde adfertur, fiat delectus: quaſi autem dimidii miliaris à pago ad pagum diſtantia, lac melius aut deterius redderet; tanti nomenti eſt etiam in rebus minimis credulitas. Inde accidit ut quædam loca, lacte carentia ἀγάλακτα nuncupentur. Nam licet Cato paſtionis cenſum agriculturæ cenſui prætulerit; credibile eſt, eum loqui de iis locis ubi tanta eſt ſoli abundantia, ut coli nequeat, vel propter incolarum deſidiam, aut loci incommoditatem & naturam, quæ adeò ſilveſtris eſt, ut ea quæ ſua ſponte proferre gaudet, producere permittendum ſit, atque omnis ejus cura abiicienda. Conſpicite etiam nunc Anglos apud Rhetos negociantes, & in eorum montibus, Taxi & Laburni arbores cædentes, quas certa longitudine in aſſulas findentes in ſuorum arcuum uſum, in faſciculos deinde colligunt, atque lacu Valſtatenſi cymbis ad Rhenum vſque devehunt, & deinde ſecundo Rheno deſcendentes in Angliam uſque deportant, ubi arcus demum conficiunt. Cur igitur earum arborum ſemina non haberent, ſi ea ſecum deferre conſtituiſſent? Guajacum & Braſilianum lignum, aliaque ſimilia, peregrinis & procul diſſitis regionibus delata, magni & quotidiani uſus, iſtîc ſponte & ſine culturâ naſcuntur: ſed arbores ſuprà propoſitæ, & quarum enutritio facilis promiſſa eſt, commodiùs poſtea declarabuntur: quod ex profeſſo dictum eſt, ne id ſecretum ſilentio obtegeremus: nam quemadmodum jam ejus rei experientia facta eſt, videlicet ut ſeminariis arbores propagentur & alantur: ſic etiam facilitas earum ſemina adquirendi poſtea probabitur.

Ignorantiam & negligentiam Colonorum noſtri temporis, argui ex ſcientia & diligentia veterum Agricolarum.

PROBLEMA XV.

HVIVS negocii caput eſt, ne expenſarum faciendarum rationem doceamus, ſed potiùs quo pacto utilitas, quæ primarius ſcopus eſt, percipi poſſit. Earum rerum, quæ locis ubi ſilvæ cæduntur, etiamnum obſervatur experientia, teſtimonii inſtar eſſe poterit, & tanquam ſufficientem omnibuſque ruſticis jam perſpectam probationem ſuppeditabit; nempe quòd ſemper arborem aliquam tanquam matrem illæſam relinquant, quæ ſemina ſuggerat, è quibus ſimiles his quæ cæſæ ſunt arbores emergant. Vitio autem minimè dari poteſt quibuſdam qui arbores prorſus eruunt, ad ſementem eodem loco faciendam: nam id fieri intelligendum eſt, ubi ſilvæ abundant, aut nimiæ ſunt: nec ea ratione improbatur lex quæ jubet nullas arbores cædi, quin priùs aliæ iſtîc educatæ ſint. Ex nonnullorum recentiorum ſcriptis quiſpiam exiſtimare poſſet, omnia adeò nunc plana & elucidata eſſe, ut majores noſtros longo intervallo ſuperemus, præſertim in agricultura. Sed demonſtrabimus (licet præter hujus inſtituti rationem) nos præ illis admodum craſſos rudeſque colonos eſſe. Exſtant in Provinciis edicta publica, ut juxta vias regias Vlmi plantentur. Leges quidem ſunt auctoritate præditæ, ſed in agricultura non magni uſus: nam longè præſtaret ruſticos edocere rationem eas educandi. Quid aliud id ſibi vult, quàm, ut vulgari proverbio Gallico dici ſolet, Divum Petrum detegere, ut tegatur Divus Paulus? hoc eſt, arborem è loco ubi ſponte nata eſt, & ubi optimè adoleviſſet, eximere, & in alium locum ad cicurandum transferre, ut iſtîc pereat? Exſtat inſignis Latina inſcriptio ſuprà fontem in Vineto quodam Romano magnifica pollicens; nempe hortum inſtructum eſſe plurimis varii generis arboribus: attamen nihil iſtîc conſpicitur quàm vulgata per eam regionem inſtruendorum hortorum ratio. Perinde faciunt qui templa ſpoliant ad prædium aliquod ruſticum exornandum, ac recentiores quidam interpolatores, qui majorum ſuo-

Plin. lib.17. cap.11. Sed diligentiùs adhuc Columella lib.5. cap.6.

** Pollicari ſcilicet, aut ut Columella, duorum digitorum.*

Eodem cap.

rum centonibus ſeſe amicientes, tandem inopiâ deficiunt. At venerandi antiqui longè aliter: nam eam conſtantiam & diligentiam in agricultura præſtabant, quam noſtri vix imitari queant. Audite quid dicat Plinius: *Vlmorum, prius quàm folio veſtiantur, ſamara* (ea eſt Vlmi ſemen) *colligenda eſt circa Martias Calendas, cùm flaveſcere incipit. Deinde biduo in umbra ſiccata, ſerenda, denſa in refracto, terra minutatim ſuper cribrata, craſſitudine* quæ in Cupreſſis: pluviæ ſi non adjuvent, riganda. Diſſerendæ ex arearum venis poſt annum in ulmaria, intervallo pedali in unamquamque partem.* Sed parum eſt Vlmorum ſerendi rationem docere. Audite quæ idem de Populis dicat: *Populis*, inquit, *eadem ratio ſemine, qua Vlmos ſerendi; transferendi quoque è ſeminariis eadem & ſiluis.* Sed an non noſtri ridendi occaſionem præbuiſſemus, cùm docemus rationem Alnorum, Vlmorum, Populorum & Salicum ſeminaria faciendi, niſi probaſſemus veterum noſtrorum Doctorum eſſe inventum? Quæ facilior certiórve comparatio ejus rei quæ propoſita eſt in ulmi aliarumque arborum ſeminariis conficiendis inveniri potuiſſet, quàm ejus experimento qui gloriatur ſe prolem præſtare poſſe ut habeat, qui alioqui ſterilis ſit? An non ad eam rem neceſſaria erit loci præparatio ad excipiendum ſemen & obſtacula tollenda? Si quis adeò impatiens eſt, ut nullam moram ferre poſſit: tamen etiam invito ferenda erit, cùm non ſit ignotum id quod primo anno abſolvi nequit, ſubſequente poſſe, ut ex iis liquet qui multa animantia ſe poſſe conſequi deſperant; nam intelligimus boves, ſues, oves, equos, & ejuſmodi alia animalia ex Europa in novum Orbem delata, tandem adeò multiplicata, ut nimia abundantia etiam illis ſit moleſta. Conſiderate qua tolerantia, & quanto tempore noſtri parvuli educandi ſint. Integro ferè anno in utero geſtantur, antè quàm naſcantur; & jam nati tam multâ ſolicitudine & curâ egent, dum tolluntur, ut perpetuò ferè ſit circa illos verſandum. Sed præter hæc, mille adhuc impedimenta in iis conſervandis & alendis occurrunt. Sic licet in hujus culturæ ratione facilitas adſit, temporis tamen oportunitas exſpectanda eſt, locus præparandus, & cæli etiam temperies ſive calida ſive humida auxilium ſubminiſtrare debet. Et tandem continget, ut quemadmodum ædes numeroſâ ſobole ita implentur, ut alter alteri impedimento ſit, atque temporis ſucceſſu nepotes accedant frequentiores quàm interdum cuperemus: Sic etiam colono, ut alias proles conſpiciat è ſuis ſeminibus natas, adeò numeroſas, ut ſuis vicinis eas diſtribuere cogatur, nec opus ſit aliunde eas accerſere, quinimo tandem multas etiam eruere, vt reliquæ jam rariores factæ, commodiùs adoleſcere & auctiores conſurgere queant, neceſſe erit: nam tempore ſenſim labente, tellus, minimè otioſa, perpetuò producit, nec deterior aut magis effœta idcirco redditur, ſed ipsâ ſemper pubeſcente, ea quæ profert ſeneſcunt. Ad ſeminaria in ſilveſtribus facienda, ſive locus muris cinctus ſit, ſive ſilvoſus, ſive campeſter, aratro duntaxat terra vertenda erit, non autem ligonibus, ut quam minimum ſit impendii. Mira eſt hominum ignorantia, qui è ſuis operibus utilitatem quærentes, vivaria in tam amplam longitudinem muro concludere quidem norunt; attamen quibus ea explere poſſint non habent, niſi ab iis accipiant qui vix milleſimam partem ſoli quod iſti muro incluſerunt, poſſident. Eam ob cauſam pauperes ſeminaria conficientes, in opulentorum deſidum, & rem domeſticam male curantium uſum nati plerumque ſunt. Sed quos obſecro nunc umbraculis frui ſuis ædibus vicinis, aut vivaria probè conſita obtinere videmus, niſi eos qui curam & diligentiam in ea re adhibuerunt? Tædio, omnis boni hoſte, multa præclara opera impediuntur. Nam ut ſinguli præſentibus fructibus uti vellent, ſic aſſem præſentem habere malunt quàm aureum coronatum diutiùs expectando: aliter tamen ſentiendum in hujus culturæ pertinaciâ; neque temporis mora quenquam offendere debet; quandoquidem etiam nepotum habenda eſt ratio.

Quo anni tempore paranda ſint neceſſaria ad ſilveſtrium arborum culturam.

PROBLEMA XVI.

PLERIQUE fatentur arbores quarum fructu veſcuntur, ab avibus habere conſitas: nam & Iuglandium potiſſima pars, quæ ex vineis eruitur, à cornicibus iſtic ſata fuit. Sic etiam Sturni per deſerta convenientes, occaſionem præbent ut multi iſtic oleaſtri naſcantur ex Olivarum nucleis quos cum excrementis eiiciunt; hi deinde in oleas inſitione cicurantur. Idem contingit multis locis in ipſis etiam turribus, ubi Turdi & Merulæ excernunt, ut nuclei integri remanentes, & iſtic germinantes, in arbores deinde adoleſcant. Quis ignorat noſtras Cupreſſos & Lauros, aliaſque ſimiles in noſtris hortis nunc vulgares, è ſilveſtribus originem habere? Quis unquam credidiſſet Roremmarinum adeò

tracta-

tractabilem fore, ut ſemper vireſcens, hortos claudere queat, & omni loco proveniat, ubi ſata fuerit? In memoratarum rerum conſiderationem, quæ duntaxat ſeminum conquiſitione difficiles ſunt, etiam proviſum eſt ne quid deficiat. Itaque docebimus,quando jam enatæ erunt, eas conſervandi rationem neceſſariò ſequi debere. Idem accidit ei qui ſuprà memorata ſemina habere vellet,ac illi qui uvas aut nuces decerpere: nam ſi vineta accedat antè quàm maturæ ſint vuæ,agreſtam duntaxat invenit; ſin ſeriùs, jam putridas deprehendit: ſic de nucibus, quas ſi præcociùs decerpas, virides ac molles; ſi verò tardiùs, putamina duntaxat in arbore invenies. Et quemadmodum annus unicam æſtatem habet,ſic unicum ſemina colligendi tempus eſt,& unicum ver ad ea ſerenda. Quiſquis igitur ſtato tempore non adveniet, nempe autumno,ſibi in proximum annum exſpectandum eſſe ſtatuat. Ne omnibus quidem Regis, aut Cæſaris, imo etiam Turcarum Imperatoris facultatibus vnica ſeminum Pinaſtri, Laricis, Abietum, & ſimilium vncia æſtate redimi poſſet: cùm tamen illorum emundatorum ea quantitas qua equus onerari queat, minoris quàm aureo coronato redimi poſſit autumno,ſi quis tempore in hanc rem incumberet: nam cùm in ſilveſtribus, & abundè naſcantur, nullum niſi in iis colligendis ſit impendium. Inde fit ut oportunæ tempeſtatis meminiſſe oporteat qui ſuas res commodè peragere velit. Legitimum ſerendi tempus eſt ver: eſt tamen & aliquod diſcrimen, ſecundum vulgare proverbium, quod omnia tempus habere nos monet. Sic etiam pleraque ſemina germinare non videmus niſi ante hiemem conſita. Sed quemadmodum Bellum arma explicat, omniáque perturbat, diruit, & corrumpit, & agriculturam ceſſare facit: ſic pax ædificat, reſtituit, leges ſtabilit, lites dirimit, difficultateſque earum rerum quarum demonſtratio in contemplatione conſiſtit, diſcutit; quo tempore vera eſt agricolandi occaſio: nam quemadmodum dictum eſt, cùm omnia tempus habeant, Colonos requirunt qui ea dirigant, etiam in hac cultura quæ tantundem belli quàm pacis uſibus neceſſaria eſt, & tantundem voluptatis quàm quæſtus adfert. At quis neſcit, quòd ut natura non eſt formoſa, niſi ob operum ſuorum varietatem: ſic etiam rerum ruſticarum pulchritudinem à ſola diverſitate quæ oculis obiicitur, procedere? Deinde quî conſiſtere poteſt ea diverſitas, ſi utilitas ab ea ſejungatur?

Non fore difficile, Cedros iis pares quæ in Cilicia & Syria naſcuntur, atque alia pleraque arborum genera, etiam ſine impendio educare, ſi quis id negocium ſuſcepiſſet.

PROBLEMA XVII.

DISCEPTATIONES de hac Cultura, comparari poſſunt cum iis quæ de Architectura fiunt: nam quemadmodum Architectus vel loco difficili vel plano exædificans, ad loci naturam ſeſe accommodat; ſic etiam Colonus. Ut item ineptus cenſeretur Architectus qui ubi ligna deſunt, & latomiæ abundant, lateribus excoquendis operam daret: ſic etiam non conveniret cenſum & pulchritudinem labore difficili comparare, cùm aliàs facilè adquiri poſſint. Sed utrumque & loci naturam, & Architecti ingenium, ſequi neceſſe eſt. Nam & Principes viri apud antiquos, mercatores habebant, qui navibus ad id fabrefactis marmora porphyritica & ſerpentina undique conquiſita convehebant,ad ſua palatia Romana exornanda, neque latomiis ſuis, neque lateribus uti volentes. Illorum etiam exemplum ſequi poſſent, qui ſuis prædiis ruſticis exornandis per agriculturam incumbunt. Nam qui ſeminaria conficiunt ex earum arborum generibus quæ in proximis ſilvis naſcuntur, contemnere videntur ſingulares eas arbores quas aliunde habere poſſent, & quæ magnum ornatum ſuis prædiis adferrent. Et ne jam dicta repetamus, cùm brevitati ſtudeamus, certum eſt Zizypham albam quæ nunc vulgaris eſt in multis Franciæ hortis, & à vulgo Oleaſter perperam nuncupatur, aliunde advectam eſſe; mirum tamen eſt in Italia non conſpici,hortumque Florentinum & Piſanum & Patavinum ea carere. Plinius Zizypham Cappadociam nominat lib. 21. cap. 9. *Transeat*, inquit, *oratio ad eas coronas quæ varietate ſola placent. Duo earum genera, quando aliæ flore conſtant, aliæ folio. Florem eſſe dixerim Geniſtas (namque & iis decerpitur luteus) item Rhododendron: item Zizypha quæ & Cappadocia vocantur; his odoratus ſimilisq; Olearum floribus.* Sed quis nobis auctoritatem iſtud aſſerendi dediſſet, niſi ab ipſis Cappadocibus edocti eſſemus? Conſiderate illum aptè dixiſſe ejus florem odoratum, ſimilemque Oleæ flori. At cùm ejus folia ſingulis annis ſint decidua, Oleaſter eſſe nequit. Verùm de his commodiùs alio loco. Sic etiam Sabina è montibus originem traxit: quæ licet jam omnibus hortis vulgaris ſit, in Olympi montis Phrygiæ

vertice nulla est arbor frequentior. Atque si earum quæ apud nos conspiciuntur stirps extincta esset, è silvestribus eam restituere non esset difficile; quandoquidem maritima itinera commoditatem ad eam rem præberent. Quemadmodum igitur hoc Sabinæ genus ramis propagatum est, sic & alterum posset, cujus veteres toties meminêre, & tanta abundantia sponte in Asiæ montibus nascitur, quanta primùm in Olympo. Accommodetur hoc exemplum ad reliqua arborum genera. Possemus autem etiam his plura polliceri, quæ in scheda Regi exhibita contineri diximus, si de rebus longè petitis quæstum ab aucupibus sive aliis mercatoribus factum in exemplum adduceremus. Nónne oportet aucupes in Septentrionem, & Meridiem, Occidentem & Orientem vela facere, Europam, Africam, & Asiam peragrare, atque istîc sua retia in silvis expandere, ad buteones, aquilas anatarias, æsalones, accipitres stellares, aliasque rapaces aves capiendas, atque illas hucusque devehere? Conspiceremúsne eas, nisi certi essent, parata pecunia illas vendendas? Ad genus tamen propagandum non emuntur, sed duntaxat ut Principibus viris delectationem adferant. At si quis hujus voluptatis impendia considerabit, atque cum expensis quæ in hanc culturam faciendæ sunt comparabit, nónne longè excedere cóperiet? Quemadmodum autem nostræ silvæ plerisque locis Ostryis sunt consitæ, alibi verò Abietibus, alibi Piceastris & Piceis, & alibi aliis: sic Taurus mons Cedris, iis quæ in Libano monte proveniunt similibus, abundat; quarum quantam cuperemus seminum quantitatem habere liceret, viliori etiam precio quàm quis æstimaret. Nam si mercatores & aucupes, qui eam regionem adeunt, instituerentur, cum suis avibus ea referre possent, per Tripolim; quandoquidem singulis mensibus naves inde soluunt in Italiam. Sed quemadmodum mercatores ea duntaxat adferre solent quæ brevi vendituros se sperant: sic nunc pleraque ignota manent, quoniam in usu non sunt, veluti multæ arbores in montibus Tauro, Olympo, & Amano, silvisque in quibus aucupantur nascentes, & veteribus notæ, quarum semina advehere possent, si certi essent ea sese vendituros; ut Iuniperi majoris & Acacalis fructus, & Tamaricis nuces. Quis crederet Acaciæ gummi in Arabia lectum, & Guajacum è novo orbe petitum, Brasilium atque alia pleraque peregrè delata, adeò vili æstimari posse, ut singulorum pondo panis (ut aiunt) fragmento redimi queat? Adhuc supersunt qui aliquando semina è Cedri strobilis Asia delatis excusserunt, atque telluri commiserunt, & inde natas Cedros conspexerunt: quas cùm fur quidam non commodo tempore eruisset, easque negligentiùs curasset, tandem perierunt. Cùm igitur Cedrus istîc in altis frigidisque & opertis nive montibus nascatur; nostrum cælum non fore illi magis adversum quàm illud, credibile est: exemplo Arboris vitæ, quam Rex in suo horto Fontis Bellæ-aquæ alit è Canadas novi Orbis delatam. Ipse Theophrastus testatur majorem Cedrum in Cilicia perinde provenire atque in Syria. *Cupressus enim ibi*, inquit, *exuberat*, in Creta videlicet, *& in Cilicia Syriáque Cedrus.* & 6. cap. lib. 4. ait: *Quin ad navalem materiam Cedrum Syria gignit, eáque ad triremes utuntur.* Si igitur nulla difficultas obsit quo minus in hoc regno nasci queat etiam levi impendio, illa ipsa, inquam Cedrus, cujus Salomon in sacro codice meminit; an non esset arbor quæ structuras potentissimi & celebratissimi Regis exornaret? quæque paulatim, brevi tamen, vulgaris fieri posset, non modò in ipsius atque aliorum hortis, sed etiam in hujus regni silvis? nam si tanta facilitate & tam parvo impendio, magna ejus seminis copia comparari potest, & sine difficultate terræ commissum enascatur, quid quæso oberit? Olim cùm pinearum nuclei selecti suo putamine exempti & recentes, quinque aut sex dumtaxat assibus apud aromatarios in singulas libras venderentur, omnes mirabantur: Sed postquam rescitum est, silvas cùm apud Aquas mortuas, tum apud Ravennam ad bina in circuitu miliaria Pini arboribus constare, desitum est mirari, imò nimis grande precium eorum existimatum est. Si quis Massiliæ esset, & equorum onera comparare vellet, singulas libras nucleorum, integrorum videlicet, & non confractorum, quatuor teruncijs, aut ad summum sex (qui dimidium assem Gallicum conficiunt) redimere posset. Quid ergo in hac re præter vecturam æstimandum est?

Lib. 3. Hist. cap. 3.

Si Galli nonnullis locis petrosa & confragosa arbustare vellent, multorum censum auctiorem futurum.

Problema XVIII.

Tantum abest, ut Culturæ census perpetuò respondeat, imò plerumque variet pro loci & temporis ratione; permutationis tamen usus semper in universo orbe fuit, ac erit. Hæc eò dico quoniam adhuc de iis arboribus silvestribus agendum supererat, quas

quas ob vitium culturam, quæ illis incumbunt, cicurari necesse est. Cultura sanè est multis nationibus commoda, cùm vites quædam sine pedamentis consistere nequeant, aliæ pergulis incumbere delectentur, & aliæ arbusculis: etenim omnibus nota est vitis natura, quæ ab imo monte ad ejus usque fastigium conscenderet, si duceretur; inde fit ut singulis annis putanda sit. Si agros arbustandi ratio, hoc est, vites serie quadam plantandi juxta arbores à plerisque nationibus cognita esset, meliùs cum iis ageretur: nam plerumque annuos census valde imminui videmus, quoniam solum aptè colere non norunt. Nónne oportuit Plinium multis suis exploratoribus confidere, cùm ornato sermone dixit, *Arbusti ratio, nisi Italiæ concessa, cùm tam longo iudicetur ævo*. ac si assereret agros in arbusta traducendi rationem nondum in Galliam transiisse. Sed incommoda quæ ex simili defectu procedunt, postea dicentur. Hinc fit ut Principes viri, qui adhuc Romæ possessiones obtinent, cùm hortos suos, qui verè etiam sunt horti, designare volunt, vineas nominant: eorum loquendi ratione id significante, ut quod nos agros sepibus clausos, aut vivaria, aut hortos vocamus, illi vineas appellent. Propterea audimus, vinea talis Cardinalis aut Principis, licet verus sit hortus. Arbusculas in quincuncem ordine disponentes, & juxta singulas, vitis stirpem conserentes, simul adolescere sinunt ad exiguarum Cerasorum altitudinem, non majorem: eaque ratione loca illa multò gratiora aspectu redduntur. Hic tamen locus ut de variis arbusti rationibus agamus non postulat: nam arbores nunc occupatos nos distinent. At ut nostri majores istam in loquendo promptitudinem & alacritatem habuerunt, sic nobis multo peritiores in culturæ ratione fuerunt: ac non modò in cultura, sed etiam in omnium rerum natura. Sed neque hic locus est ut de stirpium natura agamus, cùm de ipsarum cultura nos agere jam professi simus. Postquam ergo Plinius dixit: *Arbusti ratio nisi Italiæ concessa*: subjungit, *nobilia vina non nisi in arbustis, & in his quoque laudatiora summis, sicut uberiora imis: adeò excelsitate proficitur*. quasi diceret, vites humiles majorem vini quantitatem præbere, sed sublimes arbusculis incumbentes, laudatiora vina dare. Omnibus porrò consideratis, tam varia est arbusti ratio, quàm vitium colendarum ratio in Gallia diversa est. Sed de his in Agricultura. Idem Plinius subjungit: *Hac ratione & arbores eliguntur. Prima omnium Vlmus, excepta propter nimiam frondem Attinia* (quasi innueret ulmum latifoliam non convenire, quòd nimia fronde abundet) *deinde Populus nigra eadem de causa, minùs densa folio. Non spernunt plerique & Fraxinum, Ficúmque, & Oleam, si non sit umbrosa ramis*. Hic recensuit altas arbores quibus vites maritantur; sciendum tamen est, singulis annis tum arbores tum vites putari. Præterea addit: *Transpadana Italia præter suprà dictas, Corno, Populo, Tilia, Acere, Orno, Carpino, Quercu, arbustat agros, Venetia Salice propter uliginem soli*. Vt verò suprà dictarum arborum usum docuerat, voluit etiam eas recensere quibus transpadana Italia utebatur: quarum causa hoc scriptum produximus. Videmus ergo singulas provincias arbores sibi peculiares accommodare: nam plerisque aliis locis, aliæ ab eo non enumeratæ in usu sunt. Itaque quemadmodum singuli apud se nascentibus utuntur: sic Romaniæ incolæ versus Spoletum vites suas sustinent Terebintho, & apud Narni & Tarni Siliqua silvestri, sive arbore Iudæ. At locis salebrosis, nulla Loto convenientior. Romani tamen eo Aceris genere delectantur, ab illis *Opio* cognominato: quod probè convenit ad ea quæ de Acere & Carpino dicta sunt, interpretanda. Nam Sphendamnos sanè in summis montibus nascens, ab Opio illo differt, cujus folia ad Hederam magis accedunt. Sed, an non Theophrastus ipse ei sententiæ quodammodo suffragatur, quæ nostris Gallis erroris ansam præbuit: dum scribit omnia Aceris genera folium ut Platani fissum obtinere, nostrum etiam Plasne vulgo dictum comprehendens? Sed quoniam Plinius ex eo desumsit quæ de Acere tradit, locus considerandus ubi de Carpino agit: *Tertium genus Zygiam* (inquit de Acere loquens) *rubentem fissili ligno, cortice livido, & scabro. Hoc alii generis proprii esse malunt, & Latinè Carpinum appellant*. Quod consentaneum est his quæ apud Theophrastum leguntur, scribentem: *At verò Olympi incolæ Zygiam* (interpres Carpinum vertit) *montanam potius esse volunt: Acerem planis etiam nasci*. Nónne igitur id est accommodare se, dum silvestrium arborum semina serimus, ut arbores nascantur sustinendis vitibus idoneæ, & illarum naturæ vim inferimus, è montibus in plana descendere cogentes? At non præter rationem id fit de Carpino & Orno: quæ pumilæ cùm maneant, aptiores sunt ad sustinendas vites quàm Fraxini & Aceres, qui in altum assurgentes minùs idonei sunt montanis arboribus. Consideremus quæso, in quo majores ad vitam traducendam fiant expensæ, in potúne an in cibo; tum demum comperiemus verum esse quod vulgo circumfertur, paulo minores in potu, quàm in cibo: sed & potus & cibus ab agricultura proficiscuntur. Atque si multæ disceptationes de cibo institui possunt, multo adhuc majores de potu, & potionum generibus faciendis. Sed non parva admiratione dignum est, quòd per Romaniam, quæ optimis vinis apianis abundat, incolæ rotundis vinis delectantur, nos verò quadrata,

Lib. 17. c. 23.

Lib. 16. cap. 15.

De histor. plant. lib. 3. cap. 11.

[hoc est bene matura & ventriculo utilia] tum etiam linguam vellicantia expetimus: verùm sapores ferè pro ratione qua vina in lacunis fervere sinuntur, conciliantur. Præterea non sola diutina frigora impediunt quo minus vites conseri possunt, cum Ægyptus (ubi frigora accusari nequeunt) earum culturam respuat. Homines tamen ob eam causam alia liquorum genera comminisci non desinunt: nam & vinum ementiuntur, natura etiam quodammodo illis sese accómodante, ut si vitis minimè sit, illa planta quæ liquorem cum præbet, folium tamen viti proximum habeat; & insuper cupiente, ut non minus quàm vitis pedamentis & ridicis fulciatur, & illius penuriam, alterius commutatio suppleat. Tua igitur causa, Lupule, enutriendæ sunt arbores, qui nullum fructum præbere potes, nisi fulciaris. Sed & alia inventa est planta, quæ robur atque odorem cerevisiæ addit, quam vulgus Gallorum *Pimente*, Flandrorum *Gagel* appellat. Sed ad vitem nostra redeat oratio. Si vitæ humanæ pars altera, eaque etiam potissima, in ea consistit, nónne de ea disceptationem instituere convenit? An non proprium munus est eorum qui de saporibus judicant apud Principes viros, ut in potionis negotio illos de vini & vitium in ipsorum regno nascentium natura edoceant? Nam quandoquidem illis nobiliora vina deligendi provincia data est, ejus delectus rationem eos minimè ignorare, sed eam usu quodam confirmatam aliis communicare decebat. Vos igitur, ô Cellarii, qui hac atque illac per Regni provincias discurritis, atque earum vina degustatis; vestri ordinis aliquis tandem rationem adferat, cur vinum vino præferatis. Nemo rusticorum est, qui non respondere queat, ideò præferri quòd illius palato magis arrideat; vel qui ea loca quibus naves exotica vina convehere solent, adiens, ex nobilissimis deligere non norit, perinde atque vos. At dicite: Campanica vina, solo cretoso nascentia; alia verò locis calculosis, aut sabulosis aut argillosis, aut glareosis nata, talia vel talia esse, nomina illis vel à Bibracte, vel ab Aurelia, vel ab Andegavo, aut ut vobis magis placebit, indentes: & cùm de vestri regni vinis pronunciaveritis, externos stimulabitis ut idem in suis provinciis agant. Quòd si à nostro instituto alienum non esset, parum abesset quin hoc scripto Præfectos qui in rapacibus avibus comparandis sumtus faciunt, orarem, ut ejus artis peritis præciperent, idem exemplum sequerentur. Verùm extra limites arborum culturæ nostra evagaretur oratio, si hîc vel de illis, vel de vinis, vel de vitibus ageremus. Quoniam tamen non incommodè accidit ut recitaremus quid apud Latinos sit Arbustare agros; non potuimus non subjungere, conducibile admodum futurum si arbustandi usus in Galliam etiam transivisset. Nam plerumque ea provinciarum loca quæ magis lapidosa sunt, & ad omnes reliquas res inutilia, majorem censum incolis adferrent quàm cetera, ut in Romania accidit, ubi in meris interdum scopulis & saxis, nulla ferè terra aspersis, semel suas arbores serie quadam plantantes, & vites juxta eas conserentes, eas deinceps circa radices non ampliùs colunt, sed commodo tempore singulis annis putantes, inde ligna & vina sibi comparant. Commoda esset hæc ratio Biturigum & aliarum multarum provinciarum petrosis locis, præsertim verò Altæ ripæ vicinis: nam præter lignorum & vini collectionem quæ fieret, (ubi aliàs locustæ vix inveniant quod depascantur) pecori etiam sub arbustis non deesset pabulum: imò ejusmodi locis lapidosis ad sementem minimè aptis, & in quibus nigræ spinæ sua sponte libenter nascuntur, commodissimè agri arbustari possent; nec metuenda esset ferreorum instrumentorum attritio & corruptio, cùm vites istic plantatæ, nulla soli culturâ ampliùs egeant: certum enim est, ea loca vulgari ratione vinearum culturam non recipere. Rustici in hujusmodi arbusti rationibus, arbores in seminariis educare consueverunt, quas deinde cum novellis vitibus teneras plantant, æquali matrimonio eas conjungentes, ut simul adolescentes, unà consenescere queant.

Impedimenta in stirpium cultura & earum cognitione occurrentia.

PROBLEMA XIX.

FRUSTRA, ut summatim dicam, stirpes educandi difficultatem prætexet colonus, si nonnullarum quas nasci velit semina habuerit: nam modò diligenti colono semina præbeantur, eaque telluri committat, ipsa minimè invida, quæ concredita sunt ad sui ornatum & elegantiam producere duntaxat studet. Iuvanda igitur est, ea quæ illi noxia agnoscimus, tollendo. Itaque ingratitudinis notam effugere non possunt, qui earum arborum quas conseverunt umbracula quærentes, adeò ignavi sunt, ut eas hieme, vel saltem novo vere, à vermibus non repurgent, videlicet ab erucarum nidis, quos papiliones exorsi sunt, quosque facilè in extremis arborum ramis, antè quàm folia germinare incipiant, conspicere

ſpicere licet: nam paulo pòſt ea prærodunt,& depaſcuntur. At ſeminaria, in fictilibus,ſive in areolis inſtituta, graviorem hoſtem non habent lumbricis (qui radiculas prærodere ſolent, & meatus in terra facere) atque limacibus, quæ germina abſumunt. Vtrique magnam ovorum quantitatem pariunt vere, quibus teſtudinum & ſerpentium more incubant. Eam ob cauſam Dn. Renatus Bellaius terram cum fimo decoquebat, eamque hac ratione à ſimilibus inſectis repurgabat, & præparabat, ut quæcunque illi deinde crederentur, ſine difficultate reciperet. Quemadmodum porrò calor, in naturalis defectu, ſic arte temperari poteſt, ut ab eo ova excludantur: ſic excogitatus eſt pulvinorum ex fimo uſus. Sed etiam ignis adminiculo quidam uſi ſunt non ſine fructu: quod ſanè notabile eſt, & ut inter agriculturæ ſecreta referatur, dignum. Quinimo conſpicimus ſemina ab avibus devorata brevi ſpacio germinare, ut ex glandibus patet, quæ in palumbibus necatis inveniuntur, atque ex hordeo in nonnullarum avium ingluvie reperto. Nónne igitur calor & humiditas ejus rei cauſa ſunt? Sed hæc de induſtria producta ſunt, tanquam teſtimonia virorum experientiâ clarorum, & qui demonſtrare poterunt, centies millenos arborum ſtipites ab ipſis non modò enutritos, ſed etiam tranſplantatos; ut evincamus nullum ſemen, cujuſcunque tandem plantæ ſit, atque quocunque tandem loco ſeratur, in terra unquam perire, niſi ſuprà dicta inſecta ea corrumpant, aut vicinæ aliæ plantæ natum ſuffocent: cujus rei exemplum eſto quòd in frigidis Septentrionis regionibus Caſſia, Palmæ, Thamarindi creverunt, nec deſint qui Acaciam cubitalem & egregiè virentem in Gallia natam vidiſſe teſtari poſſint. At noſtrum cælum minimè ferentes, gelu corrumpuntur. Eſt prætereà aliud animalculum Gallis *Courtil* aut *Laboureur* nuncupatum, media parte Talpam, altera inſectum referens, maximè inimicum tenellis plantis. Talpa autem radiculis & lumbricis quos terram fodiendo invenit, dumtaxat veſcitur. Ad abigendas formicas, Tithymali cujuſcunque generis plantæ ex aqua decoctum utiliter ipſarum latibulis inſpergitur. Adverſus verò Mures araneos & Talpas, nullum aliud remedium, quàm ut capiantur: verùm quidem eſt in ſeminariis unà cum ſeminibus nepam defodi ſolere, ut arceantur, & ingreſſu prohibeantur.

Differentia verò conſtituenda eſt inter ea quæ feruntur unicum duntaxat annum duratura, & illa quæ diuturna futura ſunt: nam arborum ſatio, ab herbarum, quarum fructum æſtate ſperamus, ſatione differt. ut exempli gratia, qui citrullos & cucurbitas Maio menſe primùm ſereret, earum fructum maturum illâ æſtate non conſpiceret, cùm certum ſit frigora adventura antè quàm matureſcant: ea de cauſa artificiali calore earum natales promoventur, ſatione antè quàm hiems expirârit factâ, quoniam fruſtranea eſſet omnis alia ſationis ratio: quod tamen contrà in arboribus evenit, quas nullo calore, nullóve alio cultu elicere poſſumus, ſed diu ſub terra latere debent. Imò ne Phylireæ quidem à Dioſcoride deſcriptæ, & à Theophraſti Phylira differentis, ſemen, vel in areola aut ſeminario ante decimum menſem naſci voluit. Itaque patienter tolerare debemus ſeminum nonnullarum arborum germinationis moram. Quemadmodum autem natura aquam nonnullis avibus ad vitam ſuſtentandam diſtribuit, ſic illorum pedibus membranas ſecundum digitos extenſas dedit, quæ tamen terreſtres redditæ, vitam in terra ſuſtentant, pulloſque excludunt, nec unquam in aquam regrediuntur: quod comprobari poteſt exemplo anatum & anſerum, quæ interdum educantur iis locis, ubi vix in ipſis puteis aqua invenitur quam incolæ bibant. Similiter accidit quibuſdam arboribus, quibus natura frigidis locis, in montium verticibus, domicilium conceſſerat, quæ tamen in plana deſcenderunt, peritorum quorundam patrum familiâs diligentiâ, qui res æſtimare atque in uſum traducere norunt: peritum autem patremfamiliâs ſive œconomum non intelligimus vulgari loquendi more, quo avarū denotari volunt, quodammodo ignorantes liberalitatem mediam conſiſtere inter avaritiam & profuſionem; ſed vulgus addit, Principibus viris peculiare eſſe, pecunias profundere quidem noſſe, minimè autē eas adquirere. Eaq. de cauſa indecēs cenſetur, cùm quilibet exiſtimat ſe alicui gratum fore, ſi eum mutuæ ſumēdæ pecuniæ rationes edoceat: cùm tamen longè convenientius eſſet, ſi alieni æris perſolvendi rationes ei demonſtraret. Sed in œconomiis vulgare eſt, ſingulos pluris æſtimare fructus è ſuis prædiis aut ædium cenſu collectos, licet paulo deteriores, quàm aliunde conquiſitos, tametſi meliores. Sed de prædiis, vivariis, piſcinis, aviariis atque columbariis aliàs agemus. Quoniam porrò hoc loco certum defectum in ſtirpium cognitione demonſtrare conſtituimus, ex ipſarum cultura eum deſumere decet: & unius duntaxat aut alterius exemplo demonſtrabimus: nam quorſum tot repetitæ diſceptationes de unius ſtirpis natura? quæ mille affirmativas & totidem negativas in magno hominum cœtu exaudiri faciunt, cùm nulla ratione conſpicienda præbeatur? Nónne igitur mirum eſt, oculorum aciem fatigari, auditum defatigari non poſſe? propter hanc tamen nullum imminet viſui periculum, cùm non exſtet. ſine

formidine ergo oculos insigniter apertos præbebimus, atque ut una illius radicula configi possint, liberum permittemus: cùm tamen ejus vel integras libras, vel etiam centenas adquirere facilè posset quisquis eas habere cuperet. Quo igitur modo fieri potest, ut adeò facilè apprehendi queat, quod alius tam diu animo concepit? Viginti jam elapsi sunt anni, quòd publicè protestati sumus, nigri Ellebori loco Aconiti radices exhiberi, cùm tamen sine difficultate legitimum Elleborum haberi posset. Qui per Valbrumbanam iter faciet in Bergomi limitibus, biduo integro inter Ellebori plantas versabitur, adeò elegantem florem gestantes, ut simplices rosas cum magnitudine tum coloris rubri [a] elegantiâ, tum odoris suavitate superet. Mereretur ergo Elleborum semine in hortos transferri, ut inter elegantes flores locum obtineret. Nónne igitur demonstratio est super defectu cognitionis plantarum, cùm hæc adeò negligatur? Sed ut experientiâ id verum esse comprobemus, perquirantur materialistarum hujus regni officinæ, & re ipsa comperietis, id quod vobis Ellebori loco dabunt, Aconiti radicem esse, parvo napo similem. Quid juvaret illud adeò diligenter observasse ad ipsorum etiam Olympi & Idæ montium radices, tum etiam in Phrygia & Creta, nisi ejus tam confidens narratio fieret, quàm animosè nostra ossa confractioni exposita fuerunt, vel arbores conscendendo, vel serpentes in scopulis persequendo, non minore forsitan voluptate, quàm venatores feras suas indagantes? Ut igitur defectus est in silvestrium plantarum cognitione, sic etiam in domesticarum cultura. Quis nunc
Lib. 17. cap. 16. Tiliam se demonstraturum profiteri audeat similem illi cujus Plinius meminit, quæ juxta Tiburtes conspiciebatur omni genere pomorum onusta, alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, piris, punicis, malorumque generibus? Nónne novum videretur cuipiam qui aliâs omnis generis arborum peritiam se habere profiteretur, si media hieme Malorum & Pyrorum pergulas conspiceret, quas tamen deceptus ex vite constare putaret? Sed hæc cum frugiferis arboribus declarabuntur. Ceterum si singuli plantarum culturâ atque earum cognitione perinde contenti essent, nec alii invenirentur quàm qui in libris perpetuò versari volunt: quo pacto eliceretur vera notitia pusillæ cujusdam, ac perpetuò virentis arbusculæ, quæ Coccum gnidium profert? Qua ratione quadrabit quod Dioscorides de Thymelæa scribit, sativo lino similem esse, cùm tamen ea quam nostri Doctores pictam exhibent, cùm in valle Anania, tum per Germaniam sponte nascentem, lini folia minimè habeat? Legitima etiam Thymelæa non est, cujus folia ipsis Chamelææ foliis sunt angustiora. Sic alter alterius vestigia sequuntur qui ex libris duntaxat profitentur. Quomodo igitur vos ô Pharmacopœi, Hieralogodion conficitis legitimo Cocco gnidio carentes? Adeoque hoc scriptum probabit Germanorum *Kellerhals* minimè Thymelæam esse. Gni-
Lib. de morbis. dius coccus frequens est Genuensi agro, & antiquitus ab Hippocrate commendatus, qui in suis medicamentis inseruit. Tamen, ut dictum est, solummodò de cultura hîc quæstio est, non de natura. Horum ergo duorum exempla pro aliis infinitis sint. Sed quandoquidem nunc de seminibus agimus, materiæ cujusdam quam Kermesinum semen appellant, ex Hispaniis & Lusitania delatæ, usus nunc adeò frequens est, ut nulli sint in urbibus infectores qui in sericeis staminibus tingendis eâ non utantur. Excrementum est rubrum & planum, quod in Myrti fruticibus æstatis initio reperitur, lentis magnitudine, ejusdem fermè naturæ cum cocco baphica: nam quemadmodum in Cocco baphica innumera animalcula lende minora inclusa sunt, sic etiam in hoc grano Kermesino. Præterea, ut illa pumilæ ilicis ramulis sub foliis inhæret, sic hoc Myrti minoribus [b] ramis adnatum est.

[a] *De hoc rubro flore Ellebori nigri, nostram opinionem attulimus in scholio ad cap.* XLI. *lib.* III. *Observat. hujus Auctoris.*

[b] *Nescio an omnibus probabitur Bellonii sententia de* Cochinilla *vulgo nuncupata, quâ kermesino colore sericea stamina inficiuntur. Imò periti affirmant, in planta quadam, Tunæ, hoc est, ficui Indicæ vulgo nuncupatæ, non dissimili, nasci in America, circa foliorum sive ramorum exordia, haud secus, quàm coccus baphica in Ilicis coccigeræ ramorum divaricationibus.*

Admonitio ad Galliæ respublicas de opulentia & facultatibus quorundam externorum, qui sua diligentia ex plantarum cultura eas sibi compararunt.

PROBLEMA XX.

Hoc loco calumniâ meritò dignus, qui adeò negligens in sua peregrinatione fuisset, ut temporis & pecuniæ jacturam faciens apud exteros non observasset quæ publico præconio digna sunt, & ad hanc deliberationem faciunt. Itaque cupido incessit, nominatim hoc scripto declarandi, præsertim nostris Præceptoribus & Medicinæ Doctoribus

Doctoribus hujus florentissimæ per Galliam Academiæ, (expresse gratias agens Dn. Rogerio, honorato Decano, & Dn. de Flesselles, magnæ eruditionis viro, atque in omni experientia clarissimo, meo honorandissimo Mœcenati, similiter Dn. Grano, & meis examinatoribus, propter gratiam mihi concessam) & aliis, quòd ut auctoritate & scientia reliquas externas academias superare creduntur; ipsorum dignitati & doctrinæ etiam conveniat, ut publicum in urbe locum constituant, in quo varii generis stirpes alantur, quarum cura viro perito & in earum cognitione probè exercitato delegetur, cùm ad ipsorum oblectationem, & doctiorum universitatis scientiæ augmentum, tum ad rem litterariam stabiliendam & promovendam. Nam quarundam Germanicarum & Italicarum Academiarum longe inferiorum, quæ tali opere publico in usum producto, sui nominis celebrius reddendi rationem invenerunt, comparatione facta, de illis agere supersedebimus brevitatis causa, atque in Commentarios de Agricultura differemus. Minimè tamen fieri potuit quin hîc adiiceremus, prudentissimum Venetorum Senatum tantam nominis celebritatem sibi pariturum non fuisse, si marmoreum aliquod theatrum auro & argento exornatum construi jussisset, quàm terreo illo in horti usum exstructo, in quo multas arbores, herbas, aliasque rariores res similes conseverunt & aluerunt, magno ipsorum Reipublicæ commodo atque ornamento, & exterorum, qui discendarum disciplinarum gratia Patavinam eorum academiam accedunt, utilitate: quæ tamen res vix illis in mentem venisset, nisi probus quidam & doctus vir *Bonafides* nuncupatus instituisset; cujus persuasione & suscepta & absoluta fuit. Cùm autem ex eo loco doctiores redierimus, rationi consentaneum non erat memoriam tam insignis viri silentio premere, cujus beneficium meretur, ut ipsius nomen celebretur. Verùm magis adhuc devincti sumus illi qui ejus patrocinium suscepit, sive is vivat, sive extinctus sit. Nam postquam hic Herbarius diu ursisset & compellasset prudentem Senatum, atque plurimum institisset vt ille hortus institueretur; Dominus Daniel Barbarus, electus Patriarcha Aquileiensis, vir cujus doctrinam lucubrationes celebrant, illius patrocinium in tali instituto suscipiens, facilè Senatui persuasit, id quod tantopere postularet, æquũ laudabileque esse, & magnæ utilitatis futurum: tum enim illi demùm concessum est ut theatrum è terra & lapidibus pro suo arbitrio construi juberet, quò deinde euocatus fuit vir diligens & magnæ experientiæ, Dn. Aloisius Mundella, Herbarius Romanus, qui nunc etiam temporis illius culturæ incumbit, & qui Guaiacanæ arbores ipsius diligentia semine natas demonstrare potest. En igitur vobis qua ratione Principes viri & Respublicæ summam sibi gloriam comparent è rebus vili æstimatis, exemplo hujus theatri, quod illis tubæ instar exstitit ad publicandam nominis eorum celebritatem & auctoritatem, non minus quàm ulla alia res jam centum proximis annis ab illis inventa, & totidem subsequuturis invenienda. Exstat adhuc hortus à Lucensium urbe mille passus distans, multis exoticarum arborum generibus consitus, operâ & summâ diligentiâ Dn. Vincentii à Monte Catino, in quo scala admota conscendendæ mihi fuere Phylireæ, Oxycedri, & Lyciæ cedri arbores, ut illarum semina colligerem; tanto tempore istîc consitæ sunt, & adeò adoleverunt. Iulius Moderatus, Pharmacopœus Ariminensis, cujus officina Mortem pro symbolo habet, multas etiam tam singulares stirpes in suo horto consevit, ut vix externus quispiam hoc studio se oblectans, eum ingredi possit, quin doctior egrediatur. Sed hæc exigua: nam Illustrissimus idemque magnanimus Princeps Cosmus Mediceus, Dux Florentinus, hortum etiam in sua Pisana academia exstrui jussit, quem magnis sumtibus colit, & expresse literatis viris consecravit, in eorum gratiam qui discendarum scientiarum gratiâ illuc confluunt, ubi plurimas pulcerrimas plantas in fictilibus, & areolis educari jubet, quarum obiter duntaxat hoc loco fiet mentio: istîc autem Hispanicam Myrtum latifoliam, nobis antea incognitam, conspeximus.

Hic Pisanus hortus variis stirpium generibus consitus, illius academiæ decorandæ gratia institutus fuit: in quo cùm multa rara & excellentia, quæque nusquam alibi per Italiam inveniri queunt, viderimus & didicerimus; minimè silentio premendum duco, hunc dignissimum Principem, præter reliquas virtutes, tanto affectu rem literariam promovendam suscipere, ut nullis sumtibus parcat. Dominus Andreas Cæsalpinus, Herbariæ rei in ipsius academia professor, virtute insigni præditus, duabus paruulis arbusculis perpetuò virentibus Laurocerasi bene radicatis nos donavit. Hujus verò magna est arbor in horto Principis d'Oria Genuæ, ex qua Pisanæ originem trahunt. Ea est quæ in Observationum libris inter arbores perpetua coma virentes descripta, Cerasus Trapesuntina *appellatur, ut etiam postea ex Plinianis scriptis tale nomen inventum est. Sed historiam quæ ejus causa accidit, forsitam intelligere non pigebit. Nam ut vulgo dicitur; Ea non est existimanda voluptas, in qua labor & vitæ periculum excedit. Sed quemadmodum nec sudor cum lassitudine conjunctus, rusticos Britannos, à pilæ pedibus propulsæ ludo deterret, Italósve

à follis

à follis pugillatorii quem pendentem pugnis incursant, Gallos à pilæ palmariæ ludo, Lucenses à caseorum per cingulum jactu (Giroles vocant, exercitium forsitan illi simile, quod veteres Disci jactum nuncupabant) Germanos ab hastarum concertatione: sic nec Principes viros à lancearum concursu, Turcas à lucta, & aliis similibus exercitiis difficilimis & violentis. Si tamen ab hujusmodi decursionibus conquiescere illis licet, voluptatem inde capiunt. At voluptatem nimio emptam, & quæ horrorem potiùs incutit, celari præstaret; quoniam novitas nimium affectibus indulgens, effecit, ut Genuam hieme adveniens, & die festo, locum adirem in quo matronæ ejus urbis convenire solent, vestitu magis ad voluptatem quàm ad honestatem comparato ornatæ: istic unam fortè conspicio inter reliquas facilè principem, cuique aliæ omnes primarium locum concederent, manu tenentem arboris perpetuò virentis ramum, fallendi duntaxat temporis causa. nam in ejusmodi conventibus mulieres, ad fatuorum oculos in se convertendos, adeò alacribus moribus esse solent, ut nihil suprà: quemadmodum etiam in Chio insula. Externo ergo homini illuc advenienti fervente bello, & solo cognoscendi quæ istîc culturâ nata essent desiderio ducto, conspicienti hunc ramum, admodum rarus visus est, & non vulgaris: cùm verò illum propiùs aspicere cuperet, id sine difficultate haud fieri posse comperit. Quid igitur consilii caperet, nisi ut illius mulieris egrediuntis occasionem exspectaret? Paulo pòst omnibus domum ex aula concedentibus, inventa tandem est ratio, at non sine difficultate, ut is ramus in nostras manus perveniret. Atque interroganti vnde desumptus esset, ut arborem conspicere possem, responsum datum est, in Fiorenzan. Hoc nomen memoriæ infixum nobis deinde tantum laborem peperit, ut æstimari non possit: nam eo ad duo miliaria à Genua profecti, occasionem habuimus nimiam nostram levitatem accusandi; etenim sub vesperam discedentes, & de via quæ eò duceret interrogantes, brevi suburbia prætериimus, ut in vallem illam perveniremus; in qua hac illac discurrentes nox oppressit, ut hospitii inveniendi spes omnis nobis præcideretur: at ferrum excutiendo igni idoneum, atque ligo cui ab altera parte securicula adaptata erat, tum temporis nobis utilis fuit. Frustra ergo perquisita, cùm in urbem rediissem, ejus videndi desiderium majus incessit: nam ea non conspecta inde discedere, de negligentia & levitate meritò accusandus videbar; quandoquidem ad simplex responsum eò discurreram. Non cessante ergo ejus videndi desiderio, neque postridie, neque tertio die in Fiorenzan inveniri potuit. Quid restabat, nisi ut ita defessus mihi persuaderem Citrii mali ramum esse? Sed ut infortunium commoditatem interdum aliquam adfert, cùm ubicunque tandem esset, eam reperire statuissem, meâ pertinaciâ factum est ut cum illa elegantissimum Principis d'Oria hortum simul conspicerem, in durissima rupe non sine summis impensis incisum. Si igitur talis arbor, cujus rami adeò facilè comprehendunt, ut jam multis locis vulgaris sit, atque ex frigidis Septentrionis regionibus advecta; cur etiam apud nos non conspiciatur, si quis de ea adferenda cogitasset? nam, ut dictum est, *facilitas maris tanta est, ut plantæ ligneis capsis cum terra impositæ, è longinquissimis etiam regionibus advehi queant, exemplo Arboris vitæ cuius facta est mentio.* At obiici posset, Patavinum gymnasium à prudenti Senatu Veneto institutum, Illustrissimum etiam illum Ducem, & liberam Rempub. Lucensium, atque magna experientia doctrinaque clarum Pharmacopolam Alpheum Santruchi, hujusmodi exoticis plantis, & hortis carere posse, eoque sine illis, minus celebres in Italia, tum apud Cisalpinas nationes, adeoque per vniversum orbem, non futuros. Negari tamen non potest quin magnanimus ille Dux atque jam dictæ Respublicæ isto instituto suas academias tanto illustriores effecerint. Eadem ratione posset nostris disceptationibus responderi; quandoquidem Lutetiana academia sine hujusmodi rebus perduravit, ejusque incolæ opulenti facti sint & longævi, eorum etiam conditionem minimè deteriorem futuram, licet iis careant. At si hoc locum obtineret in hac illustri provincia, à qua reliquæ suum decus accipiunt, quis negabit illam longè illustriorem futuram si hæc possideret? quasi alium usumfructum haberent, quàm quem tellus illis produxit, quemque optimè absumere norunt: perinde etiam atque si res familiaris eorum, quorum stipendio viuunt, in alio consisteret quàm in eo quod nostri majores ex agricultura adquisiverunt. Negari igitur non potest, si faceret quod proposui, illam tanto ornatiorem & ampliorē futuram, quanto inferior nunc est aliis longè minoribus, quæ hoc insuper fruuntur bono: huc accedit, quòd plantis sese multiplicantibus, & multas proles generantibus, possent successu temporis suos fructus aliis impertiri; nec aliunde petendi postmodum essent. Qui quinquagesimum caput libri III. nostrarum Observationum leget, deprehendet Turcas varias plantas in suis hortis alere, quas in hac etiam regione habere liceret, si quis, ut eæ adveherentur, operam dare vellet.

* *Cerasum Trapesuntinam apud Plinium legere non memini. Illius tamen historiam & iconem dedi cap.* III. *lib.* I. *Hist. Rariorum Plantarum.*

Seminum

Seminum omnis generis arborum, quarum mentio facta est, adquirendi ratio, sine magno impendio.

PROBLEMA XXI.

Animvm advertite Tabellarii, an calumniâ digni non sitis. Hîc demonstramus, quòd à vestris Principibus ablegati, hic in illam regionem, alius in aliam, consultè faceretis, si singuli aliquod exoticum semen referretis: nam, ut dictum est, alia aliis locis nascuntur. Iam animadvertitis nullum vobis proponi impendium, sed solam diligentiam: nam eâ pecuniâ quam vestri ordinis vilissimus in cœnam impendat, id redimere possetis, quod interdum gratius esset quàm quidquid in vestra legatione negotiati essetis: nemo tamen vestrûm adhuc animum ad hanc rem applicuit. Difficultas non consistit in eo quod vulgus existimat, multa peregrina nostrũ solum, aërem & cælum refugere, nec in eo vivere posse; eo exemplo moti, quòd Theophrastus (quem Gallicè loquentem facieműs) scribat, Sycomorũ in ipsius patria vivere non potuisse. At ex ejus scriptis jam demõstratum est, rerum quas hinc inde videmus experientiam testari, naturam à solertia cogi, & vinci; atque si diligentia & cura in cõservandis plantis adhibeatur, feras cicures fieri, & contrà cicures feras, naturæ illarum vim inferendo. Eam ob causam existimantes potestatem nos accepturos ad hanc rem idoneam, hujus laboris nuncupatione, in hoc instituto minimè negligendum fuit, quin adiiceremus, difficile non futurum nostris Gallis, jam vel enumeratas respub. imitari, atque etiam superare, modò reperiatur alter Barbarus, qui hanc causam protegendam suscipiat: nam adhibitâ diligentiâ, parvo impendio, magnâ cum commoditate administrari res poterit, & ex parvulâ, ut magna appareat, effici: eo autem commodiùs absolvi poterit, quòd jam in promtu sint quæ ad hoc negotium inchoandum sunt necessaria. Sed, licet omnia principia sint difficilia, nisi tamen initium adsit, ipsæ conspici non poterunt: nam difficultas in sola temporis diuturnitate consistit. Galenus libro de Antidotis, ubi de Mithridatio & Theriaca agit, testatur Romanum Imperatorem in Creta Herbarios aluisse, qui singulis annis siccas herbas in sportulis Romam mitterent: & idem Galenus rationem ostendens quâ exotica haberi possent, postquam multa ad hanc rem pertinentia disceptavit, Delegandum est, inquit, hoc munus iis qui à Senatu aut Prætoribus Roma ad Provinciarum gubernacula mittuntur, aut amicis qui in iis Provinciis commorantur, ut ea Romam convehi curent, quemadmodum ego soleo. De seminibus deferendis, quæ Romano agro consererentur, non meminit; quoniam sua studia fortè ad alia negotia contulerat. Si tamen veteres, nostri seculi hominibus diligentiores non fuissent; an tam multis bonis quæ ab ipsis nobis sunt relicta, frueremur? Non puduit Lucullum, Cerasos ex Asia in Romanum agrum transferre; & Papirius Zizypha ex Africa, Tuberes verò ex Syria deferri curavit. Nonne igitur mirum est, Legatos tanto tempore nullam rationem invenisse qua in Galliam transferri curarent vel minimum quidpiam de tot támque variis plantis & arboribus insignibus, quibus hîc caremus, quæ in hortis earum provinciarum inveniuntur. Cujus culpa fit, ô Legati, cur hîc Laurocerasos non habeamus, ut Princeps d'Oria Genuensis, cujus hortus istâ decoratur, cùm ejus nucleorum multa pondo, si velletis, in Pera nancisci possetis, in monasterio divi Petri, quod monachi incolunt, collecta? aut elegantem aliam arborem Amigdalæ magnitudine, quam Turcæ *Cromadia* vel *Cromada* nominant, Constantinopolitanis & Peranis hortis nascentem, si velletis?

Prætores etiam Veneti deferendas curare possent multas stirpes in suam urbem cùm ex insulis sibi subjectis (uti Adrachnem, aut ejus fructum Vnedoni similem, ex Creta) tum ex aliis Turcarum Imperatori parentibus. Videte Platanum Patavii in Cardinalis Bembi horto, quæ in aliis minimè, neque etiam Venetiis conspicitur. Sed cujus culpa, nisi quòd neque semine neque ramis propagetur? Ceterum si hujus utilitatem requiritis, audite quid Plinius dicat: *Omnium insitorum capacissima Platanus dicitur.* Nunc verò, ut his quæ à nobis proposita fuère, subserviamus; quilibet intelligere potuit, quâ ratione educare queat quæ suprà promissa sunt. Sed ut porrò quisquis id negotium suscipiet, intelligat quo modo se gerere debeat; ex methodo quam observavimus discat. Diligenter in peregrinationibus perspeximus quænam stirpes nascerentur iis quæ adiimus locis. Præterea convenimus eos qui habitabant pagos viciniores locis quibus arbores nasci observatæ sunt, nomina pagorum, & primæ autoritatis in iisdem pagis rusticorum adnotavimus, quibus reliquimus catalogum eorum quæ desiderabamus: Domini etiam cujus pagus erat, nomen adscripsimus, & rationem exquisivimus cõtrahendæ cum civibus proximæ urbis notitiæ, ut faciliùs operæ quando opus esset, adhiberi possent; postremò familiaritatem cum Medicis & Pharmacopœis

macopœis in omnibus urbibus contraximus. Istud observatum fuit omnibus locis, ut sine ipsorum dispendio, eorum operâ & favore uti possemus, nonnullâ pecuniæ summâ distributâ. Itaque liquet nunc, non difficile futurum, ut per ipsos, vel, si nunc adferri nequeant, per ejus regionis incolas, vel litteris ad eos perscriptis, vel certis hominibus eò ablegatis, adquiri possint quæcunq. observata fuêre, etiam post multos annos, pro ut occasiones sese offerent. Ejus hoc scripto expresse mentionem fecimus, ut singulorum Regnorum incolæ, aut exterarum provinciarum ministri, qui in Agriculturæ librum brevi evulgandum incident, talium laborum participes esse queant; quibus etiam significatum volumus, ut si qua in re nostros conatus iuvare queant, in quibusdam rebus quarum non meminimus, & ipsi vicissim nonnullas desiderent quas expressimus, nostrâ operâ eas nancisci possint: nam deligentes quas habere volent, facilè obtinebunt; modò, veluti permutatione quadam, nobis aliarum faciant copiam, quas à nobis prætermissas scient. Sed de his omnibus latiùs in eo, quem dixi, Agriculturæ libro.

De insigni elegantiâ Florentini Ducis horti, in Castello cognominati.

PROBLEMA XXII.

SED plura forsitan de domesticis arboribus hoc loco egimus, quàm initio constitueramus. Cùm tamen jam de Illustrissimi Principis Cosmi Medices Florentini Ducis horti, in Castello nuncupati, elegantiâ loqui cœperimus, brevibus reliqua persequemur: nam ut ornatissimè instructus est feris arboribus, nisi jam multo tempore excogitata fuisset ratio ejus excolendi, & principium datum esset, adeóne ornatus nunc foret? Sit istud tanquam exemplum rerum prædictarum in praxim deductarum. Aquæ porrò commoditas multum momenti adfert ad prædiorum elegantiam: nam illa in syphones deducta, gramen ubique præbet. At fontes hujus horti adeò excellunt, ut pauci elegantiores alibi conspiciantur. Pulcerrimum verò spectaculum præbent præaltæ arbores perpetuò virentes. Itaque ædes inferiores, quas Dux inhabitat, egressis, subeundi sunt aliqui gradus, deinde occurrit planicies in orbem facta, Cupressis referta, & Buxea sepe coronæ instar cincta: Cupressis multæ arbores serie quadam consitæ permixtæ sunt, ut Arbuti, Myrti, & Lauri, quæ perpetuò virentes, & suavem fundentes odorem, plurimam addunt loco gratiam. In media hac planicie fons est artificialis, multis angustis meatibus aquam fundens, atque homines inopinantes fallens. Vtrunque ejus latus binæ Palæ arbores, sive Ficus Indicæ nuncupatæ, quæ suis foliis seruntur, satis jam adultæ occupant, quibus contiguæ sunt duæ legitimæ Platani semen ferentes. Omnes hujus horti parietes Lauro adnascenti teguntur. Citriæ, Limoniæ, atque Adami mâli, parietes etiam vestiunt. Sed hæc adhuc tenuia: nam ex hoc primo horto ascendentes, & paulisper progredientes, duos alios fontes inveniunt, statuis & elegantibus cochleis ornatos, qui portam utrinque claudunt. Suprà adhuc, ingressus est in silvulam; nullâ aliâ arbore quàm Cupressis constantem. Vlteriùs alia est silvula Abietum legione consita, quæ è locis tridui itinere inde distantibus petitæ fuêre; unde æstimare licet, non fore difficile idem imitari iis qui earum educandi rationem intellexerint. Dextro latere silva est serie quadam Ilicibus consita, atque illi contigua alia silvula Laurorum, quibus admixtum est aliud arboris genus perpetuò virens, *Lentagine* istic appellatum, atque à nobis inter reliquas arbores propositum *Tini* nomine; cujus semen cæruleum est: nostrum autem cælum hujusmodi arboribus non foret adversum. Istic etiam sunt Rhododendri. Deinde alia arbor truncata supernè cincta & operta hederâ, & in medio mensam sustinens, ad quam aqua fontana per syphones deducta est. Sub ædificio foris deambulacrum est præaltum, albæ Mori arboribus consitum, quæ nullis pedamentis fulciuntur. Sunt etiam alii horti, aureas malos & alia continentes, quæ brevitatis gratiâ prætermittimus. Proximum huic aliud est ædificium Domini Rucellay in *Corachi*, tertio à Florentia miliari, ubi similiter elegantes sunt Abietes, Tini, Myrti albæ, Taxi, Lauri, & aliæ perquàm raræ arbores. Hæc urbs Florentia in amplâ planicie sita, montibus eam cingentibus est obsita: At si hæc planicies aliquâ elegantiâ dotata est, id incolis tribuendum, qui seduli fuerunt in educandis Cupressis, Abietibus, & arboribus perpetuâ comâ virentibus. Quod etiam reliquis urbibus contingere posset, si similem diligentiam adhiberent.

FINIS.

MENDÆ

in exprimendo BELLONIO *commissæ, sic corrigendæ.*

Pagina 13. *versu* 34. Cavoſpata, vel *pag.* 22. *verſ.* 31. Phyſicas, *pag.* 30. *verſ.* 38. Thaſos *pag.* 31. *ver.* 16. intenſum, ut; *verſu* 33. *conſiderandum an pro* Apium majus & minus, *reponendum* Lappa major & minor. *pag.* 69. *verſ.* 9. retinet: quod mihi occaſionem præbuit, ut *verſ.* 40. ex his quæ nunc *pag.* 71. *ver.* 35. abhorrent, opinione potius *pag.* 87. *v.* 22 tranſvolet; *pag.* 98. *verſ.* 24. Anthyllis *verſ.* 41. Anthyllidem *pag.* 102. *ver.* 47. roſtro inter *pag.* 104. *verſ.* 55. Oxyrinchum *pag.* 112. *verſ.* 30. lib. 4. Plant. *pag.* 125. *verſ.* 44. corporibus. *pag.* 127. *verſ.* 24. Nabathæorum *pag.* 147. *v.* 18. βαλανίδα: *verſ.* 37. contectum *pag.* 166. *verſ.* 45. ſuperante, *pag.* 171. *verſ.* 22. nugetur *pag.* 176. *v.* 39. conveniant. *pag.* 192. *verſ.* 37. Lampſacum *pag.* 197. *verſ.* 31. Elleborum nigrum *p.* 205. R. *ver.* 33. tolicas; & *pag.* 210. *verſ.* 16. vero amore *pag.* 212. *verſ.* 16. quis me *p.* 223. *v.* 34. conquerentes *verſ.* 52. evocatus *pag.* 231. *verſ.* 23. colligant

---

Series Chartarum.

*. AA. BB. CC. DD. EE. FF. GG. HH. II. KK. LL. MM. NN. OO. PP. QQ. RR. SS. TT. VV.

Omnes terniones, præter V V. quaternionem.

יְהֹוָה

ADAM

SALOMON

PLANTÆ CVIQVE SVAS VIRES DEVS INDIDIT, ATQVE PRÆSENTEM ESSE ILLVM, QVAELIBET HERBA DOCET.

CAROLI CLVSII ATREBATIS CVRÆ POSTERIORES,

SEV

Plurimarum non antè cognitarum, aut descriptarum stirpium, peregrinorumque aliquot animalium

NOVÆ DESCRIPTIONES:

Quibus & omnia ipsius Opera, aliaque ab eo versa augentur, aut illustrantur.

ACCESSIT SEORSIM EVERARDI VORSTII, Medicinæ professoris Clarissimi, de eiusdem CAROLI CLVSII Vita & Obitu ORATIO, aliorumque de eisdem EPICEDIA.

VIRTVTE ET GENIO

THEOPHRASTVS

DIOSCORIDES

Ex officina Plantiniana Raphelengij, 1611.

ILLVSTRI VIRO,

MATTHAEO CACCINI,

NOBILI FLORENTINO,

Typographus D. C. Q.



A ſemper fuit ingenuitas, atque is animi candor Clariſſimi ac doctiſſimi viri CAROLI CLVSII, feliciſs. mem. vt per quoſcunque aliquid profeciſſet, aut in Rei herbariæ præſertim cognitione adiutus fuiſſet; eorum ille ſæpenumerò in operibus ſuis honorificentiſſimam mentionem fecerit, ac in communi colloquio gratiſſimam memoriam tenuerit quamdiutiſſimè. Idem illi tecum quoq. vſu veniſſe, Vir Illuſtris, ipſi teſtari nos poſſumus; ac idem confirmabunt plurimi, qui eum paucis hiſce annis viderunt atque allocuti fuerunt. Nam ab illo tempore quo tuam honoratiſſimam ac ſuauiſſimam notitiam per humaniſſimas tuas ac creberrimas literas nanciſci potuit; non deſiit gratiſſimi ac candidiſſimi animi ille ſenex ſummũ illud gaudium, ac ſuauiſſimum guſtum quem ex literis tuis percipiebat, paſſim apud omnes, & præſertim apud nos alioſque familiares ſuos amicos profiteri: illaſque herbas quas plurimas ad illum rariores pro liberalitate tuâ vltimis hiſce vitæ ipſius annis tranſmittere conſueuiſti, quamdiligentiſſimè in horto ſuo fouere & colere, & quamaccuratiſſimè in muſéo ſuo deſcribere, ac poſteris communes facere conari perſeuerauit; idq. pænè ad vltimum vſque vitæ ſuæ halitum: quod literæ ad te, Vir Illuſtris, atque ad alios aliquot amicos, vix octiduò ante mortis ipſius diem ſcriptæ, teſtari & declarare luculentiſſimè poſſunt. Ob eandem etiam cauſam vltimo vitæ ſuæ menſe, cùm iam labaſcentis ſenectæ grauitas, viriumque deficientium imbecillitas ipſi ſcribendi officium ademit, curſumque iſtum diligentiæ interrupit, ac fatali vi propemodum abſcidit, non deſtitit nos identidem monere, vt CVRAS has POSTERIORES in ordinem redigere non tergiuerſaremur, eaſque primâ occaſione oblatâ in lucem emitteremus. Quod ipſum vt morienti amico noſtro promiſimus, ſanctéque affirmauimus, curæ nobis fore; ita etiam quamprimùm ab inchoatis typographiæ noſtræ operibus reſpirare, occaſionemque accommodam adipiſci potuimus, prælo haſce CVRAS POSTERIORES ſine morâ commiſimus: idque ſub tutelâ nominis tui, Vir Illuſtris: ob varias cauſas. Is enim tu vir es, cuius ſtudium & amor rei Herbariæ augendæ tantus eſt, vt meritò apud omnes candidos ac recti iudicii animos & gratiæ tibi debeantur,

beantur, & præconium industriæ tuæ immortale: & præterea is tu es, qui has vltimas Curas maximâ & præcipuâ mole auxisti; herbis quàm rarissimis ad Clarissimum virum CAROLVM CLVSIVM feliciss. mem. identidem indefesso studio, ac immenso sumptu transmissis; ita vt ex parte tuum hoc opus iure quodam dici mereatur: ac demum is tu es, cui, nî grauiter fallor, Clarissimus ille vir tale quid aut maius fortasse aliquod opus dedicare cogitauerat; & dedicasset proculdubio, si fata illum superstitem reliquissent. Illius igitur voluntatis tamquam heredes, hoc opus Illustri tuo nomini dedicatum consecratum imus, Clariss. ac Nobiliss. MATTHÆE CACCINI; sperantes illud ipsum tibi æquè gratum fore ac si ipse CLVSIVS amplius quidpiam & perfectius ac elimatius opus tibi viuus ac superstes obtulisset. Huic autem operi si quid desit, id fatali necessitati, quæ tantum virum nobis etsi in grandissimâ ætate, tamen nimis præproperè ademit (summorum enim virorum acerba semper & immatura sunt funera) & nostræ imperitiæ attribue: quodcunque verò laudandum in eo erit, id partim tuæ diligentiæ, & munificentiæ, per quam illud, vt diximus, præcipuum augmentum cepit, partim verò indefessæ Clusianæ industriæ asscribe. Nostram autem propensi erga Illustrem tuam magnificentiam animi promptitudinem beneuolo animo interpretari ne dedigneris. Ita te Deus Opt. Max. quàm diutissimè incolumem seruet, ad rei herbariæ incrementum, & tui ipsius gloriam immortalem. Lug. Bat. Kal. Maii, 1611.

TYPO-

TYPOGRAPHVS LECTORI S. P. D.

POSTHVMVM *hunc clarissimi ac feliciss. mem. viri* CAROLI CLVSII *fœtum diutiùs apud nos fouere noluimus: sed quantumuis immaturum propemodum ac vix perfectum ab auctore nobis relictum, in lucem emittimus; partim vt vestræ expectationi, partim vt nostro promisso ac debito erga defunctum officio, & eius vltimo desiderio satisfaciamus. In hoc quid egerimus, monitos te volumus, antequam ad lectionem eius vlteriorem pergas. Loca omnia tam in* HISTORIA RARIORVM PLANTARVM, *eiusq;* APPENDICIBVS, *quàm in* EXOTICORVM *libris, ac in* GARCIA, A COSTA, BELLONIO, *aliisq; ab eodem Clusio versis operibus ab ipso emendata aut aucta, secundum schedulam, quam pauculas septimanas ante obitum suum nobis commiserat, reposuimus aut auximus; ideoq; titulos variarum plantarum maiusculis characteribus in his* CVRIS POSTERIORIBVS *notauimus: vt inde leui intuitu conspicari quis posset quæ stirps & quo capite, aut qua pagina describeretur, aut quomodo eius vetus descriptio emẽdatior fieri posset: ideoq; sæpe Lectorẽ ab Appendice Prima ad Alteram, & inde ad Appendicis Alterius Auctarium relegamus; iisq; aliquot interdum nouas periodos atteximus; vt ita, iuxta normam dictæ vltimæ schedulæ, Caput aliquot integrè & secundum Clusii voluntatem concinnaremus: quem laborem sedulus ac rei herbariæ amans subire non grauabitur, si quando exemplar suum quàm emendatissimum habere volet: ne si fortè opus hoc Clusianum semel integrum recudatur, queri possit, suum exemplar vlla in re isto nouiter excuso imperfectius aut minùs emendatũ esse; & ideò alios sibi sumptus esse faciendos in coëmendâ nouâ editione. Ne tamen quis existimet* CVRAS *hasce* POSTERIORES *nihil aliud quàm Farraginẽ quandam esse, & Erratorum prioris editionis Catalogum siue emendationem, scias Beneuole Lector, hîc plurimas integras atque absolutas nouarum ac incognitarũ stirpium descriptiones reperiri: quod vel leuiter intuenti statim apparebit. Has igitur solummodo perlegere, eisq; solùm frui poterunt ii quibus aut non vacat aut non lubet vetus suum exemplar cum hoc volumine conferre, & ad hoc præscriptum emendare. In fine etiam huius operis quædam* ADDITAMENTA *posita à nobis sunt, quæ post mortem Clariss.* CLVSII *ad manus nostras demum peruenerunt, quamuis ad ipsum destinata: ideoq; non temerè medio operi inseri debebant, ne Clusianum opus non Clusianis verbis indecorè fortassis farciremus aut interpolaremus. Vale, Beneuole Lector, & faue.*

SYNOPSIS ICONVM ET DESCRIPTIONVM NOVARVM, quæ his CVRIS POSTERIORIBVS continentur.

CELASTRVS Theophrasti pag. 1,2,3.
Sambac Arabum, ſeu Iaſminum Arabicum, aut Syringa Arabica. 3,4
Quamoclit, aut Quamochlit, ſeu Iaſminum Americanum. 4,5
Hirculus Friſicus, Dortmanni, qui Chamæciſti genus. 5,6
Roſa flaua pleno flore, 6,7
Clematis altera pleno flore. 7
Martagon Pomponii, & Lilii montani flaui varietas noua. 8
Lilium montanum albo puro flore. 8
Tulipa Perſica præcox. 9
Fritillariæ varietas, vt alba, Pyrenæa, ac Luſitanica, flaua, non antè deſcriptæ. 10
Narciſſi oblongo calice varietas. 11
Narciſſus latifolius flauo flore, amplo calice. 11
Narciſſi Indici rubro flore icon accuratior. 12
Narciſſus Iuncifolius pleno flore. 13
Pſeudonarciſſi pleno flore varietas. 13,14
Pſeudonarciſſi flore albo varietas. 14
Pſeudonarciſſi iunceis foliis varietas. 14
Leucoïum bulboſum vernum minimum, folio capillari, præcox. 15
Hyacinthus præcox, flore albo, Caccini. 16
Hyacinthus Aſiaticus ſeu orientalis foliato caule. 16,17
Hyacinthus orientalis ex albo & cæruleo vireſcente flore duplo. 17,18
Hyacinthi minoris Hiſpanici ſemine natæ plantæ. 18
Hyacinthus obſoletus Æthiopicus. 19
Hyacinthus ſtellatus Bæticus. 19
Hyacinthus ſtellatus, à Porreto. 20
Hyacinthus Hiſpanicus ſtellato flore. 20
Ornithogalum Æthiopicum. 21
Croci verni latifolii varietas. 22
Croci verni folio capillari ſemine natæ plantæ. 23
Iridis bulboſæ latifoliæ varietas. 23,24
Iris bulboſa purpuraſcente rubro flore. 24
Iris Mauritanica. 24
Ranunculus Aſiaticus grumoſa radice, flauo rubris venis diſtincto flore, Caccini. 25,26
Anemones latifoliæ ſimplici flore variæ ſpecies. 26, 27
Anemones tenuifoliæ flore ſimplici varietas. 27
Anemone latifolia pleno flore, Caccini. 27
Anemone tenuifolia pleno purpureo, ſeu ex atro purpuraſcente flore, Caccini; & altera tenuifolia pleno flore ſuauerubente, eiuſdem Caccini. 28
Cyclaminus vernus albo flore. 29
Phalangio Allobrogico congener, ſeu Phalangium montanum, Liliago Valerii Cordi. 29,30
Auriculæ Vrſi varietas, nempe, pallido flore, & Auricula vrſi ſeptima. 30
Auricula Vrſi octaua, & huic ſimilis. 31
Viola montana pumila. 31
Ptarmicæ Auſtriacæ ſpecies. 32
Conyza minor Bætica. 32
Parietaria montana. 33
Valeriana Alpina. 33
Limonium peregrinum, ſeu Rauwolfii. 33
Plantago anguſtifolia fruticans, & alia Plantaginis anguſtifoliæ ſpecies. 34
Lunariæ ſpecies noua, ſeu Ophris. 34
Cichorium ſilueſtre pumilum, ſeu Hedypnois. 35
Cinara ſilueſtris Bætica. 35
Carlinæ ſilueſtris alia ſpecies. 35
Echii varietas, & Echium flauo flore. 36
Pyramidalis villoſa, ſaxatilis, latifolia Gregorii de Regio. 36
Caucalis pumila. 37
Graminis Amourettes dicti varietas. 38
Cyperus rotundus pumilus. 38
Gramen hordeaceum. 38
Aſtragali Bætici plenior deſcriptio. 38
Trifolium Fragiferum Friſicum. 38,39
Gladiolus lacuſtris, aut ſtagnalis, Dortmanni. 40
Mamoera Luſitanorum 41. fœmina & mas. 42
Exotici cuiuſdam fruticis aut arboris ramus, cum ſuis ſtrobilis aut fructibus ſquamoſis. 43
Fructus ſquamoſi prædicti accuratior icon. 44
Nuculæ Indicæ ſecundæ alia icon. 45
Phalangium ſeu Aranei quoddam genus Americanum. 46
Quercus marina, cum ſua baſi, à D. Petro Paauwio. 47
Fungus lapideus formâ bubulæ linguæ. 47
Locuſta marina peregrina, ſeu ſquilla verſicolor. 48
Molle arboris adultæ ramus, cum ſuo fructu. 50
Piper Americanum, & de eius varietate tractatus R. P. Gregorii de Regio, nempe Piper rotundum maius ſurrectum, & Piper oblongum erectum maius pyramidale. 51
Piper erectum minus pyramidale; & Piper oblongum exiguum erectum pyramidale. 52. Piper cordatum, & Piper cum ſiliqua oliuaria. ibid. Piper cum ſiliqua rotunda ceraſorum modo, & Piper cum ſiliqua lata ac rugoſa; itemque Piper oblongum recuruis ſiliquis. 53. Piper longum minus, ſiliquis recuruis. 53
Piper bifurcatâ ſiliquâ, Piper ſiliquâ flauâ, Piper Americanum vulgatiſſimum. 54. Piper Braſilianum. 55. De ſiliquaſtris in genere. 55. præparandi modus, facultates, & vtendi modus. 56
Ciuettæ ſeu felis muſciferæ vera icon. 57
Hoxocoquomaclit, Indica ſtirps. 59
Tragacantha altera, ſeu Tragacanthæ in Galliæ Prouinciâ naſcentis vera icon. 59
Tulipa bicolor, tribus luteis, & tribus rubris foliis, Caccini. 60
Narciſſus maximus pallidus, amplo calice flauo. 60
Narciſſi latifolii flauo flore amplo calice, varietas. 61
Narciſſi albi mediolutei varietas. 61
Narciſſus albus luteo longiore calice, ſerotinus & præcox, eorumque varietates aliæ. 61
Narciſſus Africanus flauus, polyanthes. 61
Narciſſi pallidi medio-aurei varietas; nempe Narciſſus ſulfurei coloris minor, & Narciſſus ſulfurei coloris maiuſculus. 62
Narciſſus anguſtifolius totus luteus ſemper florens, Caccini. 62
Anemone tenui-folia, flore ſuaue-rubente, Caccini. 62
Heliochryſon Creticum, 62,63
Aloë quædam quæ Auenione creuit, à D. Iacobo Fontano deſcripta. 63,64
Iuncus Indicus poroſus. 64
Excerpta ex deſcriptione Nauigationum Stephani Vander-Hagen. 65. Vinum de Palma, Arak, Betule, Funes ex corticibus Nucum Indicarum, Olei è Coco in medicinâ vſus; Millo, & panis ex eo; Potio è Millo. 65. Sagu, Canes muti in Guineâ, Aligali, ſeu Ciuetta, Malaguetta, Angues immanes in Sabo: Angues immenſi in Ambona: Angues ſimiles in Banda. Couſa, animal. 66. Vermiculi in campis Æthiopiæ. Elephas admodum magnus. Haye-Hippopotami, ſeu Equi marini. Piſcium peregrinorum & incognitorum magna copia. Vermes aquæ innatantes. 67. Aues in nauem decidentes. Lari aut gauiæ. Arundo Indica. Locuſtæ. Lux ſuperficiem maris illuſtrans. Cæcitas ſeu nyctalopia ſubitanea. Vuæ ſine vinaceis. Mare albeſcens. Nucum myriſticarum & Macis meſſis. Caryophyllorum arbores. 68. Pſittaci albi. 69.
Moly Hiſpanicum purpureum, à Iohanne Hogelande. 71

Reliqua quæ præter ſupradicta in CVRIS *hiſce* POSTERIORIBVS *reperientur, non noua ſunt, ſed duntaxat correctiores & locupletiores quarundum Stirpium, vel Animalium, &c. quæ in Rariorum Plantarum hiſtoriâ, aut Exoticorum libris memorantur, deſcriptiones.*

CAROLI CLVSII ATREBATIS RARIORVM PLANTARVM HISTORIÆ LIBRO PRIMO

hæc addenda vel immutanda.

CASTANEA EQVINA.

HVIVS *vt descriptionem pleniorem habeas, adde capiti* V *libri primi (paginâ* 8*) illa, quæ in Appendice Alterâ notata sunt, inserenda ante periodum* VETERIBVS ignota, *&c.*

AVELLANA BYZANTINA.

Vt hæc plenè describatur, adde fini capitis septimi, lib. 1 *(pag.* 12*) illa quæ in Altera Appendice notauimus.*

ARBOR CORAL.

Descriptio huius arboris est subiicienda calci capitis IX. *lib* 1. *pag.* 14. *qualem habes in Appendice primâ, pag.* CCLIII. *cui adtexe illa quæ de eâdem arbore sub finem Alterius Appendicis notantur, inserenda ante periodum* An verò, *&c. eiusdem paginæ* CCLIII.

Pag. 20. *lin.* 14. *legendum* in quercu non nascuntur.

PALMA MARINA.

Huius descriptio alibi plenior habebitur ex iis quæ de eâ in Appendice Altera ad finem capitis XIII. *pag.* 21. *addenda monui.*

Eâdem pag. 21. *lin.* 36. *legendum* Ebers-torf, ad Danubium sita.

GVAYAVA ARBOR.

Historia huius arboris addenda est calci capitis XXIX. *è Prima Appendice: aut posset huic peculiare caput assignari; ita vt Descriptio Guaiauæ sit caput* XXX: *sed eam ob caussam immutandus esset sequentium capitum toto hoc libro primo numerus.*

Post Tini historiam, quæ nunc cap. XXXII *describitur, pag.* 50. *addi potest descriptio Celastri, cui peculiare caput dari posset, eo modo quo suprà Guayauæ descriptio proprium caput habuit: & sic Tini historia titulo capitis* XXXIII *inscribetur: Celastri descriptio cap.* XXXIV *efficiet: & caput* XXXV *de Alaterno aget,* XXXVI *de Phillyrea,* XXXVII *de Halimo,* XXXVIII *de Frutice Coronario,* XXXIX *de Iasmino Arabum, seu Syringa Arabica. Caput de Euonymo erit* XL, *de Periclymeno* XLI. *Chamæmespilus Gesneri* XLII. *Vitis Idæa* XLIII. *Vua Vrsi* XLIV. *Chamæcerasus* XLV. *Myrtus* XLVI. *Myrtocerasus* XLVII. *Cistus mas* XLVIII. *Cistus femina* XLIX. *Cisti feminæ classis altera* L. *& sic reliquorum omnium capitum libri primi tituli immutandi. Sed vt ad Celastrum reuertamur; eius hæc est historia, quocumque volueris titulo capiti de Tino subnectenda.*

CELASTRVS THEOPHRASTI.

APVD Veteres nullum facere mentionem reperio Celastri arboris, præter vnum Theophrastum: nam neque Dioscorides, neque Plinius (qui tamen ex Theophrasto plurima mutuari solet) eius meminerunt; quemadmodum nec aliarum quarundam ab ipso memoratarum. Theophrastus verò, licet plenam eius historiam non tradat, quod etiam *Celastrus Theophrasti.*

rarò fecit in aliis plantis, aliquot tamen illius notas dat plerisque Historiæ suæ Plantarum locis, è quibus Celastri arboris notitiam adquirere possumus: vt non sit dubitandum, quin illam adhuc in rerum naturâ extare, demonstrari possit.

Primùm enim Celastri (quod modò neutro genere effert, τὸ κήλαστρον, modò feminino ἡ κήλαστρος,) meminit lib. I. Hist. Plant. cap. XV. atque inter arbores perenni folio præditas recenset (nonnullarum nomina dumtaxat subiiciam, non enim omnium necesse est) Τῶν μὲν ἡμέρων ἀείφυλλα, ἐλαία, φοῖνιξ, δάφνη· τῶν δὲ ἀγρίων, ἐλάτη, πεύκη, πύξος, πρῖνος, ἀγρία, κήλαστρον, φιλύκη, ὀξυάκανθος, ἀφάρκη. Item lib. III. cap. IV. perpetuam comam illi tribuit: Ἀείφυλλα μὲν, inquit, ὧν ἐστὶ τῶν ἀγρίων, ἃ καὶ πρότερον ἐλέχθη, πεύκη, πίτυς ἀγρία, πύξος, ἀνδράχνη, φιλύκη, ἀφάρκη, δάφνη, κήλαστρον. Capite autem I. lib. IV. summis gelidissimisque locis Celastrum prouenire scribit: Φύεται δὲ καὶ ἡ κήλαστρος ἐπὶ τῶν ἄκρων καὶ χειμεριωτάτων: descendere tamen etiam in plana ait cap. IV. lib. III. καὶ ἐν τοῖς πεδίοις μυρίκη, λακάθη, ὀστρύα, κήλαστρον. Cap. verò VI. lib. III. inter tardissimè florentes & fructum perficientes enumerat: Πάντων δὲ πλείστων ἡ ἄρκευθος καὶ κήλαστρος, καὶ πρῖνος. & paullo post: Φασὶ δὲ καὶ τὴν κήλαστρον ὑπὸ τοῦ χειμῶνος ἀποβάλλειν. Cap. item VII. lib. V. Hist. Plant. Εὐτονώτατον δὲ φιλύκη, ἢ ἡ λευκότης ὥσπερ ἡ τοῦ κηλάστρου. Et cap. VIII. eiusdem libri: Κηλάστρῳ δὲ καὶ μύα πρὸς βακτηρίας. Hi sunt loci apud Theophrastum de Plantarum historiâ, in quibus Celastri arboris fit mentio: & è quibus colligere licet perpetuò virere, summis frigidisque montibus prouenire, transferri tamen in plana mitioraque loca posse; tardè admodum florere; & fructum propter iam ingruentem hiemem perficere non posse; adeoque inutilem esse, præterquam ad baculos pro senibus.

Dispiciamus nunc, an pronunciare non liceat, illam arborem perpetuò virentem, quæ in Academico horto apud Lugdunum Batauorum colitur, Celastrum esse. Tinus certè, pro qua hactenus habita est, esse nequit: differunt enim inter se & floris formâ colorèque & situ, atque etiam foliis, licet vtrique plantæ ea sint perennia. Quoniam autem à Neotericis, qui libros de Plantis ediderunt, nec eius historiam descriptam, nec illius iconem propositam inuenio, in rei herbariæ studiosorum gratiam, illius arboris ramum cum floris rudimento in tabellâ adpositâ exprimi curauimus, cui ipsius arboris historiam subiecimus.


Celastrus Theophrasti.

ARBOR igitur illa Academici horti, quæ meâ opinione, Theophrasti Celastrus nuncupari potest, humanam superat altitudinem; firmoque & duro caudice constat, atque in frequentes ramos diuiso, qui dum nouelli sunt, viridi cortice integuntur, annotini verò fusco: numerosa habet folia, ex aduerso semper nascentia, densâque serie congesta, supinâ parte saturâ viriditate prædita, pronâ autem dilutiora, perennia, hoc est, quæ non defluunt, nisi nouis & recentibus iam natis, vt in arboribus perpetuò virentibus plerunque accidere solet: splendent verò præ læuore ea folia, nec Alaterni foliorum magnitudinem superant, imò pleraque sunt illis minora, præsertim annotina, quæ ramulorum infimam partem occupant siue vestiunt; nec in ambitu sunt crenata, præterquam nouella, quæ crenarum quandam formam extremâ parte habere videntur, attamen verè crenata dici nequeunt: amariusculi sunt saporis. In nouellorum ramulorum extimâ parte inter folia nascuntur vncialis longitudinis petioli, sustinentes quinque aut sex paruos flosculos, quatuor plerunque aut quinque foliolis ex flauo virescentibus constantes, suauiter odoratos, racematim Lentisci flosculorum modo dispositos, non vt Tini aut Sambuci vmbellæ instar expansos, qui serò admodùm aperiuntur, & nisi extremo Autumno, aut hiemis initio, imò etiam (quando mitior aura) veris

initio, vt anno Christi 1609. ex ramis florentibus à C. V. D. P. PAAVWIO, mense Martio ad me missis obseruare potui: eam ob caussam fructus maturari non potest: imò si æstas humida & frigida fuerit, qualis hoc anno Christi millesimo sexcentesimo septimo, vix flores aperientur: etenim flosculorum gemmas dumtaxat ostendebat Octobri mense. Qualem autem fructum proferat, dicere nequeo, quia nullum vnquam obseruare potui, imò ne fructus quidem rudimentum. Facilè porrò ramis pangi posse, certum est.

POST *mortem Clariß.*[mi] *Clusii idem Cl. V. D. P. Paauwius fructus rudimentum in horto Medico obseruauit, imò & fructum ipsum; qualem sequentibus hisce verbis descripsit: quæ addenda esse iudicauimus, vtpote ad absolutam huius arboris descriptionem necessaria.* „

„ Anni 1610. mense Iunio fructus rudimentum ostendere cœpit, producens breuem pediculum, cui adhærebat bacca myrti baccis magnitudine similis. Hæc quamdiu in accretione erat, viridem; iustam adepta magnitudinem, rubrum exhibebat colorem; qui paulatim ex puniceo corallinus reddebatur, adeò vt asparagi maturam baccam (de minoribus loquor) te videre dixisses. Arridebat gratissimo hoc colore ad Augusti vsq. initium bacca: tunc etenim paulatim corrugari incepit cutis siue exterior superficies, simulque colorem mutare: fuscedinem namque contrahebat, tandemque adustam nigredinem. Simul etiam ipse fructus figuram suam mutare, ac ex rotundo oblongus fieri cœpit. Postquam decidisset, repertum intùs semen vnicum, oblongum, quodammodo triangulare, vuarum vinaceis admodum simile. cuius cortice (durior is erat & quodammodo osseus) diffracto, prodiit granum quoq. vnicum, tectum membranulâ crocei coloris; eâque ablatâ medulla siue caro durior, albicans, ei similis quam nux auellana ostendere solet. *Hæc D. Paauwius.* „

SAMBAC ARABVM, *seu Iasminum Arabicum, aut Syringa Arabica.*

Pag. 56. calci Capitis XXXVI. *de Frutice coronario, addi potest sequentis fruticis descriptio: aut, si mauis, nouus titulus ei affingatur, vt sit Caput* XXXIX *Libri* I. *Rariorum Plantarum.*

PROSPER Alpinus lib. de Plantis Ægypti cap. XIX. Sambac Arabum, siue Iasminum Arabicum describit his verbis. Cayri est frutex sarmentosus, qui sarmentis serpendo, altiùs se extollit, foliis mali aurantii proximis: flores albos proferens octonis foliis præditos, omnino similes vulgaris Iasmini floribus; à quibus differunt numerosioribus foliis, magnitudine, odoreque præualidiore ac suauiore. Eius etiam iconem exhibet octo foliorum floribus onustam. Tametsi verò ex hac illius descriptione, tum plantæ quam proponit icone, coniicere liceat, ipsum plantam eam innuere velle, cuius iconem coloribus expressam Illustris Vir Matthæus Caccini anno Christi millesimo sexcentesimo sexto Florentiâ Hetruriæ vrbe ad me mittebat, hac appellatione, *Syringa Arabica*, siue *Iasminum Arabicum*, vel *Iasminum ex Cine*: magna tamen est differentia inter vtriusque flores, quòd Iasmini Prosperiani flores octo foliis simplici serie dispositis constent; iconis verò quam accipiebam flores dena folia habebât, duplici serie disposita: duplicemque seriem foliorum esse debere, deprehendi è ramulo, suis foliis & floribus onusto, quem insequête anno ad me mittebat: hanc ob causam illum in tabellâ adpositâ exprimendum curabam, vt ex eius cum Alpinianâ collatione, differentia faciliùs obseruari possit. *Sambac Arabum, Iasminû Arabicum.*

Iasminum Arabicum, seu Syringa Arabica.



VT porrò huius fruticis pleniorem cognitionem habere queant Lectores, præstat vt ipsius Caccini verba subiiciam, quæ ad me scribebat, cùm iconem mitteret: Accipies

„ rami cuiusdam plantæ ex Alexandriâ Ægypti allatæ iconem, quam nonnulli Iasminum ex Gine appellant, quidam Syringam Arabicam, alii Iasminum Arabicum. Crescit porrò ea planta, quantum hactenus obseruare potui, ad duorum cubitorum, vel quatuor pedum altitudinem: eius stipes infimâ parte pollicari est crassitudine, solidâ materie constans, & quæ difficulter scindi possit: is duobus digitis supra terram, aut paullò ampliùs, in tenues & longiusculos ramos diuiditur, instar Iasmini Catalonici, siue Hispanici; floresque proferre incipiens Aprili, desinit extremo Octobri: sic vt quinque aut sex mensibus integris planta floribus onusta conspiciatur: flores eius albi sunt, vt Narcissi pleni Byzantini primi à te descripti, nunc decem, modò duodecim foliis constantes; & quando minimùm, nouem; duplici serie dispositis, odoratissimi, Iasmini Hispanici odorem etiam superantes, vel quasi florum mali aurantii & florum Iasmini Hispanici simul permistorum odorem referentes: defluunt autem à planta flores eodem modo quo aliorum Iasminorum flores; habentque tubum illum pertusum quo suis petiolis adhærent, vt reliquorum Iasminorum flores. Inseritur supra vulgare Iasminum; primoque vel eodem etiam anno flores profert: melioresque progressus facit vno anno planta tali insitione hîc adquisita, quàm ex Ægypto allata in tribus: quia quæ inde adferuntur, duobus aut tribus annis languent, & difficulter comprehendunt: quæ verò insitione adquisitæ, facilimè crescunt: valdè tamen frigora metuunt. Hactenus Caccini.

Cæterùm cùm nullam in ea epistola foliorum ipsius plantæ mentionem faciat, quia ex icone quam mittebat, qualia essent satis apparere putabat: ex ramulo quem insequente anno accipiebam, eorum formam, & quâ ratione in planta sint disposita, adiicere volui. Ea autem (quod ad formam attinet) non dissimilia mihi videntur foliis eius fruticis, quem Syringam albo flore vulgò appellant, teneriora tamen, & in ambitu non crenata, semper ex aduerso nascentia, alternis, modò in vno rami latere, modò in alio, vt affabrè tabella ostendit, quam ad ramuli missi normam exprimendam curaui: florum etiam vmbilicum in tubi ambitu flauescere obseruabam. Quid porrò de florum Sambac Arabum vsu tradat Prosper Alpinus, hîc subiiciendum putaui. Vsus, inquit, florum est magis ad ornatum corporis, quàm ad sanitatem: nihilominus parant oleum, quo vtuntur mulieres in balneis, ad vterum calefaciendum, & laxandum; eius enim scirrosis tumoribus maximè conferre, expertæ sunt: vt partum etiam faciliorem reddant, oleum hoc & bibunt calidum, & ipso liniunt extrinsecas vteri partes: vtuntur etiam eo, exteriùs inungentes thoracis regionem; tum per os ipsum calidum ingerentes, ad tussim anhelitusque difficultatem, & pleuritim lethalem, in quâ sputum maximâ cum difficultate educitur; & ad peripneumoniam, atque ad dolores vehementes stomachi, intestinorum & vteri.

QVAMOCLIT, AVT QVAMOCHLIT, *siue Iasminum Americanum.*

Huius iconem præcedenti Iasmino Arabico subiungendam esse duximus, vt quiuis differentiam huius ab illo in picturâ saltem internoscere queat. Descriptionem autem eius pleniorem, præter hanc picturam, à Clariss. Clusio factam non comperimus. Et quamuis in literis ab Illust. Matthæo Caccini paulo ante mortem Clusii ad eum missis, mentionem factam inuenimus cuiusdam descriptionis huius plantæ, factæ à Reuer. P. Gregorio de Reggio: tamen cùm nihil tale inter eius schedas reperire possemus, præter hanc iconem, quam vltimis vitæ suæ mensibus sculpi curauerat; huic descriptionem qualem (Quamoclit.) *Clariss. Ioachimus Camerarius in suo Horto Medico dedit (cuius icon isti nostræ non dissimilis) adiungere decreueramus: præsertim cùm eam in India Quamoclit appellari scribat, indeq; ante paucos* (Iasminum folio Millefolii.) *annos in Europam allatam, & à Cæsalpino sub nomine Iasmini folio Millefolii descriptam esse: posseque non ineptè Conuoluulum tenuifolium vocari. Sed cùm eadem hæc stirps ante quadriennium à Clariss.* (Conuoluulus tenuifolius.) *Fabio Columna accuratiùs descripta & delineata sit, titulo Conuoluuli pennati exotici rarioris, eius verba hoc loco poni curauimus, quæ sunt hæc:*

(Conuoluulus pennatus exoticus rarior.) „ NON aptiùs poterat ad aliud genus planta hæc exotica referri, quàm Conuoluulorum familiæ adscribi. Natura totoque habitu ferè similis videtur, præter foliorum pennatorum effigiem. Lacte quidem turget dilutiore: Floribus oblongis, tubulosis, sed quinquepartitis in summo, & roseo colore hilari, lineis siue plicis striatis, longo petiolo duobus vel singulis insidentibus, alternato situ ex geniculis viticulorũ: apicibus quinis pallidis: Fructu deinde oblongo, ex squammoso calice, in apicem desinente, cartilagineo cortice obducto, vt vulgaris Conuoluuli, sed angustiore

Quamoclit, siue Iasminum Americanum.



gustiore, seminibus intus quatuor oblongis, nigris, duris, acri gustu. Folia viticulis purpurascentibus alternatim hærent, pinnata, tenui admodum diuisura, duplo vulgaris Erucaginis Resedæ putatæ, minora, obscurè virentia, sed tenella pallentia, paucis primùm lobis, deinde pluribus vtrinque, ad terdenos vsque, & vnico in summo: at priores lobi bifurcantur. Propter innumeros viticulos foliosos & floridos, quos profert, arundinaceas crates adimplentes sese contorquendo, maximè oculos conspicientium recreat: quare pensilibus hortis iucunda. Semen primo Vere satum, Iunio emicat: atque prima folia Aceris fructus referunt, effigie alata, vel Ari modo bifurcata, vt expressimus, & apud peritum aromatarium ac herbariæ rei exercitatissimũ Iosephum Guidum, familiaritate nobis coniunctum, obseruauimus Romæ. Augusti fine floret, & Septembri deinde fructus perficit. *Quamoclit* nomine sibi missam refert.

Hactenus Fab. Columna.

Eadem pag. 56. lin. 56. legendum, quas erueram donabam, adoleuerunt,

Pag. 57. lin. 3. legendum continens: is in summo ramulo in icone ineptè collocatur, cùm ex imo, ut flores, reponi debuisset. Sub Autumn. *&c.*

Eadem pag. lin. 7. legendum silua illa quâ ex Greben

Eadem pag. linea vltima legendum descriptio extat

Mahaleb Arbor.

Mahaleb aut Malahab arboris historia concinnanda est verbis Appendicis Alterius, inserendis pag. 65. lin. 2. ante periodum Sunt qui, *&c. circa finem capitis* XLII. *(aut vt immutari posset* XLV.*) de Chamæceraso.*

Chamæcistus Septimus.

Describitur hic Chamæcistus pag. 76. sed huic descriptioni ante periodum OCTAVVS, *&c. adiice hæc:* Crescit hic Septimus Chamæcistus etiam in Tyrolensibus Alpibus: & Oeniponte ad me missus est anno 1608. à R. P. F. Gregorio de Reggio.

HIRCVLVS FRISICVS, *Dortmanni.*

Pagina 77. ante Sectionem ALTERAM, Madritiana, *&c. sub extremum caput* XLVIII. *lib. I. Hist. Plantarum, inserenda hæc de Hirculo Dortmanni, quæ sequuntur.*

Typis iam expressâ meâ Rariorum Plantarum Historiâ, Ioannis Dortmanni pharmacopœi Groeningensis celebris & eruditi epistolam, accipiebam cum paucis quibusdam Plantarum iconibus, ipsius manu satis scitè delineatis, quarum neminem adhuc meminisse existimabat, & Groeningensi agro vicinisque locis peculiares esse credebat. Verum enim verò nonnullas in aliis prouinciis etiam nasci iam obseruaueram, vt ex meâ Plantarum Historiâ liquet; quales sunt Erica baccifera ipsius, quæ in variis alpibus reperitur, & eius Rosa alpina, à Silesiis Rosmarinus ἄσαμος nuncupata, in Tyrolensibus etiam alpibus nascens. Sed tres inter illas fuere, quibus similes anteà non vidisse, ingenuè fateor; eius videlicet Hirculus, Trifolium fragiferum, & Gladiolus stagnalis. Harum breuem descri-

ptionem, qualem ab eo accipiebam, postremæ isti meæ Historiæ Plantarum recognitioni additam esse volui, atque earum icones Lectoris oculis propositas; & Hirculum quidem post Chamæcistos collocandū censebamus, quia meo iudicio congener illis est planta, notis quibusdam quas in ea planta obseruabam, vt ita censeam me impellentibus: Trifolium autem in Trifoliorum classe collocabimus & Gladiolum inter aquatiles reponemus.

Hirculus, qui Chamæcisti genus.



PLANTVLA hæc Celticæ Nardo ferè similis foliis & radice, eiusdemque propepemodum magnitudinis: cauliculo tamen dispar est; qui gracilis, sese attollens, quinis aut senis floribus onustus conspicitur speciosis, Ranunculi florum æmulis, sex foliis simplici serie dispositis constantibus, flaui coloris, paruis tamen maculis alterius coloris, duplici serie, circa vmbilicum orbiculatim distinctis: iis succedunt capita seu vascula mucrone bifido prædita, paleaceo semine referta. Tota planta aliquantulum grauiter olet. Nascitur in palustribus siccioribus locis, permixta Gramini Parnassi vulgò dicto, prope amœnissimum quemdam pagum in Comitatu Drentiæ.

Cognationem quandam habere videtur cum Madritiana illa pinguiuscula planta, cuius memini cap. XLIX. Lib. I. pag. 76. inter Chamæcistos annuos.

Pag. 79. de Ardineja repone quæ in Altera Appendice.
Pag. 97. lin. 19. legendum subiiciendos non existimaui.

DORYCNIVM HISPANICVM.

Pag. 101. ad caput de Dorycnio, nempe ante periodum VETERES porrò, &c. *accerse quæ in Prima Appendice de Dorycnio vero Plateau scribuntur pag.* CCLIV.

Pag. 101. lin. 24. lege: Quo tempore florebat, sub eâ crescere obseruabam Hæmoderi, *&c.*
eâdem pag. lin. 27. leg. materia turgens
Pag. 103. lin. 58. leg. retexendam non putaui.
Pag 105. lin. 23. legendum quoddam animalculum referentia.
Pag. 111. in titulo capitis LXXIX *expunge* PVMILA.

Spina Infectoria.

Pag. 112. ad cap. de Spina infectoria, ante sectionem Spinam infect. *&c. adde*: Crescit illa etiam in Tyrolensibus Alpibus, vt obseruabam ex plantis siccis à P. Gregorio ad me missis: quæ Alpes multas alias stirpes alunt quas in Austriacis, Stiriacis & Pannonicis legeram.

ROSA FLAVA PLENO FLORE.

Ad caput de Rosa, nempe pag. 114, ante periodum CETERVM, *adde ea quæ de Rosâ flauâ pleno flore notata sunt in Appendice altera, his verbis*: Et certè, *&c. quibus attexe & subsequentia verba.*

ANNO Christi porrò sexcentesimo quinto supra millesimum, accipiebam à Generosâ Dominâ de Heusenstain, similis Rosæ fruticem, suis radicibus præditum, cum Castaneæ Equinæ pusillâ arbusculâ: vtramque autem plantam statim in Academicum hortum perferendam curabam; in quo nunc adhuc conspiciuntur.

Rosa flaua, pleno flore.



ANNO porrò Christi MDCVII. Octobri mense accipiebam à prædicto Friderico Mayero Rosæ flauo pleno flore plantam, quæ paucas radices habebat, sed valdè exsiccatam, vt metuam an comprehendet: telluri tamen commisi, vt periculum faciam an cum tempore sit ad frugem peruentura: sed asperrima hiems quæ subsequuta, prorsus corrupit.

Rosa semper virens.

Huius descriptio (quæ est in Auctario Appendicis alterius) collocanda est pag. 116 *Historiæ plantarum, ante Rosam Campestrem.*

Pag. 121. *lin.* 5. *legendum* patur *pro* pata

CLEMATIS ALTERA FLORE PLENO.

Pag. 122. *ad Caput de Clematide, ante sectionem* AD eorum, *&c. addendum de eâ quæ est pleno flore, ex Altera Appendice, nempe Paragraphus* CETERVM intra paucos: *&c. iisq. attexenda verba subsequentia, vnà cum icone.*

Sed anno Christi MDCVII, Octobri mense accipiebam à prædicto Friderico Maiero, eiusdem Clematidis alterius, vt scribebat, pleno flore (cuius sicci specimen paucis antè annis ab eo accipiebam) plantam, nonnullis radicibus præditam, quam telluri similiter commisi, vt videam an comprehensura sit. Verùm eodem anno accipiebam ab Ill. Viro Matthæo Caccini similis plantæ rami suis floribus onusti iconem viuis coloribus expressam, quam ilicò in tabellâ delineandam curabam, vt hoc loco apponeretur.

Clematis altera, flore pleno.



Posset autem eius noua historia concinnari, simulac planta hæc comprehenderit, & flores protulerit: possetque illi peculiare caput aptari.

Pag. 123. *lin.* 31. *legendum* nùllaque.

Asclepias Cretica.

Pag. 126. *post descriptionem Apocyni, ante periodum* AD huius libri, *&c. reponenda sunt ea quæ de Asclepiade Cretica pag.* CCLV. *in prima Appendice extant.*

RARIO-

RARIORVM PLANTARVM HISTORIÆ LIBRO SECVNDO

hæc addenda vel immutanda.

Pag. 127. *lin.* 41. *ſcribendum* pluribúsve aut paucioribus foliis.

Pag. 132. *ante ſectionem* Memini, *adde ex altera Appendice, illam Lilii Byzantini miniati ſpeciem, nunc in Italiâ* Rizo della ſignora (*aut* Ricci della ſignora) *appellari ſolere.*

MARTAGON POMPONII.

Pag. 133. *ante paragraphum* LILII porrò *adde illaqua in Altera Appendice tractantur de* LILIO MINIATO TENVIFOLIO: *vbi paragraphus* Vtrumque genus, *&c. ita eſt reſcribendus & augendus.*

Martagon Pomponii. Vtrumque genus, ab iis qui diu aluerunt, *Martagon Pomponii* vocatur, & hac appellatione ex Italiâ ſe accepiſſe aſſerunt. Rarum adhuc eſt in his prouinciis, quia adnatis difficillimè ſe propagat, nec apud quempiam ipſam plantam ſemen præbuiſſe intellexi: At anno MDCVI. in meâ plantâ vnica triangularis theca nata, iis ſimilis quas Lilium Byzantinum miniatum ferre ſolet; ſed minor: in quâ ſextuplici ſerie continebantur ſemina, illa vero prorſus inania, præter decem aut duodecim aliquantulum ſolida, plana, orbiculata, parua, ſubrubentia: inſequente etiam anno binas ſiliquas, in quarum alterâ circiter viginti grana ſolida continebantur, reliqua in vtrâque thecâ inania. Obſeruabam etiam meam plantam faciliùs alterâ proles proferre.

Pag. eâdem poſt præcedentia verba, ante eandem periodum LILII porrò, *erunt addenda quæ in Prima Appendice, nempe pag.* CCLV. *de* LILIO *montano flauo flore, &c. tractantur: & ibidem, nempe ante periodum* CETERVM quatuor, *inſerenda ea quæ de Lilio montano flauo puro flore aguntur in calce Appendicis alterius: quibus & hæc adde:*

Solus verò Hogelandus Lilii montani flauo flore puro plantam non habuit, ſed etiam Chriſtianus Porretus pharmacopœus Leidenſis diligentiſſimus, cuius me participem *Lilium montanum, magis flauo flore, & atrioribus maculis.* fecit, licet ex iis quas à Venerio puſillas acceperim, vna tandem purum flauum dederit. Similis generis planta folia habet ſaturatiùs virentia, floremque magis flauum, & atrioribus maculis diſtinctum.

Hinc redeundum ad illam periodum Appendicis primæ CÆTERVM quatuor illi, *&c. pag.* CCLVI. *cui addenda & hæc, ex fine Appendicis alterius, nempe periodus* SINE difficultate, *&c. cum altera periodo* Poſteà verò, &c.

LILIVM MONTANVM ALBO PVRO FLORE.

Pag. 134. *de Lilio montano flore albo puro, ante ſectionem* Eſt etiam, *adde ſequentia, paulo aliter in Appendice alterâ ſcripta, ſed nunc hoc modo immutanda.*

Lilium montanum albo puro flore. Habui etiam à doctiſſimo viro Ioachimo Venerio ſimilis plantæ bulbum Burdigalâ miſſum, cuius quidem forma ab illius bulbo non differebat, ſed eius caulis non purpuraſcebat quemadmodum illius quæ albos profert maculis purpureis interiore parte diſtinctos, at magis ex viridi candeſcebat, eius etiam folia magis candicantia, flores autem ſiue florum gemmæ antè quàm expandantur multâ candidâ lanugine ſunt obſitæ: explicati flores prorſus ſunt niuei, nec vllis maculis infecti; ſtaminum etiam apices ferruginei coloris non ſunt, vt in aliis, ſed flaui: ſubſequutæ thecæ triangulares planum ſemen aliarum inſtar continent, ſed magis album.

CÆTERVM quotquot adquiſiui plantas alterius albos flores purpureis maculis inſignitos proferentis ſemine natas, mirum in modum florem variârunt, nec vllam habui matris colorem referentem.

HVIVS autem quæ puro albo eſt flore, nondum feci periculum, & vix faciam ob grandem ætatem: ſed aliis me iunioribus hanc prouinciam relinquam.

Pag. 149. *lin.* 54. conſeruare vid.

eâdem pag. lin. 55. mutationem adquirebant, exigua ea erat, & pler.

eâdem pag. lin. 56. conſiſtebat. Poſtea ſucceſſu temporis obſeruatum eſt illarum ſemine

plantas

plantas nasci quæ flores gererent mira colorum varietate discretos: atque etiam nonnunquam ex elegantissimarum versicolorum semine, flauas & rubras dumtaxat generari.

Solet caulis, *etc.*


TVLIPA PERSICA.

Pag. 150. cap. x. sit Tulipa Persica, deinde Byzantina altera: atque considerandum an ea non sit Cretica Caccini: tandem post Mompelianam agendum etiam de ea quæ in montanis Placentiæ; hoc modo: Ad calcem capitis IX *addi potest descriptio Tulipæ Persicæ, aut ex ea nouum caput* X *faciendum: ita vt Tulipa Byzantina altera caput* XI *occupet. Tulipæ autem Persicæ hæc est descriptio.*

TAMETSI Herbariæ rei studium ad summum culmen peruenisse videatur, singulis tamen ferè diebus, nouæ alicuius, nec adhuc à quopiam descriptæ plantæ cognitionem adquirimus: adeò infinitum est hoc studium.

Tuliparum certè cùm præcocium, tum serotinarum, summa varietas ab his qui nostro sæculo rei herbariæ operam dederunt, eorumque qui Plantarum historiam scripserunt, est obseruata, atque quotidie adhuc obseruatur: semine enim quanta varietas colorum adquiratur, verbis exprimere vix aliquis queat: nullus tamen hactenus illius meminit, quæ paucis abhinc annis ab Asia in Europam est translata: primusque omnium talem reperiri, me (quo est candore) monuit Nobilis vir Florentinus Matthæus Caccini, qui licet ante quadriennium dumtaxat ad hoc studium applicare cœperit animum, adeò sedulus & diligens fuit, vt nunc hortum habeat selectissimarum plantarum copiâ instructissimum. *Tulipa Persica.* Is anno Christi sexcentesimo sexto supra millesimum, extremo Februario accipiebat Constantinopoli Tulipæ cuiusdam nouæ aliquotbulbos satis pusillos, quos è Persia allatos esse scribebat qui ipsi mittebat: hi, licet adeò pusilli, & longiore vecturâ satis adflicti, sequente nihilominus Aprili elegantissimum florem protulerunt, bipedalis longitudinis cauli subnixum: cuius iconem viuis coloribus expressam, cum bulbulo sub extremum Iulium ad me mittebat; ego verò extremo Septembri accipiebam: is terræ creditus comprehendit, licet toto bimestri in itinere hæsisset, nec sperassem adeò exiguum bulbum (vt qui exiguæ nucis auellanæ magnitudinem non excederet) florem producturum. Quia porrò plantam florentem videre mihi contigit, eius historiam describere, atque iconem, quam in lignea tabella exprimendam curabam, Lectoris oculis proponere volui.

Tulipa Persica præcox.



HVIVS itaque anni M. DC. VII. Aprili mense, cum præcocibus Tulipis, florem dedit mea plantula, Septembri præcedente, vt dixi, terræ commissa: eam tamen altitudinem non adquisiuit, quam N. V. suam habuisse scribebat, (etenim propter imminentem hiemem, quam asperiorem futuram metuebam, fictili vasi crediderami;) sed pedalis longitudinis caulem dumtaxat protulit, satis gracilem, quatuor foliis non valdè latis præditum, imò angustis, & Narbonensis Tulipæ foliorum latitudinem haud superantibus, non adeò tamen virentibus, & ad præcocium Tuliparum colorem magis accedentibus ac carinatis: qui supremâ parte florem sustinebat delicatulum, Narbonensis vel Hispanicæ Tulipæ flore paullò maiorem, (quin altiùs assurgat, & maiorem florem libero loco nata proferat planta, non dubito; sed qualem mea planta in angusto loco adseruata habuit, describo) sex foliis binas vncias longis constantem, quorum terna exteriora paullò longiora & mucronata, foris quidem suauerubentis coloris, oris tamen albis, internè verò prorsus albis. tria autem

interiora folia, quæ aliquantulùm breuiora, mucronem habebant nonnihil orbiculatum, niueique planè erant candoris: omnium autem vngues purpureâ maculâ insigniti: stamina nigra, apices etiam nigri: bulbi cortex foris nigricans & fuscus, interiore parte molli lanugine fusci & quodammodo ferruginei coloris obsitus, quali ferè Rhododendri siue Nerii semen est, aut castanearum cortex ipsum nucleum tegens. De semine, nihil pronunciare possum, quia obseruare non licuit, quandoquidem caulis superiorem partem cum duobus foliis & flore præscindebam, vt pictori delineandam traderem: eamque causam esse arbitror, cur insequente anno florem non protulerit, sed adeò imminuta fuerit planta, vt vnicum dederit folium, illudque vallè angustum & quasi iunceum, accedente præsertim illius eiusdem anni asperrimâ hieme.

Anno porrò Christi millesimo sexcentesimo septimo accipiebam ab eodem T. Persicæ alterius generis exiguum bulbum, paullo oblongiore formâ, non orbiculatâ vt superioris, cuius pretium maius esset quàm superioris, licet illud satis ingens esse ad me scriberet: protulit quidem anno insequente vnicum angustum & carinatum folium prioris folio non dissimile, sed breui marcescens: eam ob causam Maio mense eximebam, vt viderem an bulbus corruptus esset; & prorsus flaccidum & inanem reperi. atque eodem mense ad me scribebat nobilis ille vir, bulbos quos sibi retinuerat, vnicum folium dumtaxat protulisse, nullum florem.

FRITILLARIÆ VARIETAS; AC DE ALBA.

Pag. 152. *ante Sectionem* Sponte, *in extremo paginæ adde ea quæ notata sunt in Appendice Altera, de Fritillaria serotina, & Fritillaria albo flore, his verbis*, præcocior videlicet, *&c. quibus & addenda sunt illa quæ in Auctario eiusdem Alterius Appendicis de eâdem Fritillariâ albâ aguntur, his verbis*, Mittebat verò, *&c. cuius periodi fini attexantur & sequentia verba*: Similes deinde anno 1606 vidi apud Hoghelandum & Porretum: sed & anno præcedente à rhizotomis Gallis aliquot bulbos redimebam (quos illi in Hollandiam venales proferre cœperunt) quos flores albos ferre affirmabant. eorum aliquos anno 1608 florentes habui: sed bini duntaxat albi fuerunt prorsus, maturè cum vulgari præcoce: reliqui non albi erant, etsi pro iis venditi, sed iis prorsus similes quos proferunt plantæ in Pyrenæis erutæ, hoc est, ex viridi fusco & obsoleto colore mixti; adhæc non præcoces, sed serotini. Obseruatu enim dignum est, plantas quæ album florem tulerunt, caules & folia vulgarium habere similia, & præcociùs cum vulgaribus florere.

Fritillaria albo flore.

Pag. 153. *post versum* 12, *ante sectionem* N.V. Ioannes Boisot, *adde ex Appendice altera*: Posteà in variis Galliæ prouinciis sponte nasci intelligebam; apud Pictones, (vbi circa vrbem Villefagna *des Pestonnes* appellant) apud Britannos, Aquitanos, & alios.

Fritillariæ diuersi natales.

Pag. eâdem 153. *lin.* 17. *legendum* reflexæ versicolores erant.

FRITILLARIA PYRENÆA.

Pag. eâdem 153, *ante sectionem* QVI ad me primum genus *adde ea quæ notata sunt in primâ Appendice, de Fritillariâ Pyrenæâ, ac ibidem (nempe in Appendice Primâ pag.* CCLVII) *ante Sectionem* Florebat Maio *adde ea quæ præterea de Fritillariæ Pyrenææ varietate tractantur in Appendice Alterâ: & tunc demum redi ad Sectionem prædictam* Florebat Maio, *&c.*

His demum omnibus subtexenda est sequens Fritillariæ Lusitanicæ descriptio: & tunc redeundum est ad dictam periodum eâdem pag. 153, QVI ad me primum, *&c.*

FRITILLARIA LVSITANICA.

Fritillaria Lusitanica.

ANNO Christi sexcentesimo quarto supra millesimum, Nicolaus le Quelt, rhizotomus Gallus, inter alias plantas quas venales proponebat, Fritillariæ quoddam genus habebat, quod in Lusitaniâ legisse, & flauum florem gestare asserebat: ego & plerique alii redemimus: mihi quidem primo anno periit; apud nonnullos alios creuit, atque vnum aut alterum annum permansit, sed etiam tandem periit, nullo prolato flore: itaque nullus nostrûm plantam conseruare potuit, præter vnum Christianum Porretum pharmacopolam Leidensem diligentissimum. Is enim vnicam plantam non modò conseruauit in tertium annum, sed etiam florentem vidit in suo horto instructissimo; atque eius caulem cum flore præcisum ad me misit vt conspicerem, & quâ in re ab aliis Fritillariis differret, meliùs obseruare possem.

Eius porrò cauliculus pedalis erat longitudinis, valdè gracilis, firmus tamen; & viridis, quem sena aut septena inæquali serie ambiebant foliola, breuia & admodùm angusta:

summo

summo autem fastigio sustinebat florem nutantem, & nolæ vel tintinnabuli instar pendulum, reliquis Fritillariis minorem, & vix vnciam longum, sex foliis constantem, quorum mucro reflexus non erat, & terna interiora externis tribus erant latiora; foris quidem coloris purpurei obsoleti, in venas quasdam ad extimas oras vergentes distincti, nullis maculis tessellatim dispositis apparentibus, singulorum mucrone ex viridi paululum flauescente. floris pars interior subflaui coloris erat; vngues verò virescente maculâ infecti: è floris vmbilico prodibant sena stamina alba, flauis apicibus prædita: mediusque stilus albus iis longior, & extremâ parte trifidus: extremo Aprili flos aperiebatur, in quo nullum odorem deprehendere potui: radix exigua, sed eiusdem formæ cum aliarum Fritillariarum radicibus.

NARCISSORVM HISTORIA ET VARIETAS.

Pag. 154. *cap.* XII. *Narcissorum genera aliter possent distingui, in Latifolia videlicet & Angustifolia, simplici & duplici flore: deinde in Vernos & Autumnales. Ideò videndæ Appendices, Prima, Altera, & Auctarium: & inserendæ aliquot nouæ descriptiones, hoc modo:*

NARCISSVS VERNVS PRÆCOX FLORE FLAVO, *& Narcissus oblongo calice.*

Pag. 154 *Ac primùm ante caput* XII *addantur duo capita ex Appendice altera, nempe quibus describuntur Narcissus vernus præcocior, flauo flore: & Narcissus oblongo calice. Ac sub finem capitis de Narcisso oblongo calice adde hæc verba.* In Narcisso oblongiore calice manifestum obseruabam discrimen: nam quorundam flores medium stilum habebant oblongiusculum, & ipsum tubum semunciâ pænè superantem; aliorum stilus tubi oras non excedebat: præterea quorundam tubus coloris erat prorsus aurei; aliorum flaui, oris croceis; plurimorum omnino flaui, & is interdum angustior, nonnunquam laxior. Varietas Narcissi oblongo calice.

His ipsis verbis subnectenda est & sequens Narcissi latifolii flauo flore differentia.


NARCISSVS LATIFOLIVS FLAVO *flore, amplo calice.*

A radice bulbosa oblongiusculaque instar Narcissi iuncifolii, eaque multis fibris prædita, terna aut quaterna producebat folia latiuscula, vt alii Narcissi latifolii, sesquipedem longa: inter quæ nudus prodibat caulis, pedalis longitudinis, striatus, viridis, summo fastigio sustinens vnicum florem è membranaceo folliculo emergentem, sex foliis pallidis siue dilutè admodùm flauis constantem: è cuius vmbilico exiliebat calix siue tubus semunciam lõgus, oris valdè fimbriatis, coloris aurei, paullo tamen laxior; in quo sex breiuscula stamina, flauis apicibus prædita, & medius stilus staminibus longior: odor satis obscurus, nonnihil tamen spinæ appendicis floris odorem referens, qui Aprili & Maio mense aperiebatur cum Narcissis angustiore siue iunceo folio.

Primùm mihi conspectus est huius Narcissi flos Lugduni Batauorum in horto generosæ Dominæ de Matenesse, anno Christi millesimo sexcentesimo sexto, cui planta pro re valdè singulari ante aliquot annos donata fuerat quidem, sed florem dumtaxat eo anno ipsi protulerat, à quâ abruptam prolem mihi communicabat: sed cùm incommodo tempore è terrâ eruta fuerit, hinc factum arbitror vt demum biennio post apud me floruerit.

Pag. 158 *ante periodum* HÆC sunt, &c. *inseri posset alia & paullo accuratius delineata Narcissi Indici rubro flore icon, pro illa quæ est paginâ* 157.

Narcissus Indicus rubro flore.



NARCISSVS IVNCIFOLIVS MINOR.

Sed Pag. 159 *sub calcem capitis* XII, *ante periodum* Intellexi, *etc. addi potest Narcissi Iuncifolii minoris historia, quæ est in Appendice Primâ, paginâ* CCLVII.

NARCISSVS IVNCIFOLIVS ALBO FLORE.

Ipsi verò calci eiusdem capitis XII *addenda hæc verba ex Appendice Altera:* imò illos ipsos nullo modo auctos anni à Christo nato millesimi sexcentesimi asperum gelu, quod Februario mense valdè apud Belgas sæuiit, prorsus corrupit, cum plerisque aliis rarioribus plantis. *Hisq́ subtexenda & hæc:* At anno Christi millesimo sexcentesimo secundo missi sunt quidam Narcissi à doctissimo Venerio tali nomine insigniti, atque eodem anno & sequentibus aliquot à rhizotomis Gallis etiam allati, quorum tamen folia prorsus iuncea non erant, longè tamen angustiora quàm reliquorum Narcissorum: quorum flores mihi videre non contigit: imò quædam plantæ integro anno latuerunt: deinde asperrima hiems annum Christi MDCVIII subsequuta, prorsus corrupit.

NARCISSVS IVNCIFOLIVS ALBO FLORE REFLEXO.

Postea subsequatur Narcissus Iuncifolius flore albo reflexo, descriptus in Appendicis alterius Auctario: cuius descriptioni & hæc attexantur verba: Simili appellatione præditos bulbos annis Christi MDCV & MDCVI etiam venales attulerunt tres rhizotomi Galli, à quibus ego & alii aliquot redemimus: ii in terrâ statim repositi, magnâ ex parte prodierunt quidem, sed nullum florem tulerunt; vt incerti simus, qualis futurus fuerit: anno etiam insequente quo terræ crediti fuerant, latuerunt prorsus, nec vllum folium tulerunt: anni autem MDCVIII asperrima hiems omnes sustulit, & alias plerasque rariores.


His

Hîs subnectenda, aut potiùs pag. 162 ante sectionem CETERVM hi flores, *&c. inserenda est descriptio sequens Narcissi Iuncifolii pleno flore.*

NARCISSVS IVNCIFOLIVS PLENO FLORE.

RARISSIMA est hæc planta: propterea mirum videri non debet, si qui eam possident magno æstimant. Ego quidem iam ante plures annos similem plantam reperiri intellexeram apud nonnullos meos Belgas, qui rariorum plantarum culturæ dant operam; nunquam tamen ab eis impetrare potui, vt aut ipsius plantæ flores vel iconem, multò minùs plantam conspicerem: cupiebam enim illius historiam, vti aliarum variarum stirpium, in publicum proferre, quandoquidem nullum eorum qui plantarum Historias scripserunt eius meminisse videam. Tandem nuperrimè Nobilis Vir Matthæus Caccini Florentinus, (quem huiusmodi plantam habere ex horti ipsius Indice cognoueram) rogatus vt meo voto satisfaceret, & iconem suis coloribus expressam, atque ipsius etiam plantæ caulem tres flores è membranacea vaginula prodeuntes sustinentem, præcisum, hoc anno millesimo sexcentesimo octauo mittebat: ex quibus & aliquot quas adiiciebat notis, hanc historiam concinnare, & icon eius vt in lignea tabella exprimeretur curare potui, quæ hîc adponeretur.

Narcissus iuncifolius pleno flore.



E radice bulbosa & infimâ eius sede multis fibris firmata instar Narcissi iuncifolii vulgaris, profert hæc planta quaterna aut quina folia, surrecta, læuia, angusta, viridiaque, qualia Narcissus iuncifolius vulgaris: inter quæ assurgit, vt in illo, caulis rectus, enodis, viridis, satisque firmus, summo fastigio sustinens membranaceum quoddam inuolucrum siue vaginulam, vt reliqui Narcissi, è quo exilit vnicus interdum, nonnunquam plures flores oblongiusculo graciliqùe pediculo inhærentes, & multiplici foliorum texturâ constantes, coloris prorsus aurei, & diuersæ omnino à vulgari formæ, vt qui longiore illo tubo atque etiam calice carent, & statim ab extremo pediculo confertim oriuntur, vt in Anemones latifoliæ pleno flore, eleganti sanè spectaculo: nullum autem semen ferre arbitror, quòd nodo illo careat qui sub flore in vulgari conspicitur, & tandem in caput trigonum formatur semen continens: sed adnatis eius propagationem fieri verisimile est; vnde eius raritas. Nam qui iconem & flores mittebat, mihi significabat neminem huiusmodi plantam habere Florentiæ præter se; & se dolere quòd bulbum communicare non posset, quia vnicus illi esset, isque nullâ propagine auctus.

VARIETAS PSEVDONARCISSI PLENO FLORE.

Pag. 105. *ad cap.* XVII *de Pseudonarcisso (cuius numerus immutari poterit, ob insertas præcedentes descriptiones, quibus separata capita debebantur) nempe ante Sectionem* Est etiam, *insere ea quæ sunt in Altera Appendice de Pseudonarcisso pleno flore. Sed & eidem Capiti de Pseudonarcisso pleno flore, ante sectionem* Scribebat, *interserere sequentia verba:*

Ceterùm videbam anno Christi 1607 alium Pseudonarcissum pleno flore, alterius formæ: nam sex dumtaxat habebat folia expansa, deinde tubum aureum, oris quidem crispis, sed in profundas repandasque lacinias diuisis præditum, qui continebat alia sex folia pallidi coloris, amplectentia secundum tubum aureum, profundis etiam laciniis scissum, con-

tinentem in medio alia pallida folia, & tertii aurei tubi informis lacinias simul permixtas, egregio spectaculo. Hunc alebat in suo horto Christianus Porretus pharmacopœus Leidensis, cum sequente.

Alter non valdè dissimilis erat Pseudo-Narcisso maiori Hispanico, sed graciliore infirmioreque caule præditus, & sex floris foliis tubum ambientibus pallidioribus: tubo autem è medio protuberante aurei coloris, & per oras fimbriato, qui continebat alium eiusdem coloris tubum in tres profundas lacinias diuisum, & frequentibus plicis conuolutum, vt tres tubi peculiares viderentur, eiusdem cum tubo eos amplectente longitudinis: in quorum medio singularis stilus eminebat breuior, nec ad tubi oras pertingens.

Prior Martio florebat, & in Aprilem vsque flos eius perdurabat: Alterius verò flos Aprili dumtaxat aperiebatur.

Neuter horum similis erat illi, cuius picturam ad me mittebat triplici tubo constantis, quem ambiebant duodecim pallida folia, cuius figuram in Altera Appendice exhibui: nihil etiam commune habebat cum Pseudo-Narcissis vulgaribus pleno flore præditis, cuius duo reperiuntur genera: nam vnus, qui elegantior, florem explicatum semper gerit; alter raro admodùm florem explicat, sed suo inuolucro vtplurimum inclusus permanet: vtriusque autem flores ex pallidioribus foliis multiplici serie dispositis constant, & nullo tubo sunt prædit.

Eorum porrò qui simplicem florem gerunt, præter vulgarem vbique obuium, atque maiorem & minorem Hispanicum, quorum in Plantarum Historiâ memini, Ioachimus Venerius plantam mittebat è maiori genere, quam *Aurioles* ab incolis nuncupari scribebat: ea florem longè ampliorem atque laxiorem habebat, quàm maior Hispanicus: cuius color non valdè dissimilis vulgari: binos item alios eiusdem formæ & magnitudinis cum vulgari; quorum vnius sex folia tubum amplectentia exalbidi erant coloris; tubus sescunciam longus, angustior, & per oras fimbriatus, aurei coloris, sex stamina flaua continens, protuberante in medio longiusculo stilo: alter sex foliis flauis constans vt vulgaris, tubo verò simili cum præcedente, angusto & fimbriatis oris prædito, qui continebat stamina & stilum priori similia. horum vterque spinæ appendicis florum odorem referebat, & Aprili florebat. Rhizotomi Galli etiam genus adferebant non dissimile vulgari, quod pro Narcisso duplici flore flauo supponebant: quam fraudem dumtaxat anno millesimo sexcentesimo octauo deprehendimus, flore qui eo anno apertus est, fucum & imposturam prodente. Alius est præterea his, atque etiam vulgari præcocior, cuius quidem forma similis reliquis, sed color elegantior & magis viuidus, tubus etiam paulo angustior.

Aurioles.

Hinc demum redeundum est ad Sectionem Scribebat, *in dicta Appendice Altera: eiusq; fini attexendus Pseudonarcissus albo flore, descriptus in Appendicis Alterius Auctario: & eius descriptionis calci sequentia verba subnectenda:*

PSEVDONARCISSI FLORE ALBO VARIETAS.

In Pseudo-Narcisso albo flore binas differentias obseruabam: vnam altiùs assurgente caule, cuiusque flos oblongior angustiore tubo constabat: alteram humiliore caule præditam, cuius flos breuior, & tubus laxior; vterque tamen oris inæqualibus & paullulum fimbriatis: alioqui foliis & bulbo non discrepabant. Sed & eius cuius caulis altior & flos angustiore longioreque tubo præditus, mihi nata est planta, quæ florem protulit album quidem, sed ad ὠχρόλευκον colorem tendentem. Porretus similiter plantam habuit, quæ florem non nutantem & pendulum tulit, aliorum eius generis instar, sed protuberantem vt vulgares Pseudo-Narcissi. Asperrima autem hiems, quæ annum Christi millesimum sexcentesimum septimum subsequuta est, omnes ferè corrupit, præter paucos, quorum bini duntaxat florem tulerunt.

Pag. 166. ante sectionem Vulgarem porrò *insere sequentia:*

PSEVDONARCISSI IVNCEIS FOLIIS VARIETAS.

Ceterùm non modò in Cantabrorum montibus, sed etiam vicinis Burdigalæ locis nasci posteà intelligebam. Nam anno Christi sexcentesimo secundo supra millesimum, mihi atque aliis mittebat eruditissimus vir Ioachimus Venerius aliquot Pseudo-Narcissi iuncifolii bulbos, sequentibus verò annis rhizotomi Galli ad Batauos etiam inferre cœperunt: inter eorum autem qui Batauicum aërem ferre potuerunt, nec corrupti sunt, flores, non exiguam differentiam obseruabam, quoniam alii aliis ampliores erant, illique vel flauescentis

ſcentis coloris, vel flaui, vel aurei: vnum enim habui, qui anno milleſimo ſexcenteſimo quarto florem tulit flauum ampliſſimo calice præditum; inſequente verò anno nullum: cauſſam dum requiro, prorſus corruptum repperi. in nonnullis præterea floribus ſtilus ex vmbilico inter ſtamina emergens longiſſimus erat, & floris oras ſuperabat; in aliis vix ad floris oras pertingebat. Omnium porrò iſtorum folia ſurrecta erant, & plerumque bina numero, interdum etiam terna; non autem humi procumbentia, vt nec eorum qui ex ipſorum ſeminibus terræ creditis mihi nati ſunt. Anno autem ſexcenteſimo ſexto ſupra milleſimum, ex eorum numero quos à rhizotomis redemeram, vnum habui qui florem protulit aurei prorſus coloris, æqualibusque oris, non autem fimbriatis aut criſpis vt reliquorum; ſed illi valdè ſimilem, quem primo loco in mea Plantarum hiſtoria deſcripſi, in peregrinatione Hiſpanica obſeruatum; cuius etiam folia ſurrecta, & ſtilus medium florem occupans breuior, nec oras exuperans, quemadmodum plerique illorum quos à Venerio accipiebam, aut à rhizotomis Gallis redimebam: is anno inſequente in oblongiuſculo trigono capitulo puſillum ſemen nigrum tulit: quod iuxta matrem ilicò ſatum, feliciter prouenit.

NARCISSVS MARINVS.

Pag. 167 ante Sectionem Eo porrò tempore *etc. interſere ſequentia:*

E variis Galliæ, Hiſpaniæ, Italiæque locis maritimis, vt dixi, huius plantæ bulbos erutos, & diuerſo tempore accepi; omnemque diligentiam adhibui vt eius flores elicere poſſem; procuratâ etiam è marinis locis terrâ in quâ reponerem, ſed operam luſi: etiam dum in Mompelio viuebam narrabant mihi quidam ſe plantam illam ante duodecim annos in ſuos hortos tranſtuliſſe, ſed florem non conſpexiſſe. Sed etiam nobilis vir Florentinus ad me ſcribebat, eas plantas quæ in continente è maritimis locis ſunt tranſlatæ, rariſſimè flores proferre; ſed quæ ex inſulis petitæ, illas florem dare. ſe autem nonnullas plantas in Iſchia inſula erutas habere, quæ ſingulis annis illi florerent. Sed hoc in calidioribus regionibus fieri poteſt: in his verò frigidioribus regionibus, non florent, vt dixi.

Calci verò eiuſdem capitis adde illa quæ in Appendice alterâ notantur, nempe Hemerocallidem iſtam Valentinam in poſterum NARCISSVM MARINVM *nuncupari poſſe.*

NARCISSVS TERTIVS MATTHIOLI.

Pag. 168. ante Sectionem Illius porrò, *adde illa quæ in Appendice Altera traduntur de Narciſſo montano ſiue marino altero, qui Matthioli tertius.*

Calci verò eiuſdem capitis XIX *(poſt periodum* Illius porrò) *etiam addenda ex Auctario Appendicis Alterius quæ de Narciſſo marino ſecundo ibidem præterea tractantur, his verbis,* Quum anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, *etc.*

LEVCOIVM BVLBOSVM VERNVM MINIMVM.

Pag. 169. ante ſectionem QVARTO, quinque, *etc. adde ſequentem deſcriptionem Leucoii Bulboſi folio capillari præcocis, ſeu Verni minimi.*

ANNO Chriſti ſexcenteſimo quinto ſuprà milleſimum, inter bulbos peregrinos quos Nicolaus le Quelt Pariſienſis rhizotomus venales in Hollandiam adferebat, nonnulli fuerunt à nobis antea non conſpecti, quorum aliquot ab eo redimebam, ſed pauci comprehenderunt, reliquos hiems ſubſequens corrupit. Ex his autem qui perſtiterunt, vnus cui nomen dederat Narciſſi parui ſtellato flore, veriùs inter Leucoii bulboſi genera recenſendus meo iudicio quàm Narciſſi, niſi quis (Matthioli ſententiam ſequutus) Leucoia in Narciſſorum numero habere velit. *Leucoium bulboſum folio capillari præcox.*

Proferebat verò id Leucoium ante hiemem terna aut quaterna foliola penè capillaria, iis non valdè abſimilia, quæ Leucoium minimum autumnale (in Luſitania à me anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſub finem Octob. obſeruatũ) habere dixi: ea ſequente Aprili emarcuerunt. Extremo autem ſubſequentis anni Maio nudus exiliſque exortus eſt cauliculus anguloſus, ſemipedalis longitudinis, ſummo faſtigio membranaceum ſuſtinens folliculum, è quo bini exibant floſculi longiuſculis tenuibusq. pediculis ſubnixi, deorſum inſtar campanulæ propendentes, ſeniſque foliolis conſtantes candidis, quorum terna interiora latiuſcula, externa verò paullo anguſtiora, & foris ſecundum exortum circaque capitellum ſubrubentibus; flauis ſtaminibus vmbilicum occupantibus: totus elegans erat

hic flosculus & suauis odoris, perstabatque in sua elegantia quinos aut senos dies: nullum verò dedit semen; atque subsequens hiems plantam corrupit.

Huic addi potest & descriptio Leucoii Autumnalis, quod etiam capillari est folio, petenda è pag. 170.

BVLBVS VNIFOLIVS.

Bulbus vnifolius.

At postremò ante caput XXI *de Scilla inserendum est caput de Bulbo vnifolio, qui describitur in Appendicis alterius Auctario.*

Pag. 173 *lin.* 3. *legendum* Scillini.

HYACINTHVS PRÆCOX FLORE ALBO, CACCINI.

Pag. 175 *lin.* 9. *ante sectionem* ANNO porrò, *etc. adde sequentem descriptionem Hyacinthi præcocis flore albo, Caccini.*

Sed post vicesimum ab illo annum, Florentiâ accipiebam à nobili viro Matthæo Caccini, aliud Hyacinthi genus albo flore, cæteris præcocius: nam scribebat, isthîc circa Kal. Nouembres flores proferre: mihi certè anno subsequente, qui fuit millesimus sexcentesimus octauus, post videlicet asperrimam illam hiemem, sub Kal. Martias flores dedit, superioribus, si rectè obseruaui, minores, ipsiusque plantæ folia aliorum Hyacinthorum foliis minora mihi visa, angustiora & dilutiùs virentia. Nullum semen dedit: sed quando feret, an ex eo natæ plantæ genus suum conseruabunt, aut degenerabunt, & alterius coloris flores proferent, quemadmodum in ambarum præcedentium semine natis plantis non ego solus obseruaui, sed etiam alii obseruârunt, dies docebit.

Eâdem pag. 175. *lin.* 15. *initium periodi* Diuersis, *ita immutabis*: Diuersus autem à iam dictis, *etc.*

Pag. 176. *ante caput* XXV. *addere potes sequentes duas descriptiones, & singulis integrum caput assignare, nempe vt* XXVI *caput sit de Hyacintho Asiatico φυλλοφόρῳ caule, &* XXVII *de Hyacintho Orientali subuirescente flore: sed tunc capitum sequentium numerus etiam immutari debet; & quod hactenus fuit* XXV, *erit* XXVIII. *& sic in reliquis progrediendum.*

HYACINTHVS ASIATICVS *φυλλοφόρῳ caule.*

Hyacinth. orient. foliato caule.

QVOTQVOT hactenus viderim Hyacinthos vel Asiaticos vel Europæos, eos omnes nudum caulem habere obseruaui: quapropter omnium Hyacinthorum peculiarem naturam esse existimaui, vt nudum caulem proferrent. verùm nullis Naturæ legibus Deus est adstrictus, sed pro sua voluntate Naturæ leges mutat, vt ex hoc Hyacintho, cuius iconem in tabella expressam propono, videre licet: cuius sanè notitiam acceptam fero Illustri viro Matthæo Caccini Florentino, qui iconem mittebat XV Augusti, anno Christi millesimo sexcentesimo septimo; accipiebam verò Septembri insequente: me autem eâdem operâ monebat, ne monstrosum quidpiam esse arbitrarer, quod interdum in plantis contingere solet, sed huius Hyacinthi peculiarem esse naturam, quandoquidem plures quàm decem similes Hyacinthi plantas Florentiæ fuisse conspectas, quæ omnes caulem foliosum, & flores eiusdem prorsus formæ similique ratione dispositos habuerunt, vt eius planta quam vnicam illo anno Constantinopoli accepisset: hanc ob causam illam vt ipsi prouenerat, viuis coloribus exprimi curabat, vt ad me mitteret: itaque me confidenter illam describere, & iconem exhibere posse. hanc igitur in lignea tabella expressam, Lectoris oculis, vt rem nouam, & à nemine adhuc exhibitam, proponere volui.

TAMETSI ipsam plantam non viderim, sed eius dumtaxat iconem viuis coloribus expressam, illam ex pictura ad me missa, & quibusdam notis, quas in sua epistola Illustr. ille vir addiderat, huius Hyacinthi historiam texere non sum veritus, quia veracem ipsum esse, experientiâ didici, cùm in Tulipa Persica, cuius antè memini, tum in aliis plantis quas ad me misit.


Porrò habet iste Hyacinthus bulbosam radicem, aliis Hyacinthis Asiaticis parem, aliquot candidis crassioribusque fibris firmatam, è qua prodeunt quina aut sena folia, viridia, carinata, instar eorum quæ profert Hyacinthus orientalis vulgo notus, inter quæ exit caulis dodrantalis, cinctus aliquot foliis arctè simul iunctis, ante quàm flores ostendere incipiat, quæ deinde, caule incrementum capiente, explicantur, & nullâ serie seruatâ, caulem ambire deprehenduntur: flores, qui aliorum Hyacinthorum orientalium floribus formâ

formâ & colore non sunt dissimiles, etiam confuso ordine in caule nascuntur, modò in foliorum sinu, modò extra sinum è nudo caule dependentes, qui an sint odorati perinde ac aliorum Hyacinthorum Asiaticorum flores, me latet, quia in epistola nihil erat adscriptum: nec scio an quæ apud alios creuerunt similes plantæ, nodosum caulem etiam habuerint vt ea, cuius icon ad me missa, & hîc proposita. Illud solummodò in epistolâ additum, seriùs cæteris florere; vel potiùs medio inter præcoces & serotinos tempore.

Cæterùm Maio insequente scribebat plantam illam quam vnicam habebat, rursus similibus foliis præditum caulem protulisse, & in eo septemdecim flores, quibus successerint trigona, vt in aliis Hyacinthis Asiaticis, capita semen instar illorum continentia rotundum nigrum, quod ad me insequente anno missum terræ credidi.

Addebat, eorum, qui Florentiæ illius generis Hyacinthos habent, plantas, similibus foliis obseptos caules habuisse.

Hyacinthus orientalis, caule folioso.



HYACINTHVS ORIENTALIS SVBVIRESCENTE FLORE.


ISTIVS peregrini Hyacinthi notitiam lubens acceptam fero (quemadmodum aliarum aliquot plantarum de quibus in hoc libello ago) N. V. Matthæo Caccini Florentino, qui VI. Id. Martii anno Christi sexcentesimo septimo supra millesimum ad me scribebat Constantinopoli aduectos esse aliquot Hyacinthos ingentis quidem pretii, sed valdè raros, & nunquam antea isthîc conspectos; nec à quopiam descriptos: quorum vnum de tribus qui aduecti fuerant, non sine magna difficultate adquisiuisset. Illius descriptionem (quia eodem anno florentem habuit) ad me etiam mittebat. *Hyacinth. orient. ex albo virescente flore duplo.*

Bulbum, inquit, & folia habet aliorum Hyacinthorum foliis & bulbo non dissimilia: eius flos initio cùm prodit viridis est, deinde subcæruleum colorem contrahit dum explicari incipit, apertus verò albus fit ex viridi, retinentque eius omnia folia exteriorem illum neruum siue venam medium folium occupantem viridem. petiolus florem sustinens paullo longior est quàm in reliquis Hyacinthis: caulis verò viridis est vt & aliorum Hyacinthorum Orientalium, sed superiore parte purpurascit: quod autem flori venustatem addit, est alter flosculus tribus foliis constans è medio flore prorumpens, qui colorem perinde mutat, vt primarius flos. Allatus est cum inscriptione Hyacinthi viridis: & initio quidem valdè obsoleti coloris apparet, deinde paullatim venustior fit.

Illum ipsum bulbum insequente Octobri cum aliis quibusdam selectioribus plantis ab eo accipiebam, quas asperrima hiems subsequuta corrupit præter paucas admodùm, licet aduersus aëris inclementiam probè muniisse existimarem. E conseruatarum numero hic Hyacinthus fuit; & Aprili flores protulit, cum magna mea lætitia: Eam ob causam in lignea tabella delineandam curabam, vt lectoris oculis subiicerem.

CÆTERVM eius caulis prodibat inter quinque aut sex folia carinata, qualia sunt aliorum Hyacinthorum, eaque surrecta, initio purpurascens, deinde dum in longitudinem excrescit viridem colorem contrahens, aliquot sustinens flores, initio antè quàm expanderentur virides, deinde foris circa petiolum ex subcæruleo candicantes, sex foliis constantes, quorum extremæ oræ, aut floris laciniæ albescebant, nonnihil tamen remanente conspicua viriditate: è floris vmbilico deinde emergebat alius flos ternis foliis constans interiore parte albescentibus; exteriore verò, viridi illa vena siue neruo præditis: medium florem occupabant pauca stamina nigris apicibus prædita. Nullum gratum odorem in illo obseruabam, sed herbaceum quidpiam spirantem; cælíne nostri inclementiam incusem nec ne, hæreo. Maio porrò insequente ad me scribebat, eas plantas quæ Florentiæ adseruabantur longè plures flores protulisse, quàm mea hæc; cuius supremos flores præscindebam, vt pictor in pugillaribus suis delineare posset, donec illi integram plantam in lignea tabella exprimendam traderem: reliquos in planta relinquebam in spem seminis colligendi, nam libenter periculum facerem an eæ plantæ quæ ex illius semine nascentur, similes flores quales mater habuit sint prolaturæ: capita verò quæ iis floribus successerunt trigona etiam fuerunt vt reliquorum Hyacinthorum, eaque oblongiuscula, semen continentia quale est reliquorum Orientalium Hyacinthorum, orbiculare, nigrum, quod dumtaxat sub extremum Iunium maturum fuit: eum enim annum valdè serotinum habuimus, ob præcedentem asperrimam hiemem.

Hyacinthus flore duplici, ex albo virescente.



HYACINTHVS MINOR HISPANICVS.

Hyacinthus minor Hispanicus orientalis facie, albo flore, cæruleo interdũ mixto.

Pag. 177 *post caput de Hyacintho Hispanico addenda descriptio Hyacinthi minoris Hispanici, ex Appendice altera. Sed in illâ hæc emendanda; & ei, si volueris, nouum caput aßignabis, vt sit caput* XXIX. *Verùm priùs illud integrum caput in Appendice Altera prorsus concinnandum, & in sequentibus locis immutandum. Nam linea 6* conseruari, *scribendum* conseruaui: *& post verbum* continentiâ, *ante periodum* Reliquorum, *addenda hæc verba*: Postea obseruabam adultiores plantas longè plures flores proferre, etiam vsque ad vicenos. *Sed ante sectionem* Ceterùm illo ipso anno Nicolaus le Quelt, *etc. adde sequentia verba*: Hyacinthi porrò minoris Hispanici serotini flore albo semine natas plantas habui, quæ tertio & quarto à satione anno flores protulerunt, non albos vt sperabam sed prorsus cæruleos; sic vt incerta sit earum satio, perinde ac Hyacinthi Orientalis albo & niueo flore: nam quotquot eius semine natæ mihi plantæ diuersis annis, maximâ ex parte alterius coloris flores tulerunt, non albos aut niueos, sed vel cæruleos dilutiores & saturos, vel cineracei quodammodo coloris, vel exalbidi.

Eadem Pag. 177. *linea vltima lege* conspicerentur, quidam etiam pænè virentes. *& adde sequentem periodum ex Appendice altera*: CETERVM mittebat iam dictus Venerius, *etc. sed eius sectionis calci adde & hæc verba:* prorsus esse similes, anni subsequentes declarârunt.

Pag. 178. *calci capitis* XXVI *adde sequentem descriptionem*:

HYACINTHVS OBSOLETVS ÆTHIOPICVS.

PLANTAM Hyacintho obſoleto ſimilem, ab extremo Æthiopiæ promontorio, cui Bonæ Spei nomen, relatam à Batauis, habuit ornatiſſimus vir Dauid Moſtart: cuius caulem præciſum & folia ad me mittebat; atque flores ſex foliis conſtantes proferre ſcribebat, quorum terna externa nonnihil reflexa eſſent, terna interna oras dentatas & albicantes haberent; totos tamen alioqui flores luteo colore præditos, ſed interna parte virides: ipſius verò plantæ caulem, quum primùm prodit florum gemmis onuſtus, aliquantulum nutare ſcribebat, ſed ſenſim floribus ſeſe aperientibus erigi: certè caulis quem emittebat, craſſiuſculus erat & firmus, viridis, quique denos aut plures flores ſuſtinuiſſe videbatur confuſo ordine naſcentes, quemadmodum Hyacinthi obſoleti, cuius Hiſtoriam dedi, flores, vncialibus petiolis ſubnixos: folia etiam quæ mittebat quina aut ſena, impensè viridia, Hyacinthi obſoleti foliis valdè ſimilia, paullo tamen firmiora. Hyacinthus obſoletus Aethiopicus.

Alteram etiam plantam ab iiſdem nautis relatam, ſibi donatam ſcribebat, cuius radix Hyacinthi vulgaris bulbo perſimilis eſſet, & alba; huius folia mihi mittebat, quæ valdè breuia erant, vt earum longitudo vix quatuor vncias ſuperaret: etiam illa fracta lanugine abundare deprehendebam.

HYACINTHVS MAVRITANICVS.

Eadem pag. 178, *poſt præcedentes deſcriptiones Hyacinthi obſoleti, nempe ante caput de Muſcari, interſere caput de Hyacintho Mauritanico, ex Appendice prima: eiq; peculiarem numerum aſſcribe, nempe Cap.* XXXI. *ſed vltimam periodum, quæ de Siſyrrichio Mauritanico agit, omitte: illam enim ad caput de Siſyrrichio referendam eſſe, infrà monebimus ad paginam* 217.

MVSCARI FLAVO FLORE.

Pag. 179 *ante ſectionem* Ad Hyacinthi, *adde ea quæ de Muſcari flauo flore notantur in Altera Appendice.*

HYACINTHVS STELLATVS BÆTICVS.

Pag. 182, *ante periodum* ALTER etiam, *poſt deſcriptionem Hyacinthi ſtellati Peruani, inſerenda ſequens deſcriptio Hyacinthi ſtellati Bætici:*

ANNO Chriſti ſexcenteſimo quinto ſupra milleſimum venales adferebat in Hollandiam varii generis peregrinos bulbos Nicolaus le Quelt: inter quos Hyacinthi cuiuſdam craſſâ radice magnam copiam, quem ex Africa recenter allatum dicebat, & ſimilem ferè Eriophoro Peruano à me in Plantarum Hiſtoriæ lib. II. cap. XXIV exhibito. Eos autem triplici colorum varietate flores proferre aſſerebat: nam alios eſſe cæruleos, alios albos, quoſdam etiam ſuaue rubentes ſiue carneos. Quos ab eo trium iſtorum generum redimebam, ſubſequente quidem anno folia protulerunt, nullum verò florem: Chriſtiano autem Porreto, pharmacopœo diligentiſſimo, aliquot plantæ flores dederunt cæruleos, vna autem albos ad rubedinem tendentes. Hyacinthus ſtellatus Bæticus.

E radice porrò bulboſa & oblongiuſcula, nec Muſcari bulbo valdè diſſimili (nam ſubfuſco cortice tecta erat, prominentemque ſedem habebat, ſupra quam in ambitu craſſiuſculas fibras ſpargebat) quina aut ſena nouo Vere prodibant folia viridia, pænè vnciam lata, carinata, dodrantem longa, humi in orbem fuſa: inter quæ dodrantalis aſſurgebat caulis, tubi pennæ ſcriptoriæ craſſitie, qui circa faſtigium frequentes longiuſculos petiolos ex purpura quaſi nigricantes producebant; quorum ſinguli ſuſtinebant floſculum ſex mucronatis foliis conſtantem, ſtellulæ inſtar expanſis, coloris nunc è cæruleo purpurei, modò purpurei ſaturatioris & quaſi violacei: è quorum vmbilico craſſiuſculus exibat vmbo, coloris impensè purpurei, cinctus ſex ſtaminulis latiuſculis, dilutioris in quibuſdam cærulei & quaſi albeſcentis coloris, in aliis paullo ſaturatioris, quorum apices flaui. tota autem florum congeries æqualis ferè erat altitudinis, & veluti vmbellæ formam referebat: nullam verò ſuauitatem odoris in iis floribus obſeruabam: ſed cortex & folia abrupta, non minus in tenuiſſima ſtaminula diſtrahebantur, quàm in bulbo Eriophoro.

Qui ex albo rubicantibus floribus erat, ſimilia iam dicta folia habebat, humi etiam in orbem ſparſa, ſed rariores flores, nec adeò confertim naſcentes, ſex tamen foliolis inſtar

illorum expansis præditos, vmbone floris vmbilicum occupante, staminulisque eum cingentibus albis, apicibus flauis: pediculi verò eos sustinentes purpurascebant; florum autem gemmæ extrinsecus suave rubebant.

Flores in vtroque genere Maio mense expandebantur, nullum autem semen præbuerunt: Nec verò id genus quod albo flore præditum esse dicebatur, hîc florere conspectum est; atque quotquot eo anno & subsequente plantas redemeramus, hiems rigidissima præcedens annum millesimum sexcentesimum octauum, prorsus corrupit, cum selectissimis quibusque plantis.

Hoc autem Hyacinthi genus planè mihi persuadeo illud esse, cuius memini cap. xxx. Lib. II. Hist. Plant. quodque Ioannes Robinus Christianissimi Francorum Regis Henrici IIII. Simplicista in horto Regio alebat, à Ser^mo magno Duce Hetruriæ missum Regi cum plerisque aliis bulbis, cuiusq; iconem C. V. Lobelius in Rariorum aliquot Simplicium Appendice exhibet: magnam verò affinitatem habere cum meo Eriophoro Peruano, nemo diffitebitur; cuius tamen folia erant duplo latiora.

Anno porrò millesimo sexcentesimo octauo me monebat Gulielmus Boëlius rhizotomus diligentissimus, non fuisse necesse hunc bulbum ex Africa peti, quandoquidem circa insulam Gades, atque adeò in ipsa insula (vnde aliquot adferebat) satis copiosè nascatur; ex quibus locis & ei vicinis Nicolaus haud dubiè suos acceperat.

HYACINTHVS STELLATVS LILII FOLIO ET RADICE.

Pag. 183. *ante Sectionem* TERTIO quaterna, *&c. reponendus est Hyacinthus stellatus Lilii folio & radice, ex Appendice altera: eique subnectenda ea quæ in Auctario eiusdem alterius Appendicis notantur: nempe Paragraphus* CETERVM anno millesimo, *&c. cuius fini & hæc verba subiungantur, (post verbum* corrupit.) omnes autem tam qui cæruleo præditi sunt flore, quàm qui albo, semen ferunt in triangulis capitellis, nigrum & crassiusculum, non splendens.

Eadem pag. 183. *lin.* 18. *&* 19. *ipse paragraphus* TERTIO, *ita immutandus:* TERTIO quaterna aut quina sunt folia humi fusa, longa, carinata, dilutè virentia, Hyacinthinis valdè similia; sed latiora, & ad superioris foliorum latitudinem quodammodo accedentia. inter hæc, *&c.*

HYACINTHVS STELLATVS, *à Porreto.*

Eadem pag. 183. *ante Sectionem* QVARTVM, &c. *Hyacinthus stellatus Porreti reponendus; cuius hæc est descriptio:*

Hyacinthus stellatus Porreti. E crassiusculo & quasi nucis iuglandis magnitudine bulbo quaterna duntaxat promebat hic Hyacinthus folia latiuscula, Hyacinthi stellati Byzantini foliis non valdè dissimilia; inter quæ quinque aut sex exiliebant dodrantalis longitudinis cauliculi, firmiores quàm in Byzantino, purpurascentes & striati, sustinentes è longis petiolis dependentes septem aut octo flores expansos, & sex foliis cæruleis cõstantes: quorum vena medium folium secans saturatior erat & quasi violacei coloris. floris vmbilicum occupabat trigonum capitellum virescens, exiguo stilo prominente præditum, sex violaceis staminulis cincto, quorum apices nigri: flos Aprili aperiebatur, & tenuem quemdam atque euanidum odorem habebat: excusso flore trigona illa capitula maturitatem adepta pusillum nigrum semen continere deprehendebantur: radix autem non valdè dissimilis erat Hyacinthi sub autumnum flores proferentis bulbo.

Eadem pagina, præcedenti Hyacinthi stellati descriptioni addi etiam potest sequens Hyacinthi stellati species.

HYACINTHVS HISPANICVS STELLATO FLORE.

Hyacinthus Hispanicus stellato flore. HVIC Hyacintho, quem Nicolaus le Quelt anno Christi millesimo sexcentesimo quinto venalem in Hollandiam adferebat, & stellatum Hispanicum appellabat, similem antè conspicere non memineram: eam ob caussam illius etiam hoc loco mentionem facere volui.

Is subsequente Vere terna aut quaterna produxit folia humi expansa, pedem longa, viridia, carinata, semunciam verò lata, atque sensim in mucronem desinentia: inter quæ sub extremum Aprilem prodiit caulis dodrantalis aut paullo longior, viridis, firmus, sustinens ex interuallis octodenos vel vicenos flores, sex foliis stellæ in modũ expansis præditos, coloris cærulei saturi, præsertim circa vmbilicum, nec valdè dissimiles Eriophori Peruani

floribus:

floribus: è quorum vmbilico prodibant sex pallida stamina medium capitellum violacei coloris amplectentia: floribus succedebant trigona capitella; sed quale semen continuissent, mihi ignotum, quia ad frugem non peruenerunt, & radicem subsequens hiems corrupit.

Pag. 184. *sectionem* Floret *ita auge ex Appendice Altera*: Floret cum vulgari, hoc est, sub extremum Martium, vel etiam Aprili; paulo tamen serius vulgari: illius etiam semen, quod in trigonis capitibus nascitur, maturitate nigredinem & splendorem acquirit. *Hyacinthus stellatus æstiuus.*

HYACINTHVS STELLATVS ÆSTIVVS MINOR.

Pag. 185. *ante caput* XXXI. *de Hyacintho autumnali inserenda Hyacinthi stellati æstiui historia ex Appendice altera. cuius descriptionis calci adde & hæc verba*: Hyacinthi æstiui flores subcærulei dilutioris sunt coloris, & minoris adhuc dilutioris: cuius semine nata altera planta album protulit florem anno 1607, staminibus præditum purpurascentibus; quem prorsus corrupit subsequentis hyemis asperrimum gelu.

Hisq; ipsis verbis subnecte descriptionem Hyacinthi stellati æstiui minoris, ex Auctario eiusdem Appendicis Alterius: sed & illam auge subsequentibus verbis, (nimirum post verbum petitis.) Huius semine natæ erant binæ plantæ, quæ quarto à satione anno flores protulerunt in breuibus cauliculis, matri quidem formâ similes, sed alterius coloris, videlicet exalbidi: sed eæ plantæ valde tenellæ asperrimam anni 1608 hiemem ferre nequiuerunt, sed prorsus corruptæ sunt. *Hyacinthus stellatus æstiuus minor.*

Pag. 186. *lin.* 53 *ad extremum caput* XXXII, *pro his verbis*, licet Matthiolus, *& his quæ sequuntur, repone illa quæ in Altera Appendice notata sunt, nempe paragraphum* Italos nunc, *&c.*

ORNITHOGALVM NEAPOLITANVM.

Eadem pag. 186 *ante Ornithogalum aliud, reponendum ex Altera Appendice Ornithogalum Neapolitanum.*

ORNITHOGALVM MAXIMVM.

Pag. 187. *ante sectionem* ALTERVM, *adde Ornithogalum maximum, ex Appendice prima.*

ORNITHOGALVM PYRENÆVM.

Pag. 188. *ante sectionem* QVINTVM, *adde ex Altera Appendice descriptionem Ornithogali Pyrenæi: eiusq; fini (nempe post illa verba*, verisimile est) *adde sequentem periodum*: Annus autem Christi M.D.CVI, nihil aliud esse docuit, quàm Ornithogalum primum, à me lib. II. capite XXXIII exhibitum, & à Dodonæo Asphodelus bulbosus Galeni nuncupatum. *Ornithogalum Pyrenæum.*

Eadem pag. 188. *ante sectionem* SEPTIMVM, *adde Ornithogalum minus è Pyrenæis, ex Appendice prima.* *Ornithogalum minus, è Pyrenæis.*

Pag. 189. *lin.* 12 *legendum* Lachn proximam, & in siccioribus, *&c.*

Eadem pag. 189 *ad calcem capitis* XXXIII *adde sequentem Ornithogali peregrinam speciem.*

ORNITHOGALVM ÆTHIOPICVM.

GENERIS cuiusdam Ornithogali bulbos Batauí nautæ Amsteldamum referebant, lectos vt aiebant in quodam sinu, ad occasum extremi illius & celeberrimi Æthiopiæ promontorii, cui vulgò nomen Caput bonæ Spei inditum, sito; in quo per aliquot dies hæserunt, vt se reficerent. Huiusmodi Ornithogali caulem suis floribus onustum Amsteldamo adferebat Christianus Porretus extremo Augusto anni millesimi & sexcentesimi quinti, quem mihi donabat: ex quo, & paucis aliis quas intelligebam notis, breuem hanc historiam concinnabam.

Ex radice Ornithogalo maiori vulgari (quod nonnulli Asphodelum Galeni cognominant) pæne simili, teste Dauide Mostart, qui huius folia cum aliquot floribus ad me mittebat, multa producebat folia pedalem longitudinem habentia, vnciam aut paullo amplius lata, mollia, quæ confracta tenui lanugine prædita apparebant perinde ac Eriophori folia (quam similiter notam in aliquot aliarum bulbacearum plantarum foliis non semel obseruare memini) inter quæ cubitalis assurgebat caulis satis firmus, viridis: à cuius medio ad summum vsque fastigium prodibant flores, vncialibus aut longioribus, iisque crassius- *Ornithogalum Aethiopicum.*

culis & viridibus pediculis inhærentes, sex foliis niueis constantes, Ornithogali Arabici floribus pænè similes, nec multo minores; quorum vngues aliquantulum flauescebant: ex eorum autem vmbilico prodibant sex candida stamina flauis apicibus prædita, quorum terna latiore basi capitulum medium crassiusculo breuique stilo præditum amplectebantur, ac illud trigonum, quod successu temporis oblongum euadebat, semen continens.

Pag. 191. *lin.* 8. *ita legendum*: potuerim. Sed & multos post annos Lugduni apud Batauos, cum aliis aliquot bulbis accipiebam, qui nonnumquam in tantam altitudinem excrescebat, vt humanam altitudinem superaret. Eum autem, *&c.*

MOLY MONTANVM LATIFOLIVM FLAVO FLORE.

Pag. 193. *ante caput* XXXVII. *inserenda Moly montani flauo flore historia, ex Altera Appendice.*

MOLY PYRENÆVM PVRPVREO FLORE.

Pag. 195 *ad extremum caput adde Moly Pyrenæum purpureo flore, ex eâdem Appendice alterâ.*
Pag. 196 *lin.* 35. *leg.* eo deuorato.

ASPHODELVS MINIMVS.

Pag. 197 *ante sectionem* GRÆCIS, *inserenda Asphodeli minoris seu veriùs minimi historia, ex prima Appendice, quæ est paginâ* CCLVIII.

COLCHICVM VERSICOLORE FLORE ALTERVM.

Pag. 200 *ante sectionem* QVARTVM, *adde ex prima Appendice Colchicum* ποικιλανθὲς *alterum: cuius descriptionis fini, nempe post verbum* præcedente, *pag.* CCLVIII, *adde sequentem paragraphum.*

Ceterùm anno Christi sexcentesimo sexto supra millesimum simile Colchici genus in pratis Francofurto ad Mœnum vicinis nasci obseruabam ex iis bulbis quos præcedentis anni autumno honestissimi eius vrbis ciues Ioannes Theodorus, & Ioannes Israël de Bry fratres germani mittebant: nonnulli enim flores prorsus similes iam dicto tulerunt, aliqui etiam omnino niueos, aliqui suave rubentes, quorum folia venam exalbidam per eorum longitudinem excurrentem habuerunt.

Pag. 201. *ad finem sectionis* PAVCOS porrò, *adde ex Appendice prima, paragraphum* Ex illis tamen ipsis, *&c. pag.* CCLIX.

Pag. 202 *ad finem sectionis* ALIVD porrò, *id est, ad finem capitis* XL, *adde paragraphum* Huius autem Colchici, *&c. ex Appendice altera, pag. eadem* CCLIX.

COLCHICVM VERNVM.

Pag. 203 *ante caput* XLII, *reponenda Colchici verni historia, ex Altera Appendice.*
Pag. 204 *lin.* 15. *leg.* longiora & latiora: radix, *&c.*

CROCI VERNI LATIFOLII VARIETAS.

Croci verni latifolii varietas.

Eâdem pag. lin. 16 *addenda quæ sequuntur*: sublata: sed aliquot post annos vnum & alterum similem bulbum denuò nactus sum, cuius foliis nulla alia latiora conspexi, licet genus illud quod niueum fert florem, ea etiam valdè ampla habeat.

Sed postea semine terræ commisso similes plantas adquisiui, atque etiam ab amico ex Italia reduce habui, quæ maiores reliquis Croci verni generibus flores protulerunt, multoque latiora folia: præmaturè autem floret, non secus ac purpureus versicolor, & flauus varius; nec iis infeliciùs adnatis se propagat.

Quartæ folia, *&c. vt est in textu.*

Pag. 207. *post lineam* 25 *adde*: Et hæc quidem sunt quæ circa Croci verni latiore folio plantas obseruabam: nunc de illis quæ angustiore & quasi capillari sunt prædita folio, agamus.

CRO-

CROCVM VERNVM CAPILLARI FOLIO.

Pag. 208, *ante sectionem* NONNVLLI Primum, &c. *adde illa quæ de Croco verno capillari folio tractantur in Appendice prima, pag.* CCLIX. *& ibidem, ante sectionem* Id autem, *adde ea quæ notantur sub finem Appendicis alterius, nempe hæc verba:* & certè illius, *&c. quibus addenda & hæc; nimirum post verba*, erant segregatæ.

Huic plantæ accidit quod quibusdam aliis, vt videlicet semine natæ, parentis colorem non retineant, sed varient: nam Ioannes Hogelandus, qui plantas habebat albi coloris flores proferentes duorum generum, maiores & minores, vtriusque generis semen colligebat anno 1604. cuius me participem faciebat illo ipso anno, & ipse serebat: ego similiter quæ communicauerat, terræ committebam, vtriusque generis seorsim: ille aliquot plantas habuit, quæ tertio anno flores tulerunt: ego binas habui: sed vterque pro albis floribus, quos expectabamus, cæruleos nacti sumus.

CROCVM PYRENÆVM AVTVMNALE.

Eadem pag. 208, *ante sectionem* ALTERVM, *adde de Croco Pyrenæo, ex Altera Appendice.*
Pag. 210 *lin.* 23. *legendum* bullis argent.

IRIDIS BVLBOSÆ LATIFOLIÆ VARIETAS.

Pag. 211 *ante sectionem* TERTIÆ, quinque aut sex, *&c. addenda ea quæ sequuntur, pro iis quæ in Appendice altera de Iride bulbosa latifolia cæruleo & albo flore annotata fuerant; id est, periodus hæc,* Multos post annos, *&c. itemque illa,* CETERVM ex epistola, *quæ erant in dicta Appendice altera, deleri debent, proq. iis sequentia substituenda:*

MVLTOS post annos eruditissimus vir Ioachimus Venerius me monebat hanc plantam maximâ abundantiâ sponte nasci in Pyrenæis montibus: atque à Christi natiuitate sexcentesimo primo supra millesimum, inter multas myriades illarum quæ cæruleum siue violaceum florem gerunt, vnicam plantam eiusdem generis reperisse quæ florem prorsus niueum haberet: anno autem insequente, quum denuò montes illos conscendisset, venustarum plantarum quæ in eis nascuntur conquirendarum causâ, paucas similes reperisse scribebat; quarum vnam Ioanni Hogelando, alteram mihi mittebat. Quam accipiebam, præter meam expectationem (nam valde vecturâ adflicta) anno MDCIII. binos flores tulit congeneris violaceæ floribus formâ quidem similes, sed niuei prorsus coloris, præter paruam maculam flauam terna repanda folia media inficientem vt in violaceis, & etiam quemadmodum illæ odoris expertes. Mea porrò hunc aërem diu ferre nequiuit, sed periit nullo prolato semine: Hogelandus verò ex sua maturum semen legit, quod terræ credidit; nataeque illi ex eo plantæ: mater tandem etiam paullo post corrupta.

Iris bulbosa latifolia cæruleo flore. *Eadem albo flore.*

CETERVM ex epistola quam idem Venerius ad me dabat illo ipso anno quo niueam mittebat, varias alias Iridum bulbosarũ huius generis plantas ab ipso in Pyrenæis illis montibus obseruatas intelligebam, quarum formam & colorem scripto cõprehenderat, vt ad me mitteret exactam illarum descriptionem: verùm enim verò dum in diuersis illorum montium iugis (quæ pænè sexagena conscendit) perlustrandis occupatus erat, scriptum illud ipsi excidisse & periisse, magno cum suo dolore: se enim non probè meminisse colorum diuersitatem; certò tamen scire, viginti sex generum descriptionem fecisse: nullum tamen genus aut flauo aut rubro flore in illis montibus obseruasse.

Ingens Iridum bulbosarum varietas in Pyrenæis montibus.

ET sanè vera esse quæ Venerius scribebat, rhizotomi Galli, qui in Hollandiam plantas è Pyrenæis erutas venales adferebant, confirmabant: & præsertim summam varietatem nasci aiebant in iugis quæ Narbonensem Galliam ab Hispaniâ Tarraconensi separant: ipso profectò Plantinianus Gassanus, Christophori Plantini è filia nepos, qui supra Tholosam Tectosagum habitat, anno Christi sexcentesimo quinto supra millesimum ex illis iugis erutas plurimas plantas sub extremum Augustum adferebat, flores suos tametsi siccos adhuc retinentes, in quibus conspiciebatur summa colorum varietas, perinde ac in angustifoliis, vel etiam maior: nam quædam planè niueum, præter maculam, habebant florem; aliæ prorsus cineracei coloris, quem secabant violaceæ venæ; nonnullæ albi quidem coloris, sed quarum repanda folia parte infernâ quæ maculam ambit cineraceis venis erant distincta: aliquarum flores terna repanda folia habebant ferè supradictis similia; terna autem surrecta folia vel prorsus saturo violaceo colore erant prædita, vel dilutiore. erant etiam flores

flores quorum repanda folia extremas oras habebant obsoleti coloris, circum verò maculam erant cærulea; terna surrecta folia vel prorsus saturi violacei coloris, vel dilutioris: aliorum flores prorsus violacei saturi, vel remissioris: quidam flores albo & violaceo coloribus varia ratione inter se mixtis constantes: quidam etiam quasi sericeo panno villoso coloris violacei contexti. omnes autem flaua illa macula in medio folio reflexo siue propendente labro insigniti, quam interdum albi radii ambiebant. Illud etiam obseruabam; geminos flores, hoc est binos, in singularum Iridum caulibus natos. Hanc autem adeò insignem varietatem seminio fieri non est dubium, quemadmodum etiam in plerisque aliis plantis quotidie experimur. Certè Hogelandus ex iis plantis quæ ex albæ semine sunt natæ, sex aut septem habuit, quæ MDCVIII florem protulerunt geminum, illum verò non niueum, qualem sperabat, sed totum cæruleum dilutiorem, præter flauam maculam, labrum vt in aliis medium occupantem.

Iris bulbosa rubro aut potius purpurascente flore. Plantinianus porrò vnam plantam obseruasse ferebatur, quæ rubrum haberet florem: eius sanè iconem inter alias aliquot ostendebat. Eam, licet vnica illi esset, biennio pòst Porreto se mittere scribebat, addito etiam illius semine: sed anno millesimo sexcentesimo octauo purpurascentem quidem potiùs quàm cæruleum, non tamen exactè rubrum, protulit florem.

Ipsa autem sectio quæ eadem pag. 211. *incipit* TERTIÆ, *hoc modo immutanda est:*

HACTENVS de Iridibus bulbosa radice præditis quæ latiuscula habent folia egimus; nunc de illis quæ angustiore sunt folio, nobis instituendus est sermo.

Harum autem quæ mihi primùm conspecta & cognita, Primaque dici eam ob causam meruit, quinque aut sex habet folia, *&c.*

Pag. 212. *lin.* 4. *legendum* ALTERA, iam dictæ Primæ per omnia ferè similis, *&c.*
lin. 15. quemadmodum & Primæ, folia
lin. 20. TERTIAM primùm conspexi Lugduni Batauorum
lin. penult. in margine Iris bulbosa IIII.

Pag. 213. *lin.* 5. nigricabat. Huic Quartæ nomen dari posset.
lin. 14. scio. Primam angustifoliam
lin. 16. appellabant. Alteri à floris, *&c.*
lin. 18. vocabant. Tertiæ, quum

Pag. 215. *lin.* 42. *in* XIII. *specie Iridis bulbosæ sic legendum:* capitula trigona oblongiuscula, instar ferè capitum versicoloris latifloræ, quæ tamen primis aliquot annis nullum probum semen tulerunt: successu tandem temporis nonnullæ plantæ ex earum nucleis adquisitæ semen ad maturitatem perduxerunt, è quo terræ commisso natæ plantæ florem matri similem protulerunt; vt existimarem in hoc genere nullam mutationem futuram, præsertim cùm viderem apud alios quibus semen communicaueram (multi enim ob floris elegantiam expetebant) plantas illo semine natas flores matri similes etiam protulisse: at è plantis quæ anno Christi millesimo sexcentesimo tertio mihi natæ semine in peculiari capsa sato, nec ex ea erutæ, vt certius quidpiam obseruare possem, binæ quintum post annum florem dederunt longè à matre diuersum, non formâ quidem & foliorum numero, sed colore: nam tria repanda folia lutei siue flaui coloris fuerunt, aureâ tamen maculâ in medio insignita, terna alata & bifida ligulam flauam tegentia subalbidum colorem habebant; terna verò surrecta & angusta subcæruleum, medium tamen neruum per longitudinem excurrentem exalbidum: odor illius qualis in matre, hoc est perexiguus aut nullus; radix bulbosa vt reliquarum Iridum bulbosarum, pluresque nucleos ad latera generans. *Iridis bulbosæ XIII varietas.*

Floruit primo anno circiter quindecim dies ante illas quæ latifoliæ cæruleum habent florem, aut angustifolias Flauas: interdum etiam flores profert eodem tempore cum aliis, pro aëris temperie aut intemperie.

IRIS MAVRITANICA.

Eadem pag. 215, *ad capitis calcem addenda sequentia, de Iride Mauritanica:*

Iris Mauritanica. At anno Christi sexcentesimo supra millesimum ex Libyæ maritimis adferebat Doctiss. Medicus Augerius Clutius, inter varias plantas quas in ea peregrinatione collegerat, Iridis bulbosæ genus pumilum, cuius paucos bulbos Christianus Porretus habuit; ii sequente anno (licet valdè exigui & extremum minimi digiti articulum magnitudine vix æquantes) flores tulerunt aliis Iridum bulbosarum floribus formâ non valdè dissimiles, in quibus tamen quoddam discrimen appareret.

Tota

Tota autem planta supra cubitalem altitudinem non attollitur: promitque ex illo exili bulbo cubitalem teretem caulem, nodis aliquot distinctum, quem ambiunt terna aut quaterna angusta striataque folia pedalis longitudinis: summo cauli insidet vnus aut alter flos è vaginulis quibusdam prodiens aliarum Iridum bulbosarum instar, sed longè minor, eiusdem tamen propemodum formæ; nam tria repanda folia habet, quibus incumbunt arcuata illa & alata folia ligulam tegentia, eaque parte interiore venis quibusdam nigris in latera vergentibus insignita: tribus illis foliis surrectis quæ in aliarum Iridum bulbosarum floribus conspiciuntur, carens, atque eorum loco tenues & quasi capillares apophyses habet circiter vnciam longas: flos est totus flauus, & serius reliquis iridibus bulbosis expanditur, ferè cum Lusitanica angustifolia cærulea (quæ nunc est Angustifolia Tertia) atque odoris expers: ipse bulbus multis nigricantibus durisque tunicis tectus.

SISYNRICHIVM MAVRITANICVM.

Pag.217, ante sectionem Quo potissimum, *addenda illa quæ de Sisynrichio Mauritanico olim notata in fine capitis de Hyacintho Mauritanico, Appendice prima, nempe illa ferè quæ sequuntur:*

INTER reliquos bulbos, quos è Mauritaniâ acceptos, mihi & aliis communicabant honestissimi viri Willelmus Parduyn, & Ioannes Somer, ciues Medioburgenses in Walachriâ, fuerunt Narcissi (quorum flores iam prætererant) & Sisynrichii maioris genus, quod mihi flores protulit Sisynrichio maiori, quod in Lusitaniâ obseruabam, formâ prorsus similes, non tamen cæruleos, vt illius, sed purpurei dilutioris coloris, valdè etiam fugaces & ephemeros, quorum terna maiora folia inflexa & terram spectantia, albâ maculâ erant insignita. *Sisynrichium Mauritanicum.*

Allati autem erant isti bulbi ex eâ Mauritaniæ parte in quâ Feza & Maroco vrbes sitæ, initio anni nonagesimi noni supra millesimum & quingentesimum.

*Pag.*218. *lin.*11. *legendum* Elizabethæ Austriadis, Galliæ reginæ, *&c.*
*Pag.*220. *lin.* 14 sint discreta
lin. 28 purpurâ.
Pag. 221 *lin.* 54. ὠχρολεύκη.
Pag. 225 *lin.* 9. radiis distincta sunt
Pag. 228 *lin.* 56 quibusdam Hungariæ.

RANVNCVLVS PYRENÆVS ALBO FLORE.

Pag. 237 ante Caput LIII *de Ranunculo grumosa radice, reponenda est descriptio Ranunculi Pyrenæi albo flore, ex Appendicis alterius Auctario.*

RANVNCVLVS CRETICVS.

Pag. 242 *ante sectionem* Et hæc quidem, *Ranunculi Cretici historia est inserenda, quæ est in altera Appendice, hoc titulo:* Ranunculus Creticus grumosa radice, flore niueo.

Huic deinde addenda est descriptio Ranunculi Asiatici grumosa radice, flauo vario flore, à Caccino; quæ est talis:

RANVNCVLVS GRVMOSA RADICE, FL. V. FLORE, *à Caccino.*

CVM Tulipa illa Persica, cuius antè historiam dabam, grumosam radicem cuiusdam Ranunculi rari admodùm, nec adhuc à quopiam descripti accipiebam ab eodem N. V. cui etiam floris iconem suis coloribus expressam addiderat, ne similem reperiri dubitarem, tametsi negligentiùs à pictore expressam esse conquereretur, & propter temporis angustiam non potuisse magis perfectam mitti: ex notis tamen quas adscripserat, atque foliis quæ mea planta binis sequentibus annis tulit, ipsam iconem emendandam, atque in lignea tabella delineandam curabam, vt sculpta lectoris oculis subiici posset: mea enim planta nullum adhuc florem dedit. *Ranunculus Asiaticus grumosa radice, flauo vario flore.*

Ranunculus Asiaticus grumosa radice, flore flauo rubris venis distincto.

Ex radice igitur multis grumis constante, qualis est Ranunculi Tripolitani flore rubro, prodibant initio terna aut quaterna folia longis pediculis innixa, per oras incisa & in tres lacinias diuisa, quemadmodum in Tripolitano, dilutius tamen aliquantulum virentia: inter quæ exiliebat cauliculus satis firmus, foliis in tenuiores & frequentiores lacinias diuisis præditus, præsertim iis quæ summum cauliculum ambiunt: summo verò cauli insidebat flos satis amplus, nouem foliorum simplici serie constans, orbiculato mucrone sese mutuò arctè contingentium & veluti scandentium, flaui ad viriditatem vergentis coloris, quæ rubellis siue purpureis venis virgatim sunt distincta: medium florem occupari scribebat capitulo, quali in Tripolitano, eoque multis staminibus purpurascetibus cincto. an verò magis frugiferum sit quàm Tripolitani, me latet: sed quandoquidem eius radix aliis propaginibus grumosis augetur, bulbilli adnati seminis vicem supplent. Eodem autem tempore florere arbitror quo Tripolitanus, licet nihil adscriptum esset, & folia eius plantæ quam habeo, præcociùs contabuerint quàm Tripolitani.



Eadem pag. 242 *lin.* 46 *dele* munere.
Pag. 245. *lin.* 48 *lege* Vienna.
Pag. 251. *lin.* 18 fuit is annus
Pag. 252. *lin.* 6. florem protulit anno MDC.
Pag. 254. *ante sectionem* ABSOLVTA, *addenda sunt sequentia, de variis speciebus Anemonarum latifoliarum:*

ANEMONES LATIFOLIÆ VARIETAS.

Anemones latifoliæ simplici flore variæ species.

HABVIT porrò Ioan. Hoghelandus anno Christi MDCVII Anemonarum latiore folio plantas semine natas, quæ eo anno primos suos flores protulerunt, in quibus summa varietas conspiciebatur; inter quas circiter quinquaginta, quarum flores omnis ferè generis coloris duplicata atque etiam triplicata foliorum serie constantes, vt ad me scribebat, & vt conspectum irem inuitabat; quod sanè libenter fecissem, nisi imbecilles corporis vires vspiam progredi prohibuissent. Verùm, ne tam amœno spectaculo prorsus priuarer, is viginti ex selectioribus ad me mittebat colorum varietate discretos, duplici & triplici foliorum ordine constantes, vt in nonnullis triginta, quadraginta, vel etiam plura numerauerim, & illa quidem angustiora iis quæ in octo foliis dumtaxat constantibus conspici solent: color autem erat vel exalbidus, vel suave-rubens, vel carneus, vel ruber, vel coccineus, vel sanguineus, vel violaceus satur aut dilutus: foliorum vngues vel albi maiores & minores, vel flauescentes, vel nulli: media capita vmbilicum occupantia, aut cineracei coloris, aut fusci, aut nigri: stamina illa ambientia vel cærulea, vel subcærulea: aperiebantur autem ii flores Iunio. Sequente verò mense alios etiam mittebat, in quorum colore non minor varietas: ex his nonnulli octo dumtaxat foliis latiusculis constabant elegantissimi coloris, vt ex serico villoso panno kermesini coloris conflati esse viderentur, & eorum vngues albi, oræ etiam albicantes, caput medium fuscum, stamina ambien tia nigra, apices ex fusco cærulei, alii nouem, decem, vndecim, duodecim & tredecim folia habebant colore violaceo saturiore prædita, quorum vngues magni albi; vel dilutiore, nullis conspicuis vnguibus, vel purpureo saturo, vel coloris fæcum vini rubri inelegantis, vel initio exalbidi, deinde quodammodo cineracei, cui pro staminibus multa angusta foliola eiusdem coloris medium caput cingebant. vnus etiam octo foliis constans elegantissimi coloris, cui parem videre non memini; nam veluti ex coccineo, sanguineo & kermesino mixtis coloribus

contexta

contexta esse videbantur, eisque valdè splendentibus: vngues satis magni & prorsus niuei, stamina fusca apicibus subcæruleis prædita vmbilicum occupabant. supra quæ capitulum ex violaceo fuscum assurgebat, vicenis aut pluribus angustis foliolis cinctum, eiusdem cum maioribus foliis coloris: breuiter, omnes inter se dissimiles erant; nec binos conspiciebam eiusdem coloris.

Sed etiam extremo Iulio flores habuit, quorum vnus 8 foliis exalbidis constabat, & iis quidem suave-rubentibus venis radiatim distinctis, vnguibus autem paruis albicantibus, stamina cum apicibus fusca. alter vndecim aut duodecim præditus erat foliis vario colore radiatim diuisis purpureo saturo, diluti oreque & exalbido, vnguibus ex albo flauescentibus; medium caput fuscum cingebant stamina subcærulea. tertius ex eadem planta quæ cineracei coloris illum foliola angusta pro staminibus habentem tulit, natus, valdè elegans erat: nam viginti latiusculis foliis constabat ex albo cineraceis: stamina erant breuia, ex cineraceo violacea, inter quæ nata innumera alia angusta foliola ex cineraceo violacei coloris caput fuscum cingentia, vt meritò pleni nomen sibi vendicare posset: an verò ea planta similes anno proximo flores sit datura, tempus docebit.

Breuiter, Latifoliarum Anemonum semine deciduo sponte nascuntur singulis annis plantæ, in quarum floribus conspicitur tanta colorum varietas, vt verbis exprimere sit valdè difficile; variante etiam mirum in modum foliorum quibus constant numero, tum vnguium illorum colore: nam hoc anno MDCVIII habuit idem Hogelandus flores duplici, triplici, quadruplici, quintuplici foliorum serie constantes, atq. etiam pleniores, vt triginta, quadraginta, quinquaginta, sexaginta, & plura vel etiam centum folia in vno flore numerare meminerim; an verò eædem plantæ flores adeò plenos proximo anno sint prolaturæ, dies indicabit: fit enim interdum vt plantæ semine natæ quæ florem valdè plenum protulerunt mutentur, & insequente anno dumtaxat illum habeant simplici octo, decem, aut duodecim foliorum serie constantem.

Pag. 257. *lin.* 9 qui purpureis venis
lin. 16. ex radice promebat
lin. 18. quæ exurgebat palmaris
lin. 19. sidebat flos maior
lin. 21. eiusdem ferè erant coloris
lin. 22. adhærebant quodammodo
lin. 23. abiit.

ANEMONES TENVIFOLIÆ FLORE SIMPLICI VARIETAS.

Pag. 260, *ante sectionem* Hæc sunt, *addenda sequentia:*

Haud dissimilia folia & radicem habebat XXI genus Anemones tenuifoliæ, eandemque floris formam habebat, sed eius color planè ab aliis diuersus: nam ex cineraceo siue furuo albicans erat, & tenui rubedine veluti perfusus, qualis ferè pannus est quo Franciscani monachi & Capuccini amiciuntur, Galli *enfumé* quasi fumo tinctum, Belgæ *Monichgrau* appellant. *Postq. hæc ipsa verba, ante dictam periodum* Hæc sunt, *&c. fieri etiam posset mentio sequentium specierum Anemones tenuiore folio, his vel similibus verbis:* *Anem. hort. tenuifol. XXI. simpl. flore.*

Inter has porrò species Anemones tenuiore folio, duæ sunt rariores, quas in horto suo alere se, litteris suis mihi significauit Illustr. vir Matthæus Caccini, nobilis Florentinus: Quarum prior florem fert Album, purpureis venis radiatim distinctum: Altera verò species album etiam fert florem; sed cuius vngues sunt purpurei. *Anemones tenuifoliæ, simplici albo flore, varietas.*

ANEMONE LATIFOLIA PLENO FLORE, *Caccini.*

Pag. 262, *ante periodum* CETERVM Alterius, *&c. addi possunt sequentia verba:*

Idem Nob. Vir Matthæus Caccini Anemones latifoliæ speciem alit, vt ex eius litteris Florentiâ missis intellexi, cuius flos duplex est, sed longè amplior quàm Pauo maior vulgo dicta: cuius quidem radicem anno 1607 ad me misit; sed ita afflictam accipiebam, vt florem nondum videre licuerit. *Anemone latifolia pleno flore, Caccini.*

Pag. 263 *lin.* 41. *legendum* Iacobo de Caudenhouen.

Eadem pag. ante sectionem Quodsi, *id est, post Anemon. tenuifol. sanguineo pleno flore, inserenda est descriptio Anemones tenuifoliæ pleno purpureo flore, Caccini; & alterius pleno flore suaue rubente: quæ sunt tales:*

ANEMONE TENVIFOLIA PLENO PVRPVREO FLORE, *Caccini*; *& altera tenuifolia pleno flore suaue-rubente, eiusdem Caccini.*

QVANTA fiat colorum varietas in Anemonibus semine natis, quotidie experimur: vix enim quispiam enarrare queat colorum varietatem, quæ in illarum floribus conspicitur, præsertim plantarum quæ latifoliarum semine prognatæ sunt, quemadmodum paullo antè scripto comprehendere conati sumus. In tenuifoliarum semine natis longè minor fit varietas, sed est tamen etiam aliqua mutatio: nam præter eas quæ florem habent simplici foliorum serie constantem, eúmque aut coccinei, aut kermesini, si ita appellare fas est, aut sanguinei, aut violacei, aut albi, aut cineracei quodammodo & obsoleti coloris (variantibus etiam earum vnguibus) reperiri certum est etiam albo flore rubris venis distincto constantes, & albas purpureis vnguibus præditas, quarum flores inter chartas repositos anno Christi M.DC.VII. atque etiam radices, sed prorsus aridas & in pollinem attritas, ab Illustri viro Matthæo Caccini Florentino, qui anno præcedente me monuerat etiam tenuifolias reperiri pleno flore præditas, qualis est illa quæ coccineum aut sanguineum eum habet, sed alterius & diuersi ab ea coloris; earumque binas se habere plantas, quarum vna purpureo-cæruleum florem proferret, cuius etiam iconem viuis coloribus expressam ad me mittebat, altera verò eum haberet suave-rubentis & nitidi coloris, cuius etiam iconem misisset, nisi ipsa planta vitium contraxisset, eamque ob causam illo anno florem non protulisset. Cùm itaque neminem eorum qui de Plantis scripserunt istarũ mentionem facere comperiam, rem non ingratam me facturum putaui, si illius cuius exemplum suis coloribus depictum ad me misit Nob. ille vir, in tabella sculpendum curarem, quæ hoc loco adponeretur, adscriptis Plantæ ipsius notis quas iconi adiunxerat: nam cùm plantam non viderim, nihil de illa pronunciare possum, nisi quod ab alio didici; tametsi biennio post & huius, & alterius quæ suauiter rubet, florem inter chartas repositum Maio mense acceperim, vt similes reperiri non dubitarem.

Anemone tenuifolia pleno purpuro-cæruleo seu tanneto flore, Caccini.

Anemone tenuifolia pleno flore ex atro purpurascente.



SCRIBEBAT porrò ad me Illustris ille vir, qui vnicam huius Anemonidis plantam habebat, his verbis. Mitto tibi iconem Anemonidis tenuifoliæ violaceo siue purpuro-cæruleo flore pleno, quam Constantinopoli accepi: huius flos cùm emergere incipit, violacei prorsus est coloris, sed vt expandi incipit, sensim colorem in icone expressum contrahit, vel aliquantulum dilutiorem: eius folia & radix, nec à foliis nec à radice tenuifoliæ pleno flore vulgaris & omnibus notæ differunt. Hæc ille: sed quantum ex icone colligere licet, flos tredecim latioribus foliis exterioribus constat; reliqua quæ ab illis ambiuntur latiuscula etiam sunt, & non adeò tenuia, vt quæ in vulgari plena conspiciuntur.

Additum erat in epistola, se paucis antè diebus Constantinopoli accepisse pro valdè raris plantis binas Anemonidis radices, cum hac inscriptione, Anemone Chalcedonica *Cacumeni Mergi* & *Cacumeni Maringi*; sed illarum florem nondum vidisse: sed nec qualia proferrent folia significabat.

Præterea in alia quadam epistola scribebat se Constantinopoli etiam pro planta rara accepisse Anemonidis latifoliæ genus coccineo flore duplo vel etiam triplo densiore & pleniore quàm illud sit illius genus, cuius iconem in Historiæ Plantarum lib. II. exhibeo, ab Herbariis vulgo Pauo maior appellatum; alioqui eiusdem coloris & formæ; cuius etiam

radicem

radicem anno Christi millesimo sexcentesimo septimo mittebat; sed asperrima subsequens hiems corrupit cum selectissimis quibusdam aliis quas adiunxerat plantis: significabat autem eum florem carere capitulo illo nigro aliorum florum vmbilicum occupare solito.

Pag. 265 *lin.* 14. *legendum* viderentur

eadem pag. lin. 16 *legendum* cœpit, atque etiam è Pictonibus. Sed & ex Italia multos rhizotomi quidam adferre soliti.

CYCLAMINI FOLIO HEDERÆ MAGNA VARIETAS.

Post quæ verba, eadem pagina, nempe ante sectionem HABVI etiam, *addenda de Cyclamini folio Hederæ magna varietate, ex Altera Appendice.*

CYCLAMINVS VERNVS ALBO FLORE.

Pag. 266. *ad finem capitis de Cyclamino adde descriptionem Cyclamini verni albo flore, ex Appendicis alterius Auctario: sed illius descriptionis vltimis verbis, nempe post periodum* Sub extremum illum, *adde sequentia:*

Ex iis porrò quas à Venerio accipiebam plantis, quasq. à rhizotomis Gallis illo & sequentibus annis redimebam, anno Christi millesimo sexcentesimo sexto & sequente nonnullæ sub extremum Aprilem & ineunte Maio binos aut tres flores proferre cœperũt, sed longè minores quàm in vllo Cyclamini genere, eiusdem tamen formæ cum illo qui rubellum fert florem, eumq. odoratum, sed niuei prorsus candoris, suauiterque vt ille spirantes, quinq. angustis laciniis sursum reflexis constantes: quibus deciduis tenelli cauliculi siue petioli subrubentes, qui eos sustinebant, sese contrahebant & in orbiculos conuoluebant alterius Cyclamini instar, atque in summa tellure procumbebant cum sua theca qua semen continebatur: plantæ folia maiora sescunciam longa, tantundem circa pediculum lata, angustiora tamen circa mucronem, per oras aliquantulum angulosa, pronâ parte quinque crassiusculis neruis prædita, & omnino rubescentia, supinâ verò viridia sed frequentibus maculis albis aspersa, quorum pediculi circa summum crassiusculi, & subrubentes qua parte extra terram extãt, sub terra autẽ candicant & paulatim exiliores fiunt ad exortum vsque, quemadmodum etiam florum pediculi, vt ex adiecta icone videre licet, quam ex viua planta delineari curabam. at rigidissima hiems, quæ anni 1608 initio subsequuta, omnes penè plantas, vt & alias plerasque selectiores, corrupit.

Cyclaminus vernus albo flore.



Cyclaminus vernus albo flore.

PLANTA PRO CYCLAMINO SPVRIO MISSA.

Post quæ verba addenda est & descriptio plantæ cuiusdam pro Cyclamino verno spurio missæ, ex eiusdem Appendicis alterius Auctario.

Pag. 267 *lin.* 8. *legendum* qua etiam appellatione.

PHALANGIVM ALLOBROGICVM.

Pag. 271 *ante caput* LXIII *reponenda est descriptio Phalangii Allobrogici, ex Appendice altera: eiusque historiæ calci adde sequentia verba:*

Huic non valdè dissimilem plantam postea ad me mittebat Argentorato amplis. & doctiss. Vir Fridericus Mayerus, eius vrbis Armamentario Præfectus; cuius tamen folia huius

Phalangio Allobrogico congener.

huius foliis essent angustiora, & flores paullo minores. Sed etiam in Pyrenæis montibus crescere similem plantam postea intelleximus à Venerio, qui illam istic legisset, & à Richæo Professore botanico Mompeliensi Liliaphodelū albo flore nuncupari scribebat; & rhizotomi Galli similes plantas in Pyrenæis erutas ad nos inferre cœperunt: atque Ioannes Hoghelandus plantam habuit florentem anno Christi millesimo sexcentesimo octauo (à quo acceperit ignoro) cuius folia longè ampliora, longiora & crassiora quàm meæ, caulis etiam multo procerior, qui & flores longiore spatio ab inuicem distantes proferret. itaque non modò Allobrogicum Phalangium appellanda erit hæc planta, sed montanum: & mihi omnino persuadeo fuisse notam Valerio Cordo, atque ab ipso Liliaginem vocari.

Phalangium montanum.

Liliago Valerii Cordi.

Pag. 275 in titulo iconis, pro Veratrum nigrum II. Dodon. *reponenda fuerat Veratri nigri* III *figura*, Plinii Consiligo.

Pag. eâdem, lin. 11 *scribendum* re solet: interdum tamen à radicis latere noua germina producit.

CAROLI CLVSII
ATREBATIS
RARIORVM PLANTARVM HISTORIÆ
LIBRO TERTIO
hæc addenda vel immutanda.

Pag. 291 *lin.* 28. *legendum* PRIOREM & Octauam Salmant.

GALASTIVIDA.

Pag. 300 ad capitis finem adde ea quæ de Galastiuida scribuntur in Appendice alterâ.

AVRICVLÆ VRSI VARIETAS.

Pag. 304 *ante sectionem* MINOR *repone ea quæ sequuntur*:

Huic valdè similem ad Batauos adferebat Franciscus rhizotomus Gallus, è Pyrenæis montibus erutam, anno Christi sexcentesimo quarto supra millesimum: certè illius folia non erant dissimilia: sed triennio post dumtaxat florem protulit mihi, & Hoghelando, breui quidem pediculo subnixum, eiusdem prorsus coloris cum Quintæ siue Landgrauianæ flore. Christianus etiam Porretus tres aut quatuor plantas habuit, quæ in extremo sescuncialis cauliculi capite ternos aut quaternos flores semuncialibus petiolis inhærentes protulerunt: & anno sequente mea planta auctior facta cauliculos protulit firmos triuncialis longitudinis, summo fastigio sustinentes septem aut octo flores semuncialibus petiolis præditos; vt dubitare nequeam quin illud ipsum genus sit Quinto loco descriptum: copiosum autem habuit semen in vasculis Secundæ vasculis similibus.

Eâdem pag. 304. *ad finem sectionis* MINOR, *adde*:

Similem aliquot post annos Lugduni Batauorum accipiebam à Iacobo Plateau, cum hac inscriptione Auricula Vrsi albo flore: sed ea demum florem proferre cœpit anno sexcentesimo septimo & octauo supra millesimum in triunciali graciliqué cauliculo, & eum quidem non album, sed veriùs ὠχρόλευκον, qui tandem senescens quandam albedinem contrahit.

Auricula Vrsi pallido flore.

His subnecte historiam septimæ Auriculæ Vrsi, hoc modo:

Auricula Vrsi VII.


SEPTIMÆ folia iis erant similia quæ primum genus flauos gestans flores, habet: præsertim his quæ candicant, & veluti farinâ quadam sunt aspersa, minùs tamen ampla: caulis dodrantalis, tamquam farinâ etiam aspersus, summo fastigio multos flores in quinque lacinias diuisos sustinet, quarum singulæ in extremo crenâ sunt præditæ, instar florum flauæ, paulo

paulo tamen minores, colorisque exalbidi carneo perfusi: odorem habet Primæ.

In Batauiam, vbi conspiciebam, ex Angliâ primum allatum esse intelligebam hoc genus: an verò sponte istic nascatur an aliunde illatum, me latet.

OCTAVA crassiusculâ, &c.

Deinde in contextu, pro SEPTIMA crassiusculâ rad. *scribendum* OCTAVA crassiusc. *&c. Hæc enim est descriptio Octauæ speciei Auriculæ Vrsi: cui addenda (nempe post finem sectionis* Crescit, *&c.) descriptio similis cuiusdam plantæ, cum icone ex siccâ plantâ P. Gregorii delineatâ, quæ est talis*:



Auricula Vrsi octaua.

Auricula Vrsi VIII.

Similem huic Octauæ etiam nasci, (sed breuioribus foliis) in Tyrolensibus Alpibus, postea intelligebam: nam inter siccas plantas, quas R. P. Gregorius da Reggio à se lectas Oeniponte ad me mittebat sub extremum Augustum anni 1608, hæc etiam erat: reposita nimirum inter chartas, cum aliis Alpinis plantis, è Tyrolensibus istis montibus erutis ab illo Reuerendo Patre, professione Capuccino: ex quibus obseruabam plerasque plantas in iis montibus nasci, quas in Pannonicis & Stiriacis antè legeram. Cumque huius Auriculæ plantæ (cui in posterum Octauæ locum dabimus) satis integram iconem acceperim, illam in tabellâ exprimendam curabamus, vt inter alias locum haberet.

Deinde statim subiicienda Nona Auricula Vrsi, cuius historia petenda ex Auctario alterius Appendicis, & ibidem Auricula Vrsi IX *in margine est notanda.*

Postremò sequetur Decima Auricula Vrsi, quæ omnium minima, & in contextu Octauum locum occupabat. Itaque in contextu quædam vocabula erunt immutanda, nempe pag. 305. *lin.* 8. *pro his verbis* OCTAVÆ folia, *&c. scribendum erit* DECIMÆ folia vnguem, *&c. & in margine notanda* Auricula Vrsi X. *Itaque titulus iconis istius minimæ Auriculæ Vrsi speciei, pro* Auricula Vrsi VIII minima, *immutandus est in* Auricula Vrsi X minima.

Eadem pag. 305 *lin.* 34. *scribe*: Sextum, septimum & octauum, primus omnium, *&c. lin.* 59 *scribe* nuncupatur: octaua apud Stiriæ

CORTVSA.

Pag. 307 *ad calcem capitis* X *de Cortusa adde quæ sequuntur*:

Et certè, postquam ad Batauos veni, Cortusæ plantas in hortis eorum qui elegantes flores in deliciis habent, satis copiosè nascentes conspexi; sed nullas obseruaui, quæ flores gestarent surrectos & cælum spectantes, vt Cortusus de sua asserit, sed nolarum instar pendulos & deorsum spectantes, quales esse meæ Saniculæ montanæ flores scripsi.

VIOLA MONTANA PVMILA.

Pag. 310 *ad finem capitis* XIII *de Viola montana adde sequentia*:

Gulielmus Boëlius in Hispania obseruauit Violam montanam quandam valdè pumilam, adeò vt binas vncias altitudine vix superaret. Satis crassâ radice constabat: cuius foliis angustiora videre non memini. nam quascunque alias videre mihi contigit, orbiculata folia habebant; huius verò vt rorismarini coronarii angusta erant, & vnciam dumtaxat longa: flos inter folia exili pediculo insidens, niueus, inodorus.

Pag. 311 *ad calcem capitis* XIV *adpone ex altera Appendice, sequentia verba*: Istam plantam in Pyrenæis montibus etiam nasci, mihi relatum est: quemadmodum & Gentianarum varia genera.

Pag. 312 *In margine pro* Gentiana secunda Asclepiadis flore, *scribendum est* Gentiana secunda Asclepiadis folio.

Pag. 355 *lin.* 6. *legendum* Serpyllum.

CAROLI CLVSII ATREBATIS RARIORVM PLANTARVM HISTORIÆ LIBRO QVARTO

hæc addenda vel immutanda.

Pag. VI. *lin.* 4. Blau Rukartzu.
Pag. IX. *lin.* 4. eius descriptioni.

STOEBE PEREGRINA.

Pag. X. *nempe capiti* IV. *Libri* IV. *attexenda est Stœbe peregrina, ex Appendicis alterius Auctario.*

PTARMICÆ AVSTRIACÆ SPECIES.

Pag. XII. *post sectionem* Sibi autem, *&c. addendum Ptarmicæ Austriacæ id quod sequitur, de Planta Clutio semine natâ.*

Huic non valdè dissimilis planta, sed longè pluribus ramis gracilibus & firmis prædita, nata est Amsteldami D. Augerio Clutio, anno sexcentesimo octauo, semine ex Hispania relato præcedente anno. etenim longa angustaque habebat folia instar foliorum oleæ, sed molliorum, non minùs tamen candicantium. singuli ramuli summi desinunt in capitulum squamatum veluti Austriaca Ptarmica, aut Cyanus: quod tandem sese in florem explicat sex foliolis duris, siccis, & mucronatis, perinde ac Austriaca, sed breuioribus & minùs elegantis dilutiorisque coloris; medium florem occupantibus multis villosis staminibus: tota planta manibus tractata non ingratum spirat odorem: florebat Augusto.

CONYZA MINOR BÆTICA.

Pag. XXI. *post calcem capitis* IX *de Conyza, adde sequentia*:

Conyza minor Bætica. Conyza minor, quam in Gallia Narbonensi siue Septimania, tum etiam Salmanticensi agro Castellæ veteris obseruabam, licet valde odorata sit; tamen illam quæ in Bæticâ nascitur, longè odoratiorem esse intelligo, licet forma non sit dissimilis, vt ex planta sicca quæ mihi conspecta (monstrante Guil. Boëlio) coniecturam facere queo. De odore enim, qui prorsus euanuerat, nihil pronunciare possum.

Pag. XXV. *ante sectionem* Nata forsitan, *&c. adde quæ sequuntur*:

Aliquot tamen postea plantas è suæ ramis telluri commissis adquirebat; quas amicis communicabat: apud quos Lugduni Batauorum non semel vidi singulis annis nouos flores proferentes, sed non frugiferos, quoniam nimiùm serotini.

Pag. XXV. *lin.* 7. ramos diuaricata,

BAMIA ÆTHIOPICA, SILIQVA DECAGONA.

Pag. XXVII. *post lineam* 16, *ante Sectionem* Huius etiam, *interserere ex Altera Appendice, quæ de Bamia Æthiopica siliquâ decagonâ tractantur.*

Pag. XXXI. *lin. vltimâ, post verbum* conueniunt; *adde* Huius radici in picturâ fibræ addi debuerant, quas pictor neglexit.

STACHYS SPINOSA.

Pag. XXXIIII. *ante Cap. de Alysso Galeni, Caput de Stachyde Spinosa inserendum, ex Appendice primâ.*

PARIETARIA MONTANA.

Pag. XLV. *calci capitis* XXVIII. *adtexe sequentia, de Parietaria montana*:

VALDE elegans etiam erat ea planta, quæ à nonnullis Parietaria montana appellatur, è Bæticâ relata, pedalis longitudinis caule prædita, quadrangulo, & tenui mollique lanugine tecto, in aliquot ramos secundum radicem (quam non perennem sed annuam vti aliarum, esse arbitror) diuiso, quos per interualla, ex aduerso semper nascentia ambiunt folia oblongiuscula & angusta, per oras serrata, perinde ferè vt Stœchados serratæ folia. Summum ramorum fastigium in oblongiusculam squammatam mollique tomento constantem spicam desinit: è qua flores elegantes oblongi prodeunt, formâ quidem aliorum floribus similes, & in latus propendentes. *Parietaria montana.*

VALERIANA ALPINA.

Pag. LVI. *post descriptionem Valerianæ saxatilis* II. *ante Sectionem* DE Valerianis, &c. *adde sequentia verba*: Valerianam Alpinam II. siue Saxatilem in Tyrolensis Comitatus montibus etiam crescere didici ex siccâ plantâ, quam P. Gregorius de Regio anno 1608 istîc eruerat, quemadmodum & Sedum minus IX & X à me in Plant. Hist. lib IV. exhibita.

Pag. LXIV. *lin.* 17. semen in illis siliquulis.

PISTOLOCHIA ALTERA SEMPER VIRENS.

Pag. LXXII, *ante sectionem* NOVVM autem, *inserenda est Pistolochia altera semper virens, cum icone a Iacobo Plateau missâ, ex Appendice Primâ.*

LIMONIVM RAVWOLFIANVM.

Pag. LXXXII *ad calcem Libri* IV *Limonii Rauwolfiani historia cum icone reponenda, & peculiari cap. insignienda, quæ est talis*:



Limonium Rauwolfii, seu peregrinum.

Limonium peregrinum, seu Rauwolfii.

PEREGRINA illa planta, quam D. Augerius Clutius è Numidia redux in Malacensi Bæticæ portu nascentem obseruabat; cuiúsque semen lectum apud Batauos communicabat, & ipsemet Amsterodami serebat, quod natum est, illiusque plantam florentem mihi mittebat; nata etiam est in horto Academico Leidano, vbi toto Augusto floruit, & Septembri. Ea autem non absimilis mihi visa est illi, quam Cl. V. Leonardus Rauwolfius apud Iopen obseruabat, & Limonii genus esse censebat sui Itinerarii Lib. III. cap. II. imò illam ipsam esse asserere non dubitauerim, adeò conueniunt omnes notæ quas ille suo Limonio tribuit. Quia autem elegans & non vulgaris est planta, nec à quopiam præterquam à Rauwolfio, quod equidem sciam, descripta: rem non ingratam me facturum sum arbitratus, si paullo pleniorem eius historiam cum plantæ icone in medium proferrem.

MVLTA ab eadem radice producebat hæc planta folia, palmum aut amplius longa, binas vncias lata, crebrisque profundioribus incisuris diuisa, vt quodammodo aspleni folia imitarentur, subhirsuta, crassiusculo neruo prædita, adstringentis saporis, humi in orbem fusa, inter quæ excrescebant aliquot cubitalis longitudinis aut ampliores caules, firmiores, satisq. asperi, & quodammodo alati, vt spinæ solstitialis caules, per interualla alternatim

tribus angustis triangulisque foliis tres vncias longis, & iis quidem rudibus etiam & asperis cincti: desinebant autem illi summo fastigio in multos ramulos similiter alatos, sustinentes frequentia capitella, è quorum singulis simul coniuncti emergebant terni, quaterni, interdum etiam quini aut seni flosculi concaui, vnico folio membranaceo constantes tamquam parui calices, per oras striati & fimbriati, coloris cærulei dilutioris sed immarcescibilis, è quorum vmbilico in nonnullis exilientem conspiciebam alium flosculum altiùs assurgentem, quinque foliolis prorsus niueis constantem, & aliquot candida stamina continentem, cuius notæ Rauwolfius in suo Limonio non meminit: semen non obseruaui: radix autem oblonga erat & crassiuscula, à capite ad imum sensim gracilescens, & raris breuibus tenuibusque fibris prædita, fusco cortice tecta; quam ex notis quas in ea obseruabam, perennem esse, coniecturam faciebam.

Similem etiam nasci plerisque locis circa Gades postea intelligebam à Gulielmo Boëlio rhizotomo, qui illam florentem istic obseruauerat & inter siccas quas varii generis attulerat plantas mihi ostendebat.

CAROLI CLVSII ATREBATIS RARIORVM PLANTARVM HISTORIÆ LIBRO QVINTO

hæc addenda vel immutanda.

PAPAVER SPINOSVM.

Pag. XCIII. *cap.* VII. *de Papauere spinoso, initio paginæ quædam immutanda: nempe illa verba* flos sese ostendit, *vsque ad sectionem* Huius plantæ, *planè legenda vt in Appendice Alterâ repetiuntur.*

Pag. XCIV. *lin.* 28. lacertos æmul.

Pag. CV. *lin.* 24. confertim.

PLANTAGINIS ANGVSTIFOLIÆ VARIETAS.

Plantago angustifolia fruticans. *Pag.* CX. *ante periodum* CÆTERVM huic, *adde sequentia*: Plantago angustifolia fruticans, cuius spicæ admodum breues, insuper molles, nascitur ad ripas fluminum in Hispania, vbi eam Gulielmus Boëlius obseruauit.

Plantago angustifol. alia. Altera angustifolia circa Hispalim crescit, cui à radice multa exeunt folia valdè serrata, & quodammodo aculeata: inter quæ dodrantales emergunt pediculi, sustinentes oblongam florum spicam, instar Holostei ferè.

OPHRIS SEV LVNARIÆ SPECIES NOVA.

Pag. CXIX *ante sectionem* Cæterùm Silesii, *adde ex Altera Appendice quæ scribuntur inibi de Lunaria minore ramosa; atque insuper adnotandum*: Lunaria autem quæ non ramosa est, etiam in Tyrolensis Comitatus montibus reperitur: an porrò ramosa istic etiam crescat, me latet.

Ophris. Sed Pater Gregorius Regiensis istic obseruabat pumilum & tenellum quoddam plantæ quam Ophrin vocant genus, cui sanè antè simile conspicere non memini.

Pag. CXXXIV. *lin.* 21. pliora: flores, *deletâ voculâ* sunt.

RVTA MONTANA LEGITIMA.

*Pag.*CXXXVI. *Rutæ montanæ legitimæ icon inserenda, eius quæ inibi exhibetur loco; eaq; ex Altera Appendice petenda: vbi & eius rei mentio fit.*

HIERACIVM PARVVM CRETICVM.

Pag. CXLIII. *ad finem capitis* XXXVII *de Hieracio, adde ex Prima Appendice Hieracium paruum Creticum, cum icone.*

HIERACIVM BÆTICVM.

Eâdem pag. addi & quædam posse de Hieracio Bætico, monuit nos Gulielmus Boëlius idem: sed eius descriptionem nancisci hactenus non potuimus.

CICHORIVM SILVESTRE PVMILVM.

Ab eodem Gulielmo Boëlio in Hispania obseruata est alia Hedypnoidis species, quæ etiam huic capiti XXXVII *subiungi potest; his verbis:*

CICHORIVM siluestre, siue Hedypnois, Gadibus in maritimis nascitur; pumila planta, alioqui tota facie nihil differens à vulgari, nisi quòd per omnia minor sit. Frequens eius vsus apud incolas in acetariis: ciet enim vrinas, & hepar ab obstructionibus liberat, haud minùs quàm vulgaris, cuius vsum olim expertus sum mihi salutarem ex consilio & præscriptione C. V. Gulielmi Rondeletii, cùm apud ipsum viuerem. *Cichorium siluestre, siue Hedypnois.*

CYNARA SILVESTRIS BÆTICA.

*Pag.*CLIV. *capiti* XLIII *de Scolymo Theophrasti subiungi posset sequens Cinaræ siluestris descriptio:*

CYNARA siluestris Bætica è summo radicis capite multa profert multifida eaque spinosa folia, palmum & ampliùs longa, pronâ parte candicantia, supinâ verò viridia: inter quæ caulis assurgit firmus, canescens, cubitalis pænè altitudinis; per quem alternatim sparsa sunt similis formæ folia, sed minora, præsertim circa summum eius fastigium, quod crassiusculum sustinet capitulum, è multis squamis spinosis compactum; è quo flos exilit multis staminulis purpureo-cæruleis constans. *Cynara siluestris.*

Asserebat mihi honestus vir Gulielmus Boëlius, qui in sportulis allatas mihi ostendebat siccas plantas in sua peregrinatione lectas, & nonnullas etiam communicabat, ea capita, dum flori proxima sunt, à rusticis Hispalim inferri, & in foro venalia proponi, quòd istîc non minùs in deliciis sint, quàm satiuæ Cynaræ capita.

CARLINÆ SILVESTRIS ALIA SPECIES.

*Pag.*CLVI *&* CLVII *describo Carlinæ siluestris (quam Theophrasti Acarnam esse autumo) genus, in collibus petrosis circa Salmanticam vrbem obseruatum. Cui addere poteris (nempe post calcem capitis* XLVI.*) sequentem congeneris plantæ descriptionem:*

HVIC elegantiâ non cedit aliud genus à Gulielmo Boëlio inter herbas quas in Hispania legit obseruatum, quod in eius sportulis conspiciebam. *Carlinæ siluestris aliud genus.*

Planta autem erat pedalis altitudinis, radice longa, sed non fibrosa, constans, idcircò, vt existimo, annua non perenni, multa è summo eius capite supra terram habens folia, vnciam, interdum sescunciam aut binas vncias longa, vix semunciam lata, per oras incisa & spinosa, vti illa quæ totum caulem indigesta amplectuntur. Summus caulis desinit in globosum caput, è multis angustissimis foliolis, vtrinque longiusculis spinis armatis constans: è cuius vmbilico exilit flos flauus: is cauliculus circa summum fastigium interdum in binos ramos diuidebatur, qui supra globosum illud caput assurgentes, capitella etiam spinosa proferebant, sed minora. Certè tota plantæ gratia consistit in globosis illis capitellis, quæ reticuli instar quodammodo sunt composita.

In aruis nasci, mihi significabat, cum Eryngio illo pumilo, quod post demessas segetes in aruis obseruabam.

Pag. CLXI. *lin.*48. *corrige,* quod ipse etiam in meo hortulo alere solebam. Secundum, *&c.*

ECHII VARIETAS.

Pag. CLXV. *capitis* L *fini adde sequentem Echii pumili descriptionem.*

Echium flauo flore. In Gulielmi Boëlii sportulis ex Hispania relatis videbam Echii plantulam vix dodrantalem, quam ille Echium flauo flore nuncupat. Echium profectò esse, nemo negare poterat, ita totâ facie respondebat: & interdum flauo flore reperiri, non magis mirum videri debet, quàm albo aut rubro, quæ mihi olim conspecta.

CERINTHES QVINTA SPECIES.

Pag. CLXVIII. *adde ante sectionem,* De huius nomenclaturâ, *quæ in Altera Appendice de Cerinthe Quinta traduntur.*

PYRAMIDALIS.

Pag. CLXXIV. *ante Cap. de Ceri insere cap. de Pyramidali (diuersâ à Campanulâ Pyramidali, cuius mentio fit pag.* CLXXI.) *F. Gregorii de Regio, cum icone: quod erit peculiari numero insigniendum, & subsequentium immutandus.*


Pyramidalis P. Gregorii da-Reggio.

Pyramidalis villosa, saxatilis, latifolia. HANC plantam, cui Reuerendus pater Gregorius de Regio, professione Capuccinus nomen dedit Pyramidalis villosæ saxatilis latifoliæ, ipse non obseruabam, sed eius historiam cum icone viuis colorribus expressa ad me mittebat Placentiâ anno Christi millesimo sexcentesimo septimo, vnà cum Siliquastrorum Disceptatiuncula, & illorum variis iconibus: quoniam autem non vulgaris est notitiæ, & à nemine descriptam reperio, eius historiam, qualem ab ipso accipiebam, sed Latio donatam (nam Italico sermone scripta erat) in hac mea appendice locum habere volui cum aliis plerisque plantis raris & cognitione dignis, à nullo adhuc, quod equidem sciam, in publicum prolatis. Boni consulat Lector, & Patris Gregorii, & meum de re herbaria promouenda propensum studium.

Habet hæc Planta radicem candicantem, perennē, siue plures annos durantem: etenim quasdam crassissimas eruere memini, quæ ob vetustatem nodos vel tubera cōtraxerant supra saxa inter quæ natæ, instar Rhodiæ radicis, vel Campanulæ lactescentis fœtidioris inueteratæ, qualem aliquando in hortis obseruare memini. Ex hac radice prosiliunt interdum plures cauliculi teretes, inæquales & contorti, palmaris longitudinis, vel breuiores aut longiores, pro loci, in quo planta nata, aut vetustatis ipsius ratione, illique molli & candidâ lanugine tecti, singulis pereuntes annis, nouis & recentibus sequente renascentibus, qui summo fastigio multis elegantibus floribus cæruleis spicæ in modum digestis sunt ornati, vt in Trachelio minore: quibus succedunt vascula etiam Trachelio minori similia, minutissimo & vix ob exilitatem conspicuo semine plena, longiuscula tamen potiùs quàm rotunda, coloris ex spadiceo fusci: folia inæqualiter hinc inde sparsa cauliculos ambiunt, ad Pulmonariæ Gallicæ (quæ Hieracii genus) foliorum similitudinem satis accedentia, cùm magnitudine, tùm crenarum in ambitu formâ, atque ipsa etiam candidâ lanugine fermè obsita, pronâ parte præsertim quâ terram spectant. Tota planta lactescit, & ad Sonchi odorem proximè accedit, saporeque est dulci, præsertim radix, vt pænè Rapunculus vulgaris; eamque ob causam nuncupari posset Rapunculus saxatilis montanus Doronici folio, vel, Rapunculus montanus Pulmonariæ Gallorum folio & Trachelii flore.

Nascitur in asperis & saxosis montibus Brixianis, circa specuum oras, inter durissima

saxa,

ſaxa, vt non ſine magno labore radices erui poſſint, licet commodis ad eruendas radices ferreis inſtrumentis ſæpiuſculè tentârim, nonnullas tamen magna cum moleſtia tandem eduxi, quas in hortum transferrem. Illud porrò notatu dignum in hac planta exiſtimaui, me nuſquam illam obſeruaſſe, præterquam locis cauernoſis, in quibus nullæ aliæ plantæ proueniunt: quodque magis mirum, ſæpiùs animaduertere nequiui, quâ ratione humorem, quo aleretur, ſugere, aut cæleſtem rorem excipere poſſet, nullâ præſertim iuxtà apparente terrâ. Verumenimverò, cùm nos mortales Naturæ ſecreta curioſiùs rimari non deceat, vt quæ noſtrum intellectum ſæpiſſimè ſuperent, ſoli Deo, qui omnia nouit, hæc relinquenda ſunt.

CAROLI CLVSII
ATREBATIS
RARIORVM PLANTARVM
HISTORIÆ
LIBRO SEXTO
hæc addenda vel immutanda.

ASCYRVM SVPINVM.

Pag. CLXXXI *ad capitis calcem adde Aſcyri ſupini hiſtoriam, ex Auctario ſecundæ Appendicis.*

ANAGALLIS MONNELLI.

Pag. CLXXXIII. *ad capitis* IV *finem adde Monnelli Anagallidem, cum icone, ex Altera Appendice deſumptam.*

PLANTA HÆMORRHOIDES CVRANS.

Eâdem pag. addenda ad calcem capitis V. *quæ in Altera Appendice de Planta hæmorrhoïdes curante.*

ANTHYLLIS VALENTINA.

Pag. CLXXXVI, *ante periodum* Ἀνθυλλίδα, Anthyllidem, *&c. adde hæc verba:*
Illam tamen aliis Hiſpaniæ locis etiam creſcere, poſtea deprehendi ex herbis ſiccis, quas Gulielmus Boëlius ex Hiſpania redux adferebat: nam prorſus ſimilem habebat, quam Herniariæ ſpeciem eſſe credebat. Sed cùm illam cum Anthyllide Valentina diligentiùs confero, eandem prorſus eſſe, manifeſtò comperio.
Pag. CLXXXIX *lin.* 20 ſoliolis *legendum, non* foliolis.

ANISOMARATHRVM.

Pag. CXCIX *adde ad cap. de Anthriſco finem, ex Altera Appendice, quædam de Aniſomarathro.*
Pag. CC. *lin.* 3. nouemque
Pag. CCI. *lin.* 8. *in titulo* CAVCALIS MAIOR, *dele* MAIOR.

CAVCALIS PVMILA.

Pag. CCII. *capitis de Caucalide fini adde ſequentia:*
EST etiam elegans pumila Caucalidis planta à Gulielmo Boëlio obſeruata, Gadibus in maritimis creſcens, binos aut ternos cauliculos triunciales teretes, & firmos inter folia multifida promens, ſuſtinentes vmbellam florum; quos non vidi, ſed ſemen duntaxat quod illis ſucceſſerat, ſtriatum & aſperum, quale ferè in maiore.

DELPHINII VARIETAS.

*Pag.*CCVII. *extremo cap. de Delphinio adde quæ in Altera Appendice annotata, de Delphinio aruensi, flore versicolore.*

Pag. CCXV, *Icon illa notata* Panicum vulgare, *retrahenda ad cap.* XXXVII.

PANICVM ÆTHIOPICVM.

Pag. CCXVI. *ante sectionem* SED & hîc, *addenda ex Altera Appendice quædam de Panico Æthiopico.*

Eâdem pag. lin. vltimâ, scribe vllius alterius.
Pag. CCXVII. *lin.* II. *legendum* Gallias crescit, ante

GRAMEN AMOVRETTES, ET VARIA ALIA *Graminum genera.*

PAG. CCXVIII. *nempe in fine capitis* XXXVIII, *agendum de Gramine Amourettes ex Hispaniâ relato à Guilielmo Boëlio, & de aliis generibus ab eodem inde relatis.*

Graminis Amourettes varietas. Gramen tremula panicula (*Amourettes tremblantes,*) videbam in sportulis à Gulielmo Boëlio ex Hispania relatis, duorum generum: vnum videlicet panicula longiore & laxiore, colore candicante; alterum verò breuiore, & fusco siue fumigato colore, atque etiam maiore paniculâ, quàm ea quæ vulgata.

Varia prætereà in illis sportulis conspiciebam & elegantia genera, à me vel non obseruata, vel neglecta: quis enim in tanta Graminis varietate (quæ vt plurimum non est magni momenti) describenda bonas horas impendere cuperet? Non possum tamen non meminisse elegantissimi pumili & pede humilioris Cyperi rotundi; & alterius pumilæ plantæ graminaceæ Hordeum distichum adeò perfectè æmulantis, vt legitimum hordeum quispiam asserere possit. *Cyperus rotundus pumilus. Gramen Hordeaceum.*

Pag. CCXIX. *lin.* 17. *legendum* graminacea folia

Pag. CCXX. *lin.* I. *in titulo lege* Spartum herba alterum.

ASTRAGALVS BÆTICVS.

Pag. CCXXXIII. *Astragali Bætici historia corrigenda erit: & diligenter perpendenda sunt sequentia verba, ad elucidationem eiusdem historiæ pertinentia; & tota descriptio immutanda.*

Astragalus Bæticus. Succedunt siliquæ tumentes, binas vncias cum semisse longæ, vnam crassæ; dorso & ventre aliquantulum depressis, extremo mucronatæ; in quibus maturis, si agitentur, semen crepitat, vt anno 1608. deprehendebam ex sicca planta quam Gulielmus Boëlius ex Bætica cum plerisque aliis plantis retulerat; vbi plurima nascitur.

Sed etiam in Creta insula nascitur: nam memini à Cl. V. Honorio Belli semen accipere Phaseoli peregrini appellatione insignitum, quod Lugduni satum anno 1595 creuit, & in plantam satis firmam adoleuit: ad frugem tamen non peruenit.

Pag. CCXLV. *lin.* 18. *legendum* confertim nascuntur,

Pag. CCXLVII *ante sectionem* CETERVM, quoniam, *&c. reponendum Trifolium Fragiferum Dortmanni; cuius hæc est descriptio:*

TRIFOLIVM FRAGIFERVM FRISICVM.

Trifolium Fragiferum Frisicum. TRIFOLII Fragiferi mihi dicti folia, à Trifolii vulgaris albi foliis nihil aut certè parum differunt: sed in floribus & semine est quædam dissimilitudo: illi enim in globulum collecti

collecti perquam exigui sunt, & dilutè rubentes: quibus succedunt vascula rubros acinos tum formâ tum colore referentia, intùs caua: semen fœnogræco minus continentia, quæ in capitulum contracta, fragum aut rubi Idæi rubrum fructum formâ & colore valdè æmulantur, sed maiora sunt.

Est & alia eius species, cuius capitulum ad rubi vulgaris fructus, qui violaceo saturatiore colore præditus est, formam valdè accedit, & decerptum, diutiùs colorem conseruat.

Post reliqua trifolia Iulio floret & capita perficit.

Nascitur in iis campis qui hiberno tempore stagnante aquâ obruuntur, diuersis Frisiæ locis, præsertim in agro Groeningensi.

Trifolium fragiferum.



TRIFOLIVM FALCATVM P. GREGORII RHEGIENSIS, *& aliæ Trifoliorum differentiæ.*

His Trifoliorum generibus addi possent & alia plurima, quæ à diligentissimo Viro Guil. Boëlio in Hispaniâ obseruata & descripta sunt. Sed quoniam eorum descriptionem ab eo nondum accipere contigit, huic capiti vnicum dumtaxat aliud peregrinum genus Trifoliorum attexemus, nempe Trifolium Falcatum P. Gregorii Rhegiensis, cuius historia ex Altera Appendice petenda, & præcedenti Trifolio fragifero non ineptè subiungetur.

HEPATICA TRIFOLIA PLENO FLORE.

Pag. CCXLVIII. *post lin.* 23 *ante cap. de Oxy, adde de Hepatica trifolia pleno flore quæ sequuntur:*
Postquam verò Lugdunum Batauorum me contuli, bis ad me plantulam misit, sed adeò negligenter curatam & pyxidulæ impositam, vt quum ad me peruenirent, prorsus aridæ & corruptæ essent, atque in pollinem resoluerentur; imò etiam si diligenter curata esset, vix salua ad me peruenire potuisset, ob longam qua in itinere hæserat moram.

His deinde subiunge illa quæ in Altera Appendice de eadem Hepatica annotauimus.

MVSCI TERRESTRIS VARIETAS.

Pag. CCXLIX. *cap. de Musco terrestri addi potuissent quæ adnotata plantis siccis P. Gregorii Rhegiensis, & Gulielmi Boëlii. sed & hæc ad manus nostras non peruenerunt: ideoq́ expectandum nobis est, si fortè aliquando ipsorum lucubrationes in lucem prodeant.*


Pag. CCLII. *lin.* 34. *lege* inter tribulum.

Pag. eâdem, ad calcem capitis & libri VI *repone Gladiolum lacustrem Dortmanni, nempe eius descriptionem cum icone: & illa nouo titulo insignienda, scilicet* CAP. XXVI. *hoc modo:*

GLADIOLVS LACVSTRIS. CAP. LXVI.

Gladiolus lacustris, Dortmanni.

PLANTAM, cui Gladioli stagnalis nomen dabat Dortmannus ille pharmacopola Groeningensis, crescere dicebat in stagnis quorum fundus puro sabulo substernitur, nullam alioqui plantam præter hanc alente. Eius folia dodrantalem longitudinem rarò excedunt: crassiuscula & concaua sunt, interstitioque discreta instar siliquarum albæ violæ & similium; viridia alioqui, & dulcis saporis, anatibus vrinantibus gratum pabulum; nam ad aliquot vlnarum altitudinem sub aquâ latent: quam tamen caulis inter illa emergens superare conspicitur, floribus albis onustus Leucoii flore amplioribus, cauâ illâ & infimâ parte, petiolo, à quo dependent, proximâ, subcærulei coloris, formam pænè referentes floris Gladioli, non prorsus tamen similes; quinque foliis constantes, quorum duo superiora ad pediculum reflectuntur; tria reliqua, quæ latiora, propendent. floribus succedunt turbinata vascula, rufo semine plena. Sub extremum Iulium florentem se obseruasse scribebat apud pagum Norch & Westervelde in Drentiâ; nusquam alibi.



Gladiolus stagnalis, aut lacustris.

IN APPENDICE PRIMA

quæ addenda vel immutanda.

QVONIAM, *si quando Rariorum hanc Plantarum Historiam iterum excudi contingat, Appendices omnes suo loco inseri voluit autor; ideò & ea quæ in Appendice primâ immutauit aut auxit, in his* CVRIS POSTERIORIBVS *suo quæque loco annotauimus, id est, in textum ipsum Historiæ Rariorum Plantarum inserenda esse monuimus. Ita vt sedulus lector posthac non tam Appendicem primam emendare, sed per Appendices primam & alteram, eiusq; Auctarium, ac demum per has Curas Posteriores, ipsam plantarum Rariorum historiam immutare aut augere, iuxta desiderium Clariss. Clusii, leuissimo negotio possit.*

Pag. CCLVIII. *lin.* II. Arabici, vel Lilii

Pag. CCLIX *lin.* 12 *post* NONNVLLI *adde* pag. 208.

IN FVNGORVM HISTORIA haec addenda vel immutanda.


Pag. CCLXIII. *lin.* 21. *scribendum* corollas *pro* corallas.
Pag. CCLXXIV *lin.* 36. *leg.* SEPTEMBRI.

FVNGORVM VARIETAS.

Pag. CCLXXVI. *ante periodum* Et hæc quidem, *in* XXI *genere Esculentorum fungorum, adde sequentia verba*: Huius iconem cum reliquis Moreto miseram vt exprimendam curaret; quæ nescio cur neglecta, quod valdè doleo: sed longè magis dolendum, quòd & illius & reliquorum fungorum icones, suis coloribus ad viuum expressæ, quas ipsi miseram, perierint.

Pag. CCLXXXVII, *ante sectionem* Nasci etiam, *adde sequentia*: Hoc etiam Lugduni apud Batauos ligneis tabellis mei hortuli puluinos cingentibus adnasci Autumno obseruabam.

Eadem pag. ante sectionem Semipedalis magnitudinis, *inserenda est icon quæ in Appendicis alterius fine posita fuit, nescio quâ negligentiâ olim prætermissa. Sed post* XXV. *hoc perniciosum Fungorum genus addenda est etiam illa Fungi coralloïdis cancellati historia, cum Icone, quæ est in Alterius Appendicis Auctario, sub finem.*



CAROLI CLVSII ATREBATIS EXOTICORVM LIBRO PRIMO haec immutanda vel addenda.

Pag. 8. *versu* 28. *sic lege*: ad circumferentiam ductis (vt in raphani radice transuersim sectâ conspici potest) magnam gratiam.

Pag. 9. *ad capitis* IX *calcem adde:* Postea intelligebam hunc fructum ex insula S. Michaëlis, Açorum vnâ, relatum, & circa locum, cui *Punta delgada* nomen, lectum.

Pag. 13 *&* 14 *&* 15. *pro* myristica *repone vbique* aromatica.

CARYOPHYLLORVM PLENIOR DESCRIPTIO.

Pag. 15 *&* 16, *capite* XVII *de Caryophyllis, adde ea quæ in Auctario de eisdem Caryophyllis pag.* 376 *&* 377 *tractantur.*


Pag. 17. *lin.* 57. *scribe* considerans.


MAMOERA LVSITANORVM.

Pag. 20. *Libri primi Exoticorum calci attexenda est sequens peregrinæ cuiusdam arboris descriptio, Mamoera Lusitanis dictæ: illique peculiare caput assignari potest. Est autem hæc:*

EST verissimum illud Poëtæ, Non omnis fert omnia tellus. Nullam enim Prouinciam inueniri arbitror, quæ peculiarem aliquam plantam, nec in aliis regionibus nascentem non producat, vt testari possunt, qui peregrinas regiones perlustrârunt, quando ad plantas obseruandas animum applicuerunt. Inter eos certè numerandum censeo honestissimum & huma- *Mamoera Lusitanorum.*

humanissimum virum Ioannem van Vfele, qui ex Americæ ea parte, quæ Bresilia nuncupatur, redux, mihi ostendebat anno Christi sexcentesimo septimo supra millesimum, Librum in quo aliquot plantas & animalia viuis coloribus ipsemet expresserat: nam, vt mihi referebat, cùm in varias regiones peregrinari instituisset, pictoriæ arti operam priùs dedit, quò posset, quæ singularia in iis obseruaret, coloribus exprimere, in rei memoriã, & suam, vbi domum rediisset, delectationem. Inter eas verò, quas in illo libro expressas habebat, binas singulares admodum & admirandæ naturæ conspiciebam, quarum exemplar ab ipso nullâ difficultate impetraui: nam ipse-met post aliquot dies viuis coloribus expressas attulit, & dono mihi dedit, cum Ciuettæ animalis, & Aranei siue phalangii cuiusdam monstrosi iconibus ad viuum expressis, quia illorum exemplar etiam desideraueram, vt in Auctario quod meis lucubrationibus iam in lucem prolatis adiungere habeo in animo, locum etiam haberent. Arborum autem illarum icones cùm à nemine adhuc sint exhibitæ, nec ipsæ arbores descriptæ, eas cum qualicumque historia, qualem videlicet ab Ioanne van Vfele habere potui, lectoris oculis proponere volui.


Mamoera fœmina.


Mamoera mas.

BINÆ porrò illæ arbores, quarum icones hîc adiunctas habes, eiusdem quidem sunt generis, sexu tamen inter se differunt: nam illarum altera, mas videlicet, sterilis est, & flores dumtaxat gerit, nullum fructum; fœmina autem fructum solummodò, nullum florem: adeò tamen inter se amicas eiusque naturæ esse aiunt, vt, si longo interuallo sint seiunctæ, nec fœmina marem vicinum habeat, etiam sterilis fiat, nec fructum ferat; cuius naturæ etiam Palmam esse tradunt.

Ceterùm eius quæ fructum gerit caudicem siue truncum, circiter binos pedes crassum esse intelligebam, & ad nouem pedum altitudinem assurgere, ante quàm fructum ferre incipiat: cùm verò iustam magnitudinem adquisiuit, supernam arboris partem fructu onustam conspici, & ab eo confertim nascente veluti cingi ad nouem etiam pedum altitudinem: fructus rotundus & orbicularis est, exigui peponis magnitudine & formâ; carne præditus, dum maturus est, flauescente, quam incolæ aluum laxandi gratiâ manducare solent: continet autem is fructus plurima grana exigui pisi magnitudine, nigra & splendentia: nullius vt intellexerat vsus, sed quæ vt inutilia abiicerêtur: folia inter fructus prodeunt longis pediculis

pediculis subnixa, quorum forma ad Platani aut Aceris amplissima folia valde accedit.

Quod nomen apud incolas obtineret, ignorabat qui obseruauerat, sed à Lusitanis qui in ea Prouincia habitant, *Mamoera* appellari aiebat; fructum verò *Mamaon*, ab vberum, vt opinor, similitudine, quæ Hispanis *Mamas* & *Tetas* dicuntur.

Inter trunci porrò & foliorum formam maris & fœminæ nulla est differentia: solos autem flores mas profert è longis pediculis dependentes & racematim cohærentes, sambuci florum æmulos, ex albo flauescentes, eosque ad nullam rem vtiles, vt aiebant.

Nascitur vtraque hæc arbor in ea Americæ parte, in qua celebris ille sinus à Lusitanis *Bayi de todos los Sanctos* appellatus, situs est, circiter tredecim gradus distans ab Æquatore versus Antarcticum polum.

EXOTICORVM LIBRO SECVNDO hæc addenda vel immutanda

Pag. 24. ante sectionem ERAT verò *&c. inserenda est figura rami, quem cum aliquot fructibus inhærentibus delineari curaui, & adnectenda sequentia verba, pro iis quæ pag. 358 adnotata initio Auctarii.*

EXOTICI FRVTICIS AVT ARBORIS RAMVS, *cum fructibus squamosis.*

CETERVM anno Christi millesimo sexcentesimo quinto, mense Iulio accipiebat honestissimus vir Christianus Porretus pharmacopola Leydensis, Amsteldamo arboris vel fruticis ramum septem aut octo vncias longum, digitalis crassitudinis, materiâ valdè lentâ & neruosâ cõstantem, perinde ac magnarum illarum nucum Indicarum integumentum, & frequentibus squamis fusci coloris obsitum, è quo vndecim fructus, illi, quem modò descripsi, similes dependebant, & longè plures inhæsisse apparebat ex vestigiis vnde exciderant, aut resecti fuerant: horum maiores, tres vncias cum semisse erant longi, tres in ambitu crassi, omnesq. magis integri quàm ille primus in tabella cap. III. Lib. II. expressus: nam extrema pars in semuncialis longitudinis mucronem desinebat, ex quo manifestè apparebat omnes squamas ab extremo mucrone sursum versus pediculum tendere: splendebant verò omnes, politique erant, & coloris spadicei; atque, si quos villos habuerunt squamæ, detersi erant; eæ autem omnes mediâ parte quasi in sulcum aut lacunam depressæ: singulos autem fructus nucleum continere, sonitus quem agitati edebant, indicio erat. Qualis verò sit illa arbor in qua huiusmodi nascuntur fructus, terrestris-ne an marina, me fugit; quandoquidem nec nautam qui peregrè attulit, nec eum qui à nauta redemit, conuenire mihi licuit: propter elegantiam tamen & raritatem, ramum cum aliquot inhærentibus fructibus in tabella exprimendum curabam, qui descriptioni adiungeretur.

Ramus peregrinus, cum suis strobilis.


BIENNIO autem pòst Emanuel Swerts ciuis Amsteldamensis, cuius in hoc libro aliquoties fit mentio, similis generis binos fructus mihi ostendebat, sed crassiores breuioresque;

que, & obtuso prorsus mucrone, siue fructus extimâ parte; quique ad pleniorem maturitatem peruenisse videbantur, nam squamæ magis tumentes & turgidæ, cordis formam (vt vulgo pingitur) quodammodo exprimentes, & supernâ parte latiores profundioreque sulco siue lacunâ per medium discretæ, infimâ parte & petiolum spectante angustiores, omnes autem adeò arctè connexæ, vt nullum commissuræ vestigium appareret, sed continuo & solido cortice fructus constare videretur, eoque valdè terso & splendente, coloris ex spadiceo fusci. huius fructus longitudo à pediculo ad extimam partem trium vnciarum erat; eius verò ambitus quinque vnciarum cum semisse, & nucleum siue ossiculum continere ex strepitu quem agitatus edebat, deprehendebam.

Sed illo ipso anno Christianus Porretus corollam se redemisse dicebat ex similibus fructibus breuibus obtusoque mucrone præditis conflatam, quam mihi etiam conspiciendam dedit. Constabat verò ea corolla ex vno & quadraginta fructibus funiculo per vtramque extremitatem traiectis, partim maiusculis, partim minoribus: maiusculi sescunciam erant longi, quatuor vnciarum eorum ambitus: minores vnciam longi, ambitus trium vnciarum, omnes autem dilutiore colore præditi & quodammodo flauescentes, vt immaturos lectos fuisse suspicer; alioqui non video quâ ratione ossicula per adeò exilia foramina, per quæ funiculus traiectus, eximi potuissent fructu non corrupto. An porrò eiusmodi fructus plures simul in eodem ramo nascantur, vt modò descripti quorum iconem exhibui, me latet.

Similis verò fructus accuratiùs, vt videtur, delineatam iconem habemus ab Amplissimo & Nob. Viro Nicolao Fabricio, Domino de Peiresc, quam ad Clariss. Clusium missam, paulo post eius mortem accepimus: sed tamen vt hîc locum quem merebatur haberet, sculpi eam curauimus, vnà cum duabus aliis iconibus ab eodem Amplissimo Viro acceptis, quas infrà suo loco posuimus.

Fructus squamosi cap. III. Lib. II. Exoticorum descripti alia icon.



Fructus squamosi alia delineatio.

Scribebat autem Nob. ille Vir, in icone hac delineari se curasse fructum ipsum cum pediculo, aut fibraceis neruis, quibus arbori annectitur: ac deinde fructum ipsum confractum, & nigram substantiam seu pulpam, quæ est inter corticem squamosum & interiorem nucleum: cuius nuclei acuminatior pars proxima est basi ipsius fructus (quod in fructu à Clusio descripto squamæ ad petiolum conuersæ etiam declarare videntur) secus ac in Nucibus Indicis, quarum inferior pars, seu basi propinquior, obtusior est, vt apparet in Icone Nuculæ Indicæ, quam ab eodem Ampliss. Domino de Peiresc habemus, & cap. 26 huius libri inserendam esse, infrà monebimus. Interior porrò nucleus huius fructus, variis venis distinctus, solidus est ac durus, Nuci Fausel non absimilis; quem nucleum simul hîc eadem tabellâ ante oculos poni curauimus.

Pag. 35. lin. 12. legendum angustum coacto

Pag. 49. ad lineam 51 adde in margine Brasilia.

Eadem pag. in margine verba hæc ita rescribe: Fruct. v. Wil. Parduyn, illi similis quem Pona ad me mittebat Veronâ pro Amomo vero. Eius memini & iconem dedi in Auctario ad Exoticorum libros pag. 377.

NVCVLA INDICA SECVNDA.

Pag. 54 Exoticorum, seu cap. 26, post lineam 42, ante periodum TERTIAM quandam, *&c. addi posset sequens Scholiolum, vnà cum icone:*

At

AT anno 1603 allata est ex Guineâ in Galliam spica non dissimilibus præcedenti Nuculæ Indicæ fructibus constans; cuius Iconem Nob. & Ampliss. Vir Nicolaus Fabricius, Dominus de Peiresc, Aquis Sextiis in Galliæ Prouinciâ ad Clusium miserat anno 1609. quæ cùm paullo post mortem Clariss. Clusii ad nos demum perlata fuerit, tamen hoc loco collocanda esse videbatur, vt saltem quis eam cum alterâ icone, simulq; cum descriptione à Clusio factâ conferre posset, præsertim quia varias eius facies repræsentat.

Nucula Indicæ secunda alia icon.



Nucula Indicæ secunda, descripta cap. 26. lib. 2. Exoticorum, accuratior delineatio.

Primùm enim in hac tabellâ videre est spicam ipsam, è diuersis fructibus coagmentatam; eiúsque inuolucrum seu vaginam, vt appellare quis eam posset: deinde Nuculam vnam integram, proprio villoso aut paleaceo cortice tectam: ac demum Nuculam ipsam, nudam, & exteriori illo cortice spoliatam; sub eo enim est durior testa, cohibens interiorem pulpam, seu medullam. Sed exterior ille cortex oleaceum quid emittebat, quod odore suo oleum amygdalinum vtcumque æmulabatur.

Cæterùm arbor, cuius hæc nucula fructus erat, plurimi vsus apud incolas eius regionis esse, memorabatur ab iis qui hos fructus inde retulerunt: nam ex foliis liquorem exprimunt; aut ea in aquâ decoquunt; qui liquor ipsis vini, ceruisiæ ve, aut saltem communis potionis vicem supplet. Ex fructu autem ipso panem conficiunt, suauem, & gustantibus admodùm gratum.

EXOTICORVM
LIBRO TERTIO.

Pag. 72 lineâ vltimâ, ad capitis XVIII *finem, adde*:

ANNO deinde Christi CIↃ. IↃ. CVII. huius Iobi siue corniculi icon mihi missa à doctissimo Ioanne Ponâ pharmacopœo Veronensi, pro effigie fructus Balsami Peruiani.

EXOTICORVM
LIBRO QVINTO.

AVIS PARADISÆÆ GENERA, ET PSITTACORVM HISTORIA, *& Vespertilio ingens.*

Pag. 94. ante Caput de Vespertilione insere historiam seu descriptionem Manucodiatæ seu Auis Paradisææ, ex Auctario: & totam Psittacorum historiam, nempe à pag. 359, vsque ad pag. 366. Atque ita numerus capitum totò libro v immutandus, vt caput de Manucodiata sit primum libri Quinti, secundum de Rege Auium Paradisæarum; tertium de Psittacis; quartum de Vespertilione ingenti (quod nunc est primum Caput libri v.) & sic deinceps.

NVMENIVS INDICVS.

Pag. 96 ante caput de Ourissia siue Tominejo repone Numenium Indicum, ex Auctario, pag. 366. mutato numero Capitum.

SVLA ET SKVA HOIERI.

Pag. 102 *post Mergum maximum, id est, ad calcem capitis* VI, *adde ex Auctario Sulam & Skuam Hoieri, pag.* 367, 368, 369.

CERCOPITHECORVM VARIA GENERA.

Pag. 110, *post Taton, (ante descriptionem Ignaui) insere historiam Cercopithecorum, quæ est pag.* 370, 371, 372.

Pag. 111. *lin.* 51. *contextus sic corrigendus*: vt ferè meles, qui vulgo Taxus nuncupatur.

IGNAVI ANIMALIS PLENIOR DESCRIPTIO.

Pag. 112. *ad calcem cap. de Ignauo, repone quæ de eo in Auctario, pag.* 372, 373.

SERPENS PEREGRINVS.

Pag. 114, *ad capitis de Serpente peregrino calcem adde quædam ex Auctario, pag.* 373.

LACERTVS PEREGRINVS AQVATICVS.

Pag. 115 *post Lacertum peregrinum alium, ad finem paginæ, insere caput de Lacerto peregrino aquatico, seu potius squamoso, ex Auctario, pag.* 374 *cum sua icone.*

MVS AQVATICVS.


Pag. 118 *post Tuanæ historiam, id est, calci libri Quinti, adde Muris aquatici historiam ex Auctarii pag.* 375, *cui & subnecte verba quæ sequuntur*: Hac Historiâ iam semel in publicum euulgatâ, monebat me eruditissimus Vir D. Leonardus Doldius, medicus Noricus: binos se huiusmodi mures vidisse, atque etiamnum vnius pellem se habere, cuius odor Zibethum prorsus æmularetur; præsertim autem ipsius caudæ, qui eo etiam esset grauior: addebat insuper, opinionem esse quorundam, fomenta ex eo facta, fouendo ventri idonea, vniuersum corpus moschi vel zibettæ odore imbuere forinsecus. At in illo exuuio, quod commodatò accipiebam, nullum similem odorem obseruabam.

PHALANGIVM AMERICANVM.

Post præcedentia verba (aut, si velis, etiam post caput de Ignauo) id est in calce libri quinti Exoticorum pag. 118 *addi potest sequens Phalangii Americani descriptio.*

IN ea Americæ Prouincia quæ ab Æquatore versus Antarcticum polum circiter tredecim gradibus distat, vbi magnus ille maris Sinus à Lusitanis *Baya de todos los Sanctos* appellatus situs est, quòd Kalendis Nouembris primùm ab ipsis detectus fuerit, obseruabat honestissimus vir Ioannes van Vfele phalangium quoddam, siue Aranei genus non vulgare sed monstrosum; quod ob raritatem & diuersam ab eiusdem generis animalibus formam, in suo libro etiam viuis coloribus expresserat, obseruatâ omnium partium magnitudine, cuius, vt alibi dixi, exemplar mihi donabat, vt Auctario, quod ad meam Exoticorum historiam meditor, adiungi queat: nam propter magnitudinem non vulgarem, & diuersam à vulgari phalangio formam, cùm à nemine similem iconem in publicum productam reperiam, in tabellâ adpositâ exprimendam curabamus.

Phalangium Americanum.



PLINIVS cap. XIV. lib. XI. Naturalis historiæ, omnibus Araneorum generibus, quorum naturam egregiè describit, terna dumtaxat internodia tribuit in cruribus, & corpus exiguum Phalangio: at hic araneus, siue phalangium,

langium, cuius figuram damus, plura in singulis cruribus internodia habet, quàm terna: nam præter articulationem quâ corpori coniunguntur, singulis cruribus sunt quaterna, & bifidi insuper vngues, siue chelæ, vt exigui cancri crura quodammodo referre videantur. Totum autem corpus tres vncias siue pollices longum est, vnam aut paullò amplius latum, fusci coloris quidem, sed totum hirsutum densisque & longis pilis nigris vndique tectum, medio dorso foramen conspicuum habens tamquam vmbilicum, in ambitu similibus pilis præditum: caput siue corporis pars anterior tota similibus pilis densè obsita, quemadmodum & posterior siue aluus, quæ vnciam longa crassiorque est, atque bifido mucrone prædita videtur: media corporis pars in vtroque latere quina crura habet similibus pilis hirsuta, & quatuor, vt dixi, internodiis satis conspicuis distincta, quia rubro colore infecta sunt, vt etiam vngues siue chelæ. Breuiter: valdè monstrosum hoc animalculum, & ipso Ioanne van Vfele referente adeò noxium, vt ipsi incolæ contactum eius etiam fugiant & formident.


EXOTICORVM

LIBRO SEXTO

hæc addenda vel immutanda.

Pag. 122, ad capitis IV *calcem inserenda alterius Quercus marinæ icon cum sua basi elegantior, à Clariss. Viro, D. D. Petro Paawio accepta.* *Quercus marina.*

Quercus marina, cum sua basi, à D. Paawio.



FVNGVS LAPIDEVS.

Pag. 125 fungis lapideis subiice fungi lapidei formâ bubulæ linguæ sequentem descriptionem: *Fungus lapideus, formâ bubulæ linguæ.*


ALIVD porrò Fungi lapidei genus mihi ostendebat Emanuel Swerts anno Christi MDCVII. Erat verò sex vncias longus, duas latus, parte supinâ carinatus & aliquantulum asper atque rudis, pronâ autem totus in strias frequentes bifariam & transuersim diuisus, bubulæque linguæ formam prorsus referens.

Pag.

Pag. 128 *lineâ vltimâ, muta initium Sectionis* Qui cancrum, *&c. hoc modo:* Hoc Cancri genus ignotum fuiſſe non videtur illi qui Virginiæ hiſtoriam ſcripſit: Parte enim II, in qua de Piſcibus agit, dum piſcandi rationem apud eius regionis incolas vſitatam in XIII figura exhibet, ſimilis Cancri iconem expreſſam videre licet: tametſi qui Cancrum iſtum Doctori Vorſtio commodabat, *&c. vt eſt in textu.*

Pag. 129. *poſt hiſtoriam Cancri Moluccani ſequi poteſt deſcriptio Locuſtæ cuiuſdam peregrinæ, eique caput peculiare aſſcribi, quæ caput* XV *de Mytulo Conchifero præcedat.*

Locuſta marina peregrina, ſeu Squilla verſicolor.



MAGNAM & peregrinam Locuſtam marinam ſe habuiſſe mihi referebat anno ſexcenteſimo ſeptimo ſupra milleſimum honeſtus vir Emanuel Swerts ciuis Amſteldamenſis, quam præcedente anno Cæſareæ Ma[ti] tradidiſſe quidem aiebat, illius autem iconem viuis coloribus expreſſam adhuc habere: eam vt ad aliquot dies mihi concederet, quô conſpicere & eius hiſtoriam deſcribere poſſem, non difficulter impetrabam: hanc nactus, ex notis quas ex pictura obſeruare licuit, eius hiſtoriam concinnabam, atq. ipſam iconem contractiore formâ in lignea tabella exprimêdam curabam, vt Lectoris oculis proponerem: nam Locuſtam certè maiorem & elegantiorem (ſi exacta eſt pictura) neque videre memini, neque apud vllum Auctorem extare arbitror.

Corporis porrò à capite ad caudæ extremum vſque longitudo duodecim vnciarum, ſiue pedis Romani erat, latitudo dorſi quinque vnciarum; cauda ſiue inferior pars corporis quinque tabellis tecta, pænè quatuor; ſingulæ verò tabellæ ſatis breues, vt quæ vnciâ longiores non eſſent, at in trium vnciarum latitudinem expanſæ: cauda in quinque pinnas binas vncias longas & totidem ferè latas deſinebat læues & cineracei coloris, quarum exortum tegebât duriores & mucronatæ tabellæ, flaueſcente nigroque coloribus virgatim diſtinctæ: quinque autem illæ tabellæ extremam corporis partem ſiue caudam tegentes, coloris erant ſubcærulei vireſcentis, albicantibus quibuſdam maculis conſperſi; quâ verò parte ſimul connexæ, lineis modò flaueſcentibus, modò atris alternatim diſtinctæ, quemadmodum & tabellarum latera in mucronem deſinentia: teſta verò dorſum tegens mira colorum, ſitu, & forma differentium, varietate picta; nam & niger & flaueſcens, & exalbidus, & viridis, & cæruleus, & ſuaue-rubens variâ diuerſaque formâ inter ſe commixti in ea conſpiciebantur: quinos vtrimque pedes habebat, quorum medius longiſſimus, vt qui vndecim vnciarum eſſet; huic vtrimque proximi, ſeptem; primus & poſtremus, ſex; ſinguli tribus articulis conſtantes, quorum medius omnium breuiſſimus, & tribus coloribus virgatim diſtinctus, flauo, nigro, & ex viridi cæruleo, reliqui duo flauo dumtaxat & nigro, extremæ vngulæ flauæ & vtrinque frequentibus denticulis præditæ. Ceterùm duo habebat ante oculos maxima & longiſſima cornua, vt quæ viginti vnciarum longitudinem æquarent, in exortu ad quinque vnciarum altitudinem, valdè craſſa & aculeis prædita, atque ad ſecundum vſque articulum variis coloribus picta, flauo, nigro & ſuauerubente, deinde ad extremum vſque paulatim gracileſcentia, & frequentibus aculeis aſpera, nigroque & flauo coloribus diſtincta. His adiuncta alia duo cornua articulata, læuiora, flauo & nigro colore etiam prædita, duobus primis quidem minora & graciliora, ſed quæ pede Romano breuiora non eſſent, & à ſex vnciarum altitudine bifida: oculi cornei ſemper prominentes: paullo ſupra anteriores pedes habebat vtrimque appendicem pedis formam æmulantem, binas vncias longam, tribus etiam articulis & ſimili vngulâ præditam, iiſdemque coloribus quibus pedes virgatim diſtinctam. Breuiter, toto corpore valdè elegans: hanc autem qualemcumque deſcriptionem

rem boni consulturum Lectorem confido: quam certè exactiorem, nisi fallor, dare potuissem, si ipsum animal conspicere mihi licuisset.

LIBRI BOTANICI SINENSES.

Pag. 144. *ante Sectionem* Et hæc quidem sunt, *&c. insere ex Auctarii pagina* 376 *quæ de Libris Botanicis Sinensibus annotauimus.*

LIBRO I. GARCIÆ.

Pag. 161 margine, pro *Caphuræ historia* repone *Caphuræ natales.*

CARYOPHYLLORVM PLENIOR DESCRIPTIO.

Pag. 181 *adde de Caryophyllo quæ in Auctario, pag.* 376.

AMOMVM.

Pag. 200 *ad Amomi Scholium, ante Caput* XXXII *de Calamo Aromatico, adde quæ in Auctario, pag.* 377 *reperies. quibus & sequentia verba adtextes:*

Ceterùm dum exotica quæ seposuεram excutio, similem fructum reperio à diligentissimo pharmacopœo Wilhelmo Parduyn Middelburgensi ad me missum; verùm racematim non cohærentem, at à ramulo distractas baccas, etiam toto quadriennio antè quàm hunc, qui expressus, à Ioanne Ponâ acciperem. Schedæ autem quâ fructus inuolutus, Parduynus adscripserat, Consulem eius vrbis, inuitatum forsitan aromatico odore, licet grauiusculo, quo præditus, baccam vnam siue fructum edisse, atque paulo post in morbum incidisse: eam ob caussam medicamentis iniiciendum minimè censerem. Vide Fructum v. cap. XXII. Lib. II. Exotic.

GEIDVAR.

Pag. 213. *ad Zedoariæ Scholion, adde de Geiduar, quæ in Auctario, pag.* 378.

Pag. 222. *lin.* 24. *in Scholio, scribe* lapide.

LIBRO II. GARCIÆ.

Pag. 234. *lin.* 25 *scribe* linum, *non* lignum.

CHRISTOPHORI A COSTA AROMATVM LIBRO.

Pag. 269. *lin.* 12. *legendum* Ex hac arbore in insulis

Pag. 293. *lin.* 48. foliorum exortus inh.

NICOLAI MONARDI
SIMPL. MED. HISTOR.

Pag. 300. lin. 25. in Scholio legendum cap. 4 & 52.

Pag. 322 ad finem Scholii capitis XXIV *addi potest icon alia arboris Molle, cuius folia, cùm arbor adulta est, non crenata sed nentiquam dissecta conspiciuntur, vt in hac tabellâ videre est.*

Molle arboris adultæ ramus, cum suo fructu.



Pag.342 lin. vltima, pro CAPSICVM *scribe* SILIQVASTRVM; *& pro* CAPSICVM BRASILIANVM *scribe* SILIQVASTRVM BRASILIANVM.

Pag. 343. lib. II. Scholia ita emenda: Capsicum hoc, seu Piper Indicum (Americum potiùs) quod nonnullis Piperitis & Siliquastrum Plinii esse putatur, diligentissimè colitur, &c.

Eâdem pag. lin. 17 scribe Aliud Siliquastri siue Piperitidis genus, *&c.*

Eâdem pag. post lineam 22. siue ad finem Scholii de Pipere, adde sequentia quæ de Pipere Americano à R. P. Gregorio accepimus: cum eiusdem P. Gregorii Commentario, de omnibus Piperis Americani generibus, quem ad me misit. Sed hoc facto, poterit totum illud Scholium pag. 343 deleri.

PIPER AMERICANVM.

EIVS *Plantæ quam Piper Americanum appellant, & quidam Piperitim, siue Siliquastrum Plinii esse censent, varietatem, neminem exactiùs obseruasse existimo, Reuerendo Patre Gregorio de Regio, professione Capuccino, dum Bononiæ in cœnobio agebat, cui Montis Caluariæ nomen. Scripsit enim Commentariolum De varietate Capsicorum (ita vocari ab Auctario hanc plantam arbitrantur nonnulli) Indicorum, atque cum tredecim iconibus varias eorum formas exprimentibus anno Christi millesimo sexcentesimo septimo ad me mittebat. Illud quia plurima scitu digna continet, nec à quopiam, meâ opinione adeò accuratè in hac materia explorata (est enim vir ille diligens Plantarum obseruator, atque omnes neotericos Auctores qui de re Herbaria scripserunt sedulò euoluisse ex hoc eius Commentariolo apparet) Latinum facere volui, vt qui Italici sermonis, quo conscriptum est, sunt imperiti, ex illius lectione aliquam etiam vtilitatem consequi possint: nam Auctario, quod ad meam Plantarum historiam facere volo, adiungendum putaui. Singulas tamen quas miserat icones exprimere necessarium esse non existimaui, tum quia integræ non erant, sed singularum specierum ramum cum suo fructu dumtaxat continebant, tum quòd typographum inanibus sumptibus onerandum non censebam: sed fructuum varietatem tribus solummodo tabellis comprehendendam & exprimendam curabamus, cùm singularum alioqui plantarum forma non sit valdè dissimilis; aut si qua est differentia, ea in foliorum*

latitudine

latitudine vel angustia dumtaxat consistit; & quandoquidem cum vulgari atque omnibus noto Siliquastro crescendi ratione & ramorum dispositione conueniunt, illius iconem ipsis præponere statueramus, existimantes beneuolum Lectorem nostrum consilium non improbaturum: sed cùm Auctor illud decimotertio loco reponat, eius seriem immutare noluimus: eam ob causam illius integram plantam istic requirere oportebit. Omnia autem genera in tres classes redegit, siue in tres Sectiones distinxit. Primâ continentur quatuor genera fructum surrectum & sursum spectantem gerentia. Altera quatuor etiam genera habet, sed fructu rotundo & ad terram inclinato prædita. Tertiâ quatuor genera describuntur oblongas & deorsum propendentes siliquas habentia: deinde vulgatissimum peculiarem tabellam habet; cui adiunximus aliud à me in Lusitania obseruatum. Sed ipsum Patrem Capuccinum loquentem audiamus.

PRÆFATIO.

NVNQVAM destitit summi Dei Maiestas rerum cognitionem in hominum animos instillare & quasi imprimere, cùm vt laudetur, magnificetur & celebretur eius gloria, tùm vt Diuinæ ipsius Maiestatis magnitudo in infimis istis rebus agnoscatur. Et licet superioribus sæculis extiterint doctissimi viri, & in Plantarum cognitione peritissimi, omnium tamen cognitionem non sunt adepti, quia in dies nouarum & priùs non cognitarum fit obseruatio. Nouissimo enim hoc sæculo placuit æterno Monarchæ pauperibus & infimæ sortis hominibus sua secreta & opera reuelare, vt mihi pauperi discalceato cognitionē tribuere voluit varietatis huius Capsici, siue Piperis Americani, cùm agerem in nobilissima & illustri ciuitate Bononia, in cœnobio Mons Caluariæ nuncupato. Istic igitur obseruabam ea quæ à nemine adeò exactè & particulatim antea fuerunt obseruata, vt per istas res materiales, Dei summi omnium rerum Creatoris ineffabilis potentia & inscrutabilis sapientia conspici possit.

HAS porrò meas Obseruationes tibi donare volui, vt tam celebris viri operâ in lucē prodeant, & quæ hactenus incognita atque sepulta iacebant, omnibus nota fiant; gratiæque agantur Domino Deo nostro propter tanta beneficia quæ singulis diebus, horis & momentis nobis confert. Cæterùm meam opellam in obseruanda huius plantæ tam insigni varietate non ingratam futuram arbitror, quandoquidem à nemine vel à paucis saltem tanta varietas fuerit obseruata & scripto comprehensa. Boni ergo consulas hoc munusculum tibi propter amorem quo te prosequor libenti animo consecratum: atque licet integrum non sit, sed partium dumtaxat particulæ, vtpote soli rami, non integræ plantæ, culpa in me reiicienda, tum quia adeò serò ad eam rem animum applicui; tum quòd multæ occupationes me detinuerunt; deniq. quòd non sim mei iuris: nihilominus non tam doni, quàm cordis eius qui tibi donat, quique sese totum tibi offert, rationem habeto.


PRIMA CLASSIS SEV DIVISIO.

I. *Piper rotundum maius surrectum.*

PRÆTERITIS diebus Siliquastri, siue Piperis Indici (Americani veriùs) varietates obseruabamus, exactiùs forsitan quàm alius quispiam, vt ex earum picturis ad viuum expressis liquere potest. Videtur quidem Bauhinus in suo Matthiolo Lib. II. supra Dioscoridem cap. 153. pag. 434 figura secunda, siliquam rotundam pingere, quā fortè plantæ huius primo loco expressæ fructum repræsentare voluit, qui cæteris maior est, & satis cum Bauhini siliqua conuenit; pediculo tamen cui siliqua inhæret, differt, qui adeò reflexus exhibetur, vt terram spectare videatur; contrario planè modo, quàm de quo nobis nunc est sermo.

Hæc igitur planta, atque adeò omnes ei congeneres naturâ sunt calidæ ad quartum vsque gradum; quapropter in medicum vsum non vsurpandæ, neque eduliis admiscendæ: nam ob insignem acrimoniam non modò cutem inflammant, sed etiam exulcerant. Similia autem cum Solano hortensi habet folia, tametsi paullo maiora & longiora: caulem binos cubitos altum, interdum etiam longiorem aut breuiorem, pro loci in quo colitur natura, siue in fictilibus, siue in hortis fertili & pingui solo, viridem, nodis & articulis distinctum; florem verò album, quinque aut sex foliolis constantem, vt Solanum vulgare: è quo nascitur fructus rotundus mali apiani instar, surrectus & cælum spectans, initio viridis, maturescens rubicundus, plenâ maturitate ruber vt corallium expolitum.

Prima tabella, quatuor genera fructu surrecto continens.



II. *Piper oblongum erectum maius pyramidale.*

EIVSDEM cum Priore naturæ est hæc Planta, similiaque habet in singulis nodis folia, caulem & florem:

florem: cui succedit fructus corniculi instar, tres aut amplius digitos transuersos longus, mucrone surrecto & cælum spectante; initio viridis, deinde ruber.

III. *Piper erectum minus pyramidale.*

HABET etiam ista Planta similia folia cum aliis eiusdem generis, licet paullo minora, & caulem humiliorem: flores etiam albi eiusdem cum superioribus sunt formæ; quibus deciduis, succedit fructus pyramidis formâ, dimidiâ tamen ex parte minor Secundo, nec adeo mucronatus, initio viridis, maturus ruber vt Primum.


IIII. *Piper oblongum, exiguum erectum pyramidale.*

NONNVLLI forsitan hanc Plantam eandem esse censebunt cum ea quam Clusius exhibet in scholio ad Simplicium Monardi historiam pro Brasiliano Pipere; atque etiam in Iconibus posita est pro Pipere Indico breuioribus siliquis pag. 317. [*quæ ipsa è Clusio, nempe ex eius scholio in Monardum, desumpta*:] poterunt rursus aliqui credere illam esse quam proponit Tabernæmontanus pro Siliquastro rotundo angustifolio in Iconibus parte 2. sect. 10. pag. 819. Si tamen diligentiùs eorum forma consideratur, euidenter apparebit diuersum esse ab eo quod apud illos conspicitur: nam tametsi conueniant in siliquis sursum spectantibus, illorum tamen siliquæ magis ad oliuæ siluestris formam accedunt; huius verò meæ plantæ siliquæ minores sunt omnibus quas obseruauerim, vt ex eius icone ad viuum expressa cum aliis collata deprehendere licet. Habent autem hæ siliquæ circiter digiti transuersi longitudinem cum semisse, [*siue vncialem aut paullo maiorem, nam siliquas quas cum icone mittebat dimensus sum*] folia illi Lauri odoratæ vulgaris: caule constat recto, binos aut tres cubitos alto, & in plures ramos diuiso, deinde tanta florum & fructuum pulchritudine ornato, vt mirandum sit. primùm autem nati fructus virescunt, dum maturantur nigredinem contrahunt, maturi rubent vt alii. [*Monitũ autem Lectorem cupio huic fructui adiunctũ fuisse alium fructum cum inscriptione Piperis oblongi erecti minimi, qui sanè dimidio ferè minor erat illo quod modo descripsi, quòdque picturâ expressum, & plurimũ accedere videbatur ad illud quod in scholio ad Monardum exhibeo; magnitudine tamen meum adhuc superabat, vt probè memini; nam ipse plantã in mea Lusitanica peregrinatione delineabam, seruatâ fructus iustâ magnitudine: ad huius postea normam icon in scholio ad Monardum posita fuit sculpta; & illa ipsa deinde exhibita à Lobelio in Iconibus; & illam Tabernæmontanus etiam imitatus est; neuter verò plantam obseruauit, sed alienâ fide vsus est.*]

ALTERA CLASSIS.

ABSOLVTA quatuor generum Siliquastri quæ fructum surrectum & cælum spectantem gerunt historiâ, rationi consonum est, vt de aliis quatuor generibus agamus quæ fructum non surrectum, sed propendentem & ad terram obuersum ferunt, Primumque mihi erit cordatum.

2. Tabella, quatuor Siliquastrorum genera fructu rotundo propendente continens.



V. *Piper cordatum.*

HABET hoc Siliquastrum folia, maioris Ocymi hortensis foliis similia, caulem circiter sesquicubitum altum: flores huius etiam albi sunt, quinis aut senis foliis constantes; è quibus oritur fructus è pediculo anuli modo nunc magis nunc minus contorto propendens, cordis formâ & ad terram conuersus, initio viridis, maturitatem adeptus ruber vt expolitum corallium. [*Mittebat etiam Pater Gregorius huius plantæ fructum, cuius duo genera constituebat, maius videlicet & minus seorsim in peculiaribus schedis repositum: addita præterea duo alia genera separata, cum hac inscriptione, Cordatum maius erectum, &, Cordatum minus erectum; quorum tamen in Cordati descriptione nullam mentionem facit; si semen nascetur, videbimus an in nomine sit error commissus.*]

VI. *Piper cum siliqua oliuaria.*

ISTVD Siliquastrum siue Piper, foliis non differt à Solano hortensi: eius caulis ad binorum cubitorum altitudinem assurgit; fertque in singulis nodis florem aliorum flori similem, cui succedit fructus oliuæ formâ & facie, propendens & terram spectans; initio viridis, maturus ruber, vt aliorum generum. [*Sed etiam huius duplicem fructum mittebat diuersis schedis inclusum, & diuersis inscriptionibus insignitum: vni enim inscriptio addita erat Capsici oliuarii non erecti, alteri verò Capsici oliuarii maioris erecti. itaque si veræ erant inscriptiones, binæ huius generis diuersæ species reperientur.*]

VII. *Piper cum siliquis rotunda cerasorum modo.*

TERTIA. Secundæ classis Siliquastri planta folia profert Circeæ ab Andræa Cæsalpino descriptæ Lib. VIII. de Plantis cap. 33. pag. 333. foliis similia, caulem binos cubitos altum; flores albos Solani hortensis floribus similes; & deinde fructum ceraso siluestri prorsus similem, è singulis articulationibus pendentem, initio viridem, post maturitatem rubrum. [*Et istius binæ schedæ missæ, fructum continentes maioris, & minoris inscriptione insignitum: an duæ diuersæ species inueniantur ignoro; an verò diuersa magnitudinis siliqua in eadem planta nata, vt interdum, imò sæpiusculè fieri solet.*]

VIII. *Piper cum siliqua lata ac rugosa.*


FVCHSIVS Lib. quem de Plantis scripsit, præsertim verò in iconibus 8. & 16 formâ expressis pag. 427. pro Capsico lato hanc plantam exhibet: in eo verò qui Latinè in folio cusus cap. 280. pag. 732. pro Siliquastro quarto. Dodonæus eandem pro Capsico Lato in Hist. Plant. Gallica in fo. cusa lib. 5. cap. 69. pag. 442. atque etiam Historia plantarum Lugduni expressa lib. 5. cap. 35. pag. 692. Eiusdem cum illis opinionis videtur Bauhinus suæ Phytopinacis Lib. III. Sect. 1. pag. 156. illam appellans Capsicum siliquis latis cordatis. Proponunt interdum isti in vna eademque planta diuersas siliquas; vt Cordus tres; pro prima vulgarem; pro altera oblongam angustam & curuam, pro tertia quam appellant latam. Bauhinus verò quatuor diuersas species in eadem planta adpingit; vt videre licet in eius Matthiolo; latam videlicet, cordatam, oblongam recurua siliquâ, & quartam ab ipsa planta separatam, ab ipso Capsicum rotundum dictam; nec singulas icones proponunt peculiariter separatas; tametsi Fuchsius, Dodonæus, & Lugduni cusa historia aliquas icones separatas exhibeant. omnem nihilominus reuerentiam illis defero, quia virorum adeò celebrium opiniones in precio sunt habendæ: hallucinari tamen videntur, cum veniâ dictum sit, quia planta ab ipsis descripta simili fructu prædita est; quo ea quam cordato fructu appello: itaque in appellatione dissentire videmur. verum quidem est, illud quod describo, cum eorum Capsicis caule & foliis Solano similibus conuenire, sed differunt siliquâ siue fructu: nam cordatum à me vocatum, fructum gerit instar vesicæ rugosæ, aliquantulum latum & longum, nec vllam cordis formam refert: fructus viridis est initio; paulatim deinde rubedinem contrahit, plenè maturus totus ruber est, quemadmodum reliquorum: prætereà non est ingrati odoris, sed Iridis sil. minoris, siue Armeniaci mali odorem refert: de isto solo loquor, quia in eo solo hanc notam obseruaui: sed volente Deo omnipotente, etiam in aliis periculum faciam.

TERTIA CLASSIS.

IX. *Piper oblongum recuruis siliquis.*

ABSOLVTA Primâ quatuor generum Piperis Americani siliquas terram spectantes gerentis sectione, restat vt de aliis quatuor fructum etiam versus terram propendentem habentibus agamus; inter quæ primum locum obtinebit illud quod à pluribus Auctoribus exhibetur, peculiariter à Fuchsio in iconibus 8. & 16. formâ pag. 426. pro Capsico oblongiore, & ab eod. lat. folio cap. 280. pag. 733. pro Siliquastro tertio: à Dodonæo verò Hist. Gall. lib. 5. cap. 69. pag. 741. pro Capsico oblongo, quemadmodum & à Lugdun. Hist. lib. 5. cap. 35. pag. 632. Bauhinus autem in Phytopinac. lib. III. sect. 1. pag. 155. & in suo Matthiolo lib. 2. supra Diosc. cap. 135. pag. 434. Capsicum siliquis longis recuruis appellat: Tragus denique in sua Plant. historia lib. 2. cap. 148. pag. 328. vnà cum Valerio Cordo, vnicam plantam ponit cum tribus speciebus: sed & ipse Cordus in Histor. de Plantis lib. 1. cap. 6. pag. 88. Piperitim, siue Siliquastrum Peruuianum appellat.

Tabella III. continens quatuor genera alia, fructum propendentem & ad terram obuersum gerentia.



HÆC autem planta similibus quibus aliæ foliis est prædita, caule sesquicubitum alta, floribus albis; è quibus nascuntur siliquæ quinque digitos transuersos cum semisse longæ, contortæ interdum; initio quidem virides, sed maturæ rubentes vt expolitum corallium; eæque non valdè crassæ; cuspide mucronatâ instar cornu multorū animalium quadrupedum non adultorum; peculiariter autem hinnuli.

X. *Piper longum minus siliquis recuruis.*

HORVM Siliquastrorum Altera planta similibus prædita est foliis, minoribus tamen quàm reliquorum generum, caule cubitalis altitudinis, aut maiore, floribus reliquis similibus; quibus deciduis succedunt siliquæ dimidiam superioris Noni siliquarum longitudinem & crassitiem æquantes, mu-

crone etiam acuminato instar cornu, initio virides, maturæ rubræ veluti reliquorum generum.

XI. *Piper bifurcatâ siliquâ.*

TERTIA dictorum Siliquastrorum planta eiusdem cum supradictis est formæ; in hoc solo differens, quòd siliquas gerat non adeò mucronatas, sed æqualis ferè crassitudinis, extremâ tamen parte aliquantulum angustiore, & neruo præditâ, quæ illam veluti bifurcatam efficit.

XII. *Piper siliquâ flauâ.*


CVM istud Piper ab aliis qui de Plantis scripserunt, conspectum & obseruatum esse non dubitê, non deerunt tamen forsitan nonnulli, qui à supra nominatis differre existimabunt: sed eiusdem nihilominus est naturæ cum illis, soloque in colore est differentia; cum aliis enim generibus & foliis, & caule, & floribus conuenit: quemadmodũ auru m quia metallicæ est naturæ, cum aliis metallis conuenit, ab illis tamen differt multis in rebus: ita huius Piperis siliqua, licet vulgari sit similis, breuior tamen est, & magna ex parte in mucronem desinit, & in colore maximè dispar, quia reliqua genera rubri sunt coloris, huius verò siliqua flauescentis, lutei, crocei, aut vt veriùs dicam, aurei, prorsus vt aurantia mala probè matura.

ISTIS porrò duodecim Piperis Americani generibus descriptis, & sigillatim eorum siliquis figurâ expressis, quæ concinno quodam ordine cohærent, nempe rotundi maioris, longi surrecti pyramidalis maioris, surrecti pyramidalis minoris, longi exigui pyramidalis surrecti; similiter cordati, oliuaris, ceraso similis, & rugosi; his additæ, quò musica perfecta esset, oblongi siliquâ recuruâ maioris & minoris, bifurcati, & aurei coloris: atque vt suauior sit concentus, adiungetur genus vulgatissimum.

XIII. *Piper vulgatissimum.*

PIPER istud vulgarius Americanum à multis Authoribus diuersis nominibus appellatur: Fuchsius enim Capsicum rubrum & nigrum nominat in Iconibus 8. & 16. formâ expressis pag. 425. Eidem est Siliquastrum maius & minus fol. lat. cap. 280. pag. 732. Piper Indicum dicitur Matthiolo lib. 2. Diosc. cap. 153. vltimâ editione lat. pag. 576. & vulgari fol. cap. 148. pag. 608. atque in omnibus itidem æditionibus. Clusius scholio in Monardi Historiam Capsicum appellat, vulgarem nomenclaturam sequutus: dicitur etiam Capsicum maius & minus, siue Piper maius & minus Lugdunensis hist. lib. 5. cap. 35. pag. 632. Bauhinus nominat Capsicum siliquis oblongis in Phytopinace lib. 3. sect. 1. pag 155. & in suo Matthiolo lib. 2. in Diosc. Piper Indicum cap. 153. pag. 434. Cæsalpinus Circeam Diosc. fortè lib. 1. de Plantis cap. 22. pag. 215. Castor Durantes in suo Herbario Piper Indicum pag. 344. Siliquastrum Tabernamont. in Iconib. parte 2. sect. XI. pag. 859. Lobel. in Obser. pag. 172. & 173. Capsicũ vel Piper Indicum longioribus siliquis, & Piperitim Cordi, Siliquastrum Plinii & Tragi, & Piper longum Diosc. præterea Capsicum Actuarii, siue Zinziber caninum Auicennæ, Calecutium Piper, & Piper Indicum longioribus siliquis, in Iconib. pag. 316.

Piperis Americani vulgatioris tabella, quæ petita est è pag. 342, scholio ad cap. LIIII. Simpl. Histor. Monardi in folio cusæ De Pipere.



Fert porrò hæc planta interdum suas siliquas quadrangulâ formâ, nonnunquam rotundâ, atque etiam alterius formæ, vt obseruaui in pensilibus hortis & fictilibus ante fenestras ædificiorum in Illustri ciuitate Bononia, vt etiam alii obseruare potuerunt, vel poterunt. De illo, cùm omnibus sit satis notum, plura non adiiciam, sed Lectorem ad eos Auctores supra memoratos qui de illo scripserunt, ablegabo.

CÆTERVM *quia vulgatioris Siliquastri icon quæ hîc proponeretur, petenda fuit è scholio quod olim scripsimus ad cap. de Pipere in Historia simplicium Medic. Nicolai Monardi, quod est* LIIII. *in postrema editione expressa in folio; quidquid tum scribebam, vt maior lux ad hanc Commentationem accedat, reuocandum & hîc repetendum existimaui.*

Piper igitur Americanum diligentissimè coli obseruabam, dum per Hispaniam peregrinabar anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, in multis eius Regni prouinciis, præsertim verò totâ Castellâ vetere & nouâ, cùm ab hortulanis, tum à mulieribus in ædium suarum pensilibus hortis: etenim per totum annum eo vtebantur recente & sicco pro condimento in cibis: spectabatur autem (vt noster Auctor ait) variâ formâ. Memini etiam videre anno Christi M. D. XXCV. *maximâ copiâ cultum in suburbanis Brunnæ celebris Marchionatus Morauiæ vrbis hortis, è quo cultores non contemnendum quæstum faciebant; erat enim apud vulgus frequens eius vsus. Sed & aliquot eius genera obseruabam*

seruabam culta à monachis in monasterio quodam Lusitaniæ infra Vlysipponem sito ad Tagi fluminis ripam dextram, flauescentis coloris fructu prædita.

Prætermittendvm *porrò non duxi aliud Siliquastri genus quod in eadem peregrinatione obseruabam, Vlysippone Conimbricam proficiscens, nonnullis Lusitaniæ locis, caule in cubitales ramos diuiso, graciliores tamen quàm in vulgari, eosq́ virentes, foliis hortensis solani foliorum penè similibus, paullulum verò angustioribus; flore paruo albo, solani hortensis flori persimili, longiusculo pediculo subnixo, & surrecto, quo decidente succedebat fructus exiguus, & magnitudine eorum generum quæ equidem videre vnquam mihi contigit longè inferior, initio viridis, deinde nigricans, tandem, vbi maturitatem contraxerat, ruber, continens multa semina latiuscula & plana præcedentis Siliquastri modo, tam acris & feruidi saporis, vt gustatum fauces incenderet, nec posset illa acrimonia tolli nisi post aliquot dies. Flores profert, vt arbitror, toto Autumno, & in calidioribus regionibus etiam hieme: nam sub initium Decembris hanc plantam florentem, fructuq́ immaturo, maturescente & maturo onustam inueniebam;* Pimienta *autem* de Brasil, *hoc est, Piper Brasilianum vocabant, in qua Prouincia abundanter nasci, multipliciq́ in vsu esse, Vlysipponem redux, intelligebam à Roderico Lins (apud cuius patrem Sebaldum diuertebam) qui recèns ex Fernambuco, vbi habitabat, aduenerat. Huius fructum maturum in Belgium cum plerisque aliis seminibus in illa mea peregrinatione collectis referebam & amicis communicabam; in quorum numero fuit vir illustris Carolus à S. Audomaro Moerkerkæ & aliquot aliorum pagorum toparcha, qui anno Christi sesquimillesimo & sexagesimo sexto in cultissimo suo horto (quem contiguum habebat Moerkerkanæ arci ab ipso habitatæ) serebat, è quo natæ aliquot plantæ, quæ Autumno dumtaxat florem fructumq́ protulerunt, illis omnino similes cùm formâ, tùm magnitudine, quos gestabat ea planta quam in Lusitania obseruabam & legebam, atque etiam cum suo flore & fructu ipse delineabam: sic vt animaduertere possem, nihil in eo genere immutatum diuersi climatis ratione.*

Tabella Piperis Brasiliani, petita etiam è Scholio ad cap. LIIII. Hist. Simpl. Med. N. Monardi.



De Siliqvastris in genere.

Si exactè obseruentur horum Siliquastrorum folia, caules & rami, euidenter apparebit, illorum folia media esse inter Solani & Lauri folia; adeò autem viridi saturo colore prædita, vt nigra videantur: horum caules ramique fracti, medullam continere deprehenduntur sambuci ramorum medullæ similem; suntque in plures ramos diuisi, & ii rami denuò in ramusculos binos aut ternos digitos transuersos longos, in quorum alis bina dispария folia, inter quæ magna ex parte exeunt flores albi in quinque aut sex foliola diuisi stellæ formâ, pauca stamina in medio continentes; quibus deciduis paulatim succrescunt siliquæ, siue vascula digitalis longitudinis, plus minúsve, & pollicaris circiter latitudinis, pro singulorum qualitate, sensim à latitudine in cuspidem desinentes, quæ videlicet eius formæ esse debent, initio virides, per maturitatem rufæ aut puniceæ, deorsum spectantes aut surrectæ, quemadmodum eorum flores. Apertæ deinde istæ siliquæ, multa semina continere deprehendūtur lenti similia, flauescentis ex albo coloris, confertim quasi suspensa & breuibus petiolis cohærentia membranis tribus humidis, callosis tamen, parteq́ superiore latis, circa mucronem verò angustis, & instar pineæ cuiusdam nucis congesta, sic vt inferior siliquæ pars inanis & vacua relinquatur: interiores autem illæ mēbranæ, quando reficcatę sunt, in tenuissimum pollinē redigi possunt, vt alchohol. Omnes istæ Siliquastri plantæ numerosis radicibus in varias partes sectis & capillaribus præditæ sunt, & ornatus dumtaxat gratiâ in fictilibus aut hortis coluntur: nec quisquam eorum qui de plantis scripserunt, neque ego, quidpiam obseruatione dignum reperimus, quantum ad saporem & odorem foliorum, florum, caudicis aut radicum huius plantæ attinet; sed in eius siliquis & semine dumtaxat, atque tota siliquarum carnosa parte vis consistit. Est porrò hoc Piper Americanum tantâ acrimoniâ præditum, vt exulceret & pustulas excitet vbicunque applicatur: neque solum id præstat, sed etiam siliquas tantummodo aperiendo & semen eximendo, adeò acris exhalat vapor, vt per nares penetrans cerebrum subeat, & ex eo eliciat tantam eamque lentam & viscidam materiam, vt admiratione dignum sit; quin & guttur ingrediens, tussim excitat, & adeò vehementem vomitum, vt omnia interna viscera reiici debere videantur; siliquas præterea & internas partes confringendo, sternutamenta valde excitat; & manibus confractas tractando, tantam in iis inflammationem parit, vt aliquot horarum spatio aduri videantur, remediumque petendum sit ab aquæ frigidæ aut vini lotione: hæc omnia sum expertus dum semen è siliquis eximebam. [*idem sibi accidisse fatetur Carolus Clusius anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo sexto: nam dum huius piperis siliquas semine quod ex Hispaniis attulerat natas confringendo & earum semen eximendo lachrimæ ipsi oborirentur*

orirentur ob vaporis acrimoniam, & eas manibus extergere vellet, oculorum inflammatione tam vehemente correptus est, vt eorum visum deinceps amittere metueret, & non nisi longâ & sæpius repetitâ frigidæ lotione illam tollere posset.] quinimo in ignem iniectæ siliquæ, grauem & tetrum excitant odorem, qui nauseam & fastidium adstantibus prouocat. Dum siliquæ aperiuntur, odorem quidem acrem & subtilem exhalant, qui deinde tamen in satis gratum resoluitur. Breuiter; sunt istæ Siliquastri siliquæ calidæ & siccæ in quarto gradu, vel etiam maiore si quis extaret: eam ob causam adurunt & validè exulcerant.

Originem duxerunt istæ plantæ ex America siue India quam vulgo occidentalem appellant, & seruntur in hac nostra regione sub Martii finem, deinde natæ transponuntur quocunque loco quis voluerit, siue in fictilibus ad fenestrarum ornatum, siue in hortis: flores proferunt Augusto mense & toto Autumno: deinde fructus maturescit: at regionibus calidis florent fructusque ad maturitatem perducunt per totam hiemem.

Facilè mihi persuaserim, imò firmiter credo, omnibus Auctoribus qui de Plantis scripserunt, non solùm nota fuisse istius Piperis genera à me producta, sed etiam alias differentias eos obseruasse: nam alia duo genera reperiri, intelligo, Siliquastrum videlicet piloso caule, & aliud siliquâ nigrâ rotundâ: Verisimile enim est inter tam multos Plantarum inuestigatores alia genera obseruata esse, & restare adhuc obseruanda. Quidam scriptores duorum aliorum generum meminerunt, alii plurium, sed eorum figuras non exhibent; aut si exhibent, vnicam plantam proponunt varietate siliquarum onustam: id autem facere arbitror, quia in ipsis plantis exiguum est discrimen, & id in solo fructu consistit, eam ob caussam negligenter hanc rem tractarunt, contenti demonstrare inueniri plantas longis siliquis præditas, rotundis, & melonum cerasorumque formâ. Non desunt qui suis operibus inserant quasdam plantas nihil affinitatis cum Siliquastro habentes, quemadmodum Dalechampius in sua historia generali Lib. v. cap. xxxv. pag. 633. pro Siliquastro rotundo plantam illam proponit, quæ ferè ab omnibus appellatur Solanum pomiferum, propter folia Solani foliis similia, & fructum malo parem. Atque etiam Dodonæus Pseudocapsicum vocat Solanum illud arborescens in sua Stirpium historia in folio expressa Lib. 4. cap. 27. pag. 706. vt testantur in Indice Iconum & in Obseruat. pag. 136. Lobelius, & lib. 5. cap. 27. pag. 600. Historia Lugdunensis. Attamen neque Dalechampii planta, neque Dodonæi vllam acrimoniam habent, tametsi in illarum fructu sit aliqua similitudo, qui initio viridis est, deinde ruber perinde ac Siliquastrorum, & etiam eius semen planum & albicans, tametsi aliter in siliqua dispositum.

PRÆPARANDI MODVS.

NON modò in Medicamenti vsum receptum non erat hoc Piper, sed neque in cibum etiam admittebatur, propter insignem illam acrimoniam quâ præditum est: nihilominus videtur humanum ingenium rationem inuenisse quâ eius malignitas corrigeretur, vt in vsum recipi posset sine vllo incommodo ad cibos condiendum, atque etiam pro medicamento vsurpari, hoc modo præparatum: Maturæ huius Piperis vesicæ siue siliquæ leguntur cum suis pediculis, & in vmbra siccantur: quando quis vti volet, reponat in vase illi simili, quo vtuntur pharmacopolæ ad resiccandos amygdalarum & nucis pineæ nucleos quos saccharo operire volunt, cum farina; & exsiccet lento igne: deinde à farinâ purgentur, & à pediculis suis liberentur: deinde cum forcipe minutissimè cum suis seminibus incisæ ponderantur, atque singulis siliquarum cum semine vnciis, pollinis farinæ libra additur: pinsuntur simul omnia cum fermento panis instar, & fermentari hæc massa sinitur: probè fermentata in clibano coquitur; cocta in taleas scinditur, & denuò coquitur, instar biscocti: postremò in aheneo mortario aut alio tenuissimè teritur & per cribrum transmittitur.

FACVLTATES, ET VTENDI MODVS.

ADMIRABILIS est hic puluis ad condiendum omne cibi genus: valenter enim ventriculi & intestinorum flatus discutit, orexim excitat, cibis bonum saporem conciliat (atque etiam vino) præsertim cibis humidis & flatuosis inspersus; singulis diebus manè cum caponis aut vitulinæ carnis iusculo sumptus scrupuli pondere, frigidum ventriculum calefacit, pituitam discutit, & lentos viscososque humores ventriculi fundum occupantes absumit, concoctionem iuuat, vrinam ciet, & oculorum caliginem tollit cibis admixtus: tribus continuis diebus manè sumptus cum pulegii decocto, mortuum fœtum è matrice expellit: huius plantæ siliqua recens aut sicca vuluæ mulieris à partu imposita, eam sterilem reddit: puluis prædictus cum lohoc de muscilagine mixtus, vetustæ tussi medetur: cum melle emplastri formâ supra locum calidè impositus, sciaticam curat; & cum melle cocto gutturi applicatus, synanchi medetur; haustus cum decocto foliorum lauri, colicos dolores sedat: manducatus cum uva passa & staphisagria, pituitam è capite educit: exceptus pice, scrophulas resoluit: commixtus nitro morphæam extergit: exceptus acri aceto, apostemata & lienis duritiem emollit: haustus ex vino dulci, pituitam lentam & viscidam pectori, pulmonibus & intestinis inhærentem incidit: mixtus cum vnguento de alabastro, & ea mixturâ inunctâ dorsi spinâ febris periodicæ rigores tolluntur: emplastrum ex eo & tabaci foliis confectum, morsui cuiuscunque venenosi animalis impositum, eum sanat: æquis partibus cum fœniculi semine commixtus & haustus, ad binorum scrupulorum pondus singulis diebus ieiuno ventriculo, per quatuor aut quinque dies, matricis dolores sanat: pessarium ex eo, oleo laurino, gentiana, & xylo factum, vuluæque ori impositum, purgationes menstruas deperditas reuocat: decoctione siliquarum eius ex vino factâ calente adhuc si herniæ aquosæ foueantur manè & vesperi, sanantur: siliquarum ex aqua fontana decoctio, dolorem dentium mitigat, & eos à putrefactione præseruat: vinum in quo siliquæ per integrum diem maceratæ fuerint, singulis diebus manè ad bina cochlearia haustum, oris fœtorem tollit: & errhinon cum hydromelite ex eo factum, nasi fœtorem à pituita prognatum corrigit: harum siliquarum cum suo semine in aqua vitæ per triduum maceratarum infusione membra paralysi afflicta si lauentur, valdè iuuabuntur: puluis cum gallinæ axungia mixtus,

mixtus, frigida apostemata resoluit, & bubones emollit: eius cum terebinthina liquida inunctio, arthriticos dolores sedat, & nodos in articulis manuum, pedum & genu crescere non sinit: aquam è corporibus hydropicorum euacuat pari pondere cum pilulis alephanginis deuoratus: cum maluæ decoctione calida haustus, vrinam ciet: pituitam quæ in renibus calculum & arenam gignit, haustus cum aqua saxifragiæ, tollit. *Hactenus pater Gregorius de Siliquastrorum generibus.*

IN OPVSCVLIS NICOLAI MONARDI.

Pag. 18. *lin.* 23. deuorandus.
Pag. 19. *lin. vltima.* B. Aulam.
Pag. 20. *lin.* 29. auro & argento, quod vid. *&c.*
Pag. 29. *lin.* 10 *&* 11. *scribe* laborant, si imbecilles sint: ferrum, *&c.*
Pag. 30. *lin. antepenultima* tam multa aut cognitu digna dici potuisse: nam si quæ, *&c.*

PETRI BELLONII

LIBRO PRIMO,

præter ea quæ in erratis ibidem annotata sunt, hæc addenda vel immutanda.

Pag. 12. *lin.* 54. Striphoceri.
Pag. 23. *lin.* 4. passim.
Pag. 32. *ante annotationem* Dispiciendum, *nimirum ad verba Bellonii circa initium capitis* XXVI. Apium maius & minus, *adde hæc verba:* Gallicum exemplar habet *de l'Ape maieur & mineur:* an per eas voces Lappam maiorem & minorem intelligat, dubito.

Eâdem pag. ad capitis XXVII *sequentia verba* & cruda Mouronia, *adde hæc*: *Mourone* Bellonius, populari suis forsitan dialecto, qua Sisymbrion cardaminen, siue Nasturtium aquaticum vulgo dictum vocant: nam alioquin *Mouron* Gallorum, Anagallis Latinorum, in cibum recipi non solet.

Pag. 56. *lin.* 30 *&* 32 *leg.* Platogni.

PETRI BELLONII

LIBRO SECVNDO.

Pag. 95 *ad capitis de Ciuetta calcem adde sequentia verba.*

CIVETTA.



Cùm Bellonius cap. xx. Lib. II. Obseruationum, Ciuettam, quam veterum Hyenam magno errore esse arbitratur, satis scitè descripserit, iconem tamen adposuit quæ ipsius animalis formam non satis exactè repræsentat: legitimam verò viuis coloribus expressam

nactus ab humanissimo viro Ioanne van Vfele, quam ipsemet ad viui animalis normam depinxerat, facere non potui, quin submota Bellonii Icone, illam eius loco reponerem, in qua expressus est affabrè meatus, è quo effluit odoratus ille liquor qui in precio est: præterea in mea icone omnes animalis partes meliùs repræsentantur, etiam secundum Bellonii ipsius descriptionem, quàm figura à Bellonio proposita.

Pag. 101. *ad scholium capitis* XXVIII. *adde sequentia verba:* nec oberit obseruare primam iconem, & eius historiam, quam cap. XIII. lib. II. Exoticorum damus, nostrumque de eâ iudicium.

Pag. 103. *lin.* 38. appellere non oportuit.

Pag. 107. *lin.* 3. Semiamithos

Pag. eâdem lin. 22. Anthyllis

Pag. 135. *Scholium ad caput* LXXIV. *conferre poterit cui otium est, cum Prosperi Alpini capite de Alcanna, in libro de Plantis Ægypti: & quæ differentia descriptionis sit, considerare. Nam Prosperi icon, prorsus diuersa ab hac nostra.*

Pag. 144. *lin.* 51. plateæ

Pag. 146. *lin.* 4. quotquot

Eâdem verò paginâ in icone Arabis, brachium dexrum nudum esse debebat, non sinistrum.


Pag. 157. *lin.* 27 *sic lege*: Alinterno. Nostrum iter per valles prosequuti, vetustum.

Pag. 171. *lin.* 22. *lege* nugatur

Pag. 178. *lin.* 38. *lege*, æstimentur, & quàm magna eorum sit quantitas

Pag. 237. *lin.* 46. *adde in margine*: Conferendus esset hic locus cum Gallico exemplari, si quis nancisci posset.

FINIS.



ADDITAMENTA AD CVRAS POSTERIORES CAROLI CLVSII:

Quorum quædam ab ipso memorantur, sed non describuntur, quædam ad ipsum missa, Curis suis Posterioribus adiungere nequiuit morte præuentus; quædam, quia eiusdem argumenti erant, à nobis addita sunt.

HOXOCOQVOMACLIT.

CVM *nomen huius herbæ magnam affinitatem habeat cum Quamoclit (cuius iconem delineari curauerat paullo antè mortem suam Cl. & Piiss. Mem. Carolus Clusius, cuiúsque descriptionem à Fabio Columna editam Curis Posterioribus inseruimus, vt videre est pag. 4 & 5.) eius qualemcumque descriptionem (sine icone tamen, aut delineatione vlteriori) à Clariss. Ioach. Camerario in Horto suo medico factam, hîc locum habere voluimus. Ea autem est talis:*

HOXOCOQVOMACLIT (sub quo barbaro vel Indico nomine fuit Florentiam, & inde ad nos missa) folia habet propemodum Fraxinellæ: vel potiùs eodem ferè modo quo Cassia siliquosa prodit, nullo in costæ extremitate imparitatem faciente folio. Caules & ramuli, & foliorum oræ rubent. Flores flaui sunt, Cassiæ floribus similes. Hinc emergunt siliquæ oblongæ cylindraceæ, exteriùs per maturitatem fuscæ, intùs purpurascentes, fuscis granis distentæ. Radix nigro cortice obducitur: quo abraso, flauescit; & fibris plurimis constat: viuitque sex tantùm menses, gelu impatientissima planta, & apricum vulturnoque expositum locum desiderans; alioquin nec flosculos explicat, nec spem frugis facit. Odor illi grauissimus, & planè abominandus: sapor subdulcis, non ingratus, cum aliqua adstrictione, pænè vti Chebulorum, minùs tamen adstringens: radicis verò amarus & Polypodii saporem repræsentans, cum dulcedine aliquâ, nisi quòd non ita filiceum quiddam sapiat. Folia explicat oriente sole; cadente remittit, & in se contrahit, vt peritura videatur qui anteà non obseruârunt: & hoc quidem cum aliis quibusdam leguminosis habet commune. Sed hoc inprimis notatu dignum, alarum cauis, quâ parte caulem amplectitur latior costarum extremitas, innasci verruculas paruas rubentes, quæ intensissimo æstu exudant liquorem candidum, purum, pellucidum; vt minutas margaritas referret, si paulo maior eius copia emitteretur. Viscosus is est, ac dulcissimus; ideoque à muscis auidissimè expetitur. Inesse huic plantæ vim quandam planè peculiarem, nemo negârit, qui semel attentiùs paullò ipsam considerauerit. *Hæc Camerarius: ex quibus verbis facillimè cuiuis discrimen quod inter duas hus peregrinas plantas (Quamoclit nempe & Hoxocoquomaclit) est, liquere poterit.*

Hoxocoquomaclit, Indica stirps.


TRAGACANTHA.

Pag. 109. Historiæ Rariorum plantarum, post finem capitis LXXVI de Tragacantha & Poterio, addi posset sequens Tragacanthæ icon, quæ nobis transmissa est è Galliæ Prouinciâ, nempe Aquis Sextiis, ab Amplissimo & Nobiliss. Viro Nicolao Fabricio, Domino de Peiresc, Consiliario regio in supremo Senatu Aquensi, cum literis ad Clariss. Clusium anno 1609 destinatis mense Februario: quæ literæ quamuis aliquot diebus post obitum Cl. Clusii ad nos perlatæ sint; tamen cùm hanc Tragacanthæ exactiorem quàm vsquam alibi excusa sit, delineationem animaduerteremus, tantum tanti viri beneficium minimè negligendum esse rati sumus: sed calci huius capitis adiiciendam.

Tragacantha altera.

Expressa autem hæc icon ex florente plantâ: in quâ simul, ac etiam separatim, videre est folia, spinas, flores, fructus & semina. Foliorum autem mediæ alæ, seu nerui, sunt acuminatæ, & deciduis vtrinque foliis in nudam spinam eodem anno indurescunt. Sed Tragacantha legitima non amittit folia vetera, antequam noua succreuerint: cùm hæc, quam Tragacantham alteram vocamus, folia sua hieme amittat; nouis non ante primum ver succrescentibus.

Tragacanthâ in Galliæ Prouinciâ nascentis icon accuratior.



TVLIPA BICOLOR, *tribus luteis, & tribus rubris foliis, Caccini.*

Pag. 150 Historiæ Rariorum plantarum, post calcem capitis IX, aut potiùs descriptioni Tulipæ Persicæ præcocis, quam hoc libello dedimus, nempe pag. 9 & 10. subiungi potest & mira atque admodùm rara Tulipæ species, ab Ill. Matthæo Caccini, Florentiâ Lugdunum Batauorum transmissa præcedenti anno 1610, ad Christianum Porretum: in cuius horto hoc anno 1611 prodiit. Folia autem habet valdè angusta, Hyacinthinis non latiora, obscurè viridia. Sed qualia futura sint, cum huic aëri assueuerint, ignoratur. Flos autem ipse, vt idem Nob. vir in literis suis monuit, constat sex foliis, quorum tria rubra sunt, tria verò lutea, amœnissimo & rarissimo spectaculo.

NARCISSVS MAXIMVS, *pallidus, amplo calice flauo.*

Narcissus omnium maximus.

RARVM & hoc Narcissi genus, quod in horto suo alit Christianus Porretus, Bruxellis transmissum (vnde eò perlatum, & vbinam vulgare sit illud genus, ignoramus) quod à magnitudine floris *Narcisse Nompareille* Gallicano idiomate appellatur, id est, Narcissus Incomparabilis, seu Narcissus cui alius in genere suo compar aut æqualis magnitudine non reperitur: (Clarissimus tamen Clusius maiorem amplitudinem in caulibus & foliis Narcissi sui totiùs lutei multiflori, à Clariss. Simone Touar accepti animaduertit: & inter Pseudo-Narcissos quidam sunt, qui caulium & foliorum altitudine, & præsertim floris amplitudine, huic non cedant.) Folia autem habet plusquam sesquipedem alta: incana, satis lata, & ferè carinata. Caulis bipedalis, vnicum florem profert, magnum, foliis sex pallidis aut dilutè flauis constantem, satis latis, sed mucronatis, cingentibus medium flauum, vel exactiùs luteum tubum seu calicem, vnciâ longiorem, inferiori parte angustiorem superiori magis patentem, oris paulum incisis; intermedius stylus luteus breuis, & sex quasi luteâ farinâ conspersis apicibus veriùs quàm staminibus circumdatus. Odor floris non ingratus, sed obscurus.

DIFFERT

DIFFERT autem hic Narcissus Maximus à congenere suo illo alio Narcisso Latifolio, flauo flore, amplo calice, quem à Gen. Dominâ de Mathenesse acceptum in Curis hisce posterioribus describit Clusius: qualis & in horto Christiani Porreti floruit mensibus Martio & Aprili, hoc ipso anno 1611: sed flores habebat plerunque binos coniunctim ex vno membranaceo folliculo prodeuntes; cùm ille quem Clusius descripsit, vnicum duntaxat florem tulerit: prætereà color illorum qui in Porreti horto florent, intensè luteus, nec ita pallidus, vt suum describit Clusius. Ita in eiusdem generis floribus ludit Natura. *Varietas Narcissi latifolii flauo flore, amplo calice.*

NARCISSI ALBI MEDIOLVTEI VARIETAS.

Præter communes differentias Narcissi albi mediolutei (aliud enim genus coronam habet pallidam planè, aliud flauam seu exactiùs luteam; aliud item breuem planè, aliud ferè tubiformem) aliud quoddam genus alit Christianus Porretus, satis serò florens, foliis latis, canis, magnis & altis: quod non vnicum florem habet, sed quatuor aut quinque flores ex vno membranaceo folliculo protrudit: quorum singuli tamen æquè magni sunt ac vulgares mediolutei, sed calix eorum seu corona paulo maior, & magis crocei coloris, nec ita pallescentis, vt vulgaris: alioqui odor valdè gratus.

NARCISSVS ALBVS, LVTEO LONGIORE CALICE.

IN Appendice Altera descripsit Clariss. Clusius aliquot Narcissi species oblongo calice, multùm tamen à Pseudonarcisso albo, luteo tubo, differentes; & multo post Pseudonarcissos præcoces, imò cum serotinis Narcissis, florentes: nempe vnam speciem, cuius folia satis angusta sunt, carinata tamen, cæsii ex viridi coloris, flore albo sex foliis constante, circumdantibus medium calicem flauum, semunciam longum, oris aliquantum incisis, & quodammodo fimbriatis, admodum grati odoris: Et alteram illi similem, à Venerio acceptam, cuius calicis oræ magis erant croceæ: Ac tertiam, quam Porretus ab eodem Venerio accepit, cuius sena folia ex albo pallescebant, aut ὠχρόλευκα erant; calix multo latior & oras planè croceas habens. Cuius quoddam genus hoc anno 1611 in eiusdem Christiani Porreti horto floruit; floribus magnis, non sex foliis constantibus, sed octo, niueis aut candidis, sed angustioribus & oblongis, ita vt stellæ instar radiatim disposita videantur; verùm odore grato & reliquis signis, nihil ab aliis differentibus. Sed anno 1611, extremo Martio, & ineunte Aprili habuit idem Christianus Porretus similis ferè generis Narcissos florentes, non ita serotinos, sed præcociores, & minores, è Pyrenæis erutos, & à D. Petro Gassano missos, eosque triplicis speciei: Vna enim species lata & carinata habet folia, non incana, sed viridia, ferè qualia Leucoii bulbosi vulgatioris, pedem alta: caulis foliis breuior, florem fert sex foliis albis constantem, satis grandem, sed tamen minorem illo, quem à Cl. Clusio descriptũ suprà memorauimus: inter ea emergit tubus exactè luteus seu flauus, semunciâ longior, cum stilo intermedio, sex staminibus farina luteâ cõspersis cincto; interdum longioribus ipso stilo, interdum verò breuioribus. Odor non ingratus, sed obscurior. *Narcissi albi oblongo calice præcociores.*

Altera eius species folia habet angustiora, non tamen ita angusta, vt iuncifolia dici queat: caulis alioqui & floris magnitudo ac forma conueniunt cum priori. Floris folia in vtraque hac specie, alba sunt; ita tamen vt pallorem aliquem occulant: qua nota præcipuè à serotinis, id est, iis, quos Clariss. Clusius in Appendice altera descripsit, secernuntur.

Tertia species foliis & caulibus, ac florum forma & tubo flauo cum prioribus duabus conuenit: sed sex folia tubum cingentia non alba, sed planè pallida apparent, & paulo sunt angustiora, & acuminatiora.

NARCISSVS AFRICANVS FLAVVS, *polyanthes.*

Rarum & hoc Narcissi genus, quod in eiusdem Christiani Porreti horto florens vidimus, huius anni 1611 extremo Martio & ineunte Aprili, vnà cum reliquis Narcissis præcocibus, nomine *Narcisse d'Algier* ad ipsum è Galliâ missum. Habet autem illud folia lata valdè, bipedalia, aut pede altiora, non adeò cana; inter quæ latet caulis breuior, crassus, rotundus, firmus, ex vno membranaceo folliculo flores producens duodecim aut plures; (quorum singuli maiores sunt, quàm reliquorum Narcissorũ, qui plures simul vnico cauli innascentes flores producunt, & paulo minores vulgaribus medioluteis aut mediopurpureis Narcissis) prorsus flaui & splendentis lutei coloris: è quorum medio exilit calix longus seu tubus, patulus, magis flauus quàm ipsa folia, (minor tubo Narcissi iuncifolii qui ab amplo calice nomẽ habet, & primo loco à Clusio describitur inter iuncifolios, maior *Narcissus Africanus.*

autem illo calice, qui in Narcisso pallido medio-aureo conspicitur) admodum grati odoris; minimè crenatis aut incisis marginibus, sed præfectis quodammodo & æqualibus planè oris: in cuius medio apices sex lutei, farinâ quasi conspersi, non conspicuo stylo seu pistillo.

NARCISSI PALLIDI MEDIOAVREI *varietas.*

Narcissus sulfurei coloris minor.

Alit idem Porretus Narcissorum pallidorum medioaureorum duo genera, præcocia, ex Italia ad ipsum ab Illustri Viro Matthæo Caccini transmissa. Quorum primus minor folia habet qualia vulgaris Narcissus medioluteus, latiuscula, pedalia ferè: caulis altior, ex vnica vagina seu membranaceo folliculo profert tres plerunque, sed interdum plures flores, illis qui similis ferè generis Pisâ Italiæ, aut Byzantio transmissi sunt, itemque vulgatiorum iunci-foliorum floribus non maiores, sed collo breuiori, sex foliorum valdè pallidorum seu sulfureorum texturâ constantes, cingentium coronam longiusculam, sed patulam, nec tubi aut calicis formâ præditam, croceam seu auream, cum apicibus plurimis quasi farinâ conspersis. Odor non ingratus. Similes è Gallia in Pyrenæis montibus erutas accepit à D. Petro Gassano idem Christianus Porretus.

Narcissus sulphurei coloris maiusculus.

Alter maior, folia habet sesquipedalia, viridia, non incana, angusta pro longitudine: inter quæ emergit caulis breuior ipsis foliis, sed tamen plus quàm pedalis, plures ex vno folliculo flores protrudens, sex foliis pallidis, ac propriè sulfurei coloris constantes, (vnde & nomen suum *Narcisso solfarigno* Italico idiomate obtinuit) intermedio calice prorsus flauo, breui, sed tamen tubiformi, cum stylo breuiculo & paruo intermedio, tribus tantùm apicibus cincto. Odor gratus.

NARCISSVS TOTVS LVTEVS SEMPERFLORENS, *Caccini.*

Post descriptionem Narcissorum latifoliorum, nempe pag. 158, aut saltem ante genera Narcissorum iuncifoliorum, describi posset & sequens admodum rara Narcissi lutei species, anno 1610 Florentiâ ab Illustri Matthæo Caccini Lugdunum Batauorum ad Christianum Porretum transmissa; in cuius horto hoc anno 1611 mense Martio extremo floret.

Narcissus angustifolius totus luteus, semperflorens, Caccini.

Folia habet angusta, pedem aut circiter longa, coloris obscurè virentis, & aliquo modo carinata, media quodammodo inter folia Pseudonarcissi Hispanici, & vulgatioris mediopurpurei Narcissi; saltem latiora, quàm vt iuncifoliis accenseri debeant. Ideoque angustifolius Narcissus vocari non incommodè poterit. Inter hæc folia, quæ satis numerosa ex vnica radice prodeunt, caules aliquot assurgunt, singuli duos aut tres flores proferentes paruos, luteos, media corona seu calice breui, prorsus flaui coloris, odoris obscuri.

Scribit autem idem Nob. vir, illam esse naturam huius Narcissi, vt (in suo horto Florentiæ) singulis caulibus multos flores gerat, vsque ad quindenos: idque sæpius in anno: ita vt numquam desinat florere, ac ideo inter perpetuò florentes, hæc planta numerari debeat: quin & ex adnatis suis bulbis, quos eodem quo terræ cõmissa est, anno plures habere solet, illo ipso anno alios caules & flores proferre. Quæ res profectò mira est, & rara adeò, vt nuspiam huiuscemodi speciem Narcissorum florentem viderit idem ille Nob. Vir, quàm in suo horto, & apud alium quendam Florentiæ. Sed si hunc aërem ferre possit, (quod sperandum est: Narcissi enim plerique aëris qualemcumque mutationem sine incommodo pati consueuerunt) eâdem voluptate illos perpetuò florentes spectandi fruituros nos esse, confidimus.

ANEMONE TENVIFOLIA *flore suauerubente, Caccini.*

Eodem anno 1610 misit idem Nob. Vir Matthæus Caccini Florentiâ, ad Christianum Porretum pharmacopœum Lugdunensem in Batauis, speciem quandam Anemones tenuioris folii, cuius flores admodum magni, suauerubentis, siue carnei viuacissimi coloris, cum fundo seu vnguibus albis: quales in genere latifoliarum Anemonum interdum videre est, sed inter tenuifolias non item.

HELIOCHRYSON.

Heliochryson Creticum.

Elеochrysi, seu Eliochrysi cuiusdam meminit in Epistola sua ad Clusium Honorius Belli, quæ est pag. ccc. Historiæ Rariorum plantarum: nempe herbæ cuiusdam in Creta satis vulgaris, elegantissimæ, quæ tota tomentosa est, folia ferens longa, angusta, caules dodrantales;

drantales; quorum verticibus innaſcuntur vmbellati flores, aurei pulcherrimi, corymborum æmuli, qui in pappos reſoluuntur: ſed ante maturitatem aut defloreſcendi tempus carpti, perpetuò durant, eodem aureo colore fulgentes, ſi ſicco loco reponantur. Hæc ferè ſunt verba Honorii Belli.

Porrò huiuſmodi plantam ſiccam, aut eius ramos aliquot cum foliis, & florum corymbaceis vmbellis aliquot miſit Florentiâ ad Clariſs. Cluſium, Illuſtris vir, Matthæus Caccini, vnà cum eiuſdem icone, quam & delineari curaſſet idem Clariſs. Cluſius, niſi morte præuentus fuiſſet; aut ſi elegantiſſimæ huius plantæ plenam deſcriptionem nanciſci potuiſſet. Quam cùm nec nunc habeamus, tamen aliqua eius mentio hîc fieri debuit, propter ſummum deſiderium quo Clariſs. Cluſius eius deſcribendæ tenebatur. Et ſanè propter elegantiam ſuam meretur hæc planta omnibus Philobotanon hortis ali, & maximâ curâ aſſeruari, quod iam hodie in Italia fit aliquot locis, vt ex eiuſdem Nob. Viri Matthæi Caccini literis patet. Herba autem eſt foliis longis conſtans, ferè Gnaphalii ſimilibus: inter ea caules emittens ſeſquipedales ferè, aut, vt in literis ſuis annotauit idem Matthæus Caccini, altitudine Tulipæ ſerotinæ, tam copioſos ex vnà radice prodeuntes, vt interdum octoginta aut centum rami in vnâ plantâ numerari poſſint, florum corymbis onuſti, qui adeò latè ſe expandunt, vt quis eos brachiis ſuis vtrimque reductis comprehendere omnes non poſſit. Annua non eſt planta, ſed calidioribus locis & regionibus culta, qualis eſt Italiæ Etruria, per aliquot annos ſuperſtes manere poteſt, & quotannis è radice ſua nouos caules & flores emittere. Flores confertim creſcunt, pediculis pluribus coniunctim aſſurgentibus æquali ferè altitudine, ita vt vmbellam quandam repræſentent: ſinguli autem flores longiuſculis petiolis innixi, folliculoſi ſunt, aut ſquamatim inſtar exiguorum inuerſorum conorum compacti: inferiùs enim pauciores ſquamulæ ſunt, quæ paulatim copioſiores fiunt, & ſe expandunt cum ſuis intermediis luteis tenuiſſimis ſtaminibus: (ſed ſingula foliola planè ſunt ſplendẽtis aurei coloris;) adeò durabiles & aëris mutationi reſiſtentes, vt per aliquot annos permanentes, recens carpti videantur, aureo ſuo fulgore, maximè ſi ſolis radiis opponantur, valdè arridentes: adeò vt non ſine cauſa Heliochryſon dici mereatur hic flos: ob quam ſuam gratiam in Græcia, & præſertim Cretâ, etiamnum à feminis ad capitis aut humerorum ornatum coli conſueuit. Ob eandem autem ſuam durabilitatem flores hi multo meliori iure *Amaranthi lutei* nomen obtinebunt, quàm hactenus cognita Eliochryſa; quorum aliquot tamen genera in Italiæ multis locis, *Amaranto giallo* nominantur.

ALOE *quædam quæ Auenione creuit.*

Pag. 18 Exoticorum hiſtoriæ, poſt finem capitis de Harundine Indica, ſubiungi poterit epiſtola quædam doctiſſimi viri D. Doctoris Fontani, quam ad nos Aquis Sextiis miſit Ampliſſimus & prudentiſſimus Vir Nicolaus Fabricius Dominus de Peireſc, incluſam literis ſuis ad Clariſs. Cluſium deſtinatis: quæ quamuis poſt mortem Clariſs. Cluſii ad nos perlata ſit, locum in his Additamentis aliquem mereri nobis videbatur. Ambiguum autem quibuſdam eſſe poſſet cui potiſſimùm capiti attexi debeat: nam ſi opinionem quorundam ſequamur, deſcriptioni Harundinis Indicæ, vt diximus, ſubiungenda erit; quoniam & illi exiſtimant iſtas harundines aut ſtipites adeò ſtupendæ craſſitudinis & longitudinis, qui in porticu Horti Academici Lugduni Batauorum aſſeruantur, non Harundinem, aut arboris Mambu ſcapum ſeu truncum, ſed potiùs Aloës cuiuſdam Indicæ ſtipitem eſſe. Alii verò nihil iſtas Harundines cum Aloë commune habere autumant: & ideò hanc epiſtolam non hoc loco ponendam eſſe aſſeuerant; ſed fortaſſis meliori iure capiti de Aloë Americana (Rariorum plantarum paginâ CLXI) attexendam eſſe. Quicquid ſit, temporis diuturnitas, & induſtria eorum qui in peregrinas oras poſthac nauigaturi, rei veritatem indagare non cunctabuntur, declarabit. Interim Epiſtolæ huius hæc ſunt verba:

ILLVSTRISSIMO *Domino*, D. BLASIO CAPISVLA, *Pogii Latini Marchioni*, AVENIONENSI GVBERNATORI *vigilantiſſimo, militiæ Pontificiæ & Comitatus Venaiſcini præfecto prudentiſſimo*, IACOBVS FONTANVS, *Doctor medicus felicitatem exoptat.*

NATVRA diues (Generalis Illuſtriſſime) multa quotidie noua è ſuo locupletiſſimo penu in lucem emittit, quo ſuam eximiam poteſtatem mortalibus patefaciat, & multa futura tum iam enata monſtret: ob id non pauci monſtrum appellatum ſunt arbitrati, quod hominibus plurimos monſtret euentus. Auenioni in horto D. Doins, iuxta murum domus proximæ meridiem verſus, nata eſt Aloë ab hinc

centum

centum annis,vt communis Auenionensium fert opinio,cuius folia in origine palmo ferè crassa, longa palmis decem aut duodecim. Hæc Aloë ad hunc vsque annum nunquam caulem emiserat. Caulis ex ea oriri cæpit Sexto nonas Maii,quæ dies Sanctæ cruci colendæ erat dicata, 1599. Hæc intra 45 dies creuit ad triginta duos palmos. A medio ferè huius caulis ad summum vsque ramos siue surculos emisit 29, perinde efformatos ac brachia candelabrorum quæ Illuminationis causa in aulis Magnatum suspenduntur, origine recti, tandem sursum recurui: in quorum fastigio summo valgæ enatæ sunt plurimæ, hastulæ regiæ valgis non absimiles,quibus suprema parte hærebant flores crocei,floribus rosarum capillamentis inhærentium non dispares. Repentinum huius caulis incrementum cunctis admirandum extitit. Accurrebat ciues vndiquaque,nec non è proximis vrbibus homines promiscuè omnis conditionis; inter quos multi aderant viri præstantissimi,qui plurimas orbis regiones suis Peregrinationibus perlustrauerant; qui ingenuè profitebantur se Aloës propè infinitas in variis mundi partibus conspexisse, nunquam tamen caulem parem. Horum sermonibus & veritatis studio commotus, libros illos euoluendos putaui qui principes haberentur in plantis describendis. Dioscorides testatur caulem Aloës esse hastulæ regiæ cauli similem, & flores albos illi tribuit: Plinius sententiæ Dioscoridis subscribit cap.4.lib.27. historiæ naturalis. Ex quibus differentiis nonnulli coniiciebant hanc Aloëm diuersam esse ab ea quam illi authores depinxerunt, atque Marinum Sempervivum vocitandum sunt arbitrati. Christophorus à Costa Aloëm sempervivum marinum appellatam scribit, quæ conseruatur virens toto anno. Quare hæc planta Aloë est & verè dici potest. Superest vt hominum solicitis studiis satisfaciamus: Forsan caulis hic omnium sententiâ incrementi celeritate prodigiosus, significat miram huius nobilissimæ Ciuitatis pietatem & diuini cultus miram obseruantiam, aut grandes doctrinæ fructus qui in dies magis ac magis crescunt laboribus doctorum pietate insignium, quorum numerus maximus in hac ciuitate excellit. Aloë corpori Christi conseruando reuera incorruptibili ab amicis illius opinione magis, quàm necessitate fuit vsurpata. Non enim passus est deus sanctum suum videre corruptionem. Potest ergo Aloë rerum diuinarum & sacrarum conseruationem nec non incrementum significare. Physici limitibus naturæ contenti, huius effectus rationem reddent suppositis effectuum naturalium causis; quarum prima est materia: Hæc namque Aloë centum annis nata multam & copiosam materiam accumulauit. Secunda est efficiens: Æstas namque huius anni fuit calidissima, & siccissima. Si autem ad vim causæ efficientis accesserit patientis præparatio, inde facilè effectus emerget. Hic igitur materia multa collecta fuit, quæ calore rarefacta, cùm crassa sit, Naturæ occasionem præbuit caulem producendi ad hanc quam conspicimus magnitudinem admirandum. Hoc breui describere volui, Generalis Illustr^me. quo aliquam mei in te obsequii partem persoluerem. Vale.

IVNCVS INDICVS *porosus*.

Ex Orientali Indiâ, aut illi adiacentibus insulis adferri in has regiones solet mirum quoddam iunci aut viminis genus, quod Clarissimo Clusio sæpe visum, sed nondum descriptum, quia à nemine veram aut accuratam eius historiam nancisci potuit. Quam etiamsi nec hoc tempore habeamus; tamen eius mentionem fieri hîc debere, monuerant nos quamplurimi, qui illud à Clarissimo Clusio non memoratum nedum descriptum esse mirabantur. Videtur autem hic iuncus viminis vsum in locis vbi crescit habere, adeò tenax, lentus ac flexilis est. Color autem eius pallidus, aut subluteus est; longitudo trium, quatuor aut plurium interdum pedum; crassitudo qualis communi asparago; sine vllo nodo aut geniculo, adeò vt iuncum hac in parte magis quàm arundinem referat: substantia autem interior adeò porosa est, vt si quis ori admoueat vnam extremitatem huius viminis, eique vel leuiter tantùm insufflet, flatus seu halitus ex altera extremitate statim erumpat. quod facillimè apparebit, si quis extremitati vlteriori saliuæ aut liquoris quippiam illinat: simul enim ac quis vna extremitate insufflaturus est, dicto citiùs bullæ ex altera subsilient, pulcherrimo & propemodum stupendo spectaculo. Quem præterea vsum habeat, aut cuius stirpis pars, caulisne, an vimen, an iuncus, an arundo, an aliud quidpiam sarmentum sit, hactenus ignoratur. Adeò negligentes fuerunt illi qui illud ex India in has regiones attulerunt. Quam culpam illos qui posthac ea loca adituri sunt, euitaturos spero. Cæterùm ob porosam illam substantiam huius viminis, suspicari quis posset, fortassis illud caulem aut pediculum esse cuiusdam aquaticæ & altissimas radices in lacustribus locis agentis plantæ, qualis in Batauiæ & vicinarum regionum paludibus est Nymphæa, cuius folia & flores interdum longissimis porosis pediculis innascuntur, & superficiei aquarum innatantia, illo tamen caule seu pediculo radicibus suis inhærent, & inde alimentum trahunt. Sed an tale quid eueniat in Indico hoc vimine, suspicari licet, vt dixi; affirmare non licet.

EXCER-

EXCERPTA *ex Descriptione* NAVIGATIONVM STEPHANI VANDER-HAGEN *Nauarchæ seu Admiralii nauium aliquot, versus Guineam, & Orientales Indias è Bataviâ missarum.*

VINVM quod in Guinea reperiebatur, à quibusdam *Vinum de Palma* nominatum, valdè turbidum erat, & obscuri coloris, subalbum, ferè instar seri lactis; cui aliquot foliola innatabant, aliæque plurimæ ac variæ sordes. Vinum hoc ex Palmarum seu Nucum Indicarum arboribus manauerat; gustantibusque melius multo sapiebat, quàm id duntaxat intuentes sperârant aut opinati fuerant. Et, vt in secunda nauigatione Ambonensi deprehendimus, quantumuis in Amboná nullæ vineæ, aut qualescunq. vuæ, vt nec in vicinis regionibus, colantur aut sponte nascantur; nihilominus tamen Summus Deus Ambonam dotauit maximâ copiâ Palmiferarum arborum, quas *Cocos d'India* aut Nuces Indicas appellant: ex quibus istarum regionum incolæ Indi liquorem quendam potabilem colligunt, Vinum de Palma vocitatum. Liquor hic siccatis cucurbitarum corticibus, qui illis vicem lagenarum supplent, excipitur: sub vesperam enim dictas cucurbitas hisce arboribus admouent seu appendunt; & manè eas hoc liquore plenas reperiunt. Quæ res Indis adeò procliuis est, facileque parabilis, ob immensam harum arborum copiam, vt illis huiuscemodi vino semper & quotiescunq. ipsis lubet, frui liceat, quod ipsum gustu multo melius est (vt supradiximus) quàm visus spoponderat aut promiserat; imò qui paullò largiùs inde bibunt, etiam inebriantur. Non diu tamen durat hoc potionis genus: nam quod manè ab arboribus relatum est, pomeridiano tempore plus dimidio deterius fit, quàm manè fuerat; & postero die planè inacuit. Hollandi istas regiones incolentes, inter pastum huiusmodi vino plerunque vtuntur, sed post pastum aquam potare consueuerunt. Quin ipsi Indi & Lusitani inquilini rarò hoc vino vtuntur, dicentes malum inde sanguinem generari. Ex hoc vino de Palma per artem distillatoriam extrahi solet vinum quoddam stillatitium seu Spiritus vini, aut Aqua vitæ, vt vocant, ipsis incolis *Arak* dictum, quod ditiores aut alicuius saltem facultatis Lusitani emere solent, & inter prandium aut cœnam paruulis cyathis potare, ad ciborum succorum in ventriculo concoctionem iuuandam. Incolæ earundem regionum cis breue tempus Tabacci, seu Nicotianæ fumum vsurpare siue haurire à Batauis didicerunt, cuius rei anteà planè ignari erant, contenti hactenus vnico *Betule* foliorum vsu, dicentes eius Betule folia mansa sitim ipsis leuare, ventrem calfacere, ventriculumque expurgare. Ex eisdem insuper arboribus & earum fructibus *Cocos* dictis Oleum, Lac, Mel & Acetum colligi aut apparari consueuit. Nucleus, seu interior earum pulpa, gustu nostrates Nuces Auellanas quodammodo referens, ab inquilinis comedi solet ipsorum *Sagu* seu farinæ permista: sed id promiscuo vulgo & seruis magis commune. Ex hirtis Nucum inuolucris, seu paleaceis integumentis norunt Ambonenses magnos restes, seu funes conficere, quibus Lusitani in nauibus suis vtuntur. Sed & aliud ibidem funium genus torquere solent ex herba quadam Sparto Hispanico non absimili, quam alioqui setas equinas quis esse iudicaret: qui funes multo meliores sunt supradictis è Cocci cortice, & meliùs aquæ iniuriis & putrefactioni resistunt.

Vinum de Palma. *Arak.* *Betule.* *Funes ex corticibus Nucum Indicarum.*

Vsurpant & *Oleum de Palma* suum in medicinâ: præsertim vt membra & articulos neruosque emolliant, quod Nauarcha seu Admiralius Vander-Hagen ipse cùm regem Sabo admodùm decrepitum senem accederet, oculis suis vidit: nam dictus rex igni luculento assidens, à duabus Æthiopissis vxoribus suis hoc oleo assiduè vngebatur & fricabatur; quod grauem sanè odorem, ignis & caloris vi liquatum, emittebat.

Olei è Coco in medicinâ vsus.

In Guinea, nempe in dicto regno Sabo, incolæ præcipuè vescuntur frumento quodam *Millo* vocitato, quod paruulum est granum, rotundum, Milio formâ, vt nomine, non absimile, sed gustu dulcius. Ex hoc panem conficiunt, modo quem dicam: Ante omnia macerant illud granum: probè maceratum imponunt plano lapidi seu lateri, humani genu altitudine à terra eleuati; illudque assiduè alio lapide manibus suis terunt moluntve, haud secus ac nostrates pictores coloramenta sua comminuere solent: comminutum autem hoc modo frumentum aquâ subigunt, rotunda inde liba aut globos conficientes: quos linteis seu aliis scrutis pannisve inuolutos coquunt, quantum sufficere ipsis videtur. Panis hic non est mali aut ingrati gustus: sed eius confectio mundioribus aut delicatulis quibusdam minimè fortassis arridebit.

Millo, & panis ex eo.

Ex eodem isto grano Millo potionem quandam concinnare nouerunt, coquendo, aut aliter miscendo: quam Admiralius dictus in vrbe Berqu ad mensam regiam inuitatus, maximo

Potio è Millo.

ximo

ximo cùm gustu bibit, vsque adeò vt qui anteà subægrotabat, conualuisse ex hoc potu aut saltim sanior factus, sibi videretur.

Sagu. Vt in tertia nauigatione didicimus, fructus ad humani corporis nutrimentum conducentes, in dicta Ambona nascentes, sunt ante omnia prædictum illud Sagu, ex quo incolæ panem suum pinsunt: estque farina alba instar grandinis, quod nascitur in stipite seu trunco cuiusdam arboris: gustus eius vtcunque bonus: & bene nutrit; vsque adeò vt nostrates ibi habitantes isti pani assuefacti, libentiùs eo vescantur, quàm nostro biscocto seu nautico pane, quod nos è nauibus nostris adferebamus. Cùm autem secunda sua nauigatione, dictus Nauarcha cum sociis suis in terram descendere vellet, vt Sagu (id est, prædictam medullam arboris cuiusdam, candidam vt grando, & pollini minutissimo non dissimilem, ex qua Ambonenses panem suum conficiunt, vt diximus) inde peteret, adeò ipsis eiuscemodi panis placuit, vt aliquoties eadem de causa ad terram reuersi fuerint. Est autem ista medulla admodum tenuis & candida vt pollen siligineus: &, vt supra dictum, nascitur in trunco arboris cuiusdam Palmam arborem nō malè referentis; sed adeò mollis materiæ & corticis, vt eam cultello mensario penè transscindere queamus. Hanc farinam igitur ex dictis truncis desumptam, manibus subigentes & depsentes, aquâ madefaciunt, cauisque lapidibus, in hunc vsum antè candefactis, pastam istam includentes, percoquunt: aut calidis lateribus assellisve impositam eandem pastam, haud secus ac nostrates liba è fagopyro solent, coquunt. Ditiores depsunt hanc farinam lacte è dicta Palma arbore desumpto madefactam: quod huic pani multum gratiæ addit, saporisque dulcedinem auget. Conficiunt inde & alia fercula instar pultium nostratium, & alia quamplura huiuscemodi.

Canes muti in Guinea. Prima sua Nauigatione inueniebat dictus Nauarcha Vander-Hagen in Palatio cuiusdam regis ad flumen *Chestos* in Guinea, canem quendam maiorem seu molossum Germanicis similem, qui occipiebat latrare, secus ac illarum regionum canes consueuerunt: quorum ea natura est, vt nullam vocem edant, sed semper muti sint ac permaneant.

Aligali seu Ciuetta. Videbat ibidem insuper caueas seu cortes aliquot ligneas magnas, in quibus Aligali seu Feles Zibettam aut Muscum habentes nutriebantur: quas rex ille ibidem alebat, vt inde Aligaliam aut Ciuettam colligeret.

Malaguetta. In dicta Africæ regione Guineâ abundè crescit semen, *Greyn* (quasi Granum) nostratibus dictum, officinis *Malaguetta*, præsertim circa promontorium dictum *Cabo de tres puntas*: ob quam causam totus ille tractus à nostris nomen sortitur *De Greyn-custe*: quasi dicas, Littus Graniferum; id est, Tractus regionis in qua Malaguetta crescit: Secunda autem Nauigatione, cùm in sinu, dicto *La baya d' Antongil* quiescerent, sub insula *Santa Maria* inueniebatur maxima copia dictæ Malaguetæ adhuc immaturæ, nempe baccæ rubræ, admodum gratæ gustatu, & sanæ esu.

Angues immanes in Sabo. In siluâ vicinâ Sabo, (primâ nempe Nauigatione) multi visebantur angues admodùm venenati, & permagni, imò sedecim, octodecim ac viginti pedum longitudinem superantes, & crassi è proportione; quos tamen incolæ capere non reformidant; imò & iis maximo cum gustu vescuntur.

Angues immensi in Ambona. Tertia Nauigatione in Ambonâ etiam immanes angues visi, viginti & viginti quinque pedum longitudine, aut maiori, crassi pro ratione, qui integras gallinas, imò & cercopithecos deuorabant. Nam anno 1600, in occidentali dictæ insulæ tractu, huiusmodi serpens occisa, in cuius ventre integra felis reperta: cuius serpentis corium seu exuuium integrum ad dictum Admiralium Vander-Hagen relatum fuit. Qui cùm in Banda anno 1605 Angues similes in Banda. nosocomium quoddam seu domum curandis ægris suis in maritimis locis extrui curasset, accidit noctu, splendente Luna, talem anguem in dictas ædes intrasse, postesque ascendentem, gallinas aliquot ex summo ædium culmine rapuisse, & deuorasse, spectantibus ægris; qui in lecto suo decumbebant, & non sine maximo horrore & metu immanem istam belluam aspiciebant: tantæ enim longitudinis erat istud monstrum, vt maximâ corporis sui parte adhuc humi serperet, nec totâ adhuc mole assurrexisset.

Cousa. Eodem tertio itinere visebatur ibidem mirandum ac rarum quoddam animal, incolis *Cousa* vocitatum, paulo maius quàm felis nostratis, russis pilis, quod ventri suo vtrem quendam seu saccum appendentem gestat, villosum & hirtum, in quod & papillæ ipsæ desinunt: cui catuli huius animalis adnascuntur, dictas papillas ore suo assiduo tenentes, vsque quò iustam suam magnitudinem nacti à matre partu excludi possint. Post quod tempus tamen adhuc in dicto isto vtre manent sugentes; vsque quò adultiores facti ma-

trem

trem ſequi, & cum illa paſtum ire, victumque quærere poſſint: tunc enim mater eos planè excludit & reiicit. Veſcitur autem hoc animal gramine & herbis viridibus, aut oleribus. Carnes eius à Luſitanis, aliiſque Chriſtianis harum regionum inquilinis in cibo aſſumi conſueuerunt: ſed Mahumetis ſequaces eas inter prohibitas ſibi carnes aut cibos habent; ſiquidem cornibus caret hoc animal.

Cùm dictus Nauarcha Vander-Hagen primo ſuo itinere, nempe anno 1598, rediret è Sabo verſus Mourre, in Guineâ, conſpicatus eſt in latiſſimis campis, & vaſtâ ac pauciſſimis arboribus conſitâ ſteriliqúe planicie, multos tumulos è rubrâ terrâ aggeſtos, haud ſecus ac in Belgio fœnorum acerui per demeſſos campos ſparſim conſpici conſueuerunt fœniſecii tempore. Ad quos tumulos cùm accedens, eoſdem penitiùs adſpiceret, animaduertit eos vndiquaque peruios ac foratos eſſe, contextos à quibuſdam exilibus vermiculis; quos ibidem affluenter circumrepentes ac vagantes contemplari erat, vt apes apud nos aluearia ſua circumcurſare ſolent. Hi tumuli quantumuis trium orgyiarum altitudinem, aut circiter quindecim & ſedecim pedum menſuram ſuperarent, à minutulis hiſce animalculis, vt Æthiopes inquilini affirmabant, triginta aut quadraginta dierum ſpatio corraſi fuerant & aggeſti. Quæ res profectò miranda eſt aſpectu, & digniſſima notatu. *Vermiculi in capis Aethiopiæ.*

Haud procul inde occurrebant dicto Nauarchæ aliquot armati Æthiopes, maximo fremitu incedentes, onerati carnibus cuiuſdam immaniſſimi elephanti, qui miliari vno inde vel paulo vlteriùs occiſus aut mactatus iacebat. Ad quem locum cùm & ipſe Vander-Hagen deueniſſet, eundem elephantem immenſæ magnitudinis fuiſſe deprehendit: quippe cùm aliquot centuriæ Æthiopum huius elephanti carnes domos ſuas retuliſſent (veſci enim elephantinis carnibus ſolet illa gens) vix tamen aliquid inde deſumptum eſſe (vt ita dicam) animaduerti poterat. Socii enim ipſius nauales, dicti elephanti cadauer aſſcendebant, haud ſecus ac ædes quaſpiam; non ſine ſummâ omnium ipſorum admiratione: tantæ molis fuerat vaſtum ac immane huius elephanti corpus. *Elephas admodùm magnus.*

Meminit & idem Nauarchus magni cuiuſdam, & valdè feri ac immanis piſcis *Haye* dicti, adeò vt ſæpiùs nauales aliquot ſocios ab illius generis piſcibus deuoratos aut ſaltem interemtos fuiſſe afferat. De hoc & in ſecundâ ſuâ Nauigatione ſcripſit: vidiſſe nempe ſe vnum ex hoc genere, circa inſulam Sancta Maria dictam, adeò immanem, vt vix paulo minor Cete aliquo aut Balænâ videretur, comitatum maximâ copiâ aliorum congenerum minorum; qui tanquam Princeps aliquis aut dux cum ſuis ſatellitibus, vel prætorianis militibus, natabat: ſub quibus multi minuti piſciculi varicolores ſine metu aut damno natabant; quamuis alioqui ea natura ſit huius piſcis, vt non ſolùm hominibus, ſed & aliis piſcibus infeſtiſſimus & pernicioſus eſſe debeat: Quare Æthiopes ac etiam Indi hoc genus piſcis admodùm metuere & horrere conſueuerunt. *Haye.*

In Guinea circa promontorium dictum *Cabo Lopez Gonſaluez*, idem Vander-Hagen conſcenſa ſcapha cum aliquot è ſociis ſuis naualibus aduerſo flumine nauigans, verſus oppidum Vlibatto, deprehendit in dicto flumine multos Hippopotamos ſeu Equos marinos, dimidio maiores quàm ſint terreſtres noſtri equi; qui ab Æthiopibus ibidem capiuntur & in cibum aſſumuntur. Quin & in ipſo oppido plurima horum equorum capita monſtrabantur: è quibus & aliquot dentes mirandæ magnitudinis à comitibus eius relati ſunt. In mediterraneis eiuſdem regionis reperiuntur plurimi Bubali, aut potiùs Buffali ſilueſtres, nec non & elephanti, quos ibidem frequenter paſcentes videre eſt. Ad dictum promontorium, inter inſulam Coriſco viſebátur eo tempore admodùm multæ Balænæ immanes, perſæpe tam nocte quàm die haud procul à nauibus emergentes, cum admodum horrendis aquarum eructationibus: ſed tamen nihil damni ab ipſis vlli iſtarum nauium illatum fuiſſe, teſtantur omnes. Nautici nihilominus ſocii, duo aut tres ſimul in vnum ex iſtis Cetis collineantes, ſclopis ſuis maioribus petentes caput, tetigiſſe quidem id ſe compererunt; ſed an eos læſerint ignorabant: nam ab ictu percepto merſerunt ſe ſub aquis dictæ Balænæ: nec poſtea vnquam magis comparuerunt. *Hippopotami, ſeu Equi marini.*

Iuxta inſulam *De Mayo*, ſecundâ Nauigatione ſocii nauales ex noſtrâ claſſe ſagenæ vnico tractu 436 grandiores piſces ceperunt, illius generis quos Capitones quidam Latinè, Itali *Cefali*, Hiſpani verò *Liſſas de Mar*, noſtri autem *Harders* vocant, admodum pingues & ſaporis gratiſſimi; quorum quidam duos pedes longi erant; ſed minimi, pedis longitudinem ferè attingebant. *Piſcium magna copia.*

Inter inſulam *Anabon* & *Capo Lopez Gonſaluez* plurimos vermes viuos aquæ ſupernatantes deprehendimus, quorum quidam duos, aliquot tres, quatuor, quinque & ſex pedes longi erant. *Vermes aquæ innatantes.*

Aues in naues decidētes. Circa Samatram, eâdem Nauigatione ſecundâ, aues quædam, volando forſitan defeſſæ, ita cicures in naues deciderunt, vt manu à ſociis noſtris naualibus caperentur: erant autem è Larorum & Fulicarum genere, aut quas noſtrates *Zee-Meewen* appellant, longis roſtris, & pedibus anatinis, quæ piſciculorum capturâ viuebant, ſub aquis ſe mergentes: quas tamen eſu non iucundas Nauarcha deprehendit.

Lari aut gauiæ. Tertiâ Nauigatione, gr. 34. p. m. non procul à Promontorio Bonæ Spei, *Cabo d'Eſperança* dicto, plurimi varicolores & maculati Lari conſpiciebantur.

Arundo Indica. In Inſulâ Samatrâ inueniebatur arundinis Indicæ admodùm mirabile genus, variè ſe circum arbores vinciens, & contortiplicatim creſcens, centum, ducentarum, imò trecentarum & plurium orgyiarum longitudine, ita vt eius origo nec finis deprehendi vix poſſet: quod valdè accommodum erat circulis vaſariis conficiendis, quibus vaſa reuiebant ſocii nauales.

Locuſtæ. In reditu è S. Helenâ multæ rufæ ſubalbidæ locuſtæ viſebantur, aquæ innatantes; quarum & quædam in naues ipſas aduolitabant.

Lux ſuperficiem maris illuſtrans. Circa Lineam Æquinoctialem, ſecundâ Nauigatione, ita relucere & ſcintillare ſuperficies maris viſebatur, vt apud nos hiberno tempore viæ niue plenæ reſplendere conſueuerunt: tantumque lucis ad puppim noſtram ſe expandebat, vt ad interiora vſque nauis penetrans, totam eam illuſtraret, haud ſecus ac ſi laterna cum candelis accenſis de clauo pependiſſet. Quæ res multis rei nauticæ veteranis mira videbatur, qui nihil tale vmquam vidiſſe meminerant: Aliqui tamen ex iis qui Guineam verſus ſæpiùs nauigauerant, illud ipſum ſibi interdum vſuueniſſe memorabant.

Cæcitas ſubitò oborta. Eâdem ſecundâ nauigatione, circa inſulam Coruos & Fayal, repente inter ſocios nauales Nauarchæ Vander Hagen cæcitas ſubitanea oborta eſt, aut oculorum obfuſcatio; quæ indies ita increſcebat, vt quatuordecim aut quindecim ex ipſius ſociis repentino hoc malo correpti fuerint; quod propriè nyctalopia dici debebat: nam ſimulac obueſperaſcere incipiebat, adeò obfuſcari ipſis & obtenebrari viſus deprehendebatur, vt ne minimum quidem proſpicere poſſent; adeoque ad nocturnas vigilias obeundas prorſus inutiles, imò ad reliqua quæcunque naualia officia ineptiſſimi redderentur.

Tertiâ Nauigatione, Nauarcha naui cuidam obuius factus eſt circa Socatara, cuius domini erant aliquot Arabes: quam cùm nullis Luſitanorum mercibus oneratam eſſe videret, à patrono eius donatus fuit aliquot fructibus noſtro cælo ignotis; & inter cæteros veſicâ quadam vuis paſſis agigartis plenâ, id eſt, quæ vinaceis ſeu ſeminibus carebant; alioqui admodùm dulces & gratiſſimi ſaporis erant.

Vua ſine vinaceis, ſeu apyrenæ.

Eâdem Nauigatione in flumine Iacatrâ plurimos raros incognitoſque nobis piſces ceperunt, aduerſo flumine ſubnatantes; quos non edules deprehenderunt: Vbi & plurimos crocodilos conſpexerunt: ex quibus vnus nido ſuo inſidebat, ibidem immotus manens, donec à prӕternauigantibus verbere aut ictu conti naualis abigeretur.

Mare albeſcēs. Menſe Iulio, eâdem nauigatione, haud procul ab inſulâ Bandâ, ſingulis noctibus mare albeſcere deprehendebatur inſtar lactis ſeroſi aut ebutyrati, vt vocant: & vt accolæ iſtius maris narrabant, quotannis hæc mutatio circa idem illud tempus accidebat, quæ ipſa mutatio illis idiomate vernaculo *Ayer puty*, id eſt, Aqua alba dicebatur: perduratque hic color vltra menſis vnius ſpatium: poſt quod tempus ſolitum ſuum colorem recipit mare. Nec hoc vllibi accidere videas, quàm circa inſulas dictæ inſulæ Bandæ adiacentes; ita vt mutatio iſta prope Ambonam vix animaduerti queat.

Nucum myriſticarum & macis meſſis. Circa hoc tempus præcipua eſt tempeſtas colligendæ Maci, & Nuci myriſticæ idonea: quarum arbores tamen quotannis ter fructus ferre conſpiciuntur.

Caryophyllorum arbores. Caryophylli, vt eâdem tertiâ Nauigatione præcipuè didicerunt, creſcunt in Ambonâ in altis arboribus, Pyro noſtro non diſſimilibus: quæ nunc maiori copiâ ibidem reperiuntur, quàm vmquam antehac; ex quo nimirum tempore Luſitani eius dominium occupârant; quod ferè quadriennio antè euenit, quàm dictâ regione Nauarcha Vander-Hagen potiretur: nam Luſitani ſimul ac rerum ibidem abſolutè domini facti ſunt, ſtatim multa millia arbuſcularum paſſim per totam illam regionem conſeri curârunt; & illorum veſtigia ſecuti incolæ, indies noua plantaria earundem arborum inſtituunt, maximâ copiâ: nec

nec frustrà; quippe cùm facillimo negotio & felicissimè istæ arbores in dictâ insulâ proueniant & incrementa capiant, imò meliùs quàm in vllâ Moluccarum insulâ: idque passim, sine loci discrimine, tam in planis & vallibus, quàm in editis locis aut collibus. Fructuum tamen prouentus quotannis non æquè vber aut abundans existit: nam tertio plerumque anno fructus in vnâ arbore magni deprehenduntur, sequentibus verò duobus minores paulò. Breuiter, in hac arbore consistunt hodie omnes opes & facultates incolarum dictæ regionis: quæ regio horum trium annorum spatio Societati Indicæ-Orientalis Batauicæ contribuit 2400 bazares caryophyllorum; quorum singulus bazar, vt vocant, 600 pondo Amsterdamica æquat, præter illud quod tectè distraxerunt, aut aliis vendiderunt. Quorum caryophyllorum summa si simul computetur, supra quadraginta auri tonnas æstimabitur; id est, decies centena Hungaricorum millia superabit.

Eâdem regione & plurima genera pulcherrimorum psittacorum inueniuntur, maioris & minoris generis (quorum vltimos *Parroquettos* vocant) diuersicolores plerique, & variegatis plumis tecti: ac inter eos aliquot albi, quorum capita tamen pulcro vertice ornantur, purpurascentis aurei coloris, aut propriè eius coloris qui in malis aranciis conspicitur: quem verticem admodum concinnè attollere seu erigere solent istæ aues, naturâ duce, pulcerrimo sanè spectaculo. Nidificantur & ibidem plurimæ ardeæ, pariter albæ, ac plurimæ aliæ nobis incognitæ volucres. Psittaci albi.

Hæc sunt quæ ex Nauigationibus Amplissimi istius Nauarchæ Vander-Hagen excerpta huic postremæ Clusiani operis Recognitioni adiungere visum fuit; quia pleraq. ad confirmationem eorum quæ à Clarissimo Clusio notata sunt, conducunt; quædam etiam planè noua Lectori studioso non ingrata fore videbantur. Nihil autem in iis immutare voluimus; & in multis non potuimus; quamuis plura solùm tacta aut leuiter memorata potiùs quàm plenè aut accuratè descripta sint. Sperandum est tamen per nauigationes singulas huic studio semper aliquid noui & accuratiùs descripti accessurum: Vt sic Naturæ dotes & miracula non solùm extrinsecè mirari & suspicere, sed & penitiùs rimari ac coram inspicere queamus. Hoc faxit Deus; qui horum miraculorum autor, plura admirationi nostræ semper reseruat, quàm cognitioni indulget.

Emendanda & addenda
NOTIS
CAROLI CLVSII
in Aromatum GARCIÆ Hiſtoriam,

Ex codice Ill. Scaligeri (qui nunc eſt apud Cl. V. Petrum Scriuerium) ipſius manu emendato & aucto.

Exoticorum Cluſii fol. 247 *ad Cap.* XVIII. *Xarabdar* eſt homo à potione:] *Adde*, Eſt autem Perſicum. Perſæ enim ex ſubſtantiuis adiectiua formant additâ paragoge DAR. *Scherabdar* ab Arabico *Scherab*, potio. *Defterdar*, Quæſtor. *Deftar*, eſt ſcriptum rationum, ex Græco διφθέρα. *Kemandar*, τοξότης.

*Fol.*249. *ad cap.* XXIV. *verſ.* 15. quomodo non vidit *Cacolaa*, ſed *Kahala* apud Auiſenam ſcriptum eſſe:] *Lege*, quomodo non vidit non *Çacolaa*, ſed *Kakala*, &c.

Ibid. ad Cap. XXX, *verſ.* 13. quod Arabibus dicitur:] *Adde omiſſam vocem Arabicam,* لوز *Verſ.* 15. Hebræi vocant לון) *Scribe*, לוז.

Fol. 250, *ad cap.* XXXIII, *verſ.*5. ἀρωματίζων.] *Scribe*, ἀρωματίζουσα.

Fol. 251. *ad cap.* XXXVIII. *addatur hæc Nota.* Perſæ *Bade Frangi.*] بادي فرنجي id eſt, malum Francicum. بادي *Bade* Perſis eſt malum.

Emendanda & addenda ANIMADVERSIONIBVS In BELLONII Obſeruationum libros.

Fol. 205. *Animaduerſ. verſ.* 8. *colum.* 1. Caſtamoniti. Corruptum ex Italico Caſtro munito] *Adde*, Niſi ſit à Caſtamonis populis.

Ibid. colum. 2. *verſ.* 5. Vocat literas Seruianas, quæ aliter dicuntur Hieronymianæ,] *Adde*, & Buchuizza.

Fol. 206. *colum.* 2. *verſ.* 24. Melodunenſibus. *lege*, Meldenſibus.

Fol. 207. *colum.* 1. *poſt verſum ſextum à fine*, medio Septembri Iuliano, *inſere hanc Notam* Pag. ead. verſ. 29. Alcanna Arabum] Hæc figura non conuenit cum ea, quam dedit Proſper Alpinus, 29.

MOLY HISPANICVM PVRPVREVM.

Moly montanū latifolium purpureum, Hispanicum, à Ioh. Hoghelande.

PERDVCTIS hucvſque Curis hiſce poſterioribus, Nobilis & Clariſs. Vir. Ioannes ab Hoghelande raram quandam Moly ſpeciem nobis oſtendit, emtam à rhizotomo quodam Gallo, quam ille Moly Hiſpanicum nominabat. Nobis autem primo intuitu ſpecies quædam Moly Pyrenæi eſſe videbatur: Sed caulem habebat rotundum, firmum, tres ferè pedes altum, ſummo faſtigio, è vaginâ quadam membranaceâ in tres partes fiſſâ flores emittentem p. m. ſexaginta, ſatis magnos, ſingulos vncialibus aut longioribus pediculis ſubnixos, ſenis foliis, dilutè rubris aut carneis, purpuraſcentibus, ſtellæ formâ radiatim expanſis conſtantes, cum ſex concoloribus intermediis ſtaminibus, gerentibus apices luteos, in quorum medio capitulum viride, interdum trifidum aut triangulare, cum ſtilo aut piſtillo intermedio, interdum verò quadrifidum, præſertim cùm florum folia octo numero ſunt; tunc enim & ſtamina octo cum apicibus totidem in hoc flore conſpiciuntur. Ex eâdem enim vaginâ membranaceâ ſeu folliculo prodeunt flores aliquot octo foliolis conſtantes; etſi plerique ſex tantùm foliola habere conſueuerint. Odor floris gratus, nec alliaceâ aliarum Moly ſpecierum grauitate capiti moleſtus. Florebat autem ſub 20 Maii, anni 1611. Radix alba, rotunda & bulboſa, longis compluribus fibris terræ adhærens, ac per eas eodem anno alias propagines emittens: magnitudo autem eius proportioni caulis non reſpondet: vnciâ enim vix eſt altior, tres vncias in circumferentiâ extuberans; folia emittens duo, viridia aut porracea (caulem quem modò deſcripſimus amplectentia) bipedalia p. m. lata, ſed in medio latiora, id eſt ferè tres vncias lata, carinata, & non ſolùm caulem intermedium, ſed & ſe mutuò amplectentia, nullius pænè odoris, ſaltem allium non redolentia: inter quæ, nempe haud procul ab exortu ipſorum, & alii minuti bulbuli creſcunt, præter illos bulbulos qui iuxta radicem ipſam ex prædictis fibris enaſcuntur; ſtupendâ ſanè fecunditate.

FINIS.


MOLY HISPANICVM PVRPVREVM.

[illegible] Nobili [illegible] Clarius [illegible] ab Hollandia [illegible] quodam Gallo, quam dic Moly Hispanicum [illegible]. Nobis [illegible] species quædam Moly [illegible] tres se [illegible] altum [illegible] partes [illegible] p. m. [illegible] magnos, [illegible] longo [illegible] folia, dilutè rubris [illegible] radiatum [illegible] confluens, cum sex [illegible] staminibus, gerentibus apices [illegible] quorum [illegible] capitulum [illegible] triquetrum [illegible] cum filo aut [illegible] quadam [illegible] folia [illegible] numero [illegible] Ex ea-dem [illegible] con-[illegible] tantum folia [illegible] floris gratus; nec [illegible] Moly [illegible] Florebat autem sub 20 Maij, anno 1611. Radix [illegible] terræ [illegible] eodem anno [illegible] propagines [illegible] magnitudo [illegible] eius proportioni caulis non respondet: [illegible] circumferentia [illegible], folia [illegible] duo, [illegible] aut porrecta [illegible] quod descripsimus amplectentia) bi-palmaria p. m. lata sed in medio latiora, id est fere tres vncias lata, carinata, & non solum caulem intermedium, sed & se mutuo amplectentia nullius prorsus odoris, [illegible] allium non redolentia: [illegible], neque haud [illegible], & alii multi bulbuli crescunt, præter illos bulbulos [illegible] fibris [illegible], stupenda sane fecunditate.

FINIS.

EVERARDI VORSTII
MEDICINÆ PROFESSORIS
Oratio funebris
IN OBITVM
V. N. ET CL.
CAROLI CLVSII
ATREBATIS.

Accesserunt
VARIORVM EPICEDIA.



IN OFFICINA PLANTINIANA
RAPHELENGII.
1611.

EVERARDI VORSTII, MEDICINÆ PROFESSORIS, & magnifici Acad. Rectoris,

ORATIO FVNEBRIS in obitum V. N. & CL. CAROLI CLVSII,

SENATORES Academici, Professores Cl^mi^, Illustres ac generosi Barones, Viri Amplissimi, doctissimi & reuerendi, Iuuentus ornatissima atque Reip. spes florentissima;



RECENS ac nuperum Academiæ nostræ fatum, alius nunc iterum longè acerbissimus excepit casus. Extulimus paucis abhinc diebus Iosephum Scaligerum, temporum nostrorum Phœnicem; hunc breui adeò interuallo subsequutus est Carolus noster Clusius; vixdum dolor noster aliquantò subsederat, ecce nouo percellimur luctu, malúmque paullò remissum rursus integrascit. nec enim vno contenta Scaligero (in cuius tamen iacturâ totus ingemuit orbis) mox & alterum hoc nobis subduxit ornamentum inuida Parca. Huic venerando seni hodiè pro vestrâ pietate parentastis; huius honorandæ memoriæ huc frequentes conuenistis; huius defuncti gratiâ foris sordidatos, intus mærore obsessos vos mæstus intueor; huius denique causâ in hunc locum, non tam meâ voluntate, quàm vestrâ, Patres Academici, petitione atque impulsu ascendi. Quàm durum susceperim onus, non me fugit. dicturus enim sum de eo Viro, cuius virtutes, eruditio, in remp. litterariam merita, omnem meam dicendi vim, omnem supellectilem excedunt longè: dicturus sum in eo loco, in quem nihil adferri solet, nihil debet nisi perfectum ingenio, elaboratum industriâ, & quod demorsos sapiat vngues. à quo dicendi splendore tametsi quàm longissimè hanc meam Orationem abesse probè sciam, vestrâ nihilominus fretus beneuolentiâ multus in me excusando apud vos non ero. excusabit me Senatus Academici decretum, quod dicendi hanc imposuit necessitatem. excusabit pietas, quâ defuncti manes prosequutus, extremũ hoc officium à me desiderari passus non fui. excusabit Vitæ ac

professionis meæ genus quod ab amœnioribus istis litteris & eloquentiæ studiis multum semotum est. excusabit demum temporis angustia, quæ meditationi accuratiori spatium perexiguum concessit. Quare si non ex dignitate omnia dixero, & ex tam multis pauca solùm delibauero, haud spero apud Auditores tàm æquos iudicia mihi vlla fore parata iniqua. Fauete igitur piis conatibus, Auditores humanissimi; fauorisque vestri auram tantisper mihi concedite, dum quæ de tanto viro ab aliis aliquando ornatiùs dici aut feliciùs scribi poterunt, ego ὡς ἐν τύπῳ crassâque, quod aiunt, Mineruâ, adumbrare studeo.

Qui viros præclaros laudandos sibi suscipiunt, à solo natali in quo orti, in quo primùm hauserunt cælum, orationes suas auspicari solent non immeritò; huic enim tantum à maioribus est tributum, vt parentis sanctissimum nomen nobiscum commune habere voluerint, nihilque prorsus esse, quod à nobis vel fortiter geri, vel prudenter agi, vel sapienter dici possit, cuius patria sibi non arroget iure suo partem, æquissimi rerum æstimatores censuerunt. Atrebatum vrbs Galliæ Belgicæ ad Scarpum fluuium antiquissima est, ampla, elegans, amœna, aëre saluberrimo, ingeniis ac nobilitate florens; totius gentis Metropolis iam olim habita. in hac Clusius noster nascitur Anno salutis millesimo quingentesimo & vigesimo sexto, mense Februario, patre Michaële de l'Escluse, Domino de Watenes, & Consiliario Curiæ Prouincialis: matre Gulielma Quineaut, rari exempli fœminâ. quo in loco parentes simul cum animâ illi tradiderunt, patriam non obscuram, familiam non pœnitendam, domum innocentem, opes honestas, ingenium liberale, studiisque optimarum artium capessendis aptissimum. Quare vt primùm ex ephœbis excessit, Gandauum à parentibus missus, sub optimis præceptoribus iis artibus, quibus ætas illa ad humanitatem informari solet, ritè imbutus est. quo quidem tempore multa neque ea vulgaria spectatæ indolis edidit specimina. Ætate iam grandior factus, ad grauiores disciplinas & imprimis Ius Ciuile discendum, Louanium totius Europæ florentissimum tunc Gymnasium, ac litterarum Emporium ablegatur: vbi celebriores in omni scientiarum genere Viros publicè docentes cupidissimè audiuit; priuatim etiam quibusdam ex præcipuis & familiariter vsus, assiduâ illâ doctorum hominum consuetudine effecit, vt breui admodum insignem optimarum rerum peritiam, nomenque inter æquales clarum sibi compararet. Erat enim eâ tunc in vrbe summus præstantissimorum virorum & adolescentum concursus ex omnibus Europæ prouinciis; & docentium discentiumque studia ad æmulationem æquè feruebant. Anno ætatis vigesimo secundo Louanio digressus, ad vberiorem ingenii cultum capiendum, & externarum regionum visendarum cupidine flagrans, in Germaniam contendit, & Marpurgi

apud

apud Chattos aliquandiu subſtitit, vbi Oldendorpium clariſſimum apud ſuos & exteros Iuriſconſultum, diligentiſſimè audiuit: ibidémq. in familiaritatem incidit Andreæ Hyperii, magnæ exiſtimationis ac famæ apud Germanos Theologi. Huius conſilio anno inſequente Wittebergam Saxonũ adiit, potiſſimùm vt Philippum Melanchthonem videret, audiret & coram cognoſceret; virum mehercle egregium, qui ſcientiarũ orbem vniuerſum vel ſolus, vel cum paucis apud populares ſuos intellectione cõplexus eſt; & ob id, dum viueret, Germaniæ ſuæ Oraculum habitus. Circa annum Chriſti cIↄ. Iↄ. L. Wittebergâ profectus Francofurtum indeque Argentinam petiit, vbi paullulum commoratus, cùm Galliæ luſtrandæ teneretur deſiderio, per Heluetios & Allobroges Lugdunum peruenit, hinc Montepeſſulum: in qua vrbe certo conſilio triennium totum egit, Gulielmi Rondeletii Medici celebratiſſimi contubernio ac menſâ vſus. Hoc primùm in loco illum cepit Medicinæ ſtirpiumque noſcendarum amor, quo ad extremum vſque vitæ diem raptus, Iuris Ciuilis profeſſioni nuntium remiſit, ſeque totum Sacræ Artis, & præcipuè ſimplicium medicamentorum cognitioni tradidit, inſito quodam naturæ ductu. aſſiduus ac ſedulus Rondeletii, cui vnicè carus & acceptus erat, auditor, ex ore docentis excepit Methodum curandorum morborum particularium, quam poſteà typis vulgauit Laur. Ioubertus. Rei herbariæ ſtudio ſupra modum delectatus, ſæpiſſimè in agrum & circumuicina loca prodibat, totamque Galliam Narbonenſem perreptabat: neque, quod multi peregrinantes hodie faciunt, perfunctoriè aut veluti canis Nilum lambit, exteras regiones obibat, verùm penſiculatè minutiſſima etiam quæque animaduertebat; nec ſolùm rerum naturalium ibi naſcentium indagatione contentus, quicquid præterea ad ſitum, antiquitates & populorum mores ſpectaret, mente & oculis attentiſſimis obſeruabat. cui inter cætera fidem facit Tabula illius Chorographica Galliæ Narbonenſis, quam Theatro ſuo Geographico Abrahamus Ortelius inſeruit. Dum apud Montepeſſulanos degeret, Petrum Lotichium Poëtarum Germaniæ principem cognouit, & inter reliquos amicos familiariſſimè coluit. huius ad Cluſium verſus aliquot & Epiſtolæ cum reliquis eius operibus leguntur. Porrò in ſtudio Botanico, cuius incredibili flagrabat amore, ita breui profecit, vt vel tunc Rondeletio, Scyronio aliiſque Academiæ illius Doctoribus liqueret, quantus in illa profeſſione aliquando futurus eſſet: non obſcuris quippe indiciis colligebant, ad rem herbariam ornandam, augendamque natum atque vnicè factum. vtpote cuius animo altiſſimè infixum hærebat graue illud dictum quod apud Galenum extare nouimus, & ab Oribaſio repetitum legimus, ſimplicium medicamentorum, & facultatum quæ eis inſunt cognitionem adeò Medico neceſſariam eſſe, vt

ſine eâ nemo ritè mederi queat. Equidem ita iudico; ſi Medici alioquin eximii animum herbarum notitiâ ſpoliaueris, mentemque natiuâ ſtirpium ſpecie nudaueris, licet cælo deiectus, licet Æſculapius ipſe fuerit, licet omni Muſarum choro ſtipatus, Phyſica, Anatomica, atque Chirurgica callens, placere tamen poſſe ne Apollini quidem ſuo, vtpote herbarum ſcientiſſimo. Fuit ſanè hæc Sapientiæ pars quæ ſtirpium hiſtoriam complectitur, non ita multis ab hinc annis in obſcuro planè poſita, denſiſſimisque inuoluta tenebris. nam præterquam quòd per ſe ſat difficilis eſſet, temporum longinquitas & crebræ populorum migrationes, in cauſsâ fuerunt, vt pleræque, ne dicam omnes, plantæ veteribus abiectis noua ſæpiùs induerint ac commutârint nomina, ita vt priſtinæ nomenclaturæ nec vola nec veſtigium appareat vllum. Hinc etiam moroſior ac ſcrupea prorſus reddita, quòd priſci materiæ medicæ Scriptores, ſtirpium, quas pro vulgò cognitis habebant, paucas inter deſcribendum, non rarò nullas tradiderint notas, quibus à poſteris recognoſci poſſent. Quibus & tertium acceſſit incommodum, quòd recentiorum quidam ad primam quamque vel leuiſſimam notam à veteribus appoſitam, alienas ac nonnunquàm contrarias ſupponunt plantas, adeò vt loco ſalutarium remediorum, venena etiam quidam nobis ſurrogârint nocentiſſima, damnabili prorſus atque ſceleratâ inſcitiâ. Quibus malis ne diutiùs conflictaretur Ars medendi, ſummi Numinis prouidentiâ factum, vt patrum, noſtrâque memoriâ multi præclari exorti ſint Viri, qui hanc Philoſophiæ partem illuſtrandam ſibi ſumpſerunt; inter quos primas obtinent Leonicenus, Ruellius, Matthiolus, Fuchſius, Tragus, Dodonæus, Dalechampius, Lobelius, Caſpar Bauhinus, Cluſius denique hic noſter; de cuius in hoc ſtudiorum genere excellentiâ, & ſingulari peritiâ non eſt quod multis apud vos diſſeram; res ipſa loquitur, & quæ omnium manibus teruntur, Viri eminentiſſimi Scripta id abundè teſtantur. inde enim apparet duo ſibi potiſſimùm propoſita habuiſſe, vt ab antiquis deſcripta aut memorata, altâque iam caligine merſa, erueret atque in lucem protraheret; noua verò aliisque indicta ipſe reperire poſſet, repertaque optimâ fide bono publico omnibus communicare. vtrumque feliciſſimè peregit, & cum immortali nominis ſui gloria perfecit. Verùm ad reliquum de Vitâ Optimi noſtri Senis ſermonem regredior. Montepeſſulo, poſt gradum, vt vocant, Licentiæ in Medicinâ adeptum, diſcedens per Galliam Lugdunenſem, Geneuamque, iterùm Baſileam peruênit, vbi exquiſitiſſimis honoribus ab Ordine Academico exceptus, ſecundo Rheno vectus Coloniam vſque Agrippinæ, inde terreſtri itinere Antuerpiam petiit, & ab anno quinquageſimoquinto ſupra milleſimum quingenteſimum vſque ad annum ſexageſimum tertium in Belgio ferè hæſit, niſi quòd Lutetiam Pariſio-

rum

rum semel excurrere illi visum. Vertit intereà temporis in sermonem Gallicum Vitas Hannibalis & Scipionis à Donato Acciaiuolo Latinè priùs editas, quæ inter opera Plutarchi Gallicè euulgata hodiè leguntur. Dodonæi prætereà Plantarum historiam in eandem linguam conuertit. Anno verò sexagesimotertio Augustam Vindelicorum petiit, proximoque repetiit, & inde in comitatu Illustrium fratrum Fuggerorum, per Belgicam, ceteramque Galliam Oceano proximam, in Hispaniam profectus est; quam vniuersam peragrauit & accuratissimè perlustrauit à Pyrenæis montibus ad fretum vsque Gaditanum: quo in itinere ad Calpen equo dilapsus os tibiæ confregit. Olysipone cùm esset, incidit fortè fortunâ in Dialogos Garçiæ ab Orta Lusitanicâ linguâ conscriptos, Aromatum apud Indos nascentium descriptionem complectentes, quos cùm auidè percurrisset, dignosque qui toti orbi innotescerent iudicasset, Latinè vertit, & parergis omissis contraxit, additis etiam Notis. Hos primùm anno septuagesimoquarto Christophori Plantini typis Antuerpiæ publicauit: quibus adiunxit Nicolai Monardis Medici Hispalensis de Simplicibus med. Noui Orbis Librum ex linguâ itidem Hispanicâ in Latinam traductum. Hispaniâ totâ decursâ in Belgium reuersus est, & in eo vsque ad annum septuagesimum commoratus est, amicitiâ multorum præstantium Virorum vsus, Boysotti, Brancionis, Laurinorum fratrum, Plantini, Raphelengii, & aliorum. Hoc tempore ex sermone Italico in Latinum transtulit Antidotarium, vt vocant, Florentinum, quod anno LXVII. apud Plantinum edi curauit. Anno verò LXXI. in Britanniam nauigauit, indeque redux biennio exacto ab Imper. Maximiliano II. Augusto Viennam Pannoniæ honestissimis conditionibus euocatus fuit, & numero familiarium aulicorum adscriptus, commissâ illi etiam Horti Cæsarei curâ: in quo munere ad annos circiter quatuordecim durauit, in summâ Maximiliani Aug. & Rudolphi F. existimatione ac gratiâ. quo tempore Pragam vnà cum Imp. Maximiliano profectus est; quo ibidem vitâ defuncto, à Rudolpho successore pristinum illi munus confirmatum fuit. Hungariam etiam, totamque Austriam peragrauit. Britanniam etiam permissu Imp. iterum adiit: vbi in familiaritatem incidit generosissimi Viri Philippi Sidnæi & Francisci Drake; à quo sociisque eius naualibus permulta didicit quæ ad Exoticorum historiam spectant. In aulâ Cæsareâ quamdiu fuit, totum inuestigationi stirpium se dabat, eiusque rei causâ sæpissimè in vicinos Pannoniæ agros montesque excurrebat. Hyberno verò tempore, & quoties otium illi esset assiduè aliquid quod ad studium hoc pertineret commentabatur. Edidit enim Anno LXXVI. typis Plantinianis Hispanicarum stirpium à se obseruatarum Historiam; præter Garçiæ ab Orta Dialogos, Christophori à Costa Historiam Aromatum,

tum, & Nicolai Monardis Noui Orbis Simpl.med. Anno autem 83. Plantarum Pannonicarum obſeruationes. Verſabantur eodem tempore in aulâ Io. Sambucus, Iul. Alexandrinus, Crato, Dodonæus, aliíque non pauci Viri doctiſſimi; quos omnes amore ſibi deuinctos habuit. Patuit etiam illi aditus in multorum principum & illuſtrium Virorum amicitiam; inter quos potiſſimùm colebat, maximeque familiares habebat Comitem à Serotin, & Baronem à Batthyan, Hungariæ proceres. Aulicæ tandem vitæ pertæſus, Anno LXXXVII Francofurtum ad Mænum conceſſit; ibique per annos fermè ſex priuatim egit, ſibique vixit: niſi quòd interdum ad Principem Gulielmum Lantgrauium commeare ſoleret: cui tantoperè acceptus fuit, vt annuo illum honoraret ſtipendio; tantoperè familiaris, vt eâdem cùm illo veheretur rhedâ, intimeque conſueſceret. complures etiam alios in hoc receſſu, vt erat leniſſimæ conſuetudinis homo, comparauit ſibi amicos, magni nominis regum ac principum Legatos. Illîc cùm eſſet, vertit è lingua Gallica in Latinam P. Bellonii Obſeruationes, quas Anno LXXXIX. publicauit, addito eiuſdem Bellonii Libello de neglectâ ſtirpium culturâ. Demùm Anno XCIII. ab Academiæ noſtræ Curatoribus honorificis litteris & ſtipendio inuitatus, huc venit. Ita enim iudicabant Viri prudentiſſimi, à tam clari hominis præſentiâ, non minimum ſplendoris Academiæ huic acceſſurum: nec opinione ſua fruſtrati ſunt: quamdiu enim apud nos fuit quá publicè quá priuatim vtilis eſſe nullo vnquam tempore deſtitit. Scripta ſua omnia ad incudem hîc reuocauit, extremamque manum addidit, & in duos tomos digeſſit, titulis Hiſtoriæ Rariorum Plantarum, & Exoticorum: additis etiam aliis quibuſdã libellis, Epiſtolis & obſeruationibus Nec ſolùm ſcriptis æternâ memoriâ dignis illuſtre reddidit Gymnaſium hoc: ſed quotidianis ſermonibus omnes qui ad ipſum ventitabãt erudiebat, benigneq. omnia ſua commonſtrabat atque communicabat: adeò vt cui conferre cùm illo liberet, non inter plantas verſari, ſed in Philoſophiæ ſinu conquieſcere ſibi videretur. Erant quippe in hoc viro præter ſtirpium cognitionem exactiſſimam, complures aliæ & inſignes dotes. Linguarum præter Græcam & Latinam, Hiſpanicæ, Italicæ & Germanicæ callentiſſimus fuit: & qui Italiam nunquam viderat, optimè tamen illius gentis loquebatur & ſcribebat linguâ. Hiſtoriarum & Geographiæ peritiſſimus. memoriæ tàm felicis, vt quæcunque inter peregrinandum etiam minutiſſima quæque obſeruaſſet, ad vnguem teneret & tanquam in numerato haberet. Pietatis in Deum atque homines non obſcura reliquit indicia. ipſe cùm maior natu eſſet, fratri tamen minori ceſſit vltrò feudo ac dominio Watteneſii; exemplo noſtris hiſce moribus raro. Attritis prætereà ſuorum ob bellum noſtrum ciuile opibus, liberali manu ſubuenit ex eo quod frugali ſuâ & cælibe

vitâ

vitâ reliquum ſibi fecerat: cibi enim potuſque deſiderio naturali, non voluptate, modus illi finitus erat; ab eorum ingenio procul, quorum corpora in ſaginâ, animi in macie & veterno obtorpeſcunt. Tranquillitas porrò animi ac ſerenitas in illo incredibilis, quam longo vſu ſibi pepererat ex bonâ conſcientiâ, rectis atque honeſtis actionibus, contemptu fortuitorum, placido vitæ & continuo tenore, vnam eandemque perpetuò premente viam. Temporis tàm diligens diſpenſator, vt nunquam deprehenſus ſit, extremâ etiam illâ ætate, quin aut legeret aliquid aut commentaretur. Amicorum cultor religioſiſſimus; quos illi plurimos omnis ordinis conciliauit, præter doctrinam, multa eius atque rara virtus, animique manſuetudo. ita vt vix dies præteriret quo non aut ipſe litteras daret, aut ab aliis acciperet, etiam ex remotiſſimis regnis ac prouinciis. Summis Principibus quanto in pretio quamq. carus fuerit, vel ex ſolis litteris eorum ad ipſum ſcriptis abundè colligere eſt. ita vt vix credibile ſit hominem priuatum exterumq. in tanta maximorum Virorum dignatione vixiſſe. Poſtremis annis duos ex amicis præcipuè obſeruauit, Ioſephum Scaligerum & Vincentium Pinellum, quorum exceſſu ita bonus indoluit Senex, vt deinceps manifeſtè in peius labi & à priſtino vigore ſenſim remittere viſus ſit. Valetudo illi ab ineunte ætate varia, nec ſatis proſpera. Francofurti in luxationem coxendicum incidit: quod incommodum eo ſolùm nomine moleſtiùs ferebat, quòd non, vt antè, montes camposque inuiſere, plantasque indagare liceret. Hernioſus etiam poſtremò factus eſt: ſenſibus alioquin integris ac mente. viſu tam perſpicaci atque acuto, vt in extremo illo ſenio citra ocularium adiumentum optimè adhuc legeret, calamoque pingeret. Tandem longâ ætate & annorum decurſu feſſus, poſtquàm iam expleſſet annum octuageſimum quartum, extremum clauſit Cluſius diem. Vir, abſit inuidia dictis, paucis conferendus, vitâ innocentiſſimus, ingenio florentiſſimus, propoſito ſanctiſſimus, &, vt verbo dicam, priſci moris & æui. Hîc agnoſco libens diuinam tuam, beate Scaliger, ac præſagã mentem. recordor enim, cùm paullò ante obitum tuum Cluſius per internuntiũ ſeſe excuſaret quòd valetudine impeditus inuiſere te ægrotantem non poſſet, reſpondiſſe te, Viueret, valeret tantiſper; breui ſe viſuros iterùm in beatorum ſede. Verus, ah nimium verus vates: quantulo enim tempore Cluſium præceſſit ingens illa anima? vix altero elapſo menſe fidiſſimum ſuum ſequitur aſſequiturque Scaligerum Cluſius. Quàm forti verò ac conſtanti animo fatum ſuum excepit? quàm placidè ſupremum illud momentum & quàm auidè captauit? Quidni verò captaret homo in Chriſti Seruatoris ſcholâ enutritus, & in ſpem beatæ reſurrectionis erectus? meminerat probè, animoque ſuo proculdubio tunc voluebat, dictum illud Iobi, conſolationis pleniſſimum: Scio quòd Redemptor

b meus

meus viuit, & nouissimo die de terrâ surrecturus sim; & rursus circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum. reposita est hæc spes mea in sinu meo.

Talem tantumque Virum amisimus, Auditores; cuius sanè beatitudini vti nos inuidere impium planè foret, ita rursus nostrum nos lugere casum nulla vetat religio. Te quidem, ô beate Clusi, ô fortunate Senex, non est quod lugeamus, qui sempiternâ apud superos iam frueris gloriâ: & apud nos in summâ nominis celebritate vixisti, viuesque etiam post fata æternùm: eos verò attigisti annos quos nostrûm aliquis vix sperare auderet. Et quid si non attigisses? noras mortalium conditionem, cui nasci contigerit, mori restare, interuallis nos distingui, exitu æquari: vtque mori neminem contingit qui non vixerit; ita nec viuere aliquem posse, qui non sit moriturus. At verò nostram nos dolemus iacturam, nostrum totiusque reip. litterariæ irrecuperabile damnum. Luget Academia Crateuâ, Theophrasto, Dioscoride suo orbata. Luget studiosa Iuuentus, & Asclepiadum soboles tanto rei Botanicæ restauratore ac patre destituta. Quin neque omnis intra loci huius septa consistit dolor, claudique se patitur tàm angusto spatio; emanabit hinc in vniuersam Europam, imò ad extremos Indos vsque diffundet se longè lateque triste hoc nuntium. Lugebit ipsa parens rerum Natura Mysten suum Clusium, cuius ingenio atque industriâ, opes suas reclusas & tam accuratè descriptas paullò antè lætabatur. Quare excessisti tu quidem à nobis, beate Senex, & ad authorem originis tuæ lætus reuersus es, sed nobis omnibus desiderium tui reliquisti tristissimum, simulque memoriam nominis tui nunquam interituram. tua enim te monimenta, tua te virtus, ac seriæ aliorum laudes, non leuis hæc mea ac breuis prædicatio, perpetuò celebrabunt. Deum Sospitatorem supplicibus votis oro, obsecro, obtestor, vti volens propitius sospitet Academiam hanc, tantisque circumuentam luctibus expediat, & mala quæ iam pridem plurima perpessi sumus, lætioribus aliquando compenset euentibus. Ita voueo, ita auguror. Dixi.

Habita fuit hæc Oratio in Academiâ post ductum funus, die VII. *April. Anno* CIↃ. IↃ. CIX.

EPITA-

EPITAPHIVM *Clariss. Viri* CAROLI CLVSII,
qui sepultus est Leidæ in templo Beatæ Mariæ.

BONÆ MEMORIÆ

CAROLI CLVSII

ATREBATIS

POS.

QVI OB NOMINIS CELEBRITATEM
PROBITATE, ERVDITIONE, TVM REI
INPRIMIS HERBARIÆ I LLVSTRATIONE
PARTAM, INTER AVLÆ CÆS. FAMILIARES
ALLECTVS; ET POST VARIAS PEREGRINA-
TIONES A NOBB. DEMVM ET AMPLISS. DD.
CVRR. ET COSS. IN HANC VRBEM CONDE-
CORANDÆ ACADEMIÆ EVOCATVS, ET STI-
PENDIO PVB. PER ANNOS XVI. HONORA-
TVS, XXCIV° Æ. S. ANNVM INGRESSVS
OBIIT CELEBS IV. APR. M.DC.IX.

BOISARDVS II. *parte Iconum Virorum illustrium, doctrina & eruditione præstantium, in principio, ad* CLVSII *effigiem.*

ANNO à nato Christo M. D. XXVI mensis Februarii XIX sub horam V. ante meridiem natus est CAROLVS CLVSIVS Atrebati metropoli Comitatus Artesiæ in Gallia Belgica. isticque in pueritiâ educatus: Gandauum inde ablegatus, vt operam politioribus literis daret, sub Paulo Euchario viro doctissimo, apud quem biennio vixit: anno XLVI Louanium profectus Latinæ & Græcæ Linguæ professores in collegio trilingui siue Buslidiano, audiuit. Deinde (sic volente patre) Iuri Ciuili operam dedit sub C.V. Doctore Gabriele Mudæo: sed cum animus esset peregrinas regiones lustrandi, Germaniam triennio pòst adiit: vbi ex magni & celeberrimi viri consilio & autoritate studii rationem mutans, neglecta Iurisprudentia philosophicum studium amplexus est. Anno quinquagesimo in Narbonensem Galliam se contulit: vnde paucos post annos, ob bellum inter Carolum V. Cæsarem & Henricum II. Galliæ regem exortum, in patriam à patre reuocatus, istic aliquot annos vixit, donec anno LX denuò in Galliam reuerteretur, Lutetiæque biennio viueret. Inde propter intestinum bellum, Aureliâ à principe Condæo occupatâ, Louanium abiit, & istic anno vixit. Anno 1564 euocatus in Germaniam, bimestri istic transacto, per celeres equos in Belgium rediit, & inde per Galliam in Hispaniam profectus est, cuius plures prouincias atque etiam magnam Lusitaniæ partem annuo spatio perlustrauit. Anno sequente in patriam reuersus vsque ad 71 in eâ permansit, quo Lutetiam profectus, & inde per Caletes in Angliam. Illâ autem ex parte peragratâ, denuò Lutetiam & in Belgium regressus est: istic hærens vsque ad annum 73 supra millesimum & quingentesimum. tum enim à Cæsare Maxæmiliano huius nominis II. euocatus Viennam Austriæ profectus est, & istic in aulæ Cæsareæ familiarium numerum benignè receptus fuit. quo etiam loco apud Cæsarem Rudolphum II. Maxæmiliani filium fuit. Vixit porrò Viennæ vsque ad annum LXXXVIII. (susceptis tamen interea binis in Angliam peregrinationibus) quo Francofurtum ad Mœnum se contulit: XCIII autem anno Lugdunum apud Batauos ab ordinibus confæderatarum prouinciarum euocatus, eò peruenit annum ætatis agens 68; vbi adhuc viuit celebs annum agens 73. In pueritiâ & adolescentiâ variis morbis obnoxius fuit, præsertim febribus continuis aliquot annis, omnibusque diu vexatus est, præterquam quartanâ & pestilente. Annum agens 24 hydrope laborauit ex intemperante aquæ frigidæ potu; quo morbo Cl. V. Guil. Rondeletii med. celeberrimi & professoris in academia Montepessulana, curâ diligentiâque liberatus fuit. Anno autem ætatis XXXIX in Hispanicâ peregrinatione, ruente in cursu per accliue equo cum ipso sessore, dextrum brachium supra cubitum fregit; & eum insequente, dextrum crus. Viennæ porrò Austriæ, annum agenti 55, pes sinister illi luxatus, & malleolus fractus. Octennio deinde pòst Francofurti ad Mœnum, ex casu dextrum femur luxatum, & luxatione nec à Medicis nec à Chirurgis agnitâ sed neglecta, ad contusionem dumtaxat medicamenta applicantibus, prorsus claudus effectus est, vt ne pedem quidem promouere possit, nisi gemino scipione sub alis subnixus, eam ob causam cùm corpus exercere nequeat, sed perpetuò illi sedendum aut decumbendum sit, graues alii accessere morbi, calculus, coli dolor, & hernia. Italicam profectionem ter tentauit: Florentissimam enim illam regionem videre summopere auebat: sed irriti semper fuere conatus: primùm Montepessulano Massiliam profectus est: deinde ex ea vrbe rediens, apud Allobroges hæsit fere semestre, parentis responsum exspectans: postremò Augustam vsque Vindelicorum profectus, vnde cursum conuertere debuit in Hispaniam. Quæ adeò causa fuit, vt adeundi Italiam omnem cogitationem in posterum deponeret, existimans id institutum Deo non probari, cuius voluntati obsistere nephas duceret. Eum ob tot animi & ingenii virtutes atque dotes incomparabiles, Imp. Maxæmilianus II. Nobilitatis priuilegiis optimo eius merito cohonestatum, plurimum amabat. Linguarum VII, vtpote Latinæ, Græcæ, Italicæ, Gallicæ, Hispanicæ, Lusitanicæ, & Belgicæ, exactam habet peritiam: variarum autem rerum præstantissimarum, præcipuè verò in historia simplicium peregrinorum tantam notitiam & vsum sibi acquisiuit, vt per tot regna orbis terrarum scriptorem earum vel grauiorem vel diligentiorem hodie non reperias. Historiarum vulgò incognitarum & scriptor & censor acutissimus, vti & Cosmographiæ doctissimus. Scripsit & vertit historias Americanas ex Hispanico Idiomate, in Latinum sermonem. Dialogos siue historiam Garciæ ab Horto, proregis Indiæ medici, Lusitanicâ linguâ scriptam de aromatis & simplicibus aliquot medicamentis apud Indos nascentibus, Latino sermone in epitomen contraxit, & iconibus ad viuum expressis, locupletioribusque annotationibus illustrauit,

illustrauit, quæ quarta editione apud Plantini viduam castigatior & auctior prodiit in 8. anno 93. Librum Christophori à Costa medici & chirurgi de Aromatibus & medicamentis in Orientali India nascentibus ex Hispanico sermone Latinum fecit, & in epitomen contractum quibusdam notis illustrauit, qui altera editione apud Plantini viduam Antuerpiæ anno 1593. in forma octaua publicatus est auctior & castigatior. Historiam Nicolai Monardi Hispalensis Medici duobus libris scriptam Hispanico sermone de simplicibus Medicamentis ex nouo orbe delatis, quorum in medicina vsus est, Latio donauit, & in vnum volumen contractam, annotationes & Iconibus affabrè depictis, illustrauit; quæ tertia editione excusa est ibidem ex postrema authoris recognitione formâ octauâ anno 1593. Idem fecit tabulam Hispaniæ, antiquis & recentibus in ea locorum nominibus inscriptis; quam se editurum promisit Ortelius. Eiusdem Historia aliquot stirpium per Hispaniam obseruatarum libris duobus expressa est Antuerpiæ in 8. Anno 1576.

Hæc Boissardus: quibus vitam Clariss. Clusii vsque ad annum 1593 compendio descripsit. Quæ verò posteà in scriptis suis mutauerit, quæq, vitæ illi series vsque ad annum obitus eius 1609 fuerit, ex præcedente Oratione intelligere poteris.

EPICEDIA

In obitum Clarissimi viri

CAROLI CLVSII.

I.

ERIDANVM, *Rhodanum, Rhenumq́, Istrumq́, Tagumq́*
Viserat; & montes paßim syluasq́ pererrans,
Quicquid in Europa herbarum fruticumq́ latebat
Clusiadæ virtus studio collegerat acri;
Ille etiam quicquid tellus vel America, vel quæ
India surgentem ad Solem, vergensve cadentem
Inuisum Europæ & nostris produxerat oris
(Quæ variis alii scripserunt singula linguis)
Donarat Latio felicis munere pennæ,
Eximiis fulgens per totum laudibus orbem.
At nunc è terris in cœlica templa receptus
Aspectu propiore Dei se Clusius explet,
Mirificas nutu qui vires indidit herbis.

II.

MVLTVM *hodie cuiquam si res herbaria debet;*
Debet Matthiole, & docte Lacuna tibi.
Par tribus hoc ipso debetur nomine Belgis
Gloria, non vllo deperitura die;
Clusiadæ, Dodonæo, doctoq́ Lobello,
Certis perpetuum viuere nominibus.
Matthioli, Veneti; Salamantica, scripta Lacunæ
Æternæ ornauit laudis honore, typis.
At Dodonæi, & Clusî, scriptisq́ Lobelli
Plantini summum præla dedere decus.
Cesserunt fatis omnes; Te Parca, Lobelle,
Laudi quâ frueris diu superesse sinat.

BON. VVLCANIVS.

EIVSDEM

EIVSDEM BON. VVLCANII
IN CLARISS. VIRI
EVERARDI VORSTII
Orationem funebrem
IN OBITVM CAROLI CLVSII
EPIGRAMMA.

ΚΛΟΥΣΙΑΔΟΥ φίλον ᾧ βίον ἐστὶ καὶ ἤθεα γνῶναι,
 Ὃς βοτανῶν τε φυτῶν τ' ᾔδεε πάντα γενήν·
Τήν δ' ἀναγνοὺς βίβλον, ἣν μάλα προφέρων οἱ ἀνέθηκεν
 Βατταβικοῦ Λυκείου δέξιος ἡνίοχος·
Ὄλβιος οὗτος ἔφη, βίος ᾧ τοῖος βεβίωται,
 Βώρστιος ᾧ τε νέον δῶκε θανόντι βίον.

Idem Latinè.

CLVSIADÆ studia & mores qui nosse laboras,
 Herba cui nota & planta propè omnis erat;
Perlege quas Bataui Rector Doctorq; Lycei
 Illi sacrauit Vorstius inferias.
Felicem dices, talis cui vita peracta est,
 Cuiq; viro à tali vita secunda datur.

Τοῦ σοφωτάτου ἀνδρὸς
ΚΑΡΟΛΟΥ ΚΛΟΥΣΙΟΥ
ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ.

ΠΟΙΚΙΛΑ μὲν δεδάηκας ἀλεξιτήρια νούσων
 Κλούσιε, παντοίαις συνθέτα φαρμακίαις·
Οὔτε σε φυταλιαὶ γναλθέες, οὔτε σε θάμνοι,
 Οὐκ ἔλαθον ῥίζαι, καρποφόρον τε γένος.
Ἀφνειῇ τά τε πάντα τεῇ δημώσαο δέλτῳ
 Φῦλά τε καὶ χώρην πᾶσαν ἐπερχομένη.
Οὐ σὺ δὲ μοῖραν ἄλυξας ἐῇ πολυΐδρεϊ τέχνῃ·
 Τρέψε δὲ κὴρ ὀλοὴ χεῖρας ἀλεξικάκους.
Οὐ μὲν ὅλος κε θάνοις· κρέσσον μέρος αἰθέρι κύρσει,
 Γῆ δὲ περιασδύσει σὸν κλέος ἀθάνατον.

Doctißimi viri

CAROLI CLVSII Epitaphium.

NOTA *tibi fuerant, Clusi, pellentia morbos*
Pharmaca diuersis consociata modis.
Sed neque radices, nec te latuere salubres
Herbæ, non frutices, fructiferumq; genus;
Omnia quæ quondam vulgâras diuite charta,
Quæ modò per gentes per loca quæq; meat.
At tibi mors nullâ fuit euitabilis arte:
Sed medicas vicit tetrica Parca manus.
Haud totus moriere tamen: pars maxima cælo
Viuet, & in terris fama superstes erit.

FEDERICVS IAMOTIVS Medicus.

In reliquias CL. VIRI CAROLI CLVSII,

τȣ̃ μακαρίτȣ, post eius obitum editas, & ORATIONEM FVNEBREM à Cl. Viro ÆLIO EVERARDO VORSTIO de eodem habitam.

FLORÆ *sacerdos, candidatus herbarum*
Quascunque Phœbus spectat, aut alit tellus,
Non nostra tantum, sed remota, sed cuncta,
Quam Pontus ambit, aut Olympus inuoluit,
Ereptus orbi Clusius, tamen totum
Spargit per orbem non minus suos floreis.
Illum diserta voce Vorstius nuper,
Florum peritus & peritus herbarum
Vitæ perenni consecrauit & famæ,
Victurus ipse non minus celebrato.
Musæ corollam nectite hoc & hoc dignam,
Non in bicorni colle, qua secat nubes
Parnassus ingens, seq; cum polo iungit.
Quos præferatis Clusius dabit flores.

DANIEL HEINSIVS ex tempore scribebat.

EPITAPHIVM
diuini ſenis
CAROLI CLVSII,
viri clariſſimi, & rei herbariæ prin cipis.

SCAZON.

HOSPES, *ſepulchrum quiſquis aſpicis noſtrum,*
Hic æuiternum crede ver in hâc vrnâ
Croco rubente, floſculisq́ ſpirare.
Ego ille ſaxo condor hoc, inexpletâ
Qui mente dudum ſciſcitabar, in campis
Quæ procreatrix vis inerret, & magnum
Hoc corpus animet: quæ libido pertentet
Terram, ſerenâ nocte quum leui cœlum
Humore rorat, aut Fauonius lætas
Florum papillas purpurantium ſufflat.
Non ſtudia vulgi me, nec aſperæ curæ
Tenuêre: non me mane togula ſudatrix
Per inquietas diuitum fores egit:
Sed, dum ferè omnes diligenter hîc errant,
Ego inter herbas fuſus, è domo Ditis
Siccis capillis innocentiam priſci
Ruris reduxi. ſic mihi dies grati
Fulſêre: ſic plus octies decem meſſes
Et tres peregi: quum nec interim tuſsis,
Malúsve languor, nec grauedo me putris
Quaſſauit: oculos vſque dum meos tandem
Dies ſupremus, visq́ ſæuior fati
Grauiore ſomno preſsit, & ſemel longam
Dormire noctem iuſsit, heu nimis longam.
Lex iſta vitæ eſt fixa: quam licet dudum
Fugiſſe iam viderer, haut tamen fugi.
Feramus, hoſpes, hæc acerba. debentur
Maiora morti corpora. illa, quam ſtare
Suâ putamus mole, iam labat terra
Nutátque. Nata quæ fuêre non mirum eſt
Perire; perit hoc, ecce, quod fuit ſemper.

Scripſi PETRVS CVNAEVS.

MEMORIÆ

Nobilis ac præstantissimi viri

CAROLI CLVSII.

QVAMQVAM *citatus pennipesque festines,*
Hospes, resiste. suadeo. recusantem
Vel ista præsens pompa te retardârit,
Quâ Denecales Feriæ celebrantur.
Cernis cupressos, & choragium luctûs,
Hominesque tristes mortualibus sumptis,
Madidisque ocellis. cernis in sepulchreto,
Hîc quâ Lycæum personat Batauorum
Ipsas Athenas prouocans Erechthæas,
Manes ciere, lachrymisque perfusum,
Pullâque veste, crinibusque dimissis,
Taxoque opertum Vorstium parentare;
Non fulminato cuipiam è bidentali,
Scurræve, (ne nos sic putes ineptire:)
Inuersa fax hæc, hæque imagines pictæ,
Et signa lecto quæ feruntur Orcino
Meliora spondent: nempe funus illustre,
Musisque amicum, & innocentiæ exemplum.
Quis ille, quæris, sit cui Sacrum fiat?
Cui ille planctus pectorum & lacertorum?
Ille, ille magnus Clusius, pater Floræ,
Geniusque florum, stirpiumque nutritor,
Post explicata Exotici Orbis & Nostri
Diuersa ditis dona rara Naturæ,
Isto quiescit conditorio. dixi.
At, ô Viator, paucula heu nimis dixi.
Plura ipse dicet, funerisque Laudator.
Addamus illud nos tamen, Virum talem
Fuisse, qualem secla vix ferent vlla.
Nulli secundus in scientiâ herbarum
Placuit Rudolpho, Principique non vni.
Quòd si patritum non haberet hic nomen,
Vulgoque passim Clusium salutarent,
Datura [a] Laurus (namque & arbores nomen
Dedisse memini, sessilesque [b] lactucas:)
A flore posses nominare vel Florum.
Vtrumque certè conuenit. Viro laurus

a Vide Plinium lib. 15. cap. vlt. & lib. 17 cap. 1.
b Nempe LACTVCINI, Valeriæ gẽtis cognomen. Vide eundẽ Plin. lib. 19. cap. 4 Apud Diod. Sicul. est Μάρκος Οὐαλέριος Λακτύκης, lib. 11

Condigna

Condigna merces; dignus estq; florere
Æternùm, & ora per volare doctorum.
Non ille Caudex, aut inutilis Truncus,
Non imminuti Fungus est cerebelli,
Stolo, Frutéxve. at Arbor admodùm Felix,
Bis terq; Felix, ingeniq; diuini,
Industriæ acris, diligentiæ raræ,
Dum peruagatur rura Pannonum quondam,
Plagasq; lustrat tramitesq; inaccessos,
Cœcasq; valles non veretur intrare:
Britanniasq; Hispaniasq; percurrens
Incognitorum nos docet genus florum,
Plantasq; & herbas prodit antè neglectas.
Hæc cura tantùm Clusio fuit cordi;
Fugiens docere iura pro tribunali,
Quæ iuuenis almæ consecratus Astrææ
Ex Vlpiano didicit & Modestino.
Non ille auarus cuipiam dolos struxit,
(Haud nôrat vllis inuidere thesauris,)
Non fœnore vsus tristium Kalendarum.
Non præpotentum sportulas salutator
Captauit vdus, æstuánsque, pallensq;
Et æra centum, congiarium lassi
Anteambulonis, iussit ille plorare;
Ipsosq; reges, & greges togatorum.
Non impudicis visus est adhærere,
Submœnianas nec secutus vxores:
Cælebs, sed instar Cælitis fuit cælebs.
Reliquas procacis insolentias secli
Perosus, auræ plausuúmque contemptor,
Securus inter flosculos oberrabat;
Ab inquieti questibus procul vulgi,
Questu volucrum per vireta contentus.
Hinc pax sepulto. scæua nec quiescentem
Strix vlla turbat. nec cadauer allatrant
Canes Iberi, Schoppiúsve vespillo.

Caudex, Truncus, Fungus, Stolo, Frutex, *accipi solent pro homine rustico, inepto ac stupido.*

INNOCENTISSIMÆ ANIMÆ, AC MERENTISSIMIS MANIBVS

PETRVS SCRIVERIVS M. P.

Epitaphium.

Sparge, precor, flores supra mea busta viator;
Debentur flores totaque prata mihi.

Pro postumò Botanicæ supellectilis fœtu

CLARISSIMI VIRI

D. CAROLI CLVSII

ATREBATIS.

SVRGE Pater Florum, si quis tibi sensus in vrnâ
Qua te Lugdunum continet, atque fouet
Magne senex CLVSI, *qui maior* APOLLINE *quouis*
Ingenio es, captis addito summa tuis;
Nam nisi prima tui pars est exacta laboris,
Quam decorat lauro plebsq; sophúsque suo:
Orbibus ex motis toto nostro orbe Batauus
Materiæ Oceanum suggerit Indipetæ;
Quos ego! ni charum patris caput effera Morta
Fortior omni herbâ contumulasset humo:
Nil torrens terrere ignis, nil tristia Ponti
Flustra, & Hyperboreæ vis violenta niuis:
Plurima lustrato retulissem munera mundo
Indeclinati maxuma pars operis:
Claue etenim nemus hoc Naturæ vt APERTA *recludis*
Vt moto pateat cardine porta satis.
Te duce subsident mundi miracula montes
Tesquáque, quæ & nullâ sunt adeunda viâ.
Saltibus & sese quæcunque recessibus abdant
Telluris censu diuite deliciæ;
Concedis nostris etiam reperirier hortis
Pannoniam, atque Indos, Spanica regna simul.
Lugduni locus est superans vel Adonidis, iste
Monstrat opes Pannon, Inde, & Ibere tuas.
Hunc meus Hippocratis Flos, Vesaliq; Medulla
PAVIVS *arctauit dispositâ serie,*
Magnificum cimelium opum, admirabilis arte
Nostrâ; & qui CLVSI *cludere dignus opus.*
Dispeream, Hippocrates! si quisquam dignior alter
Tangere Phœbæo tanta Viretapede.
Verùm ignosce Senex multo quòd membra labore
Lassa satis, placidum nactáque morte locum
Ad solitos reuocem ingratus, deménsque labores;
Nam mea mens peccat turbida, morte tuâ.
Mens redit! ô requiesce senex, tibi gratia honósque
Debita, perpetuæ surget ab ore tubæ;

Surgere

Surgere te CLVSI *nec opus, namparte superstes*
Es potiore tui; PAVIVS *euigilat.*
Deciduum sequitur florem submissus eâdem
Stirpe, quod haud certas commonet esse vices.
Cæsaribus charus vernanti flore iuuentæ,
Et fructu senii gestiit ipsa Schola.
Abs ipso Senio sumpsit tua gloria vires,
Gloria quæ nullâ est interitura die.
Fatalis lustris eadem labentibus orbi,
Atque operi. Manes viuite Clusiaci.

ΧΡΟΝΟΓΡΑΦΙΚΟΝ.

BIs qVInqVe oCtenos, qVatVorqVe peregerat annos
CLVsIVs Vt MensIs LabItVr, ad sVperos
pertæsVs terras penetraVIt CLVsIVs hortos,
LVX VbI perpetVo Vere trahenda potens.

Augerius T. F. Clutius.

Viro nominatiſſimo, CAROLO CLVSIO, æui noſtri Principi Botanico.

VLTIMA myſtacio ex Medico quærenda, Beate
Gloria, defunctorum animâ æterniſſime CLVSI,
Ni fatum, æternámque piorum carmina vatum*
Tot collaudaſſent vitam, cæloque locaſſent:
Quîs cum triſte Apium, geminam Abrotanúmque, Thymúmque,
Omnigeniſque herbæ ſtruices mæroris alumnas,
Floréſque, vmbelláſque, comas, frondéſque, corymbóſque,
Et pullas capital fugiens Dea præfica Laurus
Infer lauriuoris plenâ cum adſpergine pompis.
Plini vmbræ heu! diui maiores, enthea diui
Suada Theophraſti, atque Anazarbea alta Pedacî
Diua Dioſcoridis! quos nunc exoſa Beati
Pars melior tradux floret cæleſtibus hortis:
Florâ nate, pater florum, herbarúmque, cui ipſa
Squallentis ſteriles enixo in luminis auras
Tellus floridulis prægnantem enitier aruis,
Atque aperire oculos, queîs tot mortalibus annos
** Cluſerat ingenuos fructus, florúmve profundas*
Auragias: iam te heu! delato ad conſcia terræ
Templa, vnde adſurgunt florum prolimina, † gazas
Inuidere ſuas ſuperis; radicibus ipſâ
Tellure occluſus cæcas protrudere vitas,
Inuitúmque animare lutum, & variare colorum
Tot vultus, ſpeciéſque, anthelásque admirandas!
Imò ipſe in varios flores mutarier, ipſus
Flos florum, Floræq́ue, & qui huic operantur Alumni
Flores, indictáſque herbas, exotica cælo
Noſtro ignota orbi, Batauæ & miracula genti
Ingentique orbi, propriis qui floribus orbis
Iam facit indigeti, totus quem floridus orbis
Terrarúmque Dii fratres, nymphæq́ue ſorores,
Herbarum florúmque Animam, Geniúmque Iouémque,
Naturæ que ſuum myſten, fratrémque magiſtrum
Lacteolo indigitem per cælos tramite ducunt.

* Ita Tullius Famam nominat Epiſt. ad Attic.

*Beati nominis veriloquium, quòd ante hunc iam natum innumeras ſuas Tellus opes, herbas, frutices, ſuffrutices, floréſque penitus concluſerat, quò & oculorũ etymon ſpectare, videri poteſt; ab occulẽdo enim denominati.

† Liceat veniâ Perſarum ἀπὸ τῆς γῆς καὶ σάειν ad ſenſum hũc pro Græcis tradaci.

L. M. Q.

Coronidem adpoſui H. DELMANHORSTIVS ære τοῦ μακαρίτου CLVSII non Comico, at Botanico obæratus.

IANVS RVTGERSIVS Euerardo Vorſtio V. C.

SIC *tibi concedat medicanti Pergamus arte,*
Nec certet dextræ dextera Coa tuæ;
Sic coëant queiſcumque ſacras admoueris herbas
Vulnera, nec dubiam ſentiat æger opem;
Sæuáque crudelis ceſſent contagia morbi,
Et fugiant ſuccis victa venena tuis;
Vt mihi ſe non antè oculis tam grata legendam
Obtulit æternâ charta notata manu,
Crudeles obitus quæ rapti mœret amici,
Et iacit ad viduos triſtia verba rogos,
Qualia ſub denſâ ramorum concinit vmbrâ
Dum gemit abſumptum Daulia mater Ityn,
Qualia cantabat Geticis in rupibus Orpheus
Euridyces queſtus altera fata ſuæ.
Hæc quoque venturi diſcant te vate nepotes,
Exequias æuum poſteritatis eat.
Quid renuis fruſtra? non eſt tua pagina, VORSTI,
Quæ lacrymas ſeræ poſteritatis habet.

EIVSDEM De CLVSII obitu.

VIDERAT *aſtrorum motus, cauſásque notarat*
Quæ faciant naſci ſidera, quæq; mori.
Emenſus ſtellas, & totum Cluſius orbem,
In gemino quantum cardine Phœbus obit,
Iam didici cœlum, quid adhuc niſi terra relicta eſt?
Hinc quoque, ſed maior, fama petetur, ait.
Nec mora, Telluris ſacras accingitur herbas,
Et gremio quicquid omniparente fouet.
Iam penetrat Gangen, videt hunc iam Medus Hydaſpes,
Et qui ſepteno gurgite Nile fluis.
Omnia quærebat. quærenti defuit orbis,
Vlterius nec quo progrederetur erat.
Nunc iacet hic. Tellus varias ſuperaddidit herbas,
Et tumulo lacrimis humida ſerta dedit.
Qui coluit flores, & ſacræ ſemina matris,
Credibile eſt illum ſic voluiſſe tegi.

ALIVD

ALIVD,
In tumulum CLVSII.

QVOD *iacet hoc tumulo si vis nouisse, viator,*
Exuuias Clusî continet iste locus,
Confectas senio, fractas morbísque malísque,
Summáque vix quarum strinxerat ossa cutis.
Sed tamen ingenium, sed mens diuinior huius
Heu malè formati corporis hospes erat.
Non querimur raptum. Quidquid mors inuida dempsit,
Ingenio nobis reddidit ille suo.

ALIVD.

CVM *Clusî corpus tumulo Natura locaret,*
Quem mœrens manibus fecerat ipsa suis,
Ingemuit, tollénsque manus ad sidera, Terræ
Hoc peperi, cœlum cætera, dixit, habet.

ALIVD.

QVI *videt hos flores tumuli de vertice nasci,*
Hæc cineri tellus vltima dona dedit.
O bene, quod tumulo claudatur Clusius isto!
Qui coluit flores, floribus ille iacet.

ALIVD,
ad CAROLI CLVSII Manes.

DIVINI *manes, & tanti nominis vmbra,*
Et Clusî quicquid non tegit vrna mei,
Accipite exiguum mansuri pignus amoris,
Dum liceat nobis condere maius opus.
Accipite, & quamuis paruum ne spernite munus.
Hæc pietas semper digna fauore fuit.

FINIS.